
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
21 — M
29

A II o 23

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. ANDR. LVCÆ DE ARCONES

E' SOCIET. IESV GRANATENSIS,

In Collegio D. Pauli Diuinorum Oraculorum Interpretis,

IN ISAIAM PROPHETAM.

ELVCIDATIONIS LITTERALIS, MYSTICÆ ET MORALIS exornatæ discursuum varietate,

TOMVS SECVNDVS:

Pertinet ad Bibliothecam S.ti Franc.ci Transtiberim de Urbe Ex Testamento Ill.mi et R.mi D.ni Urseanij Rinaldi

Cum triplici Indice, I. Sermonum ad Dominicas & Ferias Quadragesimæ; Aduentum Christi Domini, Eucharistiæ, B. Virginis mysteria omnia, & Sanctorum festiuitates per totum anni circulum, attinentium; vberiori conceptuum & materiarum varietate ad Euangelij Ecclesiastas tessellato. II. Locorum Sacræ Scripturæ. III. Rerum & verborum copiosissimo.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,

Sumptib. PHILIP. BORDE, LAVRENT. ARNAVD, & CL. RIGAVD.

M. DC. LII.

CVM APPROBAT. ET SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google



Nobili æquè & inclyto Viro

D. IOANNI PEREZ DE OREÑA

PORTVVM CIVITATIS

Victoriæ olim administratori, Custodi Maximo; Prohibitarum mercium Iudicis vices gerenti fidelissimo; recudendis numismatibus destinatæ domus Granatensis, Præfecto: in clandestinos monetæ signatores Quęsitori vigilantissimo;

Publici Gazophylacij Cimeliarcho Munitionum, & Pręsidiorum Bętici maris Mediterranei ærario Tribuno, & Regio Quęstori,

INTER reliquas ærumnas à Romani populi calamitosissimo bello illatas Iudæis, primas tenere iure optimo visa est quam Euangelicus Isaias prædixit cap. 3. *Dominus exercituum* (ait Vates) *auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem.* nec primo sese obtutu peruium præsentat, quid nomine *validi & fortis* animo conceperit Vates; non tam viros fortes & milites præualidos denotat, vt aliqui autumant, cum singillatim istos recenseat abolendos in subsequentibus: *Auferet omne robur panis & omne robur aquæ, fortem & virum bellatorem.* Quàm viros præualidos & robustos diuitiarum opulentia &

ſubſtantia Rempublicam fulcientes. Appoſitè hebraizantes, Vatablus & P. Mariana tranſtulerunt: *Auferet Dominus fulcimentum, & ſuſtentaculum.* Nec inconcinnum hypomnema proferrem ſi ſuſtentaculi & fulcimenti implicatum ſacramentum, nunc tandem pro re nata de diuitiarum affluentia, Gazarum copia, & theſauris quibus regna muniuntur, & ſtabiliuntur, explicauerim. Nam pecunias aptius dixerim pecuniarum Cimeliarchas Reipublicæ neruos, fulcra & ſtabilimenta Regnorum nuncupant Imperatores Leo, Iuſtinianus, & Iuſtinus, Vlpianus inſuper, quos refert Petrus Gregorius Tholozanus lib. 3. de Republic. cap. 1. Idemque lib. 11. cap. 2. ex Vegetio Martij inſtituti peritiſſimo, recenſet: *Prouido Principi antequam inchoetur bellum, debet eſſe pecunia prima cura, nam omnia alia facile illis parantur, vnde pro ſpiritu vitali, & neruus belli potiuntur.* Quare non olim deficientibus gazis, & ſubſidiaria pecuniarum penſione, quotidianaque ſtipendiorum ſolutione, defraudatis militibus, mirum non eſt quod labefactaretur bellatorum robur, virtus præliaris langueſceret, & ſublatis exercituum fulcimentis ex nummo, pecuniarumque Gazophylaciis promanaturis, vrbs tota Ieroſolymitana & Reſpublica corrueret. Idcirco ad incolumitatem regnorum, & impendentis belli ſubſidia inſtituta ſunt Gazophylacia. Scio apud Lacedæmones ærarium in fano Apollinis fuiſſe, ſi Athenæo credimus, nec me latet, apud Romanos in æde Saturno ſacra ſeruatum, vt Plutarchus teſtatur in problemat. Conſtat demùm Quæſtores Romuleos publicæ pecuniæ præfectos, quos vitæ integritas atque in gerendis Magiſtratibus diuturna, & inuiolata fides probauerat. Quæ virtutum decora cum in te conſpicua cerneret Rex Catholicus Philippus Quartus, Regiis ſuis reſcriptis ad te ſæpè tranſmiſſis theſaurarium nummariæ domus Granatenſis te conſtituit; Quæſtorem & Præfectum in munere cudendi nouo ſigillo æream monetam, Iudicemque criminalem, ne quis æri feriundo falſis ſigillis clanculum operam daret. Te quoque elegit ærarij Granatenſis Cimeliarcham, quæ præfecturæ diſcriminoſæ ſunt. Sæpe enim contigit nummarium Iudicium pecunia ipſa fuiſſe contaminatum, & corruptum. In his tamen muneribus admirandam omnibus probitatem, nec facile aſſequendam fidelitatem tuam, habent poſteri quæ mirentur. Nec inglorium ſtemmati tuo acceſſit decus cunctis laudibus pretioſior fides, quam diuina diligunt, mortalia ſæpeſæpius deſiderant, inuentam venerantur; quod Imperialibus iuſſionibus pura integritate famulatus es. Iſraëlitæ Ioſephi veſtigiis te inſtitiſſe mihi videor FIDELISSIME IOANNES: de quo ſacra pagina teſtatur Geneſ. cap. 47. v. 14. *Omnem pecuniam congregauit, pro venditione*

Digitized by Google

ditione frumenti, & intulit eam in ærarium Regis. Laudat Iosephi probitatem Abulensis scribens: *In hoc autem valde fidelis fuit Ioseph, qui in tanta pecuniarum copia nihil accepit, custodiens manus suas mundas, & cor suum rectum omni tempore.* In simili functione quam obiisti, fidem, integritatem, & animi tui probitatem Consiliarij & Senatores Regij testificati sunt, te experti fidelissimum excutientem ab omni sordenti munere manus. Dederas enim maxima documenta virtutis & fidei in primitiua dignitate cum te Rex Catholicus per indictionem suam Custodis Maximi Portuum Ciuitatis Victoriæ honore decorauit. De te rescripta accipe, quæ Cassiodorus protulit lib. 7. variar. cap. 9. de portuosa præfectura: *Eximia ergo res tibi committitur, si moderate peragatur, tu copiam facis, dum ingredientes iustè tractaueris: auara manus portum claudit, & cum digitos attrahit, nauium simul vela concludit.* Etenim Custodis maximi, & Iudicis præfectura potitus portuosi littoris, te præbuisti vigilem excubitorem, vt amicos negotiatores confoueres, stata commercia institorum, & iusta seruares, merciumque prohibitarum, quas nuncupant: *Contrabando* commeatum & aditum interdiceres. nec dissimili solertia & fide per tot annorum spatia Regij Quæstoris munere perfunctus, sedulo & sine procrastinatione remittens stipendia, & annua subsidia præsidiariis militibus in Bætici maris ora per tot arces, speculas, munitiones, & castella dispersis.

His dignitatum insignibus apud homines in honore es: ego tamen pluris æstimo, quod conscientiæ tuæ rationem habeas, & animi salutem rebus omnibus præferendam censeas, nauemque tuam cœli mercibus onustam ad æternitatis dirigas portum. Inuigilas enim Gazophylacium virtutum, & bonorum operum ærarium in cordis penetralibus condere, vt in te pietatis imago resplendeat summi Imperatoris charactere signata. Viget in te Christianæ deuotionis splendor, in exomologesis, & sacræ synaxis frequentia, in munificentia erga pauperes. Æquo iure Venerabiles Patres Religiosissimique Seraphici Francisci institutum & districtiorem disciplinam sectantes te generalem suum Syndicum elegerunt; ad quorum sanctissimum Cœnobium, totius pietatis scholam, vt iter esset expeditius, & patientis Christi cultoribus iucundius, viam sacram, Crucibus per interualla erectis, pientissime exornasti.

Accipe ergo, Vir ornatissime, amoris in Christo & obseruantiæ symbolum, & amicitiæ tesseram de arcanis sapientissimi Isaiæ Prophetæ thesauris depromptas gazas, opulentam & sacram supellectilem, quibus Isaiæ oracula in hoc secundo volumine exorno,

quod sub tuo patrocinio protegendum tibi sisto. Etenim sub tanti viri clientela & tutelari sidere, spectabiliores, illustrioresque prodibunt ingenioli mei lucubrationes in quibus munificentiæ & liberalitatis erga me tuæ grata memoria perennabit. Velim in hoc sapientibus morem gessisse si amico beneficiorum referam gratiam, quandoquidem cum Seneca epist. 81. *Negemus quemquam scire gratiam referre nisi sapientem. Solus sapiens amicus est: atqui amicitia pars est referre gratiam.* Hanc præcipuam amicitiæ partem impleturus, rependo gratitudinem quantam possum maximam. Valeas ex hoc Granatensi Diui Pauli Collegio Societatis Iesu. Die 2. Augusti an. 1650.

ANDREAS LVCAS.



BENEVOLO

Digitized by Google



Beneuolo & studioso Lectori.

ELVCIDATVM secundò commentariis litteralibus, mysticis & moralibus conceptibus Isaiam Prophetam damus; vtinam in declamatorum Euangelij commodum, & animarum vberem prouentum; nec quisquam mihi iure succenseat, nec opus maledico dente carpat, cum cernit interpretem paucis capitibus immoratum, volumen alterum expleuisse. Altiora meditati sumus, laboris & meditationis vomere proscindentes quasi tellurem intactam & fœcundiorem glebam arcanas & reconditas vatis dictiones, vt vberes partus mysteriorum, pulcherrimos flores conceptuum carperemus, qui vel ad æternam conducerent felicitatem, vel homines ad vera gaudia promerenda facilius inescarent; inexhauriendum sane mysteriorum thesaurum inuenisse se credat, quisquis attenta mentis acie in Isaiæ oracula penitissimi animum & industriam intenderit; quod mihi contigisse non arrogo, sed his moram & procrastinationem caussificor. nam vniuersa Isaiæ verba sunt arcana, tot oracula quot dictiones, plena reconditis & altioribus sacramentis. Liceat dicere cum Ennodio. Quæ igitur pauper vena timeatur ingenij, vbi diues est causa dicendi? *Sed quis in tot affluentissima diuitiarum copia, vel amœnissimo fructuum paradiso, florum viridario, cum per otium lubet, non singula decerperet, quæ in delicium singulare æstimanda omnibus viderentur. Iam olim Origenem Adamantium per mysticorum sensuum campos libere euagantem, super vnam vaticiniorum Isaiæ partem plurima edidisse volumina, testatur* Hieronymus. *Vnde cum interpres non soli litteræ enucleandæ incumbat, sed munus quoque Ecclesiastæ obeat, sacros concionatores varijs discursibus instruens; necessarium fuit in singulis Isaiæ fœcundissimis dictionibus remoraretur, vt flores & fructus mysticarum & moralium institutionum passim pullulantes colligeret, & corollas sermonum pangeret. Inueniet in hoc opere Lector, præter Aduentus & Quadragesimæ admonitiones & contemplationes litterales, mixtas, tropologicas, anagogycas, morales; omnium festiuitatum Christi Domini, & Deigenitricis magnalia; panegyricasque laudationes Sanctorum qui per totum anni circulum ab Ecclesia celebrantur: de quibus omnibus instruit Index ad sacras conciones construendas, præsertim illius pars secunda cum admonito ad Lectorem. Denique in perlegendis sedulò his commentarijs Lectoris beneuolentiam imprecor, nec enim adeo mihi placere potui, vt forsan aliqua quæ alij carpant superciliosa crisi, negarem inuenienda. Scite & vere dixit Diodorus:* Nec Poëta, nec historicus, nec vllus denique artifex præcepti alicuius rationalis, per omnia Lectoribus placere potest, nec fieri potest vt natura mortalis etiamsi scopum attingat, comprobationem omnium sine vlla reprehensione consequatur. *Hæc ille. Si in hoc opere aliqua tibi grata & iucunda visa fuerint, iis fruere, & vale.*

In natal. Laur.

Diodor. Sicul. in eclega ex lib. 26. Histor.

FACVLTAS

Digitized by Google

SINGV

SINGVLARIA HVIVS OPERIS LEMMATA,

Et indiuidua sanctorum encomia, *ex cap. III.*


Ex Capite IV.

Ab

Singularia huius operis lemmata.



INDEX



INDEX GENERALIS AD SACRAS CONCIONES PANGENDAS.

C, denotat caput : V, versum : D, discursum : E, expositionem : N, numerum : P, paginam.

Dominica prima Aduentus.

Lucæ cap. 21.

Dominica ſecunda Aduentus.

Matthæi cap. 11.

Dominica tertia Aduentus.

Ioannis cap. 1.

Dominica quarta Aduentus.

Lucæ cap. 3.

Pro Chriſti Natiuitate.

Lucæ cap. 2.

Pro Sancto Ioanne Euangelista.

Ioannis Cap. 21.

fortunatos

Pro Saluatoris Circumciſione.

Lucæ Cap. 2.

In Epiphania Domini.

Digitized by Google

Index ad ſacras conciones.

Pro Dominicis, & ferys Quadrageſimæ.

Feria 4. Cinerum.

Memento homo, quia puluis es.

Ex Euangelica Matthæi Lectione.

Matthæi Cap. 6.

Digitized by Google

Vbi

Feria quinta poſt Cineres.

Matth cap. 8.

Digitized by Google

Feria 6. poſt Cineres.

Matthæi Cap. 5.

ſed

Sabbato poft Cineres.

Marci Cap. 6.

Dominica I. Quadragesimæ.

Matthæi cap. 4.

Dæmon

Feria 2. Post Dominicam Primam Quadragesimæ.

Matthæi Cap. 25.

Feria 3. Post Dominicam. 1. Quadragesimæ.

Matthæi Cap.21.

Recordati

Digitized by Google

Feria 4. poſt Dominicam 1. Quadrageſimæ.

Matthæi Cap. 12.

Feria 5. Post Dominicam Primam Quadragesimæ.

Matthæi Cap. 15.

Digitized by Google

Feria sexta post Dominicam primam Quadragesimæ.

Ioannis cap. 5.

Alius

Sabbato post Dominicam I. vide Dominicam sequentem.

Dominica II. Quadragesimæ.

Matthæi cap. 17.

Hæreditas

Feria quarta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

Matth. cap. 20.

Feria quinta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

Lucæ cap. 16.

Homo

Feria sexta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

Matth cap. 21.

à

Sabbato post Dominicam. 1. Quadragesimæ.

Lucæ cap. 15.

Digitized by Google

Dominica III. Quadragesimæ.

Lucæ cap. 11.

Digitized by Google

Feria ſecunda poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ.

Lucæ cap. 4.

Medice

Digitized by Google

Feria tertia poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ.

Matthæi cap. 18.

Feria 4. Post Dominicam Tertiam Quadragesimæ.

Matthæi cap. 15.

Feria 5. post Dominicam. 3. Quadragesimæ.

Lucæ cap. 4

Feria 6. post Dominicam Tertiam. Quadragesimæ.

Ioannis cap. 4.

Si

Digitized by Google

Sabbato post Dominicam 3. Quadragesimæ.

Ioannis cap. 8.

Dominica quarta Quadragesimæ.

Ioannis cap. 6.

Quia

Digitized by Google

Index ad ſacras conciones.

Feria II. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ, require in feria III. poſt Dominicam I.

Feria tertia poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

Ioannis cap. 7.

Feria quarta poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

Ioannis cap. 9.

Feria 5. poſt Dominicam 4.

Lucæ cap. 7.

Feria sexta post Dominicam quartam Quadragesimæ.

Ioann. cap. 11.

Sabbato post Dominicam quartam Quadragesimæ.

Ioannis cap. 8.

Ego

Dominica Paßionis.

Ioannis cap. 8.

Digitized by Google

Feria 2. post Dominicam Paßionis.

Ioannis cap. 7.

Digitized by Google

Feria 3. post Dominicam Paßionis.

Ioannis cap. 7.

Feria quarta post Dominicam Paßionis.

Ioannis cap. 10.

Digitized by Google

Feria 5. poſt Dominicam Paſſionis.

Lucæ cap. 7.

Digitized by Google

Sabbato post Dominicam Passionis.

Ioann. cap. 11.

PARS

PARS SECVNDA
INDICIS GENERALIS
AD SACRAS CONCIONES PANGENDAS.

Admonitum ad Ecclesiasticos oratores.

TAMETSI his temporibus libri prodierint omni eruditione referti: prædicabilium segetum vberem copiam subministrantes, velut areæ granis aureis ad nutrimentum animæ, ad componendos mores fœcundæ; aut cœlestes cellæ, spiritalia horrea moralitatibus abundantia; ea tamen pars oratoriæ sacræ, quæ exornatiua nuncupatur, & spectat ad encomia, & commendationes præclaras virtutum, & facinorum vitæ Christi, Eucharistiæ, aliorumque sanctorum; non adeò diues, & copiosa; quin potius materies hæc, & rerum apparatus parcior, & rarior, quia difficilior: loqui enim pro rostris iuxta mysteriorum, & sanctorum dignitatem apposite, congruenter, decorè, præsertimque nexu conceptuum, & virtutum quasi monili quodam aureo homilias ornare, singulosque discursus cum sententiis Euangelicis infibulare, vt postrema primis nectantur, & lemmata thesibus respondeant, ne quis extra chorum saltare videatur; hoc opus, hic labor est. Hunc tamen accurate, & studiose impendemus pro modulo nostro in gratiam eorum qui præconum diuini verbi munere funguntur, rerum & conceptuum copiam cum verbis Euangelicis illaqueantes; ne sacri sermonis cyclas inconcinna, & dissuta compareat, & tam eximij artificij moles ingenio architectata, connexionis, & acoluthiæ dissolutæ compagine decidat, & corruat, & contemptui habeatur apud audientium animos, & linguas.

Dominica in Palmis require in Sabbato præcedenti.

Feria secunda maioris hedomadæ, require in feria quinta post Dominicam Passionis.

Pro feria tertia maioris hebdomadæ, Iesus comprehendens & ligatus.

COhors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum

Ioannis cap. 19.

Vide *cap. 3. vers. 10. & 11. ad ea verba Lxx. seniorum:* dicentes: alligemus iustum.

DISCVRSVS X.

Saluatoris vinculis dicatus.

CRudeles, & dulces manuum, & colli nexus, alligantium nequitiam, colligati Iesu charitatem, & innocentiam testificantur, & Iudæorum stragem portendunt. p. 270. & seq.

Et ligauerunt eum. Quàm iucundum, quàm pretiosum loris adstringi, ferratis nexibus pro Iesu amore vinciri. ibid. d. 11. p. 274. & seq.

Pro feria quarta maioris hebdomadæ de sancto Latrone.

Lucæ cap. 23.

C*Rucifixerunt eum, & latrones vnum ad dextris, & vnum à sinistris.* Adeò eximius amor Dei erga rationales animas vt propter earum conuersionem, & lucrum quandoque in gloria sua nubilum, notam dedecoris apud homines permittat. c. 4. v. 1. d. 3. p. 424. & sequent. singillatim perlege n. 2. & 3. p. 424

Pater æternus vt furem extollat, filium suum humiliat; natum opprobriis tradit, vt latronem glorificet. ibid.

Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.

Sanctus Latro de crucis subsellio Deitatis, & innocentiæ Christi patronus extitit. cap. 3. v. 10. d. 1. n. 7. p. 141

Scribarum maledicta omnia aduersus seruatorem iactata, valide refutat. ibid.

De crucis cathedra thelogiæ laurea inauguratus. pag. 142

Domine memento mei cum veneris in regnum tuum Ille verus amicus, & fidelis, qui in aduersis, tempore

Feria quinta in Cœna Domini.

Ioannis cap. 13.

Pro feria sexta in Parasceue, concio vespertina. Iesus patiens, Maria patiens.

Ioannis cap. 18.

Digitized by Google

Dominica Reſurrectionis Domini.

Marci cap. 16.

Act,

Digitized by Google

In Dominica Pentecostes.

Ioannis cap. 14.

In feſto ſanctiſſimæ Trinitatis.

Matthæi cap. 28.

Tota

In ſolemnitate celeberrima, atque ſanctiſsima ſacratiſsimi corporis Chriſti.

Ioannis cap. 6.

De Festiuitatibus Christi Domini, Beatæ Mariæ, & Sanctorum per totum anni circulum.

FESTA IANVARII.

In die Circuncisionis Domini habes annotationes super Euangelium Lucæ cap.2. post Dominicas aduentus.

In Epiphania Domini vide glossas, & discursus Euangelij Matth. cap. 2. post Dominicas Aduentus, & festum Natiuitatis Christi.

In Festo sancti Antonij Abbatis.

Lucæ cap. 12.

In Festo sancti Sebastiani.

Lucæ cap. 6.

In Festo S. Agnetis.

Vide in festiuitate S. Catharinæ Virginis, & martyris die 25. Nouembris, & in celebritate S. Thereſiæ die 15. Octobris.

FESTA FEBRVARII.

In festiuitate Purificationis Beatæ Mariæ.

Lucæ cap. 2.

In Festo martyrum Iaponensium ex S. Francisci familia SS. Fr. Petri Baptistæ & Sociorum; ex Societate IESV SS. Ioannis, Didaci, & Pauli.

Lucæ cap. 21.

Cum

In Feſto S. Matthiæ Apoſtoli.

Matthæi cap. 11.

Et

Digitized by

Festa Martii.

In festo S. Thomæ de Aquino Ecclesiæ Doctoris Angelici.

Matthæi cap. 5.

In Festo Beati Ioannis Dei Fundatoris hospitalitatis.

Lucæ cap. 12.

In festo S. Ioseph.

Matthæi cap. 1.

Primus

Digitized by Google

In festo Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis.

Lucæ cap. 1.

Index ad sacras conciones.

Festa Aprilis.

In festiuitate S. Francisci de Paula.

Lucæ cap. 12.

In festo S. Catharinæ Senensis.

Festa Maii.

In Feſto Inuentionis ſanctæ Crucis.

Ioannis cap. 3.

In Festo S. Ioannis ante portam Latinam, vide in festo S. Ioannis Euangelistæ post Dominicas Aduentus, & Natiuitatem Christi.

In Festo sancti Michaelis Archangeli recole Euangelium festiuitatis sanctorum Angelorum custodum die 1. Octobris.

Festa Ivnii.

In Festo sancti Basilij Magni.

Lucæ cap. 14.

In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, quam plurima elogia S. Ioannis præcursoris Domini inuenies in Dominicis Aduentus secunda, tertia, & quarta, & in festo decollationis S. Ioannis Baptistæ mense Augusti, & in festo Visitationis Beatæ Mariæ, die 2. Iulij.

In Festo sancti Petri Apostoli.

Matthæi cap. 16.

Summo

Festa Ivlii.

In Festo Visitationis B. Mariæ Virginis.

Lucæ cap. 1.

Deitatis

In Festo Sancti Bonauenturæ Ecclesiæ Doctoris Seraphici.

Matthæi cap. 5.

In Feſto S. Eliæ Prophetæ.

Matthæi cap. 17.

In Feſtiuitate Beatæ Mariæ virginis de monte Carmelo.

Ioannis cap. 19.

Sola

In Festo sanctæ Mariæ Magdalenæ require in sermonibus quadragesimalibus, feria quinta post Dominicam Passionis.

In Festo sancti Iacobi Apostoli vide feriam quartam post Dominicam secundam Quadragesimæ.

In Festo sanctæ Annæ, aptari possunt quæ habentur de margarita pretiosa. cap. 3. versicul. 2. d. 2. p. 407. & sequent.

In Festo sancti Ignatij Societatis Iesu fundatoris Patris nostri.

Lucæ cap. 12.

S*Int lumbi vestri præcincti.* Ex sacræ litteraturæ promo condo mira eruditione colligit Cardinalis Toletus quatuor cingulorum genera. *Primum cingulum est mortificationis.* Refertque sancti Gregorij Nazianzeni verba oratione 2. de Pascha: *Qui suam carnem domant, ac desideriis huius*

Index ad ſacras conciones.

Festa Avgvsti.

In Festo sancti Dominici Euangelium Lucæ capite 12. expenditur mense Ianuarij in Festo sancti Antonij Abbatis; Mense Martio in Festo Beati Ioannis Dei. Mense Iulio in festiuitate sancti Ignatij.

In Festo Transfigurationis Domini Nostri Iesu Christi.

Vide *Dominicam secundam Quadragesimæ.*

In Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Lucæ cap. 10.

Digitized by Google

In Festo sancti Augustini Episcopi & Confessoris, ac Doctoris Ecclesiæ, & luminaris magni.

Matthæi cap. 5.

In

Index ad sacras conciones.

In decollatione S. Ioannis Baptistæ.

Marci cap. 6.

Festa Septembris.

In Natiuitate sanctæ Mariæ Virginis.

Matth. cap. 1.

 Abraham

Hieronymi

FESTA OCTOBRIS.

Feſtum Sanctorum Angelorum cuſtodum.

Matthæi cap. 18.

In Festo S. Francisci Seraphici.

Matthæi cap. 11.

In Feſto Sanctæ Tereſiæ Virginis.

Matthæi cap. 25.

FESTA NOVEMBRIS.

In Festo omnium Sanctorum.

Matthæi cap. 5.

In Feſto Præſentationis B. Mariæ Virginis.

Lucæ cap. 11.

In festo sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris.

Matthæi cap. 25.

Festa Decembris.

In Festo S. Francisci Xauerij Indorum Apostoli Patris nostri.

Lucæ cap. 12.

Index ad sacras conciones.

In festiuitate Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

De

Digitized by Google

Sermones extra ordinem.



ISAIÆ.



ISAIÆ PROPHETÆ ELVCIDATIO LITERALIS, MYSTICA ET MORALIS.

TOMVS SECVNDVS.

CAPVT TERTIVM.

1. ECCE enim dominator Dominus exercituum auferet à Hie-
rusalem, & à Iuda validum & fortem, omne robur panis,
& omne robur aquæ; 2. Fortem & virum bellatorem, iu-
dicem, & prophetam, & ariolum & senem; 3. Princi-
pem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consilia-
rium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mysti-
ci. 4. Et dabo pueros principes eorum, & effæminati domi-
nabuntur eis. 5. Et irruet populus, vir ad virum, & vnusquisque ad proximum
suum: tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. 6. Apprehendet
enim vir fratrem suum domesticum patris sui: Vestimentum tibi est, princeps esto no-
ster, ruina autem hæc sub manu tuâ. 7. Respondebit in die illâ, dicens: Non sum me-
dicus, & in domo meâ non est panis, neque vestimentum: nolite me constituere princi-
pem populi. 8. Ruit enim Ierusalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum, & adin-
uentiones eorum contra dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. 9. Agnitio
vultus eorum respondit eis: & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec abscon-
derunt: væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. 10. Dicite iusto quoniam
bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. 11. Væ impio in malum: re-
tributio enim manuum eius fiet ei. 12. Populum meum exactores sui spoliauerunt, &
mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, &
viam gressuum tuorum dissipant. 13. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudi-
candos populos. 14. Dominus ad iudicandum veniet cum senibus populi sui, & prin-
cipibus eius: vos enim depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestrâ. 15. Quare

atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum? 16. Et dixit Dominus: pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant. 17. Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. 18. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, 19. & torques & monilia, & armillas, & mitras, 20. & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, 21. & annulos, & gemmas in fronte pendentes, 22. & mutatoria, & palliola, & linteamina, 23. & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. 24. Et erit pro suaui odore, fætor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium. 25. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. 26. Et mærebunt, atque lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit.

CAPVT III.

Quis scopus ab Isaia collimatus in hoc Vaticinio? Captiuitas ne Babylonica, an Romana?

Prima ratio militans pro captiuitate Babylonica.

1 ECESSARIO discutienda quæstio, vt intelligentia argumenti huius vaticinij, & subsequentis perspicua fiat. Pro captiuitate Babylonica pugnat caput 24. l. 4. Regum, in cuius versu 14. dicitur de Rege Babylonis: *Transtulit omnem Ierusalem, & vniuersos Principes, & omnes fortes exercitus, decem millia in captiuitatem, & omnem artificem, & clusorem.* Similia habentur apud hoc Isaiæ cap. 3. *Auferet Dominus viros robustos, bellatores, architectos*, &c.

Liber Reg.

Argumentum secundum.

2. Secundò, similes calamitates, & ærumnas, quas enumerat Vates Isaias, recenset Ieremias Propheta in Threnis, cùm lugubri nænia lamentatur Ierosolymæ vastitatem à Chaldæis illatam; ergo quòd iste excidium, & incendium præsens deplorat, ille futurum portendit. Propter hæc docti neoterici non de Romana clade, sed Babylonica, vaticinia Isaiæ vsurpant, & malunt cum Iudæis sentire, quàm cum Ecclesiæ primoribus tenere veritatem.

Mens auctoris.

Vaticinium Iudaici populi à Romanis denotati.

3. Nos verò securè sequimur agmen Patrum, qui habent sensum vitæ, de Romana vastitate, & depopulatione caput tertium interpretantium; quorum verba inferiùs subiicimus. In quo interpretamento LXX. seniores nobis exhibent non faculam in obscura vmbra, sed meridianum Solem, quo totum vaticinium illustratur; nam in eo propositas querelas, & accusationes, tristesque minas, & ærumnas, ad hoc caput, & fontem reducunt, quòd in Christum debacchati sunt Iudæi, turpissima morte illum condemnantes, de medio tollentes; quare vbi vulgatus legit v. 9. *Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.* Addunt LXX. iuxta lectionem S. Cyrilli Alexandrini. *Væ animæ eorum, quia consultauerunt consilium malignum contra se ipsos, dicentes: Vinciamus iustum, quia inutilis est nobis. Itaque partus operum suorum edent. Væ iniquo, mala pro operibus manuum ipsius euenient ei.* Itaque mala omnia euentura minatur, propter necem iusto inflictam: Argutè S. Cyrillus Alexandrinus scribit hoc in loco: *Est igitur verum, iniquo erit væ, & mala pro operibus manuum ipsius obtingent ei: nam vt Iesum Pilato, & indomitis militum furoribus obiecerunt, ita & ipsi, inquit, Romanis copijs tradentur.* Hæc interdum annotata pro huius loci commendatione; nam infra illustratum dabimus, ornatumque variis discursibus; illud tamen liquidò apparet, vastitatem in hoc vaticinio recensitam, & calamitates à vate relatas propter deicidium, ad Romanam captiuitatem esse referendas.

Lect. LXX.

LXX. seniores huius argumenti duces sequimur

Cyrill. Alex.

Excisi à Romanis Iudæi, quia Iesum occiderunt.

Vniuersis charismatibus orbati Iudæi, propter deicidium.

4. Mira Sanctorum Patrum in hanc mentem conspiratio in hoc loco est. In primis diuinarum interpretationum phœnix Hieronymus ita scribit: *Quod sequitur, de captiuitate ventura: quam alij ad Babylonios, alij referunt ad Romanos, sed melius est, vt supra diximus, cuncta referri ad Dominicam passionem. Post interfectionem quippe illius, omnes gratiæ, & donationes sublatæ sunt à Iudæis.*

D. Hieron.

Secundò suffragatur S. Basilius hac verborum serie: *Iudaicus ille populus simul ac malitiosum iniuit consilium aduersus Dominum, ipse quidem infirmitate carnis est ab eis appensus Cruci: vixit autem virtute Dei Patris, infirmitatem illis reliquit.*

D. Basil.

Tertiò perspicuus est in hac sententia Procopius, dicens: *Non idololatriæ, non aliorum scelerum, sed hoc tantum nomine, quod aduersus iustum consilium inierunt, de donis à veteri populo auferendis exorditur.*

Procop.

5. Quartò S. Athanasius subscribit l. de pass. & Cruce Domini: *Abycientes verò Christum lucem à se, & veritatem, & quidquid est Christus, abiecerunt, vt Esaias dicit: Ecce auferet Dominus à Iudæa, & Ierusalem validum, & validam*, &c. His annecte Origenem hom. 8. in Ierem. Tertul. l. aduersus Iudæos. & l. 4. contra Marc. cap. 23. & l. 5. cap. 6. Eusebium Cæs. l. 2. demonst. Euang. cap. 36. & 37. Rupertum l. 1. in Isaiam, cap. 11. Glossam ordinariam, Burgensem. Qui omnes præsens vaticinium de Romana captiuitate vsurpant.

D. Athanas.

Origen.
Tertull.
Euseb. Cæsar.
Rupert.
Glossa.
Burgens.

Propositum lemma rationibus fulcitur.

6. Accedunt non contemnendæ rationes; nam post Cyri liberationem à Babylonica custodia, & neruo, Iudæi in patriam reduces habuerunt viros bellatores, qui structuram mœnium Ierosolymæ tuebantur ab hostium incursu, eam impedire conantium, vt constat ex l. 2. Esdræ. cap. 4. v. 17. & seq. Et Machabæi bellica fortitudine clarissimi habentur, & ornati insulis triumphorum. Nec caruerunt Iudicibus teste Esdra l. 1. cap. 3. nec Prophetis, nam l. 1. Esdræ cap. 5. vers. 1. *Prophetauerunt autem Aggæus Propheta, & Zacharias filius*

Post Cyri libertatem Iudæi habuerunt milites, iudices, & vates.

Esdras.

Digitized by Google

filius Addo, prophetantes ad Iudæos, qui erant in Iudæa, & Ierusalem. Ipse etiam Nehemias vatis munere perfungitur. Et in ipsa transmigratione Babylonica Ieremias, & Baruch diuini vates, & mystagogi solamen, & tutamen erant populi, iugo seruitutis oppressi; non ergo verba illa Isaiæ, *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validum, & fortem. Fortem & virum bellatorem, iudicem, & Prophetam,* De captiuitate Babylonica, sed de Romana accipienda; in qua omnia dona naturæ, & gratiæ ablata sunt à Iudæis. Nullus vir bellator, nullus iudex, Princeps, aut Propheta relictus est.

Acoluthia & coharentia secundi, & tertij capitis.

7. Porro, prædicta mens stabilitur ex nexu, & cohærentia capitis secundi, & tertij. Nam postrema secundi capitis verba mirabili nexu copulantur cum exordio capitis tertij. Enixè efflagitauerat Isaias à Iudæis, vt quiescerent, & cessarent ab insidiis cælo intentatis, & expostulanda Saluatoris nece. Veruntamen quia non cessarunt à tumultu, & consilio iniquitatis, sed inconditis clamoribus vociferarunt: *Crucifige, crucifige*, ideò auferet Dominus ab eis *validum, & fortem*, &c. In hoc enim excelsus reputatus est, quia cùm vos ei vitam abstulistis; ille à vobis abstulit omnia Regni, & Ciuitatis ornamenta, quibus reddebamini clari, & conspicui. Pulchrè Doctor Maximus scribit in hoc loco. *Et est ordo quoniam noluistis cessare ab homine, cuius spiritus in naribus eius, qui excelsus reputatus est: sed è contrario fudistis sanguinem iusti, & cogitastis consilium pessimum dicentes: alligemus iustum, quia inutilis est nobis: ideò fructum adinuentionum vestrarum comedetis.*

D.Hieron. *A Doctore Maximo Hieronymo adstruitur.*

Foret. *Calculum album adiecit Forerius.*

8. Subscribit quoque Forerius singularis Isaiæ interpres: *Sed quando rogo hæc completa sunt? Num in vastatione Babylonica? Nemo adeò imperitus est, qui id affirmet. Certè velint nolint Iudæi hæc experti sunt, postquam non abstinuerunt, neque cauerunt sibi ab homine illo, in cuius naso erat flatus?*

Obiectiunculis fit satis.

9. Nec obiectiunculæ suprà positæ obstant huic veritati, nam ij, quos refert liber Regum quartus, translati sunt in Babylonem, Isaias verò asserit iudices, Prophetas, architectos ablatos: quod post Ierosolymæ excidium, quod Romanus exercitus intulit, completum est, tunc enim prophetia cessauit, Iudaici regni decus abolitum est.

10. Ad secundam; verum est quod inter aliquas calamitates Babylonicæ, & Romanæ depopulationis datur analogia; illæ tamen omnes, quas Isaias enumerat in hoc vaticinio, in extrema vastitate reperiuntur, vt constat ex rationibus suprà positis. Adde originem Romanæ cladis, nimirum assertoris nostri necem, quam LXX. seniores vaticinantur, ad oppugnationem Chaldæorum non posse refundi.

P. Gasparis Sanchez obiectioni occurritur.

11. Demum obiicies cum Sanchez, cuius animus propendet ad Chaldæorum captiuitatem in hoc vaticinio, verba numeri quinti non competere Romanæ irruptioni, nam vt ipse ait: *Neque ex sacra constat, neque ex prophana Historia*, quod irrueret populus vir ad virum, & vnusquisque ad populum suum, neque quod tumultuaretur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. Respondeo eos omnes tumultus, & seditiones contigisse in Romana captiuitate, esse valde compertum ex Iosepho. l.5.6.7. de bello Iudaico. Egesippo. l.3.4.5. de excidio vrbis Ierosolymitanæ, Eusebio Cæsar. l.3. historiæ, quos refert Procopius Gazæus, illius verba refero: *Apertè porrò, nec iam per ænigmata, expugnationis vltima damna explicat. Seditione enim, & cæde vrbem repleruut; non hostium metu inter se cohærentes; sed dominandi studio alter in alterum delati: Non denique Seniorum monita quidquam facientes; sed vt quique erant scelere, & turpitudine vitæ maximè infames, ita in probos, & honoratos viros armis insultabant.* Et paucis interiectis subdit: *Furente enim seditione, non eorum amplius, qui reliquis præesse possunt, æquo suffragiorum iure delectus habebatur: sed obuius quiuis assumebatur.* Hæc Procopius de Iudæis obsidione cinctis à Romanis cohortibus.

Tumultus, & seditiones inter Iudæos à Romanis obsessos. Ioseph. Egesip. Euseb. Cæs. Procop.

Argumentum capitis tertij.

12. CApite tertio apertè, & dilucidè proponit Isaias stragem, & ruinam Ierosolymitanæ vrbis, imperiique iudaici? causasque enumerat, flagitia virorum, & fœminarum, in quæ, Deo permittente, corruent; potissimum verò concilium initum contra IESVM, & deicidium. Excidium verò iudaicum duplici metaphora eleganti valdè proponit. Prima vrbis à qua Deus omnem virum optimum, & virtutis fulcimentum aufert; altera sponsæ à qua vir, seu sponsus omnem mundum muliebrem, ornamenta naturæ, & gratiæ detrahit. Hæc autem omnia virorum insignia, virtutum decora, non solum iuxta litteræ corticem, sed mystico sensu vsurpata, dum viduatam, & orbatam synagogam derelinquunt, ad Ecclesiam Euangelicam transferuntur, iisque ornata redditur, & illustris. Sic interpretantur Hieronymus, Cyrillus, Basilius, Chrysostomus, Procopius, Rupertus.

CAPITIS TERTII ISAIÆ Pars prima, versiculus primus.

Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & à Iuda, validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ.

COMMENTARIVS.

Deuastata vrbis & direptioni hostium tradita incommoda,

1. IN hostium irruptione, in vastitate, & excidio vrbis opulentæ, de medio tolluntur viri optimi, qui solent esse præsidium patriæ, ciuitatis decus, & ornamentum; eamdem calamitatem superuenturam minatur Isaias Hierosolymæ, & Iudaicæ nationi.

Lect. Hebr.

2. *Auferet.* Hebraicè est סור *recedere, declinare, diuertere, amouere.* Numer. c.12.v.10. *Nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum.* c.14. v.9. *Recessit ab eis omne præsidium.* Oseæ c.9. v.12. *Væ eis cùm recessero ab eis.* Ex hoc verbo *sur* deriuatur סורה *sura* fœminini generis, quod Hieronymus transtulit *captiuam.* Isaiæ cap.59. *transmigrata, & captiua.* Es est sensus: cùm Dominus recesserit, atque declinauerit à Iudaico populo, tunc amouebit, & recedere faciet ab illo, in extremæ captiuitatis ruina validum, & fortem. Priùs propter scelera c.2. numerata, reiecit populum suum

D. Hieron. *Cum Deus à Ierosolyma declinat, validum, & fortem ab ea amouet.*

ab eòque recessit Deus, transmigrans ab vrbe, à templo, ab aris. Nunc quoque omnia decora naturæ, & gratiæ, quæ à Deo bonorum omnium scaturigine promanabant, abolenda prædicit.

Viri strenui vrbium fulcra.
Lect. Hebr.

3. *Validum.* שען *saan, propriè innuit recumbere, inniti, fulcire, sustentare.* Inde deriuatur משען *misaan fulcimentum, fulcrum, seu sustentaculum.* Ps. 17. *Factus est Dominus protector meus.* Hieronymus ex Hebræo legit: *Firmamentum meum.* id est, *sustentaculum*, seu: *fulcimentum.* Sumitur etiam pro: *robore, valido, & forti*, quia robusti viribus, & fortes virtute vrbem fulciunt, & protegunt. Quare attendens proprietati, & rigori Hebraicæ dictionis, ritè transtulit Theodotion legens: *Firmamentum, & firmitatem.* Et Aquila: *Fulcimentum, & firmitudinem.* Porrò LXX. seniores Hebraicæ linguæ Doctissimi, inuenientes, pro *forti*, משענה *masuana*, terminatum in ה, & generis fœminini, transtulerunt: *validum, & validam.* quam lectionem sectantur Hieronymus, & Procopius. Cyprianus. lib. 1. testimon. legit: *valentem, & validam.* Cyrillus, & Chrysostomus: *robustum, & robustam.* Eusebius Cæsar. lib. 2. demonstrat. Euang. cap. 37. *robustum, & fœminam valentem.* Non solum Ierosolyma orbata est Heroibus, virisque fortibus, sed fœminis, & virginibus illustribus, præstanti fortitudine, & pietate præditis. *Auferet Dominus,* (inquit Sanctus Basilius,) *ab Hierusalem, & ab Iuda fortem, & validam, cuiusmodi erat Sara, robusta sanè & princeps tanti viri Abraha, iuxta præceptum Domini dicentis: omnia quæcumque dicet tibi Sara, audi eam. Qualis erat Rebecca, quæ studio hospitalitatis mirè effloruit, & inualuit virtute. Debbora dux exercitus. Iahel aduersus hostem admirabilis constantiæ. Anna cuius preces exaudita sunt. Elisabeth Prophetissa. Non iam suppetunt robusti, non sic validæ.*

Lect. LXX.
D. Hier.
D. Cypr.
D. Procop.
D. Cyrill.
D. Chrysost.
Euseb. Cæsar.
Viris robustis, & fœminis valentibus orbata est Ierosolyma.
D. Basil.
Insigniū virginum catalogus.

Lect. Heb.
Fulcimentū panis.
Lect. Græc.

4. *Robur panis, & aquæ.* Idem verbum Hebraicum משען respondet Latino: *robur.* Ac si diceres: *Sustentaculum, & firmamentum panis.* Aquila legit ἔρεισμα *firmamentum, nixum, fulcimentum.* Omnia esculenta, & poculenta ex quibus vita hominis constat, dicuntur firmamentum, robur, & fulcimentum. Psalm. 71. vers. 16. nomen firmamenti datur frumento. Et Psalm. 103. v. 15. *Panis cor hominis confirmet.* Et Psalm. 104. v. 16. *Omne firmamentum panis contriuit.* Hieronymus legit: *Virgam panis.* Et in Leuitic. cap. 2. *Baculus panis.* Ezechiel. cap. 4. vers. 16. *Baculum*, seu *virgam panis.* Redditur enim homo vegetus, & robustus alimonia panéque vita corporis fulcitur tanquam scipione, & baculo, quo ablato labasceret hominis natura, & viribus destituta languesceret.

D. Hieron.

Famis sæuitia.

5. Quibus verbis innuit Vates rabidam famem, qua vastati sunt Iudæi in Romanorum obsidione; est fames hostis nocentior, qui cominùs ferit, & inualidos reddit milites ad pugnam, dum per viscera, & medullas serpit sæua necessitas, reddit homines lymphatos, & tanquam furore percitos, audaces ad perpetranda immanissima facinora, cùm humanæ carni, & sanguini non parcunt. Quot militum inuictas manus, & inexpugnabiles vrbes tradidit hostibus fames? Iudæa, & Ierosolyma cum Romanorum aciebus expugnata est, quantâ fuerit ediâ excruciata, atque consumpta exponit Sanctus Cyrillus Alexandrinus ad illam Oseæ sententiam cap. 1. *Voca nomen eius absque misericordia.* Vbi filiam absque

Inedia torquentur Iudæi à Romanorum manibus cincti.
D. Cyrillus Alexand.

misericordia synagogam nuncupat, quam ob Deicidij flagitium passus est Deus immedicabiles sustinere calamitates: *Decenter vocari posset, absque misericordia, ipsa quippe cecidit Iezraël Christum puta. Quocirca iure inimicum, & infensissimum sibi Deum inuenit, statímque calamitates immedicabiles: à Romanis exercitibus deuastata, & bellum longè latèque auditum, perpessa sustinuit; quando & mulieres infantes suos comederunt, & vt est apud Prophetam Hieremiam, manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, & leges naturæ humanæ spreuerunt, cùm fames eas philostorgiam alioqui inexpugnabilem, negligere compelleret.* Hæc Sanctus Cyrillus.

Matres filios suos deuorāt, in expugnatione Ierosolymitana.

6. Ierosolymæ aggeribus Romanis circumdatæ, fame enectæ, vultum, & miserum spectaculum constituit ante oculos Iosephus lib. 7. de bello Iudaico. cap. 7. & 8. ex quo Sanctus Chrysostomus tragædiam transcripsit. Cùm vtriusque verba refero, ex fide dignissimis testibus stabit veritas. Sic lib. 1. aduersus vituperatores vitæ monasticæ Chrysostomus fatur: *Eorum verò qui per ciuitatem fame occumbebant infinita penè cadebat multitudo, atque inenarrabiles continebat clades. Nam per vnamquamque domum, sicubi ciborum vestigium vllum fortè appareret, bellum inerat atque aduersum se inuicem manus conserebant, qui hactenus erant amicissimi, ac infelix anima viaticum eripiebant; ne morientibus quidem, quòd cibo indigerent, fides habebatur, sed eos quoque, qui animam efflabant, latrones perscrutabantur, nè quis fortè simulata morte, cibum sinibus occuluisset.*

Miser, & deplorādus Ierosolymæ status.
Ioseph.
D. Chrysost.
Calamitates per rabidam famē inflictæ.

7. *Alij verò fame hiantes, canum instar rabie furentium, spe omni destituti ferebantur amentia præcipites, atque ostiis impingebant vt ebrij. Præ desperatione autem, & quòd aliquid semper inuenire se posse existimarent, in eamdem domum vna hora bis, terque irrumpebant. Cuncta verò subigebat dentibus sæua necessitas, & ea, quæ nè sordidissimis quidem, & brutis animantibus vsui fuissent, legentes manducare sustinebant. Nè cingulis quidem ipsis, atque calceamentis postremò abstinuerunt. Scutisque detracta coria mandebant. Purgamenta item cuiusque rei nonnulli colligentes, minimum eorum pondus atticis quatuor vendebant.*

Furentium famelicorum debacchatio.
Fame insanientium in ædes omnes irruptio.
Cingula, calceamentorum coria, & quisquilia venduntur pro alimentis.

8. Posteà verò idem Chrysostomus opus enarrat dictu horrendum, pænè auditu incredibile, quod neque apud Græcos, aut barbaros vnquam contigisse memoratur, de quadam fœmina, quæ supra Iordanem incolebat, nomine MARIA. Patre Elesaro Castello Bethezo, genere, & diuitiis insigni, quæ fame incitata, iracundia simul, & necessitate dictante, consilium iniit naturam violandi, filium lactentem dilectissimum excoxit, & comedit mater: *Necat filium indéque illum coquens, ipsa dimidium comedit, partem reliquam operiens seruabat.*

D. Chrys.
Fœmina nomine Maria, filium excoctū comedit.

Hæc de fame Ierosolymæ à Romanis obsessæ Chrysostomus ex Iosepho scribit, à qua Deus sustulit *Omne robur panis, & omne robur aquæ.*

* * *

Ecce



Ecce enim Dominator Dominus exercituum aufert à Ierusalem, & à Iuda, &c.

Ornatvs Litteræ I.

Omnia rectè instituta Reipublicæ decora à Iudæis ablata.

Natura, & gratia dona Deus à Iudæis abstulit.

1. PVre quidem optimo dona, vel quæ ornant naturã, vel quæ spectant ad gratiã, munifica superni largitoris manu in populum Israëliticum collata, Dominus exercituum sustulit, vt exusto fano, in fauillas redacto adyto, vrbe diruta, excisa Ierosolyma; in electo quondam populo, in metropoli Ciuitatum nihil decoris, nihil pristinæ faustitatis remaneret; quod longe ante præuidens Azarias Vates contra Tribus Iuda, & Beniamin, iaculum comminationis à Deo impulsus intorsit. 2. Paralip. cap. 15. v. 1. 2. & 3. *Azarias autem filius Oded, facto in se spiritu Dei, egressus est in occursum Asa, & dixit ei: Audite me Asa, & omnis Iuda, & Beniamin: Dominus vobiscum quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum inuenietis: Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Transibunt autem multi dies in Israël absque Deo vero, & absque Sacerdote, Doctore, & absque lege.* Cernebat enim superno intuitu Israëlitici populi excidium, illum fore exlegem, Deo inuisum, omni gloriæ ornamento orbatum. Quapropter S. Cyrillus commentatus priora Isaiæ verba c. 3. hæc subiungit: *Quòd etiam supernorum, & diuinorum donorum amissione afflicti, & mentis, animique bonis orbati fuerint, docet his verbis: Ecce dominator Dominus*, &c. Populus Iudaïcus non tantùm vastitate Reipublicæ, regalis trabeæ, Sacerdotalis infulæ amissione, sed cælestium donorum iactura humiliatus ostenditur.

Paralip.

Iudæus natura, & gratiæ dona amisit.

D. Cyril. Alex.

2. Quàm nitidis verborum, & sententiarum stellis ornat, & illuminat S. Gregorius Magnus sacrum Beati Iobi affatum c. 28. v. 5. & 6. *Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igni subuersa est; locus saphiri lapides eius, & gleba illius aurum.* Has Beati Iobi voces prophetice accipit, in iisque vaticinatum censet Ierosolymitani templi, & vrbis incendium, vastitatemque. *Terra ergo de qua oriebatur panis, igne subuersa est, quia & Iudæa in semetipsa, & prius habuit legem qua reficeret, & post inuidiam, qua concremaret.* Priùs habuit panem verbi, pabulum doctrinæ, quo reficiebat paruulos, postea vero Christum reiiciens, facta est incendij materia, ignis pabulum.

D. Greg. Mag.

Incendium vrbis & templi Iob prædixit.

3. Postea recenset Iob ampla decora vrbis, illustrium virorum ornamenta, quibus ditata est Ierosolyma, vt ex amissis fascibus honoris, plus appareat illius turpitudo: *Locus sapphiri lapides eius. Auget* (inquit Gregorius) *reatum culpa sequentis, præconium gloriæ præcedentis; nam vniuscuiusque casus tanto maioris est criminis, quanto prius quàm caderet, maioris potuit esse virtutis. Dicatur ergo de Iudæa quid fuerit, & præcedentium magnitudo virtutum crescat ad cumulum sequentium delictorum. Locus sapphiri lapides eius, & gleba illius aurum. Quid enim hoc loco per lapides, nisi sanctorum, ac fortium mentes accipimus?* Et post multa annectit quæ sequuntur: *Glebas hæc terra* habuit in Prophetis, glebas in Doctoribus, glebas in Patribus antiquis, qui magna se infusione gratiæ in professionis, & operis vnanimitate tenuerunt. Illa quondam fortunata Respublica ditata est largissima Dei manu, tot habuit lapides sapphirinos conuersationis cælestis, quot viros iustos possedit, qui velut luminaria in firmamento, virtutum splendoribus radiarunt. Cùm in Iudæa fides enituit, claritas amoris, operisque resplenduit, aurifera erat, plurimis abundauit venis, quæ singulis temporibus viros edebant primarios; quàm nobilis Regibus, quàm illustris in Prophetis, quam præclara in Patriarchis, quàm celebris in Heroibus, sed hæc terra sterilis est iustis, orbata magnatibus; loco auri, argenti pretiosorumque lapidum, qui caput cingebant Patriæ, carbones, cineres, & fauillas protulit.

Ierosolyma decora.

D. Greg. Magn.

Augetur decorum magnitudo præsens, ex præterita, & perdita gloria.

4. Mira est Amos vatis argutia in occinenda Ierosolymæ ruina c. 8. v. 8. *Et ascendet quasi fluuius vniuersus, & deiicietur, & defluet quasi riuus Ægypti.* Ex contextu patet vaticinium esse directum ad deprædicandam Iudææ stragem. Illud tamen ad examen veniat necesse est, in comparatione fluminis, ascensum simul, & descensum appositum. *Ascendet quasi fluuius, defluet quasi riuus.* Apertè legunt LXX. *Et ascendet quasi flumen consummatio: & descendet quasi fluuius Ægypti.* Quare ergo ascensio fluminis, & descensio in consummatione excidij Iudaïci concordat? Loci huius nodum soluit, ab implicatione expeditum reddit Eusebius Cæsariensis lib. 10. demonstr. Euang. cap. 6. *Ascendet vt fluuius consummatio ipsorum: Sic vtique iram, quæ illos non aliàs quàm Romanis regnantibus inuaserit, per fluuium ascensurum super eos, veluti qui prius in sublimi versarentur, significans. Vt fluuius Ægypti descendet. Quibus verbis significari arbitror, quæ olim sublimia, & apud Deum venerabilia fuerint, & quæ quasi in sublimi posita Iudaicæ gentis prælationes, ea similia & fluentis, & rebus nationum fide carentium, fluuij instar labentibus; esse constituenda, ac de sublimiori inferius esse præcipitanda.* Voluit hac fluminis similitudine denotare Vates, Iudæorum dignitates sublimes in deteriorem statum, & fortunam vergere. Continet & alium leporem moribus congruentem analoga Vatis locutio, non enim sine verborum consonantia mira, appositæ sententiæ illæ in Vulgato: *Ascendet quasi fluuius vniuersus, & deiicietur, & defluet quasi riuus.* Solent enim florentissima imperia, instar intumescentis tramitis minora flumina colligentis, extra alueos sese diffundentis, omnesque ripas exundantis, accipere, & coaceruare gloriæ diuitiarum, & ditionum incrementa; ast cùm perueniunt ad felicitatis cumulum, & augmentum, pertimescenda est declinatio, & diminutio; sunt etenim tanquam maris fluxus, & refluxus, & ipso enim incremento, fluctus decrescunt. Addit Vates: *Et defluet quasi riuus Ægypti.* Non quasi flumen, sed quasi riuus; cùm enim Nilus iam leni, iam concitato cursu plurimas gentes lustrauerit, & abluerit, inter saxa, & vortices spumans, & gemens, velut aquarum immensum onus non sustinens, in septem riuulos diuisus, in mare se exonerat: *Nilus intra Ægyptum in plures scissus alueos.* Et: *Nam septem ostijs in mare excurrit.* Inquit Diodorus Siculus l. 1. Hist. cap. 33. sic ergo imperium illud Iudaicum, quod *quasi fluuius vniuersus*, ascendebat ad fastigia dignitatum, deiectum est, & defluxit quasi paruulus riuulus carens omni stilla, & succo.

Ierosolymæ stragem vaticinio signat Amos.

Ascendit ad Iudæos quasi torrens indignatio Romanorum.

Lect. LXX.

Eusebius Cæs. *Fluuius vastitatis scandit sursum ad sublimia vt dignitatum omnium fastigia ad terram deturbet.*

Cur ascensus quasi fluuius vniuersus, & defluxus quasi riuus.

Omne regnũ in consummationis magnitudine minuitur, & in maiori incremento, ad decrementum vergit.

In Nilo mira aquarum diuersitas.

Diodor.

Iudæus populus quasi exilis scatebra, & stillicidium defluxit.

Dei in Iudæos munificentia ; Iudæorum in Deum inhumanitas & ingratitudo. Tertul.

5. Quot beneficiis cumulauerit Deus Iudæos, quibus donis ornarit; quot crimina ij commiserint irritantes Dominum, cogentesque, vt munera sua sibi vendicaret, eleganter describit Tertullianus in Apolog. cap. 21. *Iudæis erat apud Deum gratia, vbi & insignis iustitia, & fides originalium auctorum, vnde illis & generis magnitudo, & regni sublimitas floruit, & tanta felicitas, vt Dei vocibus, quibus edocebantur, de promerendo Deo, & non offendendo, præmonerentur. Sed quanta dereliquerint fiducia patrum inflati ad declinandum, deriuantes à disciplina in prophanum modum; etsi ipsi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum. Dispersi, palabundi, & cæli, & soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo, rege; quibus nec aduenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* Hæc merces criminum, hoc supplicium peccanti, & ingrato populo à Deo inflictum; cùm enim non sit acceptator personarum, nemini cedit, nec valent apud illum dilecti populi celebris auctoritas, nec gloriæ apud omnes commendatio, nec Abrahamidi generis, quo sese efferebat, superbus fastus, sed iudicium, veritas, & virtus; in ingratos etenim quo plura beneficia contulit, maiora supplicia intulit; illa tamen animaduersio grauior est, & molestior honoris & gloriæ auferre decora.

Iudæi à Deo, & patria extorres.

Beneficia Iudæis collata à creatore, in memoriã reuocat Amos Propheta.

6. Vt hæreditatem Palæstinæ sacra pollicitatione donatam possideret Israël, difficultatum colles complanauit Deus, reddidit expedita itinera, in bellicis expeditionibus prodigiosam felicitatem; ipso præeunte, & pugnante, expugnati sunt Amorrhæi hostium potentissimi. Tanti beneficij memoria Iudaicas mentes refricat Amos c. 2. v. 9. *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo, Cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus: Et contriui fructum eius desuper, & radices eius subter.* Amorrhæi nomine Iudaicum populum accipit Rupertus à potentissimis Romanorum ducibus excisum, de terra sancta exterminatum. Perlege illius verba. *Nomen quoque Amorrhæi, idest amaricantis, nonne Iudæo congruit, qui totus in felle positus amaritudinis, sicut ipse Christus ait, & Christum cuius opera vidit & audiuit, & Deum Patrem eius odit? Vtramque vindictam subiungit. Et contriui fructus eius desuper, & radices eius subter. Fructus enim Iudaici populi desuper, cælestia fuere dona Dei, & radices eius subter, terrena fuere bona, quibus cordis radicem fixit, quod facere non debuit, & hunc vtrumque fructum Dominus contriuit, vt non solum terra eius tolleretur, sed & ipse ferro succideretur, & omnis posteritas eius deleri iussa est.* Miror perpulchrum & argutum Tuitiensis Abbatis commentum; in eo tamen scrupulosus quispiam perscrutabitur, cur apertè prædictum de Amorrhæo vaticinium, ad Iudæum transtulerit, onusque prophetiæ grauissimum comminantis duplicem vastitatem terrenorum, & cælestium, & vtrorumque spoliationem, quod super Amorrhæos incubuit; super Iudæos cecidisse, eosque oppressisse decernat? Huic percunctationi satisfaciendi, nactus est Rupertus non difficilem viam, cùm cogitat in Amorrhæorum vastitate notatum permansisse Iudæorum excidium; nam paria crimina ad se euocant paria supplicia: apud Deum vna improbitas est, quæ eneruat vires imperij, dirimit iura regnandi, exautorat Principes infulis regiis; vnde cùm superna manus sceleratos Reges tanquam iniquos possessores à Regnis exturbat; quos denuò introducit, necesse est ipsa expulsione sapienter admoneat; æmulos scelerum, simile subituros supplicium. *Sicut percusso* (inquit Rupertus) *homine Amorrhæo, & Gigante superbo, patribus vestris cùm essent pauperes, & humiles, terram eius dedi; ita vobis quoniam viam humilium declinatis, regnum Dei auferetur, & dabitur genti humili facienti fructus eius, & locus quoque vester terrenus, & gens simul auferetur.* Superbia Amorrhæos fecit exules patriæ; humilitas Israeliticos patres Palestinæ possessores; filij passi sunt iacturam regni, cùm subierunt humilitatis dispendium.

Amos.

Rupertus.
Cur Iudæi nuncupentur Amorrhæi.

Fructus cælestis, & terrenus Iudaicæ arboris succiditur.

Paria crimina Iudæi, & Amorrhæi.

Vnius regni excidium, alterius admonitio est.
Rupert.
In Iudæis & Amorrhæis elatio plectitur.

S. Hilar.
Iudæorum decus, & dedecus, prospera, & aduersa, beneficia, & flagella proponuntur.

7. S. Hilarius in Psal. 51. ad ea verba numeri 7. *Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo.* &c. Eleganter describit translationem gloriæ illius populi; dumque ante oculos constituit accepta munera, inflicta flagella, amissas beatitudines, comparatas ærumnas, dociles animos excitat ad timorem. Transcribo quantumuis multa. *Destructio Doech in finem, & euulso de tabernaculo, atque emigrato, & de terra viuentium eradicato, sancti quique necesse est metuant: cùm videant tot tantisque diuinæ misericordiæ auxiliis populum adiutum, atque vsum, post ingentem illam, & vltra humanas opes gloriosi regni dignitatem, maximum de se ac vltimum humanæ calamitatis exemplum præbuisse. Quis enim memoria recenseat antiquas gloria eius, & innumeras beatitudines, quas superius pro parte memorauimus, cùm post Ægypti funera, itineri eorum diuisum mare cessit, cùm ardorem diei columna nubis inumbrauit; cùm noctis tenebras ignis columna discussit; cùm cælum cibum Angelorum præbuit; cùm in fontem petra fluxit; cùm Iordanis refluxit, cùm ciuitas maxima ad solum arcæ testamenti circuitum concidit; cùm sol decursu suo inhibitus, diem distulit; & diuinæ legis ordo ex illo elementorum cælestium indefesso, imperturbatoque, motu ad belli moram restitit: Post illam deinde diuinæ maiestatis & conspectus, & auditus familiaritatem, consumptos eos bellis, fame emortuos, & antea mortuorum cadaueribus ad mortem famis pastos, reliquos deinde in seruitutem redactos, exules esse, vbique degeneres, nusquam cognitos, semper nouos, & de mutatione incolatus semper ignobiles, semper alienos.* Hæc Hilarius. Opposuit supplicia beneficiis, præteritæ gloriæ præsentem ignominiam, vt ex redundanti felicitate, munificentia largitoris, & iustitia plus lucerent; ex ingratitudine populi, contumacia, qui tot beneficiorum blandimentis delinitus benefactorem spreuit.

Plurima Iudæorum decora figuratiua, & vmbratilia, adueniente veritate, & orto sole Iesu, euanuerunt.

8. Ex alia ratiocinatione comprobat Origenes, plurimis donis orbum remansisse populum Iudaicum; nam plurima decora, quæ apud ipsos gloriosa habebantur, vmbratilia erant, & figuratiua saluatoris; quo adueniente, euanuerunt; sicut oriente sole, fugantur tenebræ, & vmbræ. Quare cùm Iobi tolerantiam, & inuictum robur nullis aduersis, aut iniuriis labefactatum, lapidi adamantino comparasset; sibi ipsi obiicit, nullibi talem inueniri lapidem facilèque à difficultate elabitur, admittens adamantem periisse, quia vmbra Saluatoris; quo adueniente cessauit. Audi Adamantium quid sentiat de adamante. l. 2. in Iob: *Quod si dixerit aliquis, vbi est modò, vel vbi conspicitur huiuscemodi lapis adamantus? Audi: hæc omnia typus fuerunt Domini IESV Christi, quia vsque ad aduentum Domini erant, & visa sunt; post aduentum autem Domini visa non sunt. Vbi videtur nunc Phœnix? Vbi vrna Adam? Vbi videtur arca testamenti? Vbi vrna mannæ? Sic similiter*

Origen.
Lapis Adamas figura Iesu.

Lapidē adamantum post Saluatoris ortum periisse, Origenes autumat. militer nunc vbi videtur adamantus? atque ea, quæ typum Domini gerebant? Ea scilicet vsque aduentum Domini visa sunt, vtpote figura, & inde abscondita sunt, Domino ipsas figuras adimplente. Ideirco nunc neque arca testamenti, neque vrna magna, neque cinnamum, neque adamas, neque Phœnix, istis nunc hominibus verè videntur. Gloriosæ insulæ, quibus ornabatur, & coronabatur populus, eliminatæ sunt de templo, arca, vrna, mensa, candelabrum, oraculum; has vmbras omnes illucescens mundo veritas fugauit. Vbi ales de morte viuens, de interitu nascens, de tumulo suo rediuiuus? adueniente IESV, qui de occasu natus est ipse sibi, & de mortis conditione renouatus ad immortalitatem resurrexit; cessauit phæniceum genus, nidulus ex aromatibus compactus rogus, cineres, vermiculus, nouus ales; similiter existima de adamanto, iuxta commentum Origenis, quod non omnium fidem conciliat, cùm adamantem à natura adhuc procreari, apud latomos sit valdè compertum. Ex prædictis tamen facilè reuincuntur peruicaces Iudæi de Messiæ aduentu, cùm cernant omnia illa monumenta abolita, nuncios, & prodromos aduentus Dominici penitus defecisse.

Regnante Herode omnia Iudæorū magnalia, & stemmata abolita. D.Chrysol. 9. Ante captiuitatem Romanam cùm subdolè intrusus est Herodes ad Iudaici regni trabeam, omnis illa gloria elanguit, debilitatum imperij firmamentum, & inter mortua populi ornamenta. Ita censet S. Chrysologus serm. 86. ad ea verba Lucæ cap. 1. vers. 5. *Fuit in diebus Herodis regis Iudaæ Sacerdos quidam nomine Zacharias.* De aureo suo eloquio hæc verba subnectit: *Vsque ad Herodem Iudaicæ genti Sacerdotalis sanctitas, senum grauitas, patrum pietas præsidebat: Ius erat Lex diuina, ambitio nihil ibi, nil temeritas, præsumptio nil valebat: quia gerebatur totum diuino ordine, non humano. Sed Herodes veniens ex gente aliena inuasit regnum, violauit sacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores, spreuit senes, infecit iuuenes, Tribus miscuit, deleuit stemmata, corrupit genus, tulit quidquid erat, & diuinæ, & humanæ funditùs disciplinæ.* *Improbus Rex diuina, & humana miscet, & perturbat.* O quantas calamitates infert sacræ Reipublicæ perfidus, & improbus Rex, diuina, & humana perturbat, pestis patriæ, electi populi pernicies, ante illius tyrannidem velut remoratæ sunt clades: Ipse inuadens imperium perfidia sua Iudæorum maturauit supplicia. Quid enim morum suorum virus serpens in omnia corporis membra, nisi corruptionem, infamiam, & ruinam intulisset?

Prædicta ornamenta à Iudæis non homo, sed Deus abstulit. D.Chrys. 10. Contendit validissima argumentatione Chrysostomus hæc omnia donorum insignia ab Isaia cap. 3. recensita, non esse ab hominibus ablata; sed à Deo, qui fuit dux belli, auctórque calamitatis lib. 3. contra Iudæos, eorum animos sauciat hoc iaculo: *Non suaptè natura vobis ista fecerant Romanorum Imperatores, sed quia Deum habuistis iratum, qui vos deseruerat. Ponamus enim, iuxta vestram sententiam, mœnia ab hominibus fuisse subuersa, ciuitatem dirutam; altare deiectum: Num & illud ab hominibus factum, quòd Prophetæ cessarunt? Num & spiritus gratiam sustulerunt? Num alia, quæ apud vos fuerunt magnifica detraxerunt? Veluti vocem de propitiatorio reddi, vim vnctionis, declarationem, quæ fiebat in lapidibus Sacerdotum?* Et postea: *Proinde cùm tibi Iudæus dixerit, homines nos expugnarunt, homines insidiis adorti sunt, dicito illi: profectò nequaquam expugnassent homines nisi Deus hoc permisisset. An non Deus hæc omnia submouit? Nemini non perspicuum est, sed qua de causa sustulit? An non manifestum est, ideò fecisse, quòd vos odisset, quódque semel auersatus esset.* Hæc Pater is, cuius est aurea eloquentia; in quibus, omnium calamitatum Iudaici populi, Deum constituit auctorem; is enim est, qui bonis omnibus Israëlem spoliauit, vt factum cum vaticinio consonet, & Vatem Isaiam veracem prædicet, cùm prædixit: *Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & à Iuda validum, & fortem,* &c.

ORNATVS LITTERÆ II.

Amplissima naturæ, & gratiæ ornamenta Iudæus amisit, quia Christum occidit.

1. Repugnat adhuc Iudæus perfidiâ, Dei consilio, hominúmque sententiæ; impudoratus, de pudore solicitus; inglorius de honore; de contumacia stolidior, originem calamitatis diurnæ, fontem ærumnæ tolerat; non credit esse Deicidij scelus, sed crimen adorationis vituli, cuius adhuc pœnas rependit. *Calamitatū fontem reducunt Iudæi, non ad Deicidium, sed ad vituli conflatilis cultum.* Eius cæcitatem, & peruicaciam prodit Glossa Lyræ ad ea verba Isaiæ cap. 64. vers. 5. *Ecce tu iratus es, & peccauimus:* quæ sic commentatur: Gloss. *Iudæi per orbem dispersi frequenter lamentantur destructionem ciuitatis, & templi per Titum factam, & suam dispersionem per orbem, precantes in Iudæa congregari, & ciuitatem, & templum sibi restitui. Licet autem dicta destructio, & dispersio inflictæ fuerint eis propter mortem Christi, vt habetur expressè* Lucæ 19. *Tamen hoc non credunt Iudæi, sed attribuunt hoc peccato idololatriæ vituli conflatilis.* *Iudæorū infructuosa lamenta, & irrita vota.* Vacua postulata, quæ non agnoscunt criminis reatum; irritæ preces, quæ non præsentiscunt originem erroris; iniqua Iudæorum lamenta, quæ sæuitiæ probrum in Deum refundunt, cuius clementiæ est semel, aut iterum plectere errantes, non per tot sæcula, & annorum millia protelare pœnas; non adoratio vitulo reddita, res Iudaicas euertit; sed veneratio Redemptori pernegata; non auaritia in inauribus igne conflatis, initiata, sed in IESV traditione consummata, excitauit in templo, & adyto flammas, & ignes; sanguinis humani effusio, tot trucidatorum, & cadauerum congeries, iræ Dei rogum extinxit in vituli initiatione; at sanguis iusti super Iudæos fusus, Dei furorem accendit, vt eos nullo fine terminanda flagella discrucient.

2. Demonstratio veritatis in themate propositæ perspicua est. Compleuerat pectus diuini Elisei tristitia gaudio mixta, cùm translationis, & triumphi Eliæ factus est spectator; ille verò in Bethel parat ascensum, nec sine discrimine, qui enim mundi triumphatorem, & futuræ gloriæ simulacrum vidit mox sequitur eum tentatio; verba, & conuitia puerorum maledictis eum lacessentium, audiuit; tametsi impunita non abiit licentia puerilis; illicò audaciæ, & impudentiæ pœnas pendit. *Impudentia puerili, Elisei patientia lacessitur.* Earum testis est diuinum oraculum. lib. 4. Reg. cap. 2. vers. 23. & 24. Lib. Reg. *Ascendit autem inde in Bethel. Cùmque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: ascende calue, ascende calue. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit*

Pueri Eliseum irridentes, & insultantes, ab vrsis discerpuntur. Rupert.

xit eis in nomine Domini: *Egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Quo in loco sapienter existimat Rupertus, Elisei verba non tam fuisse maledictum, quàm vatidicum effatum, dilacerationemque puerorum, manifestè portendisse miserabile excidium Ierosolymorum, ruinam Iudæorum Christo illudentium. Sic scribit in libros Regum libr. 5. commentar. cap. 22. *Duo vrsi de saltu egressi sunt, & pueros lacerauerunt, quia duo Imperatores Vespasianus pater, & Titus filius ab vrbe Roma venerunt, & Iudæos interfecerunt. Quam ob causam? Videlicet, quia pueri Eliseo illuserunt, quia stulti Iudæi, & Principes eorum pueri centum annorum, propter quod & maledicti sunt, Domino nostro illuserunt, & eum conspuerunt, faciem eius velauerunt,* &c. *Tandémque dixerunt: Ascende calue, ascende calue. Quo? In locum caluariæ, in Crucem ascende.* Duo vrsi in pueros insilientes, eósque dilaniantes, Titum, & Vespasianum adumbrabant Iudæorum laniones: Hos igitur tanquam immanes feras ex saltu irruentes, eorúmque cohortes Dominus incitauit, vt Iudæos, sensu, moribus pueros deuorarent: quamobrem ferino laniatui traditi sunt? Quia Dominum IESVM audacissimis, & impudentissimis ludibriis læserunt exponentes eum Romanorum militum, & sannionum cohorti; vt eius habitum, vitam, mores, conuersationem, imperium soluto risu, exerta lingua, inconditisque cachinnis, inepto gestu, & contortis corporis totius partibus subsannarent. Ideò similes pœnas pendunt tanto scelere dignas, traditi enim illusoribus totius humanitatis expertibus, qui honorificentissima quæque templi, & adyti, tanquam histriones, & ioculatores in ludicrum verterent, eósque contemptu, irrisionibus, flagellis diuexarent. Sic ille honorus quondam populus factus est nocentissimi hostis, imò & fortunæ ludibrium.

Duo vrsi puerorum lanistæ, Titum & Vespasianum innuũt, Iudæorum Christo illudentium, Interfectores.

Iudæus Romanum sibi prælium consciuit, quia Deo bellum intulit. Michæas.

3. Miratur Michæas populum eximio robore, & inuicta fortitudine præditum, aduersariis dedisse manus, in eorum potestatem redactum; quis omni ope, & virtute destitutum reddidit, eorum violentiæ restitare nescium? Causam perquirit, originem perscrutatur, tandémque nanciscitur; debilitatas vires, labefactatam eius constantiam, quia insidias cœlo intentauit, Deo bellum intulit. cap. 2. vers. 8. *Et è contrario populus meus in aduersarium consurrexit: Desuper tunica pallium sustulistis, & eos qui transibant simpliciter conuertistis in bellum.* Hæc iuxta Vulgatum; at LXX. verba efferunt mirificè legentes: *Populus meus inimicitiis restitit contra pacem suam: Pellem eius excoriauerunt, vt auferrent spem contritionem belli.* Abalienatus est à Deo Israël, resistens paci suæ, inimicatus est benefactori, & patri; inde malum duplex euenit, & quòd nudatus est diuino præsidio, exutus omni ornatu, & decore, contraditus hosti. Audiendus est Diuus Hieronymus: *Refert autem ipse, qui verus est Iudex, & sine perturbatione loquitur, quemodo in passione sua Israël ei contrarius fuerit: Et hoc fecerit, non quòd suo nocere potuerit Creatori, sed quod contra pacem suam omnia perpetrarit; vnde & ad Hierusalem sermo est.* (Lucæ cap. 19.) *si scires ea, quæ ad pacem sunt tibi. Pace autem audita pellem suam excoriauerunt, id est tulerunt à se Dei, quo protegebantur, auxilium; Et quasi nudas carnes absque cute, & tegmine reliquerunt, vt quidquid videbatur esse pulchrum, operiente desuper misericordia Dei, hoc illa recedente, praberet videntibus turpitudinem. Recedente autem pace, & auxilio Dei, quia restiterant Domino, de quo dicitur: Dominus conterens bella, Dominus nomen ei,* (Iudith cap. 16.) *aduersariis suis resistere non potuerunt, sed in omni certamine victi sunt.* Hanc auream verborum catenulam ex Hieronymo attexui, ad instituti nostri ornatum splendidam. Factus est aduersarius Deo Israël bella mouens, seditionem concitans contra IESVM, vt Principes Sacerdotum eum morti traderent; restitit paci toties oblatæ à Salomone vero, & pacifico Rege seruatore nostro: *Populus meus inimicitiis restitit contra pacem suam.* Remansit ergo Ierosolyma tanquam bellua pelle, & corio denudata, & exuta, auium vnguibus, & ferarum laniatui exposita, vel tanquam miles in certamine, potentissimis hostibus obuallatus, ipse vero omni armorum tegmine carens, nullo negotio prosternendus, iaculis sauciandus. O quot reddita sunt ei mala pro pace amissa, pro Dei clementia contempta! nudatus est Dei ope, & præsidio, auxiliaribus cælitum copiis orbus, omni integumento honoris, & gloriæ spoliatus, in omni bello victus, & subactus. Tantorum malorum turbines conflat Patriæ, imperio, concitator prælij, pacis aduersarius, qui eam exulare facit à populis, tranquillitatem amantibus, perniciosa bella fugientibus, propter veteres simultates, aut cuiusdam gloriolæ contentiosam æmulationem: *Populus meus inimicitiis restitit contra pacem suam.* Quid? Si Deum opitulatorem non sentiant; à contentiosis namque Deus defensaculum, & protectionem subtrahit; ab iis nempe, qui maxima Reipublicæ turbamenta, atque exitia probant.

Lect. Lxx.

D. Hieron. *Iudæi à se proiecerunt Dei, quo protegebantur, auxilium.*

Recedente Dei tutamine, nulla spes victoriæ affulget.

Iudæus paci diuinæ restitans.

Quanta mala conflet patriæ pacis aduersarius.

D. Chrysost.

4. Pulchrè Chrysostomus ad cap. 11. Lucæ, v. 26. *Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Ponderans hominis in scelus ruentis ingenium, Dæmonúmque migrationes continuas in animos peccantium, placidè deflectit Euangelicam sententiam ad Iudæorum nequitiam: *Incolunt autem animas Iudæorum, Dæmones peiores prioribus. Nam tunc temporis in Prophetas saeuiebant: Nunc verò ipsi Domino Prophetarum iniuriantur, atque ideò à Vespasiano, & Tito peiora passi fuerunt, quàm in Ægypto, & Babylone. Vnde sequitur, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Tunc etiam aderat eis diuina promissio, & gratia Spiritus Sancti: Nunc verò etiam hac cura priuantur, propter quod virtutis maior penuria nunc, & ærumna intensior, & Dæmonum exactio sæuior.* Hæc ex Chrysostomo in Catena aurea citato. Augmentum sceleris incrementum fuit doloris, licet exleges & idololatræ extiterint, minora peccarunt, si cum impietate maxima occidendi Deum compares. Ideò supplicium maius à Romanis, quàm à Babyloniis infligitur.

Dæmone in Iudæos continuò migrante, fiunt eorũ nouissima peiora prioribus.

Iudæorũ post captiuitatem Romanam status deterior, quã post Babylonicã.

Rupert. *Cur Spiritus sãctus Christo in specie colũbæ, Apostolis in specie ignis apparuit.*

5. Perscrutatur Rupertus cur Spiritus Sanctus in specie columbæ, & ignis cælitus illapsus est, expansis alis inuolauit ad Iesu caput; ignitis linguis, & flammulis Apostolorum corda succendit? Quis immutauit amabilem speciem alitis in rogum ignis? quis migrare fecit columbæ candorem in accensæ flammæ rigorem? Arguit enim columba in eo cui insidet capite charitatis blandimenta, simplicitatem miram, qua sese iungebat suis insidiatoribus, non enim habebat conuersatio amaritudinis fel; at vibrantia lumina licet sint charitatis

Vt ostendat se Iesus post mortem suæ improborum vindicem, incendium Iudæis minantem.

charitatis iacula videntur ominosa, & quid terrificum portendere. Intende: ante IESV mortem in specie columbæ; in forma ignis post mortem apparuit; vt ostentet IESVM malorum vindicem, vt hostes exurat. Audiendus est Rupertus l. de gloria Trinit 9. capite 15. *Vsque illuc patientia & mansuetudo agni, quam columba significauerat circa vos ô oues domus Israel, ad quas missus venerat. Ex tunc vobis peccantibus peccatum vestrum in spiritu blasphemiæ reputatur, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittatur. Iam enim non est vobis hostia, quippe quibus filius Dei cùm esset agnus in leonem conuersus est, & Spiritus Sanctus, qui vt columba visus fuerat, quasi ignis demonstratus est, quia non per ignorantiam delinquitis, sed voluntate peccatis subuersi, & propriæ iudicio condemnati.* O improbitatem omnium maximam occidendi seruatorem, quæ deponere cogit agni clementiam, induere leonis sæuitiam! Agniculus propter vos factus mansuetus, & amabilis prædicans dulci balatu annum placabilem, diem remissionis, vt oues ad caulas gregis sui reduceret errantes; at postquam debacchati estis in eum, defigentes agnum Dei patibulo, pro mundi piaculis immaculatam hostiam; agni mansuetudinem vobis deposuit; furorem, & rapacitatem leonis assumpsit, vt rugitu prosternat, vnguibus dilaceret oues domus Israël; populus qui agnum occidit sine hostia remansit, Leo enim sæuus, & rugiens sacris altaribus apta non est victima, oblatus est vt agnus mansuetus, redimitus portatus ad aras; at vicit vt leo, cùm experti estis in Titi, & Vespasiani manibus illius furorem, plagam insanabilem. Spiritus quoque ille in forma columbina ostendens se blandum, suauem, tranquillum, ostentat in cœnaculo flammatas linguas, ignei furoris indices, & præcones: Habet lingua lumen, & ignem, quia lux est blanda iustis, exustiua proteruis.

Agnus Iesus in leonem cō uersus Iudæis.

Nō per ignorantiam, sed per contumaciam delinquentibus imminet ignis flamma.

Minæ, & plagæ Iudæis à Domino intentatæ. Leuit.

6. Minæ, & plagæ, quas intentat Dominus aduersus Iudæos horrore sunt plenæ, eas recenset Legislator Leuitic. capit. 26. vers. 27. *Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me: Et ego incedam aduersus vos in furore contrario, & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, ita vt comedatis carnes filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum.* Prædictas vastitates, & ærumnas ore prophetico à Moyse prædictas, censet Isychius Episcopus Ierosolymorum, contra Iudæos, earúmque complementum refundit ad Romanam captiuitatem, sic enim scribit. lib. 7. in Leuitic. *Multas siquidem fuerant captiuitates experti, multáque flagella pertulerant: sed ea, quæ nunc per partes dicit, ad illam captiuitatem pertinent, quæ propter iniquitatem in Christum commissam, à Romanis depopulantibus, eis contigit. Cognoscis autem si subtilius nosse vis ea, quæ eis euenerunt ex Iosephi Historia, in qua eos, & filios comedisse, & reliqua præsentium comminationum sustinuisse descripsit.* Postea verò idem Isychius mentem erigit ad subtilioris contemplationis fastigium, duplexque crimen Iudæorum animaduertit, duplici pœna mulctatum. Fuerant enim transgressores legis, & in seruatorem nostrum blasphemi, per inuidiam insidiantes, subuertentes eius miracula, doctrinæ detrahentes. Non propter primum scelus immisit captiuitatem postremam: *Quam non tamen propter hoc Romanus inferre fecit, nec dum enim eius vindicabant gloriam.* Dedit ex legibus pœnas, quod tributis, & exactionibus vexarentur; dedit interfectoribus, propter Deicidij flagitium, pœnas, vt à Romanis necarentur: *Furorem ex aduerso exercens aduersus eos Deus, superinduxit contra eos iram, vt vindicaretur per Romanorum imperium, tanquam ipsius prædicatores extitissent.* Iustitiæ suæ Deus, & furoris prædicatores, gloriæ suæ vindices nuncupat Romanos: *Vt vindicaretur per Romanorum Imperium.* Genus pietatis est Deum manu sua delinquentem percutere, quæ paterni amoris, & solatij blandimento temperat disciplinam: Pertimescenda est hominis manus compassionis nescia, quæ in vindicando, in puniendo nescit habere modum. Optandum est iusto ne incidat in manus hominis crudeles, sed in manus Dei, licet horribiles gladio, terribiles flagello, qui dum vindicat gloriam suam, nec potest esse obliuiosus sui figmenti, nec alienus clementiæ.

Isychius.

Quanta flagella sustineant Iudæi propter Christi necem.

Duplex Iudæorum flagitium gemināta pœna mulctatur.

Furoris Domini Prædicatores extiterūt Romani, & illius gloria vindices.

7. Cecinit Iudæorum stragem Dauidis lyra spiritu pulsata diuino. Psalm. 73. cuius vers. 4. occinit: *Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.* Recenset vrbis, templique desolationem, & argutè obseruat lumine Prophetico, quam nactus sit hostis occasionem, incendendi vrbem, irruendi in adyta, applicandi tædas, & ignes sacris delubri postibus; nimirum agni paschalis solemnitatem, vt confluentibus vndique populis plures spectatores, & testes haberet ærumna. Hanc pulchram annotationem dabit Theodoretus hic: *Nam in solemni paschatis die toto populo secundum legem coacto, Titus cum exercitum collocasset, illorum metropolim obsedit. Quoniam enim in paschatis celebritate Saluatorem Cruci suffixerunt, per idem tempus impietatis pœnas pendunt.* Mirum est quantum pariantur Iudæorum flagella, & flagitia; quantum consonat culpæ pœna. In die phase traditur IESVS militibus, in tempore Paschatis debellatur ciuitas, prodita est Romanis; in paschate nostro IESVS immolatur, patibulo affigitur, in paschate trucidantur Iudæi, suspenduntur crucibus; paschatis festum, quod sanctificatum est in nece Creatoris, prophanatum est, & violatum in carnificina populi. Eo tempore vrbium Metropolis Romanorum obsidione cincta est, quo seruator spinis coronatur, obsidetur, & capitur obsidentium militum corona.

Psalm 73.

In agni paschalis celebritate, Romani Ierosolymā diruūt, & templum flammis detonent.

Theodor.

Quia in paschatis festo Iudæi Iesum crucifigunt, cum dies celeberrimus paschatis agitur Romani templū exurunt.

8. Difficili nodo stringuntur Euangelica verba Ioan c. 7. v. 34. *Quæretis me, & non inuenietis.* Dura sententia, & difficilis sensu; inuentus est à non quærentibus, & non erit inuentus exquisitus? Quis Dominum exquisiuit, à quo vultum, opem ipse subtraxerit? Soluit nodum is Pater cuius est aurea eloquentia, hom. 49. in Ioan. *Et vbinam* (inquit,) *quæsierunt eum Iudæi? Dixit Lucas: quòd plangebant mulieres super eo, ita & alios multos credibile est.* Et statim. *Captis Hierosolymis, Christi & miraculorum eius meminisse, & eum desiderasse, consentaneum est.* Cùm cernerent impendens captiuitatis malum super omnes cecidisse, simúlque eos oppressisse; mirabilium Christi operum recordati sunt, ad tantæ clementiæ, in singulorum ærumnis & languoribus expertæ, aram, auidè confugiunt, vt opituletur, auertatque præsentem calamitatem, sed frustra: Nam veritas ipsa prædixerat: *quæretis me*, nempe in captiuitate, *& non inuenietis.* Quem morti damnauerunt tanquam impostorem, modo quærunt opitulatorem. O vana fiducia,

Iesus à Iudæis quæsitus, & non inuētus.

D. Ioan.

D. Chrysol.

Capta Ierosolyma, anxiè quærunt Iesum, & illius auxiliū implorāt, sed frustra Iudæi.

Digitized by Google

cia, & tarda resipiscentia! Sine causa compellatis in cœlis regnantem, quem despexistis, & tanquam ab omnibus abiectum deseruistis, exibilastis, in terris commorantem.

9. Finiam propositum coronide ex Vate Amos mutuata, capit. 2. vers. 8. *Spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea.* Quæ de Rege Babylonis crudeli, sanguinario; eius auaritia, & rapacitate scripta sunt à Propheta, aptè flectit ad populum Iudaicum Rupertus scribens: *Inter omnem sanguinem summa causa est sanguis hominis vnius Iesu Christi, quem rectè hic intelligimus, dum dicit: propter sanguinem hominis. Et Iudæi qui fuderunt illum, pars fuerunt, & sunt corporis impij, cui dicitur, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis. Denique & isti maximè sunt spoliati,* &c. *In quo primùm isti iam spoliati sunt? Nimirum in eo quod perdiderunt non solum locum, & gentem, verum etiam adoptionem filiorum, & gloriam, & testamenta, & legislationem, & obsequium, & promissa, quæ ipsorum erant, & ipsum Christum, qui ex ipsis est secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen.* Hæc Tuitiensis Abbas, ex quibus fit perspicuum, propter effusum Christi sanguinem omnia ea amisisse Iudæum, quæ Isaias enumerat hoc c. 3. cui prædicti omnes concinunt Vates.

Propter Iesu sanguinem effusum, Iudæi omnibus bonis spoliati.

Rupert.

Quot donorũ iacturã subierint Iudæi.

Ornatvs Litteræ III.

Donis, quibus Deus synagogam spoliat, Gentes exornat.

1. Feriata non sinit dona sua Deus; ab iniquis, ne otio torpescant, & langueant, amouet; probis confert, non sine vsura munerum suorum ius tuetur Deus, ne ea quisquam vsus continuatione, aut immemorialis temporis possessione sibi vendicet. Quare cum legis apud Isaiam in huius cap. 3. exordio, denudasse Iudæos Deum honoris fascibus, gloriosæ dignitatis insignibus, certò scias eas infulas ad gentes fuisse translatas, eásque habuisse pro gloriæ ornamento: munerum diuinorum transmigratio, & translatio à Iudæis ad gentes celebratur diuinis sermonibus. Hunc titulum præfixit Dauid Psalm. 58. *Ne disperdas; Dauid in tituli inscriptionem.* Sanctus Augustinus legit: *In finem: ne corrumpas, ipsi Dauid in tituli inscriptionem.* Præclara subscriptio, quæ affigitur fronti, & postibus structuræ cœlestis huius Psalmi, arcanis affatibus redundantis. Quis titulus iste, & honoris insigne, quod postulat Dauid, ne disperdatur, ne corrumpatur? Dissipabit ignorantiæ caliginem, ducétque ad consilium veritatis Augustinus, qui labyrinthicas diuinæ sapientiæ quæstiones ingenio non minus arguto, quàm felici dissoluit. Auet Dauid, ne nomen Regis variarum linguarum litteris exaratum, affixum Cruci pro corona, & fastigio Iudaica liturâ fœdetur. Hæc sunt Magni Aurelij verba. *Cùm Dominus crucifigeretur, titulus inscriptus est à Pilatò, & positus: Rex Iudæorum tribus linguis, Hebræa, Græca, & Latina: quæ linguæ toto orbe maximè excellunt: igitur si Rex Iudæorum crucifixus est, & Iudæi Regem suum crucifixerunt: Crucifigendo eum, etiam Regem Gentium fecerunt, magis quàm occiderunt. Et quidem quantum in illis fuit perdiderunt Christum. Sed sibi, non nobis.* Iudaici furores non sunt sedati Domini Iesv morte, & ruina; eradere nomen de Crucis apice, famam de hominum memoria extinguere sunt conati: obstitit conatibus impiis barbarus præses, & qui in Christi causa sententiam prohibuit mortis, pro Christi gloria, & regno munus præstitit defensoris; ipse insciens, salutis Gentium factus est patronus, cùm in suis characteribus Latinis, & Græcis inscriptiones relinquit Iesv socias, Crucis participes, passionis consortio decoratas. Quid? Pilati in ipsa scriptione perseuerantia, inuariabilis propositi firmitas ominosa erat Iudæis; felix, fausta gentibus. Christum Regem Iudæos relicturum, ad gentes auolaturum portendebat. At Iudæi Iesvm, ne sit Rex, crucifigunt; sed in ipsa crucifixione augent imperium, cùm Redemptorem, Regis gentium trabea cingunt. Lucrantur gentes Regem, quem Iudæi amittunt; Iudæus cœlesti orbus Rege, fortunarum omnium iacturam sentit; diuitiis cœlestibus gentes Deus ornat.

Gloriosa decora Iudæorum ad gentes translata.

Psal. 58. D. August.

Dauidis votum: ne titulus, & inscriptio Crucis dominicæ disperdatur. D. August.

Iudæi Christum crucifigentes, gemini Regem ostendunt suis suffragiis.

2. Perseueremus adhuc iuxta Crucem, ambiamus in patibulo pendentem, & curiosius prospectemus Iudæorum impietatem, Dominum blasphemantium, caput mouentium; eam ostendit Matthæus Euangelista. capit. 27. vers. 39. *Prætereuntes autem, blasphemabant eum, mouentes capita sua.* Inflexione capitis, & spiritu vertiginis affecti sunt Iudæi; ipsa capitis huc illuc commotio, animi mobilitatem ostentat; nullis fixi radicibus fidei suo capiti Christo; ceruix dura iugum excutiens, nullis legum retinaculis moderari nescia: Nisi commotionem capitis pro mirabili ostento vsurpes: Iudaica gloria iam nutabat, vt collapsa periret; iam à se repellebat caput, quod corpori suo erat decori, & honoris fastigio; vt aliud corpus ornaret, in eóque firmum permaneret. Arguté Sanctus Ambrosius Iudaici capitis commotionem examinat in Psalm. 43. his verbis: *Non mirum ergo si caput suum praua interpretatione mouerunt, vt ipsi à se deturbarent sapientiam, suæ salutis auctorem: aut certè mouendo caput suum, causa fieret commotionis capitis non paucis, sed populis. Commotio hæc capitis facta est, quandoquidem in omnem terram exiuit sonus eorum, vt fieret omnis terra Domini, & regnum Domini esset in nationibus. Vnde & in posterioribus dicit* (Psalm. 95.) *Dominus regnauit, irascantur populi: qui sedes super Cherubim moueatur terra. Quod pulchrè Aquila interpretatus est, vt* ἀλλαξμα *diceret, hoc est transmutationem. Quæ de loco ad locum, de Iudæa ad populos nationum.* Commouerunt Iudæi caput, cum Regem, & Dominum à se repulerunt, vt ad gentes transmigraret, & firmaret in eis Regnum; non tam erat illa commotio capitis, quàm transmutatio Regis de Iudæis ad gentes.

D. Matth.

Iudæi caput iuxta crucem insolenter motitant, quia eorum gloria iam nutabat.

D. Ambr.

Vertigine capitis, Iudæi denotãt, quod Iesus ad populos nationũ migrabat.

3. Sanxit Deus cum Abrahamo, eiúsque genere, pactum, idque confirmauit fumante clibano, & ardente inter tenebrosam caliginem. Genes. cap. 15. Quo ex loco ad præsens institutum vsurpo ardentes faculas discurrentes inter bifidata cadauera animantium. ibid. vers. 17. *Et lampas ignis transiens inter diuisiones illas.* Ex his facibus lumen intelligentiæ accendit Rupertus, & inscitiæ tenebrosam caliginem dispulit, cùm scribit lib. 5. in Genes. cap. 22. *Lampas verò ignis*

Quid portenti contineant ardentes faces, & discurrentes inter diuisa pecora in sacrificio Abrahæ. Genes. Rupert.

Charitatis facula à Iudæis ad gentes transmigrat.

ignis transiens inter diuisiones illas, ignium diuinæ charitatis, quæ erant per miracula illustrandi. Si quidem simplicem litteram sequaris, & illa quidem lampas transiens inter diuisiones illas, id est, inter seditiones Iudaicas clarissima fuit, sed ipso transitu suo, sese aliàs migraturam declarauit. Nam ecce translata est ab illis gloria, & ad gentes transiuit. Non erant immota lumina, quæ scrutabantur animantium præcordia; lampadum motus, & transitus, migrationem gloriæ, claritatisque miraculorum, ad gentes, portendebat; Pharisæi namque inter se dissidentes, ad Christi necem conspirantes, lumen cœleste extinguere conati sunt, in cæca nocte erroris, & impietatis remanent; gratiarum sidera, honoris & gloriæ luminaria ad gentes translata sunt.

D. Ioan. Cur fontis Iacob Ioannes Euangelista meminerit in Samaritana conuersione.

4. Cùm Ioannes Euangelista recenset Iesum Samaritanam fœminam præstolari, vt ipsam immutet iuxta castitatis formam, mirum est quàm curiosa inuestigatione explorarit locum conuersionis. cap. 4. vers. 5. *Iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob.* Nec sine mysterio ea omnia annotata existimat Sanctus Theophylactus, qui quæstionem excitat, & dirimit: *Quare autem Euangelista de prædio, & fonte facit mentionem? Ex commemoratione fontis, & prædij edocemur, quod ea, quæ Patriarchæ propter fidem, quam in Deum habebant, adepti sunt, Iudæi propter eorum impietatem perdiderunt, eorum loca gentibus tradita sunt: Quare nihil noui nunc accidit, quod gentiles pro Iudæis regnum cælorum consequuti sunt.* Loca propter eximias Dei apparitiones omnium ore celebrata; prædia, quæ non tam successione, quàm hæreditario fidei iure possederat Iudæus; incredulus & ingratus amisit, & gentibus renuntiauit. Referatur ergo cuius fuerit fons, cuius fuerit ager, & suburbana possessio, vt Ioseph, & Iacob redarguantur filij degeneres; qui ius patrium rerum familiarium ad gentes transtulerunt.

D Theoph. Munera, quæ propter fidem Patriarchæ accipiunt, Iudæi propter perfidiam amittunt.

Arnobius.

5. Sacri hymni reconditam sententiam in apertam expositionem enuntiat Arnobius Africanus, nimirum Psalm. 67. vers. 13. *Et speciei domus diuidere spolia,*) Quæ autem sit spoliorum distributio, ex quibus Ecclesia, & domus Dei decorem, & ornatum vsurpat declarat his verbis: *Interior Christi & species domus, vtique corporis speciosi forma præ filiis hominum, in qua diuidit spolia, & captiuauit synagogam, & thesauros eius diuisit in Ecclesia, alij dedit prophetiam, alij verbum, alij virtutem sanitatum; scientiámque: vltra synagoga non habet, nec Prophetam, nec vnctionem, nec sacrificium, hæc captiua synagoga sublata velut spolia sunt diuisa, cùm dormirent inter medios cleros scribæ, & Pharisæi: inter medios inquam cleros, id est inter libros sanctos.* In potestatem hostis redacta vrbe, solent lautæ fœminæ deuenustari honoris, & gloriæ ornamentis, eáque inter milites deprædantes, tanquam spolia diuidi; synagoga captiua orbata est maiestatis insignibus, eloquio, vaticinio, vnctione, oraculo, sacrificio: hisque decoramentis exornata Ecclesia ex Gentibus collecta. Illorum iacturam Pharisæi fecerunt, cùm inter medios cleros, nimirum libros sanctos dormierunt; dum alij inter libros stertunt, alij inuigilant, intelligentiam surripiunt, diuinorum contemplationem, & scrutinium sibi vendicant.

Captiuæ synagogæ spolia Deus gentibus diuisit.

A dormientibus scribis, & Pharisæis auferuntur spolia Sacræ litteraturæ.

Sapientia nō stertentibus, sed vigilantibus donatur.

Hora suffitus à Zacharia oblati, Iudæis infausta. D Lucas.

6. Ingressus est Zacharias Ioannis Baptistæ genitor templum Domini, vt illud iuxta Sacerdotales mores incenso suffiret. Lucæ capit. 1. vers. 9. *Sorte exiit vt incensum poneret ingressus in templum Domini.* Obseruat argutè Chrysologus horam, qua incenduntur odores, & repletur nebula oraculum, eámque iudicat infensam synagogæ, Ecclesiæ Euangelicæ gratam; scribo aurea eloquia Archiepiscopi Rauennatis: *In hora incensi, fratres, iam sol Iudaico occumbebat in templo, vt in Ecclesia matutinus exurgeret, & Iudaicæ doctrinæ instabat vesper, quia Euangelij imminebat aurora: legis obscurabatur dies, vt totus reluceret in gratia.* Dum sol iustitiæ Christus Ecclesiæ oritur, synagogæ immoritur, aurora Euangelij illuminat Ecclesiam, cùm synagoga languet legis occasu; hæc manet tenebris consepulta, cùm illa irradiatur fidei fulgoribus.

D. Chrysol. Cum sol occumbit Iudæis, exoritur gentibus.

Vinea opobalsami cultura, & fructus.

7. Celebratissimæ erant in Iudæa vineæ Engaddi opobalsamum germinantes. De quibus Salomon, Cantic. cap. 1. vers. 13. in vineis Engaddi ager olim gratissimus suauissimum spirans odorem, refertus floribus aromaticis, frondibus, & arbustis pretiosis, balsamo sudantibus. De quibus Christianus Adrichomius in tribu Iuda. num. 116. ait: *Sunt autem balsama arbuscula vni omnium terrarum Iudææ quondam concessæ, quarum frutices si acuto vitro, lapide osseisque cultellis incidantur, stillant succum pretiosissimum eximiæ suauitatis, quem opobalsamum vocant, præfertúrque omnibus odoribus.* Et sanctus Ambrosius in Psalm. 118. serm. 3. *Engaddi, si locum quærimus regionis cuiusdam, quæ in Iudæa est, locus sic dicitur, in quo opobalsamum gignitur. In illis enim vineis lignum est, quod si quis compungat, vnguentum emittit.* Has frondes, & vineas opobalsami, & vnguenti pretiosi feraces, perdiderunt Iudæi perfidia sua. Audiendus est est Christianus Adrichomius loco relato: *Hunc hortum, seu vineam balsami, tempore Herodis Magni, Cleopatra Ægypti Regina, concedente Antonio, inuidens tantam felicitatem Herodi transtulit in Ægyptum, vbi irrigatur à fonte paruo, vberrimè tamen fluente, in quo fama est, sæpè lotum à Beata Virgine puerum Iesum, adeoque ex eo potum sibi, & sponso suo, sanctum Ioseph parauisse, cùm in Ægypto esset. Sunt tamen adhuc surculi quidam balsamorum in monte Engaddi, sed nullius cultus, nullius prouentus. Videlicet hoc est iustitia Dei iustissimum iudicium, qui se se vlciscitur de peccatoribus, & persequentibus nomen suum; & quoniam Herodes olim balsami possessor, puerum Iesum persequebatur, Iesus fugiens in Ægyptum, post se traxit balsami hortum.* Balsami hortum, & delicias abstulit Deus à Iudæis, quia in Herode Rege puerum Iesum insectante, perfidiam & persecutionem funestam aduersus Saluatorem auspicati sunt; qui enim de Iesu arbore vitæ clauis, & lancea compuncto, effuderunt sanguinem, omni balsamo, & vnguento suauiorem, cuius odore respersa corpora vita defuncta, reuiuiscunt; æquum fuit vt amitterent balsami prouentus & botros; amisit enim materiale vnguentum & balsamum, sanguinem Christi qui profudit.

Christian. Adrichō. Mira opobalsami suauitas.

D Ambros.

Lignum incisum, & compunctum, vnguenti gustu his irroratur.

Opobalsami vinea ad gētes de Iudæa transplātata. Christian. Adric.

Fons in quo Deipara puerum Iesum lauit, ex quo potum Ioseph sibi, & Maria hausit.

Iesus fugiens in Ægyptum post se traxit balsami hortum.

8. Ad preces Ierobaalis illabitur stillicidium roris in vellus, & terra circumstans laborat siccitate; iam vellus aridum apparet, totaque gleba cælesti sudore immadescit; annuit enim Dominus eximij Ducis Gedeonis postulatis, orbis totus cælestibus irrigatur fluentis, & vellus à pluuia sequestratur. Iudic. cap. 6. v. 40. *Fecitque Deus nocte illa vt postulauerat: & fuit siccitas in solo vellere,*

Iudic.

Digitized by Google

Ros in vellere fides in Iudæa.

vellere, & ros in omni terra. Mysterium in vellere roris bibulo, postmodum arescente, adumbratum, expendit S. Augustinus Ser. 108. de tempore: *Ros enim in vellere fides erat in Iudæis, quia sicut ros verba Dei descendunt. Ergo quando totus orbis infructuoso æstu gentilis superstitionis arebat, tunc erat ros ille cœlestis visitationis in vellere, idest in Iudæa. Postea verò quàm oues, quæ perierant domus Israël, vnde puto figuram Iudaici velleris adumbratam: Oues inquam illæ fontem aquæ viuæ, negauerunt, ros fidei exaruit in pectoribus Iudæorum, meatusque suos fons ille diuinus in corda gentium deriuauit. Inde est, quod nunc fidei rore totus orbis humescit: at vero Iudæi Prophetas suos, & consiliarios perdiderunt.* Cum populus Israël, grexque Domini, & peculium electum, pastoris sui auscultabat vocem, obseruabat fidem, super ipsum compluebat stillicidium gratiarum, dignitatum infulis ornatum velut margaritarum nitebat decore. At postquam ex vellere agni immaculati in Cruce immolati, sanguinem expressit, vitam abstulit, perpetua multatur ariditate; obturauit enim perfidia sua meatus fontis æterni, auocauit à se donorum riuulos, & ad gentes inflexit, vt terra, quæ erat arida, esset in fontes aquarum: & ritè Augustinus fidei donum aquarum tramiti, aut amni placidè fluenti comparat, qui si in repagula non impingat, cursum suum dirigit, aruaque fœcundat; si inuenerit quæ cursum remoliantur, aliò deriuat fluminis vndas: sic fidei, & gratiarum riui, qui vbertim scaturiunt de diuini numinis fonte, si in perfidiæ vectem, & ostia incurrat, alias inuestigat nationes, quas irriguis suis reddat fructus feraces. Cuius veritatis illustre testimonium accipies ex Apostolorum Actis c. 13. v. 46. *Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt: vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.*

D. August. — *Post mortem Iesu siccitas in Iudæis præualet, & fons vitæ ad gentes deriuatur.* — Acta.

Cum vellus rore caret, Israël diuinis muneribus orbatur.

Theodore.

9 Non est dissimilis Augustino Theodoretus in velleris mysterio exprimendo, qui quæst. 14. in Iudices ait: *Postulauit in primis Gedeon, vt rore perfunderetur vellus, tota verò terra sicca permaneret: Post hæc autem vt humectaretur terra, solum autem vellus rore careret. Quæ verba innuunt, Israëlitas quondam gratia potitos esse, sicuti vellus rore: at postea vniuersam hominum naturam adeptam esse spiritualia dona, quibus, tanquam rore vellus, Israël priuatus est.* Hæc Theodoretus.

D. Amb.

Opulentissima gratiarum spolia Deus à Iudæis aufert, gentibus confert.

10 Denique ad præsens institutum propinabit nobis Ambrosia verba Ambrosius, ea auidè delibemus tanquam mellis succum dulcissimum. Psal. 118. v. 62. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Hæc fatur octonario 21. *Cognouisti de nationibus, cognosce etiam de Iudæis, quibus Dominus IESVS abstulit spolia: hoc est regnum cœlorum abstulit, & dedit genti facienti fructum eius. Abstulit virtutem panis* (recenset, & expendit præsentem Isaiæ locum) *& virtutem aquæ, Prophetam, & admirabilem consiliarium, & prudentem architectum, & sapientem auditorem; illis abstulit, nobis dedit. Merito exulto, sicut qui inuenit spolia multa. Sine labore meo inueni spolia, quæ non habebam. Inueni admirabilem consiliarium Christum, inueni Paulum prudentem architectum, inueni sapientem auditorem populum Christianum.* Et postea: *Hebræi spoliauerunt Ægyptios, & vasa eorum abstulerunt. Iudæorum spolia habet populus Christianus.* Hæc ex Ambrosio. Ex quibus omnibus liquet, omnia insignia, & ornamenta virtutis & decoris, quæ recensentur in hoc capite Isaiæ tertio, ablata à Iudæis, non tantùm materialiter vsurpanda, sed metaphoricè, & in arcano sensu. Tum prætereà donis quibus Deus spoliauit synagogam, Ecclesiam ex gentibus conflatam, ornasse. Quare erit necesse in operis discursu cùm aliquo insigni viderimus Iudæos orbatos, cernamus Christianos condecoratos alio simili virtutis, & gloriæ.

Illa versio Theodotionis: *auferet Dominus firmamentum, & firmitatem.* Et Aquilæ: *fulcimentum, & firmitudinem,* exornatur.

DISCVRSVS I.

Viri iusti, domus, vrbis, regni, & orbis fulcra.

1. PRÆDICTAS versiones recenset Procopius ex Theodotione, & Aquila, easque illustrat his verbis: *Idest pietate in Deum illustres columnas, & firmamenta, vt Apostoli verbis vtamur. Tales etiam olim priscus ille habuit populus: sed tum maximè cum validus esset, Deoque adiutore, suis affectibus superior. At iam qui talem se præstet inter Iudæos, inuenias nullum.* Inter Christianos verò inuenies quamplurimos; Ecclesia Catholica refertissima est viris inclytis, inuictisque fulcris; fulcimenta sunt robustissima, quæ æmulantur Dei naturam, cuius est fundare orbem, & perpetua stabilitate firmare. Huius veritatis simulacrum obuersabatur animo Iacob, cùm cœli portam, & scalam sublimi contemplatione intuitus est. Illud tamen admiratione dignissimum recenset Genes. c. 28. v. 13. *Et Dominum innixum scalæ.* Nunquid Deum senescentem introducit scala vtentem pro baculo, & fulcro, cui innitatur? Apage hanc mentem: quinimo oppositam efforma: Deum sustentare orbis molem, illiusque esse firmissimum stabilimentum. Occurrit hæc contemplatio Philoni Iudæo l. de somniis, eamque proponit perspicuis verbis: *Cùm autem dicitur innixus scalæ, nemo intelligat Deum laborare, vt eam molem stabiliat, illud potius cogitet, his verbis significari, Deum esse robur, firmitatemque rerum, quibuscumque vult assignare stabilitatem perpetuam, tantisper enim dum ab illo sustentantur, inconcussa manent, atque integra.* Non stabilimentum accipit Deus, potius præstat scalæ, & huic orbis machinæ, quam virtute sua sustentat. Illud tamen difficile est intellectu, quòd Deus innitatur scalæ, eaque velut fulciatur, eamque simul fulciat, & sustentet. Cùm saluator Verbique humanitas per hanc visionem manifestetur, obsequium & cibi sustentaculum præstandum Deo inter homines conuiuenti; mirum non est si in huius rei typo à scala fulciatur. Ipse verò fulcimentum est orbis, cuius potestate permanet inconcussus, cuius nutu, & fauore cessante, fractus dilaberetur.

Procop. Theodotio Aquila. — *Viri probi Republicæ columnæ.* — *Cur Deus scalæ innixus apparet Israëli?* — Genes. — Philo Iud. — *Deus rerum omnium inconcussa stabilitas.* — *Rerũ stabilitas ex Dei sustentaculo.* — *Iesus orbem fulciens, cibo fulcitur.*

2 Celebris locus huic proposito congruentissimus legitur apud Iobum c. 9 v. 13. *Deus cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem.* In quo primum sese offerunt discutienda verba postrema, & actiones portitorum orbis; postea sententias replicabimus vt plana reddatur eorum incuruatio. Portant orbem Dynastæ, Satrapæ, Principes purpurati, & mitrati viri;

Iob. — *Qui sint portitores & baiulatores mundi apud Iob?*

onus

Satrapa, & prælati ædificiorum telamonibus cõparantur.

onusque regiminis suis humeris sustinent. Quid est, *Qui portant orbem?* Alludit haud dubio sanctissimus Iob hominum simulacris, quæ in ædificiis potentissimorum hominum ostentantur, nuncupantúrque telamones, quæ gibbosa, ferè figura affinguntur, vt columnas vel mutulos dorso sustinere, & ipso pondere propè modum succumbere, labiisque diductis gemere videantur;

Vitruuius. *Qui sint telamones apud Vitruuium?*

quos delineat Vitruuius lib. 6. *Item si qua virili figura signa, mutulos, aut coronas sustinent, nostri telamones appellant; Græci verò eos Atlantas vocitant. Atlas enim historicè formatur sustinens mundum* Eos quorum tempora aut Cidaris ornat, aut corona cingit, telamones iudica, grauedine regiminis incuruatos, velut Atlantes suis humeris sustinentes stellati, aut terreni globi machinam.

Mitrati viri telamones, & Atlantes Ecclesiæ.
Hor. Apoll.
Descriptio regiæ dignitatis, & illius Hieroglyphicum apud Ægyptios.
Anguis in dorso portans orbem, Rex humeris Rempublicam sustinens.

Nec abludit ab hac mente Horus Apollo in Ægyptiorum Hieroglyphicis lib. 1. num 58. in Regis descriptione dum ait: *Regem orbis moderatorem existimantes, & indicantes ipsum quidam anguem pingunt, sed in eius medio magnam domum effingunt, ac repræsentant, nec sanè absque ratione; regia enim domus quæ ab eo regitur, in mundo est.* Anguis solertiam præsefert, & astutiam, quæ ornare debet moderatorem orbis; domum tamen, hoc est Rempublicam, supra dorsum portat, vt imperium suis humeris subnixum cohæreat, nec corruere sinat; cerne Regem in ipsa exaltatione, & extollentia incuruatum, anhelantem, immenso penè honoris pondere atlantæos humeros oppressos; quos exornant vela purpurea, obruunt ærumna laborantis populi, pondera; optimatum capita, quæ pompa lauro nobilitat, aut regia cingit trabea, curarum grauedine inclinata prospicies. Hæc ad enucleandam Iobi sententiam dicta, eam tamen illustrat nobiliori contemplatione Sanctus Gregorius Magnus lib. 9.

D. Gregor. Magn. *Principatus cura, & pondere immẽso grauedo.*

cap. 10. scribens: *Ipsi etenim orbem portant, qui curas præsentis sæculi tolerant. Tantorum quippe pondere vnusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Vnde & terræ princeps non incongruè Græco eloquio βασιλεὺς, dicitur λαὸς, enim populus interpretatur: βασίλεος igitur βασιλεῦ, vocatur, quod Latina videlicet lingua basis populi dicitur quia videlicet ipse super se populum sustinet, qui motus illius potestatis pondere fixus regit: quo enim subiectorum onera tolerat, eo quasi superpositam columnam basis portat.*

Rex populi basis dicitur, & columna, qui ipsum sustinet, & portat.

Populi rector & basis est & coronis, possidet enim & gloriæ fastigium, & apicem dignitatis; est quoque sustentamentum populi, dum superpositæ Regnorum fabricæ sustinet pondus, columnam imperij basis regia reddit incolumem, virtute sua stabilitam, nullis concussam aduersantium procellis.

3. Saül filius Cis euocatur ad culmen regium, vatidico Samuëlis ore electio diuina firmatur, inaugurationi Regis paratur conuiuium, lautúmque epulum in domo Videntis. libr. 1. Reg. cap. 9. vers. 22.

Lib. Reg.

Assumens itaque Samuël Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati. Erant enim quasi triginta viri, dixitque Samuel coco: da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres seorsum apud te. Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saul.

Cur Samuel Saulo in conuiuio non caput pecoris, sed armum reseruat.

Vidistin perspicaciam Vatis, illiúsque summam prudentiam, Regi armum seruantis comedendum. Cur Samuel principem animantis partem, caput nimirum decoctum, aromatibus conditum, Saüli non secernit, vt qui tenet caput mensæ ad ostensionem dignitatis, edat spolium animantis primarium? Cur pectusculum alitis non reseruat in penu ad Regis epulationem? Seponere iubet armum, & ante conspectum eius statui, vt muneris sui admoneat.

Armus, & cibus sui muneris admonebat Regem.

Clamabat enim tacitus armus, & in ipso Vates; qui regale ministerium vsurpat armus est, in quo lactatæ omnium curæ, & labores recumbant; Basis quæ molem regni sustineat, Rex subditos sicut mater pueros supra dorsum, & scapulas portet. Alij legunt ex Græco: *Pernam, crus, tibiam.*

Lect. Græc.
Theodor.

Quorum versiones recenset, & luculenter expendit Theodoretus. quæst. 21. in lib. 1. Reg. dicens: *κώλεαν, seu pernam. Editio Aquilæ scribit ἰσχύον, seu tibiam, ea autem est crus. κώλεα enim est, quæ est post femur. Apposuit autem Samuel pernam, siue armum ante Saülem dicens: in testimonium positus est tibi, hoc est in signum honoris, vt quis sis aliis præpositus, & indicium regni. Nam sicut hæc cùm sint breuiora aliis membris animalis, portant totam molem compacti corporis, & firmiter suffulciunt: ita etiam regium robur, etiamsi ad vnum virum contrahatur, sustinet totum corpus Reipublicæ, & non sinit cadere.*

Perna totam corporis molẽ sustentat, & Rex totam Rempublicã fulcit.

Perna animantis in conuiuio apponitur Saüli quæ agilis est ad gressum, expedita ad cursum, & totam corporis compaginem firmiter sustinet; vt Saülis progressiones ad prælia portenderet, & firmitatem quam teneret regnum Israël, animositate, & robore Saülis fundatum: Admonitus est Rex edulio, cum esse firmamentum populi; columnam, quæ regnum Iudaicum fulciret, ne hostium labefactaretur iniuria.

4. Perrexit Dauid, vt expugnaret Ierusalem, & Iebusæos subiugaret, & sub ditione sua poneret; appropians mœnibus, hæc verba non sine animi tumore ab eis prolata, auscultat.

Qui cæci, & claudi de medio tollendi à Dauide, vt Iebusæos expugnet?
Lib. Reg.

Dictúmque est Dauid ab eis: non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos. lib. 2. Reg. c. 5. v 6. qui cæci, & claudicantes isti à Dauide profligandi, vt murorum possessionem obtineat? Fidentes muratæ vrbis fortitudine Iebusæi cohortem claudorum, & cæcorum constituerant super murorum altitudines, Dauidi subsannantes, quasi dicerent: ad tuitionem vrbis hi sufficient contra te.

Cæci, & claudi præsidium muratæ vrbis ad irrisionem Dauid.
Ioseph.
Glossa.

In hanc mentem abeunt Iosephus lib. 7. antiq. c. 3. & glossæ, Ordinaria, & inter lineas exarata, hæc inquit: *Hos constituerunt Iebusæi super murum ad irridendum Dauid.* At Lyranus in glossa aliam sententiam probat, esse duas statuas lapideas Isaac cæci. & Iacob claudi ad præsidium vrbis super pinnas murorum constitutas:

Isaac cæci, & Iacobi claudi simulacra collocata in mœnibus, ad vrbis munimentum.

Isti cæci, & claudi erant duæ imagines quarum vna repræsentabat Isaac, qui in fine fuit cæcus, & alia Iacob, qui claudicabat ex lucta cum Angelo. Et statim: *Iebusæi timuerunt ne aliquando vellent eos innadere, & ideò posuerunt prædictas duas imagines in parte superiori sui fortalitij.* Hæc iuxta Lyrani mentem.

Lyran.

Si Dauidis hostes, Isaaci, & Iacobi simulacra erexerunt supra muros (quidquid sit de veritate facti,) ad ornatum, & tutamentum ciuitatis, vt tantorum procerum, meritis fiderent, quorum patrocinio, & tutela vrbs redderetur incolumis; hæc cogitatio non esset absona à virorum fortium animis; nam iustorum preces, & virtutes turrita sunt mœnia, quæ vrbes cingunt, reddúntque incolumes, hostibus imperuias.

Turritæ ciuitatũ pergama, sanctorũ Patrum merita.
Theogn.
Vir probus patriæ propugnaculum.
Tyrt.

Æquo iure Theognis appellitat: *Bonos viros turres, & arces populi.* Et Tyrtæus elegia 2. ait: *Omnes bonum, & fortem virum intueri vt turrim quandam, & propugnaculum patriæ.*

5. Nec soli viri dignitate, & virtute primarij, sunt orbis, & vrbis fulcra; mulier sapiens, & honorata firmamentum est domus suæ, dum eam decore, gratia, virtutum exemplari suffulcit. Ecclesiastic. cap. 26. vers. 23. *Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris.* Encomiis mulieris gratiosæ addit nouum decus Cardinalis Hugo: *Sicut columnæ aureæ collocatæ super bases argenteas non mouentur ad impulsum venti, & templi fabricam sustinent, speciosa sunt, & pretiosa: ita bona mulier stabilis est, non discurrens, familiæ suæ onus, & grauamina portat, & subleuat, speciosa est Deo, & pretiosa viro.* Amplissima honestæ fœminæ decora viuidis coloribus pinxit purpuratus Pater, & quod sit velut columna stabilis in domo, quæ familiam ædificet, maritum ad virtutem componat, clientium mores pænè labentes sustentet, ruinosa restauret, domesticorum, familiarium labores, ærumnas sustineat, & subleuet. Adiice huic insigne aliud: *Bona mulier stabilis est, non discurrens.* Sugillat muliebre ingenium, mobilitatem animi inter delicias, & mollitiem fluctuantis; sexus enim fœmineus ad mutabilitatis vitia patet; plausu, & laude digna quæ in virtutis proposito radicata inuariabilis perstat. Alia firmitudo fœmineæ columnæ prouenit de odio cursitandi per compita, si proprios penates amans, domesticos fida seruet custodia, ne tanquam mulier vaga, quietis impatiens, triuia proprio metiatur pede. Domesticorum disciplina languescit, virtus corruit, absente firmamento, quod illas reddit stabiles: ideò scriptura diuina fœminam commendauit, & laudationum clausit compendia iis verbis: *Pedes firmi, & stabilis mulieris.*

Ecclesiast. *Colũna aurea super basem argenteã bona mulier ad ornatum & stabilimentum domus suæ.* Hug. Card.

Bona mulier stabilis in domo non gyrouaga.

6. Sunt Apostolici viri, Ecclesiæque rectores diuinæ columnæ, quæ cælestem structuram virtute, & sapientia fulciunt. Cur verò nomen columnæ iis adaptatur? quia instar columnarum terrena tangunt, & cœlestia prospiciunt. Argutè Ioachimus Abbas illustrans verba Apocalyps. cap. 3. vers. 13. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Fulcimenti naturam examinat, & illustrat his verbis: *Aptè, & competenter assimilatur columnæ templi Domini, qui in ordine pastorum, & rectorum populi Dei est: etenim columna lapis est altus, & in modum cuiusdam rectæ arboris ad superiora eleuatus, ita vt non tam ea, quæ infra sunt, quàm ea, quæ supra sunt, respicere videatur. Et quod eo maius est, ita per altitudinem, & rectitudinem suam superiora tangit, vt superpositum tamen tectum infatigabiliter portet. Qui ergo pro dono gratiæ, & merito patientiæ suæ rectores animarum constituti sunt, vt inter procellosos tentationum turbines superpositam ipsorum curæ, ac regimini fabricam infatigabiliter portent, similitudinem habent columnæ marmoreæ, quæ multis tunsionibus expolitur.* Tales in religiosis familiis licet cernere, illustres nimirum viros sanctitate, & sapientia conspicuos, qui probitate, & exemplo disciplinam fulciunt, & religionem velut humeris sustinent. *Talis columna,* (subiungit Ioachimus,) *fuisse noscitur magnus ille Propheta Eliseus, qui sic superpositam sibi fabricam patienter portauit, vt tamen, quod difficile multis est, in studio, & exercitio contemplationis detrimenta nesciret: habuerat enim duplicem illum spiritum Eliæ, quem petierat, & solicitæ operationis circa res humanas, & tranquillæ diuinarum rerum contemplationis; rem planè difficilem, rarùmque donum, nec multis concessum, vt meritò ei dixerit Elias: rem difficilem postulasti, nimirum prouidere sicut oportet fratribus per vitam actiuam, quod est columnam templi inferioribus incumbere, atque inhærere, & contemplatiuæ dulcedine non priuari, quod est columnam superiora aspicere.* Columna extitit Eliseus priscæ illius religionis clarissimus post Eliam præsul, Carmeli columen, ille infimus, & sublimis, per pietatis affectum ad terrenas subditorum curas condescendens; per contemplationis ascensum ad diuinitatis culmen euectus, arripiens per abstractionem à sensibilibus victoriæ palmam, per virtutis consummationem sanctimoniæ apicem, charitatis fastigium; actiuæ vitæ basi, contemplatricis capitello ornata columna, quæ gloriosum verticem carmeli, tot viris austeritate disciplinæ conspicuis stellatum orbem, suis portauit humeris. His columnis, & firmamentis, aliisque similibus sustentabatur populus Israëliticus, Patriarcharum, Prophetarúmque, tot aureis sæculis feracibus; decoratus tot insignibus triumphorum, ornatus inclytorum Regum stabilimentis, humani generis, Ierosolymitanæ Reipublicæ fulcris; quibus auulsis, dilapsis, tempore virorum illustrium edaci, bello, morte; tota illa magnifica structura corruit, amplissima gloria euanuit. Sicut accidit in parili ruina, & excidio Troiæ, cadente, & vita functo Hectore patriæ muro, præsidio, stabilimento, ipsa concidit. Pulchrè id occinit Seneca in Troade act. 1.

Cur Ecclesiæ primores columnarum decorantur insignibus?

Ioachim. Apocal.

Columnarum munera, & magnalia.

Onera, & curas infatigabiliter portare subditorũ.

Ioachim. *Columna firmissimà in domo Dominĩ magnus Eliseus.* *Contemplationi vacare, & in subditorũ necessitates incumbere, non facilè nectũtur.* *Duplex Eliæ spiritus Eliseo donatur, contemplari cælestia, & prouidere fratribus temporalia.*

Columnis à Iudæa sublatis, tota ædificij structura corruit.

Troiæ columẽ & fulcrum Hector. Seneca.

Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos;
Tecum cecidit: summúsque dies
Hectoris idem, patriæque fuit.

Inuictum robur Hectoris retardauit facta, excidiúmque Troiæ, quo viuo torpebant Græcorum brachia ad pugnam, ad victoriam; quo occidente, spes affulsit Achilli expugnandi Troiam; occubuere simul spes, & salus Phrygum. Simile quid accidit in excidio Ierosolymæ, Apostolis, Apostolicisque viris de vrbe pulsis, per orbem exulantibus, de medio sublatis Christi, & Beatæ Virginis consanguineis, qui rempublicam suis meritis, & precibus sustentabant, quid mirum si auulsis columnis totum illud ædificium collabefieret: *Sublatis firmamentis,* (inquit Christianus Sophista,) *ipsa concidit Iudæa.*

Auferet Deus fulcimentum, & firmitudinem.

DISCVRSVS II.

Crux Christi, cælestis, & terrestris orbis fulcrum.

1. VERSIONEM supra positam: *Auferet Deus fulcimentum, & firmitudinem.* exornat Procop. & de sanctissima Cruce exponit, quæ robur præstat, & firmitatem rebus omnibus: de Iudæis loquitur: *Sunt enim eorum, quia Crucis fidem non amplectuntur, prostratæ, & deiectæ vires.* Facile ergo illud Sacerdotium,

Iudæorum gloria corruit carens crucis stabilimento. D. Procop.

cerdotium, & regnum collapsum est, quia non est firmatum Crucis columnâ, quæ vtrumque orbem, & cælestem, & terrestrem fulcit; vel Dauide teste Psal. 95. v. 10. *Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur.* Alij legunt: *firmauit orbem*, aut: *firmabitur orbis.* A quo verò proueniat firmamentum exponit Hieronymus perpulchrè; *Ideò venit Christus, & correxit genus humanum, quod antea fuerat deprauatum, vt in æternum non moueatur. Crux enim ipsius columna est generis humani. In ipsa columna ædificata est domus eius. Ego Crucem dico, non lignum, sed passionem. Cæterum Crux ista, & in Britannia est, & in India est, & in vniuerso orbe terrarum* Crucem vocat Hieronymus generis humani fulcrum. Orbis iste homo paruus, & magnus primææ transgressionis assultu, & impulsu penitus commotus, labefactatus, & confractus corruit, feriente & opprimente ruina innumeras hominum cateruas, qui de Adam veniunt, nec minor casum, cùm non habuit Crucis firmamentum, quo apprehenso simul cùm IESV redderetur immotus, venit Dominus, & homini instabili, ad lapsum prono Crucem supposuit, quæ ipsum fulciret.

Ps. 95. v. 10.
Firmamentũ orbis à cruce.
D. Hieron.
Crux columna generis humani, & domus Dei fulcrum.
Crux in vniuerso terrarũ orbe præfulget.

2. Artifici Noë manu arca construitur, & iussu Domini læuigatæ tabulæ compinguntur. Genes. cap. 6. vers. 14. *Fac tibi arcam de lignis læuigatis.* LXX. legunt; *de lignis quadratis.* Quid autem denotet quadratura tabularum perpendit Clemens Alexandrinus libr. 6. strom. cap. 4. *Ligna enim quadrata significant quadratam figuram quoque versus persuasisse securitatem, & stabilitatem efficientem rectis angulis. Et ædificij quidem longitudo erat trecentorum cubitorum: sunt autem qui trecentos cubitos dicant esse symbolum ligni Dominici.* Opus quod quadrata figurà perfectum est, cadere, aut inclinari non valet, sed erectis angulis firmatum, & constabilitum perseuerat; ideò iubet Dominus arcam ornari quadrata forma, vt illius firmitudinem ostenderet nunquam labefactatam, aut inclinatam ventorum flatibus, æquoris turbinibus. Sed vnde arcæ accedit semper constans stabilimen? A Cruce adumbrata in trecentorum cubitorum mensura; itaque tabulæ in quadrum læuigatæ, & bitumine solidatæ fatiscerent, acciperentque inimicum imbrem, illáque nauicula mari absorberetur, nisi firmamentum Crux ibidem adumbrata præberet, cuius virtute enatauit super aquas, non illisa scopulis, secura naufragij.

Genes. 6.
Lect. Græc.
Clement. Alex.
Quadrata forma stabilitatis symbolum.
In arca Noë crux adumbrata.
Arca fluctibus agitata stabilitas à Cruce.

3. Rex Regum, & Dominus Dominantium triumphali cursu vectus à Cherubinis describitur apud Ezechielem. cap. 1. in quo innumera apparent prodigia diuina, quæ attentum reddunt spectatorem; penitius verò introspicere conuenit sacramentum rotarum, de quibus diuinus Vates fatur ibi. vers. 16. *Et aspectus earum, & opera quasi sit rota in medio rotæ.* Rotarum geometriam, & symmetriam proponit Theodoretus hîc: *Rotarum speciem interpretatur, perinde ac esset, inquit, rota in rota. Si quis duos circulos ratione sumptos alterum in altero Crucis instar interferat, talis erat figura in eadem sede posita.* Duos circulos censet Theodoretus ita insertos in medio rotæ, vt Crucis figuram efformarent; vt rota Cruce signata, & roborata, columen, & stabilimentum præbeat toti triumphali pompæ; triumphantis cursus gloria nititur rotæ, rota verò Cruce firmatur, vt velociore cursu per aduersa, & prospera gradiens solida permaneat. Si verò cùm purpurato Patre Hugone rotarum nomine regna, & imperia mundi intelligas: *Per rotas regna volubilia per quatuor partes mundi dilatata*; Non incongruam protheoriam poteris elicere ex Theodoreti mente; in medio volubilis rotæ Crux inseritur, vt regnorum instabilitati præbeat stabilitatem, & inuariabilem gloriam; clauis suis Crux fortunæ rotam figit, nè in deteriorem statum vergat; nullo negotio dissipatur vertigo imperij, quòd à Cruce non participat stabilimentum.

Ezech.
Cherubica quadriga geometria, & symmetria.
Theodor.
Rota crucis formam præferbans.
Triumphalis currus firmatus à cruce.
Hug. Card.
Regnorũ firmitas, & perennitas à cruce.

4. Examinat Nyssenus sententiam illam Matthæi. cap. 5. versu 18. *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Apicis, & jotæ arcana perscrutatur, & euulgat mirabili ingenij dexteritate, existimat enim iis claudi Crucis virtutem, & stabilitatem æternam, qua omnia sustinet; ipsius verba transcribo ex sermone 1. de Resurrectione mutuata: *Linea recta è sublimi in imum descendens jota dicitur. Obliquè autem ad latera pertingens apex nominatur, id quod ab ipsis nauigantibus licet discere, qui lignum illud transuersum malo adiacens, cui vela suspendunt, Græcè eodem nomine, quo apicem nominant, nempè cheream. Quamobrem diuina hæc Euangelij verba, mihi videntur in Crucis figura, tanquam ænigmate, & speculo quodam illud ostendere, in quo omnia constiterunt, quod omnibus, quæ in ipso continentur, stabilius est, atque æternum. Cuius potentia cuncta moderatur.* Apex jotæ adiunctus Crucis figuram efformat, cuius exemplar sectantur nautæ, cùm ex arbore nauis carbasa suspendunt ad nauigationis tranquillitatem; jota hoc apice ornatum, aliis pereuntibus inconcussum perstat in rerum natura, vt facilè percipias, omnia in Cruce constare, in ipsa omnia contineri, ab eaque mutuare stabilitatem æternam. Adde, jotam symbolum Crucis esse, nam sicut linea illa erecto statu punctum velut fastigium sustinet, sic Crux ceu columna sustentat orbis molem, qui cum æthere comparatus punctum vocatur.

Iota & apicis Euangelici arcanum.
D. Matth.
D. Gregor. Nyssen.
In iis symbolum Crucis adstruitur.
Stabilem formã à cruce participant omnia.
Crucis columna sustentat orbis molem.

5. Reuoco ad calculum illud Beati Iobi effatum. cap. 9. *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* In cuius enodatione eminet Venerabilis Bedæ contemplatio subtilior. Existimat orbem esse hominem, qui minor vocatur mundus, quem Cruci suffigit Deus, vt sui ipsius grauissimum pondus sustinere, & portare possit homo: *Sancti, (inquit,) ante Deum incuruati, & procidentes adorant; qui portant orbem, id est, totum hominem suum, quem docti minorem mundum appellant, perfectioni Crucis imponunt: Et ne per mundi vanitates cogitationibus soluatur, ac deflectat, intra se eum constringendo, per Dei gratiam regunt, & continent.* Microcosmos paruúsque mundus homo, toto terrarum globo ponderosior, Giganteos, Atlanteósque humeros opprimet; vnde sancti, qui tanquam columnæ in domo Dei, aut aduersantis, aut blandè arridentis fortunæ casus, constanter, & erecto animo sustinent, se ipsos ferre vix possunt, ærumnarum humanarum grauedine incuruantur, insita in humano peccatore calamitate; reluctanti, recalcitranti aduersus virtutem naturæ velut plumbeæ grauedini pænè succumbunt, tanquam saxei

Iob.
Beda.
Homo portat orbem cum seipsum portat, & tolerat crucis virtute.
Homo paruus mundus orbis, & laboribus ponderosus, à cruce fulcitur, ne succumbat.

saxei montis oppressu inclinati genua flectunt; quem baculum assumet homo tot miseriis oppressus, vt seipsum fulciat, & stabiliat? Crucem nimirum generis humani fulcrum, & columnam, qua suam infirmitatem sustentet: *Minorem mundum perfectioni Crucis imponunt.* Ipsa enim est quæ nostram infirmitatem roborat, imbecillitatem sustentat. Tolerabilis fit valdè humana conditio, si vinculo amoris sit Cruci adstricta; immunis casus, securus periculi, huius vitæ torrentem pertransibit, qui baculo Crucis nititur.

6. Quid? Tali fulcimento transuadare poterit maria turbinibus agitata. Id docebit te sponsa sacra si perspicaci mente ponderes elogia, quibus celebrat cincinnulos capitis sponsi. Cantic. cap. 5. vers. 10. *Coma eius sicut elatæ palmarum.* Singularis est versio sancti Paulini epistola 4. sic legentis: *Crines eius abietes nigra.* Singularis quóque est illius mens, quæ nigricat in sensu, fulget tamen in verbis, ait enim ex abiegnis trabibus compingi phaselos nauigationi aptos, & cogitationem suam adaptat homini, qui tanquam nauis mare huius vitæ traiicit, sic enim scribit: *Naues quæ fluctibus mundi supernatant, quæ verbo Dei quasi gubernaculo diriguntur, & ad auram Spiritus S. sensuum suorum sinus pandunt, & cordis sui velum vinculis charitatis vt funibus ad antennam Crucis stringunt. Cui si iuxta poëticam fabulam in Prophetica veritate nectamur voluntariis adstricti nexibus, & obstructis non cera, sed fide, neque corporis, sed cordis auribus, contra huius mundi varias ad capiendum, pares ad nocendum illecebras, tuti, & innocuè scopulos voluptatum, quasi saxa sirenum prætervehemur.* Hæc Nolanus Antistes clarissimus, quibus in memoriam reuocat tritam illam sirenarum fabulam figmentis poëticis coloratam, eo quod oris specie, & suauitate cantus puellæ, nauigantes ad se pellicerent, vt in vada cæca deductos, & infida statione deceptos, ad scopulos allisos, miserabile naufragium consumeret; laudatur tamen Ithaci, seu Vlyssis prudentia, qui fixa cera auribus sociorum, obstruxit auditum contra vocis dulcedinem, se verò vinculis adstrinxit arbori nauis, vt pertransiret ab illecebris securus. Compositum hoc specie, & ambitiosa comparatione fucatum, ad mores transferunt Ecclesiæ primores, nè puellarum figura, hoc est euiratæ voluptatis illecebra constantiam mentis labefactet; nè sæcularium irritamentorum suauitas mulceat animum, vitam obruat, corporeorum sensuum scopulis mentem illidat; annectunt nos Crucis antennæ, aut arbori Sanctorum Patrum contemplationes sublimes: *Ad antennam Crucis stringunt.* ex Paulino; ex Ambrosio verò cuius sententiam libens transcribo, ad arborem nauis: *Non corporalibus, (* inquit, *) vt Vlysses ad arborem vinculis alligandus, sed animus ad Crucis lignum, spiritalibus nexibus vinciendus.* Nec prætermittenda est sententia Cassiodori libro 2. variar. epistol. 40. *Se verò (* loquitur de Ithaco *) soliditati arboris constrictis nexibus alligauit. Vt & famosos cantus liberis auribus probare potuisset, & pericula dulcisona vocis, vnda rapiente vinctus euaderet.* Si sacræ Cruci constricti charitatis lacertis, in ipsa solidati, & firmati, simus, non abripiet sensus nostros noxia vocis dulcedo, non captiuabit mentem illecebra voluptatis; immunes periculi, & naufragij erimus, firmati, & radicati cœlesti ligno, inter maris procellas incolumes securum appellemus portum.

Cant. D. Paulin.

Hominis vita instar nauis.

Securus nauigat inter procellas, qui ad antennā crucis, funibus charitatis adstringitur.

Fide, cordis aures obstruēda aduersus mundi illecebrosos cātus.

Sirenarū fabula aptatur moribus.

Vlyssis cautio, & prudētia aduersus vocis noxia dulcedinem cōmendatur.

Qui ligno Crucis innititur, huius scopulis non illiditur. D. Paulin. D. Ambr.

Cassiod.

7. Vt Saulem Dæmoniaco furore percitum mitigaret Dauid, diuinam pulsabat lyram, cœlestésque fundebat ore sonos. Præmium musici concentus, & beneuoli obsequij extitit, vibratam validiori dextera lanceam intorquere aduersus Dauid, vt ipsum traiiceret, & parieti configeret. Vide arreptitij insaniam: pro blando verbo lanceam, pro suaui cantilena ferrei cuspidis ictum, & vulnus parat. libr. 1. Reg. cap. 19. vers. 10. *Nisusque est Saül configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saül: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem.* Dauid, contra quem acuminabatur telum, incolumis euasit ex aula, domus regia eiúsque murus feritur lancea, ipsóque foramine velut aperto ore promulgat impij Regis scelus, & ingratitudinem; clamitantque dissectæ parietis crustæ Regiam illam gloriam non perennaturam, sed fore ruinosam; insupérque, semper contra se militare improbum, eásque insidias, quas contra iustum parat, in propriam domum, & in suum caput recidere.

Lib. Reg. *Saül lancea traiicere Dauidē parat.*

Ferro aperta parietis crusta, ruinam domus, & Saülis clamitat.

8. Nec prætereunda silentio lectio L x x. seniorum, quæ cum conceptu superiori coit: pro eo quod Vulgatus habet: *Nisus est Saül configere Dauid lancea*, legunt: *Quærebat Saül percutere hastam in Dauid.* Et pro eo: *Lancea perlata est in parietem*, vertunt: *Et percussit hastam in parietem.* O miram diuinæ sapientiæ argutiam! anhelat Saül Dauidis interitum, lanceæ cuspide ipsum transfodere, & modo dicit: *Quærebat Saül percutere hastam?* Et quod: *percussit hastam?* Si quærit percutere Dauidem, quomodo quærit percutere lanceam? Lancea namque non feritur, sed ferit. Parata percussura, & nex non est inflicta Dauidi, qui euasit incolumis, inflicta est lanceæ, cùm insano impetu in parietem iactata conteritur. Cùm hastam cernis in parietem illisam, & in minutas partes diffractam, notabis væsanos conatus non tantum irritos, sed in auctorem suum resilire, ipsúmque percutere.

Lect. Lxx.

Improborum conatus aduersus iustos intentati, in auctores malitia recidūt.

9. Hæc non incongrua; maiora tamen sunt ad quorum contemplationem erigit animum Sanctus Gregorius Nyssenus, cùm in his intuetur I e s v m insectatum à Iudæis, Crucíque suffixum. Verba Nysseni sunt ex commentario Psalmorum deprompta: *Percutit illum lancea, lancea autem lignum est ferro armatum. Sed excipit illius loco murus lanceam, per murum verò intelligimus terrenam ædificationem, qua corpus nobis innuitur, circa quod lignum videmus Crucis, & ferrum.* Illud perpende: *excipit illius loco murus lanceam.* Corpus illud Christi terrenum, & mortale ex eo quod accepit lignum Crucis, & ferrum, quo suffixum est, & lancea perfossum, accepit maius roboris incrementum, & inconcussam firmitatem, vnde corpus, quod paries vocabatur iam murus est, & antemurale validissimum ex Crucis amplexu, & contactu, figuráque clauorum; Crux ipsi Deo firmitatem præstat reddens illum doloris, & mortis expertem, & immortalitate solidatum.

D. Greg. Nyssen.

Christi corpus ex Cruce & lancea maiorem firmitudinem suscepit.

10. Cùm sapientiæ Dei præconia litteris diuinis exarauit sapiens, Crucis insignia apertè deprædicauit. Prouerb. cap. 3. vers. 18. *Lignum vitæ*

Crux ligni vitæ eam apprehendentibus. *vitæ est his qui apprehenderint eam; & qui tenuerit eam beatus.* De Crucis ligno hanc sententiam vsurpat catena Græcorum Patrum, in quo sensu leporem continet lectio LXX. *Lignum vitæ est omnibus, qui complectuntur eam, & qui incumbunt in eam, sicut in Domino securi.* Pulcherrimis verbis excitat Salomon Crucis sectatores ad obtinendam spem, & securitatem in rebus arduis, & huius vitæ ærumnis, qui enim Crucem amplexantur; omnes solicitudines in Cruce, & Crucifixo reponunt, in ipsóque Deo incumbunt, & curarum onus reponunt. In catena Græca legitur: *Qui adhærent illi, quique firmiter illi tanquam ipsimet Domino innituntur.* O diuinum fulcrum, inuariabile, infrangibile, mutationis, & ruinæ expers! qui hoc baculo innititur, qui est omni columna firmior non timebit impetus hostium impellentium ad ruinam, semper enim inconcussus stabit tali præsidio stabilitus. Audiendus tamen est Polychronius in catena Græcorum, cuius spiritus, & affectus erga Crucem, hoc in loco mirificus est: *Per lignum vitæ Crucem denotat, qui enim Christo sincerè, solidéque adhæret, illi è ligno illo dimanat incorrupta vita. Qui verò basi illius sese adiungunt, iis fundamentum, cui inconcussè insistant, positum est preualidum. Sunt enim perinde ferè comparati, atque illi qui pedem in tuto fixerunt. Sapientia omnibus est lignum vitæ, qui gnauiter illam sectantur; piis porrò firmum est munimentum, qui securè illi innituntur. Nam & in Deo requiescit, & super dilectum suum amore languida suauiter recumbit.* Quàm securum munimentum, & præsidium inuenit iustus in Crucis ligno, à quo illi incorrupta vita, & in omne æuum duratura promanat, tali innitens basi, & fulcro inconcussus permanet, sicut ille, qui in arce hostibus inaccessa, aut saxo firmissimo sedem, & pedem posuit. Felix qui inter procellosas huius vitæ vndas tali stabilimento flecti nescio, firmatur. Felix qui hoc fulcro innitens moritur, & halans vitæ flatum, in Cruce, & Crucifixo caput deponit placidéque recumbit; tali baculo nixus aduersantium, & irruentium hostium cuneos securus pertransibit. Caruit hac columna, & firmamento Iudæus, cùm à se Crucem repulit, quid mirum si illius magnitudo, & gloria corruit. Abstulit Deus ab eis hoc *fulcimentum, & firmitudinem* Crucis, illicò Ierusalem concidit.

Prouerb. Lect. LXX. Cat. Græc. In cruce securitas, & requies.

Qui crucifixo innititur, in omni euentu firmatur.

Polych. Cat. Græc. Qui è ligno pendenti Iesu adhæret è ligno haurit vitam incorruptam.

Crux munimentum firmissimũ præbet suis amatoribus. Quam incũdum amore languescere, & super Iesum crucifixũ requiescere.

Versio illa illustratur:

Auferet Dominus validam, robustam, & fœminam valentem.

ABstulit Deus ab Israëlitico populo Saras, Rebeccas, Marias, Debboras, Iudithas, Esthcres, Susannas, Annas; dedit Ecclesiæ suæ inclytarum fœminarum validissimam manum, vxoratarum, omni virili amplexu immunium, sacrarum viraginum, quarum numerus, insignia victoriæ, de Tyrannis triumphi, tibi sunt in promptu, & superuacaneum est recensere. Inter has diuina virtute prædi-tas Heroinas caput efferunt duæ, quæ sunt paradisi rosæ, altera Alexandrina Catharina, quæ virgineum candorem martyrij tinxit purpura; altera Hispana Carmeli columen, & decus, Angelica puritate, & Seraphico amore ornata Theresia. Has omnipotentiæ æmulatrices, diuinæ sapientiæ simulacra, pietatem spirantes, viuas imagines Deitatis, diuinæ gratiæ prodigia maiora, & gloriosa ostentamenta, dedit Ecclesiæ Deus, quarum valentiam in propatulo constituere sequentibus discursibus statui, vt videat lector, quod si Deus à Iudæis fortes mulieres sustulit, fœminas validiores, robustiores, valentiores Christianis dedit.

Pro fœminis, quas à Iudæis Dominus abstulit, aliæ robustiores, & famosiores Ecclesiæ Christianæ substituit.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Pro sancta Catharina Virgine, & Martyre.

DISCVRSVS III.

Delicatas virgines, teneràsque puellas plusquam virili animositate irridere Dæmonem, illudere morti, vtrumque conculcare; ad necem, & carnificinam properare tanquam ad delicias; prodigium omnipotentiæ diuinæ.

1. Æc nouitas victoriæ, hoc triumphi decus Christo patienti, in Cruce occumbenti, mortem interficienti seruabatur; Crucis fructus est in omni ætate, in omni sexu hominem lætum, & alacrem cruciatus contemnere, accurrere ad obeundam mortem pro amore Redemptoris. Perpulchram, & curiosam quæstionem proponit Deus Iobo in stercore philosophanti, Iob. cap. 40. vers. 24. *Numquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis.* Ligare Dæmonem mortis auctorem, quem nomine Leuiathan intelligunt Ecclesiæ Patres, supra humanum captum à Deo decernitur. Ancillarum nomine Apostolos accipiunt Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ lumina, propter humilitatem in obsequendó diuinis iussis; illuserunt enim Diabolo tanquam puelli, auiculæ ligatæ funiculo, eam ad volatum prouocantes, & identidem ad terram deprimentes, & illudentes conatum volaturiendi. Nil tamen obstat, imò verba ipsa propriè accepta nos prouocant, si de ancillis Christi, & puellis Deo sacris, cœlesti Regi sponsis, verba Iob accipiamus. Vnde in Hebræo, & in Glossa legitur: *Aut ligabis eum puellis tuis.* Et in hoc sensu vsurpat verba Iob Glossa ordinaria: *Sicut ego, qui ligaui eum ancillis meis virtutem eius subiiciendo virginibus sacris, vt sanctæ Margaretæ, & pluribus aliis.* Et Dionysius Carthusianus: *Ancillis suis Christus illum ligauit, dum tot personis fœminei sexus potestatem, & gratiam præualendi Dæmonibus contulit. Nam & infirma, & abiecta; & contemptibilia, stultáque mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* 1. Corinth. 1. Honorata forma

Diabolus à innumeris sacris irridetur tanquam funiculo ligata auis.

Iob. Lect. Heb. Glossa. Ligatum traditis Deus Dæmonẽ sacris virginibus. S. Margareta encomium. Dionys. Carthus. Infirmitate fœminea, Diabolo robur infirmatum.

forma victoriæ, & gloriosissimum triumphandi genus infirmiori manu, fortissimum quemque superare, debiléſque vires ab hoste contemptas hostem prosternere. Non est mirum quod homo virili animositate præditus Diabolum vincat, mortem contemnat; sed mirum valdè est quòd teneræ, & delicatæ puellulæ Dei gratia instructæ, scuto Fidei munitæ despiciant Tyrannorum minas, non expallescant ad conspectum immanium suppliciorum, lætæ excipiant horribiles catenarum nexus, & compedes, flagella, virgarum ictus, pectines, rotas, ignes. Sic Diabolum conculcant, dum mors, qua nihil horribilius homini fruenti huius lucis vsura, in vitæ aurora nõ displicet, sed placet, & cùm vitalem halitum vix libant, appetunt pro IESV amore fundere. Quid? Funes Martyrum Diabolum vinciunt, catenæ ligatum tenent, rotæ circumagitant inimicum, flammæ Martyrum eum exurunt, cùm contra ætatis teneritudinem, sexus fragilitatem nequaquam inualuisse conuincitur. Leuiathan ab ancillis, & puellis Christi ligatum iam cernis; intuere eum illusum, & exploratum. Acumine quodam Tertulliani conceptum orno. Quid intendit in homine Deus cùm eum in martyrio exponit? Animi virtute, robore Fidei reddere famosum, gloria, & honore coronatum? Non eo inficias: aliud gloriæ additamentum adiicit suo vertici Deus, quod Diabolus despiciatur; honori, & decori hominis amisso, à dæmone ablato, prospiciatur. Deus honoris humani à dæmone spoliati in martyrio redintegrator, & restaurator est, simulque hostis illusor. Accipe Tertulliani verba ex l. aduersus Gnosticos. c. 6. *Sed & certaminis nomine Deus nobis martyria proponit, per qua cum aduersario experiremur, vt à quo libenter homo elisus est, eum iam constanter elidat. Hic quoque liberalitas magis quàm acerbitas Dei praest. Euulsum enim hominem de Diaboli gula per fidem, iam & inculcatorem eius voluit efficere per virtutem: nè solummodo euasisset, verum etiam deiicisset inimicum.* In primo certamine inter hominem, & dæmonem in paradisiaca palæstra inito, Diabolus hominem elisit eique illusit, & insultauit, cùm fide vani promissi eum deiecit à summa humanæ naturæ felicitate. Venit IESVS vt luctam fidei redintegret, & honorem amissum homini restauret, per martyrij agonem, vt qui fide deuictus est, per fidem Diabolum vincat; & qui Deum vitæ, & proprio emolumento postposuit, eum vitæ anteponat, & eam pro Creatore fundat; Diaboloque abrenuntians, & vocalissima fide Deum verum profitens, per fidem Diabolum conculcet, eique illudat: *Euulsum enim hominem de Diaboli gula per fidem, iam & inculcatorem eius voluit efficere per virtutem.*

Per martyriũ damõ victus homini prosternitur, & amissa gloria reparatur humana.

Tertull.

Non est acerbitas, sed liberalitas martyrem à Deo contradi laniena.

2\. Amplius: grauissimis verbis ponderat Diuus Athanasius, ante Christi aduentum extitisse hominibus valdè horribilem faciem mortis; ast postquam seruator noster in Cruce occubuit, mortem esse amabilem, iucundam, expetibilem, ita vt puelli, puellæque ad ipsam accurrant, eámque ludibrio habeant: *Olim,* (inquit,) *ante diuinum aduentum Saluatoris nostri IESV Christi, formidabilis erat, & ipsis Sanctis mors.* Et postea subiungit? *Siquidem etiamnum pueri ætate ad mortem festinant, exercitiis porro, & meditationibus ad id non viri duntaxat, sed etiam fœminæ sese instruunt. Nec mirum quum iam tam imbecillis sit, vt etiam fœminæ prius ab ea deceptæ, nunc illam & mortuam dissipatámque ludibrio habeant.* Additque statim: *Ergo ne illud exiguum est documentum de imbecillitate mortis? Aut parua est demonstratio victoriæ IESV Christi de morte, illius reportatæ? Quum pueri in Christo & teneræ puellæ istam vitam contemptui habeant, & moriendi rationes meditentur?* Hæc est Crucifixi non inferior victoria, omnes vires mortis eneruasse moriendo, horrorem ab illa abstulisse, vt omnis ætas, omnis sexus ei exprobret, dæmonique illius inuentori; & vtrumque hostem tanquam quid despicatissimum puellæ pessundent; timorem mortis Christus conuertit in amorem, & quæ aduersaria erat naturæ, facta est amica, & dilecta; ipsa enim via vnica facta est recuperandæ immortalitatis, ipsa maceriem dissoluit inter Deum, & hominem interiacentem, quæ huic impediebat frui Deitatis visione, amplexu, beatitudine: si ergo iuxta Athanasij sententiam: *Teneræ puellæ istam vitam contemptui habent,* Diabolum & mortem habent subiectos, cùm tenent ligatos, vt adimpleatur Iobi vaticinium: *Aut ligabis eum puellis tuis.* Maius diuinæ omnipotentiæ facinus extitit, mortem à muliere in orbem introductam, à fœminis & virgunculis vinci, quàm mortem nullam esse permittere.

Ante Christi aduentũ facies mortis horrida, post Iesu mortem iucunda.

D Athanas.

Pueri, & teneræ virgines sese ad mortem alacriter obeundam instruunt.

Fœminæ à morte deceptæ, ei illudit.

Eximiũ crucifixi prodigiũ, pueros, & puellas mortẽ despicere, non timere.

3\. Proponit nobis seipsam sacra sponsa in martyrij amphitheatro circumdatam tyrannis, lanionibus omníque cruciatuum cohorte, quos aduersus Christi vitulas sacras, adinuenit cæca persequentium sæuitia; nec se destitutam conqueritur diuina ope, quinimo amplexu sponsi cinctam, totámque perfusam liquidis gaudiis, cælique deliciis delibutam statuit. Cantic. cap. 2. vers. 6. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* In hoc sensu verba exponit disertissimus Aponius, exprimítque ex iis dulcissimum deuotionis succum, legentibúsque propinat. Transcribo quamtumuis multa: *Catastæ quippe, & diuersarum pœnarum tormenta, impiis & stultis ignominiosa, & detestabilia videbantur: Martyribus autem, & omnibus qui in sapientiæ aulam sunt introducti, deliciarum gaudia, & lassantium requiei lectuli deputantur. Vbi pro ludibrio arrident incendia, vbi animi probati conuertuntur amphitheatra in paradisum, craticulæ, & sartagines in mollissimam plumam, flammarum globi in gratissimos flores, liquefactum plumbum in balsamorum vnguenta; flagellorum, virgarúmque, & vngularum solatium in piniculis delicatissimis; quibus anima ab omni peccatorum sorde extersa, suo redditur Creatori. Ipsa quoque mors pro Christo suscepta, omni gaudio, omnique iucunditate, & diuerso pretiosissimo lapidi pretiosior anteponitur. Hæ sunt námque deliciæ animarum sanctarum pro æternis gaudiis acquirendis: vbi se Ecclesia deliciis resoluta, amplexu dilecti Christi contineri lætatur, vt digna sit pro factore suo atrocitatem perpeti tormentorum.* Quis non exclamet, ô diuinæ potentiæ robur mirabilium operatricis, omnia homini aduersa in prospera, & fausta immutantis! Cruces in molles spondas; tormenta in blandimenta gratissima; mortem acerbiorem in paradisi delicias. Qui enim pro Christo patitur omni gaudio, & omni iucunditate iucundior, arridet illi mors,

Sponsa in cruciatibus à sponso non derelicta, sed protecta.

Cant.

Apon.

Sacra sponsa cruces habet pro deliciis.

Arena certaminis, & amphitheatrum paradisus.

Inenarrabile gaudiũ martyrum inter supplicia.

in

in ipsa lucta pro fide Christi agonizanti videtur sibi inter sponsi brachia leniter recumbere, supraque illius pectus caput depositum, os applicitum cordi, deliciantemque gratissimè super dilectum efflare animam: quo in loco Aponij videre est tanquam in pinacotheca, instrumenta martyriorum, & ornamenta martyrum triumphantium, craticulam Laurentij, incendia & vngulas in Vincentio, flagella, virgas, vngulas in Agatha, Agnete, Cæcilia, Catharina, *quibus mors pro Christo suscepta omni gaudio, omnique iucunditati anteponitur.* Cum hæc transcriberem, fateor me impegisse in Aponij sententiam difficilem explicatu, cum oculis eam lustro, & mente perpendo, hæsi quasi in salebra: Comma hoc est: *flagellorum virgarumque, & vngularum solatium in piniculis delicatissimis.* Ingenium tuum torquebit nisi erratum agnoscas, & pro *piniculis*, *peniculis* legas, qua correctione sententia gratissima est, plenaque acumine. Peniculi idem sunt ac penicilli, quibus pictores ducunt lineas summæ tenuitatis per tabulas: itaque flagella, virgæ, vngulæ peniculi sunt, quibus carnifices tanquam pictores imaginem vitæ, & immortalitatis colorant in Martyre. Rectius dices: homini vulneribus saucio solet esse gratissimum solamen, si peniculis blandis ex spongia, aut linteolis conscerptis, purulentia extrahatur, quidquid asperioris, & mordacioris humoris inest in vulnere, abstergatur; & est sensus: flagella, virgæ, vngulæ peniculorum delicatissimorum potius sunt lenimenta, blandè demulcentium, & abstergentium corpus vulneribus liuidum, quàm membrorum contusio, aut laniatus, acerbioris vè manus asper ictus. Vni, & alteri interpretationi fauent subsequentia Aponij verba: *quibus anima ab omni peccatorum sorde extersa, ad antiquam pulchritudinem reuocata suo redditur Creatori.* Peniculus quidquid pulueris, & sordis vestem infuscat, excutit, & abstergit; sic cruciatuum instrumenta à scelerum inquinamentis animum emundant, vestemque nuptialem reddunt nitidam, & dealbatam, vt possit anima dignè comparere coram suo sponso, & Creatore.

Flagella & virgæ peniculi sunt, quibus tortores imaginē immortalis vitæ in martyribus depingunt.

Ferreæ vngulæ potius lenimenta, quàm tormenta sunt martyris.

Apon.

Cruciatuum instrumenta animæ sordes abstergunt.

4. Prospectauit hæc omnia sponsa sacra, vestes delicatas, sponsi delicias, blandum recubitum, inter cruciatus amoris diuini blandimenta, & sancta quadam inuidentia affecta est, exoptat martyrij consortium, & ad mortem desiderio conuolat. Cantic. c. 2. v. 4. *Stipate me malis quia amore langueo.* Singularis est in præsentiarum versio Philonis Episcopi Carpathij: *Sepelite in numero iustorum, quoniam vulnerata sum charitate.* Consortium passionis, mortis, & funeris Martyrum auet sponsa, vt socia existens passionum, sit & consolationum; vt in die nouissimo ex eodem tumulo simul cum aliis virgineis floribus germinet ad immortalitatem. Verba Philonis sponsæ amorem abundè satis exprimunt: *Propter Sanctos Martyres, per quos dilexit Christum, mortem se libenter sustinere fatetur. Tunc verè amatur Deus, cùm parati sumus pro illo mortem subire omnes, nihil extimescere: Nec enim nos sumus qui patimur, sed ille patitur in nobis, ille nos tuetur, & seruat, ille pro nobis præliatur, & vincit. Consentit & illi quod dicitur: moriatur anima mea in manibus iustorum.* Vidit sponsa sociis non fuisse mortem terriculamento, sed oblectamento; ipsam anhelabat, & concupiscenti animo requirebat, vt in ea inueniret cælestem thesaurum omnibus mundi gazis anteferendum, nimirum sponsum socium, & commilitonem in certamine, cuius præsidio suffulta cruciatus despiceret, interitum amaret; ipse in agone Martyris decertat; ipse compatitur, ipse commoritur in membris suis, cùm in pugilatu fidei desudantibus, sudorem, & mœrorem abstergit, tormenta reddit omni nectare dulciora, & torrente voluptatum patientem inebriat.

Sponsa sacra martyrij auida.

Cant.
Lect. Græca.
Philo.
Carpa.

Amore sauciа martyrū sepulchris tumulari cupit.

Ver uamor paratus est ad mortem pro Christo subeundam.

In agone martyr Iesum habet commilitonem, & passionis socium.

5. Celebrat Clemens Alexandrinus inuictum animi robur gentium barbararum, in suppliciorum sustinentia, mortis despicientia, ne animi virtutem proderent, aut secretum pectoris propalarent; ille exempla varia recenset l. 4. stromatum, ego verba illius conuulsim do: *Macedones, & Lacones dum torquentur, fortiter tolerant, sed Zeno quoque Eleates dum cogeretur arcanum aliquod enuntiare, restitit tormentis, nihil confitens, qui etiam postremò linguam erodens, eam expuit in Tyrannum.* De fœminæ animositate, quæ nullis tormentis adducta est, vt arcana aperiret, quæ volebat Tyrannus extorquere, hæc paulò superius carmina refert:

Ex mente sed mea quæ vis rescíscere.
Non audies, nec si cremes: terras graues.
Nec capite summo ad pedes imos liges,
Duris nec omnibus si vinclis vincias.

Vt dicit in tragœdia fœmina se gerens viriliter. Concludit ergo Clemens: *Neque ergo spes felicitatis, neque in Deum charitas, ægrè fert ea, quæ accidunt; manet autem libera, etiamsi in bestias incidat immanissimas, & in ignem voracissimum, & licet tyrannicis conficiatur tormentis, à diuinis pendens amicitijs, minime redacta in seruitutem, superas obit regiones, corpore iis tradito, qui id solum possunt tenere.* Si tanta virtus viget in viris, eminet in fœminis, fide Christi & spe carentibus, quod robur non ingenerabit in animis fidelium spes æternæ vitæ, & sincera in Deum charitas, quæ animum reddit liberum contemptorem suppliciorum, inter feras, ignes, rotas à corpore peregrinantem; vt pote qui dum corpus excarnificatur, cælitum regiones lustrat, diuinis perfunditur gaudiis, in corpus redundantibus stillicidiis gloriæ; feras contra se irritat, laniones exacuit, addit audacia sua irritamenta Tyranno, vt quo plus tormenta cumulauerit, congesta gaudia super Martyrem perfundat, multiplicet coronas.

Gētium barbararū magnanimitas in mortis despicientia, & silētij sacramento seruando.

Clem. Alex.

Zeno, ne arcanum proderet, erosam linguam expuit in Tyrannum.

Fœminæ virilitas in cruciatibus ne secretum propalaret.

Clem. Alex.

Animus à vitijs liber, omnes cruciatus ad certamē prouocat.

6. Legit hæc omnia, haud dubito, Diuus Ambrosius, & cùm parilia Hymnosophistarum exempla retulisset, Martyrem, & iustum verè liberum proclamat, ab omni sceleris seruitute immunem de mortis contemptu sublimem; hæc annectit de animositate fœminæ in Psal. 104. *Apud nos autem & puellæ de mortis appetentia sublimes, vsque ad cælum erexerunt virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar, quæ tanquam nobilia vitulamina pullulantes, ad mortem quasi ad immortalitatem festinauerunt? inter leones virgo exultauit, & rudentes bestias expectauit intrepida.* Idem de Heroina Virgine Catharina eiusque constanti virtute dictum exīstima.

D. Ambr.

Sacræ Heroinæ ad mortem tanquam ad immortalitatem festinantes.

7. Inter alias parabolas, quibus ad meditationem, & præparationem mortis nos excitat IESVS, illa est mirabilior decem Virginum, quæ ornatæ ardentibus lampadibus exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Matth. c. 25. quam de Virginibus

Cur meditatio, & exercitatio mortis cum nuptijs comparetur?

Matth.

nibus sacro martyrij paludamento insignibus, Ecclesia canit. Quid portenti est hoc? O bone Deus ad migrationem animi à corpore omnem paraturam à nobis exigis, vigiliarum, caumeniæ, humi cubationis, pietatis & dilectionis, & ad nuptias nos vocas? Quid morti cum nuptiis? Quid mœrori in extremo vitæ agonizantis, cum sponso nuptias & conuiuia celebranti? Quid luctui mortui, cum cantilena conuiuantis? Quid nuptiales tædæ cum mortuorum, & parentalium luminaribus? Multum per omnem modum hæc omnia consonant, nam post Christi aduentum, eiusque dormitionem in Cruce tanquam in nuptiali thalamo, in quo Ecclesiam sui sanguinis gemmis subarrauit, & perpetua charitate copulauit, mortem in vitam, patibulum in reclinatorium amoris commutauit; itaque teneri pueri, delicatæ virgunculæ ad mortem properant, tanquam ad regales nuptias, in qua omne volupe inueniunt, ideo catastis, rotis, crucibus infigunt suauia, martyriorum instrumenta amplexantur velut lectisternia, thalamosque, quibus perpetuam animarum copulam charitas operatur; ferreos nexus, & catenarum horrisonos tractus suscipiunt pro sponsalibus, colli funes, annulosque ferreos pro monilibus, & murænulis; liuidi corporis vulnera pro arrhabone immortalitatis. Hoc licet cernere in Lucia, Agnete, Agatha, Cæcilia præsertimque inuictissima Virgine Catharina, cui hic discursus dicatus est.

Post Christi mortem virgines sacra ad cruciatus, & mortem tanquam ad nuptias properant.




Et fœminam valentem.

Parergon discursus præcedentis.

In dissipanda rotæ machina, egregia Catharinæ fortitudo enituit.

Amica homini iusto rota, aduersa Tyranno; huic in ruinam vertitur; illi in cæli orbem.

8. ARMATVR contra inuictam viraginem Catharinam insanientium tortorum manus, furore, & nequitia; munitur virgo virtute maiori, cùm instrumenta crudelitatis, aut despicit, aut vincit. Exacuitur furor Tyranni, virginalis patientiæ cote, & ad maiora supplicia irritatur, architectatur rotam insertis nouaculis, & vnguibus ferreis, vt vertiginis volubilitate dilaceraret corpus Martyris. Nec mirandum est hominem iuxta rotam constitui, ad figmentum vitæ melioris, quia omnipotentiæ rota figulus Deus primum figmentum format. Isaia teste cap. 40. v. 12. *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit?* Singularis est lectio Sancti Cypriani lib. de montibus Sina, & Sion: *Palmo mensus sum cælum, & pugno comprehendi terram, & finxi hominem ex omni limo terræ.* Verborum sensum eruditè aperit simulque suam mentem acumine plenam: *Nomen accepit à Deo Adam. Hebraicum Adam in Latino interpretatur: terra caro facta, eo quod ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit, sicut scriptum est: palmo mensus sum cælum,* &c. Et addit: *Oportuit illum ex his quatuor cardinibus orbis terræ, nomen in se portare Adam. Inuenimus in sacris Scripturis per singulos cardines orbis terræ, esse à Conditore mundi quatuor stellas constitutas in singulis cardinibus. Prima stella Orientalis dicitur ἀνατολὴ; secunda Occidentalis δύσις; tertia stella Aquilonis ἄρκτος; quarta stella Meridiana μεσημβρία; ex nominibus stellarum numero quatuor, de singulis stellarum nominibus tolle singulas litteras principales, de stella Anatole, A, de stella Dysis, D, de stella Arctos, A, de stella Mesembria, M; in his quatuor litteris Cardinalibus, habes nomen Adam.* Hæc Cyprianus. Perpendamus singula, & in primis versionem loci Isaiæ, in qua inest argutia, & lepor. Ex quo Deus terrenum hominis simulacrum compingere destinauit, palmo mensurabat cœlum, & pugno terram comprehendebat: *Palmo mensus sum cælum, & pugno comprehendi terram.* Viden quod terrena coarctat, cælestia amplificat? Cælum palmari mensura distribuit, terram pugillari; etenim Deus cuius munificentiæ exuberantia nullis adstringi potest limitibus, cùm cælum tangit, dilatationem ostentat, cùm lutum ad plasmationem capit, coangustatur manus; vt hominem erudiat in ipsa fictione, ad cælestia dilatare affectus, ad terrena contringere; vt de æternis maxima, de perituris minima concupiscat. Adhuc in ipso plasmate mirabilis effulget sapientia plasmatoris, nam pugno comprehendens terram ex quatuor cardinibus orbis terrarum, circulo quodam cingebat cælum, circumdabat orbem, vt suæ potentiæ rota hominem plasmaret. Paruus orbis, orbis Dominus cælestium cardinum, & rotarum, & celebratorum syderum refert nomine suo insignia; vt sentiat homo quam amicus sit illi circulus ab exordio suo, quàm intima rota, qua Deus primum vas ornatum omni lapide pretioso efformabat; quid mirum si Catharina sit iuxta rotam, vt cælestis sponsus, ad immortalitatem, figmentum reformet.

Humana natura ad meliorem vitã in rota restringitur.

Isai.

D. Cypr.

Nomenclatio Ada.

Adam à quatuor cardinibus terræ comprehensa, à Deo formatur.

In quatuor cardinibus orbis quatuor stellæ à domino constituta.

Ex quatuor litteris initialibus stellarum, nomen Adam compingitur.

Cùm Deus Adamum formabat, cælum palmo mensurabat, & pugno terram comprehendebat.

Hominem erudiebat dilatari ad cælestia, coarctari ad terrestria.

Omnipotentia rota, & circulo plasmatus homo.

Catharina in rota ad immortalitatem reformatur.

9. Rapuit in stuporem orbem totum robur Machabæorum in fidei agone, & in obseruandis paternis legibus constantia. Primus sartagine torretur, vt fiat epulum Dei. Secundus veste nudatur, pelle excoriatur, vt extricatus terreno integumento, expeditior ad Deum volaret. Tertius constanter extendit laniенæ manus. *Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes,* l. 2. Machab. c. 7. v. 13. Longum esset ire per singulos, & septem fratrum enarrare triumphos. Ast non est obliuione delenda constantia matris, quæ per annorum lustra natos parturiens, nunc omnes simul enixa est Martyrea: *Singulos illorum hortabatur voce patria, fortiter repleta sapientia: & fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens.* ibidem. v. 21. &c. Hos validos, hos fortes, hanc fœminam valentem producebat ille populus: Martyrij gloria ab eo ablata, ad Ecclesiam translata est. Videamus, qua tortura filius numero quartus sit litatus Deo. Recenset Sanctus Ambrosius barbaram Antiochi immanitatem in adinuentione nouæ machinæ, vt quartum filium plecteret. l. 2. de Iacob cap. 11. eius verba sunt: *Iussit quartum vinciri ad rotam, vt eius vertigine membris omnibus solueretur. At ille cùm torqueretur immaniter, dissoluis (inquit) corporis membra, sed adiungis gratiam passioni, nec eripis solatium morti; est enim vox tonitrui in rota,* quia

Machabæorũ constantia, in patria legũ cultu.

Lib. Mach.

Masculus matris hortatus.

D. Ambr.

Quartus filius in rota vinctus torquetur.

In rota martyris vox tonitrui resultat.

quia in bono, & inoffenso vitæ istius cursu, cæleste resultat oraculum, sicut in Ioanne & Iacobo filijs tonitrui resultabat. Non est omnino compertum, sanctum Machabæum tale genus torturæ subiisse, quapropter Ambrosij verba detornata videntur ad Catharinæ triumphum, etenim illigata rotæ, diuina virtute & oratione dissoluit ingeniosam inuentionem crudelitatis; illa sententia accuratè pensitanda: *Nec eripis solatium morti.* Vt superiorem conceptum adstruat, in quo Martyres iuxta catastas, rotas, ignes, deliciis cœlestibus affluentes vidimus, & in morte, æternæ vitæ delibantes gaudia. Nec secundum Mediolanensis Antistitis comma inexaminatum relinquas: *Vox tonitrui tui in rota.* &c. Merito hanc Apostolicam Sibyllam Catharinam Boanergem, filiamque tonitrui nuncupabis, cuius vox cœleste quoddam oraculum est, quod fidelibus ex eius ore resultat; ast barbaris horrisonum tonitruum metu percellens Imperatorem Maximinum, & validissimam satellitum manum; Virgineæ loquelæ sonitus candidæ nubis extitit fragor, ex qua eloquiorum erumpentia flumina in ligneos orbes iaculata, eos dissipant; celerique motu & rotatu insistentes in auctores crudelitatis eos dissecant, & laniant, cùm virgo intacta, & illæsa perstat.

Triumphus Catharinæ in rota.

In rota Catharina vox tonitrui eam dissipans, tortores crucians.

Ezech.

10. Ezechiel vates nobis suggerit illustrè vaticinium, ad celebrandam Catharinæ victoriam. Prospectauit diuinæ gloriæ currum à Cherubinis ductatum c. 10. ex qua pompa ad præsentis discursus ornatum Cherubim eligo, & rotas. v. 6. *Ingressus ille stetit iuxta rotam.* & v. 9. *Et vidi, & ecce quatuor rotæ iuxta Cherubim. Species autem rotarum erat quasi visio lapidis Chrysolithi.* Cherubim multitudo scientiæ interpretatur. Et Catharinam peræquè nuncupabis Cherubim à sapientiæ vbertate, quæ Theologia sacra, & omni Philosophiæ eruditione instructa est cùm eam cernis innexam funibus rotæ, verum est: *Cherubim stare iuxta rotam: Et ecce quatuor rotæ iuxta Cherubim.* Quaternis rotis constabat illud immane artificium paratum Virgini, vt triumphalem currum componant, præclaris manubiis de mortali hoste quæsitis, onustum; & euehant Catharinam ouantem ad cœli fastigia. Spiritualium rotarum descriptio apud Ezechielem in sensu anagogico interpretanda iuxta S. Dionysij mentem, qui lib. de cœlesti Hierarchia.c.15. ait: *Rotæ verò si pennatæ sunt, & ante sine reuersione, & inflexione incedunt, vim actionis earum recta via incedentis, quòd omnis spiritalis earum cursus in viam eamdem inflexibilem, atque arduam cœlesti ordine dirigatur.* Non minùs Cherubinorum naturam, quàm Cherubicæ Catharinæ ingenium declarant rotæ. Vitæ suæ semper inuariabilis rota cursum suum direxit ad brauium supernæ vocationis, nec retrogrado gressu regressa, aut per circuitus, & diuerticula terreni oblectamenti inflexa est à cœli curriculo. Postea examinat idem Areopagita secundum rotarum decus, quod Ezechiel profert. ibi v. 13. *Et rotas istas vocauit volubiles.* Hebraicè est. גלגל *Galgal.* Iuxta quod subiungit Dionysius: *Est eis (vt Propheta ait) cognomen inditum Gelgel, quod Hebræorum voce reuelationes, ac reuolutiones significat. Igneæ namque atque diuinæ rotæ reuolutiones quidem habent, quod sempiterno motu circa summum idem versentur bonum: reuelationes autem quod occulta sacramenta reuelent, & humiliores quosque promoueant: sublimesque diuini fulgoris radios in inferiora agmina descendendo transfundant.* Velut cœlestis circumgyratio, affectuum motus in Catharinæ pectore semper æquabilis ad animarum sponsum, & æternitatis Principem inhiantis, nunquam interturbatus corporis passionibus; cœlestium cupidinum rota à diuino spiritu inflammata in Catharinæ animo semper voluebatur, qua ad summum bonum indesinenter contendebat, vt in eius amore fixa permanens, Dei potiretur amplexibus. Nec solis reuolutionibus amoris, sed reuelationibus insignita est sacra virago. Illud tamen hoc in loco restat enucleandum. *Quod species rotarum, erat quasi visio lapidis Chrysolithi.* Recenset Hieronymus Symmachum, qui legit: *Hyacinthum.* Et paulo ante inquit. *Species rotarum iuxta LXX. quasi visio Tharsis (loquitur de visione primi capitis) nunc iuxta eosdem ὡς ὅψις λίθου ἄνθρακος: id est quasi visio carbunculi, vt pœnarum per ignem, qui à Cherubim traditur, similitudo monstretur.* Quæ verba ad Catharinæ passionem placidè transfero. Tota inseritur rota hamatis aculeis, dentibus ferreis, & acuminatis clauorum spiculis; & lapidibus pretiosis Chrysolitho, Carbunculo, Hyacintho distinctam asseris? Intende: Catharinæ rota extitit carnificina carnifici, laniena lanioni, ignis rota Tyranno; at sacræ Virgini omnis gaza, & lapis pretiosus extitit; in sponsa, quæ pro IESV patitur, charitas ferrum in aurum, rotam in coronam omni lapide pretioso ornatam, aculeos in Hyacinthos, clauos in Chrysolithos, nouaculas in carbunculos, rotam in firmamentum, & Saphirinum globum sideribus distinctum immutat. Vides rotam amicam & faustam Virgini, inuisam & infaustam Tyranno.

Cum Catharina machina ligatur, Cherubim stabat iuxta rotam.

Catharina Cherubica.

Triumphalis currus Virginis ex quatuor rotis.

D. Dionys.

In rotis inuariabilis innuitur Cherubinorum incessus.

Vita, & sapientia Catharinæ semper æquabilis.

Cur Ezechielis rotæ dicantur volubiles.

D. Dionys.

Sempiterno motu ad Deū tendunt.

Occulta sacramenta reuelant, aliisque communicant.

Hæc omnia Catharinæ sunt decora

D. Hier. Sym. Lect. LXX.

Species rotarum cruciatus Catharinæ innuūt.

Tormenta in lapides pretiosos Catharinæ mutantur.

11. Nec miror iuxta machinam supplicij adstare Catharinam; ex quo enim eam dulcis IESVS annulo suo subarrauit, ad rotam destinauit. Manus enim sponsi ostentantes monilia, in medium producunt & rotas. Manuum Christi decorem, & ornatum describit sponsa sacra Cant. c.5.v.14. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ Hyacinthis.* In Hebræo habetur: *Manus eius orbes aurei, vel sphæra aurea ornata Hyacinthis.* Rabbi Abenezra legit: *Rota aurea.* Aitque: *Rotæ de quibus in principio Ezechielis. Porro ad hanc vocem hyacintorum allusit idem Ezechiel, aspectus rotarum & opus earum in speciem hiacinthi.* Vatablus verò legit: *Manus eius annuli aurei.* Huic lectioni adstipulatur noster Sanchez: *Hoc loco* (inquit) *ideò dicuntur manus aureæ, quia aureis annulis ornatæ sunt: quod indicant hyacinthi qui in annulis plerumque radiare solent.* Digitis suis inserit cœlestis sponsus annulos lapidibus pretiosis, hyacinthis, carbunculis, rubinis, Chrysolithis sculptos, & fulgentes; cùm sponsâ suâ celebrans nuptias, vt sint amoris pignus. Ablegat Catharina mortalem maritum, anhelat immortalem, dilabitur è cœlitum curia eorum Regina nuptiarum pronuba, apparet sol in sinu Auroræ, sponsus diuinus in thalamo suo, Virgineæ puellæ copulandus spiritali coniugio, præcedunt Paranymphi spiritus Angelici præferentes nuptiales tædas de flamma Dei ardentes; ipse IESVS florida iuuenta conspicuus, supra solem & sidera pulchrior, annulum è digitulis suis extrit, & annulari digito Catharinæ includit;

Cum Catharina sponsi annulo subarratur, ad rotam destinatur.

Manus sponsi Iesu annulis & rotis ornantur.

Cant. Lect. heb. Rab Aben.

Vatab. Sanch.

Rota hyacinthis distincta, & illuminata.

Catharinæ nuptiæ cum Iesu.


BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Digitized by Google

cludit; de manu, quæ extendit cælum sicut pellē, de digitis, qui appendunt molem terræ, cernit suā Dei annulo coronatā; vt sit monimētum, in quo vigeat memoria spōsi, dum fuerit vita superstes, cordiumque creaturæ, & Creatoris nexus perpetuò maneat indissolubilis: de annulo nuptiali scribit S. Isidorus lib. 2. de Eccles. off. cap. 20. *Quod in primis nuptijs annulus à sponso sponsæ datur, fit nimirum, vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis vt eodem pignore eorum corda iungantur. Vnde & quartò annulus digito inseritur, ideo quia in eo vena quadam, vt fertur, sanguinis, ad cor vsque perueniat.* Amoris signum est, cordiumque nexus annulus, cordis digito insertus. Nitet in Catharinæ digito gemmatus annulus, vt illius cor cum corde Christi copulatum agnoscas. Habet itaque sponsus annulos, habet etiam in digitis *rotas*, quia per cruciatus virtutem sponsæ examinat, fidem probat. Nymphas speciosas, ætate florentes, sed audaces, & validas amplexu suo fouet, quæ non pauitent ad conspectus truces Tyranni, carnificum, & suppliciorum immane spectaculum, sed animos possideant de contemptu mortis sublimes. Ostentat demum in manibus suis sponsus *orbes*, & *sphæras*, quibus indigitat exantlatos in fidei, & virtutis certamine labores, non abire indotatos; etenim sponsa de materiali, & corruptibili orbe, ad orbem corruptionis expertem; de rota lignea, ad stellatam sphæram; de rotatu supplicij, ad empyreum globum, Deitatis circulum, refrigerij, & beatitatis regionem scandit. Nec solum annulum in digito renidentem, sed inaures in formam rotarum fabrefactas ostentat Virgo Catharina, quare quod de Synagoga prædicat Ezechiel, de hac Christi sponsa vaticinatum cense. c. 16. v. 12. *Et circulos auribus tuis.* LXX. legunt: *Et rotulas super aures tuas.* Instrumenta inhonora morte damnatæ sponsæ, conuertit Deus in ostentamenta decoris, & gloriæ.

Quid denotet annulus nuptialis. Signum dilectionis mutuæ, & nexus cordium est.

Catharinæ cor cū Christi corde copulatum. Habet sponsus in digitis rotas quia per cruciatus sponsæ fidem examinat.

Ostentat sponsus in manibus calestes orbes loco mercedis sponsæ donandos. Vt per rotas ligneas ad æthereas sphæras scandat.

Inauribus in rotarum formam conflatis, Catharina aures sponsus exornat. Ezech. Lect. LXX.



Validam, robustam, & fœminam valentem.

Pro sancta Teresia Virgine.

DISCVRSVS IV.

Omnipotentis dextræ robur in Teresia ostentat Deus, amissum decus mulieribus restaurat, cùm cernimus fœminam imperitare viris, & religiosam virorum ductare manum.

1. ATVRÆ, & gratiæ miraculum Teresiam nuncupo, quo Deus Ecclesiam suam his temporibus illustrauit; in qua illud prodigium maius est, quod fœmina viros informet, & religiosum Carmeli institutum reformet; quod vexillum pietatis erigat fœmina, & viros doceat imperio militare fœmineo. Nouum bellum, insuetum opus. Prouerb. cap. 9. non adumbratum, sed viuis coloribus expressum. Ibi legitur quòd domum sapientia extruxit, mensam apparauit, panem & craterem diuino musto plenum. v. 3. *Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Non ignoro quis sit sensus Patrum hoc in loco, ancillarum nomine Apostolos accipientium, propter humillimum obsequium præstitum diuinæ sapientiæ in gentium vocatione. Quem ego suscipio, & suspicio. Veruntamen vbi perspicua est sacræ litteraturæ locutio, non cogimur ad metaphoras recurrere. Quare cum Vulgatus legat: *ancillas* Symmachus, *puellas*. Theodotio: *adolescentulas*. Fœminas ancillares, aut familiares, & pedisequas Reginæ sapientiæ intelligo, quarum ministerio omnes conuocat ad craterem. Viden fœminas Euangelizantium munere perfunctas in sapientiæ regia? Quare hoc? An quia floridæ ætatis liberalis species, conserta manu cum fœminei alloquij blandimento, sensum demulceat, & mentem ad obsequium fidei captiuet? Id tibi in promptu erit. Alia contemplatio non minus arridet, excelsa prædicatio profluit hic de ore fœmineo, vt gloriosior sit sapientiæ triumphus, cùm non per fortes viros, sed fragiles, & imbecilles fœminas diuina virtute instructas, viros expugnat. Hæc victoria dexteræ excelsi est, manu infirma, & imbecilli fortiores vincere, & per vas fragile virum indurare ad labores, ad perfectionem solidare. Non displicet acumen Caietani, de Sapientiæ nuntiis scribentis: *Describuntur autem sapientiæ diuinæ nuntij sub specie puellarum, eo quod per inermes inuitat, & non per arma cogit.* Spontaneum obsequium animorum sapientia postulat, quod tunc præstatur vberiùs, cùm imbecilliori potestati subiiciuntur; cùm enim fragilitas superat, maiores vires exerit Dei virtus. Ex hac Sapientiæ domo Regia, & cratere mystico, in quo diuinum mustum propinat hominibus Dei sapientia, egressa est sanctissima ancilla, nobilissima adolescentula, & virgo Teresia, sacro Eucharistiæ pane saginata, musto diuini amoris ebria, mysteriorum dapibus in mensa, & conclaui sponsi refertissima, tanquam sacra victima immolata Deo; cùm enim os teneret applicitum Sapientiæ fonti, & de sacris laticibus esset ingurgitata, reuoluere cœpit animo egregium, & inauditum facinus, vt instauraret decus Carmeli, & antiquas erigeret ruinas, sed non esset egressa ad architectandum hoc opus, nisi à sapientia diuina excitata, & missa: *Misit ancillas suas.* Cùm cernis sapientiam mittentem, intuere Teresiam in ipsa missione velut Apostolam constitutam, vt perfectissimæ institutionis viam iniret. Mittitur, excitatur à Deo, vt vocet viros: *ad arcem & ad mœnia ciuitatis.* Hebræus: *super alas excelsorum.* Symmachus, Aquila, Theodotio; *super excelsa ciuitatis.* Dionysius Carthusianus exponit: *ad verticem virtuosæ perfectionis.* Hoc est; vocauit eos ad Carmeli verticem, ad perfectionis Euangelicæ superiora fastigia, ad Eliotici instituti apicem. Caietanus legit: *super humeros excelsorum ciuitatis.* Vt orbem, cælumque sanctimoniæ, quod manibus suis sustentabant duo illi excelsi viri Elias, & Eliseus, penè collapsum, & labefactatum, Atlantea Virgo Teresia suis humeris sustineat: eximium decus fœminæ, quòd sapientissimorum virorum sui sæculi numero derelicto, eam virorum cohorti Deus præficiat.

Teresia naturæ, & gratiæ miraculum. Prou.

Diuinæ sapientiæ ancillæ Apostoli nuncupantur. Lect. Sym. Theod.

In regia calesti sapientiæ fœminæ euangelizatrices quare?

Per imbecillem manum adeptus triūphus nobilior.

Caiet. *Allicit, non cogit ad arcem sapientia Dei.*

Ex diuina sapientiæ aula egressa est Teresia sacramentorū calestium musto ebria.

Animo voluit instaurationem Carmeli.

Teresia mittitur à Deo tanquam Apostola. Lect. Hebr. Sym. Aqui.

Ad apicem perfectionis viros alumnos vocat. Theod. Dionys. Caiet. *Orbem Eliotici instituti humeris suis sustinet.*

2. Heroina fœmina Debbora eligitur à Deo Dux sacri prælij, vt de Sisara triumpharet; filium Barac præfectum exercitus instruit, vt secum duceret decem millia pugnatorum; at strenuus Imperator ire solus reformidat, sine Debboræ solatio, & præsidio. Iudic. c. 4. v. 8. *Dixitque ad eam Barac: si venis mecum, vadam: si nolueris ire mecum non pergam. Quæ dixit ad eum: ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara.* Quanta fuerit militaris peritia Debboræ, & virilis animositas in hostium internecione, quo solet eloquio Ambrosius celebrat lib. de viduis; verborum flores carpo, vt coronam Debboræ imò & Teresiæ componam: *Quæ nec sexus infirmitate reuocata, munia virorum obeunda suscepit, & suscepta cumulauit.* Et post: *Domo propria filium Ducem producit exercitus, vt agnoscatis quod possit instituere fœmina bellatorem. Quem quasi mater erudiit, quasi iudex præposuit, quasi fortis instituit, quasi Propheta victoriæ certa transmisit.* Et paucis interiectis: *Ergo secundum historiã ad prouocandos animos fœminarum, fœmina iudicauit, fœmina disposuit, fœmina prophetauit, fœmina triumphauit, & præliaribus intermixta copijs imperio viros docuit militare fœmineo.* Quàm peregrinum prælium, & insolita victoria manu fœminæ parta; meritò post hostis stragem epinicio carmine cecinit Barac Debboræ gloriam. Iudic. c. 5. v. 7. dulce hoc fundit melos: *Cessauerunt fortes in Israël, & quieuerunt, donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israël, noua bella elegit Dominus & portas hostium ipse subuertit.* Trophæa erexit sæpenumero de hoste aspectabili, & inaspectabili Deus, per manus viri; hic tamen locus annuntiat quandoque triumphaturum per fœminam. In primæua Ecclesiæ ætate, & subsequentibus sæculis, Apostoli, Apostolicique viri, & inuicti heroës, Benedictus, Augustinus, Dominicus, Franciscus, Ignatius eduxerunt religiosas acies, erexerunt vexilla pietatis aduersus principem tenebrarum; hæc tamen ars bellandi pristina est, religiosam cohortem militare, & stipendia promereri sub viri Imperio; ast in Teresia: *Noua bella elegit Deus* quòd fœmina imperitet viris, & religiosi instituti iudicia decernat: *Imperio viros docuit militare fœmineo.* In nomine, munere Debboræ, Teresiæ magnalia ad viuum expressa cernes. Debbora interpretatur, iuxta Origenis mentem in Glossa Ordinaria citati: *Apis, vel loquela.* Et interpretamentum illustrat: *Quæ suaues cœlestis doctrinæ fauos, & dulcia diuini eloquij mella componit.* Teresia sacrorum arcanorum Christi Scymmista Euangelicaque Sibylla, quæ in terris posita perscrutatur secreta cœlestia, eaque hominibus annuntiabit; verè apis que verborum melliginem Mysticæ Theologiæ mellita eloquia, placidissimæ contemplationis cellulas, quas nuncupat mansiones, non ex libris hominum delibat, aut ex terreno magisterio componit, sed de rore diuini afflatus, & spiritus sancti aura, mella condit, fingitque sapientiæ fauos. Apis Teresia, quæ purissimo bombo, & singularis exempli buccino, castra virorum, & fœminarum ad contemplationis volatum excitauit, vt spiritus diuini flabris, austerioris vitæ, & orationis remigiis, sese super terrena librarent; apis quæ docuit domus solitudinis fingere, cellas, & rusculа solitaria quærere, & in ipsis Deum inuenire. Nec dissonat cognomen Debboræ, nimirum *Lapidoth.* Quod ex mente Hieronymi significat: *Lampadem,* & iuxta Lyranum: *Non est nomen proprium, sed commune, & significat Lychnariam, quia faciebat Lychna pro lucernis, quæ ardebant in tabernaculo Domini.* Talis erat Debboræ functio, componere lucernas, ornare lampades, fouere oleo, lychnos emungere, vt ardenti flammula splendescerent in tabernaculo Domini. Iam iuxta Euangelium præmonstrabat prudentes Virgines ornantes lucernas, sponsum præstolantes, vt aditum inueniant in nuptiali thalamo. Illud tamen munus in Debbora, & Teresia maius est, præliares virorum copias instruere. Reuoca ad calculum Ambrosiana verba, Debboræ insignia, primumque commilitonem reformationis, primæuo Carmelitanæ perfectionis spiritu indutum, à Teresia instructum, cataphractum præliatorem contra mundi illecebras, Venerabilem Patrem Fratrem Ioannem à Cruce, perspicuè cernes: *Domo propria filium Ducem producit exercitus,* &c. Et: *quem quasi mater erudit,* &c. Sunt enim ad hoc institutum detornata verba, eaque perfacilè adaptabis.

3. Nec est alienum ab Euangelij norma quod præceptis cœlestibus fœminæ viros informent. Post passionis turbinem, quo iactatus est Dominus, fere nullus Apostolicus apex inuentus est, qui in Resurrectionis fide non nutaret; & ecce tibi Apostolis, Domini nece, sic mœrentibus, cimmeriis incredulitatis tenebris sic iacentibus, eliguntur fœminæ fidei magistræ, immortalitatis euangelizatrices, æternæ vitæ & salutis præcones; quæ senatui Apostolicæ solamen, & lumen Dominicæ Resurrectionis inferrent. Eliguntur, & mittuntur ab Angelo. Matth. cap. 28. v. 7. *Et citò euntes, dicite Discipulis eius, quia surrexit.* Quid miramur Angelicam electionem, quandò accedit diuina. A Christo Domino Apostolicum munus iniungitur fœminis, ibi v. 10. *Tunc ait illis IESVS: nolite timere: ite nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Cur præcurrunt fœminæ, & primitias hauriunt vitæ corruptionis expertis, & odorem rediuiuæ vitæ, quem inhalat flos IESVS, primæ degustant; cur lingua ex fœminea perstrepit humanæ spei cantilena, & os fœmineum primarium est in proferendo, & promulgando Resurrectionis arcano? Prospexit Deus fœmineo decori, vt fieret causa vitæ, quæ fuerat instrumentum mortis. Hic conceptus celebratur à Sancto Nysseno orat. 1. de Resurrectione, scribente: *Audiamus bonum nuntium, quem nobis mulier affert, quæ fide prior quàm vir accedit; ac merito quidem, vt incipiens ipsa ad bonum currere, diluat crimen, in quod incidit, cùm ante cucurrit ad malum.* Cui concinit Sanctus Chrysologus Serm. 79. qua solet argutia fatur: *Non est ergo mirum si ad lacrymas, ad funus, ad sepulchrum, ad obsequium Dominici corporis fœmina ardentiores Apostolis hic videmur; vbi mulier prima currit ad lachrymas, quæ prima cucurrit ad lapsum: Præcedit ad sepulchrum, quæ præcessit ad mortem: fit Resurrectionis nuntia, quæ fuit mortis interpres: & quæ viro perexerat interitus tanti nuntium, viris ipsa porrigat magna salutis auditum: vt compenset fidei nuntio, quod perfidia ademit auditu.* Perfidiæ næuum, quem fœmina contraxerat in paradiso, fidei feruore sustulit in sepulchro; dedecoris maculam, quam

Margin notes (left): Debbora fatissima. — Sisara de triumphatis manu fœminæ perficitur. — Iudic. — D. Amb. — Militaria officia subeunda fœmina suscipit. — Instruit fœmina bellatorem. — Fœmina viros docet imperio militare fœmineo. — Iud. — Debbora mater in Israël nuncupatur. — Noua bella elegit Dominus fœmina potestati subijciens viros. — In Debbora fatiuoribus Teresia magnalia adumbrata. — Orig. Glossa. — Debbora idē est ac apis, & loquela. — Mystica Theologia fauus, & melleloquia condit Teresia. — Apis Teresia castra virorum & fœminarum exempli sui buccina ad contemplationem diuinorum excitat.

Margin notes (right): D. Hier. Lyran. — Debbora lampadem denotat. — Debbora idest Lychnas construens pro lucernis. Teresia lampadem Euangelicam praeulit, & ornare lucernas Virgines docuit ad sponsi cœlestis occursū. Primum reformati Carmeli columē Ioannem Teresia instruit. — Fœmina immortalitatis Euangelizatrices post Christi mortem, & Resurrectionē. — Fœmina de noua vita incunda Apostolorum Magistra. — D. Matth. — Cur fœminæ primæ Christum rediuiuum annuntiant? — D. Gre. Nys. — Bonum vitæ auspicium à fœmina, ex qua ortum est malum. — D. Chrys. — Ad Christi funus fœminæ Apostolis ardentiores. — Fœmina porrigit vitam viris quibus suggesserat mortem.

quam generi humano asperserat instabilitatis nigritudinem, qua muliebrem formam temerauerat; fidei audacia, & constantia amoris abstergit; loquacitatis crimen, quod primo alloquio cum serpente contraxerat, hac annuntiatione satis superque expiatum est; ipsa quæ viri constantiam effæminauerat; viros roborat ad fidem, vacillantes firmat; fœmina prima est, quæ sacra fidei signa erexit, Apostolorum cohorti donauit, eos excitauit ad prælium, vt in fines orbis vexilla Crucis, trophæa Resurrectionis inueherent: repete ex Nysseno: *Quæ fide prior quàm vir accedit.* Et ex Chrysologo: *Viris ipsa porrigat magnæ salutis auditum.* Non est indecorum, si mulier Apostolos ipsos, vel Apostolicos viros instruat ad prælium, ad sublimiora virtutis prouocet certamina, quæ nouitatem vitæ in Christo, viam nouam perfectionis initiante, nuntiauerat.

Mulier impia malo à se architectata, in bonum restaurat.

Prima mulier fidei vexillum erigit.

Nysse.
D. Chrys.

4. Perscrutatur à S. Isidoro Pelusiota Isidorus Diaconus vir sapientissimus, & acutissimo ingenio præditus, an fœmina fuerit à Deo creata ad imaginem & similitudinem diuinam? & cùm, iuxta sacri oraculi sententiam Genes. cap. 1. v. 27. quæstionem soluisset, nimirum in viro & fœmina Dei relucere imaginem, & lumen vultus Dei in vtroque esse signatum; verba sequentia annectit. lib. 3. epist. 95. *Perspicuè demonstratur diuinæ imaginis decus in imperio tanquam certa nota insigniri. Quod si quærant, quid causæ fuerit Paulo, cur virum diuinam imaginem, mulierem autem viri imaginem esse pronuntiarit, illud respondebimus, quod primum quidem pari honoris gradu mulier erat, atque diuino beneficio idem imperij ius obtinebat. Postquam autem lapsa est, imminutum, ac mutilatum est ipsius imperium, ac sub viri potestatem redacta est. Honoris æqualitatem non tulisti: inferiorem gradum accipe. Ad virum erit conuersio tua, & ipse dominabitur tui.* Et de hac subiectione post peccatum introducta, ait Paulum fuisse locutum. Verum est in fœmina ante peccatum, circa animantia ius imperij refulsisse, verum non denegat Isidorus, esse imperfectiorem viro fœminam, & innocentiæ statu fore viro subiectam, non subiectione seruili, & violenta, sed ciuili, & œconomica; cum hac tamen subordinatione mulieris ad virum staret, quod vir fœminæ voluntariè se subiiceret; nam tunc mulier polleret ingenio, esset prudentia maior, rerum cognitio, lumenque sapientiæ vberius in ea refulgeret, essent in eis vnum cor, vnum velle, vnum nolle, absque dissimilitudine amoris, cum summa concordia voluntatis; nihilque vterque concupisceret, nisi quod recta ratio, & lex diuina dictaret. Esset ergo tunc fœmina hominis fida consiliaria, eius regiminis socia. Foret inter vtrumque partitum imperium, ita, vt viro mulier comitate imperaret, virque morem gereret, semper tamen fœmina virum tanquam humani generis caput, & fœmineæ formationis principium reuereretur. Post præuaricationem, imminutum, & mutilatum est hoc imperium; iam enim voluntariè vir non obtemperat fœminæ, vel iniqua imperanti, aut honesta consilianti; est enim viro suspectum, & infidum consilium fœminæ ex quo contempsit imperata Dei, assensum præbuit serpentino hortatui; iam suadendo, iam lenocinando virum traxit ad mortem. Gratias fœminæ Deiparæ, quæ hoc imperium instaurauit, & auxit, ipsa sola post Deum hominem, non solum hominibus, sed Angelis quoque imperitat. Ast post Dei Genitricem, regiminis potestatem à viuentium matre in loco voluptatis amissam, apud Carmeli paradisum in Teresia Deus innouat. Ipsa sola imperatoriæ potestatis in viros ornatur infulis. Mente, & oculis perlustra orbem, & cernes quot virorum fortium cœtuum teneat gubernaculum; viri inclyti Teresiæ iussa capessunt, suisque gloriantur obedire mandatis: *Postquam autem lapsa est, imminutum ac mutilatum est ipsius imperium.* Fidelis virago Teresia, quæ diuinæ protectionis gratia firmata, grauioris culpæ sordibus non est inquinata; imperium amissum quodammodo restaurauit; tenuit fœminea imperia, & suscepta cumulauit; ibi fœmina maritata vni viro imperaret, Teresia vero à iugo viri immunis, leges innumeris viris præscribit, & non subiecta viro religiosi instituti iudicia viris decernit.

D. Isid. Pelus.

An fœmina ad Dei similitudinem, & imaginē fuerit condita?

In viro, & fœmina Dei imago, & similitudo expressa.

Insignibus imperij vir & fœmina decorantur in creatione.

Cur mulier imago viri appelletur à Paulo?

Æquale imperium ex Isidori placito, in viro & fœmina fulgebat.

Imperij decus post transgressionē in fœmina imminutum.

Fœmina imperfectior viro in statu innocentiæ, viroque non cauté sed stante subiecta.

Quo sensu partitum foret imperium inter virum & fœminam ante transgressionem?

Post casum non se fidit fœmina vir, nec eius consilia sectatur.

Deipara, mulieris imperium restaurauit, & auxit.

Teresia primū mulieris imperium renouauit, cumulauit.

5. Nec mireris plusquam virili animositate præditam Teresiam, quæ Crucis Christi, possidet clauum. Quis ignorat Iahelis fortitudinem, cuius dextra intrepida intulit necem viro, quem totus Israëlis populus formidabat; Sisara Chananæorum Dux cernens dissipatum exercitum, palantes acies; è curru desiliens, fuga se subduxit, & propriæ saluti anxius quærit refugium, & latebras. Iahel blandè, & subdolè inuitat ad proprios lares, dat illi feralem spondam ad requietem, melius diceres grabatum miseriæ, feretrum mortui; claudit illum tabernaculo, Tyranni pòst animam profundentis conditiuo. Capit eum mors, cùm capit somnum, proximus est morti, qui eius gerit imaginem. Cerne quo telo transfodiat Tyranni tempora. Iudic. c. 4. v. 21. *Tulit itaque Iahel vxor Haber clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum: & ingressa abscondité, & cum silentio, posuit supra tempus capitis eius clauum, percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram: qui soporem morti consocians, defecit, & mortuus est.* Inuictæ fortitudinis Iahelis egregius pensiculator est Rupertus, qui lib. 1. in Iudic. cap. 7. scribit: *Verè iuxta scripturam aliam mulier fortis accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Sinistram manum misit ad clauum, & dextram ad fabrorum malleos. Talis habitus corporis profectò figuram Crucis exprimit. Clauus tabernaculi ipsum est stigma passionis Christi. Clauum tulit, quæ iussa mortificare membra sua super terram, crucem suam baiulauit, crucifigens carnem suam cum vitijs, & concupiscentijs. Hoc tunc validè fit, quando non pro vanitate humanæ laudis, sed pro gloria assumitur Dei, afflictio carnis.* Strictioris vitæ palæstra prænotata erat in tabernaculo Iahel, in qua propriæ imbecillitatis fœmina oblita, aggreditur perfectæ mortificationis tenere brauium, præhensare palmam; cùm lumbos fortitudine roborat, cilicio horridis setis inserto, constringit membra, ieiunio domat, crucem baiulat, carnem suam crucifigit, cor litat Deo, clauo timoris, & amoris Cruci Christi suffigit. Et tabernaculum propria est mansio militantis, domus illustris parsimonia, in qua morabatur egregia Iahel vini abstemia, de familia & instituto Rechabitarum famosa fœmina. Hinc est quod soporando Sisaræ non vtrem vini, sed lactis phialam Iahel porrigit. Audi Rupertum supra cap. *Et si quæritur cur vinum non dederit? Respondendum*

Iahelis fortitudo commendatur.

Iud.

Iahel Sisaræ Tyranni tempora transfigit clauo.

Ruper.

Habitus, & crucis figura hostis dominici populi prosternitur.

Clauus stigma passionis Christi.

Domus Iahel mortificationis palæstra.

Iahel vini abstemia, de familia Rechabitarum.

Ruper.

dendum est, quia domus Rechab vinum non bibebat. Erat ibi pietatis forma, mortificationis magisterium, religiosi instituti imago. Enim verò quæ trophæa non eriget manus armata Christi clauo? quos Sisaras inaspectabiles non prosternet, sauciabit? Veram Iahelem clauo munitam cernes Teresiam, quando IESVS cum ea celebrans nuptias, eam clauo donauit, dicens: *Respice hunc clauum, qui signum est, ab hac die futuram meam sponsam.* Patiens, & amans sponsa tali pignore subarratur, vt in tolerantia, Crucis Christi sit socia, in amore transfixa charitatis clauo. Misit Helena Imperatori Constantino de inuentis clauis Dominicæ Crucis vnum, quem gemmis ornatum diademati innexuit, de quo sanctus Ambrosius in funere Theodosij inquit: *Bonus itaque clauus Romani Imperatoris, qui totum regit orbem.* Hoc clauo Teresia mirabilis Angelis, terribilis dæmonibus; tenet manu fœlicitatis insignia, fortitudinis incrementa; hoc clauo ornatur manus moderatura religiosum Carmeli orbem; immunis ruinæ stabit, securus Dei præsidio, stabilitus clauo, qui Deum in Cruce firmauit. Clauis est clauus, qua reserat arcana secretorum Deitatis. Siphunculus est aureus, quo ex vulneris Christi rimula, gratiarum extrahit & ebibit latices, & in paradisum Carmeli deriuat.

Vera Iahel Teresia clauo ornata, & munita, à sposo donato.

Clauus Crucis Christi diademe Constantini externas.

D. Amb.

Hoc clauo Constantinus totum moderatur orbem.

Quid denotet clauus in manu Teresiæ?

Clauus cælestium Sacramentorũ clauis.

Hugo Card.

6. Quare meritò adaptabis sententias illas valde præclaras Hugonis Cardinalis, Teresiæ clauo: ad ea verba Isaiæ. cap. 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Sic scribit purpuratus Pater: *Dominus manus extendit, vt videamus quid intus lateat, scilicet misericordias eius, quas nobis reserauerunt claui fixi in manibus eius extensis.* Bernardus, *Cogitabas cogitationes pacis, & ego nesciebam. At clauus penetrans, clauis reserans factus est mihi, vt pateant mihi misericordiæ tuæ.* Hæc Hugo de sancto Caro. Patefactum reddit misericordiarum immensum pelagus clauus Crucifixi, fontesque Saluatoris aperuit, vt ad homines fluerent latices pietatis. Clauis reserans factus est clauus, vt arcana pectoris aperiret & viscera misericordiæ diuinæ patefaceret. At Teresia clauo ornata, illa verborum insignia æquo iure sibi vsurpat: *Clauus penetrans, clauis reserans factus est mihi, vt pateant mihi misericordiæ tuæ.* Quæ fonti propinquior experta est vberiora gaudia de torrente Deitatis, & voluptatis deriuata. Ideò commate illo velut gloriosis stemmatibus coronatur: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Plura Teresiæ magnalia aliis in locis dabimus.

Clauus Christi clauis reserans Domini misericordias.

Teresia misericordias Domini cantitat.

Pars secunda versiculi primi.

Nouum decus adiungit illi sententiæ: Omne robur panis.



DE sacro Eucharistiæ Sacramento hanc sententiam vsurpant Ecclesiæ primores Hieronymus, Basilius, Cyrillus Alexandrinus, Procopius. Et de robore, quod præstat sacrum epulum ad vegetationem animi & corporis; vnius, aut alterius verba dabo S. Basilius scribit: *Quemadmodum enim corpora nostra conualescunt, ac firmantur subalterna*

D. Basil.

Omne robur

sumptione congruentium alimentorum; ita quiddam est, quod consentaneè pascit animam, eique suggerit vegetas vires ad bonitatem consectandam. Quid illud tandem est, nimirum quod dixit Dominus, quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: quibus autem non suppetunt hæc, ijs vtique deficit robur panis, & robur aquæ. Subscribit Alexandrinus Archipræsul Cyrillus: *Aufertur etiam ab illis fortitudo panis, panis rursus non sensibilis, sed eius verius de quo Dauid ait: panem cæli dedit illis, panem Angelorum manducauit homo.* Et aliquibus interiectis adiungit sequentia: *Etenim nos qui per fidem ad sanctificationem vocati sumus, panem habemus, panem inquam de cælo, hoc est Christum, seu corpus eius, si verò quis interroget, cuiusmodi tandem illius robur ac vis sit? Viuificum esse dicimus: dat enim mundo vitam.* His similia habet Procopius. Quapropter non erit abs re de virtute cœlestis panis ex professo disserere, & quale sit omne robur sacræ Synaxis, ostendere.

anima prestat panis Eucharistici.

D. Cyr. Alex.

Ablata est à Iudæis fortitudo panis cælestis.

D. Cyr. Alex.

Procop.

Robur panis Eucharistici vita immortalis.




Omne robur panis.

In pane Eucharistico mors roborat ad vitam.

DISCVRSVS I.

IESVS *Eucharistiam instituit, vt doceret homines, ad conspectum mortis formare imaginem vitæ.*

1. VLLVS deinceps succenseat morti, quæ tanti originaria est honoris. Mors informat hominem, & reformat ad vitam, & quæ prius hominis simulacra deformabat, & dissoluebat, nunc magna dexteritate imaginem vitæ fingit. Mortis manus, quæ expallescentem, exanguem reddebat hominis speciem, liuidis, nigricantibus, de mortis vmbra, lineamentis, deturpatam; nunc floridis pigmentis colorat, animat; effigiem mirabili artificio repræsentat vegetam, vitamque spirantem. Mors itaque in Eucharistia viuifici figmenti facta est exemplar. Ampla decora, & promissa magnifica, quæ Deus spopondit Christiano populo in Christi aduentu, proponit Isaias. c. 65. Illud verò eximium est, interque reliqua caput effert. v. 22. *Secundum enim dies ligni, erunt dies populi mei.* Diebus ligni lumen addunt LXX. seniores, & quod sit lignum, de cuius fructu viuificandi mortales, in medium producunt, legentes: *Secundum dies ligni vitæ, dies populi mei.* Quem locum de sanctissima Eucharistia exponit Theodoretus à Glossa citatus: *Fuit enim nobis lignum vitæ Crux Domini, recepit enim veluti quemdam fructum admirabilem corpus Domini viuificum, in quem fructum, qui manus extenderimus, & fructum ederimus, vita sempiterna viuemus.* Nec à communi sensu Patrum discordat hoc Theodoreti assertũ, qui omnes vno ore prædicant Christum in Eucharistia esse lignum vitæ, rectè suscipientibus conferens

Homo simulacrum vitæ fingit ex morte.

Isa.

Lect. LXX.

Theodo. Glossa.

Qui illius fructum edit, vita viuit æterna.

Digitized by

D. Hiero.

Qui de aduersarijs animæ triumphat, vitam instituit iuxta dies ligni vitæ.

conferens vitam æternitatis. Quo fundamento præiacto, mirificus est spiritus S. Hieronymi in huius loci commentario, versioni LXX. addentis noua lumina. *Diebus ligni vitæ comparatur iustus: quotidie triumphans de aduersarijs, & insigne victoria preferens.* Iam hic locus maneat digito, & virgula aurea signatus; est enim illustre præludium subsequentium post discursuum, in quibus iustorum triumphos virtute diuini panis reportatos demonstrabimus. Nunc iuxta pensum, profundiori indagine, & exquisita argutia Isaiæ vaticinium discutit Doctor Maximus:

Lignum vitæ in paradiso situm.

Lignum vitæ intelligimus quod in paradiso situm est. Ad quod ne extenderet Adam manum suam, vt viueret, eiectus est de paradiso. In cuius custodiam Cherubim, idest scientia multitudo, & ignita framea posita est, vt seruarent viam ligni vitæ ne in peccato positus Adam, & necdum sua delicta cognoscens, comederet ex eo, & impœnitentiæ, desperationisque, ac superbia morte moreretur.

Adam eijcitur de paradiso, ne comedens de ligno vitæ, impœnitens desperationis, & superbiæ morte moriatur.

Si Protoplastus impœnitens, & necdum sua delicta cognoscens post transgressionem, in paradiso permaneret, & frequenter comederet de ligno vitæ, viueret in æternum, à corporis morte immunis, iuxta sensum sanctorum Patrum, locum Genes. c. 3. v. 22. exponentium; esset tamen pluribus affecta eius anima mortibus, superbiæ, desperationis, inobedientiæ. Optimè prouisa, & iuxta dispositionem diuinæ sapientiæ decreta & exequuta proiectio de paradiso, & præclusus aditus, ne malum criminis esset æternum, ne cùm in perpetua aut diuturna sæcula, humani corporis vita esset prorogata, mors animæ perennaret.

Exulat de paradiso Adam, ne malum criminis perennaret.

Illud tamen mirabile est, quod lignum vitæ interitum animæ non præcaueret, sed inferret; Et ex ligni vitæ esu, quod iuxta Hebræum Genes. c. 2. v. 9. dicitur: *Lignum vitarum.* tot mortes homo, & ærumnas subiret; sic beatum lignum infœlicitatem ingenerat? & vitæ immortalis alimonia mortalitates, & neces accumulat? Siste admirabilitatem lector, & intende: Tunc comessaretur Adam de ligno vitæ Christi figuratiuo, semper viuæ, necdum mortuæ; ideo viuit in morte, & in vita moritur, quia non comedit de vita mortua, sed de vita viua; comedat ergo de ligno vitæ morientis, & in ligno occumbentis, & corpus, & anima Adami vita viuent immortali. Repete verba Theodoreti supra relata, quæ hunc conceptum exprimunt, lignum vitæ, inquit, est Crux quæ recepit fructum viuificum corpus Dominicum: *In quem fructum, qui manus extenderimus, & fructum ederimus, vita sempiterna viuemus.* Comedimus enim corpus Domini in ligno occumbens, & vitam mortuam in arbore Crucis, & perfecta vita viuimus.

Post transgressionem lignum vitarum plures mortes Adamo inferret.

Lect. heb.

Si de vita mortua Adam ederet, viueret.

Theodor.

Post transgressionem si Adam de ligno vitæ comederet, imaginem fingeret ex vita, & morte coalescentem.

In statu naturæ lapsæ si Adã vesceretur de fructu ligni vitæ, delinearet preculdubio imaginem ex vita, & morte expressam: coloratam; haberet vitã, sed plenam ærumnis, fuscam, & tenebratã mortibus. Esset imago similis illis, quæ in magnis festiuitatibus populo occursanti obiiciũtur, rusticum vulgus, & imperitum tenent stupefactum; quæ si è regione prospectentur, apparet fœmina floridæ iuuentæ nitore conspicua, omni mundo muliebri ornata; hinc, indè varias ementitur species, à dextris nigerrimam Æthyopissæ figuram, diductis & fœde repandis oris operculis, pando nasso in rugas contracto, irridentem spectatores, inde, pallidæ mortis horribilem imaginem; sic Adam effigiem efformaret post transgressionem comedens de ligno vitæ, de venustate vitæ, nigredine criminis, & mortis squalore compactam. Comedat ergo Adam de vita mortua in ligno, & ad eius intuitum, & exemplar benè pictura tam, perfectè viuentem imaginem figurabit, omni ex parte beatam. Sicque iuxta Isaiæ promissum: *Secundum dies ligni vitæ, erunt dies populi mei.*

Imago quæ aduersas, & ementitas species oculis prospectantium, format.

Ad exemplar vitæ in ligno mortua, pulchra imago vitæ formatur.

2. Concors Sanctorum Patrum sensus est Adamum in loco Caluariæ, seu Golgotha fuisse humatum. Censent Athanas. lib. de passione. Epiphan. lib. 1. contra hæres. Hieronym. Primas. Theodoret. OEcumen. Theophyl. in c. 5. ad Ephes. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. Origenes tractatu 35. in Matthæum S. Basilius in cap. 5. Isaiæ S. Hieronym. epist. ad Marcellam. Nonnus in cap. 19. Ioannis Chrysost. homil. 84. in Ioan. Augustinus Serm. 71. de tempore. Cyprianus Sermone de Resurrectione, Ambrosius lib. 5. epist. 19. Moyses Barcepha lib. de paradiso parte 1. cap. 14. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Sermone de veneratione sanctæ Crucis in media quadragesima. At contraire iis videtur scriptura sacra Iosue cap. 14. v. 15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam Maximus ibi inter Enacim situs est.* Iuxta oraculum sanctum sepultus est Adam in Hebron, seu Cariath Arbe, non in Caluariæ loco.

Adamus in loco Caluariæ humatus, vbi Iesus Crucifixus, ex Patrum consensu.

D. Atha. D. Epiph. D. Hier. Primas. Theodo. Tertul. Orig. D. Chrys. D. August. D. Cypr. D. Amb. Moys. Barce. Germa.

Iosue.

Adam conditus in Hebron ex sacra litteratura sententia.

Iuuat ad soliditatem, & veritatem sequentis conceptus, sacræ litteraturæ locum cum Ecclesiæ primoribus in concordiam deducere. Didici ex Honorio Augustodunensi in Chronicis, Adamum duobus in locis sepultum fuisse, vt facilè inducar ad credendum, Adami cranium in Golgotha; cadauer totum in Cariath Arbe fuisse sepultum. Idque non obscurè insinuat Iacobus Orrhoahita siue Edessenus antiquissimus & apprimè nobilis inter Syros scriptor, Magni Patris Ephrem præceptor cuius verba refert Masius in cap. vltimum Iosue, nimirum, *Noemum primi Patris ossa magna secum religione in arcam intulisse, & post siccatum aquarum eluuione terrarum orbem, cum ipso terrarum orbe ossa quoque illa filijs diuisisse; & quem præ cæteris diligebat, Semo Caluariam dedisse, cumque Caluaria terrarum partem, quam postea Iudæam nuncuparunt.* Quod quidem factum diuina dispensatione est, vt Protoplasti cranium in Caluariæ monte sepeliretur postea, quod prius in Hebrõn humatum fuerat.

Hæc discordia componitur.

Honor. Augusto. Iacob. Orrhoa. Masi.

Noemus Adami ossa in arcam intulit.

Post diluuium Noë Caluariam Adami dedit Semo, & terram Iudææ ei distribuit.

Hoc pacto inter Patres, & scripturam sacram facta conciliatione, multiplices contemplationes deducunt de mentium suarum penubus sacri Doctores; causam inquirentes cur sanctæ Crucis vexillum eo loci sit erectum quo cranium primi Parentis fuerat conditum? Illam ad præsens institutum vsurpo ex Germano Archiepiscopo Constantinopolitano oratione de festo sanctæ Crucis in medio quadragesimæ: *Ea propter* (inquit) *lignum plantatur in loco Caluariæ. Hæc verò Caluaria, vt vera traditio habet primi Parentis Adami est, quo velut spectatore ingreditur Christus stadium, locumque certaminis. At fructus ligni huius, mors erat certissima, & præsentissima; nihil quod recreare posset, nihilque gloriæ continens, quin potius plena dedecoris, & opprobrij, iudicio illorum, qui humana tantum sapiunt.* Casum, erectionemque Adami subtiliter

Corpus Adami in Hebron, craniũ in Golgotha conditur.

Cur vexillum Crucis erectum in loco vbi cranium Adami erat sepultum?

German.

Vt de tumulo decertantem in ligno Iesum prospectaret.

Ligni Crucis fructus mors plena opprobrijs.

Caput primi parentis nutauit, quia in Crucifixũ non aspexit.

subtiliter proponit Germanus, nutauit primum illud caput generis humani, & superbiæ vertigine circumactum toto pondere ruit, quia I E S V M non habuit Cruci suffixum in illa cum Dæmone lucta ante conspectum propositum, cuius obedientiæ exemplar sequeretur, quo viso confortatus in palæstra staret immunis ruinæ; ideò vexillatus in Cruce Seruator in loco Caluariæ in altum extollitur, vt ipsum contra peccatum decertantem Adamus aspiciat, & diuinus palæstrita tyronem suum instruat in prælio, vt qui à Dæmone victus est, ipsum vincat: *Quo spectatore ingreditur Christus stadium.*

In loco Caluariæ Cruci figitur Iesus, vt tyronem Adamum in palæstra instruat.

Quid ergo prospectat Adamus, vt vincentis ornetur gloriosa forma? *fructus* (inquit Germanus) *ligni huius mors erat certissima, & præsentissima.* Mortem certissimam, & præsentissimam prospectabat, vt ad eius intuitum, & exemplar, vitæ imaginem formaret.

Proponitur Adamo mortis imago, vt ad eius conspectum formam vitæ componat.

Mors de ligno, seu cuiusdam cælestis magisterij subsellio fœlicis vitæ insignia ostentabat; vitæ immortalis effigiem formare ostendebat. Corpus mortuum exangue, vibicibus liuidum, hiatu vulnerum inhorrescens, succum, sanguinem, purpurissum, florida pigmenta porrigebat, vt è Cruce quasi è tabula mutuaret colores Adamus, & vitalem imaginem fingeret. Subiungit argutè Germanus: *Fructus quidem scientiæ pulcher erat visu, & iucundus gustatu, & magnifica diuinitatis adipiscendæ spe implebat. At Crucis fructus contrario prorsus modo sese habuit, vt Isaias eminus eumdem conspicatus, & miseratus dixerit: vidimus illum, & non habebat formam, neque pulchritudinem, sed species illius sine honore fuit.* Isaias cap. 53.

German.

Fructus ligni scientiæ decorus, fructus ligni Crucis deformis.

Cernis mirabile diuinæ sapientiæ artificium, dare corpus sine forma, formam, sine pulchritudine conferre speciem, sine venustate decorem, sine vita vitam.

Deuenustatum simulacrum formã indit animabus pulcherrimam.

Arboris scientiæ fructus pulcherrimus hominem deuenustauit, fulgor ille aureus pomi, Adamum fuscum, & velut fuligine atratum reddidit, extimæ cutis speciosissimæ ambitu delusit protoplasti intuitum; amplaque promissa Deitatis in fumum fatiscunt, in cineres, & pulueres Adamitico corpori comminatos abeunt; sic solet decipere, & deducere ad interitum, huius mundi personata fœlicitas; & vbi sanitatem, & securitatem nobis pollicemur, serpentem attrectamus, mortem tangimus.

Ex formoso fructu arboris paradisi formam induit homo tenebricosã.

Itaque Adamus prospectans, & gustans fructum arboris scientiæ pulcherrimum, suauissimum, imaginem terrenam finxit lineamentis mortalitatis, & vmbris mortis, & peccati fuscam, & horridam. Ideo in Caluaria Christus Cruci affixus obiicitur Adami oculis, vt ad intuitum deuenustati vultus, tunsionibus liuidi, morte ipsa deformis, fingat imaginem vitæ. *Quo velut spectatore ingreditur Christus stadium. At fructus ligni huius mors erat certissima, & præsentissima.*

Ad conspectũ mortui, & deformis imaginem fingit homo vitæ, & pulchritudinis.

Zach.

3. Patribus antiquis in terræ sinu clausis redemptionem promiserat Zacharias c. 9. v. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Omnis Christi sanguis effusus in ara Crucis à corpore Domini in redemptionem hominis, & ablutionem criminis, nuncupatur sanguis testamenti.

Sanguis testamenti nũcupatur, qui de latere Christi vita functi profluxit.

Rupert.

Annotat verò argutè hoc in loco Rupertus sanguinem testamenti singulatim nuncupari illum, qui ex lateris Christi vita functi, apertura profluxit. *In illo sanguine tuo, qui de latere tuo lanceæ militis patefacto, cum aqua cucurrit, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, quæ aliquem à peccatis abluat, & idcirco hinc illuc aquam manare, hinc vsque illuc aquam cum sanguine tuo profluere oportebat.* Et subiungit. *Virtus diuina, quæ hoc effecit, vt sanguis & aqua exirent de corpore iam exanimi, ipsa hoc efficere potuit, vt mortui statim carerent omni macula peccati, & contagione primæ præuaricationis.*

Hoc sanguine emortuo vita & libertas donatur vinctis in lacu patribus.

Insinuat hic, & alibi Rupertus antiquos Patres peccato originali infectos vsque ad Christi mortem. Contrarium assertum æquo iure defendit schola Theologorum cum sancto Thoma. 3. p. q. 70. art. 4. ad 4. Per circumcisionem namque in lege scripta, & professionem fidei in lege naturæ, eluebat Deus originalem hominum maculam: nec esse poterant sanctorum animæ primæuæ transgressionis macula infectæ, quæ in gratia decesserant, erantque Deo gratæ, & spe gloriæ alebantur; erat tamen reatus, & pœna originalis criminis præclusio viæ paradisi, & priuatio diuinæ visionis, quæ per Christi passionem, & mortem ablata sunt.

Patres in sinu terræ depositi ante Christi mortem peccato originali erant abluti.

Verba tamen Ruperti conceptum propositum illustrant. Quatuor riuuli sanguinis viui emanarunt de Saluatoris fontibus, antequam morti cederet, & inclinaret caput; ast sanctorum Patrum Senatus in illo tenebrarum latibulo spectabat scaturientes latices de fonte mortuo, vt diruerent maceriam, quam inter Deum, & hominem crimen extruxerat; compedes, quibus tenebantur adstricti, peccati nimirum pœnas soluerent, & ad beatæ vitæ participationem expeditos redderent. Anima Christi statim ac vinculis corporis soluta, euolauit ad tartara, & beatæ vitæ lumen tenebricoso carceri inuexit, ornauit animas intuitiua Deitatis visione, easque gloriæ lumine perfudit. Illicò de impolluto latere, & emortuo, sanguis mortuus, aqua mortua scaturit, & virtute mirabili ad regionem mortis permeat, vt sentiat virtute mortui, & sanguine illius intinctos beatifica gloria perfrui, & postmodum resurgente Christo corpora resumptura vitæ immortalis formam.

Cum vinctis in carcere tenebrarum anima Christi beat, de illius impolluto latere sanguis mortuus emanauit.

In sanguine testamenti de corpore emortuo emanante *emisisti vinctos tuos de lacu.* Formauit ergo nouus Adam somno mortis correptus nouam Euam, antea per peccatum mortuam, nunc viuam & matrem omnium viuentium generat, & parturit è latere mortuo, vt cum Eucharistiæ Sacramentum de costa percussa manare viderit, edisc at de morte viuere, & de exemplari mortuo fingere imaginem viuam.

Nouus Adã in emortuo latere viuã Euam format.

Discit in Eucharistia de morte viuere Ecclesia.

Aliud Ruperti acumen nequaquam prætermittendum. Enim vero sanguinem testamenti nuncupat illum, qui è lateris percussura fluitauit. Quinimo Christus Dominus Sacramentum instituens Eucharisticum, dixit Discipulis suis Matth. cap. 26. vers. 28. *Hic est enim sanguis meus noui Testamenti.*

D. Mat.

In Eucharistia sanguis noui testamenti.

At vt Testamentum sit ratum, & testantis hæreditas transeat ad posteros, expectanda est mors Testatoris. Testis est Paulus in vtroque iure doctissimus ad Hebræos. c. 9. v. 16. *Vbi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum viuit, qui testatus est.* Et habetur. l. 1. ff. de Testamentis: *Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult.* Hinc fit compertum, cur speciali titulo

D. Paul.

Vt hæreditas testamento signata trãsferatur ad posteros expectanda est mors testatoris.

L. 1. ff.

Sanguis testamenti dicitur cum mors Iesu præcesserat. Instituens Eucharistiã Iesus viuus, seipsum mortuum expressit. Hæreditas æterna vita ex prospectu testatoris emortui. Vinificã imaginem format homo ex prospectu Patris quodammodo mortui.

titulo sanguis testamenti nuncupetur ille, qui è percusso latere Christi manauit, quia iam mors præcesserat testatoris. Porrò cum seruator adhuc viuus in cœna suum sanguinem dedit in calice mystico, eum nuncupans noui testamenti, fuit pernecesse vt in eo repræsentaretur oblatus, & mortuus? Quid inde? Nullus particeps erit æternæ hæreditatis, nec imaginem vitæ habebit æternæ, nisi ex mente obiecta, rememorata, fide credita effigie mortui?

4. Quid plura? Mirum non esset si homo simulacrum vitæ componeret ex exemplari Christi vita defuncti; viuificam imaginem depingit ex aspectu Patris quodammodo mortui. Acumen est Augustini lib. 83. quæstionum, quem recenset Venerabilis Beda ad Hebr. cap. 9. discutit exquisita solertia Pauli effatum. 1. Cor. cap. 13. vers. 10, *Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Sicut Filium, ita & Patrem per ænigma agnoscimus in hac vita; quando aduenerit visio clara, euacuabitur agnitio imperfecta, auferetur, de medio tolletur, qua noscebamus Patrem, ergo Pastor sic cognitus quodammodo moritur. Dabit succum, robur, vitam conceptui Augustinus suis verbis; *Id ipsum moritur quod ænigmate cernebamus, cùm facie ad faciem cernere cœpimus. Conuenienter ergo dicitur moriturum esse quod auferetur, Cùm autem venerit quod perfectum est, auferetur quod ex parte est. Ita nobis quodammodo moritur Pater in ænigmate: & idem ipse fit hæreditas, cùm facie ad faciem possidetur: non quia ipse moritur, sed quia imperfecta in eum nostra visio, perfecta visione perimitur.* Quis dubitet Patrem esse immortalem, ille enim, qui est omnino innascibilis in diuinis, & in humanis, simpliciter est immortalis, dicitur tamen nobis mori quoad esse cogniti in ænigmate, cùm cognitio Patris imperfecta, adueniente perfectiore euacuatur, & aboletur. *Ita nobis quodammodo moritur Pater in ænigmate: & idem ipse fit hæreditas, cùm facie ad faciem possidetur.* Vt hæres hæreditatis possessione donetur, necesse est vt possessor moriatur, possidet hæreditatem æternus Pater, imo ipse est hæreditas, vt ergo Pater hæreditatem tradat Filiis, & Filij sint hæredes participatione diuinę visionis, Pater quodammodo moritur; vt homo & ad conspectum Filij mortui, & intuitum Patris quoad obscuram cognitionem quodammodo morientis, vitæ æternæ speciem efformet.

Beda.

Visio fidei qua agnoscimus Patrem, euacuatur visionem per claram.

D. August.

Quod ænigmate cernitur in via, in patria, quodammodo moritur. Quod aufertur moritur. Quoad ænigmatis cognitionem Pater quodammodo moritur.

Vt Pater fit hæreditas hominis, quodãmodo moritur.

5. Mosaico honori detraxit populus Israëliticus grauiter, nec vir ille admirandus liuidorum latratuum Scyllas euitare potuit, nec molarium detrahentium morsum; illicò pœnas talionis à Domino inflictas subeunt, qui Moysi maledicentiæ dentem infixerant, ipsumque carpserant, venenatorum draconum dentes experti sunt, & morsibus ignitorum serpentium exterminati confugiunt ad Moysen, plagæ inhibitionem, sanationem vulnerum, & misericordiam expostulant. Numer. cap. 21. v. 8. ad Moysen pro populo orantem dicit Dominus; *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet.* Cur non iubetur Moyses ponere pro signo sanitatis, & vitæ Cherubim, arcam, propitiatorium, aut virgam Mosaicam miraculorum operatricem? Quæ enim mare diuiserat, effrænes fluctus frænauerat, & creaturas omnes contra Tyrannum Pharaonem militare fecerat: inhibebit modò colubrorum assultus, rabidos, & virulentos morsus. Cur his omnibus omissis, in quibus erat prodigiorum operatrix virtus, & languorum medela, ad serpentem iubetur recurrere? Quæstionem hanc excitat, & solutionem proponit singulari acumine Germanus Patriarcha Constantinopolitanus oratione de Sancta Cruce: *qua de causa cùm populus à serpente morderetur, & moreretur, præcepit Deus vt spem vitæ suspensam haberent ab æneo serpente in altum elato? Cur non permisit Deus vt oculos conuerterent ad mirandam illam & miraculorum effectricem arcam, sicque curarentur? Vbi vero virga Mosaica, quæ serpentes magorum deuorauit? Cur non & ipsa in serpentem vt olim commutata, absumpsit illos in eremo serpentes?* Habent eiusdem Germani verba, quibus dubitationi occurrit, non minorem leporem, quàm argutiam. *Sciebat Christum cum iniquis reputatum iri, & inter maledictos numerandum propter Crucis supplicium, eam ob causam asciscit quoque effictam speciem serpentis, tanquam nigri cuiusdam coloris, qui maledictis, & deuotioni obnoxiis, proprius est.* Si humana regula metiremur hoc factum, aptius foret simulachrum quoddam pulcherrimum in columna suspensum, pro signo & antidoto sanitatis, vt ad eius intuitum corpora serpentinis morsibus deformia, pristino decori restituta comparerent; liuidus agonizantium color, mortisque pallor abolerentur. Non ita. Ast nigricantis, horridique serpentis figura obiiciatur obtutibus infirmantium, penè obtenebratis oculis morientium, vt ex conspectu tenebricosæ formæ lux vitæ omnibus affulgeat. Instruebat exinde Deus homines, vt ex specie maledicti, benedictionis formam sumerent; ex deformitate, pulchritudinis pigmenta mutuarent; ex mortis ænigmate, imaginem vitæ. Amplificat conceptum superiori themate propositum idem Germanus, eleganter quidem: *Necesse enim habuerunt & illi, qui prius à serpentibus icti fuerant, ad eum, qui ex columna suspensus erat, serpentem, oculos leuare, quasi aliter eis vita non esset obuentura, quàm ab intento aspectu in illum. Et nunc nos, quibus ante oculos Iesus Christus depingitur consona diuino psaltæ Dauidi canamus: oculi omnium in te sperant, & tu das escam illis in tempore opportuno. Sacrificatus enim & suspensus agnus Dei, propriam carnem edendam apponit; illis, qui in te spem salutis reponunt.* Decreuit Dominus ex aspectu mortis conferre vitam; iam tunc causa Eucharistici mysterij agebatur, in eo enim conspicantur fideles vitam mortuam, fidesque ante oculos spiritales Christum mortuum depingit, cuius mortis memoria in Sacramento recolitur, vt ex tali intuitu, diuinæ vitæ, & immortalis imaginem sculpant.

Moysi obiurgatores ignitorum draconum dentibus compunctur.

Numer.

Cur nõ arca, aut Mosaica virga ponitur pro signo salutis, in serpentum morsibus, sed serpens æneus?

German.

Serpens typus Christi in ligno suspensi, liuidi, & nigricantis.

Ex prospectu emortua, & tenebricosa forma, lux vitæ morientibus affulget.

German.

Manducantibus diuinũ epulum, memoria Christi mortui in mente proponitur. Effigies mortui vitam donat.

6. Ingressi sunt Moses & Aaron Pharaonis aulam, vt præceptum Domini de celebrando phase populo intimatum, ipsi Regi annuntiarent; *Dixeruntque: Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne forte accidat nobis pestis, aut gladius.* Exodi cap. 5. vers. 3. LXX. seniores eleganter efferunt postrema verba legentes: *Ne fortè occurrat nobis mors, aut cædes.* In cuius versionis enodatione ingenij sui dexteritatem ostentat Sanctus Cyrillus Alexan

Perfectionem adornant, Moyses & Aaron, ne visu mortis terreantur.

Exod.
Lect. Lxx.

Digitized by Google

D. Cyr. Alex.

Infaustum Ægyptijs, & impurum occurrere cadaueri, vel illud intueri.

Alexandrinus lib. 1. de adorat dicens: (*Mos apud Ægyptios inoleuerat, qui adhuc apud idolorum cultores seruatur, vt templa adeuntes vitent, ne cadaueri occurrant. Summam enim impuritatem esse aiunt, non modo sponte illud attingere, sed vel in eius duntaxat aspectum incurrere. Igitur ex receptis apud eos moribus suadet, se pure sacrificare non posse, si aliunde ex improuiso, vbi hoc agere cœpissent, cadauer, aut cædes occursaret, idest vel natura lege mortuus, vel ab homicidis per vim occisus.* Ægyptiorum gens maximè ducitur auspiciis, & auguriis. Pro inauspicato, & infausto habebant diem, in quo pedem efferentes ex propriis laribus, occurrerent mortuo: quare eorum sacrificuli maxima solicitudine procurabant, effugere huiusmodi occursum mortis, ex quo impuri,& contaminati reddebantur. Ex receptis apud ipsos moribus,aiunt principes populi,Israëlitas esse nimis religiosos, non solum vestimenta ad sacrificia,non fucata, non maculam habentia optare,verum etiam aërem purum, liquidum, & salubrem haurire, nullo cadaueris fœtidi spiramine afflari, & purificatos habere oculos, à sordibus & aspectu mortis immunes.

Impurum sacrificium, & contaminatum censent Iudæi, si cadauer, aut cædes eis occursaret.

D. Cyr. Al.

Vt Deo legitime litent, Iudæi existimant vitandum mortis aspectum.

Sanctissimus, & sapientissimus Archipræsul placidè flectit conceptum hunc ad suam mentem, subiungens: *Oportet nos tanquam in deserto sacrificare sanctumque festum Deo celebrare ab Ægyptiorum terris excedentes: vitandus præterea mortis aspectus.* &c. *Ista demum castè omnium principi Deo sacrificabimus.* Excedendum est à sæculi illecebris,& affectibus carnis, tanquam à cadaueribus putridis,& malè olentibus; fugiendum est à facie mortis spiritalis, quæ necem animo inferre consueuit, vt sacrificium sanctum, hostiam immaculatam Deo litare possimus. At pace tanti viri non erit illepida nostra contemplatio, si in hunc modum procedat. Primò, viris iustis semper formidandum,ne ipsis occurrat mors,subitò imparatóque aggrediatur, eosque occupet dies mortis. Potius exeundum in illius occursum continuo virtutis exercitamento, & postremæ horæ commentatione; ex præuentu mortis non amarescit,sed dulcedit supremum fatum in homines ingruens;virque iustus tali meditamento munitus mortem non timet,sed despicit;talique de paratura prouenit nullas ærumnas, certi occasus prodromos, non iudicare insolitas, aut duras. Porro iuxta altiorem contemplationem, Israëlitæ Ægyptiorum moribus innutriti;eorum superstitio animos occupauit,& oppressit;impurum,abominandum,execrandum iudicabant hominem ex mortis aspectu, ideò à mortuò declinant, eiusque conspectum abhorrent. Hæc superstitio vsque ad Christi tempora peruasit apud principes sacerdotum, & primores populi inoleuit. Cum vitant ingredi in prætorium, vbi Iesvs iudicandus adstitit, ne contaminarentur pascha celebraturi. Ioan. c. 18. v. 28. Et cùm eorum aspectibus obiiceret eum Pilatus flagellatum,spinea corona redimitum, clamant inconditis verbis *Tolle, Tolle.* Ioan. c. 19. v. 15. Hugo Cardinalis ita expendit: *Tolle, Tolle ab oculis,& visu nostro.* Et S. Thomas: *Per hoc insinuantes quod nec eum videre poterant. Iob. 21. Dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Sapient. 2. grauis est etiam ad videndum.* Vides anilem,& puerilem illum metum vsque ad Christi tempora peruagasse per Iudæorum animos, cùm abominabiles iudicant vel Christum tangentes, ipsiusque aspernantur aspectum; semper minuti & angusti Iudæorum animi; erat eis Christi mors sicut spectri,aut lemuris visio,qua puelli exhorrescunt, & exanimantur. Semperque in ore habent illud affatum de animi perturbatione promanans: *Ne fortè occurrat nobis mors, aut cædes.* Nos verò qui beamur Christi morte, nequaquam nefastos dies iudicamus, quibus Iesvs Crucifixus, aut illius mors nostris aspectibus occurrat, sed perbeatos, calculoque notandos candido, tunc enim purè, sanctèque Deo litamus, cùm cadauer Dei hominis violenter occisi memoriæ occurrit, cuius intuitu homo aduersus hostes suos roboratur, ad cuius exemplar fides imaginem vitæ immortalis in homine mortali format.

Curandum ne nobis imparatis subito occurrat mors sed vt ei occurramus, vita incontaminata præstolantes eius aduentum.

Superstitiosa Iudæorum cautio ex fuga mortui.

Iudæi abhorrent cernere Iesum flagellatum, & spinea corona redimitum.

D. Ioan. Hugo Card.

Mors Christi Iudæos tanquam spectrum & larua territat.

Mortis Christi aspectus fidelibus suauis, & iucundus.

Ex aspectu mortui Iesu emanat beata vita, & vniuersa felicitas.




Omne robur panis.

In pane Eucharistico vita roborat ad mortem.

Discvrsvs II.

Iesvs mysticum conuiuium parauit, vt instrueret hominem, ad conspectum vitæ fingere imaginem mortis.



IDem met panis viuus,& vitalis alimonia, quæ hominem informat, vt ad conspectum mortis refingat imaginem vitæ; eundem instituit vt ad intuitum vitæ exprimat effigiem mortis: primum simulacrum sculpere iucundius, secundum formare difficilius. Hoc Eucharistiæ exemplare magisterium Isaias promiserat, c. 30. v. 20. *Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem.* Scio quid iuxta historiam de hoc vaticinio iudicent commentatores, pro temporis tamen opportunitate illud de Eucharistia expono, magnum Cyrillum Alexandrinum sectatus, qui iuxta LXX. seniores legentes: *Et dabit vobis Dominus panem afflictionis, & aquam angustam.* illud illustrat,& conceptum propositum exornat: *Factus est nobis (inquit) virtus panis vitæ Dominus noster Iesus Christus.* Et subiungit: *Panis igitur,& aqua viuifica Christus, sed cum sudore, & labore inuenitur. Magna enim bona & eximia non percipiuntur ab his, qui iacent, & delicianur, sed ab his, qui sudores, & labores in hac re collocatos contemnunt.* Et paucis interiectis mentem suam dilucidius explanat: *Panem afflictionis,& aquam angustiæ daturum se, id est vitam, quæ est in Christo donaturum, quam colligere quis poterit,& in animi sui thesauris reponere, non totam & laxam viam ingrediendo, sed potius per angustam portam, quæ ducit ad vitam subintrando.* Panem tribulationis Eucharistiam,aquam angustiæ eius gratiam nuncupat, vt viam adeundi conuiuium sacrum, & paraturam recipiendi panem vitæ, demonstret. Non enim requirit hic cibus homines remissos, languidos, stertentes in virtutis stadio,sed alacres, maceratos ærumnis, induratos laboribus;est enim instar virtutis,imò virtus ipsa, quæ semper in arduis nidificat, & sectatores allectat per tribulationum ardua, & angustiarum prærupta repere, vt eius fructum possint

Isa.

Cur in Eucharistia panis arctus,& aqua breuis contineatur?

D. Cyr. Al. Lect. LXX. Isa

Panis afflictionis dicitur, quia cũ sudore,& labore inuenitur.

D. Cyr. Alex.

Fructibus Eucharistiæ perfruitur, qui per angustam portam perfectionis intrat.

Panis afflictionis Eucharistia nuncupatur quia angustiatis, & tribulatis dulcius sapit.

possint obtinere. Nuncupatur panis afflictionis & angustiæ, quia afflictis, tribulatis, angustiatis dulcius sapit hic panis; tales enim omnem dulcedinem & oblectamentum in eo reconditum degustant. Verba Cyrilli secundo loco posita mentem nostram perbellè exprimunt: *panem afflictionis, id est vitam, quæ est in Christo donaturum, per angustam portam subintrando.* Quid hoc est, nisi admonere, per viam mortis perueniri ad vitam, & ad intuitum vitæ formari imaginem mortis? Comprimendæ sunt affectiones humanæ, caro spiritui subiuganda, quædam diuisio facienda gladio spiritus, passionibus animi, sensibilium appetentiæ inferenda mors, egregiæ mortificationis pigmentis homo colorandus, qui fructum vitæ percipit æternæ. Nec prætermittendus Vulgatus, qui summum continet leporem: *panem arctum, & aquam breuem*, quibus verbis nequaquam existimes esse illiberalem huius panis & aquæ auctorem, parcum & tenacem in conferenda militibus suis annona; est enim mensa magnifica, cellaria abundant panibus, quos largitur summa liberalitate; hinc scaturiunt perennes, & largissimi aquarum, hoc est gratiarum latices: nuncupatur tamen *panis arctus, & aqua breuis*, quia hanc arctitudinem, & breuitatem requirit in suscipiente; instruit hominem panis vitæ, coarctare se ad humana, abbreuiare ad terrena, sed dilatare ad cælestia, & diuina; eum qui huius vitæ fastu turgidus à via sapientiæ exorbitat, continentiæ retinaculis coërceri, & flecti errantem ad virtutis semitam, vt teneat moderamen, paucioribusque sit contentus: Docet hic panis exultantes carnis motus velut luxuriantes frondes demetere falce virtutis, & indociles affectus coërcere timoris diuini lupatis, totumque corpus cingulo castitatis constringere. Vidisti milites Christi diuino cultui mancipatos, circulo quodam seuerioris disciplinæ clausos, ne erumpant ad illicita perpetranda; aut ieiuniis aridos, pœnitentia emarcidos, sacco indutos, lacrymarum fluentis exesos? Hoc mortificationis simulacrum de alimento vitæ prouenit, hæc mortis species, & hominis mundo mortui imago ad intuitum vitalis alimoniæ componitur: *panem arctum, & aquam breuem.* Coarctauit se Verbi immensitas ad huius corporis passiones, constrixit se Crucis morte, & angustia sepulchri, abbreuiauit se ad panis frustum, & breuiorem micam; vt hæc omnia commentans recepturus cibum vitæ, motus corporis improbos coërceat, inordinatos constringat affectus, vitæ superflua tanquam vestis lacinias amputet, sese exhibeat huic sæculo mortuum.

Ad intuitum vitæ, mortificationis effigies formatur.

Panis arctus, & aqua breuis Eucharistia dicitur, quia instruit hominem coarctare se, & abbreuiare ad terrena, dilatare ad cælestia.

2. Plasmato, & viuificato homini, Dei halitu, intimauit conditor præceptum comedendi de omnibus lignis paradisi, & arbore vitæ; & abstinendi de arbore scientiæ. Genes. cap. 2. v. 16. *Præcepitque ei dicens: ex omni ligno paradisi comede, De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Vt vita perenni viueret homo, & cibari debebat de ligno vitæ, & de arboris vetitæ fructu esse abstemius. In hoc Dominico imperio hæret quasi in salebra Apelles, & quæstionem commouet, quod homo sibi meliorem vitam præstare potuisset, quam Deus donasset. Ambrosius quæstionem proponit verbis suis amplificatam lib. de paradiso cap. 5. *Quomodo lignum vitæ plus operari videtur ad vitam, quàm insufflatio Dei? Deinde si hominem non perfectum fecit Deus, vnusquisque autem per industriam propriam perfectionem sibi virtutis adsciscit: nonne videtur plus sibi homo acquirere, quàm ei Deus contulit?* Si ligni vitæ fructus facit hominis perennare vitam, iam humana industria homo plus sibi acquirit, quàm diuina potentia donaret; nonne habitus de Dei ore promanans sufficientior, vt vitam conferret æternam, quàm arboris fructus? Si hic ore clausus, dentibus diuisus, ventre decoctus, natiuum fouebat calorem, restaurabat amissum; quanto efficacior ille vitalis halitus insufflatus à Domino, humanum corpus permeans vegetaret, & roboraret ad vitam? Semper ignorantia, & inscitia accumulant superfluas quæstiones, quas sapientia dissoluit; prouocantque Ambrosianum pectus, vt ex eo fundat latices sermonis, quibus improbæ mentis feces lauet. Loquax Apelles est, sed non rectus pensitator sacri eloquij; velut aranearum cassides Hæretici tricas exufflat, & perdit Ambrosius dicens: quod homo erat *in quodam pignore vitæ, quia habebat insufflationem Dei. Habebat ergo pignus immortalitatis, sed in vmbra vitæ positus; absconditam vitam cum Christo in Deo, vulgari quodam tactu & aspectu videre, & capere non poterat. Ergo inter insufflationem Dei, & lignum vitæ nulla discretio.*

Genes.

An ligni vitæ esus homini plus proficeret ad vitam, quam insufflatio Dei.

D. Ambr.

Apelles inscitia coarguitur, & obiurgatur à S. Ambrosio.

D. Ambr.

Habebat homo pignus immortalitatis, & vitã in Christo absconditam quo sensu.

3. In quo commate profundior est Ambrosius, cuius verba lectorem non attentum fugiunt. Tenebat (inquit) homo in statu Dei, in ligno vitali pignus vitæ & immortalitatis. Si ex insufflatione Dei spiraculum, & spiritum vitæ accepit homo, si ligno vitæ erat natiua virtus præcauendi à corruptione corpus, non pignus sed possessionem vitæ & immortalitatis accepit. Intende: præsentem vitam Adamo præstitam confert Mediolanensis Antistes cum vitæ participatione, quam habemus ex sacro Eucharistiæ epulo, cuius pignus ait, esse Dei flatum, vitæ lignum. Id indicant non obscurè Ambrosiana verba: *Absconditam vitam cum Christo in Deo vulgari quodam tactu, & aspectu videre & capere non poterat.* Hoc munus viuendi possessione vitæ Dei, Creator ad tempus gratię reseruauit, in quo licet homini panem vitalem cernere, Christum vitam nostram tangere, & epulari, hic cibus non pignus vitæ est, sed ipsa vita, qua viuit homo vita naturali, & vita gratiæ cælesti, in eoque oppignerata est futura gloria. Nec minus arcana sunt antecedentia Ambrosij verba: *In medio paradisi & vita erat & causa mortis. Intellige quia non homo fecit vitam, sed vel operando, vel custodiendo mandata Dei, potuit inuenire. Erat autem vita sicut Apostolus dixit* (ad Coloss. c. 3.) *abscondita cum Christo in Deo.*

D. Ambr.

In medio paradisi & vita erat & causa mortis.

4. Habebat homo immortalitatem non ex natura, sed gratia, vnde Dei flatus terrenum plasma viuificum reddidit rationis particeps, & arbitrij, vt liberum illi esset eligere vitam, aut mortem; lignum vitæ suppetias, & vires conferret Adamo, vt vitam in æternum prorogaret; hoc tamen lignum propositum est tanquam præmiũ virtutis, & parsimoniæ palma; vt in æternum viuere daret, si à cibo vetito abstineret manum, & gustum; inter mortem & vitam homini collocato, duo imperata sunt illi iniuncta à Deo, vt ederet de vitæ arbore, & ligni scientiæ fructus dulcedinem appetitui pernegaret: inueni re-

liceba-

Immortalitatis consequendæ via, affectuum mors & voluntatis abnegatio.

licebat homini vitam, sed vnica via nanciscendæ immortalitatis, erat illi mors; vt comedens ex vno, ab altero se cohiberet, appetitum frænaret, abnegaret voluntati epuli voluptatem; Deum amans, se abnegans, quasdam in se manus iniiceret, concupiscentiam iugularet, appetentiam interimeret. Auebat Deus vt homo pomum vitæ cernens, eius dulcitudinem libans, in se ipso operaretur mortis speciem, cùm pomum scientiæ oculis iucundum, sensum titillans, voluptuario gustui denegaret. Fœlix mors, quæ protoplastum à morte animi, corporisque immunem redderet, immarcessibili, & nunquam interituræ vitæ diademate coronaret. *In medio paradisi & vita erat, & causa mortis.*

Ab intactu ligni scientiæ tenebatur homo formare speciem mortis.

5. Non ignoras, Magdalenam cùm viueret iuxta imperium, & nutum suæ voluntatis, & Voluptatis, imaginem formasse perpulchram, iuxta huius mundi figuram; in qua non defuerunt stibium oculis, pigmenta vultui, purpurissum genis, crispantes aureique cincinnuli fronti, margaritæ pensiles auribus, monile pectori; verumtamen eminebat in primis super omnem fucum, ætatis floridiæ natiua venustas, in labiisque gratiarum lepores; iuxta sæculi vitam, & lasciuientis veneris exemplar comparata est hæc forma. Cerne modo gratiam, quanto artificio deuenustet hanc profanationis speciem; cùm comparere curat coram I e s v in conuiuio Pharisæi recumbente, abiicit ornamenta, vitiorum irritamenta, & à vultu diuinus amor omnem fucum, & peregrinum colorem abstergit, induit tamen pœnitentiæ formam, incultam illam quidem, & squalidam, cœlicolis tamen periucundam, & diuino sponso, gratissimam: quod speculum consuluit Magdalena, quod exemplar sibi proposuit, vt hanc imaginem, fœminæ mundo immortuæ, effingeret? Haud dubio panem vitæ. Ita censet parens ille cuius est aurea eloquentia Tomo 6. Serm. in peccatricem, dicens: *Quæ aliquando fuerat lasciua, atque impudica, nunc facta est modesta, ac casta; quæ quondam fera, nunc autem ouis: olim peccati serua, at nunc per pœnitentiam libera: olim meretrix, nunc verò honesta, atque pudica. Et sanè cùm auxilium persensisset, alacri mox animo venit ad redemptorem: cernens in mensa Dominum, non quæsiuit sicut Chananæa micas, sed ipsum panem vitæ amplexa est.* Mirabilis mutatio dexteræ excelsi, vitam turpem in honestam transferentis, mulierem decoram spoliantis omni mundo muliebri, exuentis eam mundo, & mundialibus oblectamentis, componentis in ea egregium pœnitentiæ simulacrum; audacter irruit in conuiuarum triclinium, pedibus Christi adhærens imprimit eis suauia, amplexata est lignum vitæ, vt in ipso radicaretur, non mensæ reliquias colligit, sed ipsum vitæ panem tenet: ipsum panem vitæ amplexa est. Ad cuius præsentiam, & intuitum, effigiem fœminæ exomologesim operantis, huic sæculo mortuæ, Diabolo & pompis eius abrenuntiantis repingit.

Mariã figuram Magdalena ante cõuersionem prætulit.

Pœnitentia imaginem incultam, & squalidam Magdalena fingit ad cõspectum panis vitæ.

D. Chrys.

Non quærit instar Chananæa in mensa micas, sed panem vitæ amplectitur.

Cant.

6. Illa verba Cant. cap. 2. v. 3. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* De Incarnatione verbi accipit Rupertus, & de fructu virginalis ventris, quando dulcedinem arboris vitæ, suo in vtero plantatæ prima gustauit Deipara. In hunc modum scribit lib. 1. in Cantica, loquens pro Dei Genitrice: *Fructus eius dulcis gutturi meo, idest cordi meo. Quis vestrum nescit, quòd sit fructus eius dulcis? Expulit enim à nobis amaritudinem mortis, & vita æterna dulcedinem indidit.* Quo in loco pensitandum, cur in filij Dei generatione dicatur Maria esse sub vmbra Filij, quem generat? quo pacto inumbrata quæ in aula vteri Virginalis claudit solem, qui vtrumque orbem, & cœlestem, & terrestrem sua luce clarificat? In Maria non est locus vmbraculi, quæ non arcet solis ardorem, & lumen sed eis tantopere illuminata, & calefacta cernitur, vt igne diuinitatis immersa, & ipso sole prædicetur amicta. Quo modo ergo in vmbra filij, in vmbra solis Maria, quæ radiis solaribus tota redditur illuminata? si de inumbratione Spiritus Sancti sermocinaremur, non esset ambigendi locus. Quis nesciat, sancto Spiritu obumbrante protectam, vt creatura posset generare creatorem; loquitur Maria in præsentiarum de vmbra, quam habuit sub ligno vitæ I e s v, cuius fructus dulcedinem prima delibauit: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi. Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Erat in vmbra Deipara, quia carnis obiecta nube, solem Deitatis inumbrabat, quia Deitati superinducebat vmbras, in quibus posset delineare mortale corpus, & in ipsa vita Dei colorare imaginem mortalitatis. Tenebis mentem, conceptusque tibi arridebit, si verbis Ruperti præclara verba sancti Bernardini Senensis annectas. ex tom. 3. serm. 6. art. 1. cap. 1. ibi perquirit quod fuerit primarium obiectum, in quod tenderet mens, & voluntas Mariæ, in admirando illo consensu, quem dedit ad Incarnationem filij Dei? & respondet fuisse Filium Dei, imo & Trinitatem totam; ad cuius intelligentiam perfectissimam eleuata eius mens, ad cuius vnionem, & transformationem per charitatem euecta eius voluntas. Scribit Bernardinus: *Hoc autem erat summè dilatari, & erigi in abyssum Trinitatis, & vnitatis, idest in personalem, & originalem habitudinem, secundum quam in semetipso existit, & secundum quam refertur ad Patrem, & ad spiritum sanctum à se procedentem.* Erecta est mens Deiparæ ad perfectissimæ intuitionis, & inusitatæ visionis fastigium, ad quod vix creatura vlla aspectabilis, vel inaspectabilis pertingere valuit; dilatata est ad abyssum Deitatis, ad nationes, relationesque Personarum; æquum enim erat, vt mater conceptura filium, ipsum perfectissimè agnosceret, eiusque parentem ab æterno generantem, sanctumque spiritum patronum, auxiliatorem tantæ generationis; in Filium tamen, quem communem eumdem met habebat cum Patre, eximio ferebatur affectu, in eiusque amorem effusa sunt pietatis viscera. De affectu Marianæ voluntatis subnectit sequentia Bernardinus: *Et iterum inuiscerari illi admirandæ humiliationi, quam Filius Dei volebat assumere, ita vt semetipsum inaniens, fieret infantulus, & passibilis in vtero eius, & pœnas acerbissimas pro peccatis omnium subiturus, & exemplar Crucifixæ vitæ omnibus expressurus. Hoc ergo fuit consentire in Crucifixum, seu crucifigendum.* Eodem spiritu afflata, quo facta est fœcunda, in arcanum diuinæ sapientiæ consilium introducta est, vt reciscere filium à se generandum, vt orbem redimeret, suo sanguine chirographum Adami deleret, & morte Crucis ad iustitiæ æqualitatem satisfaceret offenso Patri. In cœlesti ergo curia, & sanctissimæ Triadis Consessu,

Rup.

Fructus Virginalis expulit à nobis amaritudinem mortis & vita dulcedinem cõmunicauit.

Quo sensu Maria, sub vmbra filij dicatur viuere?

Quo sensu Deipara à sole inumbrata & illius radijs tota illuminata?

Inumbratur à Deo, & ipsum inumbrat cum eo illo imaginem mortalitatis colorat.

D. Bernard.

Obiectum primarium à quo excitata Deipara ad consensũ incarnationis, fuit Dei filius, & tota Trinitas.

Maria relationes, & notiones diuinas cognitione perfectissima vidit.

D. Bern.

Crucifixæ vitæ exemplar sibi Maria proposuit.

In filium Crucifixum, & crucifigendum consensit.

Confessu, MARIÆ expectatur assensus; quare cum dixit fiat: consensum præbuit incarnandi ex ea filij, mortalis, patientis, in Cruce morientis, *Et qui pœnas acerbissimas pro peccatis omnium subiturus, & exemplar crucifixæ vitæ omnibus expressurus.* Cùm ergo filium generat MARIA, imaginem, & similitudinem Dei hominis pro communi salute morientis efformat; cernat ergo superno intuitu ad efformandum hoc cœleste simulacrum ex diuina, & humana natura compactum, Cruci, & morti iam deuotum; sanctæ Triadis arcana, Deitatem, vitam Dei; ad horum intuitum imaginem morientis depingit, & exemplar vitæ crucifixæ omnibus exprimit. Ex quibus leni decursu ducimur, ad intelligentiam vmbræ Virgineæ, cùm lumen vitæ, & iustitiæ solem suo comprehendit gremio, & ei, qui habet ex natura esse diuinum, dat humanum, cùm Dei dulcedinem degustat ex arbore vitæ, in terra virginea plantatæ, sedet in vmbra mortis Filij sui, cùm illum concipit destinatum Crucis ligno, oblatum passioni, & obtenebratum cernit mortis vmbraculo, quæ maior vmbra obtenta Deo, quàm eius occasus; sedet in filij vmbra, cùm in ligno pendentem considerat, & alarum Dei protegitur velamento. Tunc enim cùm vitalis ligni delibat alimoniæ dulcedinem, ad conspectum vitæ, quæ Deus est, format imaginem mortis.

Maria cum sanctæ Trinitatis arcana & Deitatem cernit, exemplar crucis, & mortis sibi proponit.

Cùm delibat Maria panis vitæ dulcedinem, sedet, in vmbra filij crucifixi.

Ad intuitũ vitæ format imaginem mortis.

7. Præsentiscens anima præsentiam sponsi, properauit adaperire ianuam dilecto, eùmque introducere in domus penetralia. Cant. cap. 5. vers. 5. inquit ipsa: *Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham.* Si surrexit, quo pacto myrrhata est, omnésque digiti diffluunt myrrha? Myrrhæ condimentum cadauera à putrilagine præseruat, potiùs esset corpori sponsæ in tumulo iacenti, quàm à grabato mortis surgenti. Surgit non de feretro mortis, quæ sponso viuens Christo, bonos spirabat odores; sed de quodam corporis corruptibilis ergastulo, & huius sæculi oblectamentis, quibus præpeditur anima, & lassatur in virtutis curriculo, ne conuolet celeriter ad sponsum. Aliam myrrham, & quidem pretiosiorem, & suaueolentiorem detulit sponsa sacra, vt oppessulatam ianuam adaperiret, obices auferret; qualis illa sit, quam grata sponso, quàm opportuna ad illius occursum, scribit S. Ambrosius lib de Isaac c. 6. *Surrexit aperire, & opera eius, & facta mortificata sunt mundo. Talis enim debet esse anima, quæ Verbum est receptura, vt moriatur in mundo, & consepeliatur in Christo. Sic enim Christus inuenitur, & tale sibi quærit hospitium.* Cernis quale tabernaculum sponsus requirat, in quo sit mortis forma, figura sepulcri; auet sponsus, vt sponsa moriatur mundo; omnia opera, & facta perfecta mortificatione resplendeant, & cum Verbum introducit veram vitam in pectoris adyta, ad conspectum diuinæ vitæ intrantis, fingat imaginem mortis, similitudinem sepulcri, quò consepeliatur in Christo.

Cant.

Quo pacto myrrha diffluit sponsa, cùm resurgit?

Sponsa mortis myrrha aperuit ianuam sponso.

D. Ambr.

Sponsa mũdo mortua, vt recipiat sponsum.

Vitam recipiens speciem mortis format.

8. Optima paratura nos instruit sapiens, vt accedamus ad conuiuium regale, & sedeamus ad mensam Dynastæ. Prouerb. cap. 23. vers. 1. *Quando sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Perbellè hunc locum expendit de sacra Eucharistia sanctus Augustinus, secutus lectionem LXX. interpretum: *Si sederis cœnare ad mensam potentis, considerans, intellige quæ apponuntur tibi: & sic mitte manum tuam, sciens quia te talia oportet præparare.* Versionem istam, & propositum à nobis conceptum exornat Aurelius verborum suorum luminibus tract. 84. in Ioannem dicens: *Nam quæ mensa est potentis, nisi vnde sumitur corpus, & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis? Et quid est, ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est, considerare, & intelligere, quæ apponuntur tibi, nisi dignè tantam gratiam cogitare? Et quid est, sic mittere manum, vt scias quia talia te oportet præparare: nisi quod iam dixi, quia sicut pro nobis Christus animam suam posuit. Sic & nos debemus animas pro fratribus ponere.* Eò tendit desiderium sapientis, & mens Augustini locum exponentis, vt accedentes ad conuiuium sacrum, & Christum panem viuum comedentes, ad conspectum vitæ fingamus imaginem mortis, pro Christo morientes. Quàm illustres artifices, inclytique pictores Martyres, qui ex mensa Eucharistica tales vires acceperunt, tantam dexteritatem mutuarunt, vt perfectissimam formarent imaginem mortis. Subiungit Augustinus: *Hoc est talia præparare, hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt, atque in conuiuio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet, vt quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus.* Hæc Aurelianus.

Quæ paratura animæ exigatur ad regale conuiuium?

Prouerb.

Lect. LXX.

D. August.

Considerãda fercula in Eucharistiæ mensa proposita.

Sublimior in Eucharistia cõtemplatio: sicut Deus pro nobis animam posuit, animam pro ipso ponamus.

Qui edit vitam, de morte sua cogitet.

D. August.

In cælesti cõuiuio martyres parati sũt ad mortem.

9. Maiorem vim, & leporem ad conceptus propositi decorem habet Vulgatus, cùm opportunum, & acerbum consilium indit accumbenti ad Principis cibillam: *Statue cultrum in gutture tuo.* Vt attento animò pensitans fercula ante faciem posita, iugulo imponat gladium, velut sacram victimam se litet Deo, & morti deuoueat. Conuiuatorem non absimilem ab eo, quem exigit sapiens, Dionysius Tyrannus introducit; Damoclem nimirum Siculum, vrbe Syracusanum, qui inter opiparæ mensæ dapes, & natantia pauimenta vino, sentiebat acuminatum mucronem gulæ minitantem. Rem totam narrat exculto & sublimi eloquio S. Sidonius Apollinaris Auernorum Episcopus lib. 2. epist. 13. *Cúmque pransuro Sardanapalicum in morem, panis daretur è lentina segete confectus: insuper dapes cultæ ferculis cultioribus apponerentur: spumarent falerno gemmæ capaces, inque crystallis calerent vnguenta glacialibus, hinc suffita cinnamomo ac thure canatio spargeret peregrinos naribus odores, & madescentes nardo capillos, circumfusa florum serta siccarent; cœpit supra tergum sic recumbentis repente vibrari mucro districtus è lacunaribus, qui videbatur in iugulum purpurati iam iámque ruiturus: nam filo equinæ setæ ligatus, & ita pondere minax vt acumine gulam formidolosi, tantaleo frenabat, exemplo, nè cibi ingressi per ora, exirent per vulnera.* Isti præter spem, extra libitum, statutus est feralis culter iugulo, vt cibos diuidens, molares commouens gulam ferri acie succinderet, & per apertutam simul cum esca sanguinem, & animam euomeret. Intellexit ex hoc, persæpè eos ferro opprimi, qui aurum premunt, ærumnas quandoque latitare sub purpura, ad regales infulas, dignitatis apicem, beatos vulgi opinione tendere, ast certè miseros peruenire. In mensa summi Regis, & pastoris non tyrannica fraudulentia elusi, sed amoris diuini blandiciis allecti, non formidolosi, sed animosi recumbunt, qui panis cælestis robore exciti, parati sunt

Damoclis deliciosè cœnantis gulæ, minabatur euaginatus mucro.

S. Sidon.

Opulentus mensæ illius apparatus à Sidonio describitur.

Sub huius sæculi copiis, & deliciis latitant ærũnæ.

Digitized by Google

In sacro conuiuio pardantur fideles date gladio iugulum, & imaginem mortis ostentant.

sunt datæ gladio iugulum, sagittæ, & lanceæ pectus, lanionibus discerpendum corpus, quotidie morientes, quotidie simulacrum mortis in seipsis ostentant. Denique cibus, & potus vitæ statuit cultrum in gutture, & gulam, iugulat, quia cibi, & potus in homine nimiam coërcet appetentiam, creat viros parsimonia illustres, & abstemios.

10. Mirabili artificio depingit sponsa speciem, & similitudinem mortis, cùm contemplatur in Eucharistico epulo diuinam vitam: Angelis, & hominibus annuntiat descendisse IESVM ad topiaria, areolasque aromaticis flosculis suaueolentes. Cantic. cap. 6. vers. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* L X X. seniores legunt: *ad phialas aromatum.* Quam versionem illustrem reddens Nyssenus ait: vnamquamque animam in se recipientem diuinum mustum, esse quasi auream phialam lapidibus Indicis ornatam, carbunculatis Christi sanguinis gemmis renidentem. Sic ait homil. 15. in Cantica: *Aromatis est phiala, qui talis est, vt sapientiæ crater factus, diuinum & incorruptum vinum in sese recipit, quo, qui recepit, exhilaratur.* Cernens ergo se anima craterem factam, in seque recepisse diuini lateris lancea percussi, fontem, & gratiarum latices de domo sapientiæ scaturientes, iisque redimitam, quid pro tanto munere rependat sponso, secum pensat, & sancto Spiritu afflata, in illum cogitatum incurrit, in talem affectum prorumpit ibidem. vers. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Dabo tibi arcani pectoris sponsæ scrutatorem, & illius amoris nobilem interpretem, Theodoretum scribentem: *Ex eo pendeo, atque illi me ipsam dicaui. Nam & ipse me orbi prætulit, sibique copulauit.* O generosam animam ex Dei voluntate pendentem ad eius nutum factam, eique dedicatam velut viuam hostiam, & holocaustum, omnes passionum affectus moderantem iuxta Domini sui imperium; quid mirum si anima præferat creatis omnibus Deum; si Deus sponsam suam orbi vniuerso prætulit, vt solo Deo glorietur. Hunc affectum eructat Christi sponsa diuinis dapibus saturata, & musto crateris mystici ebria. Addo libenter tres Patres, Nyssenum, Nilum, Maximum apud eundem Cypri Præsulem fantes? *Ego quippe Deo viuo, mortua mundo, & in me solus Christus viuit.* Viden sponsam mundo immortuam? Cùm in ea solus IESVS viuit, ad conspectum vitæ Dei, & Christi in eius pectore viuentis, ipsa occidit mundo, & perfectæ mortis imaginem format.

Cant.
Quid denotet sponsæ descensus ad areolas aromatũ.
Lect. L x x.
D. Gregor. Nyssen.
Anima diuinum mustũ recipiens, phiala est aromatis.
Quæ sit fidelis, & religiosa anima actio gratiarũ post vitalis cibi esum.
Theodor.
Se ipsam Iesu sponso dedicare illúmque orbi toto præferre qui ipsã orbi prætulit.
Nyssen.
Nil.
Maxim.
Soli Deo viuere mundo mori, & quod in ea solus viuat Iesus.



Omne robur panis.

DISCVRSVS III.

Proprium Eucharistiæ facinus est, valentem reddere infirmitatem, infirmare valentiam.

Pars prima discursus.

Valentem reddere infirmitatem.

1. QVÆ alia infirmitas maior quàm homo, eiúsque caro eneruata libidine, effœminata criminibus, quæ innatis passionibus oppressa, & debilitata languescit? In hac roboranda, vires omnes suas ostentat diuina Christi caro, cùm illam reddit succulentam, & vegetam ad honestas actiones obeundas, viuidósque spiritus indit, vt ex infirmitate, & languore conualescens, animosa, robusta, inuicta reddatur. Mirifica dulcedine affluit Isaiæ sententia, qua Christiani pectoris affectum erga hominem exprimit. cap. 60. vers. 4. *Et filiæ tuæ de latere surgent.* Habet IESVS filios, & filias de latere enixas, habet apertum latus, per quod nouam progeniem, cælo destinatam, parturit; in cóque sinu nidificantes paruulos enutrit, & roborat: *Perforato enim* (inquit Hieronymus in Glossa ordinaria citatus,) *in Cruce, Domini latere, effluxit sanguis redemptionis, & aqua Baptismi, de quibus facta est Ecclesia, ex costa lateris Adæ mater omnium Eua.* Pulchra similitudo inter vtrumque Adamum terrestrem, & cælestem: ædificatur Eua de latere Adami dormientis, formatur Ecclesia de latere Christi morientis. Apparet tamen dissimilitudo non exigua; formatur Eua, sed non enutritur, non roboratur de latere viri, quinimo prona ad casum, habilis ad ruinam, non solum infirmata in præcepti transgressione, sed viri quoque robur debilitat, & vigorem mentis effœminat. Ast in foramine pectoris Christi inuenit homo alimentum, & firmamentum; vtrumque demonstrat hic locus. In quo legit Sanctus Hieronymus in textu: *Filiæ tuæ lac sugent.* Ex Hebræo Pagninus: *iuxta latus nutrientur.* Tigurina: *ad latus fouebuntur.* Et Leo de Castro: *super latus stabilientur.* Foreriúsque: *ad latus stabilientur, confirmabuntur.* L X X. *super humeros portabuntur.* Nempe Dei, quibus nihil firmius esse potest. Cerne IESVM, & Patrem, & Matrem, & nutricem hominis. Patrem dum generat ad vitam, & nobiliorem Dei prosapiam; Matrem, cùm filios, per apertum, & impollutum latus fudit; nutricem cùm eos lacte corporis, & sanguinis sui educat. Haurit alimentum homo de puncto latere, & inuictum robur mutuat: *Super latus stabilientur.* Hoc in loco proponitur homo velut tener pusio imbecillis, omni ope destitutus, qui vberum candido latice, materni gremij accubitu, manuum stabilimento indigeat. Audi Clementem Alexandr. lib. 1. pædagogi cap. 5. locum Isaiæ expendentem: *Pueli eorum super humeros tollentur, quidquid autem est imbecillum & tenerum, vt quod propter imbecillitatem auxilio egeat, gratum est, iucundum, & delectabile, animosa anima facultate ei quod est tantillum, auxilium ferente.* Vt imbecillitatem hominis enuntiet sacrum eloquium, illum æquiparat infantulo aut pupo, qui propter teneritudinem, ætatémque pusillam, nihil firmamenti, aut virium nanciscitur, Materna viscera commouet ad exercitium pietatis, vt ei impendat munus nutricantis, & fulcientis. Sic hominis naturam debilitatam, imbecillam, vacillantem, diuino nutrimento, quod penu aperti pectoris suggerit, reddit IESVS firmam, & stabilem: *Iuxta latus nutrientur: iuxta latus stabilientur.* Pulchrè Euthymius in Psal. 67. ait: *Ecclesia intincta est in Christi sanguine, eo nimirum signata, atque intincta, vt quemadmodum ferrum tinctura, sic & ipsa eius sanguine consolidata fuerit, ac roborata.* Hæc ille.

2. Nec immeritò locum hunc iuxta lectionem

Eucharistia carnis infirmitatem roborat.
Isai.
De perforato Christi latere orta Ecclesia, & nutrita.
D. Hier. Glossa.
Pulcherrima inter Euam, & Ecclesiam analogia, & dissimilitudo.
Nõ Adamus sed Christus Euam suam de latere educat.
Christus spõsam, & filiã de latere lactat, fouet, roborat, & confirmat.
D. Hieron.
Lect. Heb.
Pagnin.
Tigur.
Leo.
Fore.
Lect. L x x.
Iesus puellos suos super humeros portat.
Clement. Alex.
Imbecillitati nostræ Iesus in Eucharistia præstat auxilium.
Euthym.

Digitized by Google

Viri, & fœminæ sanctimonia conspicua, de aperto Christi latere sanguine nutricati. Philoth. Zamo. Mont. Mant.

nem illam Pagnini, & Tigurinam: *Ad latus ferebuntur, nutrientur.* Adaptabis viris, & fœminis sanctimonia conspicuis, quæ de sanguineis laticibus lateris Christi, & vulneris nutricati sunt: quid simile de mellifluo Bernardo recensetur à Philotheo Monacho in exordio Cisterc. Patre Laurentio Zamora octaua parte Monarchiæ tract. 18. §. 2. Montaluo tom. 1. chron. lib. 3. cap. 56. quos refert Pater Angelus Manrrique Cisterciensis in laurea Euangelica lib. 1. disc. 3. §. 9. & disc. 4. §. 7. quod ad cælestem contemplationem raptus vidit refixa Crucifixi brachia in eius amplexus ruentis, ipsúmque lateri percusso applicantis, vt roseum cruorem de vulnere Christi manantem biberet. Hinc mellita illa eloquij dulcedo profluxit, & Bernardi ore sæpiùs repetita sententia: *Hinc pascor ab vbere.*

Bernardus de lateris vulnere roseum cruorē haurit.

Eadem amoris diuini demonstratio exhibita sanctæ Virgini Lutgardæ, vt habetur. 1. parte Chron. Cisterciensis. lib. 5. cap. 32. refertúrque ab Alexandro Faiæ nostræ Societatis parte 2. exemplorum. verbo 74. *Vulnus lateris.* Celeberrima quoque est visitatio illa à Cælesti sponso facta sanctissimæ Virgini Catharinæ Senensi, quæ refertur in eius vita formis æneis expressa: inter alias iconas, apparet in decima quinta IESVS satellitio Angelico cinctus, qui brachio omnipotenti dextro Virginem ligans, & amplectens, applicat lateri suo, manúque sinistra attrectans, & aperiens pretiosum vulnus, velut mammam porrigit ori Catharinæ Virginis patulo, vt sanguinis ambrosiam è diuino fonte scaturientem ebibat suauius. Rem totam prædicat ipsius imaginis inscriptio his verbis: *Dum totis visceribus ad calestia anhelat, sponsum videt, qui virginem complexus, eius labia aperto lateri suo amabiliter admouet, qua ergo nuper putredinem ex fœmina infirma apostemate hauserat, paulò post Dominici cruoris potu inebriatur.* In hac Virgine aliisque similibus complementum accipit Isaiæ vaticinium: *Filiæ tuæ de latere surgent,* valentiores, robustiores, feruentiores, animæquiores factæ ad sustinenda quoque dura, & amara pro amore sponsi: *Filiæ tuæ lac sugent,* dulcissimum diuini cruoris, supernæque dulcedinis, quæ per lateris aperturam tanquam per aureum siphunculum, & cælestem fistulam deriuatur. *Ad latus nutrientur.* Tanquam filiæ dilectæ, & æterni Regis sponsæ Dominico cruore. *Ad latus stabilientur.* Quid de latere Christi aperto hauriet humana infirmitas nisi robur, & firmamentum in virtute spectanda, adamantinum pectus ad retundendas hostiles insidias?

Lutgarda Christi nutritur ad latus. Chronic. Cisterciens. Faia.

Catharina Senensis à Iesu complexa, vulnus lateris velut mămam aptatur ori virginea.

Anima de Christi latere nutrita dulcedinem, & robur hauriunt.

5. Vt robur adderet Deus Abrahamo ad exantlandos labores, excitarétque ad apicem perfectæ vitæ, cum eo his verbis, fatur: *Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus.* Genesis cap. 17. vers. 1. quæ autem sit vitæ sublimioris imago, & exemplar, quod præ oculis habere debet sapiens Abraham, vt perfectam vitæ similitudinem efformet, declarat Vatablus: *Ita viuito in hoc mundo, vt quæcumque egeris, mihi grata sint daque operam vt viuas inculpatè.* Felix qui operationum suarum testem, & iudicem, & inspectorem Deum contemplatur, qui nihil inuisum diuinis oculis patrare audet, sed tanquam beneplacitum sacrificium cor suum Deo litat, & ad præsentiam Dei omnia collustrantis, & perscrutantis intima pectoris, vitæ inculpatæ imaginem format: Hæc autem nouæ

Abraha à Deo perfecta & inculpata vita præcipitur. Genes. Vatabl.

vitæ institutio ab eo prouenit qui omnia potest: *Ego Deus omnipotens.* Hebraicè est *saddai*, hoc est, *Deus vberum* Sicut enim lactices lactis ab vberibus profluunt; sic omnium bonorum abundantia, & vbertas à Deo promanat. Vim verbi *saddai* exprimit Oleaster: *Si radix*, (inquit, *sit sad, quod est mamma, significabit Deum quatenus ab eo bona fluunt, velut vt est dulcis, quale est lac. Si verò à Saddac quod est sugere*, &c. Hinc existimo gentes supremum numen Iouem nuncupasse Deum mammeum, vberibus & lacte abundantem, vt testatur S Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei c. 11. dicens: *In diuina Rumina mammam paruulo mulgent, quia rumam dixerunt veteres mămam.* Proponebant Iouem tanquam nutricem paruulorum, eos allicientem, & amplexantem, mammas lacte distentas eis porrigentem, & dulcissimum, albidúmque succum labellis instillantem. In prophano, & ementito numine, colorata est mendacio, & adulatione fabula, est tamen adumbrata veri Dei pietas, & charitas erga suos paruulos, quos de sui pectoris vbere pascit, & reficit. Hoc ergo stemmate clementiæ, Dei nimirum mammam, & lac, lacteámque dulcedinem diuinæ naturæ erga clientes, & alumnos suos ostentantis, incitabat Abrahamum, vt in accepto proposito staret, inter aduersa, & prospera inconstantis sæculi non nutaret, sed pectus constantiæ firmamento stabilitum ostenderet; vtpote qui prælibasset mellitam, lacteámque suauitatem fontanæ Deitatis, & innutritus Regiis his dapibus, & vitæ nutrimentis, cœlestis alimenti, & panis baculo fulciretur. Itaque *Saddai, & vber dulci lacte plenum, & mammam sugere* denotat. Auet enim Deus, & mammam sui vulneris porrigere, paruulis, & virginibus circumdari, quæ vbera sugant. De quibus Isaias prædixerat: *Filiæ tuæ lac sugent, ad latus nutrientur.* Ad latus inquam Saddai seu Dei omnipotentis, vt ab vbere omnipotenti alitæ, omnipotentes euadant, vt omnia possint in eo, qui ipsas alit, & confortat; vt *omne robur panis*, & egregium illud cœlestis alimenti facinus eluceat, hoc est: *Valentem reddere infirmitatem.*

Saddai vel Deus vberū Dominus nūcupatur quia ab ipso bona omnia fluūt. Lect. Heb. Oleaster.

Iouem Deum mammeum ethnici nuncuparunt. D. August.

Dei charitas erga suos paruulos.

De Domini lactea dulcedine stabilitur iustus.

4. In conuiuio agni paschalis, & festiuitate Phase, inter alia diuina imperata illud iniunctum Israelitis, quod agnum comederent: *Tenentes baculos in manibus.* Exod. c. 12. v. 11. Cur baculis insigniti, & stabiliti scipionibus agnum deuorant? Vt secum perpenderent, quod mysticus agnus in illo, quem comedebant, adumbratus, & Deificus cruor, quo inungenda hominis labia, linguæ ostia, esset eis pro baculo, & fulcro, quo omnis infirmitas roboraretur. Quid portenderent virgæ, quibus innitebantur conuiuatores isti, exponit Sanctus Gregorius Nazianz. orat. 42. cuius verba annotanda sunt aurea virgula: *Iam de baculo atque eius significatione ita censeo: Hic lex fulcientem baculum tibi præscribit, necubi animo titubes, dum sanguinem Dei, & passionem, & mortem audis. Quin potius sine pudore, & dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vita desiderio teneris; nec sermonibus de carne fidem abrogans, neque ad eos, qui de passione habentur impingens. Innixus sta, firmus & stabilis, atque ita comparatus, vt nulla in re quatiaris ab aduersariis, nec verborum lepore, atque illecebris abripiaris. In fastigio tuo sta, in atriis Hierusalem pedes statue, in petra suffulci, vt tui secundum Deum, gressus non moueantur.* Omne robur, & stabilimentum conuiuantibus à corpore, & sanguine Domini præstitum.

Cur scipionibus stabiliti agni paschalis conuiuat Exod.

Caro Domini infirmitatis humanæ fulcrum. D. Gregor. Nazian.

Professio fidei inconcussa præstanda in diuinis sacris epulis.

Omnis stabilitas ab Eucharistia euenit.

Per

Digitized by Google

Per hoc verborum acroama proponit Nazianzenus: firmat hominis pedes ne labascant voluptatis lubrico, aut rerum mundialium præcipiti torrente abripiantur; manus confirmat, vt ministeria, & operationes sublimes offerant Deo, ad retundendos hostiles incursus, pectus obarmat, & obfirmat; mentem roborat ad fidei assensum, ne hæreticorum verborum fuco, aut lenocinante insipientium sermone quatiatur; præbet voluntati stabilimentum, vt sectetur bonum & verum pulchrum, eique adhæreat. Omni languore, & debilitate infirmatus est homo, cùm ad cibum vetitum accedere præsumpsit; Ast comedens agnum Dei, omnis infirmitas humana roboratur. Præstat mensa hæc scipiones, vt in virtute senescentes firmentur, languentibus pedamenta, vt stabiliantur, vacillantibus fulcra; ne labantur.

5. A venerabili matre Tobiæ mœrore confecta, lachrymis immadescente, suspiriis anhelante propter dilecti filij discessum, non sine mysterio prolata sunt illa verba Tobiæ cap. 10. v. 4. in quibus illum compellat: *baculum senectutis nostræ*, verba Guillielmi hoc in loco sunt notatu digna, arcanum sensum baculi aperientis, ea refert Tilmanus in allegoriis: *Baculus hic caro Iesu Christi intelligitur. Hic enim baculus partem illam Ecclesiæ quæ cæcutiebat, & senescebat in terris, in fine temporum illuminare venerat & fulcire.* Et statim subiungit: *hic est in quo ambulauerunt patres nostri aduenæ & peregrini super terram. In hoc Simeon senex inuenit lumen ad reuelationem gentium, & emortui præ nimia senectute corporis nobile firmamentum. Puto quòd cùm spiritu venisset in templum, & hunc baculum suscepisset in manibus, baculum senibus familiarem, vel obliuioni tradidit, vel abiecit.* Pulcherrimum hoc Guillielmi theorema mentem illuminat, & propositum argumentum roborat. Est enim Christi caro baculus Ecclesiæ senio confectæ, vt tremula, ac senilia membra sustentet, & vegetatione mirabili ad iuuenilem virtutis ætatem reflorescat; tali adminiculo eget fortis, & tenera virtus. Humanæ naturæ marcescentis, & languidæ in curriculo probitatis, fulcrum est, quo debiles artus confortet; inque perfectione sectanda tepore, & torpore discusso, ad nouæ vitæ exercitamenta recalescat; in hoc baculo fluxi huius mundi Iordanem Iacob sanctus permeauit incolumis; antiqui patres huic bacillo nixi, abstracti à mundo, peregrinantes à sæculo, obtinuerunt brauium supernæ vocationis. Viden vt Christifer Simeon in hoc sustentaculo inuenit lumen, & columen: abiecit ligneum baculum tremula senio manus, cùm Deificum pupum, cœli fulcimen, super vlnas accepit, adeò firmatus, adeò stabilitus senex hoc fulcro, vt per medias mortis vmbras sine prolapsione, sine metu, gressus suos dirigere non pertimescat.

Tobias. Guillelm. Tilma. *Caro Christi baculus Ecclesiæ senescentis.* *De hoc fulcro lumen, & firmamentũ venit.* *Simeon Iesu tanquam baculo senectutem suam fulciebat.* *In senio, & labore baculus Iesus extitit patribus.*

6. Celebratissimum Oseæ oraculum, & Eucharistiæ vocalissimum, discutiendum est, ex cap. 14. mutuatum; illud tamen comma versiculi octaui: *viuent tritico*, non dormitantem, sed vigilantem pensatorem requirit. De Eucharistia accipit Hieronymus: *viuent tritico, id est corpore & sanguine Domini.* Glossa Lyræ: *viuent tritico, id est Eucharistiæ sacramento, quod conficitur de pane triticeo, & hic panis dat vitam mundo.* Quem sensum vsurpat maius agmen Patrum. Hæc forsan tibi notissima. In eo tamen vaticinio altius rimandum propositum nostri sermonis. Ferè omnia verba prædicant firmitudinem, quam sacrum epulum confert epulantibus. Hæc sententia præcesserat: *Conuertentur sedentes in vmbra eius.* Vt securitatem, & habitationem inoffensam intelligas, quam Iesus præbet suis conuiuis; quibus virtus, & manus altissimi est pro vmbrosa concameratione, arcens Solis, nimirum æstuantis tentationis, radios, spiritalis auræ flabro mitigans ardores, firmans eos contra impetus tempestatum. Loquitur Sanctus Cyrillus: *Rectè admodum præterea sedebunt, inquit, vt hinc constantia, & firmitudo voluntatis conuertentium se, intelligatur.* Cui consonat quod verbum illud: *viuant tritico.* In scholiis LXX. transfertur: *firmabuntur.* Ast LXX. seniores legunt: *inebriabuntur.* Vt ebrietatem illam mente percipias ab Eucharistia prouenientem, quæ non titubantiam generat, sed firmitatem: *Constantia, & firmitudo voluntatis*, vocatur à Cyrillo. Humana voluntas volubilitatis imago, incõstantiæ theatrum; in feruentiori mari non tot fluxus, & refluxus reciprocantur, aut tumentium vndarum vortices viciniora littora tundunt, quot contrariorum affectuum, & consiliorum in pectore tuo fluctus exundant. Hominis voluntas mobilior, inconstantior ipso petaso est, quem in tectorum fastigio, ventorum flabra huc illuc impellunt. Quis huic sphæræ terrestri, paruoque orbi semper ad praua desideria rotanti, clauum figet, eum reddet immobilem, in virtutis proposito constantem? Panis ille viuificus, cuius egregium munus est homini infirmo, variabili, dare firmitatem: *firmabuntur tritico.* Non erit ingrata relatio subsequentium Cyrilli verborum. Præmiserat illud Psalmi 103. *Et panis cor hominis confirmans.* Et addit: *Spiritualis autem roboris insigne facinus perspicitur, alacriter ad bona operanda incumbere, statuereque insuper charitate erga Deum nihil esse, præstantius, ac citra lapsum, & cum animi contentione, viam eo ducentem, ambulare.* Non in inferiori loco recensendum hoc egregium Eucharistici roboris facinus, quod in perfectionis ardua semita iustus nullis laboribus lassescat, aut feruor ille primitiui spiritus nullis aduersitatibus intepescat; sed constantia semper æquabili, alacri, & expedito cursu ad prehensandam supernæ vocationis palmam, semper gradiatur.

Oseæ. D. Hieron. *A tritico vita profluit.* Glossa.

D. Cyrill. Alexand. *A patre viuo constantia & firmitudo voluntatis oritur.* Lect. LXX *Liberi arbitrij inconstantia, & pronitas ad malum.* *Panis vitæ animi volubilitatem firmat, & roborat ad virtutem sectandam.* Psalm. D. Cyrill. Alexan.

7. Profugum Dauid à facie Saul, commilitonesque suos, ad domum Achimelech sacerdotalibus infulis illustris, intestina fames impulit; vt tempori, & necessitati duræ subseruiat præclarus Antistes, donare parat facierum panes militibus, qui sese in via continuerant à mulieris amplexibus. Postquam Dux Dauid vasa puerorum sancta extitisse pronuntiauit, subiungit lib. 1. Reg. c. 21. v. 5. *Porrò via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.* Quam præclara castimoniæ virtus, cuius puritas tanta est, vt non solis pueris, sed semitæ, qua gradiuntur, terræ, quam pedibus premunt, sanctitatem largiatur. Quid? adeo præclara est religiosa munditia puerorum, pane propositionis altorum, vt ipsum panem sanctificatum sanctificent. Argutè legit Tigurina: *quanto verò magis hodie sanctificatur panis in vase.* Vatablus verò sic expendit: *quanto magis ergo hodie seruabitur in puritate ac sanctimonia sua panis ille in vase ipso in quo reponetur? Hoc est maiore diligentia seruabimus in puritate*

Lib. Reg. *Puritatis virtus tanta, vt homines & semitas quibus gradiuntur, sanctificet.* Lect. Tigur. Vatabl. *Corpus in quo panis sanctificatus reconditur, in sanctimonia seruandum.*

tate

tate sua vasa nostra. Vel curabimus vt panes sancti, quos accipiemus à te, purissimè asseruentur. Verissima, & pulcherrima Vatabli enuntiatio, si eam ad panem vitæ transferas. Non ausim dicere humana vasa quantumuis puriora vel minimam sanctitatem conferre, vel addere gratiarum fonti Eucharistico, aut diuinæ sapientiæ totius puritatis, & sanctimoniæ largitrici; id tamen sine dissonantia probi sensus proferes, sicut ille, qui cum sceleris reatu, & conscientia flagitio obnoxia, cæli panem suscipit, Angelorum panem dedecore afficit, & sordibus peccati deturpat; sic ille, qui pectore mundo, ab omni inquinamento criminis perpurgato, mensæ sacræ fit particeps, hunc panem glorificat, illustrem reddit, & decorum; cùm purè, & sanctè tractatur, à nobis quodammodo sanctificatur, cum inter sanctificatos suos gaudet accumbere, & à creaturis omnibus sanctus per essentiam prædicatur, qui largitur sancta sanctis. Cum verò pectore tuo recondis cœlorum gazas, panem viuum, carnem illam Sole ipso puriorem, cor tuum sponsi cælestis thalamum sincerum, & incontaminatum custodi; dic exultabundus, audacter, & sine fictione: *quanto magis ergo hodie seruabitur in puritate, ac sanctimonia sua panis*, &c. & repete sequentia supra posita: *Maiore diligentia seruabimus in puritate sua, vasa nostra.* Non sum deuius ab scopo discursus, cùm hæc scribo; vnde puritatis robur in carne fragili? In seruanda post acceptum sacrum epulum, animi corporisque sanctimonia, propositi firmitate? Nisi à pane cælesti, quem panis faciërum adumbrabat; ideò illum Dauidi tradidit Sacerdos, vt eum roboraret ad exantlandos labores, vt illum firmaret contra insidias Saulis. Audi Theodoretum in l. 1. Reg. q. 52. arguté fantem: *Cùm sacerdos rogaret, an illo die castus esset, dixit tres dies fuisse castum; & adiecit propter viam propositam necessario erit particeps sacri alimenti, vt ab eo roboratus, quæ sunt ei proposita rectè gerat.* Extitit Dauidi in via panis ille viaticum, & fulcrum: si Dauidis sustulit inediam, subleuauit ærumnas, fortiorem reddidit aduersus hostiles incursus panis ille terrenus, quanto magis cibus cœlestis, & diuinus infirmitatem nostram solidabit, contra irruentes hostium assultus.

Qui purè suscipit panem, illum glorificat, & quodammodo sanctificat.

Panis sanctificatus Dauidi à sacerdote traditur, vt illum in rebus aduersis firmaret, & in bono stabiliret. Theodor.

Leuit. 8. Celebris oblatio recensetur Leuit. cap. 2. similæ oleo superfusæ, quæ deferebatur ad filios Aaron: *quorum vnus tollet pugillum plenum similæ, & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suauissimum Domino.* ibi v. 2. quid innuat holocaustum? quem repræsentet Sacerdos sacrificans? Eleganter aperit Radulphus Flauiacensis, l. 1. in Leuit. cap. 5. dicens: *similæ partem cum oleo ille filius Aaron, manu stringit, & concremandum altari imponit. Quia Christus dextera sua virtute, mentis nostræ infirmitatem à multiplicitate terrenarum cogitationum colligit, & collectam extollit: vt spiritu illius adiuti, saltem ad horam in oratione Domino adstare, & compunctionis igne coram ipso ardere possimus. Neque enim simila partem mediam, sed tantum pugillum plenum in altari cremari præcipit: vt intelligamus hanc viua orationis potentiam, nec ipsis perfectioribus nisi rarò posse conferri.* Quid laboriosius quàm in oratione mentem in Deo figere, animumque humanum abstractione quadam à terrenis, immobiliter adhærere cœlestibus; in maiori nisu imperturbatæ commentationis, irruentium subito phantasmatum turba, & tumultu mens obruitur; dumque eam in orationis stadio sanctarum exercitationum retinaculis coërcere satagit athleta virtutis, aut tanquam equum indomitum timoris Domini continere lupatis, cogitatio à penetralibus pectoris sensim elabitur, per plateas cursitat, per compita vagatur; sed talibus inuenitur distenta, & præpedita, quæ pudor est dicere, nefas patrare. In hanc infirmitatem, pessimumque languorem homo incurrit per peccatum, & iusta multatur pœna, vt qui fixam in Deo mentem habere noluit, mentis stabilitatem amitteret. Quis phantasiam velut phanaticam, & furentem concatenabit stabili, & immoto nexu, ne indecoras, aut turpes imagines menti inferat, ne irritamentis vitiorum, quæ per sensuum fenestras accipit, pectus infarciat? Christus verus Aaron, ipse sacrificans, & sacrificium in altari: *dextera sua virtute, mentis nostræ infirmitatem à multiplicitate terrenarum cogitationum colligit, & collectam extollit.* Est enim hoc egregium diuini epuli facinus, turbam cogitationum sedare, & componere; imaginatiuæ, vana & futilia effutienti, silentium indicere. Hic vitæ cibus mentem nostram recolligit, ad solitudinem, & quietem auocatam, ad superna sustollit; inquieto, & stabili cordi præbet stabilitatem. Psal. 103. v. 15. *& panis cor hominis confirmet.* Hieronymus legit: *roboret.* Vatablus: *fulciet.* Præclarè illustrat canticum S. Cyrillus lib. 1. de spiritu scribens: *facilè autem hominis natura ad quæuis absurda deferretur, nisi illam Saluatoris gratia in virtute sustineat, ac bonis cælestibus, quorum est ipsa fons, augeat. Alit enim ad spiritales vires accipiendas panis ille viuus, id est Dei verbum. Scriptum est enim panis confirmat cor hominis. Seruitute quoque & prauis affectibus liberat, & aurea libertatis gloria decorat.* Hæc ille. Dicitur tamen quod hic panis cor hominis confirmat, & roborat, quia contra infirmitatem mobilitatis impertit, quantum sat est peregrinanti, animi immobilitatem, & contra cordis instabilitatem, stabilitatem.

Holocaustum gratissimum.

Radulph.

Holocaustum dominicum, cogitationum irruentium turbam propellit, & mentem Deo in oratione colligit, & firmat.

Mentis, & cogitationum instabilitas.

Eucharistia imaginationem furentē ligat; eique silentium ad tempus indicit.

Eucharistia panis cor hominis confirmans. Psal. D. Hieron. Vatab. D. Cyril. Alex.

Hominis natura ad absurda, quæque deferretur, nisi à pane vitæ confirmaretur.

9. Magnifica verba protulit Doctor Gentium vt eis, cunctisque sub cœlo viuentibus hominibus ineffabile Incarnationis arcanum aperiret. Epist. 1. ad Timot. cap. 3. v. 16. sic orsus est sermonem: *& manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* De Dei ad homines dispensatione per carnem assumptam, hanc Pauli sententiam vsurpant Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ primores. Veruntamen Cosmas Magalianus noster sect. 4. annot. 11. in cap. 3. epist. 1. ad Timoth. de venerabili Eucharistiæ mysterio exponit, quod peræquè appellatur magnum pietatis, & fidei sacramentum; illam verò sententiam: *quod manifestatum est in carne.* Adaptat in hunc modum, sæpè carnem, & sanguinem Christi in Eucharistia delitescentem, sese obiecisse aspectibus humanis, & Iesum in specie pueri venustissimi, non semel in sacramenti oblatione apparuisse. Quod si placuerit aliud verbis Pauli theorema aptabis. Hoc sacramentum manifestatum est in carne quia in carne misera, & infirma vires suas ostentat, quid enim est caro hominis, nisi vitiorum scaturigo, incentiuum libidinis, illecebra cupiditatis, viscus merus illius

D. Paul.

Eucharistia magnum pietatis sacramentum.

Magal.

Eucharistia sacramentum in carne hominis misera, & infirma, virtutem suam ostentat.

Digitized by Google

illius blanditia est, qua adhærescit, irretiturque animus, ne complare possit ad superna; ad omnis probitatis speciem remissa, torpescens, languida; ad iniquitates robusta, quæ voluptatis adulatione sensus demulcet, & vigorem mentis effæminat. In hac igitur carne robur, & virtutem suam manifestat Eucharistiæ Sacramentum, dum eam ad subeunda studia pietatis reddit impigram & animosam, non adeò reluctatur mentis imperio, nec cum præceps ruere contendit, incitata appetentiæ calcaribus, detrectat indocilis compesci, suescit ad honestatis dura certamina, in vitiorum lucta non succumbit.

Cantic. Guill. 10. Animam quoque fulcit panis Eucharisticus. Ea verba Cantic. c.6.v.5. *Dentes tui sicut grex ouium.* Guillielmus Neoburgensis exponit mysticè, cuius spiritus est mirificus in extollenda diuinis præconiis Deipara. Sic scribit: *Per dentes non incongruè intellectus figuratur. Panis enim noster quotidianus, qui à Patre cælesti petitur, atque accipitur, pio intellectu quasi quibusdam dentibus teritur, vt mansus quodammodo atque glutitus, animæ nostræ substantiam fulciat. Cui autem tam affatim datus est panis ille quotidianus, & supersubstantialis, quo animæ nostræ aluntur, vt viuant, & non moriantur, quàm illi, quæ genuit panem viuum, qui de cælo descendit, panem Angelorum, quem manducat homo?* Panis iste firmat hominum animos, & Mariæ animam fulciebat.

Panis Eucharisticus animæ nostræ substantiam fulcit.

Panis vitæ Deiparæ animam roborabat.

DISCVRSVS
pars secunda.

Proprium Eucharistiæ facinus, infirmare valentiam.

1. HOc sacrum epulum robustiores quasque hostium manus eneruat, potentissimas vires, quæ propellunt hominem ad ruinam, & validiorem sæpè subiugant, & prosternunt, infirmat, irritosque reddit pertinacissimos eorum conatus. Huic rei certissimam fidem conciliat oraculum sanctum Paulino ore prolatum. c.8. ad Rom. v. 3. *Nam quod impossibile erat legi, in qua infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Lex enim naturæ, & scripta inefficax erat sine gratia Dei ad abolendum peccatum, immò per carnem reddebatur infirmior, quia caro potentissimè resistebat ad bene operandum; hanc igitur carnis potentiam Christus carne sua fregit. Præclarè sanctus Anselmus Pauli locum expendit: *Nam caro vbi non erat gratia inuictissimè resistebat: & lex infirmabatur per carnem, idest per carnis desideria, & per fomitem vitiorum, qui in carne est, quia caro nimium rebellabat, & audiens legem, plus incitabat concupiscentiam.* Et statim: *Caro fortiter obsistebat, ne lex adimpleretur, & lex non habebat vires, quibus impetus carnis frangeret.* Non illepidè carnem in lege antiqua exæquabis cum Giganteo monstro Briareo aduersus supremum numen conspirante, thorace ex ahæneis squammis compacto, munito, vibrante hasta, & insuperabili robore instructo; aut cum chimæra immortales ignes spirante; etenim concupiscentia prauorum desideriorum flammas, & scintillas euomit, igneosque flatus flabris Dæmonum excitatos; cum hoc monstro decertabat, ast minimè vincebat, sine gratia Christi lex, potius ei inuictissimè resistebat, in maiori nisu imperium detrectabat, potentias omnes, sensuumque turbam incitans ad rebellium. Hunc immanem Titanum aduersus Deum perduellem, contra rationis consilium præliantem, singulis horis bellum redintegrantem, caro Christi perdomuit. Caro etenim carnem vicit, caro nulli peccato obnoxia, pro peccato litata, & mortua, Gigantis impetus retundere, valentiamque infringere valuit; nec hoc solum horrendum carnis monstrum, iuxta Anselmi placitum, subiugatum per carnem Christi est, illiusque infirmatæ vires, sed monstrorum, & Gigantum maximum, nimirum peccatum, deiectum, & detriumphatum; non tanquam Enceladus corruens ictu fulminis, sed deuictum infirmitate carnis pro peccato morientis, ipsumque de medio tollentis. Mens est Patris illius, cui inest aurea eloquentia, carnis Christi Facinora prædicantis. homil. 13. in cap.8. ad Rom. *Mirum autem (inquit) id est, quod vnà cùm carne trophæum erectum est, & quæ millies à peccato deiecta fuerat, hæc eadem splendidam contra illud victoriam tulit. Vide ergo quot noua, & inopinata extiterint. Vnum quidem quod peccatum carnem non vicit; alterum quod victum est peccatum, & è carne victum. Neque enim simile fuerit non vinci, & vincere quod antea semper deiiciebat. Tertium quod non modo vicit, sed & puniit. Nam minimè peccando non victus est; moriendo autem vicit; & damnauit illud, terribilem illi carnem efficiens, quæ prius despicabilis esset.* Minus esset, inquit argutè Chrysostomus, si caro à peccato non vinceretur, maius prodigium est carnem superasse peccatum, & quæ à peccato deiecta fuerat, peccatum prosterneret; caro hominis in mundi exordio peccati illecebra, origo criminis extitit, ideo à peccato neglecta, à dæmone mortis & flagitij autore, despicatui habita; Deus tamen misertus est plasmatis, carnem sic inhonoratam, sic deiectam erexit, consuluit illius honori, prospexit indemnitati, dum caro peccatum deuincit, & dæmonem; & vtrumque in corpore suo Christus detriumphat, & ludibrio exponit; ecce quæ erat principium sceleris, facta est scaturigo salutis; irritamentum vitiorum, fons gratiarum; per quam homo impellebatur ad mortem, suscitatur ad vitam; per carnem infirmatus, & eneruatus, per carnem à Deo stabilitur, & roboratur, vt dæmonis vires debilitet, & peccati robur, & valentiam infirmet: *terribilem illi carnem efficiens, quæ prius despicabilis esset.* Non solum deiecta hostis exaltatio, cæcus impetus ac ferocia repressa, infractus dæmonis furor, vtriusque debilitata metu potestas concidit; facta est Christi caro nostris hostibus formidabilis.

D. Paul.

Carnis nostræ potentiam Christus carne sua fregit.

D. Ansel.

Carnis potentia, & legis infirmitas.

Caro Christi in Cruce oblata carnis virus giganteas eneruauit.

D. Chrys.

Caro hominis victrix, à carne Christi superatur.

Peccatum carnem Christi non vicit, sed victum est à carne.

Formidolosa facta est caro Christi peccato, à quo victum est.

Abiecta, & probrosa carnis honori Deus prospexit.

Caro origo sceleris fons facta est gratiarum.

2. Quam valentiam hostium maiorem homo experiebatur, nisi concupiscentiæ tyrannidem, caro etenim vitiorum faculis accensa, illecebris voluptatum irritata, & oppugnata, facilius eis succumbebat, quàm si vrgeretur & expugnaretur innumerabilium armatorum militum manu; at per Christi carnem, retusi sunt libidinis aculei, & carnales appetitus mitiores

Carnis, & concupiscentiæ dira in homine tyrannis.

D.Cyr.Alex.

Rixa carnis cum spiritu.

Qui pie viuunt, & Deum, timēt motus carnis cohibent.

Insita carni concupiscentia eradicari non potest cohiberi potest.

Ex quo Deus carnem assumpsit, moderatiores & mitiores redditi sunt impetus carnis.

mitiores effecti: id quod elegantioribus verbis explicat S. Cyrillus Alexand. lib. ad Calosyrium Episcopum Arsenoitem. cap. 11. fatur: *Confligit enim cum mente, continentia ob Dei metum studiosa, irritamentum carnis, & viribus conatibusque nostris, quibus vita puritatem sectamur, resistit acriterque repugnat. Cæterum qui ea, qua par est sobrietate vtuntur & Deum reuerentur, castigant motus carnis, peccatique stimulum hebetant, atque retundunt, meditatione rerum diuinarum, & laboribus, alijsque moderationibus vtentes. Fieri itaque non potest, vt insitam carni concupiscentiam eradicemus. Sobrietati autem obuiam ire, quominus petulantius in nos agat, in nostra potestate est situm. Idque præcipuè quia homo factus est vnigenitus, qui ferocientem legem peccati, quæ est in membris, non amplius in nos sæuire, grassarique permisit.* Hæc ex Cyrillo quantumuis multa transtuli. Sunt enim insignia ad nostri propositi commendationem. Lex enim membrorum, insanientisque carnis impetus retardati, & coërciti per Christi humanitatem.

Dæmonis exultatio, si primis eius conatibus obtemperemus.

Carnis Christi facinus est, hominem primis aduersarij appulsibus valenter obsistere.

D. Gre. Nazian.

3. Huius hostis infesti, & intestini gloria, & exultatio collocata, si primitiuis conatibus & impulsibus quatiat arcem nostræ mentis, tunc lætabundus exultat Diabolus, cui caro commilitat, & libido suffragatur, si in expugnatione animi minus laboris, & sumptus expenderit. Prouidit Deus hoc bellum immanissimum, in quo æterna agitur hominis salus, & carnem suam sanguinemque prouidit munimentum ad propulsandos incursus, inuictam & infrangibilem parmam ad retundendos primos hostis impetus. Festi agnique Paschalis à Iudæis celebrati, & epulati arcana Sacramenta rimatur Nazianzenus, eaque vt Theologorum Coryphæus, & eximius Ecclesiastes promulgat. orat. 42. illud Exodi cap. 12. v. 7. *Et sument de sanguine eius ac ponent super vtrumque postem.* vers. 12. *Transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum.* &c. *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos.* Singillatim expendit; eius verba consulsim do: *Hinc agnus mactatur, atque actio & contemplatio, seu habitus, & actus pretioso sanguine signantur.* &c. *Hæc postrema, & persecutoribus grauissima plaga, nocteque profecto digna, ac cogitationum suarum, actionumque primogenita luget Ægyptus, atque clamore apud Ægyptios omnia personant: ac tum à nobis illorum exterminator secedet, vnctionis metu ac reuerentia.* Agnus mactatus Christum in altari immolatum, sanguis, quo illiniuntur postes, agni immaculati sanguinem denotat signantem habitum vitæ actiuæ, & contemplatiuæ: vitæ decus & ornamentum est Eucharistia. Hæc sanguinis rubrica plaga insolentior, grauiorque extitit Ægyptiis inaspectabilibus, scilicet Dæmonibus, primogenita sua lugentibus; primi enim motus, & insultus carnis, affectionúmque terrenarum primogenita sunt elisa, & mortua per virtutem agni, & ad conspectum sanguinis mystici, quo domus pectoris ostia, scilicet Sacerdotum labia rubescunt; proclamat enim mysticus Pharao, se ab agno deuictum, dum primogenita sua perdidit; omnem fortitudinem, & spem belli, omnem victoriæ fiduciam collocat in primis incursibus, primitiuisque improbarum cogitationum fœtibus procreandis, & innutriendis in cordis nostri penetralibus; cùm cernit repulsos virtute diuini cruoris, & allisos ad petram qui est Iesus, omne robur acierum suarum fusum, & profligatum lamentatur. Pulchrè Nazianzeni Scholiastes Nizetas immensique Theologi accuratus explorator, inquit: *Atque illic quidem primus peccati impetus frangitur: hic autem primus peccati ingressus per verum agnum auertitur.* Est enim hoc egregium facinus agni, cuius carne alimur, & cruore potamur euanidos, & futiles reddere primos hostis conatus, & primitiuorum cogitatuum improbam turbam retundere, & dissipare: sunt etenim per corpus, & sanguinem Christi velut glutino quodam clausæ, & creta signatæ ianuæ mentis, ne per sensuum rimas stillet iniqua cogitatio, aut hostilis impetus in claustrum pectoris irrumpat. Quid? ait Nazianzenus: hostis metuit ac reueretur ostia cruore Christi signata. Postrema Theologi verba illustrat Nizetas: *Actio nostra & contemplatio, & habitus, & actus, regio signo, hoc est Christi sanguine obsignandi, sunt, vt hostilibus copijs terrorem afferant, quemadmodum Regium signum formidolosum esse solet.* Ostiis nostris appenditur regium signum, nimirum Imperatoria Christi purpura, vt hostes metu percellat, qui enim detriumphatus semel est, exhorrescit ad aspectum victoris, & ad intuitum signi, quo deuictus est.

Postes ædium Iudaicarum agni sanguine, vti ad nos, illumitur.

Postes animæ actio & contemplatio, qui Christi sanguine signantur.

Postrema, & primogenita dæmonis actio.

Primi tentationis motus primogeniti dæmonis filij, Christi sanguine eliduntur.

In primis tentamentorum incursibus spem victo-ris dæmon habet repositam.

Nizet.

Primus peccati aditus agni virtute auertitur.

Christi sanguine aditus præcluditur iniquis cogitatibus.

Nizet.

Ostia cruore Christi tanquam regio sigillo signata hostis reformidat.

4. Osculum Iudæ traditoris Euangelistæ recensentes æquo iure mirantur; demiratus est Iesvs. Lucæ c. 22. v. 48. *IESVS autem dixit illi: Iuda osculo filium hominis tradis?* Est enim basium amicitiæ obses, pacis pignus, beneuolentiæ signum, amoris blandimentum, tranquillæ libertatis prodromus; hic sacrilegus Iudas ori Christi imprimit suauium, quo pacem expugnet, amicitiam dirimat; & præceptorem prodat, virus liuoris expuat, bellum inferat Domino, & captiuum cœlorum Regem, cohorti militum tradat vinciendum; labia figit Christi genis, non vt voluntatem exploret, flatu Christi animetur, sed vt animam tollat, illius sanguinem bibat. Cur Iesvs à tam scelerato Deicida attrectari, suamque carnem tangi permisit? vt qui beneuolentia tanta, verborum blanditiis, muneribus tantis pertinax, & induratus extitisset, ad carnis mactandæ, & sanguinis Christi iam iam effundendi pro hominis salute, attactum, mutaretur. Mens est eloquentiæ Patris, & in suggestu primarij. Homil. 21. in c. 12. ad Rom. *Perpende quid Christus fecerit, qui ad Crucem vsque proditorem suum, osculo quo tradendus erat, emendare studebat.* Et paucis interiectis: *Quoniam & Christus os illud, quod mortem operatū erat, osculatus est.* Testatur his verbis Chrysostomus, non solum Iesvm à Iudæ labiis propinatum suscipere osculum, sed Iesv labia sacrilego Iudæ ori, quod mortem operatum erat, osculum dedisse. Vtriusque sententiæ verba velut circuli aurei nectuntur; basio quod accipit Iesvs, suauio quod confert, discipuli anhelat salutem, vt tanta emollitus clementia, à furore inuidiæ reuocatus veniam patrati criminis expostulet; vt truculento, turbulentoque animo suo, trãquillitatem, & pacem, quam labiis præferebat, inferret: *Qui ad Crucem vsque proditorem suum, osculo quo tradendus erat, emēdare studebat.* Domini patiētia Iudam in sodalem, collegam, conuictorem, & conuiua

D. Lucas.

Osculum amicitiæ obses, in Iuda proditore ferale extitit liuoris signum.

Cur Iesus osculo contingi à Iuda permisit?

Vt attactu carnis deificæ mutaretur.

D. Chrys.

Cum Iesum Iudas osculatur, Iudæ imprimit Iesus suauiū.

Iudam osculatur Iesus, vt eum à furore reuocet.

Digitized by Google

Iesus carnis suæ attactu & virtute, Iudam emẽdare studebat.

conuiuatorem admiserat, diuina munificentia benefactis cumulauerat, singularibus amoris significationibus adstrinxerat. vt ab audacia, & amentia abstractus conualesceret. Vah, cor eius induratum, quasi malleatoris incus! In hunc hominem fanaticum, teterrimum generis humani monstrum deprompta de amoris pharetra, postrema, & validiora spicula intorsit, labia nimirum sua, carnisque attactum, tanquam validissimum armamentum, & panopliam potentiorem direxit, quæ vniuersas traditoris insidias, & machinamenta dirueret; perfidiæ robur, liuoris vires, funesti criminis potestatem, & imperium euerteret. Reddidit irritum conuersionis votum Iudæ insolentia, & contumacia; ast non imminuit carnis Christi virtutem, quæ pectus præ chalybe induratum liquat, & infirmat validissimam hostis manum.

Exod.

Cur caro nõ lixata, sed igne torrida in Paschate à Iudæis edebatur?

Rup.

Agnus Dominici Sacramenti typus.

Carnes Christi assæ igne passionis valentiores redditæ sunt ad resurrectionem.

Sicut lutum ex igne solidatur, Christi caro igne passionis creuit ad virtutem incorruptionis.

Caro Christi spiritus sancti flatu solidata & in altari assata, eiusdem spiritus igne.

Spiritus sancti virtute transsubstantiatio panis in carnem Christi perficitur.

Tres carnis Christi torrores ex Ruperto.

Primus in Virginis vtero.

Secundus in Crucis patibulo.

Tertius in altaris Sacramento.

Humani corporis corruptio, & putredo carnis Christi virtute abstersa.

5. Inter alias ceremonias obseruandas à conuiuiis agni Paschalis, illa iniungitur à legislatore Deo, Exodi cap. 12. v. 9. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni.* Iubet Deus igne torreri carnes, & busto solidari, non carnes elixas in epulo agni admittit aqua mollificatas, sed quæ ex foco, & prunis firmitatem, & robur accipiant. In quo mysticè figurabatur carnem igne passionis torridam, morte desiccatam, ad paraturam sacri ferculi, quandoque Domino placituram. Ad hoc propositum verba Ruperti plena argutiis vsurpo, ex lib. 2. Exod. c. 10. *In nocte quippe agnum comedimus, qui in Sacramenti modo Dominicum corpus accipimus, quando adhuc adinuicem conscientias nostras non videmus. Carnes, inquit, assas igni, idest excoctas molestiis passionis. Vnde quia vis ipsa passionis eum valentiorem reddidit ad resurrectionem, dicit in persona eius Psalmista: aruit tanquam testa virtus mea; quid namque est testa ante ignem nisi molle lutum? Sed ei ex igne agitur, vt solidetur. Virtus ergo humanitatis eius velut testa exaruit, quia ab igne passionis, ad virtutem incorruptionis creuit. Amplius autem, quia de spiritu sancto, qui aeternus est ignis, Virgo illum concepit, & ipse per eumdem spiritum sanctum (vt Apostolus ait) obtulit semetipsum hostiam viuam, Deo viuenti, eodem igne assatur in altari; operatione namque spiritus sancti, panis corpus, vinum fit sanguis Christi.* Ex Tuitiensi Abbate recensui quantumuis, multa quia valde præclara pronuntiata continent ad propositi conceptus ornatum. Tres æstus, & torrores recenset Rupertus, quibus Christi caro detorresceret, & solida permaneret. Primò, Crucis veru assatur passionum ignibus; Secundò, spiritus sancti flammis in clibano vteri Virginalis; Tertio spiritus diuini igneo flatu torretur in altari, cùm panis in carnem Christi immutatur. Assata caro mollitiem exiccata perdit, & humorem corruptionis exudat; & Christi caro, trino æstu, flatuque igneo solidata, contra corruptionis robur, quod in homine præualebat, pugnat. Primi sceleris, mors incineratio, & corruptio extitit tributum, & reatus: ideò quia à vita homo desciuit æterna, eius corpus vita fungitur, tabe diffluit, putredine inhorrescit, in cineres, & puluerès fatiscit. O quantum corruptio inualuit in hominis figmentum, cùm corpora vel Regali trabea, aut sacerdotalibus infulis ornata, in congerie mortuorum ad putredinem & vermes abiicit! Ad huius valentissimi hostis exscindendas vires, euertendam potestatem, corruptionem abolendam, incorruptibilitatem asserendam, caro Christi in Cruce assatur, in vtero excoquitur, in altari torretur, vt in Christo humana natura igne defæcata, ardore detosta, fluidum corruptelæ liquorem abiiceret: *Ab igne passionis ad virtutem incorruptionis creuit.* Ab spiritu sancto qui Epistases est agonis, & viuidos spiritus præliandi cordibus indit, caro Christi per tot ignes, & passiones paratur, & excitatur ad perdendam corruptelæ virtutem, contra quam extitit à Deo præualida, vt in mensa, & camino vteri Virginalis diuini spiritus flammis parata ad prandium, inuiolatam seruauerit Matrem, corruptionis expertem, vt incorruptionis florem prælibaret virgo, tanquam fructum carnis primitiuum.

Maria incorruptibilitatis florem prælibauit.

D. Greg. Mag.

Iobi manus testa, hoc est carne Christi armata, ad pugnam, & victoriam.

Carnis Christi infirmitas per passionem roborata.


Iob in testa Corpus Christi figuratũ agnouit, quod putredinem criminis abstersit.

Bonum tegumen hac tegula præstat.

Tegulam velut gladiũ Iob distinxit aduersus dæmones.

6. Ea verba Ruperti: *Vnde quia vis ipsa passionis.* Et reliqua sunt notatu digna, in eis enim videtur imitatus S. Gregorium Magnum, qui conspicatus Iob attenta mentis acie in sterquilinio sessitantem, eiusque dextram testa, tabe diffluente, armatam, sic fatur lib. 3. moral. cap. 11. *Quid enim aliud in manu Domini testa est, nisi caro ex nostra substantia luto sumpta? Etenim testa igne solidatur. Caro autem Domini eò ex passione sua robustior extitit, quò per infirmitatem moriens, à morte sine infirmitate surrexit. Vnde rectè etiam per Prophetam dicitur: exaruit velut testa virtus mea. Sicut testa enim eius virtus exaruit, quia suscepta carnis infirmitatem passionis sua igne roborauit.* Verba Gregorij, Rupertique simillima apparebunt ea inter se conferenti. In Ruperto tamen singularis argutia emicat, cùm carnem Christi, quam edimus in sacro conuiuio, testam nuncupat passionum ignibus arescentem. Quid? si sanctus Iob superno spiritu afflatus, in testa carnem Christi conspicaretur igneo flatu spiritus diuini torridam, passionibus conditam, tormentis suauiorem ad cibandum hominem; hæc caro saniem criminis abrasit, putredinem corruptionis absterfit, putridi corporis fœtorem vitæ æternæ spiraminibus aboleuit. Hac tegula bene tectum Iobi tectorium, domus pectoris tentationum turbinibus iactata non stillauit, nec inclinata est ad ruinam. Per hanc testam quasi per canalem, & fistulam cælestem, ad eius animam gratiarum flumen profluxit. Hac testa, quæ corpus Christi figurabat aduersus nocentissimorum hostium turmas armatus solus stetit in prælio, de hostibus triumphauit.

Talem gladium corporis Christi
distrinxit vt aduersariorum
obtutus obstringeret,
dæmones fugaret.



Omne robur panis.

DISCVRSVS IV.

In sustinentibus mortem pro amore Creatoris, & pro Confessione Fidei, omne robur, & decus ostentat panis vitæ; est enim Martyribus, cùm occumbunt, munimentum, post mortem coronamentum.

Martyres à carne Christi omne robur mutuâtes.

D. August. Panis Christi æternus, & temporaneus confirmabat martyres.

1.  MNE robur in morte sustinenda mutuare Martyres à pane vitæ, constans sententia est sancti Augustini lib. 50. homil. 14. *Panis*, (inquit,) *noster æternus Christus in Patris æqualitate. Panis noster quotidianus Christus in carne, æternus sine tempore, quotidianus in tempore. Tamen ipse est panis qui de cælo descendit. Fortes sunt Martyres, firmi sunt Martyres: sed panis confirmat cor hominis.* Facinus est præclarum Eucharistici panis, hominem inter cruciatuum perpessiones, qui ad transgressionem fidelitatis, & apostasiam prouocant in Deo radicari, in fide stabiliri. Panis iste æternus in Patris æqualitate; temporaneus, quotidianus in Eucharistiæ sumptione, inuictum robur confert Martyribus.

Panis Eucharisticus quadraginta Martyres reddidit inuictos.

2. Recenset Sanctus Ephræm Syriæ decus, quadraginta Martyrum agonem, triumphos, & lauros, qui passi sunt in Sebaste vrbe Armeniæ, sub Licinio Tyranno, ac Præside Agricolao, aitque vitæ panem inuictos reddidisse Christi Athletas, eius virtute ignis flammas, stagnantis aquæ prægelidæ rigorem superasse. Additque sacri alimenti vigorem in Eliani panis fortitudine adumbratum. Hæc sunt Ephræmi verba ex encomio quadraginta Martyrum desumpta: *Et quid mirum est, si & Eliæ virtutem his inueniam adæquari? Nam in fortitudine cibi vnius Elias Thesbites per dies quadraginta ad montem Horeb peruenit; at hi, corpore Christi gustato, quadraginta pariter ad cælos peruenerunt.* Alludit Sanctus eremicola ad 3. lib. Reg. cap. 19. vers. 6. *Et ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ.* Et vers. 8. *Qui cùm surrexisset, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb.* Nec solus est Ephræm qui in pane subcinericio Eliæ agnoscat Eucharistiæ figuram. Calculum album adiicit huic commentationi sanctus Bernardinus Senensis tom. 1. sermone 54. artic. 1. cap. 4. *Sub hac quidem iunipero per fidem anima dormit: sed per feruorem deuotionis euigilans ad susceptionem tanti Sacramenti fiducialiter ab Angelo inuitata manducat subcinericium panem, id est, hoc mysticum sacramentum sub cinere accidentium occultatum, &c. His igitur non solum anima, sed etiam ipsa humana caro tanta stabilitate fulcitur, quod illam prospera non seducunt, nec aduersa confringunt.* Virtus alendi, & vegetandi animam, & corpus, in cibo Eucharistico maior quàm in Eliæ pane, dum creat constantes inter aduersa, & prospera viros, & sic eos firmat, vt felicis fortunæ blandimentis non emolliantur, nec aduersitatum incursibus labascant. Illud tamen acumen Abulensis non omittendum ex quæstione 4. in capite 19. libri 3. Regum. *Nunc autem Elias non petebat à Domino panem, vel aquam, sed mortem.* Quanta Domini clementia, petit Elias à Domino mortem dicens: *Tolle animam meam*, & ipse tribuit refectionem. Efflagitat interitum, & Dominus confert cibum; non tam sub tegmine iuniperi recubare auet Elias, quàm in vmbra mortis conquiescere expeditus laboribus, feriatus ærumnis; & illicò experitur ex cœlitum subsidio, sub integumento diuinæ manus, & culmine potestatis supernæ, illius vitam esse seruatam, & sub vmbraculo viuere Dei cœli, cùm Vati famelico, & abstemio mensa paratur in deserto, panem, & aquam Angelicæ manus subministrant. Prophetæ, mortem concupiscenti, & suspiranti, & correpto imagine mortis, nempe somno, panis occurrit, vt quiete expergefactus recogitet, panem viuum in illo figuratum exterminare mortem, præbere subsidium morientibus, inter laniatus, & cruces Tyrannorum agonizantibus, firmamentum virtutis, & sustinentiæ largiri. Illud preme: *Et ecce ad caput suum subcinericius panis.* Cur ad caput collocatur viaticum, non ad latus dextrum vel sinistrum dormientis, aut in saxo specus? An quia panis Angelicus amat austeriorem recubitum, & in os capitis pro culcitra, & sponda habentis aceruum lapidum, propendet cibus Eucharisticus? Annuo, Id non erit abs re, eò dirigi panem vitæ, vt incolume seruet caput, nimirum fidem nostram, illud serpentis astutia præcauet fidelis, vt seruetur illæsum ab hostium ictibus: ideò panis capiti, & ceruicali adiungitur, vt fidem vegetet, & roboret. Quid? capiti approximat, caput exambit, quia panis cœlestis non tantum cordi est fulcimentum, sed capiti gloriæ coronamentum iam enim ambiebat panis cingere caput, quod pro virtute agonizabat. Nec prætermittenda est versio Tigurina, & Sanctis Pagnini, pro subcinericio pane legentium: *Ecce erat ad caput eius placentula super prunas cocta.* Panis in furno excoquitur, ad conspectum ignis operante calore, cum quodam temperaturæ moderamine; at super prunas positus totam vim ignis suscipit, & violento igne torretur, crematus, aut semiustulatus educitur; vt denotet in maiori passione, & cruciatu robur, & fortitudinem conferre cœli panem, lenire in Martyribus tormenta ignium, huius panis virtute crepitantium flammarum globos vincere. Sicut in quadraginta Martyrum agone fuit compertum: *Hi corpore Christi gustato quadraginta pariter ad cælos peruenerunt.* Intende in Ephræmi argutiam, panis Eucharisticus firmauit Martyres, roborauit quadragenarium numerum, vt non imminueretur, aut arroderetur tyrannorum malitia, laniorum, aut dæmonum insolentia, vt integer numerus militantium, qui in gelidum lacum intrauerat, nulla numeri deficiente corona, aut palma, ad superos quadraginta migrarent.

D. Ephr.

Eucharistiæ vmbra in Elia quadragesimam dierum; veritas in martyribus quadragenarium numerū adimplexit.

Lib. Reg. Panis subcinericius Eucharistiæ symbolum.

D. Bernard. Feruor deuotionis ad cibi sacri epulum.

Carne Christi hominis caro inter prospera, & aduersa mirabili stabilitate fulcitur.

Abul. Elias non postulabat à Domino panē sed mortem.

Panis viuus præbet subsidium agonizantibus, & morientibus.

Cur ad caput Eliæ collocatur viaticum? Panis cœlicus amat austeriorem recubitum. Curat, vt seruetur hominis caput, nempe fides.

Panis vitæ cor fulcit, caput coronat.

Lect. Tigur. Pagnin. Placentula supra prunas cocta, & tosta quid denotet?

Eucharistia in busto, & cruciatu martyri, robur cōfert.

Eucharistiæ virtute quadragenarius militantium pro fide numerus redintegratur, & completur.

3. Illustrem

Cibus vitæ paratur victori.

Apoc. *D. Tho.* *Anast.* *Pascha.* *Rup.* *Pere.* *Alcas.* *Corne.*

3. Illustrem, & celebrem locum nobis suggerit Ioannis Theologi Apocalypsis cap. 2. v. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Quem de sacra Eucharistia vsurpant sanctus Thomas hic, Anastasius Sinaita lib. 9. Exam. Paschasius Abbas Corbeiensis lib. 1. de corpore, & sanguine Domini cap. 8. Rupertus, Pererius, Alcasar, Cornelius in Apocal. verba Angelici Doctoris sunt mirifica: *Vincenti aduersa, tentationes & vitia, & in hoc perseueranti. Dabo gratis, hoc fuit in Sacramento Eucharistia, edere ad refectionem, de ligno id est arbore vitæ, quia esu huius arboris vitam dat mundo. Hoc lignum vitæ est ipse Christus Ioan. 6. qui manducat me, & ipse viuet propter me. Dicitur autem Christus lignum propter virtutem roborantem. Isaiæ 40. qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt fortitudinem, & robur multiplicat.* Et paradisum Dei Ecclesiam nuncupat, in qua plantatum est lignum vitæ, & iugi scatebra manat fons gratiarum. Sequuntur vestigia sancti Thomæ Pererius, & Cornelius, & de victoribus Tyrannorum, & cruciatuum expendunt Ioannis sententiam, nimirum de Martyribus, in quo acroamate illud est laboriosum explicatu, quo iure Martyribus vincentibus morte sua mundum, largiatur Deus Eucharisticum epulum, tanquam mercedem certaminis, & triumphi? Ad tolerandam pressuram & squalorem carceris, sustinendos compedes, & catenarum nexus, perferenda flagella, & busta, ad profundendum sanguinem, & vitam pro amore Creatoris, dari Euchari stiam tanquam munimentum pectoris, & robur animæ, nullus inficias ibit. Veruntamen fidei testibus morte se ipsos, Tyrannos, mundum vincentibus, polliceri tanquam præmium panem vitæ, implexa & salebris plena sententia est; Eucharistia namque non est mortuorum cibus, nec beatorum, sed viuentium in hac mortali vita viatorum. Quo ergo pacto fructus ligni vitæ datur vincentibus? Nam in morte Martyrum consummata victoria est. Intende: datur panis cœlestis Martyribus, vt vincant, exhibetur vt præmium victoriæ mox futuræ; est enim in hoc Sacramento pietatis, munificentissima Dei manus, hoc thorace obarmat cor humanum, vt in certamine fidei sit prævalidum; hoc coronamento velut anticipata remuneratione, certatoris ornat caput. Hic panis certissimum est victoriæ auspicium, quo instructus qui agonem adit, de victoria securus ingreditur laureatus, secum defert mercedem laboris, victoriæ palmam. Ideò Apostolus scripsit: *Dabo vincenti.* Datur vt vincat, dum cibo cœlesti Martyr alitur, victor proclamatur, cibus hic à Deo donatur homini, vt vincat.

Esus ligni vitæ Christus donatur affectus improbos superantibus.

Christus lignum vitæ nuncupatur, propter virtutem roborantem.

Quo sensu panis vitæ donetur pro mercede morientibus?

Datur panis vitæ Martyribus, vt vincant. Exhibetur vt præmium victoriæ mox futura.

Anticipatur in Eucharistia coronamen, quia certissimum est victoria auspicium.

Philo. Iud.

4. Arcanam Philonis Hebræi sententiam placet in hoc discursu aperire ex lib. *Quis sit rerum diuinarum hæres?* depromptam; discutit subtiliter nomenclaturam filij procuratoris domus Abrahæ cuius nomen refertur Genes. c. 15. v. 2. *Et filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.* Atque quod Damascus: *Saccus sanguinis interpretatur.* Eliezer verò: *Deus adiutor meus.* Saccum esse corpus humanum plenum sanguine, in quo vita consistit; & de hominis formatione subiungit: *Ea terra sanguine macerata, ex qua ficti sumus, non mediocriter eget diuino auxilio, ideo dicit iste Damascus Eliezer: interpretatur autem Eliezer, Deus adiutor meus, quoniam hæc moles sanguinea per se dissolubilis, & mortua, consistit, & fouetur prouidentia Dei sua manu sustentantis, & protegentis: alioqui nec per vnum quidem diem genus nostrum durare poterat.* Et paucis interiectis inquirit an hæc moles sanguinea particeps esse possit diuinæ hæreditatis? & sibi respondet: *His dignus habetur solus ille qui supernè inspiratus est, cœlestis diuinaque portionis particeps, intellectus purissimus.* Philo in studiis sacræ sapientiæ versatus, & Prophetarum doctrinis excultus, non adhæret litteræ cortici, instar Rabbinorum; sed mente euolat ad superna, & quandoque cœlestis numinis afflatu correptus, profatur mysteria; idque factum diuina prouidentia est, vt interpres sacræ litteraturæ primarius viam sterneret suis Theorematibus Euangelicæ legis sacramentis; quapropter Philonis verba enucleanda sunt, & leniter trahenda ad nostrum Thema: A postremis ordior: *Cœlestis diuinaque portionis particeps.* Ne existimes Platonizare Philonem, & paradoxum asserere quod infusa sit homini anima vitalis cæli, aut Deitatis particula; hominem appellitat sapientiæ, & diuinitatis consortem. Sed quæ alia melior cœlestis, & diuina portio, quàm cæleste Eucharistiæ epulum, & sacri calicis poculum, in quo cælestis Adami corpus & integræ diuinitatis suscipimus portionem? Psal. 118. octon. 8. verba sunt Ambrosij: *Portio mea Dominus. Dicit hoc Martyr. ipsi ergo viuamus, cui mori est gloriosum.* Nec incongruè nuncupabis Martyrem Damascum, & Eliezer filium Christi, filium œconomi in domo Ecclesiæ, & patris familias. Damascus iuxta Hebræi rigorem idem est ac *Sanguinis Saccus,* vel: *sanguinis poculum.* Cum corpus Martyris aciculis pungitur, sentium cuspidibus terebratur, lanceis perfoditur, gladiis punctim cæditur, vnguibus ferreis exaratur, & latices diffluunt sacri cruoris, corpus eius saccus sanguinis est. Erat quoque in Martyribus, Ecclesiæ primitiuæ sanguinis poculum, quia ipsi prabibebant sanguinem Christi, vt exhaurire possent calicem passionis. Talibus Christus erat portio, & potio diuina, quæ ipsos roborabat in mortis agone. Ideò dicitur Eliezer idest *Dei adiutorium,* vel *Dei atrium.* Quid est Dei atrium? S. Ambros. vbi supra addit: *Quid enim est quod conferri possit his, de quibus Deus dicit: & inhabitabo in illis? quid magnificentius hospite cælesti? quid beatius possessione diuina?* Atrium Dei Martyr est, in quo Deus inambulat, & quod suæ requieti elegit hospitium, atrium quod Deus tanquam fortis armatus custodit, ne dolosa hostium machinamenta in illud possint irrumpere: verum, vnde ista nostra terrena compago corporis contrita cruciatibus, sanguine madens, de vulneribus manante, confirmata est? nisi à Deo auxiliatore suo: *Ea terra sanguine macerata* (inquiebat Philo supra) *non mediocriter eget diuino auxilio. Hæc moles sanguinea per se dissolubilis & mortua,* nisi Dei manu sustentaretur, & protegeretur, Dei inquam qui factus est illius portio, & elegit in humano corde reclinatorium; vt corpus Martyris hians vulneribus, & sanguinolentum, robur acciperet à corpore, & sanguine Domini.

Genes.

Damascus: Saccus sanguinis. Eliezer: Deus adiutor meus, interpretatur.

Moles hominis sanguinea Domini protectione sustentatur.

Philo Iud.

Diuina portionis particeps intellectus purissimus.

Eucharistia diuinæ portionis participationem confert.

D. Amb.

Martyris votum: portio mea Dominus.

Martyr sanguinis Saccus dicitur, aut sanguinis poculum, dum cruciatur.

Martyr atrium, habitaculum, & Dei possessio.

D. Amb.

Philo. Iud.

Diuina Carnis portio Martyribus auxilium præsta.

5. Quantum expediret armari præliatores fidei sacra Eucharistia, vt infirmitatem suam vincerent, & Tyrannorum violentiam, exponit epistol.

D. Cypr.

epistol. 54. Sanctus Cyprianus, cùm enim controuersia esset exorta inter Episcopos Africanos, an militibus Christi, qui cederent cruciatibus, & in certamine abiicerent arma; si erecti à ruina sua apostasim deplorantes, veræ pœnitentiæ significationibus conuersionem confirmantes, ex latebris, quas pudibundi, & mœrentes quæsierant, emergerent, & ad amphitheatrum redirent, daretur panis vitæ; sancitum est ab Ecclesiæ pastoribus, iterum Eucharistia debere muniri: verba sunt inclyti Martyris Cypriani: *Quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquimus, sed protectione sanguinis, & corporis Christi munimus. Et cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela: quos tutos esse contra aduersarios volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis, Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus.* Et aliquibus interiectis subscribit: *Idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit.* Huc vsque Cyprianus. Validissimam armaturam esse iudicabant illi Ecclesiæ primores Eucharisticum cibum, ideóque in illo omnem spem victoriæ reponebant, munientes tali panoplia Christi milites, vt esset eis pro thorace, gladio, & clypeo, vt omnes ictus, & insultus hostium retunderent, vt exultantes in prælio, superiores suppliciis euaderent: Ad hoc enim diuini sanguinis poculum institutum est, vt vires suas omnes exereret, in testibus veritatis, fortes & animosos redderet ad exsorbendum calicem passionum, & deuorandam amaritudinem mortis; est enim in illo corpore, & sanguine schema, & exemplar martyrij subeundi, cùm editur corpus in Cruce mactatum, & bibitur sanguis, pro veritatis, & iustitiæ tuitione effusus, & ante mentis oculos obuersatur pulcherrima illa imago Imperatoris Martyrum, ad illius imitamentum incitantis, quique viuidos spiritus martyrij efflat, tolerantiam hominis firmat, eique cælestes vires suppeditat.

Martyres Eucharistia muniti ad prælium.

Pro fide militaturis dabatur Christi sanguis qui eos excitaret ad profusionē sanguinis.

Miles deficit, quem sacra Eucharistia armatura, nō instruit.

In Eucharistia schema, & exemplar martyrij subeundi continetur.

8. Assistere volentes dextræ, & sinistræ Christi filij Zebedæi, ore materno exambiunt postulantes cœli primatum, & primaria subsellia; propinquitatis præsumptione, & exultatione iuuentæ deuiantes à iustitiæ tramite; sapienter reducit eos IESVS ad viam æquitatis, & sapientiæ semitam, Matth. cap. 20. vers. 22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei possumus. Ait illis: calicem quidem meum bibetis.* Cuius calicis potum IESVS Apostolis repromittit? Scio quosdam hæreticos desipere cùm hæc verba ad calicem solummodo mysticum Eucharistiæ referunt, non verò ad calicem passionis, cùm hunc apertè demonstrent verba Saluatoris, quos æquo iure Maldonatus noster explodit. Si verò ad vtrumque calicem cruentum mortis, & incruentum Eucharistici Sacramenti Christi verba accommodes, nihil dissonum à veritate affirmabis. De vtroque poculo vsurpat Salmeron tom. 4. parte 3. tract. 27. dicens: *Bibetis ergo calicem non quidem ex vobis, qui facilè respueretis, sed dono gratia mea suo tempore; vnde in Cœna dedit omnibus Apostolis de calice bibere, in signum quod omnes pro eo pati debebant: Et nos dum sumimus cœnam Dominicam, intelligamus nos tanto sacramento ad exponendam vitam pro Christi gloria admoneri.* Et Albertus Magnus in Matth. *Dicitur calix communicatio sanguinis Christi, 1. Corinth. 10. calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Quocirca in illo commate: *Calicem quidem meum bibetis*, à cælesti sponso facta est sponsio vtriusque calicis, & benedictionis, & mortis. Ac si in hunc modum discipulos conueniat: imprudenti ambitus nisu, & præcipiti iuuentutis cogitatione irruistis in virtutum supernarum adyta, præhensare cupientes apices dignitatum, & ad hoc stipulationem fecistis mortis subeundæ, & ebibendi mecum calicis; perficietur id quidem, admitto vos ad meam mensam, meique poculi consortium: intendite tamen: Prius propinabo vobis calicem mei sanguinis, vt eius virtute, & robore confortati, de calice passionis ebibere possitis amaram mortis potionem: nisi enim prius prælibaueritis plusquam mellitum saporem, suauitatemque panis vitæ, & animi gustus non fuerit delinitus diuini nectaris blandimento, & voluptate; prostratus manebit appetitus passionis; & animus, non gustata prius mei cruoris dulcedine, insipidum, & amarum poculum mortis aspernatur, ac respuit. Bibetis calicem mei sanguinis, vt pro me effundere possitis vitam, & sanguinem: *Calicem quidem meum bibetis.* Variatio pulchra est in verbis Saluatoris, sed scatet mysteriis. Cùm explorat voluntatem perpetiendi necem, sic affatur: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et stipulatione facta à Discipulis, non reperit eadem Magister iuxta Euangelium Matthæi: *Calicem quem ego bibiturus sum, bibetis*; sed: *Calicem quidem meum bibetis.* Calicem suum nuncupat Eucharisticum, quia extitit sui amoris erga homines inuentum. Adimpleuit IESVS quod promisit, cùm Matth. cap. 26. vers. 26. consecrato calice sui sanguinis, Apostolis omnibus propinauit, dicens: *Bibite ex hoc omnes.* Quam Christi sententiam expendit scitè & argutè Sanctus Anselmus: *Bibite ex hoc omnes. Estote meæ passionis repræsentatores, & participes, quia panis confirmat corpus, & vinum inebriat, & mentem à mundo alienat trahens ad cælum. Ideò Christus hæc duo elegit, quæ in corpus, & sanguinem suum converterentur, vt ex suis speciebus hoc intelligerent fideles. Vinum vero sanguinem operatur in carne. Mysticè hoc refertur ad sanguinem.* In sacro illo conuiuio cùm eos seruator carne sua cibat, & sanguine dulcissimo potat, cupit esse conuiuantes, & commorientes, in cœna communicantes, in passione consortes, ideò dedit corpus roborans hominis infirmitatem, tolerantiam fulciens; dedit sanguinem, qui eorum mentes inebriaret, sequestraret à mundo, & inter cruciatus faceret cœli ciues; nec acumine caret illud effatum: *Vinum verò sanguinem operatur in carne.* Habet vinum cum sanguine quandam germanitatem, in colore, & viuido feruore vegetante vires, reddente cordi vitales igniculos. Habet sanguis Christi cum sanguine humano quamdam necessitudinem, tepescentem inflammat charitatis ardore, tam viuido spiritu excitat, & commouet, vt non patiens venarum angustias, paratus sit foras erumpere

Filiis Zebedæi offert Iesus calicem passionis.
D. Matth.

Verumque calicem mortis, & Eucharistiæ iis exhibet.
Salmeron.

Calicem sui sanguinis Iesus omnibus Apostolis in cœna propinauit, quia omnes pro eo pati debebāt.
Alb. Mag.
Fidelis Eucharistiam suscipiens, ad exponendam pro Deo vitā excitatur.

Apostoli admittuntur ad sacrum conuiuium, vt in passionibus & morte habeāt Christi consortium.

Pulchra variatio in verbis Saluatoris.

Eucharisticū calicem suū nuncupat Iesus.

D. Anselm.
Christi commēsales Apostoli excitantur ad passionem, & roborantur.
Vinum sanguinem operatur in carne.

Sāguis Christi, tepescentem hominis sanguinem inflāmat, & foras erūpere suauiter cogit.

erumpere, & exilire. Igitur in illa IESV sententia: *Calicem quidem meam bibetis.* Mens erigitur Apostolum, vt sentiant ex dulci haustu sanguinis Christi excitari ad poculum passionis. *Estote meæ passionis repræsentatores, & participes.*

Diuini musti ebrietate correpti martyres. 7. Dices cur IESVS sanguinis mysterium calicem nuncupet? In promptu est responsio, quia potatores suos vini poculo inebriat, alienatósque reddit à mundo, ad res diuinas sobrios. Hac ebrietate correptos Martyres quis ambiget? Id testatur Dauidica Lyra spiritu pulsata diuino. Psal. 22. vers. 5. *Et calix meus inebrians quàm præclarus est.* Id confirmat eximius ille Ecclesiastes cuius in ore est aurea eloquentia: *De isto* (inquit,) *calice bibit Ecclesia, inebriauit Martyres, vt non agnoscerent proximos carnis suæ nimio amore Christi: neque patres filios, neque filij parentes. Inebriauit vino sanctitatis, non vino erroris. Non agnouerunt suos, & sanguinem fuderunt. De mensa illa inebriati sunt, de qua dictum est: accedens ad mensam potentis considera ea, quæ apponuntur tibi, sciens quia talia te oportet præparare, quid est talia oportet te præparare, nisi corpus, & sanguinem quod accipis.* Quòd inter cruciatus immoti, inter dilacerationes membrorum velut ferrei, & adamantini comparerent Martyres, quòd exultabundi inter dolores, & insanientes præ gaudio, percomes, & pacatos vultus ostenderent tyrannis; de cibo, & more Eucharistico prouenîebat, quo se ingurgitarant, Bibentes enim de musti diuini phiala, domesticos carnis suæ non agnoscebant; ideò lymphatos iudicabant gentes, erant verè ebrij amore superno, & capti vino, quod non titubantiam generat, sed stabilitatem, caput & mentem roborat ad perferenda supplicia. Hoc est robur panis Eucharistici, de quo Isaias prædixit auferendum Iudæis, donandum Christianis: *Omne robur panis.*

Psalm.

D. Chrysost. *Martyres comedentes Christi carnē, proximos carnis suæ nō agnoscunt.*



VERSICVLVS II.

Fortem, & virum bellatorem, iudicem, & Prophetam, & ariolum, & senem.

COMMENTARIVS.

1. PRÆDIXERAT Vates viros auferendos à Ierosolyma, qui erant fulcimenta, & fulcra vrbis, Reipublicæ columnæ; nunc subiicit orbandam viris fortibus, & bellatoribus. *Fortem.* Fortes nuncupat viros pro æquitate pugnantes, humana despicientes; in prosperis, & aduersis metus omnis expertes, cruciatuum, & mortis contemptores. Virum fortem describit Cicero lib. 3. offic. *Est fortitudinis proprium, & magnitudinis animi, nihil extimescere omnia humana despicere, nihil quod homini accidere possit intolerandum putare.* Vir fortis est, qui improbos animi affectus cohibet, iram nimirum, auaritiam, luxuriam, & quadam virtutis iurisdictione, & imperio eos moderatur, ne metas diuinæ legis transiliant. Pulchrè Sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 36. inquit: *Et reuera iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur; non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, quid autem excelsius, atque magnificentius, quàm exercere mentem, afficere carnem, & ad seruitutem redigere, vt obediat imperio, consiliis obtemperet, vt in adeundis laboribus impigrè exequatur propositum animi, ac voluntatem?* Tales fortes, & excelsi animi viros habuit ille populus, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iudam, Moysen, IESVM Naue, Prophetas omnes, & Machabæos.

Fortes sunt, qui humana despiciunt, & pro æquitate pugnant. Cicer.

D. Ambr.

In sui ipsius victoria demonstratur vera fortitudo.

2. *Et virum bellatorem.* Qui sit arte militandi instructus, ad ductandum exercitum idoneus, qui intrepidus occurrat hostibus, irritos reddat eorum conatus, & militari peritia auertat dolos, patefaciat insidias, & patriam tueatur. Possedit ille populus Imperatores præclaros, & milites militari gloria insignes, Abrahamum, Iudam, Gad, Gaditásque, & Zabulonitas, Iosue, Dauidem, Machabæos. Præclarè S. Ambros. lib. 1. de Offic. cap. 35. inquit: *Nunc de fortitudine tractemus, quæ velut excelsior cæteris, diuiditur in res bellicas, & domesticas.* Et statim: *Maiores autem nostri, vt IESVS Naue, Hierobaal, Samson, Dauid summam quoque rebus bellicis retulere gloriam.* Respublica illa Israëlitica fortissimis viris ornata est. De Saüle, & Ionatha lugubre carmen canit. lib. 2. Reg. cap. 1. vers. 23. *Aquilis velociores, leonibus fortiores.* Catalogus virorum fortium satellitúmque Dauid recensetur lib. 2. Reg. cap. 23. abstulit Deus à Iudæis robur animi, & fortitudinem belli, nullus apud eos, qui mundialia spernat, aut voluptatibus obsistat, omnes pugnandi peritia inexperti, inertia effœminati.

Vir bellator quis?

D. Ambr. *Bellica fortitudo.*

Eximij pugiles Israëlitici populi.

3. Addunt LXX. seniores: *Et Gigantem.* eámque lectionem sectantur Cyrillus, Chrysostomus, Basilius, Procopius. Non denotat nomine Gigantis vastæ molis viros, aut procera statura formidabiles; sed maximis viribus pollentes, in prælio robustissimos. Sic verbum Gigas accipitur pro forti. Psalm. 18. vers. 7. *Exultauit vt Gigas.* Hieronymus legit: *Exultauit vt fortis.* Sapienter sanctus Cyrillus in præsenti Isaiæ loco scribit: *Est enim familiare scripturæ diuinitus inspiratæ Gigantes alioqui appellare eos, qui sunt robustissimi.* De pugnatoribus, qui sequuti sunt Dauid fugientem Saülis insidias, fit mentio lib. 1. Paralip. cap. 12. vers. 1. *Qui erant fortissimi, & egregij pugnatores, tendentes arcum, & vtraque manu fundis saxa iacientes, & dirigentes sagittas.* Et vers. 8. *Transfugerunt ad Dauid, cùm lateret in deserto, viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum, & hastam, facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus.* Eodem capite recensetur numerus virorum fortium ex omnibus familiis, qui reducti sunt ad ad Dauid, vt constituerent eum Regem ibid. vers. 30. *De filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortissimi robore. De Zabulon qui egrediebatur ad prælium, & stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium. De Nepthali Principes mille: & cum eis instructi clypeo, & hasta triginta, & septem millia. De Dan præparati ad prælium viginti octo millia sexcenti. De Aser egredientes ad pugnam, & in acie prouocantes quadraginta millia. De filiis Ruben, & de Gad, & dimidia parte tribus Manasse instructi armis bellicis, centum viginti millia.* Ioab Princeps exercitus lustrata omni terra Iuda, & Israëlis

Gigas quis. Lect. LXX. D. Cyril. D. Chrysost. D. Basil. D. Procop. *Gigantes dicuntur in prælio robustissimi.*

Psalm. D. Hieron. D. Cyrill. Alex.

Paral. *Viri robustissimi, & pugnatores optimi tempore Dauidis.*

Ingens numerus pugnatorū sub ditione Dauidis.

Digitized by Google

L.Reg.

Israelis l.2. Reg. cap. 24. *Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi Regi, & inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Iuda quingenta millia pugnatorum.*

Giganteum robur, & egregia facinora satellitum Dauidis.

4. Merito nuncupabis Gigantes Dauidis satellites, & principes exercitus Domini lib. 2. Reg.cap.23. eorum vnus: *octingentos interfecit impetu vno. Abisai, ipse est; qui leuauit hastam suam contra trecentos, quos interfecit. Banaias filius Ioiadæ viri fortissimi, ipse percussit duos Leones Moab, & ipse descendit & percussit leonem in media cisterna in diebus niuis.* De eodem scribit egregium facinus liber 1. Paralip. cap.11. v. 23. *& ipse percussit virum Ægyptium, cuius statura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam vt liciatorium texentium: descendit igitur ad eum cùm virga, & rapuit hastam, quam tenebat manu, & interfecit eum hasta sua.* Denique de Iuda Machabæorum principe illud præclarum fortitudinis elogium æternæ memoriæ commendatur. lib.1. Machab. cap.3. v.3. *induit se loricam sicut Gigas. Similis factus est Leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione.*

Lib.reg. *Banaias ad miraculum fortis duos leones interfecit.* Lib.Paral. *Et Gigãtem Ægyptium.* Lib. Mac. *Machabæorũ strenuitas in præliis.*

Iudæi imbelles & ignaui. Procop.

5. Pugnandi peritia, animi, corporisque robur, & militaris gloria fugit ab illo populo. *Neque verò apud Iudæos* (inquit Procopius) *restant amplius bellatores, quia militaribus catalogis nulli iam conscribuntur, sed voluptatum victi illecebris, animique affectibus, & contrariis rationibus, superiores iam non euadere modò, sed ne mente quidem quod iustum est, vel agitare, vel statuere, queunt.*

Defecit in Iudæis fortitudo spiritalis, in comprimendis affectibus. D.Cyrill. Alex. D.Basil. Procop. *In Ecclesia Christi optimi pugnatores inueniũtur aduersus dæmonis insidias.*

Nec solum corporis robur; & ars militandi defecit apud Iudæos, sed spiritalis fortitudo ad dimicandum aduersus inaspectabiles hostes, & comprimendos improbos cordis affectus. Ita Cyrillus, Basilius, Procopius. Cyrilli verba sunt: *Apud Iudæos verò nemo eiusmodi vnquam fuit, sed citra pugnam cedunt victoriam omni ingruenti, suisque adeò indomitis voluptatibus.* Hæc tamen animositas præliandi aduersus vitia, translata est ad Ecclesiam, in qua passim reperies domitarum passionum trophæis viros valde præclaros; quod non præteriit silentio idem Alexandrinus Antistes: *Nos enim, qui fide Dominum virtutum, seu potentiarum colimus, ab eo neruosi reddimur, & idonei efficimur ad impugnandum prauas, impurasque potestates.* In eamdem mentem coit Procopius: *Sunt & in Ecclesia quidem bellatores, qui Domini armatura septi, sese fortiter diaboli insidiis opponere, nullumque non Euangelij causa, laborem amplecti, solent.*

Ecclesia Gigantes in palæstra spiritali.

6. Verbum quoque illud *Gigantem.* In spiritali, & arcano sensu iidem Patres Cyrillus, Basilius, Procopius vsurpant pro viro Giganteæ sanctimoniæ, qui valenter enitens contra turbam passionum, palmam victoriæ arripuit, ad culmen virtutum peruenit, tenuit sanctitatis apicem, charitatis fastigium. Pulchre S. Cyrillus ait: *auferet similiter Gigantem, & præpotentem quis nam demum est ille gigas, quis ille præpotens? Equidem existimo gigantem dicere eum, qui ad terminum metamque spiritualis fortitudinis peruenit.* Cyrillum æmulatur Procopius: *significat autem gigantis appellatio hominem illum, qui summum spiritualis fortitudinis fastigium sit adeptus.* In Ecclesia verò innumeros reperies diuos de genere Giganteo perfectionis, & sanctitatis. Perlege sequentes discursus.

D.Cyrill. Alex. *Gigas spiritualis dicitur qui ad summum sanctimonia fastigium extenditur.*

7. *Iudicem.* Floruit in Ierosolyma iustitia, habuit iudices integerrimos, qui causas dirimerent, sententiamque proferrent iuxta æquitatis, & legis normam. His orbata Ierusalem. Vide quæ annotauimus ad cap.1. Isaiæ: *iustitia habitauit in ea.*

Iudæa orbata iudicibus.

8. *Prophetam.* Cessauit apud Iudæos prophetia, nec tantum periere sancti Dei homines, qui spiritu Dei afflati, futura præcinerent; sed Ephod manifestatio, & propitiatorij oraculum obmutuit. De quo inferius disserendum.

Caret prophetis.

9. *Ariolum.* Apud Scripturam diuinitus inspiratam, & diuinos vates malè audit arioli nomen; vsurpatur plerumque pro superstitioso diuinatore, phanatico, & arreptitio. Dicitur ariolus ab aris, cui adstat, vt à mactatis hostiis spiritum diuinationis ebibat. Tertul. apolog.cap.23. *qui aris inhalantes, numen de nidore concipiunt.* Et Arnobius l.1. *Haruspices, has fabulas, coniectores, arioli, vates, & nunquam non vani concinnanere phanatici, qui à phanis, quibus Deorum æstro aguntur, dicti.* Quibus adde S. Isidorum lib. 8. Etymol. cap.9. *Arioli vocati propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt: iisque celebritatibus, dæmonum responsa accipiunt.* Diuinorum, ariolorumque superstitiosam vanitatem his versibus sugillat Ennius:

Quis sit ariolus. Tertullian. Arnob. *Ariolorum vana, & funesta sacrificia.* S.Isid. *Ariolos & aruspices sugillat.* Ennius.

Non habeo denique, nam si Marsum augurem
Non vicanos aruspices, non de circo Astrologos,
Non Isiacos coniectores, non interpretes somnium:
Non enim sunt ij aut arte diuini, aut scientia,
Sed superstitiosi vates, imprudentesque arioli,
Aut inertes, aut insani, quibus egestas imperat,
Qui sui quæstus causa fictas suscitant sententias,
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.

Adhuc in bonam partem accipitur Arioli nomen hic à LXX. interpretibus: nam pro verbo קסם Kesem quod transtulit *Ariolum* Vulgatus, ipsi legunt στόχαϛιν *coniectorem*, *siuè interpretem.* Quam versionem sequuntur Græci Patres, potissimumque Chrysostomus. Est enim coniecturalis scientia donum Dei, cum accipitur pro sapientia humana & ciuili, quæ ex coniecturis aliquid discernit. Ex signis, & circunstantiis comparatur, vt prudenter diiudicet in causis obscurioribus, quid hic & nunc expediat. Si perscruteris quod discrimen intersit inter vatem, & coniectorem? Respondeo diuinum Prophetam fari superno spiritu afflatum, eiusque vaticinium firmari veracitate Dei, cui non potest subesse falsum; at coniector verba profert ex probabilibus non omninò certis, principiis, mutuata, quæ humanæ menti, & prudentiæ, apparent verosimilia, legibusque conformia, non quæ omnimodam certitudinem, & infallibilitatem veritatis, & æquitatis important.

Ariolus in bonam parti acceptus significat coniectorem. Lect. heb.& LXX. D.Chrysost. *Scientia coniecturalis.* *Discrimen inter coniectorem, & vatem.*

10. De hac scientia coniecturali sapienter disserit hoc in loco Isaiæ, Pater ille, cui inest aureum eloquium: *Cùm Propheta verò dicit se auferre, & coniectorem. Hic mea opinione στόχαϛιν coniectorem, siue interpretem vocat, qui multa* D.Chrysost.

vi

vi intelligentia præditus, & ab ipsa rerum gestarum experientia coniecturis futura colligit. Et statim inter Prophetam, & coniectorem assignat discrimen: *Aliud quidem coniectura est, aliud quidem prophetia. Qui quidem diuino afflatus spiritu loquitur, ex sese nihil infert: qui autem materiam, occasiones ve prædicendi quidvis futurum, à rebus sumit prius gestis, suamque stimulans intelligentiam, multa futurorum euentuum prauidet, & vt par est, credere, potest homo peracri intellectu præditus, non pauca prænosse.* Et confirmat à simili, ex diuersitate, quæ in Salomone, & Elia apparuit: *arcanas enim res, & quæ in abditis fuerant gesta, vterque in medium produxit, ac reuelauit occulta. Ambo tamen non vsquequaque virtute eadem. Sed ille quidem discursu humana prudentia, & sagacitatis, arreptis ab ipsa natura argumentis circa meretrices illas mulieres; hic autem Dei gratia præuentus* (hoc est diuina reuelatione illustratus) *quæ procul facta erant, præuidit.* Hæc Chrysostomus.

Discursu, & humana prudentia in scientia coniecturali præualent.

Salomonis sagacitas in lite meretricum dirimenda.

11. *Senem.* Senes vocat in primis illos, qui non ætate, sed moribus incanescunt. Sapient. cap. 4. v. 8. *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Tales illos futuros vaticinatus est Ioel. cap. 2. *Senes vestri somnia somniabunt.* Non qui canitie temporum, sed morum albescerent, vt ait S. Cyrillus hic: *Senilem ætatem appellat (vt mihi quidem placet) virtutis præstantia prominentem, & progressam in ea longius, & quasi illustribus factis canam, & absolutissima prudentia eximiam, & admirandam.*

Senes non annis sed moribus incanescentes. Sap.

Ioel.

D. Cyrill. Alexand.

12. Iuxta litteram quoque vocantur senes viri grandioris ætatis, in quibus effulget species cana sapientiæ, & grauitate senilis ætatis vrbem ornant; iuuenibus sunt venerationi, eosque ad virtutem, & pietatem componunt. Ornatus est Reipublicæ seniorum senatus, & felicitas ciuitatum habere viros, qui ad vltimam senectam perueniant. Hanc temporaneam beatitatem promiserat Deus Ierosolymæ. Zachariæ cap. 8. v. 4. *Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem. Et viri baculus in manu eius præ multitudine dierum. Quæ res* (inquit S. Cyrillus Alexandrinus) *laudatio est temporum, & longæ pacis perducentis ad senectutis annos infantes, & mittentis ad senectutem, qui iam virilem togam induerunt, & omne tempus vitæ immunes à militia transmittunt.* Et paulo antè scripserat: *Diuturnam pacem daturum se pollicetur, quam Græci accommodatione κυρότροφον puerorum nutricem appellarunt. Natos quippe ad pubertatem perducis, & iuuentam ingressis, viam ad senectutem velut sternit, nemine vastante, non bello atterente, non pugna deuorante.* Hanc pacem, felicitatemque, deuastante Romano exercitu vrbem, Deus sustulit; perierant cum iuuenibus senes, spoliata est Ierosolyma seniorum ornatu. Magnum infortunium, & impendentis calamitatis, & proximioris exitij indicium, si de medio tollat Deus senes. Pulchrè S. Ambrosius lib. 2. de Abel. cap. 3. ait: *quàm beata ciuitas quæ plurimos iustos habet, quàm celebrabilis ore omnium, quomodo benedicitur tota de parte, & beatus atque perpetuus eius status existimatur. Quàm gaudeo cùm aliquos mites, ac sapientes diu viuere video, cùm virgines castas, viduas graues aspicio longæuas, velut quamdam incanam Ecclesiæ curiam prætendant, ipso quodam vultu, & specie grauitatis, quod reuereantur, quod imitentur, quo ad omnem morum gratiam colorentur. Non enim ipsis gaudeo, cùm viuendo multa habeant tædia sæculi huius, sed quia prosunt pluribus. Similiter cùm aliquis huiusmodi decidit, quamuis longa senectute depositus, afficior, quia destituitur grex iuuenum muro senili. Denique peritura vrbis, aut malorum imminentium, vel futuræ labis hoc primum indicium est* (alludit ad præsentem Isaiæ locum) *si decedant viri consultores, vel etiam grauiores fœmina.* Hæc Ambrosius.

Senilis ætas vrbes exornat.

Zach.

D. Cyril. Alexand. *Senum opulenta pacis regnorum signum.*

D. Amb.

Morum grauitas, & vita longæuitas in viris & fœminis, vrbes decorant.

Cum senex pius moritur, destituitur grex iuuenili muro, & magisterio senili.

Futuræ ruinæ indicium, cum decedũt consultores, & grauiores fœmina.

13. *Senem.* L X X. legunt *Presbyterum.* Approbant lectionem Chrysostomus, Basilius, Procopius. Dicuntur Presbyteri seniores ratione muneris, & dignitatis. Abstulit Deus à Iuda leuitas, Pontifices. Cessauit Sacerdotium ab eis. De quo infra.

Senex pro presbytero. Lect. L X X. D. Chrys. D. Basil. Procop.



Auferet Prophetam.

Ornatus Litteræ primus.

Apud Iudæos prophetia cessauit, omne Dei oraculum conticuit.



QVIS ignorat quot, ac quantis luminaribus vatum, ac vaticiniorum, firmamentum illud Iudaicum præfulserit, quibus ornatum & illuminatum fuerit fidei, & pietatis fulgoribus? Hodie hoc cælum vaticinij obscuratum, oraculum mutum; perfidia sua in Christum, propheticum lumen extinctum. Ritè Sanctus Athanasius lib. 1. contra Arianos scribit: *Eius temporis Iudæi verbum Dei inficiantes his verbis: non habemus regem nisi Cæsarem, omnibus bonis simul spoliati sunt, ac inopes facti sunt lucis, lucernæ, odoris, vnguenti, prophetiæ, cognitionis, ipsiusque adeò veritatis, immò nunc quoque nihil intelligentes, quasi in tenebris oberrant.* Cessauit in Israelitica natione omnis propheticus afflatus, & oraculorum omnium responsio.

Iudæi lumine prophetico orbati, in tenebris oberrant.

D. Atha.

2. In primis Iudæi Deum consulebant, eiusque beneplacitum explorabant in Sacerdotis rationali, seu Ephod, vt constat ex lib. 1. Reg. c. 23. v. 2. & 9. Erat autem in Ephod *rationale seu logion.* Exodi cap. 28. ornatum lapidibus pretiosis, in quo posuit Aaron: *doctrinam & veritatem.* Iuxta L X X. *declarationem*, & Hebræum: *illuminationes.* Quia Sacerdotum mentes per rationale illuminabat Deus, suamque voluntatem manifestabat.

Iudæorum oraculum, rationale seu Ephod.

Exod.

Lect. L X X. Lect. heb.

3. Ephod, rationaleque describit Anastasius Episcopus Nicænus q. 38. *forma Ephod erat vnius palmi: textura instar pectoralis ex filo aureo, & varia arte confecta, & in medio habebat auream stellam, vtrinque duos smaragdos, quibus erant inscripta duodecim tribus.* Hanc descriptionem Pontificij pectoralis amplificat Suidas, modumque consultandi diuinum oraculum per Ephod & rationale perspicuè proponit: *In medio habuit veluti stellam totam auream: vtrinque binos smaragdos, quorum vterque senas tribus Israeliticas insculptas gerebat, adamante inter vtrumque interiecto.*

Anastas. *Forma & contextura Ephod.*

Suidas.

In medio lapidum rationalis stella aurea micabat.

Modus consulendi Ephod.

terieclo. *Sacerdos igitur Deum aliqua de re interrogaturus, colligebat Ephod in pallio in medio pectoris, & infernè manus supponebat, & in Ephod intuens, rogabat Deum: quod si Deo interrogatio placuisset, statim fulgurabat Adamas, emissisque radiis lucebat. Sin displicuisset, suo loco manebat; si verò Deus populum occidendum daturus erat, sanguineus, sin peste afflicturus, niger fiebat.* Hæc Suidas.

Iuxta prosperos, vel aduersos euentus futuros variis coloribus Ephod fulgurabat.

Propitiatorij oraculum.

4. Quandóque Pontifici Iudæorum consulenti Dominum, suo vel principis nomine, diuina illuminatio, & afflatus propheticus emanabat ex templi oraculo, & diuina vox resultabat ex propitiatorio. Id testatur S. Chrysostomus tom. 5. orat. 3. contra Iudæos: *Si cognoscendum aliquid erat, è propitiatorio vox quæpiam è medio Cherubim prodibat prædicens futura; rursus è lapidibus, qui erant in pectore summi Sacerdotis,* (id vocabant declarationem) *relucebat fulgur quoddam futura significans.* Hæc de oraculo Ephod, seu propitiatorij; quibus omnibus præter Anastasium Nycænum, Suidam, Chrysostomum, assentiuntur Lyranus Isaiæ cap. 35. Abulensis q. 42. in cap. 27. Numer. Guillelmus Exodi cap 28. referens Sanctum Augustinum quæstionibus in Exodum, Iosephus lib. 3. antiquit. c. 9. Iulius Cæsar Bulengerus noster. lib. 1. de diuinat. cap. 2.

D. Chrys. *De medio Cherubim vox prodibat prædicens futura.* Anastas. Suid. D. Chrysost. Lyran. Abul. Guillem. D. August. Ioseph. Buleng.

5. Vtriusque oraculi & Ephod, & propitiatorij cessationem Iudæis minatur Oseas cap. 3. vers. 4. *Dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim.* Extrema verba meditanda. Nomine חרפים *Theraphim* intelligit sanctus Hieronymus, Cherubinorum simulacra, quæ hinc inde arcam cingebant, inter quæ residens Dominus, veridica dabat responsa. Lxx. legunt: *Sine manifestationibus.* Aquila: *sine illuminationibus*, quæ emicabant in logio, seu rationali, vt annotat hic Hieronymus Verbum δήλοι quod retinuere Lxx. *Manifestum, perspicuum, clarum, apertum* indicat. Suidas verò ait denotare: *Visa, somnia, ostenta, præsensiones.* Vt denotet Proto-Vates Oseas omne genus vaticinij, & oraculi à Iudæis ablegandum; non enim illucescet, seu apparebit illis Deus, neque per visa, neque per somnia, neque per ostensa. Enim verò audiendus est hic Theophylactus qui verbum Lxx. seniorum expendit, & illustrat legens: *Carentes Sacerdotio, & perspicuis.* Additque: *Ablata autem sacerdotij functione, neque perspicua erunt. Quid verò hoc sit, iam disce: Sacerdotum principi dependebat in pectore quadrangula spithama longitudine texturula, siuè textus panniculus λογεῖον id est, oraculi domus, vel locus appellatus, duodecim lapides continens, per quos futura denuntiabantur summo Pontifici, signis quibusdam diuinis in hisce factis, vnde logion hoc, seu panniculus ille, manifestationem, & veritatem habere dicebatur. Proinde eos non perspicuos fore dicit, id est, non habituros diuina signa, quibus futura cognoscant.* Hæc Theophylactus.

Oseas. *Ephod & propitiatorij responsis carent Iudæi.* *Quid denotet nomen Theraphim?* Lect. Lxx. *Manifestationes seu illuminationes.* D. Hieron. *Visa ostenta.* Theoph. *Sacerdotis, & futurorũ denuntiatione caret Iudæi.*

6. Nec dissimilis est Theophylacto Theodoretus δήλους, (inquit,) *diuinas prædictiones nominauit, & quod summus sacerdos rationali iudicij τὼν δήλων, id est ostentum accipiebat, & veritatem, & quod per quasdam significationes in illo factas, futura prædicebat. Vnde magnus Moses sacra tribui benedicens, inquit: date δήλους τῷ Λευί:* Alludit Theodoretus ad cap. 33. Deuter. vers. 8. *Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo.* habet Vulgatus: Lxx. verò transferunt: *Date Leui manifestationes eius, & veritatem eius viro sancto.* Quo in loco idem Episcopus Cyrensis hæc verba subiungit: *Humero Sacerdotis imponebatur rationale, quod continebat manifestationem, & veritatem. Nam per illud multa declarabatur. Claris autem cohæret veritas propter certitudinem declaratorum.* Promisit ergo diuinus Vates Oseas manifestationes, & perspicuitates auferendas, perpetuúmque silentium imponendum oraculo Ephod, & propitiatorio; nec verba cœlestia amplius ex adyto proferenda, orbandosque Iudæos propheticis visionibus, & locutione diuina.

Theodor. *Per rationale futurorum præsensiones suscipiebat Sacerdos.* Deuteror. Lect. Lxx. Theodor.

7. Stetit promissis Oseæ Deus, & multis annis ante Christi aduentum, nec in visione apparebat Deus suo populo, nec per Ephod, dignabatur alloqui, nec ex oraculo responsa dabat. Huius veritatis testem fidelissimum, & omni acceptatione maiorem habemus Iosephum. lib. 3. antiquit. cap. 9. cuius verba sunt: *Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex insutas Esseni gestat, in bello victoriam prænuntiare Deus solebat: nam prius quàm excercitus se moueret, tantus ex eis fulgor emicabat, vt toti populo facilè innotesceret, adesse Deum, opémque & auxilium suum inuocantibus esse allaturum.* Et subiungit: *Desiit autem tam Esseni quàm sardonyx fulgorem emittere, annis ducentis antequam hæc commentaremur, irato Deo propter legum suarum præuaricationem.* Iam ab illis retro sæculis esse cœperunt Iudæi sine manifestis, absque perspicuis, diuinisque fulgoribus, quibus diuina voluntas innotescebat.

Ioseph. *Ante prælia inuocandi fulgor emicabat ex lapidibus rationalis.* *Fulgores rationalis extincti ante Christi aduentum.*

8. Colludit cum Iosephi narratione, quod recenset S. Georgius Archiepiscopus Nicomediæ orat. de præsent. Mariæ in templo c. 7. ait etenim, à Sacerdote Zacharia introductã in sancta sanctorũ intra velamina, & oraculi adyta, & de puella sanctissima scribit: *Postquam autem fuit introductum eius spatium, quod est vel cœlis ipsis latius, signum eorum dissolutionis, quæ in templo fieri consueuerunt, eam statim viderunt gloriam quidem sua sponte ad eam currere, se autem ea in dies priuari animaduerterunt.* Omnia enim illa decora, quæ in templi sanctuario emicabant: mensa, candelabrum, altare, propitiatorium, tanquam Deiparæ vmbræ, & typus, ipsam præstolabantur qua præsente, templum omnia illa magnalia velut ad pedes suos abiicit; aboleri, & exulare permittit; adest viua mensa panem portatura cœlestem, & cibum vitæ omnibus præstitura, otiosa est propositionis mensa; adest candelabrum immaculatum auro charitatis micans, lumen inextinguibile portaturum, & ostentaturum, illuminans his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, non mirum si extinguantur candelabri lucernæ. Adest thronus purior, & sanctior Cherubinis, & Seraphinis, in quo sedebit Deus factus propitiatio pro peccatis nostris, ad quid prodesse valet propitiatorium? Apparuit oraculum oraculorum, & prophetissa prophetarum, virguncula sacra, in qua omnia sanctorum Dei hominum adimplenda vaticinia; finiatur visio, & manifestatio Ephod, & propitiatorij. Affulsit stella maris, iuxta nomen suum Maria illuminans, illuminatrix, comprimantur sacerdotalium lapidum illuminationes, prophetícique fulgores: *Gloriam quidem sua sponte ad eam currere, se autem ea* in

D. Georg. *Omnia templi decora ad pedes Mariæ trimæ in illius Adyta introductæ, sponte currunt, & abiiciuntur.* *Templi insignia, & luminaria, Mariæ fulgor obscurat.* *Cessant vmbra præsente veritate.*

in dies priuari animaduerterunt. Hoc idem proculdubio indicabat ornamentum illud Sacerdotalis Ephod superius assignatum, nam iuxta Anastasium Nicænum, Suidamque: *in medio habebat auream stellam, vtrinque duos smaragdos, quibus erant inscripta duodecim tribus.* Quis quantumuis tardioris ingenij hæsitabit hic tale ornamentum inclusum in rationali, arcano consilio, vt sanctissimam Deiparam portenderet stellam ex Iacob ortam, sidus pulcherrimum in signo Virginis habitans inter fluctus huius sæculi dirigens errantes, charitate aureum. Parentum magnalibus cingitur, non tam vt ipsam nobilitate exornent, Regiæ stirpis gloria coronent; quàm vt ab ipsa coronentur, tanti sideris decorentur, & illuminentur radiis: hæc vnica filia Israel natis maiorem gloriam contulit, quàm ab ipsis accepit. Ad rem ergo, lapis ille pretiosus stellares regerens candidantes radios viuam stellam Iacob expectabat, quæ dum suo iubare templum illuminat, materialis stella obtenebrata est, & abscondit lumen; adest dum stella matutina, & aurora coruscans, Iustitiæ solem paritura, obtenebrentur lapidis illuminationes, & fulgorum ambitum ex iis Mystæ amplius non requirant.

Anast. Nicæn. *Stella fulgurans in medio rationalis stellam Mariam adumbrabat.*

Ex Maria stella parentum magnalia mouent, & maius decus accipiunt.

9. Propheticæ gloriæ insulas à Iudaico populo abiiciendas prædixerat Beatus Iob cap. 38. v. 14. *Restituetur vt lutum signaculum.* Vbi ex Magni Gregorij calculo, Deus Israelem signaculum nuncupat, in quo omnia Prophetica lumina clauserat, & vaticinia venturi Redemptoris signauerat. De Israelitica plebe sic scribit summus Antistes lib. 29. moral. cap. 3. *quam dum tot miraculis ad terram promissionis duxit, dum perductam cognitionis suæ scientia impleuit, dum tot arcana secretorum ei per prophetiam contulit; quid eam aliud quàm seruandi mysterij signaculum fecit.* Et rectè de illius incredulitate, & dissipatione cælestium donorum subiungit: *lutumque se post signaculum in oculis veritatis exhibuit, cùm per impietatis malitiam, accepti verbi mysteria perdidit, & sola terrena sapere, quæ inquinant, elegit.* Diuinæ eruditionis schola facta erat Iudæa, & promus Condus in quo Deus thesauros, gazasque Regias Propheticorum oraculorum abdiderat, quas omnes insipienter profudit dum terrenas diuitias, & labiles voluptates plus dilexit, quàm Prophetici muneris auctorem, quem Prophetiæ tubæ tot sacris prædictionibus nunciauerant. Nec dissimilis est idem Gregorius lib. 9. in Iob cap. 16. dum fatur: *Sed ecce ille Israeliticus populus immenso dudum prophetiæ spiritu infusus, eius prophetiæ dona perdidit, atque in ea fide quam præuidendo nuntiauerat, non permansit, & à se redemptionis præsentiam negando repulit, quam cunctis se sequentibus prænuntiando, declarauit.* Hæc ille.

Prophetica gloria à Iudæis abrepta. Iob. D. Gregor. Magn.

Plebs Israelitica seruandi mysterij signaculum facta.

Conuersa in lutum, accepti verbi mysteria perdidit.

D. Gregor. Magn. *Prophetiæ dona amisit*

10. Eamdem Prophetiæ iacturam prædixerat Amos cap. 8. v. 11. *Ecce dies veniunt dicit Dominus: & mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commouebuntur à mari vsque ad mare, & ab Aquilone vsque ad Orientem: Circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient.* Quæ verba aptissimè explanat S. Cyrillus Alexandrinus: *famem enim* (inquit) *ipsis inducam verbi Dei, vt neminem prorsus prophetam inueniant, quamuis ab Occidente in Orientem currant: quamuis à Meridie in Austrum.* Et attexit sequentia: *Christo Crucifixo, famem verbi Dei senserunt infelices Iudæi, non enim amplius apud eos Propheta, non Magister accuratus, & diligens, qui crassitudinem Mosaicæ historiæ declarando velut extenuare sciat, & litteris sepulta mysteria eruere.* Cùm enim Verbum Patris occiderunt, ad quod dirigebantur eloquia omnia Prophetarum, omne verbum prophetale, quod ad ipsos fieri solebat, perdiderunt. Panem vitæ morte mulctarunt à se repellentes, de cuius mensa saturati Vates ipsum eructabant, ideò famelici & palabundi per orbem discurrunt ij, qui verbi abundarunt annona, cuius horrea Prophetica impleta erant saturitate; mensæ regiæ assistentes abundabant panibus, iam non licet inuenire micam prophetici oraculi.

Prophetici muneris, & deentis iacturam sentiunt Iudæi. Amos.

D. Cyrill. Alex. *Nullus apud eos propheta.*

Cum panem viuum Christum de medio sustulerunt, [illegible] prophetalis verbi famem patiuntur.

11. Vatidicæ Amos buccinæ consonat Dauidica Lyra spiritu pulsata diuino. Psal. 58. v. 7. *Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Cum canibus rabida fame enectis comparat Iudæos Psalmicen ex Theodoreti mente scribentis: *Quemadmodum enim, ait, canes vrbium plateas de nocte obire solent coacti hoc facere ob ventris necessitatem, sic isti omni cælesti prouidentia priuati erunt, & neque vaticinandi dono perfruentur, & Pontificia cura destituti penitus erunt, ac more canis circumcirca ibunt, & ne micis quidem, quæ à mensa Dominorum excidunt, secundum Euangelicam vocem, digni fient.* Canum ignominia notabantur Gentiles antequam eis affulsisset Euangelicum lumen, at Iudæi honorabantur nomine filiorum. Non est bonum, ait Iesus Chananeæ, panem filiorum mittere canibus. Sed iam Iudæi ex perfidia, & liuore in Iesum, redditi sunt canes egestatem patientes panis verbi, canes in filios transierunt, qui sedent in mensa Domini sui, nec iam micas quærunt, sed ipso pane vitæ saturantur.

Psal.

Theodor. *Iudæi omni cælesti prouidentia, & prophetiæ dono destituti. Iudæi nec micis cælestis mensæ digni.*

12. In lugubri illa nænia, qua cecinit Ezechiel casum diaboli, lamentatam quoque miseram Iudæorum sortem, qui ex tanto culmine gloriæ prolapsi sunt in immensas ærumnas, existimat Theodoretus. Ex cuius sententia, Vates cum Ierosolyma fatur cap. 28. v. 12. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Verba Theodoreti subscribo: *Iure etiam Ierusalem, quæ sacra & diuina vrbs appellabatur paradisum vocat habentem & Dei prophetiæ, & pontificatus maximi arbores, vitam salutemque subministrantes.* Enim verò Israelitica gens tanquam Cherub extentus in Ierosolymitana ciuitate morabatur, velut peculium Domini, cui sapientiam Patrum, nobilitatis decorem contulerat, cuius Pontificis vestimenta ornata erant omni lapide pretioso, quæ pulcherrimis arboribus prophetiæ, & sacerdotij, fœcunda & amœna reddebatur. Nec dissonat subsequens vatis encomium v. 14. *In medio lapidum ignitorum ambulasti.* Quid prohibet lapides ignitos nuncupare Prophetas? *Quod si Prophetas* (addit Theodoretus) *qui in ipsis fuere, lapides ignitos aliquis nominarit,* &c. Verè lapides igniti à flamma Dei, charitate ardentes, populum inflammantes, errantium mentes illuminantes, ex quibus prodibant comminationum fulgura, exhortationum fulmina: vere carbunculi, & lapides pretiosi, ex quibus sublimiori miraculo quàm ex lapidibus rationalis, emicabant illustrationes, manifestationes, & diuinæ visiones.

Ezech. Theod.

Iudæa paradisus erat prophetarũ, & sacerdotii arboribus consitus.

Theod. *Prophetæ lapides ignití.*

Inter

Inter hos lapides viuos ambulabat ille populus in monte sancto Dei, donec Deicidij iniquitas, & grande piaculum inuentum est in illo: quapropter iusto Dei iudicio eiectus est de monte Dei, de medio lapidum ignitorum expulsus, perdidit sapientiam, & decorem.

Zacharia silentium, cessationem sacrorum, & silentium prophetarum portendebat.

13. Quid arcanum delitescere sublimiori pensiculatione dignum in Zachariæ silentio, nemo ibit inficias, qui mediocriter fuerit versatus in sanctorum Patrum commentariis. Cùm enim oraculo Angelico didicisset Zacharias de lumbis senio emortuis, & vulua sterili, gratia virescentibus, processurum nouum sanctitatis germen Ioannem; taciturnitatem, & loquelæ impedimentum accepit pro signo. Sic fatur cælestis nuntius Lucæ cap. 1. v. 20. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem, quo hac fiant. Egressus autem non poterat loqui ad illos, & ipse erat innuens illis, & permansit mutus.* Huius silentij perscrutatur mysterium S. Ambrosius, de eoque grauiter ratiocinatur lib. 1. in Lucam: *Non vnius mysterium, nec vnius silentium est. Tacet Sacerdos, tacet Propheta. Nisi fallor, in vno vox totius plebis obmutuit, quia in vno totus ad Dominum populus loquebatur. Cessatio sacrorum, & silentium Prophetarum; taciturnitas Propheta, & taciturnitas Sacerdotis est.* Et alludens ad nostrum Isaiæ caput, hæc adiungit: *auferam, inquit, validam virtutem, Prophetam, & consiliarium. Et verè abstulit Prophetas, à quibus abstulit verbum, quod loqui in Prophetis solebat.* Denique celebrat Sanctus Doctor prophetiæ donum ad Ecclesiam Christi esse translatum: *Transiuit enim ad nos Dei verbum, & in nobis non tacet. Denique iam non potest Iudæus dicere, quod potest dicere Christianus: quia experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus. 2. Corinth. cap. 13.* Tanti Pontificis taciturnitas arcana est, ea silentium indicitur Iudæorum oraculis, & Prophetis, dissertitudo prophetalis linguæ obmutuit, prophetalium eloquiorum turba conticuit.

D. Luc.

D. Amb.

Dei eloquiū à synagoga ablatum, & ad Christi Ecclesiam translatum.

D. Amb.

14. Attexam pro coronide huius tituli, Eusebij Emisseni pulchra & erudita alloquia arcano Zachariæ silentio dicata; dum enim Deus ligat Prophetæ linguam, suam Eusebius in hæc aurea orationis fluenta soluit. Homil. 2. de S. Ioanne Bapt. *Erat Zacharias pater tacens, & permansit mutus. Quod vtique & fidem rei præsentis expressit, & mysterium figurauit; sub tempore deficientis synagoga, & nascentis Ecclesia, sacerdos conticuit; cessauerunt apud Iudæos ritus sacrificiorum, cessauerunt in lege officia sacerdotum, & impletus est sermo propheticus de Iudæis dicens: & non est in hoc tempore princeps, & Propheta, & dux. Propheta conticuit, prophetia cessauit. Merito tacuerunt Prophetæ, quia is, de quo prophetauerunt, venit, & impletum est quod dixerat Dominus, lex & Propheta vsque ad Ioannem prophetauerunt. Quid ergo opus est iam Prophetis, cùm ille præsens sit, qui Propheticis promittebatur oraculis? quis autem adhuc quasi in obscuro requirat lucernam, cùm disruptis iam tenebris successerit dies? Quis tenui luce stella micantis indigeat, cùm se iam per totum mundum solis splendor infuderit? Quid ergo dicturi sunt infelices Iudæi? Alterutrum faciant, aut Christum venisse consentiant, aut si renuunt, dent Prophetas, qui annuntient Christum esse venturum. Sed non opus est nuntiis, quando se ipsa veritas nuntiauit.* Hæc ille.

Euseb. Emis.

Sacerdotale, & propheticum munus apud Iudæos cessauit.

Adueniente Christo propheticis oraculis promissi, non sunt necessarij propheta.

Stella obscurantur orto sole.


Taciturnitas Vatum signū vocalissimum aduentus Christi.



Auferet senem, seu Presbyterum.

ORNATVS LITTERÆ secundus.

A Iudæis Sacerdotium ablatum.

1. DHVC perstat Vates in spoliando populo cælestibus donis; abstulit Prophetam, & prophetiam, nūc ruinam Sacerdotij serio minatur. Nec sola vox est vnius Vatis, quæ sacerdotales infulas auferendas prædicat, ferè omnium Prophetarum clamores, & minæ concordant. Idem argumentum Isaias replicat in vaticinio cap. 42. v. 3. quod Christi æquitatem, & iudicium ostendit in Iudæorum repulsa, & erga Gentes clementia: Inter alia hæc annuntiat: *& linum fumigans non extinguet.* Verborum spiritum ebibit Magnus Gregorius, nobisque ministrat lib. 33. moral. cap. 3. dicens: *quid verò per linum nisi eius sacerdotium exprimitur, quod lineis nimirum vestibus vtebatur? Quod quia in aduentu Domini charitatis ardorem perdidit, quasi amisso iam igne fidei, non ardens sed fumigans fuit.* Meritò per linum sacerdotalia ornamenta prænuntiat, nam cæruleo flore linum indicat cælestem futuram vitam sacerdotis; linum tormentis maceratum acquirit candorem, quia per mortificationem carnis peruenire debet Sacerdos ad Angelicam puritatem. Hæ vestes lineæ dignitatis Sacerdotalis in aduentu Christi fumigabant, quia latentem inuidiæ ignem erga Saluatorem fouebant, molestosque naribus fumeos vapores exhalabant; at fumus iste adyti, altaris, templi portendebat incendium; Saluator vero fumigabundum linum non penitus extinxit, quia sacerdotalem gloriam, quam à Iudæis sustulit, ad Gentes transtulit.

Isa.

D. Gregor. Mag.

Iudæorum sacerdotium linum fumigans sine fidei igne.

Carulum lini flos vitam calestem sacerdotum indicat.

Fumus lini portendebat incendium templi.

2. De infelici Rege Sedechia, qui fuit superstes Babylonicæ captiuitati, clamat Ezechiel sanctissimus Vates cap. 21. v. 26. *Hæc dicit Dominus Deus: aufer Cidarim, tolle coronam.* Regalis, & sacerdotalis trabea, ipso sacerdotio pereunte, de populo Israelitico sublata, Regum & sacerdotum sacra illa propago, per tot stemmata, & magnalia ad ipsum deriuata, in ipso abscissa, & finita est. Sapienter id adnotat Hieronymus: *Propterea, (inquit) Sacerdotium & regnum interiit populi Iudæorum. Cidaris enim insigne Pontificis est, corona hoc est diadema Regis indicium.* Nec vno verbo sententiam Vates definit, statim eamdem repetit ærumnam. Nam vbi habet vulgatus: *nonne hac est, qua humilem subleuauit.* Legit S. Hieronymus ex Symmacho: *neque hoc, neque illud.* Additque: *quia enim dixerat aufer cidarim, tolle coronam, subiunxit: neque hoc, neque illud, id est regnum cessabit, & sacerdotium.* Occumbente Sedechia, pontificia cidaris, & regale coronamentum de Iudaici populi capite cecidit.

Ezech.

D. Hieron.

Sacerdotiū, & regnum Iudaicum interierunt.

D. Hieron.

3. Nonne Daniel Ierosolymæ vastitatem post Christi necem, cessationem Sacerdotij, & Sacrificij promiserat? cap. 9. v. 26. *& post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus.* Pro quo legunt LXX. interpretes: *Exterminabitur vnctio, & iudicium non est in ea.* Ex quo enim sanctum

Post Christi mortem sacerdotium Iudæorum aufertur.

Daniel. Lect. LXX.

Digitized by Google

Sanctum sanctorum, vnctúmque à Patre præ consortibus suis, de medio sustulerunt; templum, sacerdotium, sacrificium, & imperium à se exterminarunt: Non ergo impij Iudæi fabellas iactitent, nugásque venditent, asserentes propter Ægyptiacam idololatriam euersam Ierosolymam. Ecce Daniel clamitat post Christum in Crucem sublatum funditus deletos, abolitum sacerdotium. Quem locum dilucidè expendit sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epistol. 249. Et grauiter ponderat, cum ruina Sacerdotij; Regalis dignitatis iacturam Danielem copulasse, nam hæc duo decora se mutuò fouent, & fulciunt, & vno deficiente, alterum labefactari, & collabi necesse est. Pelusiotam audi: *Exterminabitur vnctio, & iudicium non erit in ea, per vnctionem videlicet sacerdotium indicans, per iudicium autem regnum, ac ciuilem statum. Ac maximè quidem per sacerdotij extinctionem, regni quoque & aliarum rerum euersionem simul demonstrabat. Sublato enim, ac prorsus deleto eo, quod caput erat, maiorisque momenti, ne aliud quidem quicquam consistere poterat: nam regni quoque basis pietas erga Deum erat, quæ in Dei cultu posita censebatur.* Vtrumque diadema à se mutuo pendet & regni, & sacerdotij, deficiente erga Deum pietate, & cultu, labitur imperium. Quapropter apud Iudæos de medio sublato sacerdotio, regnum quoque interiit.

Isid. Pelus.

Sacerdotio sublato, regnum extinguitur. Sacerdotalis, & regalis corona iactura copulatur.

4. Discordia est inter Interpretes ad caput 35. Isaiæ: *Lætabitur deserta*. quæ sit ista deserta, & derelicta? Ecclesiæ primores desertam nuncupant nationes Dei gratiæ, & cognitionis expertes, & cœlestibus bonis destitutas, arescentes in siti, quia non irrigatæ sunt pluuia cœlesti, nec irriguo Prophetarum. At Lyranus desertam esse censet Iudæam, quæ in Christi aduentu iam erat orbata multiplici Dei dono. Ad cuius manifestationem hæc verba subiungit: *Quinque res notabiles defuerunt in secundo templo per Zorobabel ædificato, quæ fuerant in templo Salomonis. Primum est ignis continuus in altari holocaustorum: qui tunc per pluuiam vel ventum non extinguebatur, quamuis etiam subdio. Secundum est arca Testamenti. Vnde dicitur Ieremiæ capite 3. In illis diebus non dicent vltra: arca Testamenti Domini, nec ascendet super cor, nec recordabuntur illius. Tertium est vnctio Regum, & Pontificum: quia Pontifices qui fuerunt post captiuitatem Babylonicam, non fuerunt instituti per vnctionem sacram, sed instituebantur per Reges, quibus Iudæi erant tributarij, qui frequenter vendebant summum Sacerdotium. Quartum est Spiritus Sanctus seu diuinitas, quæ pro tanto dicebatur in templo Salomonis habitare: quia ibi à summo Sacerdote audiebantur diuina responsa, non autem in secundo templo.* Quintum ait esse Vrim, Thumim, seu manifestationes in lapidibus superhumeralis, aut rationalis fulgoribus, de quibus sermonem instituimus titulo præcedenti. In quinque prædictis magnalibus ait Lyranus Iudæam fuisse derelictam. Iam enim Dei prouidentia ordiebatur à captiuitate Babylonica, & post reditum ad domesticos lares, templi vastitatem, & derelictionem sacerdotij, cùm insignia illa in dies imminuebat.

Isai.
Iudæa deserta nuncupatur.

Lyran.

Quinque insignia in templo à Zorobabele structo, defuerūt. Primū: ignis perpetuus vētu, vel pluuiis inextinguibilis. Secundum: arca. Tertium: vnctio regū, & Pontificum. Quartū: Spiritus sanctus qui in tēplo Salomonis habitabat. Quintum: manifestationes in lapidibus rationalis.

5. Nec minori elegantia prædicta est à Vatibus, quos minores nuncupant, Iudaici Sacerdotij ruina. In quibus eminet Oseas capite 2. vers. 9. *Et liberabo lanam meam, & linum meum.* In quo loco Deus propter idolorum cultum, omnibus donis, & ornamentis Iudæam spoliat. Inter alias exuuias tollit lanam, & linum, hoc est Pontificalia ornamenta, diuinúmque Sacerdotium, vt annotat Rupertus dicens: *Sanctuarium Domini, & omnis cultus tabernaculi, vel sacerdotij eius de lana, & lino mirificè compositus.* Idem est ac si diceret, subiungit Rupertus: *Auferam illi vmbraticum quoque sacerdotium. Nam postmodum dicit illi: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Magna igitur vituperatio Sacerdotum einsmodi, cum dicitur lana, & linum liberari tanquam à seruitute ignobili.* Erat enim sacris illis indumentis velut captiuitas, & seruitus, inseruire vmbræ & typis; expectabant enim nobilissimam libertatem Christi Pontificis Summi secundum ordinem Melchisedech, vt Regalibus Sacerdotibus Emmanuelis ministris ancillarentur gloriosè, à seruitute liberat Deus vestimenta captiua, & ad libertatem transtulit Sacerdotum Christi, & filiorum Dei. Ideò non scribit Vates: *Tollam lanam, & linum.* sed: *liberabo.* Vt iam non ministrent illa decora Pontificia synagogæ ancillæ, sed Ecclesiæ liberæ.

Oseas.
Iudaa Pontificiis ornamentis exuitur.

Rupert.

Lana, & linū liberatur à seruitute ignobili sacerdotum.

6. Easdem minas iactat Ioel, in Prophetandi functione Oseæ collega, & socius capite 1. vers. 16. *Numquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri, lætitia & exultatio?* In quibus verbis quid arcani lateat dilucidè expendit sanctus Cyrillus Alexandrinus dicens de Iudæis: *Quia non destiterunt in incredulitatibus suis contumeliam facere, ab eorum conspectu, & tanquam è medio ablata sunt alimenta spiritualia, & abscessit ab eis omnis boni communicatio, periitque à domo eorum lætitia, & gaudium: dati sunt enim in desolationem, & in ærumna relinquuntur, nec Reges habentes, nec principem, nec sacrificium, nec altare, nec sacerdotem, nec manifesta.* Meritò nuncupat gaudium, & lætitiam, sacerdotium, & sacrificium, quia pij animi oblationibus diuinis exhilarantur, & quasi extra se positi sacris festiuitatibus, & Dei veneratione exultant in Deum viuum.

Ioel.

D. Cyrill. Alex.
Abstulit à Iudæis Dominus lætitiam, & gaudium in sacrificiis.

7. Sacerdotij quoque reiectionem virga illa apud Zachariam signabat à Domino repudiata, & abscissa. De duabus virgis loquitur Vates capite 11. vers. 7. & vers. 8. De baculo, qui appellabatur decorus subnectit hæc verba: *Et tuli virgam meam, quæ vocabatur decus, & abscidi eam.* In hac virga magnifica totum decus, & ornamentum sacerdotij fuisse adumbratum à Deo reiectum, affirmat Eusebius Cæsariensis libr. 10. de demonstratione Euangelica cap. 4. *Capiam virgam meam pulchram, & abiiciam eam. Hoc igitur vniuersæ gentis pulchritudinis, decorisque nomine diuinam legem, & quod in ea continetur Testamentum, merito appellat. Venerabilitas enim illa vrbis Hierusalem, & quæ in ea ad munus Pontificum, Sacerdotúmque pertinebant, decens quidam ornatus iis erat, qui talibus rebus ornarentur.* Abolitum est decus, & ornamentum sacerdotale, & omnis illa Pontificia gloria periit. Et rectè sacerdotium denotatur in virga, quia Sacerdos pastor est populi, & baculo pastor oues suas solet

Iudaici Sacerdotij repudium in virga abscissa apud Zachariam ostenditur.
Zachar.

Euseb. Cæs.
Omne decus Iudæorum abiicitur.

Digitized by Google

solet minare ad pabulum, & aquarum fontes. Hæc virga non solum dicitur abiecta, & repudiata, sed abscissa; quia decor ille funditus deletus, nec vllum vestigium melioris spei ipsis restat, nec eis iterum affulgebit gloria illa semel amissa.

8. Nec omittendus Beatus Iob, qui ex copiarum, & filiorũ ruina, in seipso exhibuit imaginem Iudaicæ vastitatis; in quo viro non solum mystica extitere verba, & opera, sed fuit etiam calamitas arcana. Ad doloris ergo ostensionem, qui in animo imperturbabilem patientiam, & inuictum robur ostenderat, tonso, & abiecto capillamento sacri verticis, in terrã corruit, vt collapsuram quandoque totam illã gloriam, & magnificentiam Iudaicam ostenderet. Iob c.1.v.20. *Et tonso capite corruens in terram adorauit.* Quid secreti lateat in capillitij abscissione, mirificè aperit assiduus mysteriorum Beati Iobi perscrutator S. Gregorius Magnus lib.1. Moral.c.11. *Quid per descissos capillos nisi Sacramentorum subtilitas: quid per caput nisi summa Sacerdotij dignitas designatur? Vnde & ad Ezechielem Prophetam dicitur: Tu fili hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos, & assumes eum, & duces super caput tuum, & barbam: Vt videlicet Propheta facto indicium Saluatoris exprimatur, qui in carne apparens, caput rasit, quia à Iudaico Sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit.* Iudaici Sacerdotij gloriam perdidit Deus cùm à Pontificio capite abscidit capillos. Capillamentum ornamentum est capitis, vnde cùm nouacula raditur, orbatum permanet honesto decore. Cùm ergo Iob tondet caput, & Prophetæ rasuram capitis perhibet Dominus, iudicium, quo Saluator synagogam multauit, ostendit. Reddidit illam spoliatam, & nudam sacerdotalibus infulis, & pontificalium ornamentorum glorioso decore.

Iob.

D. Gregor. Magn. *Sacerdotium Iudaicũ perciturum, detonsio capillitij apud Iobum demonstrat. Deus Iudæorum caput rasit, cum ab iis sacerdotium abstulit.*

9. Translationem istam Sacerdotij non obscurè innuebat in benedictione, quam Iacob arripuit, ille quo Rebecca mater Iacobum ditauit, & ornauit indutus. Vt hanc scænam artificiosius componeret, & seniorem patrem oculis caligantem deciperet: *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.* Genes. cap.27. v.15. Vestimenta hæc fuisse Sacerdotalia, & primogenituræ decora, quibus primogeniti ornabantur, ad offerendas victimas, sententia est Sancti Hieronymi, quæst. Hebraicis in Genesim, apud Glossam ordinariam scribentis: *Et in hoc loco tradunt Hebræi primogenitos functos officio Sacerdotum, & habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti victimas offerebant, antequam Aaron in Sacerdotium eligeretur.* subscribit Lyranus: *Vsque ad legem datam tempore Moysi, primogeniti erant Sacerdotes, & ideo habebam vestes speciales pretiosas, & odoriferas, quibus induti in magnis solemnitatibus, offerebant oblationem Domino.* Cœlesti spiritu edocta Rebecca sciebat stolam illam virtutis, & gratiæ, apud maiorem natu otiosam, & sepultam iacere, pigritantemque seruum in domo Domini esse, qui talentum in sudario abscondit, ideò illam iuniori donauit, qui luce meritorum redderet splendentem, & decoram. *Hanc stolam* (inquit Sanctus Ambrosius lib. 2. de Iacob. cap. 2.) *Ecclesia typo Rebecca protulit filio iuniori; stolam veteris Testamenti, stolam propheticam, & sacerdotalem, stolam illam Regalem, Dauidicam, stolam Salomonis, Ezechiæ, & Iosiæ Regum, & dedit populo Christiano, qui vti amictu sciret accepto, quoniam populus Iudæorum eam sine vsu habebat, & proprios nesciebat ornatus.* Præclaram cycladem regni, & stolam splendescentem Sacerdotij, despectam in suis promis tenebat Iudæus occlusam, ferè nullis vsibus aptam; prospexit Deus honori, & decori sacerdotalium, & Regalium infularum; pretiosa indumenta de Iudaico promptuario eduxit, dedit Christiano sacrifico, qui eius gloriam, & incomparabilem pulchritudinem agnosceret, & vereretur, qui hanc diploidem sacram, ad propitiandum Deum, & litandum diuinius sacramentum destinaret.

Genes.

D. Hieron. Glossa. *Primogeniti Iudæorũ sacerdotio fungebantur. Vestimentis pretiosis, & odoriferis vtebantur sacrificaturi.*

D. Ambr. *Stola sacerdotalis à Iudæis ablata, Christianis donata.*

10. Notatu, & admiratione digna sunt verba Malachiæ Prophetæ cap. 3. vers. 1. *Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis.* Dominatorem nuncupat IESVM, & Angelum, hoc est magni consilij, nimirum Paterni lætum nuntium. Cur ergo templum suum esse pronuntiat Vates? Nonne Salomonis erat, & nominabatur, vsque ad tempora sui aduentus? Hoc verò Malachias veridico ore protulit: *Veniet ad templum suum.* Quia templum, & Sacerdotium Emmanueli iure debebatur, ipse enim erat Dei vnigena, & MARIÆ primogenitus; primogenitis autem Sacerdotium erat decretum. Mens est, & acumen Ruperti Abbatis hoc in loco: *Quid porrò est: veniet ad templum sanctum suum, nisi veniet ad sacerdotium suum? Hic enim primogenitus est; primogenitorum autem erat Sacerdotium.* Nec minori argutia pendit verba illa Euangelistæ Lucæ cap. 2. ex Spiritus Sancti afflatu fuisse prolata, cùm de Virgineo partu loqueretur: *Et peperit filium suum primogenitum.* Cùm primogenitum proclamat, MARIAM summi Sacerdotis Matrem prædicat, ipsùmque natum iure hæreditario primogenitorum, sacerdotium suscepisse, ad vnumque Antistitem à Deo vnctum, & ordinatum, omnem illam sacerdotij gloriam fuisse translatam. Audiendus est iterum Tuitiensis Abbas: *Vbi venit sacrificium valens, rursus remoueri debuit sacrificium carnis, & sanguinis, cum sacerdotibus non quærentibus sacrificium fidei, & primogenitus vnus honorem primogeniti, scilicet sacerdotium suscipere debuit, vnus idémque & primogenitus omnium, & Sacerdos, & sacrificium, quod sciens diuinus Euangelista, cùm dixisset de illa, quam Virginem concepisse narrauerat: factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, statim subiunxit, & peperit filium suum primogenitum. Igitur primogenitum ante omnem creaturam, primogenitum in multis fratribus, & ideò sacerdotem dignum venientem ad templum suum, ad sacerdotium suum.* Hæc Rupertus Dei vox Euangelico Lucæ ore sonuit, cum IESVM in hanc vitæ mortalis lucem erumpentem, vocat primogenitum, vt mente percipiamus illum esse sacerdotem à Prophetis conclamatum, quem omnis cæremoniarum apparatus, sacrificiorum, & indumentorum ornatus expectabant, ad ipsúmque placidè, & gratanter declinasse, derelictis Iudæis, tanquam ad Sacerdotem æternum, & sacrificium toto orbe celebrandum, & dum mundus stabit, duraturum.

Malach. *Cur Salomonis tẽplum, suum nuncupat Iesus.*

Iesu Mariæ primogenito templum, & sacerdotium iure debebatur. Rup.

D. Lucas.

Rupert. *Cùm Iesus venit ad sacrificiũ valens, remouetur sacrificiũ carnale. Accepit sacerdotiũ Iesus tanquã primogenitus.*

11. Prædicta omnia, locutione illa: *Auferet Dominus*

Digitized by Google

Dominus senem, Isaias insinuauit, similique phrasi defectum Sacerdotij prædixerat Samuel lib. 1. Reg. c. 2. v. 31. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.* Senis nomine presbyterum intelligit, in his verbis, in quibus quoque Sacerdotij antiqui migrationem manifeste minatur. Audiendus est Eucherius citatus à Glossa: *Quis nunc fideli oculo hæc intuens, non videat esse completa, quandoquidem nullum tabernaculum, nullum templum, nullum altare, nullum sacrificium, & ideò nec vllus Sacerdos remansit Iudæis? Ecce dies, qui prænuntiati sunt, iam venerunt. Iudæus cùm videt sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum esse substractum, deficiunt oculi eius, & defluit anima eius tabe mœroris.* Hæc ille.

Lib. Reg.

Omnis templi ornatus à Iudæis ablatus.

Eucher. Gloss.

Iudæi liuore tabescunt ex felicitate Christianorum.

12. Age verò aliquid de arcanis noui Testamenti depromamus ad stabiliendam Iudaici sacerdotij reiectionem, ne sacra veteris Testamenti litteratura totum asserendæ, & comprobandæ veritatis munus vsurpet. In medium produco Caiphæ sacerdotum principis, vestem discissam; cùm enim ad eius tribunal Iudex Angelorum, & hominum comparuisset, essetque audacter professus dominationem, & diuinitatem suam: *Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua.* Matth. c. 26. v. 65. velut phanaticus, aut furore correptus insaniit in IESVM, cum attestans protulisse verba blasphemiæ; nec lymphati Sacerdotis signa stetere verbis, ad opera permearunt, cùm indumenta sacerdotalia ambabus manibus remouens à pectore, discerpit. Quid portenti lateat in impatienti vestium dilaceratione S. Hieronymus explanat in Matth. scribens: *Quem de solio sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendas vestes prouocat: scidit autem vestimenta sua, vt ostendat Iudæos Sacerdotij gloriam perdidisse, & vacuam sedem habere Pontifices.* Idem Hieronymus in Marcum canone. 194. ait: *Summus Sacerdos scidit vestimenta sua, hoc est Ephod, in quo habebant honorem Iudæi, amiserunt. Hic adest Samuël scisso pallio de manibus Saül, id est, regno. Milites Gentiles non scindunt tunicam Christi. Sacerdotes verò scindunt dignitatem sacerdotij sui.* Ast in prioribus Doctoris Maximi verbis nitet argutia, in quibus acri mentis examine ponderat actiones omnes Pontificias in Caipha reiectionem Sacerdotij portendisse. Cùm ordiretur iniquus Iudex, improbúsque Sacerdos iudicij telam, falsámque accusationem contexeret, annotat Euangelicus relator surrexisse de solio. Matth. c. 26. v. 62. *Et surgens princeps Sacerdotum, ait illi.* Quietis, & firmitatis impatiens stare non potest improbitas, reuulsa est sacerdotalis infula tempestate furoris, commotione liuoris, nec durare potuit, quæ non erat in Domino per gratiam radicata; cùm surgit de throno Sacerdos, Sacerdotalis trabea fugam capere tentat; ideò assurgit, vt locum daret inuitus Antistiti meliori: Is venerandum subsellium, iudicij integritatem vsurpat, quam mitrato viro inuidia denegarat; cum sessione honoris, domicilio gloriæ indignum indicat, & à se repellit, cùm assurgit. Summus Sacerdos cùm IESVM damnat, seipsum multat, & indignum indicat sacerdotalibus indumentis, ideò ea discindit, & iis se spoliat. Et quid mirum, si Ephod, in quo erat oraculum, & logion discerpat, & exulare cogat à Iudæorum domicilio, qui logion, & Verbum Patris interire, & perire cupiebat.

D. Matth.

Caiphas vestimēta scindens ostendit Iudæos Sacerdotij gloriam perdidisse.

D. Hieron.

Caiphas surgens de solio, vacuam reliquit Sacerdotij dignitatem.

D. Hier.

D. Matth.

13. Denique cœlestis tympanistria Maria Deipara in Cantico suæ exultationis dulcissimo carmine occinit Iudaici Sacerdotij repulsam. Lucæ cap. 1. vers. 52. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Marianam sententiam, ore suauissimo, & mellifluo prolatum oraculum, clarissimis verborum luminibus illustat sanctus Gregorius Thaumaturgus serm. 2. de annuntiatione sanctæ MARIÆ Virginis dicens: *Quibus sanè verbis Iudæorum eiectionem, & Gentium introductionem breuiter innuit. Iudæorum enim seniores ac scribæ in lege, & qui in reliquis prærogatiuis, ac priuilegiis diuites erant, quod malè suis diuitiis, ac potentiis vsi essent, hinc eos ab omni sede deposuit prophetia nimirum ac sacerdotij, legislatura atque doctrinæ, opulentiæ hæreditariæ, sacrificiorum, ac festiuitatum copiæ, dignitatísque Regiæ. His omnibus illi spoliati, profugi, ac mundi in captiuitatem eiecti sunt, & illorum loco humiles, qui ex Gentibus populi iustitiam esuriebant, exaltati sunt*, &c. *Nam vniuersam diuinorum bonorum sortem, qui ex Virgine natus est Christus Deus noster, in Gentes transtulit.* Hæc Gregorius ille miraculorum gloria clarus. Ex quibus manifestè liquet, Isaiam æquo iure minas illas iactasse, & adimpletum esse magnificè illud oraculum: *Auferet Dominus Deus exercituum à Iuda, & Ierusalem, Prophetam, & senem, seu presbyterum.* Hæc prolata sunt ad litteræ complementum, nunc eam discursibus pro more exornemus.

D. Lucas.

D. Gregor. Thaumat.

Iudæorū repulsā, & gētiū introductionem Maria canticō suo prædixit. Prophetiæ, & Sacerdotij iacturā vaticinata est.

Diuinorum bonorum sors in gentes translata.




DISCVRSVS I.

Eam versionem illustrat:

Et Gigantem.

Illi virtute Gigantes, sanctitate Heroes, qui ad superiora perfectionis fastigia se subrigunt, & apprehendunt Sanctimoniæ apicem.

1. INVENIES innumeros iustos, qui gaudent, & quiescunt statura pusilla, & vt sic loquar, pygmæa, in via virtutis, & spiritali perfectionis robore, nec ad staturam sublimem præpotentium bellatorum aspirant; sunt alij magnanimorum ausuum, virtute Dynastæ, perfectionis magnæ statura præditi, qui caput efferunt supra reliquos; & sicut Gigantes super reliquum vulgus proceritate corporis sese efferunt; sic isti spiritali virtute præcellunt: Sic nomen Gigantis in præsenti accipiunt S. Basilius, & Procopius; istius verba sunt: *Significat Gigantis appellatio hominem illum, qui summum spiritualis fortitudinis fastigium sit adeptus.* Et Basilij sunt sequentia: *Arbitramur eos Gigantes dici, qui antecellunt multos ad excipiendam scientiam, siue exercitium virtutis: Hos inquam Gigantes dici putamus.* Eminuerunt in illo populo nonnulli sanctitate celebres, moribus sublimes, supra

D. Basil.

Sanctitate Heroes, & Gigantes.

supra turbam fidelium caput extollentes; hi quoque ablati sunt, iuxta Isaiæ veridicum promissum; veruntamen ad Ecclesiam Euangelicam translati, in qua quotidie licet cernere diuos de sanctitatis genere Giganteo, veros Titanas amicos luminis, qui spiritus robore expugnarunt æthera, vitiorum monstra subiugarunt, quorum Gigantomachia celebrior pro arripiendo sanctimoniæ fastigio extitit.

2. Finxit Deus hominem, & ad paradisum transtulit, custodem fidelem horti deliciarum, & operarium à segnitie alienum constituit. Hæc transmigratio Dei ductu perfecta est, ignoraret homo paradisi semitam sine Magistro, & ductore Deo. De ea fatur, Genes. cap. 2. v. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Animum conciliat ad intelligentiam versio Ambrosiana in præsenti loco; *Et apprehendit Deus hominem, quem fecit.* Apprehendit, tenet hominem Deus, quia illum præcognouerat seruum fugientem; prehensat amoris retinaculis de manibus Domini elapsurum. Prehendit hominem, cuius naturam Deus futuris temporibus erat apprehensurus: *Semen Abrahæ apprehendit.* Apprehendit hominem, vt omni nisu virtutem arripere doceat. Arguté S. Ambrosius inquit lib. de paradiso. cap. 4. *apprehēdit Deus hominem quem fecit. Vides quoniam qui erat, apprehenditur? Erat antea in terra plasmationis suæ, apprehendit ergo eum virtus Dei spirans processus, & incrementa virtutis.* Genitali solo, terreno formationis habitaculo erat affixus Adamus, vt euellat Deus & radices affectionis amputet, ambabus manibus apprehendit; non minori, quam Dei potentia, indiget homo, vt patriam domum, & locum natiuitatis, licet abiectum, cuius stemma cœnum est, pro amore virtutis derelinquat. Erat Adamus de manibus diuinis enixus velut pupus, licet originali iustitia decoratus, inexpertus belli, & periculi, in virtutis stadio apprehensione Creatoris roboratur, induratur ad prælium: dum effingitur, à plasmatore tangitur, sed non apprehenditur; cum excitatur ad virtutis culmina; *tangit & apprehendit eum virtus Dei, spirans processus, & incrementa virtutis.* O geminatam Domini clementiam, cuius viscera iterum super plastem effunduntur! inspirauit in faciem hominis Deus spiraculum vitæ, vt efformet, vt viuificet, vt reddat Deo charum, & filium Creatoris; vt confirmet ad virtutis agonem, iterum spirat virtus altissimi; spirabat mensuras virtutis magnæ, virtus magna Dei; spirabat Giganteæ sanctimoniæ, progressiones Deus, vt à virtute magna spiratus, aspiraret ad virtutis fastigium, & apprehensus à Deo, apprehenderet diuinæ perfectionis, apicem, & culmen.

Genes.

Hominem apprehendit Deus, quia prænouerat fugacem futurum.

D.Amb.

Apprehendit Deus hominem, vt in eū maiores virtutis progressus aspiret.

Vt natiuitatis abiecta solum derelinquat homo, omnipotenti indiget manu.

Vt hominem Deus excitet ad eximia virtutis mensuram, iterum in eum spirat.

3. Abrahamum obtemperantem Deo, eiusque iussa exequentem in patriæ derelictione, proponit textus Sacer Genes. cap. 12. v. 6. *Et egressi sunt, vt irent in terram Chanaam, cumque venissent in eam, pertransiuit Abram terram vsque ad locum Sichem, vsque ad conuallem illustrem* Mysteriis, & contemplationibus abundat hic locus, si varias illius versiones enodemus. Lxx. legunt *vsque ad quercum altam.* aut *excelsam.* Alij in Catena Lipomani: *quercum timoris.* S. Cyrillus mirificus est in lectione sua: *pertransiuit terram Abraham, per longitudinem eius, vsque ad locum Sichem, ad terram sublimem.* Eamque illustrat argutis sententiis, ponderans magnanimorum ausus in sæculi abrenuntiatione, despicientia terrenorum, voluntatis abnegatione, vt possint scandere ad virtutis sublimitatem. Sic enim scribit Alexandrinus Antistes lib. 1. de adoratione: *Quisquis enim decreuerit diuinis obsequi præceptis, exeat is è voluptuosa vita totus omni ex parte, ac velut cum genere vniuerso, neque vllam mentis suæ partem ibi relinquat, vbi antea versabatur. Sic rectè proficiscetur, terramque pertransibit, ad quam est à Deo vocatus; vt quemadmodum scribit Beatus Paulus, possit comprehendere cum omnibus sanctis, quæ est latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum mysterij Christi. Tunc optimè ad terram sublimem ascendet, id est animi habitum, qui in superiore virtutum loco situs est.* Scripsi quantumuis multa. Sunt enim valdè præclara. Cerne quanta virtutum decora exornent iustum, vt pertingat brauium supernæ vocationis. Vt totus omnique ex latere, quæ sunt sæculi abrenuntiet. Patriæ suæ obliteret ex animo affectum, nec aliquod ibi memoriale, aut pignus derelinquat, quod possit esse retinaculum, vt iterum valeat prēsare eum mundus. Et examinans litteræ profundum: *Pertransiuit terram Abraham per longitudinem.* Magnitudinem virtutis proponit Cyrillus, cui commensurari, & coaptari debeat iustus, similem, qua Crux Domini in omnem mensurationem quaquà versus protenditur; vt abscondito Crucis profundo, & penè immensæ sublimitati, per virtutis exercitationem, & imitationem Crucifixi cohæreat; qui crucifixus est mundo, & Christo confixus est Cruci, optimam parauit ascensionem, vt ad terram sublimem, montemque perfectionis, in altitudinem eximiam sese porrigentem, valeat ascendere. Hoc idem astruunt spiritu diuino afflati versione sua Lxx. Seniores, cùm dicunt Abrahamum peruenisse *ad quercum altam,* seu: *excelsam.* Quercus alta, excelsa, & illustris Crux est, corpore Domini cohonestata, cruore eius roseo ditata, & velut indicis & fulgentibus margaritis ornata; dicitur quoque: *arbor timoris,* quoniam ea, quæ erat pauori, & horrori hominibus, transiuit in decus, & ornamentum Imperatorum, in diuinorum heroum reclinatorium, & delicias Martyrum. Qui ergo per latitudinem, & altitudinem sanctitatis extendens se ipsum in virtutis curriculo, peruenit victor passionum ad Crucis trophæum, meritò nuncupabis virtute excelsum, Giganteæ perfectionis statura sublimem. Cùm iuxta Crucis, & heroicæ sanctitatis fastigium se erigit, & assurgit & robur animi, & virtutum magnitudinem confirmat.

Abrahā Dei iussis obtemperans, peruenit ad terrā excelsam & sublimem.

Genes.

Lect. Lxx.
Catena.
Lipom.
D. Cyril.

D. Cyr. Alex.

Vt ad superiorem virtutis apicem iustus perueniat, omnia mundiana & terrena derelinquat.

Virtutis mensura similis commensurationi crucis.

Lect. Lxx.

Quid denotat quercus alta seu excelsa? crucem innuit.

Crux lignum timoris.

Virtute Gigas victor passionum perueniens ad Crucis trophæum.

4. Iam mirari desino Abrahamidi nominis immutationem à Domino factam. Genes. cap. 17. v. 5. *nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham.* Qui enim ad sublimia conscenderat, *pater sublimis* meritò nuncupatur, hoc enim præsefert nomen *Abraham*: Fuit enim diuinus Patriarcha mirabili animositate præditus, ad despicienda omnia terrena, & adipiscendum virtutum sublimes vertices Magnanimitatem istam celebrat Philo Iudæus libro secundo legis allegoriarum, lepidissimis sententiis,

Genes.

Abraham cur ornatur nuncupatione Patris sublimis.

Philo Iud.

Digitized by Google

sententiis: *Interpretatur* (inquit) *Abraham pater sublimis, laudandus vtroque nomine; mens enim quando non herili more animam territat, sed paterno imperat, non indulgens ei suauia, sed inuita obtrudens vitalia, omissisque omnibus rebus humilibus, & ad mortalia ducentibus sublimis immoratur contemplationi mundi, eiusque partium, atque etiam vlterius ascendens, numen ipsum perscrutatur, eiusque naturam, propter immensum amorem scientia; non potest manere in decretis pristinis, sed cupit migrare ad meliora.* Viguit in Abrahami pectore mira virtutis amplitudo, & dexteritas, cùm domitis affectibus reddidit cor suum aligerum, vt ad contemplanda diuina migraret; vitæ, quæ in actione, & contemplatione immoratur insignibus, illustrem reddidit Patriarcham argutus Philo, cùm relictis mortalibus; quæ possunt obtrudere sensibus suauitatis decipulam, constanter repulit. Inuenit etenim rectam, & solidam semitam commentationis diuinorum perfectissimè potiundæ abnegationem sui. Nonne vocabis Abraham inuictum Heroem, contemplatricis scientiæ magistrum, cuius pectus non sese capiebat, cùm perfruebatur aspectu, & agnitione rerum aspectabilium, quæ à fontana plenitudine diuinæ omnipotentiæ prodierunt; quinimmò per res visibiles, mirabiles fecit ascensiones ad Creatorem; & mirabili contentione seipsum prouocans ad meliora virtutum certamina, vt in vno ente, quo melius, quo iucundius nec esse, nec existimari potest placidissimè conquiesceret. O virum excelsum, ô patrem sublimem! non tàm stemmatis honore, aut propaginis fœcunditate, quàm virtutis exercitamentis, & contemplationis fructibus verè magnum.

Abrahã terrenis omnibus abiectis, erigebat animum ad diuiniora contemplanda.
Sublimis animus qui semper cupit migrare ad meliora.

5. Diuinæ sapientiæ mensam, instructúmque conuiuium describit Salomon cap. 9. Prouerb. vers. 1. & 2. in quo non tam demiror parata victimarum fercula, pretiosi, & mystici vini pocula, quàm diuersa inuitamenta ancillarum in triclinio ministrantium, & ipsius sapientiæ, quæ extitit in magna cœnæ symposiastes Sapientia ad cibillam suam excitat, in qua cibaria apposita deprædicat vinum, & panem. ibid. vers. 5. *Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* At ancillæ non ad conuiualia oblectamenta, sed ad murorum pinnas, & ciuitatis munimenta mortales conuocant. vers. 3. *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Quid discriminis, & portenti est hoc? Sapientia inuitat ad pocula in cratere mystico temperata, & puellæ à sapientia instructæ, inuitant ad mœnia? Sapientia ad panem, ancillæ verò ad murum? Nonne suauius, & efficacius homines vocati pellicerentur, si à sapientia, & puellarum choro simili voce, æquali prædicatione ad sponsi cœlestis conuiuium, & craterem musto diuino plenum, quod de latere suo effluxit, vocarentur? Cœlestis sapientiæ consilium omnino venerandum. Sapientia conuocat ad potum, & ancillæ inuitent ad murum. An quia diuinum Sacramentum contra hostiles insidias est fideli pectori loco arcis, & muri? Vel quia vrbibus orbis fidelis præbet præsidium, regnísque munimentum? Quis hoc deneget: alia mens latitat in sapientia præside ancillísque consiliatricibus Regiæ aulæ Imperatoris æterni. Cùm à sapientia homines cœlesti saginantur cibo, inuitantur ab ancillis ad virtutis sublimitatem, & charitatis superiora fastigia, hæ sunt murorum eminentiæ. Hoc indicat versio Tigurina: *Misit puellas suas inuitatum ad summam vrbis arcem.* Hebræus habet: *ad summitates excelsorum.* Vt accipiens sacram synaxim, hunc scopum à se collimandum prospiciat, æmulari non quorumcúque iustorum facinora, sed excelsorum, & ad perfectionis summæ apicem aspirare. Caietani versio continet leporem, & purpurati patris mens argutias: sic legit: *Misit puellas suas: vocauit super humeros excelsorum ciuitatis.* Sic scribit: *Locus autem vnde per virtutes diuina sapientia vocat describitur: super humeros excelsorum ciuitatis. Metaphora est significans quod virtutes missæ à diuina sapientia, officium vocandi exercent, non prædicatæ, nec scriptæ, sed portatæ super humeros hominũ, hoc est sustẽtatæ factu, viribus, & laboribus hominum, quemadmodum ea, quæ super humeros portantur. Virtutes itáque in factis consistentes excitant homines ad diuinum conuiuium.* Dum excelsi virtutibus, suis humeris ostentant virtutes deportatas, vt alios exemplo prouocent ad imitationem; nonne vides perfectos viros de genere Giganteo, diuinósque Atlantes, virtutum cœlos, & orbes suis humeris sustinentes? Has vires ex spiritali panis refectione acquirunt, ac virtutum simulacra longè latéque cõspicua, super humeros portata ostentent. Verum enim verò quia Vulgatus, & LXX. *Summitatem arcis, summitatem & humeros excelsorum* Non terminum à quo, sed ad quem vocant ancillæ, planissimè cõstituunt; *Vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Perfectæ virtutis culmina iis sententiis planè indicant, ad eáque capessenda hortantur sacræ puellæ eos, qui sacræ mensæ facti sunt participes: *Super humeros excelsorum.* Prædicant Euangelizatrices, vt ei exæquari studeant, qui statura virtutis, & præcelsa sanctitatis proceritate humero, & sursum supra reliquos eminent; quid mirum si spiritali robore Gigas euadat is, qui Gigantem IESVM, (sic à Dauide vocatur Psalmo 18. *Exultauit vt Gigas*,) comedit sub modico panis frusto occultatum.

Cur in Dei conuiuio sapientia inuitat ad fercula, & pocula, at ancillæ conuocant ad mœnia?
Prouerb.
In sacro conuiuio inuitantur homines ad murum, quia Sacramentum est animæ præsidium. Sagrantes cœlesti pane adiutis ad an-
cillæ ad murorũ pinnas hoc est ad virtutis eminentiam, & fastigium.
Lect. Tig.
Lect. Heb.
Caiet.
Virtutes non tam prædicatæ, nec scriptæ, sed humeris deportatæ, & actionibus ostẽtæ, à homines incitant ad imitationem.
Virtutes in factis consistentes, excitant homines ad cœleste conuiuium.
Sacræ synaxis participes spiritali robore Gigantes, virtutũ viua simulacra super humeros portant.
Lect. LXX.

6. Vt Iosue vinceret Amalecitas, Moyses in altum porrigebat manus. Exod. c. 17. v. 11. *Cúmq; leuaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autẽ paululũ remisisset, superabat Amalec.* Mosaicarũ manuũ eleuatio quid portẽdebat? Meritò perscrutaberis? Num auxilium præstolãdum de supernis, vnde porrigitur militãtibus robur, & victoria? Vatablus censet orationis feruorem, & deprecationẽ Moysis fuisse intentissimam, indicasti: *Quando Moyses* (inquit) *totus pendebat à Deo, & intentissimè orabat magna animi cõtentione, vincebat Israël; quando verò remittebat preces, tũc vincebant Amalecitæ: Manus illa exaltatæ contentionem orationis significant: Remissa vero remissionem orationis adumbrabant.* Sicut enim, animi amore feruentis, alacritas, in orando strenuitas, & conatus hostem superat; sic animus stertens, & remissus, facilè ab aduersario vincitur; sicut orationis intensio reddit hominem inuictum, ita remisso adaptat hostili manui palmam victoriæ; aduersarius ex tepiditate nostra aduersus nos incalescit, ex infirmitate roboratur, ex incuria nostra redditur potentissimus, irruitque in nos tanquam Gigas; at præliator robustus, qui erecto animo stat in prælio, orationis clypeo sustinens, & repellens aduersarium

Exod.
Quid denotet manuũ Moysis celsitudo.
Vatab.
Manus eleuata intensionem orationis, depressa remissionẽ denotabant.
Cùm orationi intendimus, animũ vincimus; cum ea frigẽt, & mens languet, vincimur.

Hominem amore ardentem, oratione feruentem, dæmon tanquam gigantem formidat.

rum ictus, nec sinit mentem labascere, aut frangi periculis irruentibus; pauorem incutit hostibus maiorem, quàm Gigantea statura subitò & inopinato prospectata à paruulis; illos enim reddit imbecilles, metuque contractos. Ast subtiliorem protheoriam excogitauit mens S. Nysseni, & ad eleuationem manuum Moysi discursum suum eleuat lib. de vita Moysi dicens: *populus autem siquidem eleuatas legislatoris manus respicit, vincit facile hostes, sin verò depressas, cedit hostibus; significat autem manuum Moysi in altum sublatio, legis in altissimos sensus accommodationem; demissio humilem, terrenam, litteralemque legis obseruationem.* Hæc Gregorius Nyssenus. Erant Iudæi obseruatores legis, litteræ tenaces, per eius humiles, & abiectos sensus repentes, nec extollebantur ad diuinorum mysteriorum contemplationes sublimes: Hoc denotat, manuum depressio inimicæ victoriæ. Qui vero legem amplectebantur iuxta mysticos sermones, & Christum in illis absconditum, & adumbratum, ad cuius æmulationem erigebant animos, perfectionis Christianæ sectantes documenta, hi Moysi manus non grauatas Leuiticis ritibus, & ceremonialium obseruationibus prospectabant, sed ad culmina virtutis tendentes, supra omne terrenum prominentes; velut pennati reddebantur, vt deserentes quidquid est corruptionis, & mortis particeps, ad altiora se extenderent, & ad vitæ immortalis apicem aduolarent; sic enim legislator manibus velut pinnis in altum sublatis, ad sanctitatis fastigium alumnos suos volatiles reddebat; his enim cedere hostes promittebat.

D.Gregor. Nyss.

Manus Moysi legis obseruatione deprimuntur, Christi Mysteriis & imitatione eleuantur.

Lot Angelicis monitis resistens, imperfectorum languorem in via virtutis adumbrabat.

7. Huic virorum fortium & heroum catalogo non esse adscribendum Lot, apparet ex suis verbis plenis timoris, & incredulitatis, cui Angelorum minæ lusus videbantur. Vt effugiat Sodomiticum incendium hortantur Angeli. Genes. cap. 19. v. 17. *In monte saluum te fac.* Ipse vero Angelicis alloquiis minorem, quàm par erat, fidem adhibens, respondet, ibi v. 19. *nec possum in monte saluari.* Lot alioqui iustus, virque misericordiæ, qui Angelos tugurio suo in specie iuuenum suscepit errantium, & aduersus Sodomitarum propudia sub culmine suo abscondit; verbis suis imperfectorum munus expressit, qui se imparatos, & imbelles iudicant, vt ardua perfectionis iuga valeant superare; sicut etiam Angeli sententiis suis officium perfectorum, quos hortantur vt de inferioribus ad montana contendant. Vnde Glossa inter lineas exarata ait: *In monte saluum te fac. In culmine virtutum.* Audiendus est S. Isidorus à Glossa ordinaria citatus: *altitudo montium speculatio est perfectorum, sed quia multi sunt iusti, qui mundi quidem illecebras fugiunt: sed tamen in actione positi, contemplationis apicem subire nequeunt, hoc est quod exiit quidem Lot de Sodomis, sed tamen ad montana non peruenit. Quia licet iam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo speculationis subtiliter non tenetur.* Coincidit in eamdem mentem Strabus Fuldensis: *Mons* (inquit) *altitudinem virtutum significat, ad quam Angelus hortatur secundum illud Marci 19. si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c. qui verò viderit se non posse conscendere, melius est vt in Segor, id est in paruula remaneat, contentus laicali, & communi vita, quàm*

Genes.

Glossa.

D. Isid.

Non omnes iusti ad virtutis apicem scandunt.

Mons, virtutis celsitudinem innuit, ad quam Angelus hortatur.

Strab.

Religiosa vita non est omnibus idonea.

montem virtutis arripiat, & ad sæcularia redeat. Non omnium commilitonum in palæstra virtutis decertantium est, ad alta conscendere, & sanctitatis summæ brauium rapere, aut contemplatricis facultatis primas tenere; vel ab Euangelicorum consiliorum norma, nec latum vnguem discedere; sed eorum qui lateri Christi adhærentes, eius vestigia sectantes, abnegarunt se ipsos, reliquerunt omnia sua, & affectum possidendi, à quo homo sæpè capitur, & tenetur. Mystico igitur facto Lot tantæ perfectioni se ipsum imparem iudicabat: *Nec possum in monte saluari.* Religiosæ vitæ, sublimia, ardua sunt prælia, impugnatores experti, & potentissimi; nec omnium est arma sua cum tot hostium armaturis admetiri, aut obsistere irruentium vndique hostium conatibus. Qui imparia arma tanto certamini, & inæquales vires ad ascensionem montis in se ipsis experiuntur, per tritam, communem, & planam viam gradiantur. Meliùs est in vitæ planitie saluari, quàm in cacumine montis perire.

Melius est in via plana sæculi saluari quàm in ardua Religionis semita damnari.

8. Audacissima illa Noë progenies, quæ temerario ambitionis affectu, famæ celebritatem æternare cupiebat, superbæ turris structuram tentauit, cuius celsitudine, si forte à Deo operiretur terra cataclysmo, à naufragio redderetur immunis. Impiorum consilium proponit Scriptura diuina Genes. cap. 11. v. 4. *& dixerunt: venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum.* Ex hoc loco, vt auctor est Philo Iudæus lib. de Gigantibus, & plerique alij, ansam arripuerunt Gentes ad concinnandam fabellam, qua celebrant Gigantomachiam, qua cohors Gigantum aduersus Diuos pugnauit, præsertim Iouem vt ipsum à cæli culmine, & regimine deturbarent. De qua Horatius lib. 2. carminum ode. 19. cecinit de Baccho Iouis adiutore.

Genes.

Phil. Iud.

Diuorum Gigantomachia ex turris Babel structoribus hausta.

Horat.

Tu cùm parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia.

Et lib. 3. ode 4.

Magnum illa terrorem intulerat Ioui,
Fidens, iuuentus horrida brachiis:
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.

Regnum Iouis affectarunt Gigantes.

Et Ouidius lib. 1. Metamorph.

Ouid.

Affectasse ferunt regnum cæleste Gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.

Quæ omnia eo fine allata sunt, vt alteram turrim Euangelicam illustremus, spiritalem, & diuinam Gigantomachiam. Lucæ cap. 14. v. 26. Sermonem instituit Iesus saluberrimis documentis plenum, & exhortationibus, ad sectanda perfectionis consilia, detestandas mundi illecebras, & amplexandam religiosæ vitæ crucem v. 18. hanc affert similitudinem: *quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne postea quam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Quid hoc in loco nomen turris præsefert? In varia abeunt interpretamenta primores Ecclesiæ. Magnus Gregorius sublimia præcepta; Basilius speculationis contemplationisque altitudinem; Nyssenus virtutis altæ perfectionem; Sanctus Theophilus doctrinalis sermonis sublimitatem, intelligunt; in Catena sancti

Turris Euangelica structura, & sumptus.

D. Lucas.

D. Gregor. Magn.

D. Basil.

D. Gregor. Nyss.

D. Theoph.

Digitized by Google

Hug. Card. *Ante religiosæ vitæ, & strictioris disciplinæ aditũ tantæ rei præmeditatio, & cautela commendatur.*

sancti Thomæ. At Hugo Cardinalis de religiosæ vitæ altitudine, & strictioris disciplinæ culmine, verba hæc Saluatoris aptissimè vsurpat, in quibus præmeditatio, attentio, & cautela commendatur antequam aggrediatur, quis arduam semitam, & struendæ turris curam, posteàque in proposito perseuerantiam. Sic loquitur Hugo: *Vnusquisque antequam aggrediatur ardua, debet meditari, si sufficient sit ad vitam arctiorem. Loquitur ergo Dominus per simile ædificantis, & meritò, quia mundum contemnere, parentes odire, seipsum abiicere, est ædificium construere, per quod ad cœlum ascenditur.* Posteà verò subiungit: *Dicemus hic turrim virtutum congeriem, seu vitæ sanctæ altitudinem, quæ multis sumptibus, & laboribus ædificatur, per quam solam ascenditur in cœlum.* Quæ omnia sunt valdè præclara, & appositè dicta. Verumtamen existimo sanctitatis Magistrum IESVM, mirabilem allusionem fecisse ad Babylonicæ turris structuram; turrique superbiæ, & impietatis opposuisse turrim Christi Euangelicam humilitatis, & vitæ perfectioris, per quam securè scanditur in æthera. Ritè S. Augustinus de turris molimine à Nemrod Gigante architectatæ inquit lib. 16. de ciuitate cap. 14. *Tutam verùmque in cœlum viam molitur humilitas, sursum leuans cor ad Dominum, non contra Dominum: sicut dictus est Gigas iste venator contra Dominum,* Non expugnatur cœlum superbia, sed abiectione, & quanto quisque ad ima deprimitur, tanto ad superiora culmina sanctitatis extollitur; nec sine examine prætermittenda verba diuina. Genes. cap. 11. vers. 5. *Descendit autem Dominus vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.* Quorum intelligentia non fugit mentem, & acumen Augustini lib. 16. de ciuitate Dei cap. 5. *Hoc est non filij Dei, sed illa societas secundum hominem viuens, quam terrenam dicimus ciuitatem.* Alia est turris, quam construunt filij terræ, filij sæculi, & improborum factio, iniquitatis consilio; alia quam ædificant filij Dei renuntiantes sæculo, paupertatis, & humilitatis ministerio. Ad molitionem vtriusque turris contrarij suppetunt sumptus; ad illam machinatores diuitias congregant; ad istam dispergunt; illa pro fundamento constituit contemptum Dei, extollentiam sui; hæc verò Dei glorificationem, sui despectionem; illa amplum famæ decus, nominisque celebritatem exambit; hæc verò amat ne sciri, & pro nihilo reputari; eorum Deus venter est, & quæ sub ventre nascitur Tyrannis; istorum institutum valedicere carni, & sanguini, abrenuntiare sæculi voluptatibus. Et vt humana transferamus ad diuina, hîc prospectare licet in spiritalis turris fabrica Giganteum prælium illo fabuloso longè celebrius, & diuinius; Heroum nisus, Gigantum cælestium conatus ad construendam celsioris vitæ, & eminentissimæ perfectionis arcem, violentorum certamina pulcherrima, ad expugnanda spoliandáque cælestia atria. Ad quorum pinnas conuolant expediti contemptis opibus mundi. Acutè ad ea verba Matth. cap. 19. *Ecce nos relinquimus omnia,* declamat S. Bernardus: *rectè fecisti Petre quia sequi non poteras oneratus eum, qui exultauit, vt Gigas ad currendam viam.* Verè Gigas IESVS, & Gigantum Magister, & pater, qui Apostolos non terræ natos, sed Titanas

Turris, hoc est virtutum congeries, & sanctæ vitæ altitudo magnis sumptibus, & laboribus construitur.

Turris humilitatis, superbiæ arci opposita.

D. August. *Tutam ad cælum viam molitur humilitas.*

Non filij Dei, sed Adam, terrenam ciuitatem ædificant. Genes. D. August.

Turris cælestis, & terrestris quam varijs, & oppositis sũptibus fabricetur.

Giganteum prælium sublimius in ædificio Euãgelicæ turris.

D. Matth. D. Bernard. *Gigantẽ Iesum sequi nõ poterat Petrus Terrenis oneratus.*

Solisque filios documentis, & factis ad turris Euangelicæ fabricam excitauit, per eam abituros, & conuolaturos ad cœlum. De filiis Adæ loquitur Sibilla lib. 3. oraculorum: *Quidam turrim ædificauerunt excelsam tanquam ascensuri in cœlum per eam.* Sed euanuit eorum consilium, perierunt in cogitationibus suis, irritique euaserunt eorum improbi conatus, quibus verba Christi rectissimè aptabis: Hi homines posuerunt fundamentum, & non potuerunt perficere, cœperunt ædificare, & non potuerunt consummare, meritò ab omnibus irridentur, & exsibilantur: at verò Christi Heroes, & Apostolici Gigantes, religiosi instituti fundatores, turrium diuinioris vitæ machinatores, robustissimique structores, Benedictus, Basilius, Augustinus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Ignatius, similésque alij virtutum munimenta, & diuinioris disciplinæ arces ædificarunt, quibus tutum præsidium inueniret Ecclesia contra timores errorum, & criminum nocturnos; speculas, & pharos construxerunt, quibus iusti in tuto collocati præcauerent feruentis maris huius sæculi scyllas, & Charybdes, in iisque inuenirent solidam, & securam ascensionem ad possidenda cœlorum culmina. Huius ædificij sumptus strictior obseruantia, seuera consiliorum disciplina, humicubatio, secessus, silentium, solitudo, paupertas, feruentissimus animarum zelus, denique ab omni carnis oblectamento mira segregatio.

Sibill. *Religiosi instituti fundatores Ecclesiæ Gigãtes, turrium diuinioris vitæ machinatores.*

Hæ artes quibus expensis constructa.

9. Denique Giganteam virtutem, non in corporis robore, sed in animi dispositione, & habitu perfectionis studioso constituas. Exprobrabat Nicobulus staturam pusillam vxoris Alypianæ, filiæ Gorgoniæ Gregorij Nazianzeni sororis, illúmque bellè, & acutè pungit suis verbis Theologus epist. 155. scribens: *Alypianam apud nos cauillis incessis, vt paruam, ac tua proceritate indignam, ô magne, & vaste, ac Gigantine, tum forma, tum robore, nunc demum intellexi, animum mensura subiici.* Et de Alypiana subiungit: *Eam orationis causa humi curuam esse, ac per ingentes mentis agitationes perpetuam cum Deo consuetudinem habere. Quid hic de tua sublimitate, corporisque mensura te iactabis?* Quid prodest vasta, & horrenda corporis forma, & virtutis statura exigua? non ex Gigantea proceritate mensuranda virtus magna, sed ex animi strenuitate, & robore; sæpè in breuiori corpusculo Heroina sanctimonia absconditur, cùm animus non coarctatus pusillitate membrorum, erigitur strenuè ad sublimiora perfectionis fastigia possidenda.

Gigantea virtus non in corporis robore, sed animi dispositione, & virtute consistit.

D. Gregor. Nazian.

Animus mẽsura non subiicitur. Gorgoniæ pusilla statura non obstitit præclaris, & magnis virtutibus.



Validum, & fortem.

DISCVRSVS II.

Aduersus hostiles insidias inuictum, & adamantinum reddit hominem Dei gratia.

1. LABILIS valdè, & infirma est humana mortalitas, obnoxia criminibus, exposita variis vitiorum lapsibus; sed diuinum

Dei gratia animæ retinaculum in hostium impulsibus.

diuinum numen retinaculum quoddam, & firmamentum prouidit, quo in incursibus hostium robustissima staret, & in maiori impulsu vitiorum cohiberetur, ne in præceps rueret; Nimirum gratiam Dei, qua fortis redditur infirmus, & imbellis robustus. Rara admodum, & ab Ecclesiæ proceribus, miris plausibus celebrata Dauidis cum Golia dimicatio, & de vastissimo illo Gigante immanique monstro reportatus triumphus, in quo perscrutatur Doctor ille, cui inest aureum eloquentiæ flumen, cur adolescens belli inexpertus, carneam illam turrim deiecit, strenuissimum Philisthæorum ducem in certamine exercitatissimum, strauit? Et respondet victoriam adeptum puerum, qui comitem, & auxiliatricem habebat gratiam; Gigantem tali præsidio, & auxiliari copia destitutum, deuictum. Chrysologi verba hæc sunt, ex homilia 46. in Genes. mutuata: *Vidisses tunc inopinatas admirabilesque res, armatum ab inermi deiectum, reique militaris peritum ab eo prostratum, qui præter pastoralem artem nihil sciebat. Quare, & ob quam causam? Quia hic quidem habuit supernam gratiam se adiuuantem; ille autem ea carens, in huius manus venit.* Non aderat Dauidi gladius, galea, clypeus, quibus se ab hoste tueretur, aderat tamen gratia omni armatura potentior, qua instructus præpotentem certaminis Imperatorem extinxit, acies fugauit hostiles.

Dauidis cum Gigante conflictus.

D. Chrysol.

Dauid inermis, & Dei gratia nutritus armatum hostem deiecit.

2. Huic duello Psalmum 143. vatidicus pastor sacrauit, cui titulus præfixus: *aduersus Goliath.* Vel iuxta Sancti Augustini lectionem: *Ipsi Dauid ad Goliam.* Vt progrederetur ad prælium, pro armamentario elegit torrentem, pro armis petras, quarum vna Dauidis manu validissima in caput hostis directa, in fronte infixa, carnulenta turris nutaret, & rueret. 1. Regum cap. 17. v. 40. *Elegit sibi quinque limpidissimos lapides, & misit eos in peram pastoralem.* Hic locum habent suum Sancti Augustini verba salibus, & argutiis plena. S. Doctor inquirit qua in pera sunt reposita saxa, instrumenta victoriæ? Et respondet in vase pastoricio, in quo vbera ouium lacte distenta pastores premunt, & lactei latices exiliunt; vt lacte, quod gratiam innuebat, lapis perlitus, & inunctus, operaretur victoriam. *Lapides quinque,* (inquit Aurelius vir immensæ subtilitatis in Psalm. 143.) *coniungere volens gratia, posuit in vase pastorali, in quo lac mulgere consueuerat; significatur gratia lacte. His armatus, gratia vtique armatus, & ideò præsumens non de se, sed de Domino suo, processit aduersus Goliam superbum.* Epistates Deus alumnum suum Dauidem ad hoc scamma prodituram diuinæ gratiæ ceromate inunxit, & humilitatis iniectæ puluere inspersit, vt vinceret; ideo liniuit lapidem lacte, quod gratiam adumbraret operatricem victoriæ; & erat cernere tunc egregium facinus, lapis lacte illitus iactatur ex funda, & fronti Goliath infigitur, vt lacteæ gratiæ guttæ velut margaritæ inter perfidi cruorem albicarent; & velut tituli inscriptio rubris, & lacteis characteribus vocem ederent tuba clariorem: superbiam vincit humilitas, & gratia reddidit inuictum pastorem; imbellem reddidit inflatum pugnatorem. Gratia adiutus lapis fixus est in fronte, vt per cranij aperturam, non per nasum solum, furor & ira Gigantea fumarent; & per vulneris hiatum superbiæ venti & flatus erumperent.

Titulus Psalmi 143. Dauidis duello sacratus.
Lectio S. Aug.

Lib. Reg.

Quæ pastoralis pera, in qua reposuit quinque lapides Dauid.
D. Aug.

Pera pastoralis, vas in quo lac mulgere consueuerat.

Denotatur gratia lacte, qua armatus, Dauid aduersus Goliath prosiliit.

Giganteus furor, & flatus erupit per vulnus.

3. Vati Amos vni ex duodecim, celebris visio obiicitur cap. 7. v. 7. *Hæc ostendit mihi Dominus: & ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij*: Pro *trulla cæmentarij*, legunt LXX. interpretes: *& in manu eius Adamas.* Trulla, & adamante innuit Vates præsidium, & protectionem, quam in manu Domini, & custodia habent iusti. Rite ergo scribit Hieronymus: *Habet in manu sua adamantem: qui nisi Dei teneatur manu, & illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem, dicente Domino in Euangelio: nemo potest rapere de manu Patris mei. Et in tantum robustus est, vt dicatur ad eum: si transieris per ignem, flamma non comburet te: quantòque magis tentationibus cæditur, tantò fortior fit: & pro nomine Saluatoris inter flagella lætatur.* O quantum præualet iustus manu Dei protectus, vndique clausus, illiusque vallatus auxilio! non rapiet dæmonis miluus pullum, qui sub alarum Domini congregatur, & protegitur velamento. Reddit iustum gratia Domini virum instar adamantis indomabilem; nec cruciatibus cedit, nec tribulationum bustis absumitur, in equuleo positus, excruciatus, excarnificatus, ferreis vnguibus exarato corpore, sulcisque carnis sanguine fluentibus, animus exultat: omnia adamantis insignia in viris fortibus, testibusque fidei quotidie licet cernere, qualia enumerat Doctor maximus: *Adamas sui nominis lapis est, quem Latinè indomitum possumus appellare: eo quod nulli cedat materiæ, nec ferro quidem. Nam si ponatur super incudem, & graui ictu feriatur mallei, antea incus, & malleus vulnus accipiunt, quàm Adamas conteratur. Cùmque ignis omnia domet, vniuersa metalla consumat, reddit adamantem duriorem: vt ne paruulum quidem in eo angulum vis nimij ardoris obtundat.* Hæc Hieronymus.

Amos.

Iustus manu Domini, & illius præsidio redditur adamantinus.
Lect. LXX.
D. Hieron.

Iustus quanto tentationibus cæditur, tanto fit fortior, & lætior in aduersis.

D. Hieron.

Adamas lapis indomitus ferreis ictibus.

Ignis reddit adamantem duriorem.

4. Talis fuit Saluator & Emmanuel virorum omnium fortissimus, veræ virtutis, & fortitudinis exemplar, iuxta Origenem Adamantium, Adamantis decora Christo Domino adaptantem, cùm extendit locum Amos iuxta LXX. lib. 2. in Iob. sic fatur: *De quo dicit Pater: ecce ego ponam adamantem in medio populi mei, quem nec ignis tentationum in deserto comminuit, quem non plagæ impiorum in Cruce contriuerunt, quem sepultura sepulchri, nec mortis introitus, vel inferorum violauit, sed omnia superans, diuinum, & incorruptibilem se adamantem fuisse demonstrauit.*

Orig.

Lect. LXX.

Christus adamas tentationibus, & passionibus inuictus.

5. Talis est vir iustus superno auxilio munitus, vt scribit Chrysostomus homil. 4. in Genesim. *Adamante enim solidiores Dei gratia nos efficit, & si volumus omnino inexpugnabiles. Itaque sicut qui adamantem tundit, nihil adamanto nocet, sed seipsum fatigat, & robur suum imminuit; in hunc modum res se habent nostra cum salutis aduersario, si armis quæ nobis Spiritus sancti gratia exhibet, continuò nos muniamus.* Si adiuuanti, & penè immensas vires suggerenti Dei gratiæ cooperari volumus, reddimur insuperabiles, indomabiles, inflexibiles ad improbitatem; nulla hominum malitia, non dæmonum insidiæ & insultus, nulla res aduersa aduersus nos præualebit, sed quadam excellenti animositate omnibus mundialibus, & caducis

D. Chrysost.

Iustum adamante solidiorem reddit Dei gratia.

caducis

caducis huius vitæ rebus euademus superiores. *Qui adamantem tundit, nihil adamanto nocet, sed se ipsum fatigat.* Nocet machinatio improbitatis improbo, non iusto, aduersus quem machinatur, tunde illius pectus aduersis, verbera flagellis tergora, si virtus in causa est perpetiendi, nullum damnum inferunt plagæ, quinimmo perpetientis ostenditur adamantina virtus, eius prædicatur felicitas, dum ipsius sustinentia fatigatur improbitas.

6. Perscrutatur Origenes cur post primum aduersitatis incursum, opum, & filiorum iacturam, iterum Deus permisit Iob dæmoni ad interitum postulanti. Iob cap. 2. v. 6. *Dixit ergo Dominus ad Satan: ecce in manu tua est.* Primo infortunio spectaculum patientiæ, omni virtute adornatum in se ipso expressit iustus, Lydio tribulationis lapide exploratum est aurum fidei, & charitatis in Deum, cur adiicitur aduersitas secunda? Vt ostendat Deus fidelis serui virtutem omni malitia dæmonis superiorem, & exhaustis omnibus iaculis pharetræ suæ, adhuc superesse inuicti peccatoris scopum, in quo alia peruersitatis suæ tela collimet. Antea eminùs pugnabat Diabolus, dum illum gloriæ ornamentis spoliat, nunc cominùs certamen instaurare permittitur, & in manu iniquitatis operatrice, omnis doli artifice, traditur, vt experimento edoctus cernat hominem terrenum superiorem factum inimico carnis experti, omnis nequitiæ armis induto. Nec validissimo hosti Deus Iobum obiiceret, & in potestate principis tenebrarum collocaret, nisi tantæ virtuti fideret, & speraret in prælio inuictum, Diaboli triumphatorem. Pulchra sunt Origenis verba lib. 2. in Iob: *quemadmodum si teneat in manu sua quis adamantem, & alius quilibet dicat ad eum: da mihi hunc adamantem in potestatem, & ego illum comminuam in ignem, conteramque ictibus, ille vero qui eum in manu habet, confidens verè quia adamas est, dicat: tolle, proba, experire, quia nequaquam huic adamanti praualebis: sic ergo & omnium cognitor, atque præscius Deus, velut inuiolabilem adamantem habens Iob, quærenti diabolo dedit eum in potestatem, confidens verè quia verus adamantus est Iob.* Contradidit Deus Iobum inimico, incude tentationum tundendum, conterendum peruersitatis suæ malleo; vt omnibus ictibus infrangibilem, insuperabilem, indomabilem adamantem cerneret. Illud tamen ad commendandam Iobi gloriam est valde præclarum, quod tribulationis opes, & magnificentiam fidat homini Deus: *confidens verè quia verus adamantus est Iob.* Quis conqueratur de aduersis, laboribusque, quandoquidem manifestè indicant quanti pendat virtutem hominis altissimus; magnam equidem ærumnam cum homine non componeret meritorum metator, roboris pensiculator, nisi præsciret in animo latitare virtutem robustam, & gratiam ad sufferendum tentationis onus, & superandum hostem. Magni tribulationum impetus pectus tuum quatiunt, ne animo decidas, de sapientia diuina proueniunt & liberalitate, quæ virtuti tuæ fidit: Magna tribulatio, magnum attrahit auxilium, & vberioris gratiæ diuinæ consortium. Non pulsat animum tuum aduersitas? Caue, & dole, ne diffidat virtuti tuæ Deus, & velut imparem tanto certamini te despiciat.

Iob. In secundo conflictu cum dæmone, virtutem Iobi Deus explorat.

Origen. Iob, virique iusti tamquam adamantes traduntur hosti. Nulla aduersa virtus adamanti praualet. Fidit Deus iustorum virtuti, inter aduersa.

Cum iusti robur gratia præuenit, commensurat tribulationem Deus.

7. In eo potissimum facinore exerit vires suas Dei gratia, vt homo constanter disrumpat nexus inueteratæ in sceleribus vitæ, & alacriter emergat de vitiorum colluuie, de criminum voragine. Exemplum perillustre accipe ex Lot, & illius cunctatione ad derelinquendam vrbem, cui iam imminebant sulphurei ignes. Genes. cap. 19. v. 16. *Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius.* L X X. Interpretes efferunt verba: *& turbati sunt: & tenuerunt Angeli manum eius.* Aquila legit: *Cunctabatur.* Sanctus Ambrosius: *& tum adhuc morabatur Lot.* Scholiastes L X X. *profectionem adornabat.* Quantas moras nectit peccator, quem Lot cunctatione sua adumbrabat, vt ex ergastulo inolitarum passionum egrediatur, & inueteratam consuetudinem peccandi derelinquat; cùm ad meliorem vitæ frugem, vt se recipiat, admonetur; tergiuersatur, protelat de die in diem tempus melioris vitæ; cùm auolare cupit de tricis sæculi, quibus præpeditum se sentit, irruit super eum formido, & pauor; indiget superna manu, quæ eum à domesticis, & notis euellat. Pulchrè S. Cyrillus Alexand. in hac Lot cunctatione iuxta mores philosophatur lib. 1. de adoratione: *Nos non verbis tantùm, & commonitionibus in animum immissis incitari, vt à peccatis recedamus: sed etiam ad eam erga nos benignitatem descendere omnium Saluatorem Deum vt efficaci nos auxilio iuuet, iuxta illud: tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me Nam quia hominis natura non est admodum firma, neque satis virium habet, vt emergere è vitiis possit; opem illi fert in ea re Deus.* Non solis admonitionibus, verborumque illecebris demulcendus peccator, vt abrenunciet vitæ criminosæ; indiget quoque superno adiutorio, vt mittat Deus manum suam de alto, quæ eum ducet de regione tenebrarum ad lucis regnum: Natura hominis, & conditio fragilis, & infirma, quæ suopte pondere relabitur ad voluptatum laqueos; at excelsi dextera roboratur, vt eos disrumpat, & odio prosequatur vitam criminibus obnoxiam, quam antea diligebat.

Eximium gratiæ facinus inueteratam flagitiis vitam dirimere.

Genes. Lect. L X X. Aquila. Peccator in sui salute moras nectit. D. Amb. Schol. L X X

D. Cyrillus Alexand.

Vt à peccatis, & vitiis emergat anima, valentiori auxilio iuuat Deus.

8. Inter primam hominis plasmationem, & ipsius reformationem, maximum discrimen agnouit Christianæ eloquentiæ parens; in prima nuncupat humanum figmentum luteum & molle, præuaricationis tempestate ruinosum; in secunda vas testaceum, & solidum, aduersus prauitatem induratum. Tomo 1. homil. in Eutropium hæc aurea ex ore fundit flumina: *Prius erat vas luteum, & peruersum est, accepit puluerem à terra, & fecit hominem, ac formauit eum; venit Diabolus & peruertit eum. Venit ipse & rursus accepit, eumque fecit renasci, conflauit ipsum in baptismate, neque siuit præterea, vt esset luteus corpore, sed corpus ipsum fecit vt esset testaceum, tradidit puluerem igni spiritus, ipse nos baptizauit in Spiritu sancto & igne; in aqua vt reformetur, in igne vt & consolidetur.* Primum illud plasma è luto fictum, è terra, aqueo humore tenera, & molli, formatum; agnouit Diabolus teneritudinem, & mollitiem, primo tentamenti impetu, & ictu vas disperdidit, illius gazas effudit, quid mirum nondum intinctum Baptismi vndis, aut Spiritus sancti igne cælitus illapso erat excoctum, & solidatum aduersus tentationum incursus; viuido Dei flatu in faciem protoplasti suffuso, lutum efflorescit

Inter primā humani figmenti plasmationem, & illius reformationem quantum discrimen. D. Chrys.

Hominem vas luteum & fragile, spiritus sancti ignis aduersus diabolum solidauit.

Digitized by Google

rescit in carnem, & animatur ad vitam, non tamen erat igne decoctum, vt omnimodæ soliditatis susciperet temperamentum. Spiritus sancti vi iterum vas reformat; clibano amoris, igneo flatu, & idoneo torrore decoctum hominis simulacrum, testaceum redditum est, & induratum ad tentamenta, ad labores: *in igne vt consolidetur.* Ignis ille cælestis, & Spiritus sancti gratia hominis mollitiem, aqueumque vitiorum humorem expurgat, ad tribulationum sufferentiam, velut lapideum reddit.

9. Eodem loco, eidem menti insistens concionatorum decus, locum Pauli expendit. 2. Corinth.cap.4.v.7. *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Si tam pretiosæ sunt gazæ, inæstimabilesque diuitiæ, quas Deus homini donat, cur eas reponit in vase vitreo, & fragili? non potius in conditorio æneis laminis munito, aut ex æterna & cælesti materia compacto? Vt in vase infirmo, & imbecilli, thesauri virtus emineat. Chrysostomum audi: *Si tam multa molis est thesaurus, cur imbecille vas? Atqui vas istud ob eam causam fragile est, quod magnus sit thesaurus. Non enim thesaurus iste à vase conseruatur, quin potius thesaurus conseruat vas.* Mundialis thesaurus in camera portis æreis, & repagulis ferreis obserata, obtruditur, quærit enim latebras, amat tenebras, fugiens manum prædonum; thesaurus hic infirmus est, indigens munimentis & seris, se ipsum nequit protegere, nec reconditorium, in quo latitat; at gratiæ, & diuinæ virtutis thesaurus in natura fragili, & vitreo vase absconditur, vt in ipsa infirmitate ostendat firmitudinem, & in vase terreno cælestem soliditatem.

D. Paul.

Cur Deus cælestes gazas condit in vase fictili & fragili?

D. Chrys.

Vt ostendatur thesauri magnitudo.

Non vas thesaurum, sed thesaurus vas conseruat.

10. Cùm triumphale carmen occineret Dauid dicatum Apostolicis triumphis. Psal.67. mirum est, quo nomine nuncupet Ecclesiam Christi ex fidelibus compactam. ibi. vers. 10. *& infirmata est, tu verò perfecisti eam.* Infirmam, & fortem, imbecillam, & perfectam: an quia ex infirmitate perficitur, ex fragilitate solidatur. Audi: infirmitatem vocat aduersitatem, tentationem; at quo pacto imbecillitas, & infirmitas; quæ robusta est? ex potentissima & Gigantea aduersarij pharetra iactatur sagitta, progreditur impetus, & impulsus ad ruinam: Nonne insurgit in hominem tanquam leo fortis, irruit sicut Gigas? Infirmitatem potius nuncupabis naturam hominis fragilem: perfectionem, & firmitatem hostis robur. Explanabit mentem acumine suo Theodoretus in Psalmos: *infirmatam esse ipsam hæreditatem inquit: infirmitatem vero impiorum impetus nuncupauit: sic & Dominus Paulo inquit: sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur: verum irruptionis tempore corroboras, & confirmas athletas.* Et adducit versionem Symmachi: *quam effecisti, & fundasti.* Et Aquilæ legentis: *tu fundasti eam, quæ laborabat.* Subiungitque Theodoretus: *Eam enim quæ in persecutionibus multos suscepit labores intrepidam reddidisti.* Vidistin mirabiles mutationes ex aduersis resultantes? Aduersitas & oppugnatio hostis, infirmitas est, non oppugnato iusto, sed oppugnanti aduersario; irruptio & incursus hostilis non oritur ex manu validissima odio, & liuore instructa? Procedit vtique, sed robur amittit & imbellis redditur, cùm pectus Dei gratia munitum attingit, cuius virtus quanto fortior, tanto redditur aduersarij conatus infirmior: *infirmitatem verò impiorum impetus nuncupauit.* Cùm inimicus animum recolligit ad inuidias, vires exerit suas, ad interitum boni viri, iste in laboribus, in ærumnis fundatur virtute, corroboratur & confirmatur gratia. Allusio ad Paulinum locum. 2. Corinth. cap.12. vers.9. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Pulcherrima est. Ex hostis insectatione, quæ infirmitas est, virtus augetur, gratia perficitur. Crescunt labores: abundant quoque fluenta vberioris gratiæ.

Psalm.

Ecclesia Christi infirma, & fortis, imbecilla, & perfecta vocatur.

Theodor.

Impetus hostium infirmitas ipsa est, animo gratia munito.

Lect. Sym. Aquil. Theodor.

Deus fundat in infirmitatibus, & aduersis iustos, intrepidosque reddit.

D. Paul.

Virtus in infirmitate perficitur.

11. Geminum metum tempore, & causa discretum apud Israelitas inuenio; cum armatorum Ægyptiorum manibus, & falcatis curribus cinguntur. *Timuerunt valde.* Exodi cap. 14. Cum postea cernerent scissum mare, stantes, stupentes æquoris fluctus, in altum sublatas crystallinas crustas, & coactas in vitreum murum, earumque munimentum; Deum timent, hostes despiciunt, cælesti quadam animositate insuperabiles: *Timuitque populus Dominum.* ibidem. v.31. Cur ante æquoris ingressum timore consternati pauitant horrende, ductantibus militum, hominumque turmas tum Deo, tum Moyse, quibus Imperatoribus, periculi, & mortis aderat immunitas? Post maris transitum redduntur animosi ad ineunda prælia, exantlandos labores intrepidi? Non mireris, transierant & immersi erant in Baptismi vndis, quem Erithræi maris limphæ signabant, ideo animæquiores facti, & virtute insuperabili instructi. Audiendus est S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de adoratione: *Imbellis ergo ad pugnam, atque ad metuendum proclinis, & eiusmodi, quæ admodum facilè deterreri posset, anima hominis est ante sacrum baptisma: at si iam facta eius gratiæ compos, illam ex alto virtutem induta fuerit, tum verò fortissimè obsistet persequi cupientibus, ac strenuè pugnabit, facillimè quoque impetum hostium retundet Christo tum duce, tum propugnatore.* Antequàm homo sacra Baptismi intingatur vnda, imbecillis, & omni spiritali robore ad pugnandum destitutus iacet; at postquam gratiæ panoplia in Baptismo est instructus, ad nullius hostis occursum expauescit, eum namque induit gratia, omni armatura potentior, IESV ducis habet præsidium, & propugnaculum, cuius ope potentissimorum hostium phalanges prosternet.

Geminus pauor Iudæorum in maris rubri transitu.

Exod.

Cur ante æquoris ingressum Iudæi pauitant, post transitum redduntur intrepidi.

Mare baptismi vmbra.

D. Cyr. Alex.

Homo post baptismum valide obsistit persequentibus, eorum impetus retundit Christo duce, ac propugnatore.

12. Huius discursus fastigium ponam pretiosos verborum, & sententiarum lapides, ex promptuario Magni Theologi Nazianzeni depromptos, ex orat. inquàm 28. *Vt in summa dicam, duo hæc arripi, ac superari nequeunt, Deus, & Angelus: tertium est Philosophus, in materia expers materiæ, in corpore incircumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se facilè ferens, præter quam animi magnitudine.* Hæc S. Gregorius Nazianzenus: at si non cum Deo, si non cum spiritibus corporis expertibus fueris inuictus, philosophare cum Christianis Philosophis, redderque te Dei virtus virum fortem, in corporis passionibus, in terrenis affectibus insuperabilem.

D. Greg. Naz.

Tria insuperabilia, Deus, Angelus, iustus gratia instructus.

Et



Et virum bellatorem.

DISCVRSVS III.

Magna Dæmonis potentia, malitia & astutia maior; adhuc homo, qui ipsa infirmitas, imbecillitas ipsa est, præstantioribus armis, maiori spatha, grandioris mensuræ framea pugnat.

1. Rmorum fortium inclytum decus, eorum præstantiam, quibus homo aduersus serpentis improbitatem pugnat, perpendendum, illustrandum Regio suo eloquio Isaias Magnus cap.27. v.1. suscipit, dicens: *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leuiathan serpentem vectem.* De assertore nostro verba vsurpat Alexandrinus Antistes Cyrillus, ipsumque nuncupat gladium sanctum, validissimamque rhomphæam. Subiicio verba: *Sanctum gladium, & acutissimum, & magnum, præualidum, & inuictum, vnigenitum scilicet Verbum, inducet Pater super draconem serpentem fugientem.* Nec mirum si fugam capessentem introducat Satanam diuinus Vates, iuxta lectionem L X X. cùm attente prospectauit pugnacem Patris dextram gladio acutissimo, limato, grandi, & præualido armatam; superbia efferatus draco quandoque ausus est cum ipso Emmanuele manum conserere, sed pudibundus & mœrens aufugit, quærens inferias vmbras, & latebras. Exosculor, & veneror sanctissimi, simulque doctissimi capitis mentem; cui non erit aduersa, vt opinor contemplatio, si dicamus gladium sanctum esse robur virtutemque cælestem, qua præliatores suos diuinus Agonotheta obarmat; tunc enim placidum erit cernere aduersarij astum, & nequitiam, artificesque dolos, quibus irretire, & claudere imperio suo homines satagit; dissolutos validè. Cur vectem nuncupat Isaias dæmonem? Occurrit Vatablus: *oblongum instar vectis.* Et statim: *Quem vocat serpentem oblongum, quòd ditio diaboli ferè totum mundum occupet.* Perbelle dictum. Vectis, aut sera longitudine protensa; prædicatur serpentina satanæ calliditas, vt tyrannidem; & dilatatam per orbem potentiam insinuet, qua subigebat genus humanum; exerebat enim aduersus mortales acutissimam rhomphæam, mirabili longitudine protensam, qua sublimiores, & per cælestia volitantes iactabat ad terram, magnitudine quoque sua formidabilem. Ast Deifica Saluatoris virtute obtusus, confractus, decurtatus est gladius; iam singuli fideles, quibus suppetias fert altissimus, tanquam cum pygmæo, & pusillæ staturæ homuncione, breuiori sica prouocante ad pugnam, & deblaterante, cum dæmone decertant, ipsi præditi valentissimo robore, munitique Gigantea machæra, fortitudine, chalybea duritie, eximiaque magnitudine prædita; *in gladio suo duro, grandi, & forti.* Cùm fortem appellat, prædicat inuictum; cùm durum, indomabilem, infrangibilem, præ chalybe temperatum, nullis aduersariorum ictibus hebetatum; cùm *grandem*, mirabili argutia conceptum exprimit; pugnat enim fidelis aduersus dæmonis acies spatha longiori.

Isa.

Verbum Patris gladius durus, grandis, & fortis aduersus Leuiathan.

D. Cyrillus. Alex.

Gladius sanctus diuina virtus qua muniuntur iusti.

Cur Isaias vectem nuncupet dæmonem.

Vatabl.

Diabolus serpens oblongus, quia ferè totum mundum occupat.

Diaboli machæra decurtata, & obtusa.

Fidelis cum dæmone pugnat spatha longiori.

2. Inclytos Heroes Salomonis Regis cingentes latera, ambientes lectulum geniale, fidos regij soporis custodes, aduersus timores nocturnos cernis hoc gladio armatos. Cantic. cap.3. v.6. *omnes tenentes gladios.* Pacifici Regis satellitium quo gladio armatur, qua machæra munitur? Perscrutatori occurret Psellus apud Theodoretum, dicens: *quemadmodum gladio vir accinctus imbelles homines perterrefacit: illi enim signo Crucis tanquam gladio ancipiti armati, contra mundi & tenebrarum principem constiterunt, & dæmonum, qui per noctem homines oppugnant, agmina formidine repleuerunt.* Cum cælesti, & sancto gladio, ligno nimirum Crucis instruitur Christianus miles, horrescunt dæmonum agmina, cernentium machæram illam sublimem, quæ illis intulit interitum, omnesque eorum debilitauit, & confregit vires; sentiunt enim in commilitone Christi virtutem adauctam ex viuifico ligno, se viribus destitutos, omnemque calliditatem, & fallendi artem irritam reddi; si enim redigere ad mensuram velint dexteritatis, & malitiæ suæ gladium, cum terreni hominis splendenti, & limata spatha, experimento comperiunt, in ligno vitæ pro homine pugnare vitam, Deumque ipsum in illo pendentem, & suffixum: at contra Deum roborabitur Angelus? Contra vitam præualebit mors? Nõ omittã alterũ Venerabilis Bedæ acumen hoc in loco, exaggerat grandioribus verbis aduersarij nequitiam, veternosi serpentis dolos; bellorum experimento per tot annorum millia exercitatissimi, & potentissimi; hominisque imbecillitatem in fragilitate carnis pugnãtis; adhucque istum excellẽtiori armatura præditum adstruit: *magna arte, immò magna Dei gratia indigent, cùm contra Archangelum tot millibus annorum ad bella exercitatum, carnis fragilitas pugnet.* Vbi adest magnum discrimen, magna imbecillitas pugnantis, adest quoque magna gratia, vberius auxilium, quod debilitatam, & infirmam naturam roboret contra aduersantis malitiam.

Cant.

Psel.

Theod.

Lectuli Salomonis satellites cruce armati, aduersus dæmonem consistentes, illum formidine replent.

Beda.

Magna Dei gratia armatus homo fragilis contra Archangelum in bello exercitatissimum pugnat.

3. Auxiliares copias de supernis aduentantes postulat pastor ille diuinus, cùm hostium insidiis obuallatum se sentit, vt eas declinet placidè. Cum Deo fatur ad modulos cantans dulcis Lyræ Psalm.34. v.1. & 3. *expugna impugnantes me. effunde frameam.* Hieronymus legit: *euagina gladium.* Et Græcus: *rhomphæam.* Magnæ longitudinis spatham postulat Dauid, punctim, cæsim ferientem hostes, ipsosque repellentem. Quis autem sit gladius, qualisque framea, apertè docet clarissimum Ecclesiæ lumen Augustinus: *Ecce animam iusti dixit frameam Dei.* Et statim subnectit sequentia: *quid est anima nostra, quamuis splendida, quamuis producta, quamuis acuta, quamuis vncta, quamuis luce sapientiæ, & coruscationis vibrata? quid est, aut quid potest, nisi Deus illam teneat, aut pugnet de illa?* Animã iusti gladius est oleo tersus, leuigatus, limatus ad pugnãm, splendores sapientiæ, fulgura, & coruscationes virtutum iaculans; se sola velut framea in vagina recondita iacet, nec hostium cruore

Psal.

D. Hieron.

D. Aug.

Anima iusti manu Domini roboratur, framea est & rhomphæa.

cruore tingitur, nec occisionem operatur, exesa rubigine; at cùm Dei pugnax dextra eam versat, & circumrotat, tota immadescit de cruore interemptorum hostium celebritate victoriæ nitens, gloriosa triumpho; pugnat iustus in virtutis stadio, cùm occurrit fera quædam immanis, tentationis ærumna, velut timore constringitur homo, animique gladius prolapsionis correptus formidine decurtatur; at Dei manu protensus, dilatatus, & longiori brachio, hostem vulneribus signat, ipse plaga & ictu immunis. Attentum pensiculatorem exigit verbum illud Aurelij: *Quamuis producta*: Anima iusti framea Dei est, nec sola dextra longiori tanti gladiatoris protenditur, vt absque sui iniuria, hostis vulneretur, sed tentationibus ipsis fit gladius productior, & maior; gladius de fornace eductus malleatorum ictibus in incude effingitur, & dilatatur; sic anima iusti, Deique framea tentamentorum tunsionibus, laborum pressuris, longiori mensura protenditur. *Quamuis producta. In gladio grandi pugnat.*

Spatha longior, & productior Dei auxilium, hostem vulnerans, & sauncians.

Anima iusti gladius, tentationibus fit productior.

4. Confractus est gladius hostis, quo vulnerabat gentes; gladij calliditate, & malitia exacuti acies obtusæ sunt virtute diuina, aucta est ipsius confractio, dum creuit audacia, dum tentat temerario ausu Deum lædere, gladius improbi resiliit in sui ipsius iugulum, se ipsum vulnerans sauciauit. Pulchrè de dentato dæmone dracone, in corpore Domini molares confringente, hæc verba protulit Eusebius Emisenus homil. 3. de pascha. *Sauissimus draco proprium venenum in necem sui refusum sentit exitu: ac dum nocere se credit, dum contra Deum suum cæcus impetum facit: dumque pondus tormenti sui illidit in solidamentum, ictu suo repercussus, fortem fuisse se doluit. Et omnem nocendi potentiam se amisisse cognouit, quia noxios virulentorum dentium morsus sacro in corpore dereliquit.* Eusebij verba, & asserta lectorem non attentum fugient; iis adstruit interitum Satanæ, IESVM ad mortem postulantis, cùm enim virulentam rabiem in Crucifixum expuit, malitiæ virus in caput suum refudit, & assertor noster moriens peccati venenum euacuauit; in solidam petram rostratas suas impulit, & confregit Draco; dum Saluatorem vulnerat, vulneratur; & caput suum in solidamentum allisum conteritur. Intende modo in Eusebianas argutias, diuini verbi sedule perscrutator; vt excitet fidelem decertatorem ad dæmonis contemptum, in tentationis conflictu, insinuat tentamentum esse quoddam Christi arcanum, & velut Crucis mysterium; cùm obiecta est Dæmoni in seruatore nostro humana forma, species corruptelæ destinata morti, hallucinatus est, & cum cæco impetu, & horrendo rictu ad deuorandum inhiauit; quem putum hominem existimauit, inuenit Deum, & in corpore mortalitatis sentit aculeum diuinitatis, quo captus, infixus, strangulatus est. Ad hunc igitur modum, singulis diebus retunditur Dæmonis væsania, præcepsque violentia, qua homines impellit ad lapsum cùm censet cum solo homine decertare, in virtutem diuinam impingit, & in mortali pugnatore sentit Deum propugnatorem, hominisque fragilitatem Deitate roboratam; Deus pugnans in homine grandior spatha est, & fortior, quæ serpentem trucidat, in hoc *gladio sancto grandi, & forti visitat Dominus* tortuosum draconem.

Eufeb. Emis.

Dæmon, in robustum irruens, robur amisit.

Draco cum Saluatorem morsu petijt, molares, & dentes virulentos perdidit.

Tentamentũ, quoddam est Christi arcanum.

Dæmon in tentationis conflictu non cum homine solo, sed cum Deo pugnat.

5. Mirum est Regum ingenium in exequendis improbis consiliis, cùm viros fortes, & præclaros de medio tollere satagunt, ex insidiis adoriuntur, & aliena manu trucidant, ne videantur in nece iustorum habuisse consortium. Quod patrauit facinus Dauid cum Vria, perpetrare auet Saul cum Dauid; cum filia Michol ferales ei parat nuptias, pro sponsalibus fraudulenter exigit centum præputia Philistinorum, vt trucidatus Dauid à centum viris, minor pœna redundaret in Regem, mortis auctorem. Hac mercede ornat improbus Rex egregia Dauidis facinora, captiuitate, nece exambit rependere patriæ libertatem, ab inuicto pugile assertam. Audiendus est textus sacer lib. Regum. 1. cap. 18. v. 25. *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis. Porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philisthinorum.* Ad magnificam affinitatem ineundam sat erat de Gigante reportatus triumphus, quo vniuersus populus Dauidicam virtutem Sauli non solum exæquauit, sed prætulit, & regalibus infulis digniorem proclamauit; cur prænsum quærit centum Allophylorum præputia? Respondet argutè S. Athanasius homil. de semente: *Credebat enim, si eum in bellum coniiceret, centum cum vno congressos, facile eum confecturos esse, & ita se à sua anxietate liberatum iri: quo loco & inimicus verè inimicus erat, & Deus verè Deus. Abijt Dauid, & vnus centum occidit.* Si Dauidicam felicitatem humanitus examines, prudens iudicabis Saulis consilium; & ab ipso meditatam, & architectatam malitiam potituram effectu; cadet proculdubio vnus congressurus cum centum viris, præualebit centuriata cohors, in qua copiæ, vires, arma, virtus maior est. Veruntamen non ita accidit; vnus Dauid militum centuriam profligauit; mirari desines hoc opus prodigiis plenum, si verba Athanasij perpendas: *Quo loco & inimicus verè inimicus erat, & Deus verè Deus.* Non diminuit Saul Dauidis virtutem per incrementa aduersariorum, sed potius auxit, nam in hac pressura se verum, & fidum amicum, & socium Dauidis Deus ostendit, cùm opitulamen fortius, & valentius reddidit vni, vt aduersus centuriam militum præualeret, vbi instabat maius vitæ discrimen, adfuit maius subsidium; hæc Dauidis pressura maior numerosiores copias auxiliatrices attraxit de superna dextra, vt centum vinceret; obruere voluit Rex famam adolescentis interitu crudeli, Deus tamen illustriorem reddidit, cum vnum centum pugilibus fortiorem effecit, & triumphalibus centum diadematibus coronauit.

Subdola mens Regum in perimendis viris iustis.

Lib. reg.

Saul exitium parauit Dauidi prætextu belli.

D. Athan.

Saul, vt fraudulentiam occultet, in Dauidis exitio, illum obijcit centum Philistinis.

Solus Dauid à Deo adiutus Philistæorum centuriam profligauit.

6. Ad examen voco Iacobeum luctamen cum Deo initum vsque ad solis aurea crepuscula prorogatum; & in hoc pulcherrimo spectaculo expauesco ad inuictam hominis virtutem contra brachia omnipotentis præualentem. Genes. cap. 32. v. 24. & 25. *Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane, qui cum videret, quòd eum superare non posset*, &c. vidisti fortissimum Agonothetem Deum, cui cedunt omnia robora, virtutes omnes, cuius aspectu treme-factæ

Genes.

Cur Iacob ab omnipotenti dextra insuperabilis?

Digitized by Google

factæ Angelicæ potestates, & dominationes succumbunt, ab inualidiori natura deuictum, detriumphatum; quid portenti est hoc? vas luteum, fragileque figmentum, contra omnipotentem præualet, & inuictæ dextræ restitat? Adiicit nouum leporem conceptui versio Hebraica ita legens: *Et vidit quod non potuit illi.* Respondet acutè Cardinalis Caietanus, Deum, vel Angelum vires suas attemperasse, & veluti infirmasse, vt Iacobea virtus euaderet superior; subiicio verba: *Angelus vtitur potentia sua non secundum necessitatem, sed secundum arbitrium diuinæ voluntatis. Dispositione diuina decretum, factumque est, vt Angelus assumeret corpus in tanta mensura virium, quod non posset supra vires Iacob luctando.* Si suas vellent exerere vires, & minimos virtutis applicare conatus, vel leuiori impulsu, aut oris halitu Iacobum prosternerent, Deus, & Angelus: cerne pietatis, amoris temperaturam, & virtutis cælestis moderamen; minoris, & inferioris potentiæ gradum eligunt ad luctam, vt homo euadat superior, & maior: *Vt Angelus assumeret corpus in tanta mensura virium.* Mensurauit Deus, vel Angelus vires Iacob, inferioris roboris corpus assumpsit, vt esset ille in decertatione præualidus. Finge Gigantem cum infantulo luctantem, digladiantem, masculosos artus infirmantem, laxantemque lacertos, vt puellus vires reformet, vt eleganti valentia sese erigat aduersus Heroem, simile spectaculum obiectum est cælicolis in lucta Iacobi, & Dei, in eaque instruebat sacras decertantium pro virtute cohortes, aduersa omnia pusillioris esse potentiæ; horribilia tentamenta, quæ primo aspectu vastæ, & proceræ magnitudinis monstra videntur, infra vires nostras manu Domini venire temperata, & mensurata.

Lect. heb.

Caiet.

Virtus Angeli temperatur, & Domini exinanitur, vt homo sit superior in luctamine.

Tentamenti vires, quod tanquam monstrum, hominem territat, Deus attemperat.

7. Euibrat ex ore suo diuinus vates Ezechiel Minarum fulmina, omniaque infausta euentura Ierosolymitanæ vrbi prædicit cap. 5. lugubre occisorum, & exulum in captiuitate spectaculum in se ipso exprimit, cùm ad Imperium Domini barbam radit caputque nudat capillitio. ibi. v. 1. *Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos, & assumes eum, & duces eum per caput tuum, & per barbam tuam: & assumes tibi stateram ponderis & diuides eos:* Verticis, & barbæ sacras exuuias iussu Domini tripartitus est Vates; tertiam partem rogo inиecit, & combussit, vt templi, & vrbis denotaret incendium; alteram partem minutatim secuit, vt portenderet occisorum numerum gladio Babylonico pereuntium. Tertiam partem in ventum dispersit, eamque gladio persecutus est, vt fugam, exilium, dispersionem Iudæorum annuntiaret. Cur per capillos has ærumnas annuntiat? Quia barba decus est viri, & capilli pulchritudo capitis; eos namque Dominus qui sunt regnis, & vrbibus speciei, & ornamento, à se separat propter perfidiam. Nec incommodum simile ad adstruendas ærumnas sumit ex capillis, quia semel rasi iterum pululant, & abscissi renascuntur, & labor in hac vita laborem sequitur, & tribulatio oritur ex tribulatione. Illud quoque perpendendum, gladium appellare nouaculam, cuius acies exacuuntur oleo in terso lapide, quia duritiex aduersitatis & mollitur diuina clementia, rigorque supplicij pietatis oleo leuigatur. Illud tamen eximium continet leporem, & commendationem præclaram diuinæ æquitatis, quòd pili, & capillamentum siue busto, siue gladio, siue vento destinatum, iuxta æquum pondus libratur in bilance: *Et assumes tibi stateram ponderis, & diuides eos.* Quid necesse est iuxta mensuram æquitatis ponderare capillos? quid refert quod in hoc, vel altero capillorum manipulo plures adiiciantur? Multum per omnem modum, nam res aduersæ, calamitatesque in capillis adumbratæ in pondere, & mensura manus diuina distribuit; hinc in statera trutinat humanas vires, illinc ærumnas, nec eas in æquilibrio collocat, sed taliter librat, vt lanx virtutis & cælestis auxilij, tribulationis lanci præponderet, vt laborem eleuet: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* 1. Corinth. cap. 10. v. 13. Pulchrè Chrysostomus examinans inscriptionem illam mirabilem, quæ exarata apparuit in pariete Regi Balthasari, & solutionem ænigmatis in ipsa delitescentis, à Daniele assignatam: *Thecel, appensus es in statera.* Daniel. cap. 5. vers. 27. sic fatur in Psalm. 95. *Considera illud admiratione dignum, quomodo declarauit Deum omnia numero & mensura facere. Librauit, inquit, ac mensus est. Nihil enim ab illo fit absque mensura, nihil sine pondere, nihil sine congruentia.* Semper enim laborem mensurat, vt vires hominis gratia roboratas non excedat, sed sit virtus eius potior, & maior.

Quid barbæ, & capillorũ abrasio, diuisioque tripartita, apud Ezechielem denotat?

Ezech.

Per capillos ærumnæ Iudæorum annuntiantur, & quare?

Nouacula oleo inuncta diuina in tribulationibus clementia innuitur.

Appenduntur in statera capilli, quia tribulationes à Deo mensuratæ veniunt.

D. Paul.

D. Chrys.

Appensus est in statera Balthasar, quia omnia Deus numero, & mensura disponit.

8. Annuntiat Vates Zacharias vnus de duodecim Prophetis, Ecclesiæ proceres, cælestes bellatores, perfidiæ debellatores, & curuatos arcus esse proclamat. cap. 9. vers. 13. *Extendi mihi Iudam quasi arcum.* Apostolos, & Discipulos Christi de Iudaico sanguine Oriundos prædicat excitatos à Domini spiritu, vt Gentes expugnent; at quantæ ærumnæ occurrent, quot contumeliæ deuorandæ, quot exantlandi labores? Aduersa magna ingruent, maiori tamen virtute instructos mittet per orbem Dominus. Vnde v. antecedenti fatur: *Hodie quoque annuntians, duplicia reddam tibi.* Quid præseferat verbum *duplicia*? explanat Vatablus: *Duplicem eam gratiam tempore suo præstabo.* Labor quamtumuis maior simplex est, gratia verò duplex. Pugnat ergo Christianus miles virtute maiori, spatha longiori.

Zachar.

Ad subeundum laborem simplicem Deus confert gratiam multiplicem.

Vatab.



Fortem, & virum bellatorem.

DISCVRSVS IV.

Vera in Deum pietas, & fides, Christiani nominis hostes expugnat, & Reges ornat infulis triumphorum.

1. PRÆCLARA ornamenta mirabili opere, & artificio contexta appendebantur ad pectus Sacerdotis. Eminebat inter omnia sacrum logion, seu iudicij rationale, quod duabus catenulis aureis nectebatur; inter alia magnalia, quæ

quæ fulgoribus suis perstringere solebant oculorum lumina, illa fabrefieri imperat Dominus Moysi: *Facies & duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis.* Exodi cap. 28. vers. 26. vncinos, vel armillas nuncupares aureas, quibus muranularum nexus firmaretur, & præcaueretur rationalis lapsus.... L x x. seniores legunt pro *annulis*: *Aspidiscas*: cuius nominis ætymologiam exponit sanctus Augustinus in Exodum q. 115. *Aspidiscas in veste sacerdotali quas dicat? vtrum scutulas, quæ à scuto Latinè appellantur, quia & Græci scutum ἀσπίδα appellant?* scuta quoque nuncupat S. Gregorius Nyssenus iuxta vim Græci verbi; & theoriam subtilem admodum, & purissimam in aureo scutorum ornamento latentem aperit lib. de vita Moysi: *Huic tegminum ornatui alius rursum desuper ornatus coniungitur: scuta enim aurea ex vtrisque tegminibus dependent.* Et statim: *spiritalis verò sensus scutorum quidem quæ ab humeris dependebant, armatos nos esse adhortatur, aduersus tyrannum, & hostem nostrum. Virtus enim, vt à Paulo dictum est, fide ac bona constat conscientia.* Duobus clypeis potentissimis Deus vtrumque humerum sacri antistitis circummunit, vt à dextris, & à sinistris inuulnerabilis permaneat aduersariorum sagittis: Hinc inde fidei, bonæque conscientiæ tegminibus parmatus incedit sacerdos, hostibus formidabilis, nec solum tela ab aduersariis iacta repellit, sed ipsos percellit formidine, nulloque negotio expugnat; est enim scutum fidei impenetrabile, æquitatis scutum inexpugnabile.

Exod.

Lect. LXX.

D.Aug.

Aspidiscas, seu scutula in pectore sacerdotis Deus pendere iussit.

D. Gre.Nys.

Armatos esse oportet nos, aduersus spiritalem tyrannum.

Fides, & conscientia bona duo armorum tegmina.

2. Inquirit Seuerus Sulpitius lib. 1. sacræ historiæ, quare filij Israël quadraginta annorum spatium consumpserunt, ab Ægypti exitu vsque ad possessionem Palæstinæ peregrinãtes, iuxta illud Deuteronomij cap. 8. v. 2. *Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te atque tentaret.* Cur filius dilectus tam mala tractatione afflictionis, & ærumnæ maceratur, protelata, per tot annorum curricula, possessione terrenæ hæreditatis? Respondet Seuerus: *Cæterùm Hebræi ob hanc caussam tanto tempore in eremo fuisse traduntur, donec omnes, qui verbis Dei non crediderant, interirent.* Malo perfidiæ inhibitus, & remolitus est populus, ne ad sacram tellurem lactis, & mellis riuulis manantem præpeti cursu properaret; erant in populi turbis homines contumaces ferreæque ceruicis, detrectantes dextræ Dei prodigiis, & iussionibus, quorum infida præsumptio plebem electam reddebat à promissa gleba extorrem. Per tot annorum lustra expectauit Dominus necem perfidorum, donec omnibus, communi fato, aut gladio consumptis, filium suum Deus per circuitus montium, & eremi ambages errantem, terræ sanctæ possidendæ introduceret. Sicut enim fides portas æreas vrbium conterit, & aperit, sic perfidia claudit.

Deut.

Seuer.

Per 40. annos dilata Iudæis Palæstina possessio, vt interdum verbis Dei increduli interirent.

3. Placet cernere in Abrahamidi corporis senilibus artubus iuuenile robur, caput sacro victoriæ lauro cinctum, & pugnacem dextram ornatam trophæi palma? Initum est nouem Regum crudele certamen, & quinque in fugam conuersis, inter opima spolia à Chodorla homor Rege Elamitarum reportata, omnem substantiam Lot fratris Abraham deprædati sunt milites, ipsumque detulere captiuum; his Abrahæ nuntiatis: *Numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est vsque Dan: & diuisis socijs irruit super eos nocte, percussitque eos,* &c. Genes. c. 14. v. 14. & 15. Dextra illa modò roboratur ad prælium, quæ postea præparatur ad sacrificium. Abraham, qui genitor est Regum, interemptor est iniquorum: quanta animositate exponit vitam discrimini, irruit in hostes, vt eripiat de iugo seruitutis germanum, vindicet oppressos, tueatur amicos, aduersus cataphractos milites, & bellantium cohortes innumeras trinam centuriam vernaculorum, paucis adiectis, educit ad pugnam, & tam exigua manu regreditur victor. Ad quid hæc magnalia Abrahami sacra litteratura recenset? *Vt scias*, (inquit Chrysostomus homil. 35. in Genesim) *quod non corporali robore eos deuicerit Patriarcha, sed sua in Deum fide.* Et statim: *Erat enim manus superna, quæ adiuuabat, & commilitabat, & ideò neque armis, neque machinis opus habebant, sed tantum vt comparuit cum famulis, & alios quidem percussit, alios autem fugam inire fecit.* Pro thorace, & pelta adhibuit Abraham victricem fidem triumphorum matrem, fiduciam collocans in cælesti numine, cuius supernæ manui tam facile est præbere victoriam paucis, quàm multis. Statim ac comparuit his splendentibus armis instructus, inclytus fidelis exercitus Imperator, velut sol clarissimus dissipauit tenebras impiorum, sua virtute & fortitudine gloriantium, eos fidei fulgoribus cæcauit, aliis vsque ad internecionem deletis, aliis in fugam datis.

Abrahami Fides de regibus triumphauit.

Genes.

D.Chrys.

4. Inclytum alterum Abrahami nepotem fidei decertatorem dabo, nimirum Iacob, in cuius occursum properant cælestium spirituum agmina. Genes. c. 32. v. 1. *Iacob quoque abijt itinere, quo cœperat: fueruntque ei obuiam Angeli Dei. Quos cum vidisset, ait: castra Dei sunt hæc.* Dictionem mirabilem adhibuit scriptura diuina in hoc Angelorum congressu, cùm non inquit, apparuisse Angelos, sed obuiam processisse; non tam vt commilitones, & in discrimine propugnatores; quàm gratificantes victoriam plausu, & velut in choris pæana canentes, & acclamantes io triumphe. acumen est Ruperti lib. 8. in Genes. c. 1. scribentis. *Non dictum est, quia apparuit Angelus, vel apparuerunt Angeli ei, quod & multis accidit, sed dictum est quia fuerunt ei obuiam Angeli Dei; quod insigne sonat victoris, & emeriti, cui pro gloria triumphi pompa cælestis obuiam procedens, festiua exceptione lætum obsequium præbuerit.* Et inibi subiungit: *Et rectè talem habuit occursum, qui sub obedientia peregrè militauerat, in fide certauerat, in spe victoriam perfecerat, in charitate dilatata eius anima, profundissimas beneficijs diuinis gratias agebat.* Festiuo plausu suscipiunt peregrinantem Iacob, cælestis militiæ acies ouantes, ac gratulantes, quia in fide certauerat, in spe victoriam obtinuerat. At si victoria hæc de aduersante sibi Esau reportata celebratur; nec dum occursus hostis, nec cum illo conflictus aduenerat, donec sibi in itinere obuiantibus germanis, ferocem, & truculentum Esau vultum, in pacatissimum, & amabilem commutauit Iacob, ruentibus vtrisque in amplexus, & oscula, effusis lacrymis, amicitiam, & germanitatem firmantibus.

Genes.

Castra Dei Iacobo non apparuisse, sed obuiam isse describitur tanquam victori & triumphatori.

Rup.

Iacob in fide certauit, in spe vicit, in Charitate gratias egit.

quare

Fides Iacob anticipata victoria remuneratione ornatur.

quare ante pugnam & congressum ab Angelis celebratur victoria, canitur ouatio? *In fide certauerat.* Qui in fide viua certat, securus est, de triumpho? Angelici castrorum chori fidem Iacob anticipatis victoriæ, & triumphi remunerationibus ornant. Qui enim fiducia in Deum munitus, fide clypeatus progreditur ad pugnam, victricis palmæ secum defert certissimum auspicium.

5. Amplius: fidei armatura non tantum perennantibus condecoratur trophæis, sed in cælestibus quandoque suum exercet principatum, nam illius vox imperij in æthera resultat, præcipites cælestium rotarum vertigines ictu oculi facit sistere; statum diei, noctis, horarum cursum, & ordinem nullo negotio inuertit, vt ad fideles certatores deferat victoriæ ampla decora. Testem appello Iosue exercituum Domini imperatorem inuictum, qui in prælio contra Gabaonitas inito, in declinatione diei maturescente victoria, vt labore, sudoreque partas exuuias, fructusque prælij possent colligere milites, vergentem Solem ad occasum habenis fidei retinuit, diem protelauit, imminentes noctis fugauit vmbras, ne hostibus possent esse subsidio, ad tutelam, ad fugam. Iosue cap. 10. v. 13. 14. *stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei. Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.* Quo merito Iosue cælestibus imperauit, terrena subiecit? Solis equos perniciter conuolantes ad illuminationem orbis, quibus retinaculis cohibuit? quæ vox efficacior, & potentior, quæ rectorem huius visibilis machinæ, cui omnia parent, cogit homini præstare obsequium? vox & virtus fidei haud dubio est. De hoc facinore loquitur Seuerus Sulpitius lib. 1. Sacræ Historiæ: *cùm diem cadentes deficeret, noxque victis futura præsidio videretur: Merito fidei Dux Hebræus noctem auertit: Dies perseuerauit: ita nullum hostibus effugium fuit, quinque Reges capti interfecti sunt.* Solet esse nox valde amica deuictis hostibus, species illa fusca & caliginosa, speciosa apparet, & perplacet miseris; nam fugam maturantes abiecta spe victoriæ, in tenebrarum latibulo inueniunt refugium, & vitæ spem in ipsa mortis vmbra. Hoc præsidium sustulit, hanc infelicem spem disturbauit Iosue de Gabaonitarum pectoribus, cùm inuictæ fidei potestate clarissimam cæli lampadem remorari cogit, vt exercitus Domini à tergo insectetur hostes fuga delapsos, perscrutetur Solis luce in antris delitescentes, eosque trucidet; impiorum spebus euanescentibus. Equis vehentibus solis plaustrum, cursu festinis anhelo, aduolantibus, iniecit Iosue fide compedes, frænauit ora lupatis, vt gradum sisterent; non tam intuendæ causa victoriæ, non enim auet Sol hominis interitum, ad cuius vitam, & obsequium à creatore factus, sed vt mundi mens cælique oculus quadam æmulatione correptus attente prospiciat, & contempletur clarissimum fidei solem in Iosue pectore suum agentem cursum, mundumque illuminantem, & diuinis prodigiis implentem.

Iosue.
Fides Iosue cælestibus imperauit, & terrena regna subiecit.

Seuer. Sulp.

Iosue fides cursum solis inhibuit, vt nullum daretur hostibus effugium.

6. Celebrauit exequias. Theodosij iunioris Imperatoris Augusti Mediolanensis Antistes, pro curialiũ rostris cõcionẽ habuit, & inter parentales vmbras Ambrosiacæ dictionis, & sapientiæ sparsit lumina; encomiis nõ vulgaribus amplificat Theodosij fidem in debellandis hostibus; cum enim duceret agmina, & tardipedo gressu in hostem irrumperent, propter viarum angustias, & seruorum obstacula, qui clauos ligneos fustesque gerebant, cæleste præsidium exorauit de supernis, fideque sua acies animauit, celeresque reddidit; triumphumque de hostibus retulit: pulchrè Ambrosius oratione de obitu Theodosij: *fides Imperatoris militum virtus est, recognoscitis nempe quos vobis Theodosij fides triumphos acquisiuerit. Cùm locorum angustiis, & impedimentis calonum, agmen paulo serius in aciem descenderet, & inequitare hostili mora belli videretur, desiliuit equo Princeps, & ante aciem solus progrediens ait: vbi est Theodosij Deus? Quo dicto excitauit omnes, & exemplo omnes armauit. Et iam certè senior ætate, sed validus fide. Theodosij ergo fides fuit vestra victoria: vestra fides filiorum eius fortitudo sit.* Fuit enim fides militum vigor, agminum custos, decertantium victoria, mater fœcunda triumphorum, quæ trophæa, & glorias amplissimas militibus parturiuit. Imperatoris fides cingit decertantium tempora victrici lauro, militum fides regium germen, imperij hæredem reddit inuictum.

Quos triumphos Theodosij imperatoru Fides peperit.

D. Amb.
Fides imperatoris, militum virtus est.

7. Perscrutatur Saluianus Massiliensis Episcopus cur Deus Romanorum nationem potẽtissimã, cui totus subigebatur orbis, Gothorum gentibus tradiderat subiugandam: Et respõdet, Gothos fide, & deprecatione Romanos superasse; Romanos elatione animi, & ridentis fortunę felicitate turgidos, viribus suis gloriabũdos, sibi ipsis exitium, & exterminium intulisse. Saluiani verba sunt ex lib. 7. de prouidẽtia mutuata: *illi crediderunt in manu Dei esse victoriam, nos in manu nostra. Denique ipse Rex hostium, quãtum res prodidit, ac probauit, vsque ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit, ante bellũ in oratione iacuit, ad bellum de oratione surrexit: priusquàm pugnam manu capesseret, supplicatione pugnauit: & ideo fidens processit ad pugnam, quia iam meruerat in oratione victoriam.* Munimentum tutissimum sibi adstruxit Gothicus Imperator, vt felicitaret exercitũ ampla victoria, non de terreno, sed cęlesti armamentario; precationem fundens, acies fudit hostiles. Romani fidentes viribus suis certabãt; Gothi humana potẽtia diffidẽtes, quæ sæpissime solet fallere, & in exitiũ cõferre mortales, spẽ belli, expectationẽ victoriæ in Domino exercituũ collocarũt. Securus de triũpho in aciẽ Rex descẽdit, qui talẽ sibi cõmilitonẽ adhibuit.

Gothi fide, & deprecatione Romanos superant, viribus suis gloriantes.
Saluian.

Gothicus imperator vsque ad diẽ pugnæ stratus cilicio, preces fudit. Qui supplicatione, & fide pugnat, promeretur victoriam.

8. Sed age videamus, in Dei populum quot triumphos inuexerit Dei fides, quandiu in illo tantum lumen emicuit. Synagogam illam fidelem ornatam aureolis, & palmis introducit Salomon Cantic. cap. 7. v. 1. *quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum.* Chori canunt in castris, non cùm resonat lituorum sonitus, clangorque tubarum, Martius vè inflammatur furor, tunc etenim non canendi, sed bellandi opportunitas adest; at postquam gladius inebriatus est sanguine, fugatus hostis, & vsque ad internecionem deletus, læti cantitãt epinicia milites, & meditatum victoriæ acroama simul intonant. Vnde Tigurina transtulit: *choreas castrorum.* Et Hebræus: *tympanum, & fistulam.* Vbi organa sonant, & choraules tibias inflant, Hymni hi in fidei laudem, hoc pæan in fidei

Cant.

Lect. Tig.
Lect. heb.

D. Thom. fidei victoriam canitur. Præclarè sanctus Thomas hoc in loco ait: *Nihil videbis in ea nisi choros castrorum, & stabile robur fidei, quo pro defensione mea fidei pugnabit.* Nisi forsan fides ipsa sit tympanistria, & psaltria, quæ fidibus diuinæ laudationis aures fidelium demulceat. Pulchrè Theodoretus de eodem fidei robore aptè subiungit: *Neque vero dixit castra castrorum, sed chori castrorum. Ex castris enim fiunt chori. Cùm enim in castris vicerint virtutis milites, paana canentes reuertuntur, & choros ducentes, victoria praconium laudibus concelebrant*: Alteram non contemnendam contemplationem poteris hic adiungere; ex choris castra efformari validissima, & inuicta. Cùm enim milites ante congressum, in Deum religionis Zelatores, fidei, & pietatis assertores, sacras deprecationes instituunt, implorantes auxilium de supernis, & in Domino Sabaoth, non in suis copiis, aut virtute fiduciam collocantes; ex choris istis fiunt castra victricia, & triumphantia. *O religionem* (inquit S. Nilus homil. 2. de ascens.) *omnibus regibus magis regiam. Quæ enim armis Reges acquisiuerunt, illa sine armis ostendit se euertere.* Habet enim arma validissima, non corporea, sed spiritalia, nimirum Dei cultum & pietatem.

Ecclesia castra pro fide pugnant, & illius victoriam cantitant.

Theodor.

Ex choris Dominum deprecantibus, fiunt castra validissima.

D. Nilus.

Pia Religionis arma.

9. Quid plura? In exercitu Syrorum circumdantium montem in quo habitabat Eliseus erant castra, sed non erant chori, quia in eis regnabat perfidia, exulabat fides; in acie protegente Prophetam, & puerum eius Giezi timore percussum, erat pietatis deuotio, & beneuola voluntas diuinis iussis præstans obsequium, religiosis viris insuperabile præsidium lib. 4. Reg. c. 6. v. 17. *Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei.* Merito hostes cæcitate percussit, in quibus non aderat fidei lumen. ibi. v. 18. *Percussitque eos Dominus, ne viderent.* Argutè Ambrosius concione de obitu Theodosij inquit: *Audistis certe milites, qui circumfusi estis, quia vbi perfidia, ibi cæcitas est. Merito ergo cæcus erat exercitus infidelium. Vbi autem fides, ibi exercitus Angelorum est.* Ex Angelica militia, & Eliseo, qui fidei militum, & tyronum religiosam ductabat manum, vnam aciem compone hominum & Angelorum, diuinas laudes in ore gerentem, Dei potentiam celebrantem. Cernes tunc castra cum choris; cohors illa in melotis, & pellibus caprinis, in speluncis exercitata, diuinum numen exorabat, vt opem ferret; merito quæ spei anchoram fixerat in cælesti numine, auxiliatrices copias attraxit, vt commilitones suos fide munitos adiurarent.

Lib. reg.

D. Amb.

Vbi perfidia, ibi cæcitas; vbi fides, exercitus angelorum præsto adest.

Apud Eliam commilitones, erant castra cum choris.

10. Denique quando Israëlitarum pectora diffidentia occupauit, bellica fortitudo & gloria fugit ab eis. Rectè ergo Oseas fatur c. 9. v. 11. *Ephraim quasi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.* Ritè expendit verba Cyrillus: *Contigit autem hoc perpeti Ephraim, siue Israëlem, quia relicto Deo Saluatore, & in ipso, ac solo gloriandi perseuerantia, vt re iam veteri, atque obsoleta posthabita, existimabant per se hostibus formidabiles fore, nec ab ijs subactum iri, cùm in tantam frequentiam essent aucti, abundarentque liberorum multitudine infinita.* Viribus suis, & filiorum copia fiduciam collocantes Israëlitæ, spernentes solitum potentiæ diuinæ tutamen, quæ eos tot prodigiis illustres, & contra immensam hostium multitudinem fortes, & victores reddiderat, imbelles & despecti habiti sunt. De quibus merito Isaias proclamat ab eis abstulisse Deum, *virum fortem, & bellatorem.* Bellicam fortitudinem, & gloriam.

Oseas.

D. Cyr. Al.

Israëlitæ viribus suis, & numerosa prole fidentes, ab hostibus protleruntur.



Et virum bellatorem.

DISCVRSVS V.

Ferdinando, & Elizabethæ Catholicorum Regum trabea laureatis, Catholicæ fidei propugnatoribus, Sacro Marti, sacerrimæque Bellonæ salaria encomia dicat; triumphatoribus de Mahumetica impietate semper Augustis, trophæorum columnas in expugnatione vrbis Granatensis figentibus, pæana, & epinicia lætus cantat.

1. EADEM supremi numinis prouidentia, quæ strenuis decertatoribus synagogam orbauit, egregiis bellatoribus Ecclesiam Christianam ornauit, instruxit, inter quos primas tenent, caput extollunt, Rex Catholicus Ferdinandus, eiusque iugalis Augusta Elisabetha, in quorum laudationem, amoris quadam propensione decurrentem calamum incitaui, vt in eorum elogia sese diffunderet: quinimo piaculum duxi, si hanc opportunitatem nactus, occasionem non arriperem, sed elabi sinerem. Damus tibi fœminam bellatricem, & aduersus impietatem strenuissimum bellatorem. Idem nexus amoris in vtrisque, eademque catenula laudis ligat vtrumque; eamdem fidei formam, pietatis imaginem, idem virtutis & roboris simulacrum, colorabit oratio, & peniculus laudationis effinget. Vtriusque gloria reciproca est, quod vni defertur, alter sibi asciscet.

2. Validissimus pugil, & Imperator exercitus Domini, Ierobaal, fidei asserendæ, impietati diruendæ à Deo destinatus prædicatur cap. 6. Iudic. ibi. vers. 25. & 26. duplex præceptum iniungitur à legislatore cælesti, quod aram Baal, & cultum destruat, & aboleat, aramque ædificet Deo viuo, & vero dicatam: *Destruensque aram Baal, & ædificabis altare Domino Deo tuo.* In quæ verba quæstionem excitat sapientissimus Abulensis inquirens: *Quare Deus voluit vt Gedeon nunc construeret ei altare in loco isto, cum hoc esset contra legem ab eo datam?* Duplicique itinere obuiam it dubio geminam rationem assignans; *Vna vt Gedeon ad hoc prius immolaret Domino, quam iret ad bellum contra Madian.* Altera vt sacrificulorum Baal perfidia, Gedeonica

Ierobaal fidei assertor, impietatis destructor.

Iud.

Abul.

Gedeon prius immolat Deo, quam aram destruat Baal.

deonica pietate, & virtute maneret extincta. Argute subiungit idem Abulensis: *non sufficiebat autem ad hoc, quod coleretur Deus: ideo expulso Baal, voluit Deus esse quasi in possessione, vt ipse coleretur in Ephra, & non Baal: ideo iussit destrui altare Baal, & construi altare sibi: quia per hoc accipiebatur possessio ad colendum Deum, cùm altare solum sit ad sacrificia.* Hæc ex quæst. 15. in Iudices mutuaui: Non solum exigebatur à Domino cultus veræ Deitatis, sed iuxta regulam æquitatis, & religiosi obsequij, expulsa perfidia, vendicabatur ius fidei, & ampla possessio pietatis, qua veneraretur creator; vtroque igitur munere fungebatur Heros inuictus, & antistitis sacri placantis numen tauri victima; professoris & vindicis fidei, diruentis aram Baal, nemus exscindentis, operculum iniquitatis, vmbraculum vniuersæ turpitudinis. Quare, post hoc facinus meritò decoratur insigni *Ierobaal*, quod si iuxta Hebræum vertas, idem est ac: *impugnans idolum; impugnans confusionem, & ignominiam.* Expugnauit idolum cùm eius aram diruit; expugnauit confusionem, cùm idololatriæ dedecus exterminauit diuini cultus, & fidei possessione. Quid inde? Eodem cap. v. 34. *Spiritus autem Domini induit Gedeon.* Vel iuxta LXX. à Glossa interlineali citatos: *confortauit Gedeon.* Indu erat eum Spiritus pietatis, & timoris Domini cùm idololatricum cultum expunxit; induit modo spiritus fortitudinis, vt hostes debellet; Gedeon spiritu Domini velut quadam panoplia munitus hostiles acies prouocat ad certamen depulso metu, certa victoriæ spe stabilitus.

Abul. Gedeon Baal destruens, Deo vero sacrificans possessionem accepit diuini cultus.

Lect. Heb. Ierobaal idem est, ac impugnans idolum.

Gedeon induitur Domini fortitudine. Lect. L X X. Glossa.

3. Profectus est Saul in domum videntis Samuelis, vt sciscitaretur de dispersis asinis; Propheta admonitus à Domino, vt in regnum inauguret Saulem, ad mensam suam allicit, & his verbis blanditur: *& omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.* Lib. 1. Reg. cap. 9. v. 19. accenderat Dominus in mente vatis clarissimum lumen, quo hominum interiora rimaret, & perscrutaretur intimos recessus animorum, intueretur cogitatus: quid mente volueret Saul de regni sui auspicio, illico Vates patefecit. Rupertus fatur lib. 1. Reg. cap. 19. *erat in corde Saul, sicut hebræi tradunt, quod Rex futurus esset, quia viderat per visum se in vertice arboris palmæ collocari, quæ visio signum regale erat.* Meliùs foret si in se ipso palmam cerneret, quàm se in palmæ fastigio constitutum; omen regni ex illo viso, si verum est, quod ipsi obuersatum, accipere potuisset, sed infortunatum, cùm inter nutantes apices frondosæ propaginis contineretur, quæ mobilitate sua imminebant exitium, vt qui cælesti nutu regalibus apicibus fuerat accitus; ingratus, & infidus diuinis muneribus, de superiori loco rueret, maior esset ruina. Inter palmæ comas habere subsellium, regalium palmitum coronari satellitio, faustitas non est; arripere brauium vocationis supernæ; perseuerantiæ decore, & fidelitatis virtute firmare regnum, hoc summa felicitas est; Saulis improbitas regnum ablegauit à suis posteris; in Dei imperia inofficiosus, se ipsum trabea Regali exuit. Aliis Regibus seruabatur victoriarum prærogatiua, qui in præceptorum cælestium orbita inoffenso pede currerent, qui æquitate, & fide emererentur victricibus palmis incedere Laureati; barbaros, & paganos Reges triumphare.

Lib. reg.

Rupert. Saul regni sui auspicia in somniis hausit, cum vidit se in vertice palmæ collocatum.

Nutantes apices palmæ infortunatum Saulis regni portendebant.

Victoria palma non Sauli improbo, sed aliis regibus piis seruabatur.

4. Fugitiuus & errans vagabatur Dauid cauens Saulis furorem, & insidias, ad Achimelech Sacerdotem peruenit, qui statim obstupuit cernens præclarum bellatorem incomitatum, nec solito militum, & sociorum satellitio cinctum. Insolita hæc res Sacerdotem ad inquisitionem prouocauit. lib. 1. Reg. cap. 21. vers. 1. *Quare tu solus, & nullus est tecum?* Prudenti responso satisfacit pius Rex Sacerdotis interrogationi vers. 2. *nam & pueris condixi in illum, & illum locum.* Quis autem locus, quod habitaculum, in quo stationem fixerat parua illa, tametsi inuicta, militum manus, septuaginta interpretes diuino spiritu afflati promulgarunt, in propatulo constituentes arcanum nomen loci, in quo præsidium collocauerant stationales milites: pro eo quod Vulgatus habet: *in illum, & illum locum*, transferunt illi: *in loco dicto Dei fides.* Sic legit Sanctus Athanasius homilia de semente: *pueris iniunctum est, vt certum in locum conueniant, cui nomen: Deo fides.* Solent milites mansiones suas variis nobilitare nominibus, vt eorum insigne, & fama perennet; & forsan dissidium exortum inter Dauidis commilitones de stationis nomenclatione, Dauid tamen tanquam cælestis sym mistâ, loci nuncupationem sibi vendicauit, ex cuius consilio nomen inditum: *Dei fides.* Fidei munimine induens sodales aduersus insidiosum Saulem, Dei fidem velut symbolum inter socios distribuit, vt hostibus essent terrori; & ritè de statione militari, cui nomen: *Dei fides.* Progreditur ad expugnationem vrbis Ceilæ, aduersariorumque castra in fugam vertit lib. 1. Reg. cap. 23. fidei namque Dei omnia cedunt arma. In hoc Dauidis facto, si attente id perscruteris, cernes adumbratum egregium fidei facinus Regis Catholici Ferdinandi; Dauid à Domino destinatus vt ciuitatem Ceilam obsidione Philistinorum vindicet, stationarij oppiduli nomen imposuit: *Dei fides.* Ferdinandus vt Granatam oppugnet, & durum seruitutis iugum à Christianis auertat, vrbem condit, nomenque indit: *sancta fides.* Hac enim fidei machina admota, patriæ libertatis assertor, Maurorum terror, vrbis propugnator existimabat eam capere, & Ismaelitarum abolere imperium quod ita accidit: vrbs itaque sanctæ fidei regiam conditoris sui pietatem huc vsque prædicat. Et vocem edit tuba clariorem: *sancti per fidem vicerunt regna.* Ad Hebr. cap. 11. citato in missa de communi Martyrum.

Lib. reg. *In loco dicto Dei fides, stationem militarem constituit Dauid.*

Lect. L X X.

D. Athan.

Ampla Dauid decora, à Dei fide prouenient.

Ferdinandus Rex Catholicus stationem & præsidium constituit in loco dicto, Sancta fides: *vt Mauros expugnet.*

5. Profundiori indagine rimandum Isaiæ vaticinium cap. 27. Cuius exordium est: *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro grandi & forti, super Leuiathan serpentem vectem, super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum qui est in mari.* Alibi pro temporis opportunitate gladium vsurpabis pro Dei vnigena, & Emmanuele; pro Cruce, aut Dei verbo, iuxta diuersas theorias huius loci, quas inueniunt Ecclesiæ patres. Age vero modo iuxta LXX. seniores legentes: *In die illa inducet Dominus gladium sanctum.* De gladio

Isa.

Lect. L X X.

Gladius sanctus aduersus trinum monstrum educitur.

gladio sancto, & inuicto robore vsurpa, quod serpentem vectem, draconem tortuosum, & marinum cetum trucidauit. Cuius est isthæc inuicta virtus præualens contra maris terræque immanes, & formidabiles belluas? Introspicies facile, si perpendas, quid hæc horrifica monstra præseferant; patefiet belligeratoris virtus, si belluinorum capitum ænigmata soluas. Earum nodos argute soluet nobilis, & eruditus interpres Arias Montanus dicens, apertè denotari tricipitem Chimæram erroribus armatam, trinamque sectam, crudele bellum, & cruentum aduersus Ecclesiam Dei indicentem. Serpens vectis instar protensus Mahumetica impietas est. Tortuosus draco Hæresis est, vafer ille quidem, & astutus, qui non tam aperto Marte sicut prior, sed dolosis argumentationum tegminibus se occultans, subdolaque veritatis specie, velut spiris sese contorquens. Marinus vero draco idololatriæ impietatem portendit, quæ in magni maris occidui insulis diu viguit. Montani verba accipe: *Apertè nobis videtur Isaias significasse, duas illas factiones, quibus Euangelij veritas hoc tempore impugnatur, & vndique impetitur; alteram Ismaelitarum, hoc est eorum, qui Mahometi impietatem, & persuasionem secuti, apertissimum bellum Euangelij, & Christiani nominis professoribus faciunt.* Et statim: *Alteram vero factionem, quam Propheta nobis, Leuiathan tortuosi nomine indicare videtur, variam illam, & multiplicem errorum, & sectarum discordiam.* &c. De cetu verò qui est in mari subiungit: *Indicat illam vanissimam doctrinam in Indys Occidentalibus appellatis America, & noua Hispania tractibus vastissimis; ex quibus diuino beneficio iam errores illi depelli cœperunt, ac tandem omnino depellentur.* Quæ verba mirifica, præclara sunt Ferdinandi præconia, cuius Regis industria, nouæ patefactæ sunt in mari antea impermeabiles semitæ; in occidui solis tractus inuectum Crucis vexillum, & Euangelij lumen, conflatilium cultu, & vano errore depulso: nonne tanti Regis gladium, armaque militaria sancta nuncupabis, diuini numinis venerationi adstruendæ destinata, quæ expugnatis gentium imperiis, alioqui indomitas Barbarorum, belluarum more viuentium, ceruices ad Euangelij iugum suauiter impulerunt. Nec solum gloriatur gladius iste sanctus de dracone in errorum, & impietatum fluctibus natitante, reuexisse triumphum; reliqua illius capita fœliciter conquassauit. Hæresim destruxit, condita sacra Inquisitionis arce, contra Aquilonis triones, quæ subdolas, & absconditas eorum artes aperiret. Sed fœlicitatum cumulus extitit, quod Mahumeticam impietatem adhuc per Hispanias grassantem extinxit; Sarracenorum namque potentia vectis instar protensa, totum fere orbem, ab Oriente versus Occidentem occupauerat, improbitatis virus per omnes plagas serpens, in animos sensim illapsum, ex Hispania depulit, & in hoc Granatensi regno coarctatum ac circumclusum exterminauit. Magna Regis merita quibus fidit Deus vatis sui veritatem, & vaticinij complementum; Regio Ferdinandi brachio machæram Deus eduxit, vt calcatis ceruicibus Regum iniquorum, infidæ gentis imperium, & errores ex Hispania propulsaret.

Chimæra tricepi Ecclesiam impugnans: Mahumetica impietas serpēs vectis.

Tortuosus draco hæresis.

Draco Marinus Idololatria quæ in occidui solis India vigebat.

Arias. Mont.

Ferdinandus tricipitem Chimæram excidit, sancto fidei gladio.

Gentium Imperia Euangelij iugo subiugat.

Hæresim destruxit condita sancta inquisitionis arce.

Mahumeticam impietatem in Hispania extinxit.

6. Merito in die excidij, & exterminij Maurorum, gloriosus Ferdinandi gladius in propatulo constituitur, vt sit testimonium fidei Regis inuicti, qui pro aris, & focis contra perfidiam dimicauit, vt vrbi in libertatem vindicatæ, sit gratiæ, & decori, & populo venerationi. Gladius quo Dauid obtruncauit Goliath velut anathema in tholo suspensus seruabatur in loco sacrato. lib. 1. Reg. cap. 21. *est inuolutus pallio post Ephod.* Honoris exhibiti huic machæræ duplicem rationem exhibet Abulensis quæst. 21. vnam, quæ religiosum Dauidis affectum probat; alteram, quæ populum ad amorem, & gratitudinem inflammat: *Quia Dauid* (inquit) *superauerat ipsum Philisthæum, non quidem in fortitudine virtutis suæ, sed à Deo adiutus.* Et statim: *Nam quando intrarent in sanctuarium viderent ibi gladium Goliath, & recordarentur, quod Deus eis beneficium victoriæ contulisset, ideò insurgerent in diuinam laudem.* Vterque princeps pro veritate, & fide veri numinis decertans, gladium dicat Deo tanquam cæleste donarium, victoriæ perennans monumentum; vt ingenue testentur, à Deo se accepisse auxilium, & triumphum; cùm fortes facti sunt in bello, victoria hostium sunt potiti, cùm gladium in templum inuehunt, gloriæ, passionibus renuntiant, honoratiorem, & sacratiorem victoriam se ipsis reportant. Vsque ad internecionem delere hostes magnum est, non palpari nec efferri fama victoriæ, sed gloriationem vincendi superasse, maximum facinus est.

Gladius David quo Gigantem trucidauit, in loco sancto seruatus.

Lib. reg. Abulen.

Appensus est post Ephod vt Dauid pietatem inueret, & populum ad beneficij diuini memoriam excitaret.

Ferdinandi gladius in templo seruatus.

7. Spatham hanc similem iudicabis ei, quæ Iudæ Machabæorum Duci à Ieremia Propheta donatur. lib. 2. Machab. c. 15. v. 15. & 16. *Extendisse autem Ieremiam dextram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israël.* Gladius sanctus est, qui à Deo defertur Regibus, hostes fidei expugnaturus. Pugnauit aduersus pietatis hostes Ferdinandi gladius, nec cum vita finitum est certamen; qui functus est vita, non est perfunctus munere victoris, adhuc eius pugnat humanitas: quæ de Theodorico protulit Cassiodorus, perlubenter applico Ferdinando ex lib. 12. variarum c. 28. *O certamen toto orbe prædicandum, contra indigentiam, gloriosi principis pugnat humanitas, cuius verè castra sunt horrea referta.* Quot à fundamentis erexit Ferdinandus Xenodochia curandis, & alendis pauperibus destinata, Regalis munificentiæ extant monimenta, Hispanorum munimenta; obuallauit Granatam eleemosynarum turribus, misericordiæ propugnaculis. Quid plura? Demortui Regis pietas adhuc pugnat. Ambrosius de obitu Theodosij Imperatoris: *Bona itaque fides quæ frequenter operatur in mortuis. Vnde arbitror quod fila chordarum citharæ ideò fides dicantur, quoniam & mortua sonum reddunt.* Magnifica opera pietatis, fideique tituli, quos posteris relinquunt Reges, velut citharæ fides sunt, quas memoria grata pulsat, & dulce melos fundunt; ex Catholicorum Regum cadauere viuentium operum concentus resultat; obeliscos, Mausoleos, pyramidesque triumphales, dierum proluuies aut proterit, aut sepelit; at sublimium operum monimenta viuæ sunt virtutis imagines, fidei simulacra, quæ edaci

Lib. Mac.

Similis gladio sancto à Ieremia donato Iudæ Machabæorum imperatori.

Cassiod.

Post mortem Ferdinandi, eius humanitas viuit, & pugnat.

Pij principis castra horrea, pauperibus alendis referta.

D. Amb.

Bona fides operatur in mortuis.

Digitized by Google

edaci tempori nunquam cedunt, nec exesa apparent rubigine obliuionis.

Ferdinandus Martē, & Mineruæ munera necnō litterarios ludos aperit. 8. Non Martem solùm, Mineruam quoque liberalium artium præsidem dilexit Ferdinandus, cùm litterarios ludos, sapientiæ academias erexit, dotauit. Æquo iure illud acumen Philonis Hebræi præclaro Regi adaptabis, quod habetur in libro de temulentia, his verbis: *idem Vates* (loquitur de Moyse) *ad puteum carmen occinit, non iam ob solum affectuum interitum, sed & ob acquisitam sapientiam, possessionem incomparabilem, quam per puteum significat, quæ non in superficie, sed in profundo habet laticem dulcem animabus sitientibus honestatis, necessarium potum ac suauissimum. Priuatis enim non licet vel eruditionem haurire ex hoc puteo, sed solis Regibus, quapropter dicitur: saxo struxerunt eum Reges. Est enim officium magnorum Imperatorum ædificare sapientiam.* Est enim abstrusus, & reconditus, vt sæpe solet, in his verbis Philo, nec apertam enuntiationem dabunt, nisi recurras ad numerorum cap. 21. v. 16. cum Deus aquæ potum sponderet Moysi populoque daturum: *Tunc cecinit Israël carmen istud: ascendat puteus. Concinebant: puteus quem foderunt Principes, & parauerunt Duces multitudinis.* Postrema verba transferunt LXX. *Exciderunt illum Reges Gentium in regno ipsorum.* Vbi autem legerit Philo: *saxo struxerunt eum Reges.* Ignoro: nam ibi memoratur principes populi, capita familiarum bacillis percussisse glebæ superficiem, seu tellurem excauasse, statimque erupisse aquarum scaturiginem iugi scatebra manantem. Ad rem ergo: *est enim officium magnorum Imperatorum ædificarre sapientiam.* Magni enim Reges domicilia, & palatia condunt humanæ, & diuinæ litteraturæ; Lycæa, Athenæaque exædificant suis sumptibus, vbi Regia Minerua studiorum antistita, inter ludi magistrorum subsellia, præsideat, ad exercitationem litterariæ palæstræ excitet auditores. Talia sunt quæ Ferdinandus erexit in Religiosis familiis.

Phil. Iud.

Reges ex sapientiæ puteo latices hauriunt.

Officium magnorum imperatorum ædificare sapientiam.

Phil. Iud.

Ferdinandus & Isabella catholicorū regum infulis ornantur. 9. Venio ad discursus clausulam, in qua prospectabis Regem infulis Catholici principis ornatum. Sixtus IV. Pontifex Maximus: *Catholici Regis nomen Ferdinando, & Isabellæ tribuit.* Vt habetur tomo 4. Conciliorum Generalium part. 1. in vita Sixti IV. Iuit per adoreas titulus iste, & per longa stemmata Regum inuariatus permanet ab Alfonso Rege anno Domini 731. vt annotatum est tomo 3. Conciliorum in vita Gregorij III. supremi Ecclesię Antistitis: his verbis: *Ferdinandus Aragonius Hispaniæ Rex tanquam gloriosissimum regni ornamentum iterum vsurpauit, precibusque enixis à Iulio secundo impetrauit, vt eiusmodi titulus esset hæreditarius omnium Regum Hispaniæ.* Est enim huiusmodi coronamentum omni insigni Regio, & imperio gloriosius, nam vt ritè scribit Gregorius Magnus lib. 5. epistola 6. *Sicut enim magnæ lampadis splendor in terra noctis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit; ita fidei vestra claritas, inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat, ac coruscat. Esse Regem, quia sunt & alij, non mirum est, sed esse Catholicum, quod alij non merentur, hoc satis est.* Atque de hoc satis. Habes enim Regem præconio fidei, & Catholici illustrem, & incomparabilem, quem pro ducibus, & militibus a Synagoga ablatis, eximium suffecit Deus Ecclesiæ bellatorem.

Sixt. Quart. Concil. Greg.

Catholici insigne Hispaniæ regibus hæreditarium.

D. Greg. Mag. Regia fidei splendor.

Regale decus maximum, esse catholicum.



VERSICVLVS III.

Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici.

COMMENTARIVS.

1. MINARVM seriem adhuc nectit Vates. Aliosque viros variis honorum, & dignitatum insignibus sublimes, de medio ablaturum promittit.

Principes quinquagenarij. *Principem super quinquaginta.* Hoc est primarios viros, qui præsidebant quinquagenæ hominum. Erant apud Iudæos duces gnari militaris disciplinæ, qui in rebus bellicis super quinquaginta milites exercebant moderamen. lib. 1. Machab. cap. 3. v. 55. *& post hæc constituit Iudas duces populi, tribunos, & centuriones, & penthacontarchos, & decuriones.* Verbum Græcum: πεντηκοντάρχος, quod retinent LXX. seniores, sic interpretatur Hieronymus in cap. 3. Isaiæ: *quomodo enim centuriones vocantur, qui centum præsunt militibus, & chiliarchi qui mille: quos nos tribunos appellamus, ab eo quod præsint tribui: sic in Israëlitico exercitu quinquagenarij vocabantur, qui in capite erant quinquaginta militum.*

Lib. Mac.

Lect. LXX. D. Hieron.

Centurionū signa. Veget. 2. De Centurionibus scribit Vegetius lib. 2. de re militari cap. 13. *Centuriones insuper, qui nunc centenarij vocantur* (idem dictum vsurpat de quinquagenariis) *transuersis cassidum cristis, facilius noscerentur, quos singulos iusserunt gubernare centurias: quatenus nullus error existeret, cùm centeni milites sequerentur, non solum vexillum suum, sed etiam centurionem, qui signum habebat in galea.* Qualis autem futurus erat Centurio, vel quinquagenarius, quibusque dotibus à natura, & arte instructus, subiungit Vegetius. cap. 14. *Centurio eligendus est, qui sit magnis viribus, & procera statura: qui hastas vel missilia peritè iaculetur, & fortiter; qui dimicare gladio, & scutum rotare doctissimè nouerit; qui omnem artem didicerit armaturæ, vigilans, sobrius, agilis, magis ad facienda, quæ imperantur, quàm ad loquendum, paratus, qui contubernales suos ad disciplinam retineat, ad armorum exercitium cogat, vt bene vestiti, & calceati sint, vt arma omnium defricentur, ac splendeant.*

Veget.

Ad Centurionis, & quinquagenarij officiū quot requisita.

Princeps Reipublicæ quinquagenarius.

3. Nomen quinquagenarij alibi sæpè in sacra Scriptura vsurpatur, non tam pro militum præfectis, quàm pro Reipublicæ primoribus, & principibus, qui populum moderabantur, probis moribus informabant, vel eius lites dirimebant, & iudicia iudicabant. Exodi cap. 18. v. 21. *Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore.* *Exod.*

4. Et Deuteronomij cap. 1. v. 15. *Tulique de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones,* *Deut.*

Digitized by Google

& quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula. Præcepique eis dicens: audite illos, & quod iustum est iudicate. Quapropter prædictis verbis insinuat Vates ablaturum Deum à Iuda, & Ierusalem venerabilem illum principum, & magistratuum senatum à Moyse institutum Exodi cap. 18. qui iura dabant populo, & iuxta diuinæ Legis normam, & iuris æquitatem illum moderabantur.

Magistratuũ senatus à Ierusalem ablatus.

5. Mysticè, nomine quinquagenarij accipiunt religiosæ cohortis duces, qui iuxta seuerioris, & perfectioris disciplinæ regulam, virorum iustorum familias, & contubernia regunt, & moderantur, S. Cyrillus, & Procopius. Alexandrini Antistitis verba annotanda: *Quinquagenarium appellat non absolutè quinquaginta hominibus præstitutum, sed veluti ex vna hac re quisquis simpliciter, ac omnino præfectus est, & quasi compositè, & ordinatè versari, ac viuere persuadet suos subditos.* Huius vitæ strictioris auctor, & institutor apud Iudæos, & Legem antiquam extitit Elias Propheta sanctissimus, spiritualis Penthacontarchus, & præfectus supra quinquagenam religiosam, quæ iuxta Elianum institutum, & austeritatem, sacrum iniere conturbernium. Quinquaginta viri religiosi filij Prophetarum, satellites, & comites sunt Eliæ, cùm triumphali curru rapiendus erat in cœlum lib. 4. Reg. cap. 2. vers. 6. *Ierunt igitur ambo pariter, & quinquaginta viri de filiis Prophetarum secuti sunt eos.* Quare quia viam adinuenit austerioris disciplinæ, & Angelicæ vitæ formam hominibus demonstrauit, & perfectioni religiosæ, quam IESVS instituit in lege Euangelica, Apostoli, & Apostolorum successores, Religionum institutores obseruarunt. Elias prælusit; merito celebrandus in sequentibus discursibus.

Mystice quinquagenarij religiosorum duces.
D. Cyrill. Alexand. Procop.
In lege antiqua primus Penthacontarchus Elias.
Lib. Reg.

6. *Honorabilem vultu.* Pertinent ad Reipublicæ ornamentum viri ætate longæui, vultu venerabiles, honestæ grauitatis formam in facie præferentes, in quibus species augustior reuerentiam conciliet. Seriosam grauitatem, & clementem sui vultus, Iob describit. c. 29. v. 24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram.* Erat enim vultus Iob venerabilis, ad modestiam compositus, in quo prælucebat imago quædam prudentiæ. Pij vultus, virtuosique auctoritas quantum moueat ad cultum, & venerationem, scribit Seneca epistol. 115. *In homine rarum humanitas bonum, splenderem illi suum affunderent, tum prouidentia, tum elegantia, & ex istis magnanimitas eminentissima, quantum Dij boni, decoris illi, quantum ponderis, grauitatisque adderent? quanta esset cum gratia auctoritas? Nemo illum amabilem, qui non simul venerabilem diceret. Si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentiorémque, quàm cerni inter humana consueuit, nonne velut numinis occursu obstupefactus resistat, & vt fas sit vidisse, tacitus precetur?* Tales habuit venerabiles viros Israëlitica Respublica, quos Deus ab ea abstulit.

Vultus species, & veneranda faciei vrbes ornant.
Iob.
Senec.
Facies augustior, & fulgentior, numinis simulacrum.

7. *Et consiliarium.* Habuit ille populus præstantissimos consiliarios Ioseph, Moysen, Aaronem, Salomonem, Danielem, Banaiam Dauidis auricularium, & Ionatham, de quo. 1. Paralip. cap. 27. vers. 32. scribitur: *Ionatham autem patruus Dauid, consiliarius, vir prudens, & litteratus.* Inter alios, qui venerunt ad constituendum Dauid Regem, recensentur lib. 1. Paralip. c. 12. v. 32. *De filiis quoque Isachar viri eruditi, qui nouerant singula tempora ad præcipiendum qui facere deberet Israel, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus, eorum consilium sequebatur.* Adde Prophetas omnes quos consulebat populus in dubiis ad œconomiam, vel ad animi salutem pertinentibus, ab ipsisque expectabat sententiam tanquam ab oraculis. Qua virtute & prudentia præditus debeat esse consiliarius scribit S. Ambros. lib. 2. de officiis c. 17. *Talis itaque debet esse, qui consilium alteri det, vt seipsum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate; vt sit sermo eius salubris, atque irreprehensibilis, consilium vtile, vita honesta, sententia decora. Talis erat Paulus, qui consilium dabat Virginibus, magisterium sacerdotibus, vt primum seipsum præberet nobis formam ad imitandum.* Istum ergo vtilem consiliarium amiserunt, de quo verbum istud: *Et consiliarium*, accipiunt Cyrillus, & Procopius.

Israëlitica Reipublica consiliarij.
Lib. Paralip.
De filiis Isachar viri eruditi, & consiliarij eminebant.
D. Ambr.
Qualis debeat esse cõsiliarius?
D. Cyrill. Procop.

8. Sancti Patres Cyrillus Alexandrinus, & Basilius legunt: *Et admirabilem consiliarium*, & de Christo Domino sententiàm accipiunt: audi Basilum magnum: *Itaque Iudæi, ex quo malignum agitauerunt consilium, quonam pacto, in manus præsidis traderent Dominum; ab eis Dominus ipse admirabilem consiliarium abstulit, cuius quidem consilia omnibus fuerunt admirationi.* Dicitur enim IESVS admirabilis consiliarius, quia Euangelica consilia, præceptis legalibus addidit, eáque Apostolis, & aliis hominibus intimauit, & obseruanda docuit.

D. Cyrill. Alexand.
D. Basil.
Admirabilis consiliarius Iesus à Iudæis ablatus.

9. *Et sapientem de Architectis.* Caruit Iudæa omnibus illis præsidiis, atque emolumentis, quibus olim architectorum sapientia, & industria muniebatur, & ornabatur, Aquila legit: *Sapientissimum artificem.* Architecti, & artifices vocantur sapientes, quia omnium facultatum scientia debent esse instructi, vt ait Vitruuius lib. 1. cap. 1. *Itaque eum, & ingeniosum esse oportet, & ad disciplinam docilem (neque enim ingenium sine disciplina, aut disciplina sine ingenio perfectum artificem potest efficere,) & vt litteratus sit, peritus graphidos, eruditus Geometria, & Optices non ignarus, instructus Arithmetica, historias complures nouerit, Philosophos diligenter audiuerit, musicam sciuerit, medicinæ non sit ignarus, responsa iurisconsultorum nouerit, Astrologiam, cœlique rationes cognitas habeat.* Talis fuit apud Israëlitas Beseleel filius Vri, de quo ait Dominus Exodi cap. 31. v. 1. *Impleui eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quid fabre fieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, diuersitate lignorum. Dedique ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, vt faciant cuncta quæ præcepi tibi.*

Architecti, & artifices vocantur sapientes.
Lect. Aquil.
Vitruu.
Vt sit omni scientia instructus artifex, necesse est.
Exod.

10. Talis fuit Hiram ad templi Salomonici structuram destinatus à Surone Rege Tyri, Sidonis, & Phæniciæ ad Salomonem missus, de quo Eupolemus apud Eusebium Cæsariensem lib. 9. præparationis Euangelicæ honorificam commendationem recenset in epistola Regis Tyri ad Salomonem. Cuius tenor est:

Hiram Architecti templi Salomonici laus & commendatio.
Eupolem. Euseb. Cæsar.

Suro Salomoni Regi magno salutem.

Benedictus Deus qui cœlum terrámque condidit, qui virum bonum ex bono viro delegit. Simul atque

Epistola Suronis Regis Tyrij ad Salomonem.

Digitized by Google

atque tuam epistolam legi, valde sum lætatus, ac Deo gratias egi, quod te ad regnum euexerit. Quod autem ad me scribis de ijs, qui sunt in populis nostris, misi ad te octoginta millia Tyriorum, ac Phœnicum; atque architectum quoque hominem Tyrium ex matre Iudæa ex tribu Dan. Is de quibuscumque rebus, quæ cæli complexu coercentur, ac de architectura eum rogaueris, tibi respondebit, atque efficiet, &c.

11. Sed commendatio maior architecti Hiram in sacro textu reperitur lib. & cap. 2. Paralip. v. 13. & 14. *Misi ergo tibi virum prudentem, & sapientissimum Hiram patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater fuit Tyrius, qui nouit operari in auro & argento, ære, & ferro, & marmore, & lignis*, &c. *& qui scit cælare omnem sculpturam, & adinuenire prudenter quodcumque in opere necessarium est.* — Lib. Par.

12. Demum lib. 1. Paralip. cap. 4. v. 14. fit mentio Vallis artificum: *Saraia autem genuit Ioab patrem vallis artificum: ibi quippe artifices erant.* Hos omnes ablaturum Deum, Isaias minatur. — Lib. Par. *Vallis artificum apud Iudæam.*

13. Architecti vocem Chrysostomus vsurpat non pro illo, qui materiale ædificium machinatur, & construit; sed pro gubernatore, qui sapientia, prudentiaque Rempublicam ædificat, & seruat: *Non ædium substructorem* (inquit) *aut cæmentarium intelligit: sed qui multa scit, & qui vsu didicit administrare Rempublicam, qui multa callet, qui negotia omnia ciuitatis nouerit moderari solerti prudentia.* — D. Chrysost. *Reipublicæ administrator artifex dicitur.*

14. S. Basilius in sensu mystico ait Spiritum sanctum esse architectum, qui domum Dei Ecclesiam eiusque membra charitate compaginat, & conglutinat, huncque amisisse Iudæos: *Eos, qui hunc reiecerunt admirabilem consiliarium nempe Dei Verbum, destituit etiam sapiente architecto Spiritu scilicet sancto, vt iam non habeant à quo in vnam, & eamdem fabricam coaptentur, quique in vnam compagem eos connectat, dissoluti cum sint, & à se inuicem intercisi, ac dissecti, non iam possunt per spiritualem substructionem effici Dei templum.* Hæc Basilius. — D. Basil. *Spiritus sanctus Ecclesiæ architectus, qui in vnam fidei, & charitatis compagem homines nectit.*

15. Idem Basilius alteram commentationem spiritualem adiungit, architectum à Iudæis semotum esse Apostolum Paulum: *ab ijsdem quoque ablatus est & sapiens architectus, Apostolus insuper factus est Gentium, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, seruus factus Iesu Christi, quem persecutus fuerat.* Et adiungit huius scientiæ architectonicæ argumentum: *Ipse siquidem de se ait: vt sapiens architectus fundamentum posui.* Cui commentationi calculum album adiicit Hieronymus. — D. Basil. *Architectus à Iudæis ablatus Apostolus Paulus.*

16. Eamdem protheoriam sequitur S. Ambrosius in Psalm. 118. octon. 21. ponderans in illa sententia Psalmographi: *sicut qui inuenit spolia multa.* Omnia dona ab Isaia recensita in hoc cap. 3. à Iudæis ablata, & ad Ecclesiam Christi translata: *Abstulit* (inquit) *virtutem panis, & virtutem aquæ, Prophetam, & admirabilem consiliarium, & prudentem architectum, & sapientem auditorem. Illis abstulit, nobis dedit. Merito exulto, sicut qui inuenit spolia multa. Sine labore meo inueni*, &c. *Admirabilem consiliarium Christum, inueni Paulum prudentem architectum.* — D. Amb. *Admirabilis consiliarius Christus, prudens architectus Paulus à Iudæis ablati nobis donati.*

17. *Et prudentem eloquij mystici.* Doctissimus Forerius legit: *intelligentem oratoria.* Habuit illa quondam Respublica celeberrimos, & sapientissimos oratores, sacros nimirum Vates, qui suis declamationibus pro suggestu prolatis populum incantabant, & sapientiæ diuinæ vinculis irretiebant, vt bonæ frugis opera exercerent; etenim Prophetæ fontes sunt artis declamatoriæ; omnisque eloquentia ad permouendos animos auditorum ab iis tanquam à fonte manauit. Hos tamen, reiecto fonte sapientiæ Iesv, Iudæa amisit. — Fore. *Prudens eloquy mystici, intelligens oratoria. Apud Iudæos oratores, & declamatores eloquentissimi, diuini vates.*

18. Discutienda sunt singula verba, vt in iis quid lateat mysterij, facilius eruamus. Lxx. legunt: ἀκροατήν, quod verbum denotat: *Auditorem, perscrutatorem mysterij, ænigmatis, remotioris, subtiliorisque doctrinæ.* Pro eo qui præditus est dono discretionis spiritus, accipiunt Hieronymus, Cyrillus, Procopius. Verba Hieronymi sunt: *alij enim datur prophetia, alij discretio spirituum. Vnde & constituti erant in populo Iudæorum Sacerdotales gradus, qui Prophetas, pseudo-Prophetasque discernerent: hoc est intelligerent, qui de Dei spiritu loquerentur, qui de contrario.* S. Cyrillus legens: *& gnarum auditorem*; in eodem sensu hæc annectit: *Hunc esse arbitramur, qui diiudicatione spiritus præditus sit, quique potest internoscere quis in Dei spiritu loquatur, & qui rursum in Beelzebub: multi enim à multis sermones habiti sunt: qui enodant dogmata, ac controuersias, & qui morum probitatem conculcant.* Et statim: *veluti expertus mensarius quod prodesse solet admittit, quod secus habet, velut male signatum numisma, adulterinum indicas*: Affertque locum Pauli 1. Thessal. cap. 5. *Estote prudentes nummularij, omnia probantes, bonum apprehensate, ab omni specie mali abstinete.* Et Ioannis Apostoli epist. 1. cap. 4. v. 1. *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Nec omittendus est Procopius: *abstulit, inquit, ab Israële Deus: prudentes auditores, qui de Prophetarum oratione iudicare, discretionisque spiritu, falsos à veris iuxta traditam aliis prophetandi, aliis discernendi facultatem diiudicare, & reycere possint.* — Lect. Lxx. *Donum discretionis spirituum prædictia eloquij mystici.* D. Hier. D. Cyr. D. Procop. *Inter Iudæos erant constituti sacerdotes, qui veros à falsis prophetis discernerent.* D. Cyril. Procop. *Abstulit Deus à Iudæa sapientes, qui spiritus discernebant.*

19. Verbum Hebræum בין denotat *intelligere, intrinsecus mente considerare, & penitius cogitare.* Et de intelligentia diuinorum vsurpatur præcipuè apud Danielem cap. 9. 11. & 12. posses igitur legere iuxta Hebræum: *sapientem intelligentem.* Pro *eloquij mystici* verbo, Hebræus habet לחש quod denotat: *mussitare, susurrare, incantare*, in hoc vltimo significatu transfertur Psal. 57. *Venefici incantantis*, & in præsenti legit Theodotion: *prudentem incantatorem.* Eamque lectionem Hieronymus illustrat: *Prudens incātator videtur mihi vir esse eruditus & exercitatus tam in lege & Prophetis, quàm in Euangelio, qui possit singulas animi perturbationes sua sanare doctrina, & ad statum mentis reducere, dum & scortator recipit castitatem, & ganeo frugalitatem, & quondam auarus dat eleemosynam: euentila omnes Iudæorum Synagogas, & nullum poteris inuenire Doctorem, qui sancta præcipiat, & contemptis diuitiis, sectandam doceat paupertatem.* Idem verbum lib. 1. Esdræ cap. 3. vers. 12. significat incantatorem: *Sellum filius Alohes.* Hebraicè: *incantatoris.* Ita legit Vatablus in scholiis, & Rabbi Dauid, qui ait dici incantatorem: *quia erat consilia* — Lect. heb. Theodor. D. Hier. *Prudens incantator est, qui ad meliorem vitæ frugem animos traducit.* *Nullus doctor remanet apud Iudæos qui spiritualia doceat.* Lect. heb. Vatab. Rab. Dau.

Consilij arcani cõscius.

consiliarius intelligens locutionis occultæ, & consilij secreti.

Intelligentes eloquiorum sacræ sapientiæ, Deus sustulit à Iudæis.

20. Iuxta Vulgatum, & LXX. seniores, sensus genuinus est: auferet Dominus prudentem eloquij mystici, vel prudentem auditorem. Hoc est, sapientes, & intelligentes sacrorum eloquiorum diuinæ Scripturæ; nullus apud illos verus, & fidus interpres, qui sciat perscrutari profunda scripturarum, & mysticos arcanósque ænigmatum propheticorum sensus eruere, nec litteram occidentem ab spiritu viuificante discernere; sed omnis eorum sensus ad terram, & carnalia inflectitur; quare scriptura diuina apud illos velut cadauer iacet sine succo spiritalis intelligentiæ, sine sanguine, & vita intellectus mystici de Christo, & Ecclesia. In medio mysteriorum lumine caligant, habent enim occæcatam mentem ad perceptionem diuinorum.

Nunc vero ad litteræ complementum spectat singula verba illustrare, & ornare titulis sequentibus.



Pars secunda numeri tertij.

Et prudentem eloquij mystici.

Nouum decus interpretationis suscipit.

ORNATVS LITTERÆ primus.

An fuerit expediens sacram Dei sapientiam sub arcani sermonis, & ænigmatum integumentis occultari?

Apparet inconueniens, quod sacra litteratura sub obscuris, & inuolutis sermonibus traderetur.

1. LITTERATVRAM sacram plenam esse metaphoris, tropis, figuris arcanis, & mysticis sermonibus, compertum est ex Vatibus, hymnis sacris, canticis canticorum; videtur tamen inconueniens, quod sacra mysteria sub obscuro, & inuoluto sermone delitescant; nam cùm Scriptura fuerit diuinitus inspirata sanctis Dei hominibus, vt Christi mysteria tantis retro sæculis præuideret, & hominibus annuntiarent, magni sacramenti notio facilius consequeretur, si perspicuum esset eloquium, & humana dialecto, facilique scriptura dictaretur. Secundò, quia Spiritus Domini scripturarum auctor simplex est, suauis, & apertus, quare eius verba ipsi spiritui loquenti debent esse similia, comperta, & perspicua. Tertiò, hæc scripturarum caligo tenebrosa, occasio fuit non paucis cæcutiendi, & impingendi in lapides errorum, & in dissonam varietatem interpretationum; quæ omnia vitarentur, si scriptura non esset obscura.

Prima ratio. *Secunda ratio.* *Tertia ratio.*

Isai.
Valde expediens fuit scripturam diuinitus inspiratam, sub tenebroso verborũ velamentõ occultari.

2. Sed contra est, quod dicitur Isaiæ cap. 8. *Liga testimonium signa legem in discipulis meis.* Indicat scripturam sacram esse inuolutam tenebroso sermone, ligatam, & clausam intelligentiam veritatis, donec discipuli Domini claue scientiæ, & superno Sancti Spiritus reseramento patefactam reddiderunt; ipsi enim domus sapientiæ fores, & seras reserarunt, & ingressi sunt in illius triclinium. Et capite 29. Isaiæ vers. 11. dicitur: *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti litteras, dicent: lege istum, & respondebit: non possum, signatus est enim.* Vnde S. Hieronymus in caput 3. Nahum scite ait: *Ideò Scripturam sanctam his difficultatibus esse contextam, & maxime Prophetas, qui ænigmatibus pleni sunt, vt difficultatem sensuum, difficultas quoque sermonis inuoluat, vt non facilè pateat sanctum canibus, & margaritæ porcis, & prophanis sancta Sanctorum.*

D. Hieron.
Vates ænigmatibus pleni, ne facilè pateat sanctũ prophanis.

3. Quocirca, his non obstantibus inuenti sunt qui constanter assererent Scripturam sacram esse omnibus apertam, & dilucidam: inter alios Cælsus, quem refellit Origenes Adamantius libr. 1. contra Cælsum. Is enim aduersum sacram sapientiam impudenter deblaterabat, esse omnibus peruiam; sese iactitans, illius sacramenta omnia rimari. Effutiebat ex ore suo frequenter illud effatum: *Noui enim omnia.* retundit arrogantiam Cælsi, furentem insaniam, eius inscitiam redarguit, & sugillat Adamantius, acriter in eum inuectus: *Noui enim omnia, dictum arroganter ab eo: quia si legisset maxime Prophetas confusis refertos obscuritatibus, & sermonibus non cuiuis perspicuis, non tanta confidentia rem gereret, nec diceret: noui omnia. Amica enim est veritas: nemo nostrum dicet: noui Epicuri omnia, nec Platonis omnia, nisi forte hoc verbum: noui tum omnia, ab idiotis aliquibus imperitiam suam non agnoscentibus, audiit; putans se ex huiusmodi præceptoribus perdidicisse omnia.* Contra Cælsum hæc Origenes. Alij vero nimis scrupulosi de caliginosa obscuritate signorum sacræ scientiæ scandalizabantur. Apud S. Dionysium Areopagitam epist. 9. illuminatissimi Doctoris verba sunt: *Etenim animis minus perfectis, scrupulum molestum iniiciunt, cùm occulta sapientia patres per abstrusa quædam, & audacter excogitata ænigmata, diuinam, & mysteriis plenam prophanisque non patentem veritatem enuntiant.* Eos tamen qui necdum primoribus labris attigerunt sacræ scientiæ sermones, nec in abdita arcanorum diuinorum sunt introducti, eximit ab anxietate diuinus Dionysius excogitatis argute multiplicibus argumentis ad stabiliendam conuenientiam obscuritatis eloquiorum cœlestium, quæ partim ex Areopagitico fonte, partim ex primoribus Ecclesiæ, & oraculis mutuata dabimus.

Origen.
Insipientis Celsi assertũ sacram Scripturam esse omnibus peruiam, refellitur.

Propheta obscuritatibus referti.

D. Dionys.
Animis minus perfectis scrupulum molestũ iniicit scripturæ Sacræ obscuritas.

Multiplex ratio astruitur.

4. Prima est ad alliciendos animos ingenuorum; cum enim cernunt occultam esse sapientiam, ad eam perscrutandam appropinquant; hacque amoris adinuentione, & illecebris scientiæ, & cupiditate discendi, allicit suauiter Deus, cósque excitat, & capit. Quare S. Gregorius Nazianzenus disputans de Dei natura, eiúsque incomprehensibilitate, oratione 38. ait: *Prius quam teneatur effugiens, & prius quam intellectu concipiatur, seipsum fuga proripiens, &c. Hoc autem mea quidem sententia idcirco fit, vt quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat; quatenus autem capi non potest, admirationem sui excitet, atque ex ipsa admiratione vehementius expetatur, expetitus purget, purgans autem diuinos efficiat, talésque cum redditi sint, cùm iis iam velut cum familiaribus, consuetudinem habeat, (metuo ne hoc audacius à me dictum videri possit,) Deus Diis vnitus, & cognitus.* Idem de

Prima vt ad se alliciat diuina sapiẽtia animos ingenuorum.

D. Gregor. Nazian.
Deus mente humana incomprehensibilis, vt admirationem sui excitans, vehementius expetatur.

de ſacra ſcientia, quæ Dei naturam regerit, dictum exiſtima. Deus licet à creata mente comprehendi, & perfecte capi nequeat; reſplendet tamen illud immenſum lumen in ſpeculo animæ, & pro ſuo captu illuminatur, attingitque illud imperfecta notione; cùm enim indat in anima vultus ſui lumen,& igniculos amoris; à luce recreata, & attracta, vehementius expetit, quod non capit, in eiuſque ſpeculatione, immenſitatem ſummi boni miratur, & reueretur immenſum intelligibile, maiorique cupiditate ſciendi auidius inhiat,vt tantum lumen teneat, eiuſque irradietur fulgoribus; hicque à puriſſimo lumine perpurgatus redditur Theologus, amore Deifico percitus diuinus redditur, & domus ſapientiæ contubernalis, & familiaris.

Quid domus, & crater ſapientiæ denotent.

5. Bono omine cæleſtibuſque auſpiciis ingreſſi ſumus in ſapientiæ lares, vt eius myſteria attente perſcrutemur. Exquiſiuit Titus Pontifex Pauli Apoſtoli alumnus à Diuo Dionyſio Areopagita per epiſtolam,quæ nam ſapientiæ domus, quis crater, quæ eſculenta, & poculenta ipſius? Prouerbiorum cap. 9. verſ. 1. *Sapientia ædificauit ſibi domum.* v. 5. *Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Et reſpondet exquiſito, & ſingulari acumine Dionyſius epiſtola 9. domum ædificatam à diuina ſapientia denotare Deum abſconditum, & arcana quadam ratione à mundanis ſegregatum, & intra domeſticos cognitionis lares incluſum: *Secretum eſſe ab omnibus. Neque vllo modo ſe ipſe deſerat, neque ſedem ſuam immobilemque manſionem, & quaſi larem relinquat.* Amat enim occultari illa pulchritudo diuina, vt per rimulas quaſdam portæ triclinij, aut cancellata foramina ſe ſe inſinuet, & vehementius pelliciat amatores diſcendi cupidos: nullis cancellis coarctari poteſt, peſſulis, aut foribus claudi natura immenſa, quam nec orbis limites, nec cœlorum circuli capiunt. Denotat tamen domeſtica manſio ſapientiam occultam à creaturis ſegregatam, & arcano quodam conſilio in caligine latitantem: inſuper immobilem, & in æternum ſtantem Deum. Quid verò præſeferat panis, ſacrumque ferculum cibillæ appoſitum, liberali quadam ratione inuitans eſurientes? Solerter ſubiungit Areopagita: *Solidumque cibum ſignificare arbitror, mentis participem, ac eodem in ſtatu manentem perfectionem, qua diuinarum rerum participes fiunt ſenſus illi mentis, per ſtantem, potentem, ſingularem, indiuiduamque ſcientiam.* De poculo verò in cratera latitante, hanc ſubtilem protheoriam ſubiicit: *Liquidum autem, fluxionem, quæ vim habet diffuſionis, & foras excurrere ſtudet, variiſque etiam ac multis, & diuiduis eos, qui educantur, pro captu, & modo ſuo, ad ſimplicem ſtabilemque Dei ſcientiã benigne deducit.* Magnus hic Theologus à Paulo eruditus deſcribit nobis diuinam ſapientiam, & ſtabilem, & fluentem; fontem in ſe ipſo permanentem, & nunquam dimotum, & diuinis laticibus ſuperfluentem, & in alumnos ſuos redundantem; nec ſolitariè amat perfrui beatitate ſua, & copia intelligibilium, quin riuulos luminis deriuat ad amatores ſuos, & docibiles Dei, vbertatemque diuinæ ſcientiæ & limpidiſſima fluenta eis communicat; pane educat, vt eos in aduerſis firmet, &

Prou.

D. Dion. Areap.

Deum abſcõditum,à mũdanis ſegregatum, & intra domum cognitionis incluſum, innuunt.

Sacra ſapiẽtia fercula, mites eorum participes, reddunt vegetos,& ſtabiles.

D. Dion. Areop.

Fons ſapientia in ſe ſtabilis, ad alios diffunditur, vt ad Deum deducat.

perfecta virtute ſtabiliat,& ab immobili participet pro captu ſuo immobilitatẽ. Hoc fulcro, & fulcimento panis cibat, vt in eodem ſtatu manente perfectione ſolidentur, nec hoſtium impulſu dimoti,aut labefactati labaſcant. Potat verò, & inebriat liquidis, fluxiſque poculis rore, aqua, lacte, vino, melle, quibus diuina, ſpiritaliaque ſcripta,& verba comparantur, vt ſopita virtus his oblectamentis conniueret, rapereturque animus, guſtata diuinæ ſcientiæ dulcedine, ad illius inueſtigationem, gauderetque ſub vexillo illius adſcribi, & in perpetua eius ſchola militare. Nec mercede,& fructu clientes ſuos vacuos relinquit; quin potius eos replet diuinæ cognitionis ſtillicidiis. Rite addit Dionyſius: *Hæc diuina ſapientia dat iis, qui ad ipſam accedunt, ipſis abundantium, & perpetuorum conuiuiorum affluentes ſuppeditans, profundenſque copias.*

Sapiẽtia ſuis affectis abundantiam deliciarum ſuggerit.

6. Secunda ratio obſcuritatis Scripturæ ſacræ; vt in virtutis ſtadio animus diligenter exerceatur, ſtudiorum exercitamentis,& laboribus, quaſi in puluere,& arena cum ſapientia colluctetur, ipſoque luctamine appetitum vincat, improbæ carnis motus refrænet. In quo ſenſu Rupertus Abbas expendit famoſam illam luctam,in qua Iacob tanquam cæleſtis pancratiaſtes proclamatur ab Angelis. Geneſis c. 32. v. 24. *Et ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* De luctamine ſapientis,ſacræ Scripturæ ſtudiis ſeſe accingentis, ait Rupertus lib. 8. in Geneſim cap. 9. *Luctatur Iacob cum Deo, quandiu ſacra Scriptura ſtudiis accinctus incumbit, ſenſumque verbi Dei fugientem tenere contendit. Quare verbum Dei dilectam atque diligentem animam tenere ſe cupientem, tantopere refugit? Cum multas ob cauſas, vt auiditatem magis, ac magis excitet inquirentis, vt eius deſiderio quem quærit, aduerſantes intentioni ſuæ verberet, atque in ſeruitutem redigat ſenſus improbæ carnis.* Dulcis lucta omni otio,& pace iucundior, mira pugilis Dei ſolertia ad pugnam prouocantis; cum enim primo amplexu ſtudioſæ mentis tenetur, fugam parat, delabi exoptat, vt vehementius expetatur, & prehendatur ſtrictioribus deſideriorum lacertis; vt per vim quamdam precum,& lacrymarum (Oſeæ cap. 12. *Fleuit, & rogauit eum.*) quibus libenter prenſatur Deus, intelligentiam diuinorum per vim quandam à ſapientia extorqueat; Xenia & dona ſacrarum contemplationum, quibus dextra manus ſapientiæ ornatur; & ſiniſtra, violentus deripiat. Nec vacuam relinquit animam verbum Dei, ſic agonizantem, ſic puluerizantem in laborioſo ſtudiorum agone; viſcera pietatis in dilectum ſuum, & alumnum effundit, & diuinarum notionum in eo relinquit impreſſa veſtigia; nec minori beneficio cumulatur corpus, cùm ex hoc congreſſu infirmatur hoſtis nocentior, qui voluptatis illecebra menti parat inſidias, ſubdolum & improuiſum leuat calcaneum, vt moderatorem ſuum proſternat. Ex laborum ſentibus ſapiens dulces fructus carpit, femur nimirũ emarcidum, cùm ex Dei afflatu,& attactu roboratur animus, infirmatur terrena ſubſtantia, petulcę carnis retunditur impetus, mundialia deſideria langueſcunt. Rite S. Ambroſ. lib. 2. de Abel cap. 6. ait: *Sermo igitur plurimus ſcripturarum animã confirmat, & quodam ſpiritalis gratiæ colorat vapore. Rationabilia quoque inuenta corroborat,*

Secunda ratio: vt roboretur anima in virtutis ſtadio, & affectus improba carnis vincat.

Geneſ.

Rup.

Pulcherrimũ mentis cum Verbo Dei luctamen, vt Scriptura ſacra intelligentiam ab eo extorqueat.

Oſeas.

D. Ambr.

Diuini ſermonis Scripturarũ vis ad confirmãdam animã.

& dissoluendum robur terrenarum passionum.

borat, dissoluitque omnem vim irrationabilium passionum. Ex igne illo Dei, qui in meditatione scripturarum exardescit, animus exæstuat, intemperans corporis appetitus frangitur.

Duo in Ægyptiorum delubris proposita ænigmata.
Primum in rota, secundũ in ramo occultatum.
Clement. Alexand.
In rota seu sphæra, Dei æternitas, in frondibus rerum mutabilitas indicata.
Ezech.

7. Clemens Alexandrinus disputans de sapientia symbolica, & occulta, duo proponit singularia ænigmata, quæ in delubris Gentium præsertim Ægyptiorum ostendebantur, ad ingeniorum examen, & ingeniosi acuminis cotem; vnum in rota, alterum in ramo continebatur; sic enim ait lib. 5. Stromatum cap. 4. *Significabant autem non per verba solum, sed per symbola nonnulli actiones, &c. Per symbola autem vt & rota, quæ vertitur in Deorum templis, quæ tracta est ab Ægyptiis; & rami, qui dantur iis, qui adorant.* Vtrumque tamen Ægyptij à Iudæis videntur mutuasse, vt in rota Dei æternitatem innuerent, in frondibus rerum mutationem. Forsan in viridi ramusculo alludebant ad Solis adoratores de quibus Ezechiel cap. 8. v. 17. testatur: *Et ecce applicabant ramum ad nares suas.* qui cultus superstitiosus solẽ venerantium, simul cum Ezechielis clausula lumen accipiet ex verbis Clementis, & illius eruditione; expendens symbolum rotæ, & rami qui & cultoribus vanissimis donatur, affert vetusta carmina: *Dicit enim Orpheus Thracius.*

Orpheus.

Ramorum, at quis sunt hominũ terrestria curæ,
Non vno stant facta loco in mente, omnia circum
Voluuntur, nec fas vna est consistere in parte,
Vt cœpit cursus, verum est pars cuilibet æqua.

Exiguũ vitæ tempus homini datum. Idolorũ cultoribus donatur rami, vt indicent pabulũ ignis post hanc vitam futuros.

Rami autem aut sunt symbolum primi nutrimenti, aut, vt sciat vulgus, fructus quidem omnino germinare, & augeri longissimo tempore permanentes, se autem accepisse exiguum vitæ tempus, ea de causa volunt dari ramos: fortasse autem etiam vt sciant, sicut ij rursus vruntur, ita illos quoque hanc vitam cito esse relicturos, & ignis opus futuros. Admonebant germina viridesque frondes hominem esse breuioris æui, annorúmque rotam, vel auream, vel argenteam volatilis vitæ breuissimo spatio terminari; omnia enim, quæ generantur, expectant interitum; viridisque iuuenta, aut de senecta incanescit, aut de ægritudine, & morte languescit; vt timeant peccantes gratia exaridi, vitiorum humore frondentes, & virides, ad radicem esse positam securim, vt sint pabulum ignis æterni. Cùm horum symbolorum nodos sapienter Clemens explicuisset, subiungit argutè: *Genus ergo symbolicæ interpretationis est ad multa vtilissimum, vt quod & ad rectam conferat Theologiam, & pietatem, & ad indicandam ingenij solertiam, & breuitatis exercitationem, & ad ostendendam sapientiam.* Hæc enim symbolica Theologia velut ad pancratium litteratos conuocat, vt exacuantur ingenia, & in gymnasio sapientiæ exerceantur, eruentes de mentium suarum penubus, & totius eruditionis promocondis subtiles contemplationes, & verosimiles protheorias, ad emolumentũ animi, & promotionem moralis disciplinæ. Quam ad rem Sanctus Augustinus in præfatione Psalmi 140. ait: *Sunt enim in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur ne vilescant, ad hoc quæruntur vt exerceant, ad hoc aperiuntur, vt pascant.* Et postea: *si nusquam aperta esset, non te pasceret: si nusquam occulta, non te exerceret.* Itaque illius obscuritas animorum exercitamentum est.

Clement. Alexand.
Symbolicæ sapiẽtiæ vtilitates quam plurimæ.

D. August.
Scripturã mysteria abscondita, ne vilescant, sed vt exerceant & pascant scrutantis animum.

8. Tertia ratio mystici eloquij, vt animus coram Domino humilietur cùm oneri difficultatis victus succumbit, persuasus à Deo intelligentiam occultorum expectandam, ipsúmque esse primarium Doctorem, qui tenebras mentis illuminat, pulsantibus aperit sapientiæ fores, eisque libenter occurrit. Pulchrè S. Augustinus præfatione in Psalmum. 93. ait: *Intentè audiamus cùm reuelat Dominus, quæ hîc dignatus est opacare mysteria. Ad hoc enim clauduntur quædam sacramenta scripturarum: non vt denegentur, sed vt pulsantibus aperiantur. Si ergò affectu pio, & syncera cordis charitate pulsetis, ille aperiet, qui videt, vnde pulsetis.* Et in præfatione Psalmi 147. *sed quare sic scriptura loqui voluit per quasdam quasi caligines similitudinum? Quanto melius apertius loqueretur? quare, vel quæro, vel hæsito, quid sibi illa verba exigant? quare in audiendo vel laboro? quare plerumque audito psalmo indoctus abscedo? Hoc est quod paulò antè dixit: patere te curari, ita sanandus es.* Pharmachum posuit Deus in recondito sermone Scripturæ diuinæ, vt medelam adhiberet humanæ superbiæ, cùm clausam cernit homo sigillo obscuritatis intelligentiam diuinorum; addidit incrementum humilitatis sapientia doctioribus, cùm maiorem ingenij excellentiam, doctorum fastum, & supercilium inclinat, & abiicit ad exorandam Domini clementiam; vt tanquam rudes, & pannosi mendici ad sapientiæ fores pulsent, micas, & stillas intelligentiæ quasi stipem corrogent.

Tertia ratio est, vt humilietur homo.

D. August.
Scripturarũ sacramenta clausa, vt pulsantibus aperiantur.

Diuina sapientia opacata caligine similitudinũ, vt quærentis animus humilietur.

9. Quartam rationem assignat S. Dionysius Areopagita, vt scientia sacra, & illius veritas maiori cultu veneraretur, tanquam quid humano captu maius, neque sacra prophanis, & pura immundis fierent peruia. Prædixerat Dei excellentiam, eiúsque attributa per quasdam amatorias affectiones, per occultas, multiplices, & figuratiuas locutiones expendi; postea subiungit epist. 9. *Quorum si quis possit pulchritudinem, & dignitatem, quæ intus latet aspicere: is mysterij plena, & diuina magnique ac Theologici luminis plena inueniet omnia.* Et statim: *ante occultam, & eam quæ à vulgo cerni non potest scientiam, positas esse credendum est, ne sacra à prophanis, & scelestis facilè caperentur; sed solis viris sanctitatis studiosis, & amatoribus aperirentur, vt qui omnem puerilem speciem in sacris signis, & mysteriis deponerent, mentisque simplicitate, ac contemplandi facultate peruenire possent ad simplicem, & eximiam, summamque signorum veritatem.* De quibus illud effatum pronuntiari posset congruenter; ab his signis, sacrisque characteribus, quibus signantur, & celantur mysteria, procul este prophani, purum à non puro tangi nefas est, dedecent enim sancta criminosas, aut illotas manus, decent vero sanctas, & purificatas; occultus enim sermo cœlestis sacramenti venerationem vsurpat, & verbi diuini puritas incontaminatam mentem requirit, quæ nullo sceleris halitu, aut vitiorum sordibus illius puritatem contaminet. Confirmat mentem Dionysius illustri exemplo, sicut enim cœlum obtenditur sacris illis spectaculis, quæ mente cernuntur in patria, tanquam velum quoddam expansum, arcensque humanum intuitum, vt à longè salutata venerentur; sic quoque diuina mysteria inuolucris, & integumentis sermonum tanquam velamentis occuluit Deus, decernens reuerenti tremore attingenda,

Quarta ratio: vt maiori cultu sapiẽtia Dei venerabilis reddatur.
D. Dionys. Areopag.
Sapiẽtia diuina Theologici luminis plena.
Occulta sapientia, sanctitatis studiosis per quã

Dionys. Areopag.

Digitized by Google

Diuina sapientia mundanarũ creaturarum velum obiectũ.

attingenda, nec temere in hæc adyta sacra irruendum: *Atque hoc etiam*, (inquit,) *ipsa mundi, quæ cernitur fabrica, diuinis rebus quæ non videntur, tanquam velum obiicitur, quemadmodum dicit, & Paulus, & vera ratio. Itaque & Theologi alia ciuiliter, & legitimè considerant, alia autem purè & sanctè: atque illa quidem more hominum, & velo interiecto: hæc autem more humano superiore, & efficaciter.*

Obscuritatis ratio multiplex. D.Chrysost.

10. His annecte, (aliis omissis causa breuitatis) rationem obscuritatis ex Chrysostomo tom. 2. homil. 44. in caput 21. Matthæi scribente: *Ratio obscuritatis multiplex est. Primum, quia Deus alios voluit esse Doctores, alios Discipulos. Si autem omnes omnia scirent, Doctor necessarius non erat, & ideò esset rerum ordo confusus.* Et postea. *Non ergo abscondita est in scripturis veritas, sed obscura: non vt non inueniant eam, qui quærunt eam, sed vt non inueniant eam, qui quærere eam nolunt.* Hæc Chrysostomus.

Vt alij Doctores, alij discipuli existant. Scriptura veritas studentibus impernia, auide inquirentibus patula. Obiectionibus occurritur.

Patet ex his ad obiecta responsio: primum facilè soluitur ex præallegatis rationibus. Ad secundum dic: quod licèt spiritus dictans scripturas, sit suauis, & facilis, sese adaptat modo intelligendi viatorum per obscuram cognitionem, & ænigmata. Pulchrè Sanctus Augustinus ad illum versum Psalmi 48. *Inclinabo in parabolam aurem meam*, inquit, *& quare in parabolam? Quia videmus nunc per speculum in ænigmate, sicut dicit Apostolus*, (2. Corinth. cap. 5) *quandiu sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino: quia nondum est illa visio nostra facie ad faciem, vbi iam non sint parabolæ, vbi iam non sint ænigmata, & similitudines, quidquid modo intelligimus, per ænigmata conspicimus, ænigma est obscura parabola, quæ difficilè intelligitur.*

D.August. In via res diuinas per parabolas, & ænigmata nescimus.

11. Ad tertium dic: illud non prouenit à verbo Dei, quod purum, putum & immaculatum conseruatur, sed à superbia, & contumacia improborum, qui antidotum verbi ex elationis infirmitate conuertunt in venenum; accedant humiliter, & pulsent confidenter; & occurret eis veritas, quæ superbis resistit, eos in tenebris relinquens, humilibus autem dat gratiam intelligentiæ. Quæ solutio assignatur à Diuo Augustino in Psalm. 146. v. 5. & 6. *Et sapientiæ eius non est numerus. Suscipiens mansuetos Dominus.* Legit verò Aurelius: *Intelligentiæ eius non est numerus.* Et subiungit sequentia: *Ideò quid debeas facere in difficultate intelligendi, ostendit tibi, cùm consequenter dicit: Suscipiens mansuetos Dominus. Verbi gratia; non intelligis, parum intelligis, non consequeris. Honora scripturam Dei, honora verbum Dei etiam non apertum: differ pietate intelligentiam. Noli proteruus esse, accusare aut obscuritatem, aut quasi peruersitatem scripturæ. Peruersum hic nihil est, obscurum autem aliquid est: non vt tibi negetur, sed vt exerceat accepturum. Ergo, quando obscurum est, medicus illud fecit, vt pulses. Voluit vt exercens in pulsando, voluit vt pulsanti aperiret. Pulsando exerceberis, & exercitatus latior efficieris; latior factus, capies quod donatur. Ergo noli indignari quod clausum est. Mitis esto, mansuetus esto. Noli recalcitrare aduersus obscura, & dicere, melius diceretur si sic diceretur, quando enim potes tu, sic dicere, aut iudicare, quomodo dici expediat? Sic dictum est quomodo dici debuit. Non corrigat æger medicamenta sua. Nouit ea medicus modificare: ei crede qui te curat, ideò quid sequitur? Suscipiens mansuetos Dominus. Noli ergo resistere aduersus clausa Dei: mansuetus esto, vt suscipiat te. Si autem resistis, audi quid sequatur: Humilians autem peccatores vsque ad terram, &c. Extitit quædam perditissima secta Manichæorum, acceptas scripturas, & lectas irrisit: reprehendere voluit, quod non intelligebat, & exagitando, & reprehendendo non intellecta, multos illaqueauit. Sed humiliati sunt, qui hoc facere voluerunt vsque ad terram. Non sunt permissi intelligere cælestia, terrena sapuerunt.* Hæc sapientissimè Augustinus.

D.August. Mansuetudo, & humilitas Dei cognitionem referãt.

Difficultas verbi pietate tollitur.

Sapientia Dei clausa, vt curet hominis superbiam.

Qui terrena sapiunt, scripturas ignorant.



Et prudentem eloquij mystici.

ORNATUS LITTERÆ secundus.

Erant apud Iudæos Mystæ, Symmystæ ænigmatistæ, stropharum, ænigmatum, problematum, arcanorum scrutatores, & expositores præclari.

1. IN hac Theologia arcana, & & symbolica excelluit sapientissimus Salomon, eámque commendat Prouerb. cap. 1. vers. 1. & 2. *Parabolæ Salomonis filij Dauid Regis Israel, ad sciendam sapientiam, & disciplinam: ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ.* Pro: *verba prudentiæ*, legit Symmachus: *percipiendum eloquia intelligentiæ plena.* Loco illius sententiæ: *ad suscipiendam eruditionem*, vertunt L x x. *suscipiendum versutias sermonum.* Aquila: *eruditionem scientiæ.* Symmachus: *eruditionem prudentiæ.* Quæ omnia cum prædicto Isaiæ commate: *Prudentem eloquij mystici*, videntur coire. In catena Græcorum Patrum in Prouerbia post prædicta verba L x x. seniorum, hæc annectuntur: *Et ænigmatum solutiones.* De quibus versu 5. eiusdem capitis ex professo disserit sapiens. Illustrat mirificè sententiam L x x. interpretum Olympiodorus, quod sit eloquium mysticum, & arcanum exponit in catena: *Per sermonum flexus, verborúmque inuolucra, parœmias hoc loco designare videtur. Nam qui has iterum atque iterum animo versat, atque examinat, ad sensum qui abditus in illis latitat, tandem penetrat, &c. Aut verborum strophas, eos hic sermones appellat, qui variis figuris, aut tropis affecti sunt, aut tales sane, qui aliud apertè sonant, aliud certè indicant.* Quibus omnibus euoluendis, perscrutandis, enucleandis, & in apertum eloquium enuntiandis præcelluit pacifici Regis ingenium diuina quadam facundia, mirabili solertia, & acumine plenum.

Salomon diuina sapientia ymmistes, in soluendis ænigmatibus præclarus. Prouerb. Symmac Lect. Lxx. Aquil.

Cat Græc. Lect Lxx. Olymp.

Salomõ verborum parœmias, strophas aperiebat.

2. Idem sapiens de scientia interpretandi parabolas, ænigmata, & inuolutum sermonem, accuratè disserit. v. 5. *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam, & interpretationem, verba sapientium, & ænigmata eorum.* Verbũ illud: *Interpretationẽ*, vertunt L x x. *tenebrosum sermonem.* Quis autẽ sit sermo obscurus, & in tenebris latitans, exponit

Prou. *Sermonem tenebrosum, & problemata sapiens in apertũ enunciat.* Lect. Lxx.

Didym.

exponit Didymus in catena Græcorum Patrum: *Tenebrosum sermonem Theodotion, & Symmachus problema reddiderunt. Et quid quaso est sermo tenebrosus? Aliud sane nihil, quàm sermo qui & secundum littera contextum, & secundum intellectum & secundum phrasim quoque confusus est.* Et Polychronius ibidem: *Sermo tenebrosus est sermo abditus, miniméque perspicuus, cuius species est parabola, vt simile est regnum cœlorum, tum etiam ænigma, vt conteret Dominus cedros Libani.* Sunt autem sermones tenebrosi in scriptura diuinitus inspirata præsertim in Prophetis, quorum vaticinia ænigmatibus plena sunt, & inuolucris dictionum; quorum intelligentiam rimari, aut tenere nequit, nisi qui superno lumine collustratus tam sancta arcanorum adyta introierit. Rectè ergo Pater ille cuius est aureum eloquium, & pellucidum, de obscuro sermone fatur in eâdem catena: *Quæcumque Spiritus Sanctus per parabolas, obscurosque sermones loquutus est, ea illis, qui in eiusdem Spiritus Sancti communionem, & societatem recepti sunt, cognitu facilia, & quasi obuia sunt, vtpote ab ipso Spiritu Sancto edoctis, & informatis.* Et Hippolitus in eâdem catena relatus: *Ille qui Dei sapientia præditus est, scientiam, & lucem ab illa accipit, per quæ sermonum mysteria intelligit.* Erant instructi hac prudentia sancti Dei viri Spiritu Sancto afflati, qui populo proponebant ænigmata, inuolutósque sermones tropis, & figuris; apertámque in lucem enuntiabant eorum mysteria populo, aut suis alumnis, eos de diuinis mysteriis instruentes, perspicuaque facientes tenebrosa, & obscura eloquia. Talis fuit Salomon; quem Regina Saba tentauit in ænigmatibus lib. 3. Reg. cap. 10. & lib. 2. Paralipomenon cap. 9. vers. 2. *Et exposuit ei Salomon omnia, quæ proposuerat, nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit.* Tenebat Reginam, & Reges aurea eloquiorum catenula fortius deuinctos, quàm Iouis aureus nexus; de illius enim ore quasi è beato quodam fonte latices scientiarum omnium perpetuò scaturientes profluxerunt, quibus irrigauit orbem, sermonésque abditos, & implexos maiori dexteritate, quam Samson Allophylorum funes, & vincula dissoluit.

D. Chrysost.
Qui à Spiritu Sancto illuminatur, obscuros sermones facile penetrat.

Salomon Regina Saba ænigmata soluit.
Lib. Reg.

3. Florebant apud Israëlitas ænigmatum propositores, & expositores valdè insignes, vt constat ex cap. 21. Numer. vers. 27. nam vbi habet Vulgatus: *Idcirco dicitur in prouerbio, venite in Hesebon* Legunt LXX. seniores: *propterea dicent ænigmatistæ: venite in Hesebon.* Erant autem ænigmatistæ apud Israëlitas viri in sacra litteratura, Theologia symbolica, & morali, in pangendis paræmiis, componendis ænigmatibus, & dissoluendis, interpretandis tenebrosis sermonibus, obscuris locutionibus peritissimi, & exercitatissimi. De quibus Origenes homilia 13. in Numeros, ait: *Sed requiramus nunc, qui sint isti ænigmatistæ. Ænigma dicitur sermo figuratus, ænigmatistæ ergo dicuntur, qui figuraliter loquuntur.* Ænigmatistarum numero recenset idem Adamantius Dauidem, Isaiam, Ieremiam, addere potuisset Iosephum, Iobum, Salomonem, Danielem, & Prophetas omnes. Præterea, qui figuras, & vmbras Mosaicæ legis mysticè, & spiritaliter intelligebant, ænigmatistæ nuncupabantur. Nec sola figurata locutio ænigma dicitur, sed addi solet egregium symbolum, & imago, in qua mens, & sententia proferentis, ænigmáque artificiosè occultabatur, vt excitaret, & acueret prudentiorum ingenia ad perscrutandam illius intelligentiam; quale est Ægyptiorum ænigma Dei naturam portendentis. De quo Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum scribit: *Et ideò Ægypty quoque in sacris ponunt sphingas, vtpote quod de Deo oratio sit ænigmatica & obscura.* Obscurum symbolum sua interpretatione clarificat Clemens hæc adiungens: *Fortè autem quòd Deum oporteat amare, & timere: amare quidem vt sanctis benignum, & propitium, timere autem, vt qui sit impiis iustus inexorabiliter. Fera enim simul, & hominis imaginem sphinx significat.* Hæc Clemens. In sphinge, humana facies clementiam; animantis vero species innuit furorem; vt illæ Deum erga iustos benignum ostenderent, erga improbos seuerum, & iratum, minas intentantem.

Apud Iudæos insignes ænigmatistæ claruere.
Numer.
Lect. LXX.

Origen.
Ænigmatistæ parabolicè loquentes.

Clement. Alexand.
Sphinga in delubris Ægyptiorum denotabant sermonem de Deo esse ænigmaticum. In sphinge species belluæ, Dei furorem; imago hominis, clementiam portendunt.

4. Nec tantummodo Moysis tempore huiuscemodi viros parabolistas inuenio, sed post Cyri libertatem Israëlitis donatam, & populi lætitiam in patriam reducis; IESVS filius Iosedech exercitus Dominici antesignanus alumnos suos instruit, vt ænigmata soluant, & diuina portenta explanent. De iis Zacharias Vates hanc sententiam pronuntiat cap. 3. vers. 8. *Audi Iesu Sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt.* Sacerdotes, & collegas IESV in presbyterij sacra functione, nuncupat viros portendentes ex Montani placito, quia portentosæ, & prodigiosæ vitæ exemplar præbebant populo verbis, moribúsque præclaris. Tametsi postea sententiam moderetur, magisque mentem interpretations suæ explanet: *Viros eos, qui in felici illa piorum societate coram Sacerdote ipso sedebant, magnis mysteriis cognoscendis idoneos.* Verbum Græcum τερατόσκοπος, idem valet ac: *Prodigiorum portentorúmque inspectorem.* Vel: *prodigiorum interpretem.* Ritè LXX. legunt: *quia viri portentorum spectatores sunt.* Quales illi extiterint mirificè explanat Theodoretus: *Portentorum spectatores, non vt quidam suspicati sunt, augures, aruspices, & diuinatores: non enim his verbis, ad eiusmodi homines vsus fuisset: neque ipse IESVS, cùm esset pius, istiusmodi collegium amplexatus fuit: sed notionem eis testificatur, & erga res diuinas studium: nam à Prophetis edita monstra, & signa pij assiduè speculabantur, & finem eorum expectabant.* Habebat IESVS sacrum leuitarum Collegium, qui libros sacros assiduè peruolutabant, eorum arcana, & ænigmata commentabantur, quidque portenderent prodigia, & monstra à vatibus edita in lucem, mirabili solertia indagabant, & perscrutabantur ad propriæ mentis exercitationem in litterarum palæstra, ad instructionem populi, cuius imbuendi sacris moribus, munere fungebantur. Hanc piorum sodalitatem æmulati sunt Romani ad haurienda superstitiosa auguria, & dæmonum fatidica responsa. Cicero libro 1. de diuinatione vocat eos: *Isiacos coniectores.* Et lib. de aruspicum responsis: *portentorum explanatores.* Non ex superni numinis afflatu, sed dæmonis instinctu augurantes, auspicãtes ex superstitiosa, & inani arte plena figmentis, & fallaciis. At piorum cœtus, quem IESVS filius Iosedech moderabatur, singulari

Post Cyri libertatem parabolistæ, eminêre apud Iudæos.

Zach.

Ar. Mont.

Iesus Sacerdos magnus habebat socios magnis mysteriis agnoscendis, destinatos.
Lect. Græc. LXX.
Theodor.
Iesus habebat collegiũ virorum porteta scrutantium, & exponentiũ.

A Romanis instituta sodalitas constans ex Isiacis coniectoribus, & portentorum explanatoribus.
Cicer.

Duplex doctrina sacra domus apud Iudæos.

singulari sapientia, & rerum diuinarum notitia instructus; sublimes contemplationes formabant ad arcana, & mystica eloquia interpretanda eius alumni. De quibus eloqui videtur Eusebius Cæsariensis, qui duplicem doctrinæ sacræ domum apud Iudæos veteres constituit, alteram in qua litteræ cortex velut stipitis crusta frangebatur; aliam verò, in qua eruebatur dulcis nucleus, & adipalis alimenti spiritalis sacri sermonis dulcis liquor, suauisque succus exprimebatur, & alumnis suis ab arcanorum sapientibus, & gymnasiarchis propinabatur. Sic enim fatur lib. 8. præparationis Euangelicæ cap. 4. *Verum quoniam diuinarum legum præcepta percurrimus, & formam allegorici sensus tetigimus, illud prætermittendum non est, vniuersam Iudæorum gentem in duas maximè partes fuisse diuisam, vnam, quæ præcepta legis certo quodam litteræ sensu sequebatur; alteram, quæ maiori philosophia firmata, altius atque subtilius omnia speculabatur, qui & Philosophi Iudæorum esse putabantur.* In quorum numero, & inter primarios recensendus disertissimus Philo, vir incomparabilis sapientiæ, & immensæ subtilitatis. Præterea Esseni non Iudaici, sed Christiani, & Euangelici, Sancti Marci Euangelistæ, qui Petri Apostoli Collegij Apostolici, & Theologorum apicis, sectatores fuerunt; sapientia, & sanctimonia in Ægypto clarissimi, de quibus idem Philo lib. de vita contemplatiua profusa encomia pangit.

Euseb. Cæsar.

Ex sapientibus Iudæorũ, alij litteræ tenaces, alij vero litteræ nucleum & spiritũ eruebant.

Iudæorum Philosophi.

Philo hebræus ex primariis.

5. Nec erit abs re, alterum testimonium valde præclarum de Iudæorum sapientibus & & mystis ex præallegato Eusebio proferre, qui lib. 11. de præparatione Euangelica cap. 3. de Iudæis scribit in hunc modum: *Hac rationali doctrina ab ineunte ætate sacrarum rerum, & vilissimarum narratione historiarum, cantuum, adorationumque exercitio, compositione ænigmatum quoque, & speculationis allegoria diserta, elegantique oratione suos erudiebant. Erant enim legum sacrarum, ac ænigmatum apud eos expositores, quos secundarios solebant nuncupare.* Abundabat ille populus, apud quem aras, & focos inuenerat diuina sapientia, non solum Vatibus, sed etiam doctissimis interpretibus, qui litteraturam Sacram suis protheoriis, & commentationibus illustrabant. Imbuebantur Iudaici adolescētuli à teneris annis politiori litteratura, & Theologia sacra à suis mystagogis, nempe diuinis vatibus, aut Sacerdotibus, vt non solum litteræ tenaces, corticis austeritatem manderent, sed eruerent medullam intelligentiæ spiritalis, & commentationis symbolicæ intus delitescentis dulcissimam, ipsamque in prælectionibus sacri symmistæ tanquā nectareum succū alumnis suis propinabant; informantes eos non tantum ænigmata pangere, sed dissoluere, & scopum verborum tegminibus occultatum, ingenij argutia, & prudentiæ dexteritate collimare. Hos nuncupabant secundarios interpretes; nā diuini Vates erant commentatores dignitate, sapiētia, diiudicanda veritate, & aperienda primarij.

Euseb. Cæsar.

In theologia symbolica Iudæi alumnos instruebant.

Ænigmatum interpretes apud Iudæos, secundarij nuncupati.

8. Hoc verò doctrinæ sacræ lycæum fundatum erat in cœtu priscorum sapientum, seu septuaginta seniorum, quem primitus instituit Moyses iubente Domino. Numer. cap. 11. v. 16. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti quod senes populi sint, ac magistri.* Appellabatur Synedrin collegium illud, seu concilium sapientum, penes quos erat summa potestas. Hi verò tenebant sublimiorem scripturæ intelligentiam, legis diuinæ, & arcani sermonis sensum, vt censent Oleaster, & Lorinus in cap. 11. Numerorum: quorum traditio, & doctrina vsque ad Lxx. seniores scripturarum interpres Spiritu sancto afflatos, conseruata est, vt testatur S. Hilarius in Psal. secundum dicens: *Erat autem iam à Moyse antea institutum in Synagoga omni septuaginta esse doctores. Nam idem Moyses, quamuis veteris testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria, septuaginta senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimauerat.* Quam sapientiam iam temporibus Christi Scribæ, & Pharisæi vitiauerant, leuioribus commentis, fabulosis, & anilibus narratiunculis adulterantes, quibus non eximitur paraphrasis Chaldaica, seu Thargum Ierosolymitanum à Rabbinis iunioribus concinnatum. Illi verò senes munere prophetico, & sacra Dei scientia illustres, & reconditi sermonis interpretes, qui purum putum verbum Dei, & illius intelligentiam conseruatunt, non incongruè appellares: *prudentes eloquij mystici:* quos Deus ab Ierosolyma ablaturum minatur.

Num.

Apud Iudæos collegium ex Lxx. sapientibus constās, ad sublimiorem legis intelligentiam.

Oleaster. Lorin.

D. Hilar.

Moyses huius Lycei Doctorū gymnasiarcha, eos erudiens de occultis mysterijs.

7. In horum sapientum numero reponendus Ioseph, qui visionem occultam, & obscurum symbolum Pharaoni diuinitus obiectum sapiēter interpretatus est, quam ob rem à Rege ornatur Saluatoris mundi insignibus. Genes. cap. 41. *Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca saluatorem mundi.* Si verba Hebraica iuxta eorum significatum transferas צפנת פענח denotant, iuxta S. Hieronymum quæstionibus Hebraicis in Genesim: *absconditorum repertorem.* S. Augustinus quæstionibus in Genesim transtulit: *occulta reuelauit.* S. Chrysostomus: *Occultorum cognitorem, eo quod omnibus occulta manifestauit.* Iosephus, quem refert Caietanus: *inuentorem absconditorum.* Theodoretus: *arcanorum interpretem, eo quod somnia interpretari potuerit.* Lipomanus in catena Genesis: *ita vt reddi possint ambæ dictiones, absconditorum, seu arcanorum expositor, reuelator, cognitor, repertor, aut interpres.* Iure ergo de Iosepho ait S. Ambrosius lib. 2. de officiis cap. 16. *Quàm arguté Regalis interpres somnij veritatem expressit?* Et postea: *quid primum mirer? ingenium quo in ipsum veritatis descendit cubile, an consilium, quo tam graui, ac diuturnæ prospexit necessitati?* Merito ab omnibus plausu celebrata, & amplexata interpretatio somniorum, à Rege & purpuratorum cœtu collaudata cōsilij prudentia. Genes. cap. 41. *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius: Loquutusque est ad eos, num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit. Dixit ergo ad Ioseph: quia ostendit tibi Deus omnia, quæ loquutus es, nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?* Postrema verba transtulit Hebræus: *Non intelligens & sapiens sicut tu.* Lectionem illustrat Caietanus: *Refertur autem intelligentia ad acumen intellectus, penetrando abscondita, sapientia verò ad consilium, & prudentiam prouidendi.* At vero Lxx. efferunt verba: *Non est homo prudentior, & sapientior te.* Vt cernas quot titulis sibi Ioseph vsurpet prærogatiuam prudentis eloquij mystici.

Prudens eloquij mystici, & ænigmatista præclarus.

Genes.

Lect. Heb.

D. Hieron.

D. August.

D. Chrys.

Absconditorū repertor, & occultorum reuelator nūcupatur, & arcanorum interpres.

Ioseph.

Caiet.

Theodor.

Lipom.

D. Ambr.

Ingenium & consilium Iosephi mirificum.

Genes.

Lect. Heb.

Caiet.

Lect. Lxx.

Sapientia, & theologia symbolica in Daniele præclara.

8. Inter quos sapientes primas tenere visus est Daniel; (regnante Rege Balthasare, lasciuiæ, & vinolentiæ redarguto, & stupefacto à supernæ manus digitis;) introductus est in aulam Regiam, vt prodigiosi ænigmatis interpretationem aperiret. Cerne quantis encomiis celebretur à seniori Regina, matreque Regis, Danielis sapientia, prudentiaque. cap. 5. v. 11. *Est in Regno tuo qui spiritum Deorum Sanctorum habet in se: & in diebus patris tui scientia, & sapientia inuenta sunt in eo.* Et statim recenset constitutum à Rege sapientum Doctorem: *Quia spiritus amplior, & prudentia intelligentiaque, & interpretatio somniorum, & ostensio secretorum, ac solutio ligatorum inuenta sunt in eo, hoc est in Daniele.* Nec contemnendum est iucundum acroama Theodoreti hoc in loco: *Hic enim* (inquit) *diuini spiritus vas effectus sapienter omnia consulit, & prudenter omnia loquitur, & somniorum ænigmata declarat, & ea quæ obscuritate aliqua occulta sunt, ab obscuritate vindicat, & veluti subligacula quædam, & sigilla, & quasi ea, quæ in penu custodiuntur, à vinculis liberans soluit, & aperit, & ad ipsa quicumque velint, introducit.* Erat Daniel in iis, quæ deliberabantur consiliosissimus, in sententiis obscuris mysterioque prægnantibus aperiendis, & in lucem eruendis prudentissimus, quem iure nuncupabis: *prudentem eloquij mystici.*

Daniel.

Theodor.

Prudentia, & sapientia Danielis in aperiendis ænigmatibus somniorum.

Isai.

Arcanorum inuestigationem, & intelligentiā Deus Ecclesiæ promisit.

9. Hanc arcanorum notitiam, & sapientiam suis asseclis promisit Deus per Isaiam cap. 45. v. 3. *Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum.* In quibus verbis licet quidam existiment Cyro factam promissionem eruendi gazas in penubus, & tenebrosis terræ specubus latitantes, vt fieret compos thesaurorum, quos Reges subiugati, metus causa in abditis præcluderent, iisque potiretur, vel obsistente nemine. Sacratiorem tamen commentationem nobis suggerit Alexandrinus Clemens lib. 5. stromatum, sententiam Vatis expendens de arcana, & occulta Dei sapientia, dicens: *Dicit autem per Isaiam quoque Prophetam spiritus: dabo tibi thesauros tenebrosos, occultos: Dei autem thesauri, & quæ non deficient diuitiæ, & quæ est venatu difficilis sapientia. Quia etiam Poetæ, qui à Prophetis didicere Theologiam, per arcana sensa multa philosophantur.* Hos nuncupant LXX. interpretes: *thesauros absconditos, tenebrosos, inuisibiles.* Et Hebræus: *thesauros in tenebris latentes, & quæ in occulto abstrusa sunt, vt cognoscas quod ego sum Dominus.* Est enim Deus absconditus, qui ponit tenebras latibulum suum, inuisibilis, & qui habitat in caligine, & obscuritate cognitionis; quare illius notitia per arcana, & symbola traditur à Prophetis, per inuolutosque sermones. Magnum ergo donum est quod Isaias pollicetur in sacra scientia politioribus, quique intenti sunt mysteriis rimandis, & thesauris absconditis diuinæ sapientiæ effodiendis, & eruendis, vt inuolutas dictionum ambages expandant, signati sermonis sigillum aperiant, & sententias in tenebris delitescentes in apertam lucem enuntient. Quapropter sapientes Dei scientiam bipartiuntur; alteram nuncupant occultam, arcanam, à vulgi notitia remotam, alteram verò compertam, & perspicuam, quæ neque per symbolicas locutiones, nec per parœmias traditur, sed simplici dialecto. Id testatur S. Dionysius Areopagita epist. 9. *Operæpretium est animaduertere duplicem esse Theologorum traditionem; arcanam alteram, ac mysticam: alteram verò manifestam, atque notiorem.* Quod Theorema vberius expendit Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum his verborum luminibus: *propterea certè per modum occultationis, qui est verè diuinus, & maximè nobis necessarius, in adyto veritatis repositum verbum reuera sacrum, Ægyptij: quidem per ea, quæ apud ipsos vocantur adyta, Hebræi autem per velum significarunt, licere solis ijs adire, qui erant ex ipsis consecrati, hoc est Deo dicati, quibus erant circumcisæ vitiorum cupiditates, per suam in solum Deum charitatem. Non mundo enim mundum tangere, Platoni quoque videbatur esse nefarium. Hinc prophetia, & responsa dantur per ænigmata.* Et lib. 1. Pædagogi cap. 3. prædixerat: *Manifestum est autem esse alterum genus sermonis, cuius institutum est docere, quod quidem est subtile, & spiritale, & accuratam tractandi rationem sequitur, & in arcanis contemplandis mysterijs versatur.*

Clem. Alex.

Lect. LXX.
Lect. heb.

S. Dion. Areop.

Theologia duplex arcana, & perspicua.

Clem. Alex.


Deo consecratis qui habēt circumcisas vitiorum cupiditates, mysteriorum adyta licet adire.

10. Hanc igitur sapientiam simul cum aliis donis perdiderunt miselli Iudæi. Nulli apud ipsos veri symmistæ, qui Dei arcana perscrutentur, aut symbola Prophetarum vera, & accurata intelligentia percipiant. Nullus qui ingrediatur atria, & penetralia diuinæ sapientiæ; sed omnia dicta & facta Prophetarum crassa, & pingui minerua accipiunt. Iure Vates Isaias pronuntiat esse ab eis ablatos *prudentes eloquij mystici.*

Et prudentem eloquij mystici.

ORNATVS LITTERÆ tertius.

Iudæi sacræ litteraturæ superficiei tenaces eius cortici mordicus hærent, non hauriunt sensum vitæ, veræ intelligentiæ, & interpretationis orbati lumine.



SANCTVS Isidorus Hispalensis lib. 2. contra Iudæos cap. 21. huius commatis Isaiæ lemma proposuit, nimirum quod testamentum legis Iudæi non intelligūt, itaque fatur: *Signata enim habent ista omnia sacramenta scripturarum, & ignorant quod legunt: legunt quippe omnia, & non intelligunt.* Affertque Isaiæ verba: *auferet Dominus ab Iuda, & ab Ierusalem, validum, & fortem, iudicem, & Prophetā, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici: hæc quippe cuncta abstulit ab eis Deus, & signauit illis omnia sacramenta iuxta duritiā cordis eorum.* Et in fine capitis ista subiungit: *Nam quod & Moysi facies velamine tegebatur, dum descenderet de monte cum tabulis, id significabat, quia præ cæcitatis caligine Iudaicus populus legē ipsam non posset agnoscere.* Tenent Iudæi legem signatam, & mysteria clausa sigillo obscuritatis, est enim obtusum, & constrictum eorum cor impœnitentia, & infidelitate

D. Isidor.

Iudæi signata habent mysteria scripturarū.

Iudæi velatam habent faciem ad intelligentiam legis.

infidelitate tanquam seris validissimis, ne ad eius penetralia scientiæ lumen possit obrepere; etenim pectus non emollitum, nec blandè sese insinuans ad verba Dei, sed seipsum vndique claudens, ipsa duritia se signat, rimulásque omnes obturat, per quas spiracula vitalis intelligentiæ possent infundi: expandit vltroneus super oculos, & vultum, in quo solent comparere signa spiritalis intuitus, velamenta obscuritatis Iudæus, non auet clara, & aperta intelligentiæ luce perfundi: sed tanquam malè palliolata meretricula caliginosum tegmen induit, quo inuolutus moriatur, pulláque, & funesta veste tectus tumuletur in regione vmbræ mortis.

Iob.

2. Hanc cæcitatem Iudaicam vaticinatus est Iob cap. 38. v. 14. & 15. *Et stabit sicut vestimentum. Auferetur ab impiis lux sua.* Quem locum perscrutatus S. Gregor. Magnus, illius mysterium argutè, & eleganter enuntiat lib. 29. Moral. cap. 3. & vestimenti comparationem illustrat dicens: *Imposita namque, & grossiora vestimenta, etiam cum induta fuerint, quia induentis membris benè applicata non inhærent, stare feruntur. Iudæa igitur circa veritatis notitiam etiam cùm seruire videretur, sicut vestimentum stetit, quia per exteriora mandata seruire se Domino ostendit, sed adhærere ei per charitatis intelligentiam noluit. Dum solam in præceptis Dei litteram tenuit, & nequaquam se per spiritum sensibus intimis iunxit, quasi ei, qui se induerat, non adhæsit. Vbi & aptè subiungitur: auferetur ab impiis lux sua. Quia dum credere veritati renuunt, cognitionem legis in perpetuum amittunt.* Vestis erat Domini Iudæus, sed tanquam filicinum sagum, austeráque lacerna arcendis imbribus pluuiarum accommoda, quæ corpori adstricta, horrore quodam asperitatis non cohæret, sed resilit. Curabat Dominus munerum blandimento applicare sibi populum, eumque habere pro ornatu; ipse verò quadam asperitate naturæ, dum se ostendit seruum, demonstrat refugam: nec cohærere charitatis glutino voluit, cùm ipsius mysteria non intellexit. Verè indumentum tanquam ex arborum crustis compaginatum, non blandè ornans, sed quadam pertinacia crudum, & indomitum, cùm cortices legis auide perscrutatur, omissa dulcedine nectarei succi, & medulla latentis sensus, non colligatur Domino, sed ab ipso secernitur, cùm à Dei mente discrepat in scripturarum intelligentia.

D.Gregor. Magn.

Iudæus dum solam litteram tenuit, adhærere Domino per charitatem renuit.

Iudæus velut vestis horrida, & aspera lacerna, à Deo resilit.

3. Rubi ardentis, & incombusti mysterium huic proposito perscrutandum est. In spinoso frutice operatum prodigium recenset testis oculatus Moyses. Exodi cap. 3. vers. 2. *Et videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Huius miraculosæ visionis habemus fidum, & argutum interpretem Cyrillum Alexandrinum, existimat namque ignem denotare legem donatam Iudæis manu Angeli; plantámque senticolam minimè correptam igne, Israëliticum populum, qui accensus non est vitali illo legis calore, nec illuminatus spiritualis intelligentiæ fulgoribus. Sic enim ait lib. 2. de adoratione: *Cum fautricem, adiutricémque à Deo legem accepissent, eiusque legis illustratione ditati essent, rem tantam nullo loco habuerunt, neque donum hoc in mentis, cordisque domicilio collocauerunt: itaque nullam vtilitatem ex eo perceperunt: mortuus est enim apud illos, nihil mirum, atque exanimis scripturæ sensus: neque absurdè de illis dici potest quod minimè comburatur rubus: alioquin nobiscum essent spiritu feruentes.* Stirps illa montana, arborque syluestris orbata fructus dulcedine, armata pungentibus aculeis portabat crepitantes flammas, igneósque globulos; quasi de ignea lege glorians Israël in ea adumbratus, hic tamen igneis conatibus obstitit, ne foueretur calore diuino, aut cœlestis illuminationis iubar admitteret; non feruorem, non spiritum ignis aut lucis, sed exteriorem ambitum requisiuit. Flāma cingitur, nec inardescit, fulgoribus ornatur, nec lucescit, quia diligens cortices, & sentes, exterioremque legis superficiem, vitam, & spiritum contempsit, qui sensus scripturæ viuificat, quo inardescit animus; qui intelligentiæ spiritalis euaporat calorem. Meritò demiratur Moyses Sanctus rarum prodigium, cùm populum infidelem prospectat algere iuxta ignis fontem, in fontana lucis plenitudine caligantem, & in ipsa vitæ participatione morientem. Habent enim verba Dei veritatem, spiritum, illuminationem, & vitam, quam haurire noluit Israël.

Rubus ardēs incombustus denotat Iudæos. Exod.

Populus Iudaicus nō est accensus, nec illuminatus vitali legis calore. D.Cyrill. Alex.

Apud Iudæos mortuus, & exanimis scriptura sensus.

Iudaicus rubus Dei igne non comburitur.

Iudaicus populus alget iuxta ignis fontem iuxta lucem caligat.

4. Ea verba Psalmi 136. v. 2. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* In quibus Israëlitæ sub iugo captiuitatis Babylonicæ oppressi, suas ærumnas lamentantur, & extorres à patria silentium imponunt musicis concentibus; exponit Rupertus in sensu arcano de cessatione Prophetarum, & eorum intelligentiæ. lib. 5. de diuinis officiis. c. 5. hæc habet: *Ex quo pretiosum illud humanitatis Christi organum in ligno Crucis confregerunt, cui dicit Pater in Psalmo: exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara; suspenderunt organa sua sancti Patres, & Propheta ad salices illas: quia Propheta nullus ad Iudæos ex tunc missus est, & ipsos Prophetarum libros, quos legunt, quia non intelligunt, velut organa suspensa vacare permittunt.* Quot Prophetas Iudæa tenuit, tot habuit citharædos, & Spiritus Sancti organa, quæ dulce melos vaticinij effunderent, & inspiratum à Deo acroama simul intimarent, delinientia ad virtutem animos, à vitiis deterrentia. Lyristes Dauid, Moyses, Mesochorus Isaias, Ieremias, cæterique vates. Ex quo ergo humanitatis Christi cithara, & organum præclarum Spiritus Sancti arte compactum, ipsiusque donis tanquam septem fidibus ornatum, in quo Vates loquentes canebant, in Cruce distentum clauis, & lancea perforatum, suspensum in patibulo; omnis Prophetica chelys conticuit, nullus personuit vaticinij concentus; ad salices illas Iudaicas, & infructuosas suspenderunt sacri choraules propheticas fistulas; diuinique libri apud ipsos velut suspensa instrumenta musica, feriata cantu sunt organa, cùm diuinitus inspirata cantica apud eorum aures nihil spirituale resonant, sed crassioris intelligentiæ insuaue canticum, raucúmque murmur.

Psalm.

Ex quo Iudæi pretiosū organum Christum morte crucis confregerunt; organa prophetica, à musico concentu cessarunt.

Rupert.

Apud Iudæos scriptura sūt velut vacātia, & suspēsa organa.

5. Cùm expenderet sanctus Ambrosius verba illa Psalmi 118. v. 162. *Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spolia multa.* Illud præclarè annotauit, Deum sacris libris Iudæam spoliasse, eósque Ecclesiæ Euangelicæ donasse; ipseque Mediolanensis Antistes, qua solet ingenij indagine profunda, succeset meritò synagogæ spoliatæ, & Ecclesiæ Christianæ nomine sacris ditatæ exuuiis, gloriabundus exultat; sermone in Psal. 118. vigesimo primo: *Meritò exulto,*

D. Ambr.

Deus sacris libris Iudæā spoliat Ecclesiā Euangelicā ditat.

exulto, sicut qui inuenit spolia multa. Sine labore meo inueni spolia quæ non habebam. Inueni heptatheucum, inueni regnorum libros, inueni Prophetarum scripta, inueni Esdram, inueni Psalmos, inueni prouerbia, inueni Ecclesiasten, inueni Cantica Canticorum, inueni admirabilem consiliarium Christum (alludit ad Isaiæ locum quem suscipimus illustrandum) *inueni Paulum prudentem architectum, inueni sapientem auditorem, populum Christianum, qui nouit, ea quæ leguntur audire. Ille enim audit, qui ea quæ audit intelligit. Lex spiritalis est. Non illam audit Iudæus, qui audit corporaliter: sed ille audit, qui audit in spiritu. Habent illi libros, sed sensum librorum non habent. Habent Prophetas, sed non habent, quem illi Prophetauerunt. Quomodo enim habent, quem non receperunt? Ideóque cum Moyse, & Elia mihi apparuit, quia ab illis recessit.* Hæc Ambrosius. Erat thesaurus diuinarum litterarum apud Iudæos, sed occultus, & sepultus velut cadauer quoddam sine sanguine, sine succo vitæ, sine halitu intelligentiæ, spiritalis, obuolutum institis, & ligatum linteaminibus litteralis corticis, & nexus. Has auri spiritalis absconditas venas adinuenit Christianus, qui arcanam sacramentorum medullam didicit haurire. Possidebant libros, sacram Patrum, & venerandam hæreditatem, sed non intelligunt, quid Dominus in illis loquatur. Quo pacto habebunt sensum vitæ, qui perdiderunt fontem sapientiæ, intelligentiæ lumen.

Populus Christianus diuinæ legis sapiens auditor.

Iudæi habent prophetas non tamen Christum, quem prophetauerunt.

6. Dauidis amantis, & Bethsabeæ adamatæ arcanam, & reconditam sublimioris intellectus allegoriam aperit mysteriorum Dei celeberrimus perscrutator S. Gregorius Magnus, ait enim Dauidem typum fuisse Saluatoris, Vriam Iudaici populi prætulisse formam; in Bethsabea adumbratam legem, cumque per mystici sensus campos diuagatur summus Antistes, magnusque mysta, in Dauidis casu futurorum prophetiam agnoscit. Ex lib. 3. moral. cap. 16. selectiora decerpo: *quid est Bethsabee ad se perducere, nisi legem litteræ, carnali populo coniunctam, spiritali sibi intellectu sociare. Bethsabee enim puteus septimus dicitur: quia nimirum per cognitionem legis, infusione spiritalis gratiæ, perfecta nobis sapientia ministratur. Quem verò Vrias nisi Iudaicum populum signat. Cuius nomen interpretatum dicitur: lux mea Dei. Iudaicus enim populus, qui de accepta legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Vriæ Dauid vxorem abstulit, sibique coniunxit, quia videlicet manu fortis, quod Dauid dicitur, in carne redemptor apparens, dum de se spiritualiter loqui legem innotuit: per hoc quod iuxta litteram tenebatur, hanc à Iudaico populo extraneam demonstrauit, sibique coniunxit: quia se per illam prædicari declarauit.*

D. Greg. Magn.

Bethsabee legem carnali populo coniunctam notat.

Vria Dauid vxorem abstulit, quia Christus litteræ sensum spiritalem sibi adaptauit.

7. Et postea: *legem itaque Iudaicus populus tenet, quæ eius diuinitatem loquitur: cui idem populus credere dedignatur. Vnde & Vrias ad Ioab cum epistolis ex quibus occidi debeat mittitur, quia idem ipse Iudaicus populus legem portat, quæ conuincente, moriatur.* Iudaicus populus est Vrias, qui tanquam epistolam legem præfert sigillo munitam, quam nec aperit, nec legens intelligit, ideo secum iudicium damnationis portat. *Littera enim* (Iudaica) *occidit* (attestante Paulo) *Spiritus est qui viuificat.* Solam enim legis litteram tenet, ex qua occiditur, cum qua moritur abdicato spiritu vitæ, qui est Christus, qui ipsum viuificare potuisset.

D. Greg.

Vrias ad Ioab cum feralibus epistolis mittitur; quia Iudæus incredulus legem qua conuictus moriatur, portat.

8. Iudaicam cæcitatem in Scripturarum sanctarum intelligentia prædixit S. Iob cap. 9. v. 5. *qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo.* Et ver. 7. *qui præcipit soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo.* Diuinorum librorum auctores nuncupat montes, quia sanctitate sublimes, & præcelsi sapientia, de quibus locum expendens Rupertus lib. 6. de processione sancti spiritus cap. 17. ait: *Moyses, Dauid & omnes Prophetæ montes sunt, non pro vlla mole corporum suorum, sed pro eminentia scripturarum, quas inspirante Spiritu sancto scripserunt. Quomodo, vel vnde, & quò montes istos transtulit Deus? Nimirum dando genera linguarum transtulit eos, id est, scripturas eorum per interpretes suos de vna lingua Hebraica, in Græcam, & Latinam, factum est mirabili iudicio, vt sciant, & legant omnes gentes, nesciant autem hi, quos subuertit in furore suo, scilicet Iudæi, penes quos eadem scriptura condita sunt, quorum propter perfidiam excæcauit oculos.* Argutè satis commentatur Rupertus Iobi locum, in quo diuinæ virtutis argumentum proposuit, quod montes prægrandes, grauidantesque terræ tumulos nullo negotio, vel solo nutu de loco ad locum posset auellere, & transferre; ad translationem montium spiritualium sanctarum scripturarum Abbas deduxit placidè, quos de loco suo in alterum fecit transilire omnipotens, cùm sapientiam suam variegari permisit, & transferri fideliter per interpretes suos in linguas varias, vt omnibus gentibus, Græcis, & Barbaris pateret adytus in arcana Scripturarum, & fidei mysteria; foris remanentibus Iudæis in media diei luce caligantibus. Postea idem Rupertus pulcherrimum theorema adiicit subsequentibus verbis: *qui præcipit soli, & non oritur, &c. Habent enim, & secum captiui baiulant scripturas legis, & Prophetarum & Psalmorum, Christum autem non habent, in quem omnes Scripturæ tendunt, & quid est habere scripturas, & non habere scripturarum intentionem: nisi quodammodo habere cælum, & non habere solem? Et quid est legere, & nolle intelligere Prophetas: nisi quasi sub signaculo clausas continere stellas? Hoc Deus idcirco præcipit, quod Sol iste non oriatur illis, & huiusmodi stellas idcirco quasi sub signaculo claudit, quia cæcitas eorum non tam ex ignorantia descendit, quàm ex inuidia.* Quid infelicius quàm tenere scripturarum firmamentum variis stellis distinctum, & cæcitatis inuidiæ manu claudi sidera, ne eorum perfundantur iubare: Habent cælum sine sole, scripturas nimirum, non mentem dictantis eas, habent Solem delitescentem perfidia obumbratum, mentibus suis imperuium; nullam rimulam pectoris adapertam, sed omnes obtrusas relinquunt, ne fidei fulgor in penetralia possit irrumpere. De Iudæo libens pronuncio, quod de Marcione Tertullianus, ponticam illius natiuitatis regionem describens lib. 1. contra Marcionem. cap. 1. *Duritia de cælo quoque. Dies nunquam patens: Sol nunquam liber, vnus aer, nebula: totus annus hybernum: omne quod flauerit Aquilo est.* Data est Iudæis regio vmbræ mortis, cimmeriis tenebris circumuolui gratum est illis, habent cælum scripturarum, hyberno & nocturno aspectu inhorrescens, non illis affulget liquidum

Iob.

Scriptores sacri, montes excelsi.

Rupert.

Montes scripturarum Deus transtulit, cum in varias linguas per interpretes fecit, conuerti.

Scripturas, omnes gentes intelligunt, & Iudæi quibus condita sunt, ignorant.

Rupert.

Iudæi habent cælum sine sole, cum scripturas sine Christo portant.

Sub signaculo clausas continent stellas, cum prophetas legunt, & non intelligunt.

Iudæorum cæcitas non ex ignorantia, sed ex inuidia.

Tertul.

Horridum natale solum, & in fenium Marcionis Iudæis aptatur.

Digitized by Google

quidum intelligentiæ lumen, expandunt enim ante oculos nebulosum velamentum, atque crassamentum exhalationum, quas inhalat perfidia, vt non serenam, sed turbidam cæli faciem de materiali, & crassiori interpretatione prouenientem cernant.

Iudæi quam crassa, & pingui minerua scripturas exponant.

9. Hoc fiet manifestum, si Iudæorum commentationes cernas, scripturam sacram non tam elucidantium, quàm obscurantium, pretiosasque sententiarum margaritas, cœnoso gurgite commentorum conspurcantium. Perleges passim fabulas, dicteria, figmenta, apinas tricas, verba remissa, languida, sine succo spiritus, inurbana, infaceta, sine salis mica, terrenos, & carnales affectus redolentia; deliciis deditι, & incrassati pinguem mineruam creant, non sensum tenuem, non mentem subtilem, sed stupidum, ac tardum ingenium. Hoc fiet liquidum exemplis: Ioel verbis illis vaticinij tertij,

Ioel.

Humi repunt carnales & terreni Iudæi, in mysteriis scripturæ sublimibus exponendis.

Rupert.

Verba Ioel ad terrenam felicitatem, & carnales delicias abiiciunt.

vers. 18. *& erit in die illa stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ.* Gratiarum affluentiam prædicit in Christi aduentu emanaturam è Ierosolyma, vt in vniuersum orbem placido dilapsu flueret. At Iudæi crasso sensu accipiunt, de quibus Rupertus hoc in loco scribit: *mille annorum regnum in Iudæa sibi finibus pollicentur, & auream Hierusalem, & victimarum sanguinem, & filios ac nepotes, ac delicias incredibiles, & portas gemmarum varietate distinctas. In illa pulchra annorum longitudine habitaturos se putant, secundum hanc prophetiam, de montibus stillas carneæ dulcedinis, & de collibus candidi fluuios lactis, & per omnes riuos Iuda salientes aquas purissimas, tanta vbertate, vt torrentes quoque spinarum ita commutentur, quatenus circumcirca non spinæ, sed ligna pulcherrima, atque fructifera nascantur, velut in paradiso deliciarum. Iuxta litteram hæc omnia somniant, & errant.* Quorum inscitiam redarguit eleganter prudens eloquij mystici

Tertul.

Tertullian. pronuntians translatis verbis quandoque Vates allocutos, vt mysteria Christi enuntiarent lib. 3. contra Marcionem cap. 5.

Mysteria per figuras, & ænigmata à vatibus annunciata.

ait: *pleraque figuratè portenduntur per ænigmata, & allegorias, & parabolas, aliter intelligenda quàm scripta sunt. Nam & montes legimus destillaturos dulcorem, non tamen vt sapam de petris, aut defrutum de rupibus speres: & terram audimus lacte & melle manantem, non tamen vt de glebis credas te vnquam placentas & samias coacturum.* Non carnis blandimenta, aut gulæ irritamenta Vates promittit, sed spiritualis cibi, & gratiæ dulcedinem, quæ omnem sensum superat, & degustatur à purificatis mentibus.

Iudæorum fabellæ, & ineptiæ.

10. Alteram fabellam non simplicem, sed ex pluribus compactam à Iudæis, subiiciam, vt clarè prospicias quantum cæcultent eorum Magistri in sacris exponendis, & à via veritatis exorbitent. Asinam eum Balam loquentem libenter auscultant, micant auribus admirabundi ad asininum effatum, eoque demulcentur, rudi, imperito, & inexorabili ingenio, & alloquio, fabellas, & aniles ineptias rudunt. Eas enumerat doctissimus Abulensis quæst. 10. in

Decem creaturas asserunt Deum produxisse in sabbatho, in quo requieuit.

Abulen.

Earum catalogum recenset Abulensis.

cap. 22. Numerorum, dicens sententiam Iudæorum esse Deum in vespere sabbathi in quo requieuit in mundi Genesi, decem creaturas produxisse, scribit earum catalogum. Prima: os terræ, quod deuorauit Dathan, & Abiron. Secundum: os putei Israelitas præcedentis in deserto, & continuo aquas fundentis. Tertium: os asinæ Balam ad loquendum. Quartum: Iris, seu arcus cælestis. Quintum: aries, quem immolauit Abraham pro puero Isaac. Sextum: virga Moysi, qua diuisit mare rubrum. Septimum: Manna. Octauum: tabulæ primæ legis. Nonum: dæmones apparentes hominibus. Decimum: forcipes ad emungendas lucernas tabernaculi. His figmentis relatis subiungit sapientissimus Antistes: *Valde autem errant isti miseri nullum lumen intellectus habentes, & apparet in eis aliquid mirandum, scilicet, quod ex eo tempore, ex quo generatio ista peruersa Christum suum recipere noluit, quem nos gratis suscepimus, non solum praua voluntas eorum, & intellectus operatiuus in malo occæcati sunt; sed etiam intellectus speculatiuus in eis ligatus est, itaut in expositionibus sacrarum scripturarum supra modum errent. Prædixerat enim eis hoc Christus Matthæi 12. capite, scilicet auferetur à vobis regnum Dei, id est intellectus scripturarum, & dabitur alteri genti facienti iustitiam illius, id est Gentilibus ad Christum conuersis. Nullus autem vnquam antiquissimorum, imperitissimorumque Philosophorum tantum à rationis semita declinauit, nec ita graues imperfectiones Deo attribuit, quantas isti miseri, & Mahumeti sectatores ascripserunt, & hoc quia tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt videntes non videant, & nota fiat insipientia cordis eorum cunctis populis, quia lumen ipsum manifestissimum cognoscentes recipere neglexerunt.* Hæc Tostatus.

Miseri Iudæi in intellectu scripturarum insipientes, & supra modum errantes.

Philosophis stultiores.

Tradidit illos Deus in reprobum sensum.

Iudæorum cæcitas & Cimmeriæ tenebræ.

Isa.

11. Denique, vt proposito titulo colophonem imponam, in medium produco Isaiæ verba ex cap. 59. mutuata: in quibus Vates eleganter prædicat Iudæorum cæcitatem, & densissimas tenebras ignorantiæ eorum mentibus offusas, ibi v. 9. *Expectauimus lucem, & ecce tenebræ; splendorem, & in tenebris ambulauimus. Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus. Impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Ad nostrum institutum expendit S. Hieronymus di-

D. Hieron.

cens: *Expectauerunt lucem dicentes: emitte lucem tuam, & veritatem tuam, quæ eis per Prophetas fuerat repromissa, & erroris tenebris occupati sunt. Sustinebant splendorem, & ambulauerunt in tenebris: ita scripturas sanctas quasi cæci palpantes parietem: verba tantum in eis, & folia, non sensum, fructumque quærentes, qui tenentur in litteris.* Cùm sol iustitiæ veritatis splendoribus orbem totum illustret, & impleat, ipsi palpabilibus errorum tenebris in ipsa luce meridiana cæcultant, impingunt in odium nominis Christiani, & velut clausis oculis, scripturas attrectantes, earum veritatem neque explorant, neque scrutari laborant; sed affectibus suis inique indulgentes, Andabatarum more gladium ventilant aduersus assertores verarum commentationum, ipsi orbati luminibus mentalis intuitus, perpetua caligine mortis, & ignorantiæ tumulo consepulti.

In scripturis quærunt folia, non fructum.

Digitized by Google



Et prudentem eloquij mystici.

Ornatvs Litteræ Quartus.

Arcanus, & Mysticus sensus in sacra litteratura inuestigandus, & hauriendus.

1. HOc proprium munus est Christiani commentatoris, Euangelicique Ecclesiastæ, sapientiam in occultis commorantem rimari solerter, abscondita Sacramenta in Sacris litteris perscrutari, clausa aperire, de intimis attracta eruere, & in apertam intelligentiæ lucem dare. Quæ omnia præclaro vaticinio Iob prædixerat cap. 28. versu 11. *Profunda quoque fluuiorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.* De Testamenti noui Doctoribus explanat Gregorius Magnus, per quos Deus occultas allegoriarum, & mysticorum sensuum caligines reddidit manifestas. Sapientiæ flumina nuncupat viros Prophetici luminis, & afflatus insignibus illustres; de quorum pectore verborum fluenta, pellucidi scientiæ diuinæ latices manarunt, totum orbem irrigantes; in hos profundos gurgites dum Iudæus in superficie enatat, se demittit placidè Euangelicus mysta, vt eorum profunditatem, & obscuritatem perscrutetur, & de latibulis sapientiæ extrahat mysticos intellectus. Audiendus est Maximus Antistes lib. 8. moralium cap. 21. *Horum fluuium Iudea speciem tenuit dum litteræ superficiem seruans, eorum profunda nesciuit. Nos vero qui veniente Domino, in eis interna spiritalia quærimus, eorum profunda rimamur. Quod ipse Dominus facere dicitur; quia id nos agere, ipso donante, praualemus. Per nos ergo, qui non litteram quæ occidit, sed spiritum qui viuificat, sequimur: profunda fluuiorum Dominus scrutatur, & abscondita in lucem producit: quia dicta legis, quæ caliginosa nimis historia obscurat, nunc expositio spiritalis illuminat.* Sacrorum amnium mirantur Iudæi pellucidum nitorem, vel cùm albescunt historiarum cumulis, aut cum rituum exteriorum apparatu vndulatim crispantur; pertimescunt tamen vrinari fluuiorum profunda, aut irruere in intumescentes altissimorum sensuum gurgites; at Doctores sacri tranare sciunt mysteriorum tramites, & peruadare spiritalium aquarum torrentes, sunt enim dextri, & periti vrinatores, qui se se immergunt in vasti maris profundum, reconditas sententiarum scaturigines, penitiorum sensuum riuos & vndas attentè speculantur, secum enim portant fidei, pietatis oleum, & lumen, quo in tenebrosis mysteria latitantia rimentur, emergentesque ex vasto pelago, spiritualium sensuum margaritas reportent, nitidasque reddant, & perpolitas de luce veritatis.

Iob.

D. Gregor. Magn.

Scriptores sacri sapientiæ flumina.

Scripturarū extima Iudæus tenet Christianus doctor profunda rimatur.

Dicta legis, quæ caliginosa historia obscurat, expositio spiritalis illuminat.

2. Visio illa obiecta diuinitus spiritualibus Ezechielis oculis, plena est cælestibus Sacramentis. De fenestris per quas lumen infundebatur sanctuario, hæc scribit cap. 41. v. 16. *Limina, & fenestras obliquas.* aut iuxta LXX. interpretes: *Fenestra in modum retis facta.* Quid mysterij clausæ fenestræ recondant, aperiet scripturarum phœnix, & prudentissimus mystici eloqui Hieronymus, scribens: *Fenestra erant facta in modum retis, instar cancellorum.* Et statim: *quæ fenestra iuxta LXX. aperiebantur tripliciter: vt apertis eis, triplex in templo Dei intelligentia monstraretur, iuxta illud quod alibi dicitur* (Prouerbiorum cap. 22.) *Tu autem describe ea tripliciter. Prospicitur autem per eas non solum interius, sed & exterius: vt quæ interiora sunt, inuisibilia; quæ exteriora visibilia cognoscamus, vt aliud mentem, aliud carnem, aliud spiritualem intelligentiam, aliud simplicem monstret historiam.* Et postea interpretationem earumdem fenestrarum replicans subiungit: fenestras esse obliquas in modum retis factas, semper clausas propter inscrutabilem, & profundum thesaurum sapientiæ, & scientiæ Dei: *Et quis cognouit sensum Dei, nisi ille, qui est magni consilij Angelus, & sua potest dignis aperire mysteria.* Erant clausæ fenestræ, quia reconditum est omne mysterium, & nisi attente contemplanti, & penitius prospicienti diuinæ sapientiæ intima, non occurrunt sublimioris sensus theoriæ, & commentationes. Aperiebantur tripliciter fenestræ, vt ternarium sensuum numerum, historicum, mysticum, & anagogicum intus delitescentem in scriptura sacra innueret. In Ecclesiæ tabernaculo instruitur interpres à Domino inter litteram, & spiritum discernere. Et medullam pretiosiorem mysticæ intelligentiæ de testa, & duro cortice litteræ eruere. Eumdem conceptum replicat sapientissimus Doctor, & mysteriorum Dei diligens enucleator ad ea verba eiusdem capitis, quæ vers. 23. & 24. continentur. *Et duo ostia erant in templo, & in sanctuario. Et in duobus ostijs ex vtraque parte bina erant ostiola, quæ se inuicem plicabantur. Vt in historia* (inquit Hieronymus) *spiritalem habeas intelligentiam, & in tropologia historiæ veritatem: quorum vtrumque altero indiget: & si vnum defuerit, perfecta caret scientia.* Per hæc ostia historialis, & spiritalis intelligentiæ, patet introitus ad tabernaculum, & templum Domini, vt contemplentur sapientes abscondita à constitutione mundi, fiant docibiles Dei, & arcana secretorum Discipulis enuntient. Meritoque Ezechiel in ipsis ianuis Cherubinorum simulacra, & palmarum similitudines miro artificio insculpta prospexit, vt manifestè ostenderet nullum posse Cherubim infulis decorari, aut arripere sapientiæ palmam, nisi qui per vtramque portam fuerit ingressus, vt litteram teneat, & in littera delitescentes protheorias percipiat. Ibi Hieronymus subiungit: *Et sculptura palmarum, vt post scientia multitudinem, victoria intrantibus præberetur.* Qui litteræ tenax est, & ad subliniores anagogias, & mystagogias non euolat animus, non decoratur trabea Cherubim, quod sonat multitudo sapientiæ, illi seruatur laurea, & palma insigne victoriæ, qui reseratis foribus litteræ, mysteriorum cælestis regis intrat cellaria.

Limina, & fenestræ sanctuarij obliquæ, seu ad modum retis apud Ezechielem.

Ezech. Lect. LXX. D. Hiero.

Cancellatæ fenestræ aperiebantur tripliciter, vt triplicem intelligentiam scripturæ demonstrarent.

Fenestræ obliquæ semperque clausæ, propter inscrutabile thesaurum sapientiæ.

D. Hieron.

Bina ostiola sanctuarij quæ se inuicem plicabātur, historicum, & spiritalem sensū denotant.

Cherubim nuncupatur, tenens palmam victoriæ, qui per intelligentiā litteræ & spiritus templum intrat.

D. Hiero.

3. Cælestis Citharædus Dauid ad fidem à Spiritu Sancto temperatas cecinit epinicion carmen in quo celebrat Apostolorum victorias, & triumphalia diademata, eos instruit ad

ad euangelizandum pacem, prædicandum bona, & auctoritatibus vtriusque testamenti munit, velut armorum tegminibus Psal. 67. v. 14. hoc dulce resonat ex Dauidico ore melos: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Non tot aurum micat fulgoribus, quot locus iste internitet acroamatibus. Vnum proposito themati vsurpo ex Euthymio his verbis expresso: *Si igitur constiteritis in medio vtriusque Testamenti, & quod nouum est veteri consonum credideritis (vetus enim figura est, & nouum veritas) tunc alæ columbæ, hoc est exteriores, ac simpliciores sancti Spiritus sensus splendidi esse vobis videbuntur, & scapulæ hoc est interiores, & magis mysticæ contemplationes instar pallidissimi ac purissimi auri fulgores, ac lucem suam vobis demonstrabunt.* Noui, & veteris testamenti litteraturam terminos vocat, propter miram consonantiam, qua vtriusque auctoritates concordant, propter veritatem, quam figurat vmbra, exprimit Euangelij veritas, & coloribus suis mysteriorum illuminat. Vocat hæreditates: hæc est enim fidelis hæreditas, quæ per manus Prophetarum, & Apostolorum ad Ecclesiæ sapientes peruenit. Hi sunt limites & cleri, quibus anima Deo chara terrenorum feriata tumultu, illecebrosis vitiorum compedibus extricata, placidè requiescit, liquidis perfusa, & delibata deliciis, quas asciscere solet spiritualium contemplationum genitura, & partus. Cùm Apostolici nuntij litteram ab spiritu discernunt, velut granum à paleis sequestrantes, spiritualibus abundant sensibus, comparantur merito columbæ ornatæ aureis torquibus, pretiosisque monilibus, quæ solares ictus, & reflexus fulgoribus suis in gutture efformant. Verè columba anima à sole cælesti illuminata & erudita, quæ columbæ spiritus Sancti regerit candorem, & puritatem, velut aureo fulgore intermicat, cùm spiritualium contemplationum mystica eloquia fundit; cùm de pectoris sui arcano, quæ scrutatus est protheorias, & Sacramenta cælestia, denuntiat; de viridi sapientiæ pallore, de aureo charitatis decore fulgescit.

Psal. — Sacer interpres inter duos cleros veteris, & noui testamēti dormiat. — Euthy. — Scripturā sensus mysticis contemplationibus instar auri fulgeant. — Sacra scriptura hæreditas. — Columba ornata aureis torquibus anima, quæ mysticis eloquiis fulget.

4. Benedictionem tribus Beniamin, quam imprecatus est ei beatus senex Iacob, Genes. cap. 49. v. 27. *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia,* interpretantur Ecclesiæ primores de Apostolo Paulo, quorum catalogum recensui libro de benedictionibus Patriarcharum; cui commentationi calculum album adiiciens Ruffinus argutè expendit, & firmat vaticinij veritatem: *Beniamin lupus rapax in matutino edet, & ad vesperam diuidet cibum.* Sic enim legit locum Genesis, & quid sit in matutino, comedere, & in vespera escas diuidere, mirificè explanat: *Mane illud tempus memorari puto, quo legem accepit, tunc enim mundo prius quædam illuminatio scientiæ data est: edit mane cibum, quem mane acceperat, edit adhuc & meditatur, Ad vesperam diuidit cibum, vespera est tempus nouissimum in quo conuertitur: tunc ergo diuidit escam: tunc enim intelligit diuidendam esse in lege litteram ab spiritu, & tunc cognoscit, quia littera occidit, spiritus autem viuificat: quia ergo iam per gratiam Domini illuminatus incipit in lege à corporalibus diuidere, & separare spiritualia, ideo dicitur ad vesperam escam diuidere, quod tota die in lege meditans, ante non fecit.* Hæc Ruffinus. Erat Paulus in Iudaismo librorum legalium heluo, sese ingurgitans crudis cibariis veteris testamenti; at postquam IESVS Paulinæ menti illuxit in via Damasci, tanta Domini gloria obrutus, & oppressus; corporalia oculorum clausa sunt lumina, & illuminatus interior obtutus, vt spirituales sensus à materialibus litteræ inuolucris segreget; iam liguritor factus est dulcissimorum eduliorum doctrinæ cælestis, & Euangelicæ; ad vesperam immutationis suæ suauissima mysteria, quæ cum mora, & elegantia comederat in paradiso, Christi IESV fide, & amore decoxerat, tanquam ambrosias dapes fidelibus distribuit; iam celebris escarum dispartitor est, inter litteram occidentem, & spiritum viuificantem agnoscit discrimen; iam nouit austerioribus litteræ indumentis allegorica theoremata tanquam auri, aut purpuræ segmenta pretiosa inserere, & Ecclesiæ ornare cycladem; antiquas illas, & veteres legis vmbras spiritualium sensuum illuminare coloribus, & emortuis simulacris indere mysticorum sensuum succum, & sanguinem, & vitam afflare.

Genes. — Quid denotet: Beniamin manè edere, & vespere spolia diuidere. — Ruffin. — Paulus ante conuersionem legis litteram comedit, illuminatus à Deo litteram ab spiritu diuisit.

5. Placet cernere, & auscultare Iobum, hunc conceptum edocentem de Sterquilinij solio? Mirum est quanta eloquatur magnalia homo plagis confectus, tabe diffluens, à planta pedis vsque ad verticem corrosus & exesus vermibus. Prædicat magnitudinem diuinæ potestatis cap. 9. v. 5. *Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo.* Miratur Dei potentiam, qui vel leui nutu montes prægrandes, & excelsos de fundamentis suis reuellere valet, & in alium locum traiicere, & transplantare. Vaticinatur forsan Iob sanctus Euangelij promissum, quod fidei Dei præualidas adeò vires præbuit, vt illius imperio obtemperent montes, vt natiuum solum relinquentes, in alium locum migrent. Aliam mentem sublimiorem indicant LXX. Seniores legentes: *Qui in vetustatem perducit montes.* Quam lectionem persequitur Catena Græca in Iob: *Qui montes redigit ad vetustatem, & ignorant.* Eam ibidem exornat Didymus Alexandrinus Diui Hieronymi præceptor, qui licet exteriori visu orbatus, intus tamen illuminatus, in sacram Scripturam dictauit doctas, & argutas commentationes: ibi fatur: *Alios noui ego montes Moysem inquam, & Prophetas. Leuaui oculos meos in montes. Christus senio conficit vetus testamentum, nec id animaduertunt Iudæi, in quos dictum est illud, si crederetis Moysi crederetis & mihi. Is montes Hierusalem, & sanctuarium à littera solo euertit. Ille suo splendore, Solis cæterarumque stellarum luminibus officit.* Et statim: *Quæramus qui montes sunt, qui inueterascunt, & quorum opera vetustate consenescunt: & qui nam ij sint qui ignorant. Venit IESVS ad litteræ traditionem labefactandam, & planè conuellendos eos, qui post gratiam, ad litteram adhærescunt, de quibus inquit Apostolus: peruenit autem in eos ira: euersa sunt vetera: littera est antiquata: instaurata est spiritus disciplina, vt nos seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ. Maius quid hominum opinione in aduentu suo IESVS meus perfecit. Etenim ipsos Prophetas eodem tempore*

Iob de Sterquilinij subsellio montium transmigrationem futuram prædicat. — Iob. — Lect. LXX. — Cat. Græca — Didym. — Montes Moyses, & Prophetæ. — A littera solo euertit Deus sanctuarium. — Euertit Deus montes inueteratos litteræ solum modo adhærentes. — Littera antiquata spiritu renouata.

pore antiquauit, & innouauit. Hæc Didymus. veteres Patres, priscique Prophetæ montes sublimes, adueniente Iesu omnia innouante, inueterascunt, imo de secundo Adamo, & adolescente secundo iuuenescunt, & de vaticiniorum complemento Euangelicum suscipiunt ornatum: adueniente spiritu inueterata est littera; illucescente veritate figura cessauit. Et quæ ex temporum lustris, senio & vetustate languebat, de aduentu Iesu effloruit quodam iuuentæ vigore. Locum Iobi amplificat & illustrat, S. Ambrosius, Didymique protheoriam promouet, & extollit grauissimis sententiis lib. 1. de interpellatione Iob cap. 5. *Qui facit montes inueterascere. Qui sunt enim montes* (inquit) *quos inueterascere facit, nisi Moyses, Aaron, & Elias, Iesus Naue, Gedeon, Prophetæ, omnes libri veteris testamenti? Venit Dominus Iesus, nouum detulit testamentum, & illud quod erat vetus, factum est nouum; innouatus est Christianus, inueteratus Iudæus. Renouata est gratia, inueterauit litera. Euertit montes, & conuertit. Euertit enim & subruit intellectum, secundum litteram, & statuit intelligentiam spiritalem. Intellectus ergo ille legis euanuit carnalis, & factus est spiritalis.* Auctor ergo mystici sensus Iesus, qui altiores allegoriarum contemplationes, & spirituales intelligentias de sacrorum librorum montibus eruere docuit, cùm intellectus litteræ carnalis euanuit, & spiritalis effloruit. Non enim damnatur à Patribus literæ sensus; sed carnalis, & Iudaicus à succo spiritus Christi alienus.

D. Ambos.

Montes scripturæ inueterati, in nouo testamento per Iesum renouati.

Innouatus Christianus, inueteratus Iudæus.

Conuertit Deus intelligentiam litteræ, ad intellectum spiritalem.

6. Cùm accumberet Mater Iesu conuiuio nuptiali, vini defectum à Filio expostulat suppleri: Ioannis cap. 2. v. 3. *Et deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: vinum non habent.* Verba Deiparæ diuinis sacramentis, & spiritualibus commentationibus plena, quis ambigeret? Prophetissa enim erat, quid mirum si mysteria loqueretur; quid igitur latitat in propositis verbis? illud nimirum, Iudæorum sapientiam debilitatam, & sicut vinum aqua dilutum, & attemperatum spiritalis intellectus non asseruasse acrimoniam, & vigorem. Incidit in hoc acroama Seuerus Alexandrinus Patriarcha in catena Græcorum Patrum in Ioannem: *Mater cùm nuptiis interesset, & vinum defecisse cerneret, doctrinam nempe synagogæ Iudæorum concessam, quam more cauponum Principes Sacerdotum, atque Pharisæi propriis atque infirmis, vtpote humanis institutis tanquam aqua diluebant, de quibus Isaias ait: caupones tui vinum aqua miscent, docentes doctrinas, & mandata hominum, adeò, vt iam non nisi aqua existeret.* Illud vero quod ex Dei oraculo, ore nempe Iesu fuit prolatum: *nondum venit hora mea.* Non minus consequenter, quam eleganter, idem Seuerus expendit: *nondum inquam tempus est, donec crucem sustinuero, sanguinemque meum libauero, & Spiritus ille consolator in terra commoretur: vsque dum aquosam illam, & humanam doctrinam cum calido, fragranti, generoso, gratissimoque spiritali potu (hæc siquidem omnia per vinum denotantur) commutem,* à Iesu ore, pectore Euangeliorum fluenta manarunt, expectauit tempus vt vinum hoc mysticum Apostolicæ doctrinæ tanquam calidum, & igneum mustum in Apostolis ferueret, expectauit fundere pretiosi sanguinis fluenta, vt sapientiæ cælestis latices vsquequaque fluerent; quòd igneo flatu animaret corda discipulorum Spiritus paraclitus; vt spiritalem potum mysteriorum hominibus propinarent, faciléque discernerent prudenti iudicio quantum interesset discrimen inter traditiones scribarum, & Pharisæorum innixas fallaci ratiocinatione; & doctrinam spiritu superno afflatam; inter aquam, quæ solet solatium morientium esse, & vinum mysteriorum dulcedine plenum, quod viuido animos vaporat calore, redditque feruentes: *Huius autem* (subnectit Seuerus) *gustum capere ebria illa synagoga minime voluit, quæ benignè quidem vocata fuit, cui item quasi in conuiuio nuptiali pulcherrima docendo multa proposuit. Attamen non degustauit: at architrilinis (hi autem erant Moyses & Abraham cum suis. Moyses siquidem fidelis seruus in domo Dei perhibetur) iis inquam solum extremis labris gustanda dedit, dum illis, per ænigmata Prophetarum dissertè fuerit insinuatum vinum illud præstantissimum Euangelicæ doctrinæ vltimis temporibus reseruatum iri.* Apposuit Iesus mensam mysticis eloquiis plenam, & poculis mysteriorum abundantem, at synagoga libare noluit, nihil volupe, & dulcedine conditum illius palato sapiebat; patres comederunt vuam litteræ acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, ne vinum libent; prælibarunt de aureo sapientiæ poculo veteres patres & sapientes; loquebatur illis Deus sapientiam in mysterio absconditam, & filij sui sacramenta per inuolutos sermones & ænigmata reuelabat, eos constituens in domo doctrinæ prudentes eloquij mystici, quorum æmulatores erant ij, de quibus fatur Philo Iudæus libro de somniis, expendens visionem scalæ obiectam diuinitus dormienti Iacob, & illius mysticum intellectum enucleans: *Nonne decebat homines, qui modo integros habeant mentis oculos illustratos perspicere quis sensus interius lateat, scrutarique naturæ secreta, potius quàm in apertis dictis consistere? Attamen etiam si non conuenientibus animæ oculis, aut non curauerimus, aut non potuerimus cernere, ipse sacrorum Antistes submonet, addens animum, ne desperemus, donec nos introducat in penetralia, illatoque lumine ostendit mysteria pulcherrima, nunquam visa prophanis hominibus. Ita profectò decet facere.* Hæc Philo.

D. Ioan.

Seuer. Alex. Cat. græ.

Sapientia apud Iudæos non vinum, sed aqua.

Seuer.

Iesum post mortem, & Spiritus sancti aduentum, aquosam litteræ intelligentiam, in vinum gratissimum spiritalis intellectus immutauit.

Spiritalis sensus dulcedinem synagoga inuitata ad conuiuium, percipere non potuit.

Architriclini Moyses, & Abraham spiritum sapientiæ prælibandum propinarunt.

Vinum Euangelij postremis temporibus reseruatum.

Phil. Iud.

Expedit sapientiæ penetralia adire, & considerare, quis sensus in verbis lateat.

VERSICVLVS III.

Amplificatur variis discursibus.

Principem super quinquaginta.

Primus Pentachontarcos spiritualis Elias.

DISCVRSVS I.

Meritò celebrari expostulant constantia, & ausus viri, qui in perfecta virtute sectanda, vitiis subiugandis, inuenienda nouæ vitæ semita, strictioris instituti forma, in lege antiqua primas tenet.

De primis institutoribus religiosorum cœtuum hæc verba in commentario litteræ, iuxta sensum sanctorum exposuimus;

suimus; vbi annotauimus primum Pentachontarcon fuisse Eliam. Itaque primus princeps super quinquaginta, secessus amator, mundi despector, eremi cultor, religiosæ vitæ adumbrator & fictor magnus Elias extitit; qui hanc perfectionis viam hominibus imperuiam audacter penetrauit primus, quem laudationum corona cingunt subsequentes Discursus.

Michæ.

Vaticinij Michæa interpretationes variæ.

Michæas Propheta sanctissimus illustre Vaticinium profert cap. 2. v.13. *Ascendet enim pandens iter ante eos, diuident, & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Prophetalis dictio egregia, & perdifficilis, sed mysteriis abundans, quæ non erit arduum eruere quasi nucleum pretiosiorem, si cortices frangamus litteræ, & historicas allusiones prætermittamus; arridebit vni commentatio loci de obsidione Sennacherib; placebit alteri theoria de excidio Ierosolymæ per Chaldæos; vel de remigratione populi ad patriam, Babylonico captiuitatis iugo per Cyrum Regem dissipato.

Via perfectioris semitam, & crucifera vita portam Iesus primus aperuit.

Nos vero, omissis Rabbinis, eorumque sectatoribus, sequimur magnum agmen patrum, eorumque antesignanum Hieronymum, qui de Christo vaticinium vsurpant; qui primus sanctitatis viam, perfectionis semitam iniit, & portam perfectæ imitationis vitæ cruciferæ aperuit.

D. Hiero.

Audi sanctum Hieronymum: *Ingressi sunt autem, quia & Rex eorum eamdem ingressus est portam, & aperuit eis iter, vt absque vlla difficultate graderentur.* Et statim: *quicumque autem ingressus fuerit non debet in eo statu, in quo intrauerat, permanere, sed egrediatur ad pascua, vt in intrando exordium sit: in exeundo, & pascua reperiendo, virtutum perfectio.*

Qui viam perfectionis init à priori statu imperfecto migret ad fastigium sanctitatis, vt inueniat pascua.

Et merito hoc in loco Rex, & princeps semel & iterum nuncupatur, qui exercitum validissimum perfectorum ductat ad pascua; vel eo solo titulo signis regalibus coronandus principis trabea laureandus, quia primus perfectionis irrupit semitam, & confractis humanæ fragilitatis repagulis, quæ remoliebantur introitum, & cursum, patulam reddidit portam, & viam: *Et transibunt portam.*

Sectatores Iesu ex terrenis transiliũt ad cælestia; ex humanis ad Deitatis consortium.

Lect. LXX.

D. Hiero.

Quanta autem futura sit sanctitas sequentium IESVM, & illius vestigia, versiculus antecedens promiserat: *tumultuabuntur à multitudine hominum.* Quæ verba LXX. efferunt mirificè: *Exilient ex hominibus.* Et illustrat Hieronymus: *Tunc de hominibus commigrabunt; & transcendent humanæ conditionis statum, & implebunt quod sequitur: exilient ex hominibus, non solum autem illi exilient, & abibunt, sed omnes ad quos fit Dei sermo: & qui humana vitia relinquentes, conuersationem diuinitatis imitantur, & audiunt, ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes: exilient ex hominibus, & quasi feruntur ad cælum.* O validissimos milites, & sectatores Imperatoris exercitus Domini, qui brauium arripitis perfectæ vitæ. Hi vitia relinquentes, mundialia omnia spernentes & illecebras voluptatum, ad superorum dignitatem migrant; ex hominibus commutantur in Deos; viden quantæ dignitatis sit iter arduum virtutis egregiæ, quod Imperator cæli complanauit, abscissis gladio Crucis dumetis, & vepribus vitiorum, eorumque sentibus suo in capite retusis, alacriter arripere? Hæc animositas homines commutat in cælites, despectaque mortalitate ad immortalium cælum euolare facit. Nec prætermittendum LXX. seniorum acumen, legentium: *diuiserunt, & transierunt portam.* Si complanatum, & expansum est iter à Domino, & aperta via, quo pacto diuiditur, & sternitur à seruis.

Castro.

Strenui Cælorum expugnatores quasi perrupto muro, portam aperiunt ad ingressum.

Quare doctus interpres Castro noster in Prophetas minores expendens LXX. interpretum sententiam, *Transierunt portam, & egressi sunt per eam.* ait: *Quasi murum vrbis perruperint & portam fecerint.* Aperta est à Duce ianua, & foraminosus factus murus ad irruptionem; cessent ergo à tanto labore milites, & per murorum aperturas, quas inueniunt, introeant. Strictum dubij nodum reliquit auctor hic, illud tamen dissoluit Hieronymus:

D. Hiero.

Tota Trinitas viam cælestis atrij complanauit, sublatis obstaculis.

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus diuiserunt quod videbatur obstare, & fecerunt viam volentibus ingredi, & quia aperto itinere innaserunt iter, non solum ingressi sunt portam, sed & transierunt per eam. Patefacta est semita, qua gradiantur iusti, & ad perfectam vitam beatamque tendant, cum eam aggrediũtur ineundam audacter, velut irruptione facta ad expugnationem cælestis arcis, eam inuadentes, viam diuidunt, & aperiunt sibi portam. Rem apertam dabo hoc simili; irruit imperator quispiam strenua militum manu in hostilem vrbem armis subiugandam, ipse anteit militibus, voce præconis proposito præmio principatus, & amplissimæ gloriæ illis, qui ante alios murorum pinnas ascenderint, & tenuerint; sicut fecit Dauid inuadens vrbem Iebus 1. Paralip. cap. 11. v. 6. *Omnis qui percusserit Iebusæum in primis, erit princeps & Dux. Ascendit igitur primus Ioab filius Saruiæ, & factus est princeps.*

Primus in expugnatione vrbis pinnas murorum tenens, & vexillum erigens, ab imperatore coronatur.

Lib. Par.

Primus Ioab ascendit Iebus vrbem, & factus est princeps.

Sic qui noua itinera inueniunt ad expugnandam cælestem Ierosolymam, & violenter diripiendam, ornantur infulis principatus, & regni. Inter quos omnes, Sanctissimus Elias primas tenet, qui ante Christi tempora, & Apostolorum, viam adinuenit seuerioris disciplinæ, & perfecti instituti normâ inchoans, hominibus promulgauit.

Iter seuerioris vitæ in lege scripta primus Elias aperuit.

Lib. LXX.

Iter illud mortalibus imperuium asceticarum exercitationum, ieiunij, humicubationis, rigidioris habitus, prior complanauit, aperuitque portam cælestis cuiusdam vitæ suis sequacibus, in speluncis, & cauernis petrarum commorantibus. Hic iuxta LXX. lectionem ex hominibus exiliit in hominem Deificum; Heroem cælestem, in terra Angelum: *Exilient ex hominibus, & quasi feruntur in cælum*, inquit Hieronymus; ideò Angelorum ministerio, nouo & flammifero plaustro in paradisum rapitur, qui in eremo paradisum inuenit, & cælestem vitam ad terras deriuauit.

Triumphali Carpento vehitur ad cælum, qui cælestem vitam primarius ad terras deriuauit.

Hic nouæ Ierosolymæ, hoc est speculationis, contemplationis arcem audacter primus inuasit, factusque est religionum velut princeps, & pater, Euangelij consummatam perfectionem suis moribus adumbrans, verus & spiritalis Ioab, qui ex Hebræo in Latinum sermonem transfertur: *pater*, vel *paternitas.* Religiosa paternitas ab Elia sumit exordium, ideò primarius pentachontarcos est seu princeps super quinquaginta.

Eliæ asceticæ, & religiosæ vitæ tanquam princeps, & dux est.

Apoc.

Ioachim.

2. Non grauabor recensere hic præclara Ioachimi Abbatis verba sententiam illam Ioannis Apostoli explanantis Apocalypsis cap. 3. vers. 12. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei, mei.*

Dominici templi colũna magna Eliseus.

Digitized by Google

mei. Ioachimus vero subiungit : *talis columna fuisse noscitur magnus ille propheta Eliseus, qui sic superpositam sibi fabricam patienter portauit, vt tamen quod difficile multis est, in studio & exercitio contemplationis detrimenta nesciret. Habuerat enim duplicem illum spiritum Eliæ quem petierat, & solicitæ operationis circa res humanas, & tranquillæ diuinarum rerum contemplationis,*&c. Quis ambiget his perlectis Eliam, & Eliseum esse præclaros illos viros, de quibus Michæas præallegatus vaticinium profuderat, de quibus L X X. seniores superno afflatu correpti prædixerant : *exilient ex hominibus,* & Hieronymus erudito, & docto calamo scripserat : *& quasi feruntur in cælum.* Ideo cælestium militum manus obuiam iuit Eliæ, vt eum tanquam inuentorem instituti seuerioris, & primum complanatorem viæ, quæ ducit ad superos, ignea rheda, flammeoque rotatu in cælum inueharit laureatum triumphatorem. Postea verò Ioachimus. Abbas addit sequentia : *scribit itaque Dominus Iesus super victorem nomen Patris, cum eum nomine isto Patris appellari, & honorari vult sicut magnus ille Patriarcha Abraham, cui dictum est à Deo patrem multarum gentium constitui te. Et hoc ipsum est apud viros religiosos patrem ipsorum appellari Abbatem, pro exemplo nimirum boni operis, quo cæteri inuitantur ad operandam iustitiam.* Præclara isthæc Carmeli fulcra, sanctimoniæ perfectioris primaria fundamenta, conuolare animo ad cælorum fastigia, & humana temnere demonstrarunt. Ideò coronantur nomine patris; ex victoria passionum mercedem meritorum recipiunt, primos spiritus parentes nuncupari, ideo in triumphali ascensu Eliæ, Eliseus clamat : *pater mi, pater mi*, incedebat enim laureatus nomine patris, qui Sanctorum virorum cateruas coëgit in pietatis, & sanctimoniæ contubernium. Scandebat enim diuinæ vitæ angusta & augusta itinera pandens : strictioris instituti obseruantiam, in cohibendis passionibus, corporisque castigatione voluntaria, hæreditatem filiis derelinquens : *ascendet pandens iter ante eos.*

Elias, Elisensque exilientes à terra, viri transilientes in cælum. Lect. L X X. D. Hier.

Ioachim. *Victores passionum dicuntur patres.*

Prælati nuncupantur abbates exemplo virtutis aliis præeuntes.

Elias pater nuncupatur, quia sanctorum filiorum cateruas ad cælum ducebat.

Lect. L X X. *Quid sit ascendere in cælum per diuisionem.* Rupert. *Mare rubrũ secatur in diuisiones.*

In duodecim itinera mare diuisum. Psal. Origen. D. Epiph. D. Gre. Tur. Rupert. Lyran. Hugo. Caiet. Haimo. Cassiod. Lorin.

3. Nec æquum est, quod tanquam obliuiosi prætermittamus L X X. seniorum translationem legentium : *ascende per diuisionem.* Alludit enim Vates, vt Ruperto placet, Erithræo mari diuinitus diuiso, vt populus Israel puluerulento vestigio graderetur : sic enim scribit in commentario Micheæ : *diuident, & transibunt, nimirum secundum diuisionem maris rubri, per quam transierunt filij Israel.* Quo in loco scripturalis disceptatio solet occurrere, an mare duodecim itineribus interruptum, an vno à Moyse fuerit ? Duodenariæ diuisioni fauent verba psalmi 135.v.13. *qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* Patrocinantur Origenes homil. 5. in Exodum, Epiphanius hæresi 64. Gregorius Turonensis lib.1. historiæ cap.10. Rupertus in Exodi cap. 14. Lyranus, Hugo, Caietanus, Haimo, Cassiodorus in Psalm. iuxta quorum mentes, ex crystallinis vndis, vitreisque muris duodecim constructæ sunt viæ regiæ, per quas singulæ tribus seorsim & celerius graderentur, fugerentque hostium manus. Verba Epiphanij refert Lorinus quod Moyses *mare diuiserit in duodecim itinera.* Quod si verum est, opportunitatem nanciscitur quædam perscrutatio subtilior. Quænam tribus animæquior, & constantior extiterit, vt deposito metu, In montium aqueorum cumulos exurgentium, & imminentium vndarum, prima inuaderet, & ingrederetur viam. Doctè proponit, & dissoluit dubium hoc Guillelmus Exodi cap.14. clausula 2. dub.18. dicens : *aduocans Moyses singulas tribus secundum ordinem suæ natiuitatis, hortabatur eos, vt se præcedente sequerentur. Cùmque timuissent intrare Ruben, Simeon, & Leui, qui erant primogeniti Iacob; Iuda quarto genitus illius, primo aggressus est post eum intrare; & ibi meruit regnum.* Et statim : *tribus Iuda quæ erat constantior, prima intrauit post Moysem deinde alia secutæ sunt.* Primatum, quod non dedit natura tribui Iudæ, concessit egregium facinus transitus primitiui; & merito anteit fratribus, regalibus infulis ornatus, qui primarius extitit in aggrediendo itinere mirabili, quod aperuerat diuina virtus. Intende : quot religiosarum familiarum capita in mari huius sæculi aperuerunt semitas, vt Angelorum in terris viuentium cohortes Pharaone suffocato, despectis Ægyptiorum deliciis, securo cursu graderentur ad beatam vitam terræ promissæ? Inter omnes primus legali tempore Elias in discrimina irruit, hoc enatare pelagus tentauit, in huius sæculi fluctibus altioris instituti inuenit semitam, calcatis humanorum affectuum passionibus, & diuisis tanquam æstuantis æquoris vndis, prior perfectionis semitam inuenit. Merito pater, & princeps religiosæ disciplinæ prædicatur, & Michææ vaticinium in ipso præfiguratur : *ipse enim ascendit per diuisionem. Et transibit Rex eorum coram eis.* Hicque Chrysostomi verba de Iob prolata merito adaptabis Eliæ. Sic enim os aureum fatur in catena Iob c.2. de illius tolerantia, & moderatione in sustinendis ærumnis : *Ita viam minimè tritam, & mare nondum tentatum nauigiis, immira vitiorum caligine ingressus, solus ac princeps eius ætatis hanc philosophandi viam strauit.* Hæc ille.

Iudas primus ante alios per, diuisum mare intrãs, promeruit regnum. Guillel.

Primus Elias in mari huius sæculi, strictioris vitæ semitam intrauit.

Religiosæ disciplinæ princeps, & Rex proclamatur Elias. D. Chrysost. *Iob patientiæ pelagus imperuium primus intrauit.*

4. Quid si acierum religiosarum imperatorem Eliam prædico ? Piaculum non incurram, si Deum nuncupauero. Vidit Israel in murorum stabilitatem, in crystalli firmitatem sursum erectas, & solidatas vndas, vt populo electo præberent famulatum; prospectauit in currus phalcatos, & equites Pharaonis, ad leuissimum Dei nutum, irruentes vndas; superbas, & minaces hostium manus fluctibus consepultas; miratus est littora ægyptiacis cadaueribus constipata, quæ fluctus expuerant, & spolianda dederant amico populo. Hæc omnia prodigia illos excitarunt affectus pietatis, quos sacer textus enumerat Exodi cap.14.v.31. *Timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.* Cui sententiæ Diuus Hieronymus enucleandæ, cùm incumbit, satis eam demiratus est in epistola ad Philemonem citatus in Catena Exodi dicens : *vna atque eadem credulitas in Moysem refertur, & in Deum, vt populus, qui credebat in Dominum, æquè credidisse dicatur in seruum.* Numquid in eum gradum Deitatis Moyses effertur à populo, vt constituat eum Deo socium, in quem æqualiter deferatur credulitas? Timuit Moysen tanquam Dominum, credidit in seruum tãquam Deum: quo iure populus tribuit Moysi ius diuinitatis? Quo merito seruus tam eximiæ credulitatis fastigiũ vsurpat? Censuit populus in cælestem, & diuinũ hominem

Elias religiosarum manuum imperator, & quodammodo Deus.

Exod.

D. Hieron.

Cat. Exod.

Moyses insoliti itineris in mari inuentor, Deus nuncupatur.

hominem transmigrasse, qui tactu virgæ mare bifidauerat, & in carecto viam puluerulentam inuenerat; insoliti itineris inuentor, & auctor in profundo abyssi, Deus nuncupatur, nomenclatione Deitatis insignitur.

5. Cùm Lazarus vulneribus liuidus, & saucius in vestibulo aulæ diuitis epulonis vita fungitur, stipantibus, & baiulantibus Angelis peruenit ad Abrahæ gremium. Lucæ cap. 16. v. 22. *Factum est autē vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Duo occurrunt scitu digna hoc in loco, in quo felicitatur pauper, & ærumnas commutat in glorias? Et primum: quid præseferat sinus Abrahæ? Secundum: cur subducto corporis phaselo, pacatisque morte, laboriosæ vitæ fluctibus potius inter lacertos, & amplexus Abrahæ, quàm alterius patriarchæ, requietis securum occupauit portum? Gemino dubio respondet singulari acumine S. Gregorius Nyssenus in catena Græcorum Patrum in Lucam. Nomine sinus velut litoralē æternitatis stationem prætendere Euāgelicum nuntium, sumpta analogia à ratibus, quæ agitatæ turbinibus intumescentis æquoris appellunt ad portum, in quo placida statione requiescunt. Verba Nysseni sunt: *Vt igitur certam aliquam pelagi partem circumscriptam, per abusum quemdam, sinum nominamus: ita mihi sermo nomine sinus, immensorum illorum nostrorum bonorum demonstrationem significare videtur: in quo sinu bono, omnes qui per virtutem præsentis vitæ cursum conficiunt, cum hinc soluerint, tanquam in portu non obnoxio fluctuum procellis, animas appulsas, ac quasi subductas statuunt.* Sinus in mari vocantur littora curua duobus quasi brachiis longius in mare protensis, quæ quasi suo complexu fouent nauigia, & in latibulis suis protegunt à ventorum, & turbinum violentis flatibus, & in tuto collocant; sic sinus ille æternitatis laborum tempestate iactatos, in gremium tranquillitatis suæ recipit in mortis procella naufragos. Secundum dubium: cur potius sinus Abrahæ quàm Isaac, Iacob, Noë, & similium, ad tutamen & absconsionem à turbine, & à pluuia, dolore & mœrore confectis, cum aduersa fortuna luctātibus, destinatur: aptè & argutè dissoluit idem Nyssenus dicens: *Quamob rem bonum quoque animæ statum, in quo patientiæ athletam sermo requiescere facit, sinum Abrahæ nominasse mihi videtur.* Et rationem huius nomenclationis statim subiungit: *Primus enim hic patriarcha ex iis, qui olim fuerunt, cum spe futurorum, præsentium commodorum vsum, atque voluptatem commutasse memoratur: qui quidem omnibus nudatus, in quibus ei vita ab initio consistebat, inter alienos conuersabatur, & domicilium habebat, per afflictiones, & incommoda præsentis vitæ, eam, quæ speratur, beatitudinem quærens.* Primus Abraham inter Patriarchas veteres quasi Peregrinus à sæculo iussu Domini, domesticos reliquit lares, & præsentis vitæ commoda, quæ ei abundè suppeditabant felicitas gloriæ, & affluentia diuitiarum; in alieno solo quasi viator declinans ad manendum, in medio nationis prauæ diu colluctatus cum fame, siti, honoris discrimine, agmine ærumnarum; spe beatę vitæ, iussis Dominicis obtemperans, quasi à longe salutans illam Dei permanentē domum, & cæleste domicilium; ideò celebratur diuino pręconio Abrahę sinus, & gremium, in eoque demonstratur nūquam deficientium bonorum, quę speramus, repositorium. Adeo eximium est primas tenere in abrenunciatione sæcularium commodorum, & voluptatum; ille, qui sæcularium Philosophorum cumulatissimè adimpleuit vota, in quibus virtutis apicem, & perfectionis fastigium statum decernebant, nempe in Dei sequela, audiens à Domino: sequere me, eius sectatus est vestigia, ad nutum Dominicum componens, & effingens animum, corpus omnesque affectus, à dextris, & à sinistris per infamiam, & bonam famam, per aduersa, & prospera sectatus est Dominum; ideo quies Sanctorum, qui hanc propriæ abnegationis inierunt viam, sinus Abrahæ nuncupatur, vt perpetuo celebretur magnanimus ausus patriarchæ, pectorisque eius amplitudo, qui in hac arcta semita primus pedem posuit. Viam initiatus est Abraham, at Elias vitæ rigidioris incrementa adiecit.

D. Lucas.

Quid præsefert Abrahæ sinus?

Cur Lazarus post mortem in amplexu Abrahæ, & non alterius patris recipitur.

D. Gre. Nys. Cat. Græc.

In sinu litoralis statio æternitatis innuitur.

D. Gre. Nys.

Abraham primus patriā patriam, & terrenas opes Dei amore contempsit.

Ideo celebratur diuino præconio Abrahæ sinus.

6. Prima strictioris vitæ fundamenta Elias positurus, iubetur à Domino, vt hominum commercium respuat, & in solitudine iuxta torrentem carith quærat latebras. lib. 3. Reg. cap. 17. vers. 3. *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem.* & v. 5. *Cúmque abiisset, sedit in torrente Carith.* Quæ verba argutè expendit Ioannes Ierosolymitanus lib. de institutione Monachorum, qui illius nomine circumfertur cap. 9. ex tom. 9. Biblioth. veterum Patrum. *Abiit ergo Elias; quò abiit? Contra Orientem, hoc est contra originalem suæ carnis cupidinem.* Et postea: *sedit in torrente Carith, quia scilicet squalorem eremi ex tunc Elias cum silentio æquanimiter sustinens, monachalem vitam eremiticam primus hominum ex proposito seruare studuit. Interpretatur enim Carith diuisio: vt etiam nomen loci, in quo sedit, indicaret eum esse diuisum à consortio, & vita sæcularium hominum.* Eximium magisterium perfectioris disciplinæ in Elia eminuit, cùm docuit obuiam ire carnis insultibus, & habenis rationis coërcere humanarum affectus passionum. Merito speluncæ habitaculum eligit iuxta *Carith* fluenta, quod interpretatur *diuisio*, vt ab hominum commercio sequestratum intelligas, sæcularium tumultu feriatum, eremicolarum antesignanum, qui rude antrum regalibus domiciliis præposuit, in eremo paradisum inuenit; qui instruxit hominem ab affectu patrio se ipsum secernere, & gladio spiritus resecare carnis, & sanguinis affectus in corde hominis pullulantes.

Lib. Reg.

Elias in comprimendis cupiditatibus illustris.

Ioan. Ierosol.

Monachalem vitam, & eremiticam primus instituit.

Elias à consortio sæcularium segregatus, & diuisus.

7. Diuino spiritu pulsata Dauidica Lyra celebrat sacrato modulo vitam solitariam. Psal. 67. vers. 7. *Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Sanctus Hieronymus, & Symmachus legunt: *Monachos*, vel: *solitarios.* Additque Euthymius: *Symmachus monachos reddidit, quasi ab omni mundano negotio prorsus segregatos, ac solitarios: quosque singulariter Deus habitare facit in paruis domiciliis: & iuxta hunc sensum prædicare videtur Propheta Anachoretarum vitam.* Primarius auctor est Deus, qui homines natura, & patria discordes habitare facit in domo religiosis moribus, & charitate concordes. Primus verò in lege scripta Elias redegit ad pia contubernia, & sodalitia filios Prophetarum, paruisque casulis inclusos asceticas commentationes docuit.

Psal.

D. Hiero.

Symmac.

Euthym.

Dauid monachos solitarios, & à mūdanis segregatos vocat.

Anachoretarum vitam prædicat.

Elias eorum institutor.

8. Sponsus sacer tanti vatis commendationem

nem litteris sacris prodidit, cum sacrum sponsæ, & mysticum capillitium commendauit. Cant.cap.4.v.1. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Et Cant. cap.6. v.4. eadem laus replicatur: *Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.* Occulta quadam sententia hic locus prægnans est, quam parturit mirificum Nysseni ingenium: existimat enim sanctissimum Eliam monachorum patrem fuisse vaticinio demonstratum de patria Galaaditica ascendentem ad munus propheticum, & sanctioris disciplinæ institutionem assumptum, quem tanquam pastorem pij greges sequebantur eorum, qui caprinis pellibus tecti, in artris, spelæis, & cauernis terræ commorantes, mortui erant mundo. Quid capilli innuant Nyssenus subiungit homil. 7. in Cantic. *Est hæc sponsæ coma tantopere laudata planè mortui hominis, & immobilis ad mundi negotia speciem præseferens.* Et postea. *Per capillos pudicitiam, & pudorem, & continentiam, & mortificationem corporis intelligi.* Et statim de Elia annectit sequentia: *Fortassis, & Elias aliquid nobis ad hanc caprarum considerationem conferet, qui longo tempore versatus in monte Galaad, insignia vitæ continentis exempla præbuit: forma squalidus, capillis hirsutus, pro veste molli pelle capræ tectus. Itaque omnes quotquot ad exemplum vatis illius vitam suam instituunt, ornamentum Ecclesiæ fiunt.* Eandem sententiam repetit hom.15. in cap. 6. Canticorum: *Talis erat Elias ille, qui de Galaad sideris instar exortus est, in horrido squalidoque corpore, caprinis pellibus tectus, ad omnes tyranni minas nunquam non interritus. Quicumque igitur ad imitationem generosi in hoc vate animi, seipsos supra mundum hunc vniuersum attollunt, egentes, pressi, afflicti, in montibus, antris, cauernis terræ, quibus denique mundus non est dignus: hi verò gregatim circa vniuersi huius caput conspecti, Ecclesiæ gloria fiunt ad cœlestem gratiam vnà cum illo Galaad ita conscendentes.* Huius pulchræ commentationis suffragatorem inuenio Rupertum lib. 3. in Cantica sic scribentem: *Hæc dicit & fecit ille primus auctor, & institutor eorum, qui dicti sunt filij Prophetarum, quos fuisse monachos in veteri testamento consentit auctoritas patrum venerabilium, & rectè dicuntur apparuisse, quia iam dictus institutor illorum Elias sic repente illic introducitur, vt nusquam antea scriptura meminerit, quis vel vnde fuerit progenitus.* Itaque Eliæ mores, austeritatem vitæ, eremi squalorem, monasticæ vitæ principatum, greges illius ducatum sequentes hoc in loco adumbratos, Nysseni, Rupertique præclara mens est. Quod si ad primæui instituti Eliani reformationem verba Nysseni ex homil.15. mutuata, aptaueris, pulchra erunt: *Capræ in hac capillorum laudatione mentio facta est,* &c. *Vel quod per saxa sine vlla pedum offensione tendat, & circa vertices montium versetur, per loca transitu difficilia, præruptáq; fidenter incedens: id quod aptè ad eos accõmodabitur, qui præclarè asperam virtutis viam conficiant.* Erat etenim decursu temporis hominúmque incuria Galaaditicorũ gregum hoc est Eliotarum Monachorum religiosæ obseruantiæ incompta, & impexa cæsaries, donec senticosæ, mortificatæque vitæ dumetis, & pectine obseruantiæ strictioris ab immaculatæ, candidæ, & Angelicæ vitæ æmulatrice Theresia pulcherrimi nitidissimique redderentur capilli, & perfectione nouæ, & reformatæ vitæ albescerent. Ideò aliqui legunt non abs re Cant.cap.6.v.1. *Capilli capitis tui sicut grex caprarum quæ pexuerunt se,* vel: *pexæ sunt.* Vt per asperam virtutis viam incedentes nitidius candicarent. Demùm eodem loco Nyssenus conceptum thematis illustrat, quasi virgula aurea indicans, hac verborum serie: *Quodnis institutum ab vno aliquo ceptum in multos quasi diuiditur. Vt in excussoria, littera sacra indicato, auctorem eius artis esse Thobelum. Eodem modo rei pastoriæ primus auctor Abel extitit, Cain agriculturæ; venatoriæ Nemrot, vitium culturæ, Noe, Enoch, in Deum primus sperasse dicitur,* &c. *quamobrem cum in zelo diuino prorsus eximiè supra cæteros sese gesserit Elias quasi dux reliquorum in hac parte factus: quicumque post illum imitati zelum eius, vestigia libertatis in hoc vate sequuti sunt, ij quidem velut grex caprarius illius facti sunt, qui princeps talis vitæ auctor extitit.* Hæc Nyssenus.

Cant. — *Eliæ monachorum patris vaticinium.* — *D. Gregor. Nyssen.* — *Capillitium emortui hominis formã præfert.* — *Capilli pudicitiam, & mortificationẽ denotant.* — *Elias montis Galaad incola, vitæ continentis exẽpla præbuit.* — *Illius sectatores, Ecclesiæ ornamẽtum.* — *D. Gregor. Nyssen.* — *Elias de Galaad instar sideris exortus.* — *Eius præconia.* — *Rupertus.* — *Elias monachorum auctor* — *D. Greg. Nyssen.* — *Capra symbolo in vertices montium se subrigentis asperioris vitæ institutũ prædicatur.* — *Religiosa Eliotarum vita illustrior reddita à beata virgine Theresia.* — *Cant.* — *D. Greg. Nyssen.* — *Rerum inuẽtores prædicantur.* — *Elias primus Dei zelator.* — *Illius sectatores.*



Principem super quinquaginta.

DISCVRSVS II.

Elias Propheta pio affectu, religioso cultu, diligenti imitatione IESVM, & Deiparam æmulatus, vtriusque decoris, & gloriæ zelator præstantissimus extitit.

1. NON est discipulus super magistrum, nec seruus supra regem, & reginam efferendus. Quidquid sanctimoniæ, quidquid affectus erga solitudinem, & vitam rigidiorem in Elia eluxit, à IESV, & Deipara mutuatum est; non ergo creator, aut mater Creatoris Eliæ documenta imitanda proposuit, sed quidquid virtutis eximiæ, qua supra cæteros caput extulit Elias, in eo demonstratur, ex contemplatione, & pietate erga IESVM, & Deiparam manauit; prospectauit ergo sæpissimè superno numine afflatus ex prophetali specula iustitiæ solem, & gratiarum lunam, quorum igniculis accensus, fulgoribus illuminatus, religionis Euangelicæ præludia tanquam radios quosdam mundo in tenebris iacenti Elianum sidus effudit. Delituit in specu, spelæi amator, & cultor Elias, cum sentit speluncam cœlesti claritate illuminatam de præsentia Dei promanante, qui ei festiuus occurrit supernorum spirituum satellitio cinctus, vt mœstitudinem vatis suspirantis abstergeret; diuino spiritu, & Angelorum concentu concitatus ad saxeum porticum festinus erumpit, vt cominus prospectet Dei transeuntis Angelicam pompam. 3. Reg. cap. 19. v. 11. & 12. *Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus & post ignem sibilus auræ tenuis.* Occursitat Dominus seruo Dominum anhelanti, & concupiscenti aduentum Saluatoris, qui orbem ab sculptilium

Omnia Eliæ ampla decora à Iesu, & Maria imitatione promanarunt. — *Visio Dei mirabilis Eliæ obiicitur.* — *Lib. Reg.*

Tempus, & modum incarnationis Christi, Deus Eliae ostendit.

sculptitium sordibus expiaret, & iustitiam restitueret; Deus annuit eius votis, tempus, & modum demonstrat Verbi incarnandi, vt tantarum rerum spebus, Vates abstemius sustentetur, & viuat. Prophetæ optata in specu delitentis explanat Rupertus in Oseæ cap. 2. *Propheta desiderami aduentum Saluatoris qui peccata tolleret, & iustitiam sempiternam adduceret, tali oraculo præsignabatur, futura tam Israelis, quàm Iudæ captiuitas.* Iugo seruitutis hostilis prius humiliandus, ærumnarum flagellis à vitiis coercendus populus captiuitatum conflatorio ab scoria idololatriæ purgandus, vt obuiam iret, fide & pietate aduentanti Deo; tribulationum pondus innuebant turbo, commotio, ignis, appropinquantis Dei prodromi. Spiritus grandis, & fortis captiuitatem denotat Israël sub Salmanassare Rege Assyriorum: Commotio, transmigrationem primam populi in Babylonem portendit: Ignis, postremam Ierosolymæ vastitatem, quando auctore Nabuzardan domum Domini, domum Regiam, vrbisque muros deuorax flamma consumpsit. Non in turbine, non in commotione, non in igne Dominus aduenit, quia suæ dispensationis statutum tempus impletum non erat. Sic argutè expendit locum hunc Rupertus. *Et post ignem sibilus auræ tenuis.* Addunt L x x. *& ibi Dominus.* Mysterium auræ blandè sibilantis Rupertus proximè relatus aperit: *Sibilus auræ tenuis occultus, & secretus fuit aduentus Domini, quem quasi de aura tenui, id est, de Spiritu Sancto Maria Virgo concepit.* Virgineam genituram, & partum agnouit Elias omni humano consortio expertem, de sacri Pneumatis flamine, & inumbratione prouenientem. Respexit virgineam areolam inhibito Aquilone vitiorum, & carnalis illecebræ, flante spiritus austro, æternitatis florem germinasse; gratiarum omnium, & remissionis peccatorum aromata fluxisse. O quantos indidit igniculos Eliano pectori hæc visio! quantis fidei, charitatis, & cultus affectibus prosequeretur hortum, & germen? Quid mirum si tanto exemplo puritatis animatus omne carnalis voluptatis commercium respuat, cupidinémque formet in pectore, illibatum seruandi castitatis florem? Pia reuerentiæ demonstratio altera annectitur in textu sacro: *Operuit Elias vultum suum.* Operuit sacro velamine oculos, & vultum: post Christi, & Deiparæ figuratiuam visionem nihil aliud dignabantur aspicere: aperuit lumina cœlestibus, clausit terrenis omnibus: mentem corpúsque instituit abrenuntiare sæculo, iam in illo Euangelij typo virgineas Euangelij adolescentulas Deo sacratas adumbrabat, quæ ad sacrum velamen recurrerent tanquam ad galeam salutis, qua omnes labefactarent dæmonis incursus. Hoc in loco omittenda non est Chaldæi paraphrastæ translatio: *Spiritum grandem commotionemque* trãsfert: *exercitus Angelorum.* Postremáque verba sic effert: *Post exercitum Angelorum commotionis, exercitus Angelorum ignis, & post exercitum Angelorum ignis, & post exercitum Angelorum ignis, vox canentium in silentio.* Angelorum satellitium, & famulatum denotat, festiuáque gaudia supernorum ciuium, cùm aperiebat Deus amico vati Incarnationis Sacramentum; habet enim Deus spirituum choros, qui diui-

Rupertus.

Tanto visorum apparatu designabatur Israëlis captiuitas.

In sibilo auræ tenuis Dominus adest.
Lect. Lxx.
Rupertus.
Sibilus auræ tenuis occultum aduentum Dei signabat.
De aura tenui, id est, de Spiritu Sancto, Maria Virgo concepit.

Quantos charitatis ardores in Elia corde hæc visio excitarit.

Ad puritatē inuiolatam seruandam excitatur Elias.

Omne terrenum cõmercium respuit, ex visione Deiparæ.
Operuit vultum Elias, vt virgines Deo sacras instrueret, se pio & religiosis velaminibus tegere.
Chald.
Angelorum chori instruunt Eliã canere in silentio.

narum laudationum dulce melos fundunt, instruuntque hominum choros, Angelorum æmulatores cantitare in solitudine, & noctis silentio cœlestes doxologias.

2. Oculorum mentísque luminibus diuini Vatis Zachariæ occursat mirum quoddam spectaculum Angeli ministerio, à quo excitatur videns ad visionem, & intelligentiam. c. 4. v. 2. fatetur, quid de superna illuminatione ei prouenerit: *Et dixit ad me: quid tu vides? Et dixi: vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius. Et duæ oliuæ super illud: vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.* Et post alia visa cœlitus manifestata, auidius perscrutatur ab Angelo, vt sibi aperiat veram duarum olearum intelligentiam. ibi. v. 14. *Et dixit: isti sunt duo filij olei, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.* Habemus in huius ænigmatis reconditiori sermone Sacramenta quamplurima in candelabro, lampade, infusoriis, oleo, oliuarum ramis, aut spicis, filiisque olei. In promptu est Hieronymi, Cyrilli, aliorumque procerum mens, IESVM esse candelabrum auro diuinitatis fulgens, diuersas illuminationes Ecclesiæ infundens; septem lucernas Apostolos, Euangelistásque Ecclesiarum pædagogos, qui tanquam lychni accensi à Christo suscipiunt illuminationem, eámque spargunt inter discipulos. Illustratur enim Ecclesia per candelabrum luminis fontem, & lucernas claritatis participes. Quid duo olearum rami portendant? S. Hieronymus explanat referens Doctorum Ecclesiasticorum sententias: *Alij Enoch & Eliam: quorum alter in circumcisione placuit Deo, & cum corpore raptus in cælum est.* Et paulò antè scribit: *Duas oliuas super candelabrum, & ipsi Moysen, & Eliam intelligunt, qui cum Domino loquebantur in monte: & significabant quid in Hierusalem passurus esset.* Omne enim virtutis iubar, omnis splendor gloriæ in Enoch, Moyse, & Elia refulgens, scaturit à fonte luminis, & splendoris IESV. Si quid puritatis Elias obtinuit, si quid virginei candoris, ab eo qui candor est lucis æternæ, & primaria origo immaculati pudoris asciuit. Nam verè beatos seipsos existimabant antiqui Patres, si de diuinis fontanæ plenitudinis fulgoribus, vel minimum decus gratiosi nitoris acciperent. Ideò subiungit Vates ænigma vaticinij explanans ex angelico afflatu: *Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ.* Origo & pater luminis totius decoris, & gratiæ solus IESVS; Enoch, Moyses, & Elias huius luminis filij, dum eam à gratiarum pelago, & scaturigine, nimirum IESV, participant. Non Elias pater primarius olei, quod virgineis lampadibus infunditur, quod amoris, & pietatis lucernas fouet, & ornat, vt inter sæcularium tentationum flabra, in occursu sponsi maneat inextinguibilis: luminis, & olei virginalis fons, & exemplar solus IESVS, cum IESVM asserimus Matrem Virginem non excludimus. Huic Soli, huic lunæ in lege gratiæ immaculati luminis splendor, & tanti prærogatiua mysterij seruabatur. Erat tamen exiguus splendor, exile lumen, imperfecta instructio naturalis, legalis, & prophetica, si cũ clarissimo Euãgelij nitore compararetur. Alludit Vates, ex Cyrilli mente, ad candelabrum templi aureum,

Visio candelabri, & lucernarum.
Zach.

D. Hieron.
D. Cyrill.

Duo olearum rami, & duo filij olei, Enoch, & Elias.
D. Hier.

Duæ oliuæ Moyses, & Elias in transfiguratione sermocinantes cum Iesu.

Omnis Eliæ puritas, & splendor à fonte candoris, & luminis Iesu scaturiunt.

Olei quod lampadibus virginum infunditur, non pater, & origo Elias, sed filius, & riuulus deriuatus à Iesu.
Legalis obseruantia splendor exilis, si cum Euangelica claritate cõparetur.

Mosaici candelabri arcanum. D. Cyrill. Alex. *Legalis institutio à tergo it, eique Euangelica disciplina præfertur.*

aureum, in adyto resplendens, & ad lucernam in ingressu tabernaculi modicè lucentem: subditque Alexandrinus Antistes: *Ardebat autem & lucerna vna in aditu tabernaculi: qua re significabatur, legalem institutionem Euangelica à tergo ire: vide enim quo pacto quibus in principio tabernaculi vna lucerna ardeat, in sancta sanctorum ingressos septem lucernæ & lampas quasi largissimo splendore perfundebant.* Legalis & prophetalis instructio morum, lucerna est tenui lumine micans in tenebris, & vmbra: Euangelica informatio sicut Sol splendidissimus fulget adducens hominem ad perfectioris vitæ semitam, cui seruabatur vbertas maior splendoris, & gratiæ: *legalem institutionem Euangelica à tergo ire.* Legalis Prophetalisque viuendi ratio quantumcumque sublimior, Euangelicorum consiliorum institutioni ancillatur tanquam Reginæ: lex & viuendi forma à Domino ordinata, seruorum legi, & ordinationi, & instituto præfertur.

3. Illud perpende in hoc celebri vaticinio, & ad commentationem Euangelicam transfer, nimirum lampadem, & oleum, oleique lenticulas, & suffusoria, virgineas lampades portendere, oleique fomenta, quibus in occursum sponsi, & sponsæ veniunt virginum cateruæ, Matthæi cap. 25. Ante Verbi Dei incarnationem non legitur virgineo decore insignitas adolescentulas obuiam ire sponso: ex quo enim Deus nuptias celebrauit in thalamo Virginis, pedisequas, & ancillas habet virgunculas de virginitate gloriantes, hoc enim insinuat in manibus portare lampades accensas: *Lampades* (inquit Chrysostomus, in Matth. cap. 25.) *virginitatis nominat donum Dominus, & munditiam sanctitatis.* Et Euthymius: *virginea lampas est munditia, quæ à virginitate procedit.* Oleum vero in ipsa virginitate lætitiam, & exultationem denotat vel Anselmo teste in cap. 25. Matth. *oleum quippe mentis est lætitia, quam intus habet, qui Deo placet.* Non apud synagogam tale decus inuenies, cuius gloriatio in vtero, vulua, conceptu, & partu posita, & sterilitas ignominiosa; at postquam Deus per Virginem ad homines venit, & Iesus accensus tanquam lampas in vtero Virginis habente lumen inextinguibile, nouo virginitatis iubare mundum illuminauit, illudque signatum in humanis cordibus, reliquit, vt vtriusque sexus acies lætabundæ, & laudantes se deuoueant sponso & sponsæ; apud solum Iesum harum scaturiginem illuminationum, oleum tam eximiæ pietatis, feruidæque charitatis manat, & vberioris gratiæ fluentum, quo inebriatæ respuant omnis carnalis voluptatis commercium, & æternæ virginitatis voto sese obstringant. Nec à proposito instituto deuiat lectio illa, quam affert Arias Montanus, nam pro illa sententia: *& lampas eius super caput ipsius*, ait ex Hebræo & Chaldæo: *coronam quamdam circularem ... vati visam, quæ totum candelabrum ornando superius ambiret. Regium diadema significans.* Nam si lampas ex Sanctorum placito virginitas est, Iesus in candelabro adumbratus virgineo decore coronatur, ortuque suo temporali ex Virgine gloriatur: Est enim decus, ornamentum, gloriatio, coronamentum solius Ecclesiæ Christianæ, quam exprimebat candelabrum, & Euangelicæ decus virgineum. Non hominibus in vmbra, & figura

Non ante, sed post Verbi incarnationē, manus adolescentularū virginea lampades ornant, vt occurrant sponso. D. Chrysost. Euthym. *Virginea lampas illibata puritas.* D. Anselm. *Oleum lampadis lætitia. Cum Iesus velut lampas in vtero virginis accenditur, plures faces virgineas accendit.*

Arias Mont. Hebr. Chald. *Corona candelabrum ambit, & ornat.*

Ecclesia Christi coronatur decore virgineo.

mysteriorum commorantibus; sed in ipsa veritate, & gratiæ die viuentibus dedicandæ virginitatis lumen affulsit.

4. Eximium erga Dei Genitricem exprimit affectum Isaias cùm eam sententiam de sacrario pectoris, spiritu diuino afflati, profert. cap. 8. v. 3. *Et accessi ad prophetissam.* Nullus ferè est, qui ambigat de Deipara esse sermonem hoc in loco: cur verò dicatur prophetissa? Exposuit Rabbenus Hakados, quem Iudæi magistrum sanctum nuncupant, & ante Christi aduentum, & Mariæ ortum floruit, is enim interrogatus ab Antonino vrbis Romæ Consule, in hæc verba respondit: *Sepenumero in hac quæstione suspensus fui, & anxius. Et quadam die ingressus Patrum speluncam, vbi sepulti sunt Adam & Eua, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia, vt illic orarem, inueni Eliam, quem percontatus sum. Quare notum tibi facio, quod ab ipso accepi. Hæc Prophetissa est Mater Regis Messiæ, quem Deus sanctus, & Benedictus se missurum ad Israel pollicitus est. Dicta est autem Prophetissa, quia suo vaticinio scit omnia, à primordio ad finem vsque. Quod nemo vnquam Prophetarum cognoscere potuit. Ipsa est enim omnium Prophetarum Domina, & magistra.* Quæ verba refert Galatinus lib. 7. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 18. nec videtur contemnenda talis auctoritas cùm in gloriam Deiparæ redundet, suffragiumque illustre suggerat ad reuincendam Iudæorum perfidiam. Nec egemus Rabbini auctoritate cùm habeamus commentationem illustrem huius loci apud virum Ecclesiasticum cælesti sapientia affluentem, & de Deipara benemeritum, Rupertum Abbatem Tuitiensem, qui lib. 1. de operibus Spiritus sancti cap. 9. sic affatur: *Hæc est Prophetissa de qua gratulabundus loquitur propheta Sanctus Isaias: & accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium. Num autem istum solum ad hanc prophetissam accessisse putamus, aut quo modo accedere potuerit miramur? Imo sanctos omnes prophetas primumque Moysen ad hanc prophetissam accessisse non dubitamus. Omnes omnino ad illam conuenerunt, omnium enim & singulorum diuisiue gratiæ & particulares prophetiæ, in istam prophetissam simul conuenerunt.* Quidquid sanctitatis & gratiæ in propheris emicuit, de hac luna plena gratiarum & charismatum Spiritus sancti effluxit. Vatum chorus ad eam accessit causa pietatis, & venerationis, eam speculati de arce & pharo prophetiæ salutabant; nam propter ipsam, & de ipsius plenitudine prophetica, vaticinandi donum sortiti sunt; cuius magisterio notitiam acceperunt arcanorum diuinæ sapientiæ. Quare eam à longe prospectantes prophetiæ lucerna, tanquam serui Dominæ, & Reginæ piam exhibent clientelam, omnia sua ad illius gloriam referentes. Hoc præstitit Moyses, hoc Isaias, hoc Elias, qui cùm spiritu agnosceret Messiæ parentem silentij fore cultricem, secessus, solitudinisque amatricē, religiosæ vitæ inuentricem, virginitatis signiferam, & antesignanam; silentium coluit, antra deserti penetrauit, abrenuntiauit sæculo, demulcentes carnis voluptates, mundique illecebras aspernatus est, in religiosæ vitæ imagine primas lineas duxit, vmbram posuit vt postmodum prophetissa, Magistra, & Domina Prophetarum eam consiliis, & votis Euāgelicis animaret,

Isa. *Quæ extitit prophetissa, ad quam Isaias accessit.* Rabben. Hakan.

Elias magistrum Iudæorum de hoc dubio instruxit.

Prophetissa est mater Regis Messiæ. Prophetissa nuncupatur à rerum omnium scientia. Maria prophetarum omnium domina, & Magistra. Galat.

Rupert.

Sancti omnes vates ad Mariam prophetissam conuenerunt.

Elias prophetā Mariæ prophetissæ strenuus æmulator.

Elias ad Mariæ exemplar, religiosæ imaginis primas lineas duxit.

Digitized by Google

animaret, coloraret, ad omnimodæque perfectionis statum, & normam adduceret.

Panis subcinericius Eliæ ministratus, Eucharistiæ typus.

Lib. reg.

5. Nec à sola Deipara Elias instruitur, sed ab Eucharistia, ab hominum turba, aspectuque remouere se, & eremicolæ vitam agere; cuius mysterium prælibauit, roburque expertus est, cum sub vmbra iuniperi reficitur pane Angelicis manibus subministrato lib. 3. Regum cap. 19. v. 5. *Proiecitque se in vmbra iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: surge & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcineritius panis, & vas aquæ; comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit.* Et v. 8. *& ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb.* In hoc pane mystico, qui de cellario Angelico defertur famelico vati, conuiuium, & refectionem Eucharistici panis agnoscunt Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini cap. 10. Gritmundus lib. 2. de veritate Eucharistiæ apud Glossam ordinariam. Sed perpulchrum est acroama S. Bernardini Senensis tom. 1. serm. 54. de duodecim fructibus ligni vitæ articulo 1. cap. 4. vbi mysterium iuniperi, panis, & aquæ expendit dicens: *quid per iuniperum, cuius cinis per annum conseruat ignem, nisi in hoc sacramento memoria, & meditatio Christi passi, cuius humilis sensus super omnia in corde conseruat ignem diuinæ dilectionis? Habet quoque Iuniperus multitudinem pungentium foliorum, vt innuatur, quod ab hora conceptionis in vtero Matris suæ, vsque ad vltimam horam mortis; filius Dei infinitas in anima sustinuit punctiones, & dolores, & passiones. Sub hac quippe iunipero per fidem anima dormit, sed per feruorem deuotionis euigilans ad susceptionem tanti sacramenti fiducialiter ab Angelo inuitata manducat subcinericium panem, id est, hoc mysticum sacramentum, sub cinere accidentium occultatum. Bibit quoque aquam, cum intellectus tanto munere illustratur: quia in hoc sacramento, non tantum per comestionem affectus, sed etiam per potationem reficitur intellectus. His igitur non solum anima, sed etiam ipsa humana caro tanta stabilitate fulcitur, quòd illam prospera non seducant, nec aduersa confringant: sed per vitam actiuam, & contemplatiuam gradiens, semper stabilitur, & vsque ad vltimum finem perseuerat.* Transcripsi quantumuis multa quia valde eximia ad mysterij Eucharistici ornatum, quod panis ille Angelicus innuebat. Instruitur ab Angelo Elias cælesti pane Christi figuratiuo, & ad exantlanda eremi certamina armatur; eo munitus interiora deserti rimatur, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ab omni cibo, & potu perseuerat abstemius, vt à pane illo Eucharistiæ figuratiuo, sacræ, & asceticæ commẽtationes ieiunij, taciturnitatis, solitudinis, fugæ & abrenuntiationis sæculi sumant exordium, aut incrementum. Peruenit eo cibo roboratus ad montem Dei Horeb, ad montis Sinai specũ. *Horeb* interpretatur *solitudo*. Solitudo, eremicolarum vita, à pane mystico bonum sumit auspicium. In fuga sua Elias, & ad solitudinem volatu religiosam abrenuntiationem sæculi figurabat. Eam manifestat S. Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 6. sic affatus de Elia: *Vtique non mulierem fugiebat propheta tantus, sed sæculum.* Et statim: *sed fugiebat sæcularem illecebram, & conuersationis maculosæ contagionem, & impiæ ac præuaricatricis nationis sacrilegia.* Vi-

D. Bern. Senens.

Cinis iuniperi diu conseruat ignem. Meditatio passionis Christi fouet ignem charitatis. Iuniperus pungentibus foliis armata, quas Iesus, sustinuit à vita exordio, passiones, denotat. Per feruorem deuotionis euigilat anima ad susceptionem Eucharistiæ. In hoc pane intellectus, & affectus reficiuntur. In virtute stabilitas ab Eucharistia manat.

Elias ad secretioris vitæ institutionem pane Eucharistico excitatur, & cõfirmatur.

Horeb solitudo interpretatur.

D. Ambros. Elias cælesti cibo roboratus sæculum fugiebat, ad eremum properabat.

des in Vate abdicationem passionum, & sequestrationem à mundo, vt vitam agat imperturbatam, à mũdialium strepitu, & vanitate feriatam? Vt in hac vita roboretur Angelico pane munitur ad perseuerantiam, vt ad *Horeb* perueniat, cuius interpretatio ea est ex Ambrosij placito *exiccatio*. In loco proximè relato adiungit hæc: *fugit Elias mulierem Iezabel, id est effusionem vanitatis, & fugit ad montem Oreb, quod significat exiccationem: vt siccaretur in eo carnalis profluuium vanitatis, & cognosceret plenius Deum.* Vt corpus ieiuniis aridum, & horrore Solitudinis siccescens pennigerum redderet animum ad diuinorum contemplationem.

Horeb id est exiccatio. D. Amb.

Elias in mõte corpus exiccat, & carnale profluuium vanitatis arefacit.

6. Persequamur sanctissimi zelatoris Dei laudationes, vt attingamus metas vitæ in hoc mundo consummatæ, donec vehiculo raptus igneo ad cœlum euolauit. Hoc enim fide, pietate, amore, æmulatione erga IESVM, & Deiparam promeruit, vt Angelico curru terrestris homo esset in paradisum translatus. Perquiramus, si placet origines & causas mirabilis transmigrationis: primò raptus iste prodigiis plenus merces extitit, & corona dominatus, & imperij spiritalis, quod habuit in passiones suas Elias, ipse enim cohibendorum affectuum animi improborum Magister extitit; ipse viam hominibus imperuiam valedicendi sæculo, vertendi tergora mundialibus, sequestrandi corporis à carnalibus illecebris, commutandi domesticos lares, splendida domicilia, pro specubus, & speluncis, docuit primus. Hoc insinuat S. Ambrosius serm. 2. de Eliseo, dicens: *Elias Magister Elisæi nonne Angelis ducentibus raptus ad cælum est, & quadriga ignea impositus quasi in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim extiterat non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum.* Rupertus lib. 5. de victoria verbi Dei c. 14. Ambrosij sectator est: *currus dominorum, currus triumphantium vehiculum est. Dominantis ergo animi dignitatem, & amici Dei potentiam insignem in illo curru intelligi, qui verè dominatus est omni sæculo sublimior. Sedit ergo in curru dominando æmulator verbi Dei strenuus, & mundanæ vanitatis contemptor victoriosus.* Solent à Regibus præparari victori ouatio, & triumphus, vt carpento vectus aureo, manubiis onusto de mortali hoste quæsitis, ipse victrici lauro in gloriosa pompa incedat laureatus. Qui ergo corporis affectus, indocilesque animi passiones docuit tanquam auriga cælestis cohibere rationis retinaculis, & diuinæ legis habenis rotas volubiles desideriorum carnalium reflectere iuxta diuinæ sapientiæ imperium, spiritibus Angelicis baiulantibus, meruit tanquam triumphator spiritalis ascendere. Non absimilem rationem assignant Dorotheus in synopsi, scribens: *Hic Elias primus ex hominibus est, qui hominibus cursum ad cælos submonstrauit, primus ex hominibus vnam Angelorum & hominum viam ostendit. Qui terræ fuerat sortitus domicilium, cælum quoque subito penetrauit: qui mortalis factus erat, cum immortalibus conuersatur, qui humi incedebat, instar spiritus cum Angelis in cælis agit.* Qui instar spiritus corpulentæ substantiæ expertis, in terris vitam coluit, in mortali corpore Angelicam vitam æmulatus, extricatus à terrenis, primus per eremi squalorem, per solitudinis & asperitatis semitam

Amor Iesu, & Mariæ Eliam in cælum transfert.

D. Amb. Sæcularium voluptatum victor Elias in cælum ascendit.

Rupert. Elias curru recipitur, quia dominatus est omni sæculo sublimior. Mundanæ vanitatis contemptor Elias, sedet in curru triumphali.

Doroth. Elias primus cursum ad cælum hominibus demonstrauit.

Instar spiritus cum Angelis conuersatur.

Digitized by Google

semitam docuit homines currere ad palmam supernæ vocationis, & in deserto inuenit paradisum; meritò ad Angelorum curiam transfertur, terramque mortalitatis, & ærumnæ cum paradisi oblectamentis permutat.

Eliana trãslationis sacratior ratio.

7. Sacratiorem alteram causam Elianæ transmigrationis inuenire licet, nimirum affectus, pietatis, & imitationis IESV, & Deiparæ, qui vigebat in Eliæ pectore, illum discreuit à terricolis, & ad cælestia subleuauit: æmulatio Mariani honoris alas indidit sacro Vati, vt conuolaret ad superos. Adiiciam maiora Eliæ præconia: Regem cœlorum, Reginamque deuinctos tenet Elias pietatis suæ munere; cui quodammodo debent Dauidicæ stirpis genus non esse penitus abscissum, & abolitum. Inquirit accuratè, & arguté Rupertus cur maiori æmulatione correptus Elias ad vindicandam venerationem conflatilis Baal, quàm vitulorum aureorum cultum, cuius auctor extitit Ieroboam? Dubiumque sapienter eleuat dicens: idololatrico Baal cultu dæmonem intentasse de Israëlitarum pectore veri Dei fidem expungere, genusque Dauidicum excludere; ideo flamma zeli Dei excitatum Eliam sacrificulos Baal trucidasse. Audiendus est Tuitiensis Abbas lib. 5. de victoria verbi Dei cap. 12. *Quænam causa erant, vt propter vitulos, quos fecit Ieroboam minus, & propter Baal amplius zelaretur? Videlicet quia cultus vitulorum intra Israël continebatur. Cultus autem Baal de domo Iezabel & Achab per iam dictam Athaliam vsque in Ierusalem, vsque in domum David profluxerat, vnde promissio, id est, Verbi Domini Incarnatio sperabatur adimplenda iuramento ipsius firmata. Ibi amplius fides vel expectatio promissionis periclitabatur per sacrilegium Baal.* Et in fine capitis subiungit: *Proinde considerandum quod non parua, vel toleranda impietatis fuerit Baal sacrilegium, cuius cultu & anima tam in Iuda, quàm in Israël peribant, & antiquus draco diabolus tendebat auferre seminarium salutis nostræ instigando Athaliam cultricem eiusdem Baal, vt interficeret, & interficiendo auferret sacram Dauidicæ generationis lineam.* Postrema verba indicant Athaliæ furorem, quo percita est aduersus domum Dauid. 4. Reg. cap. 11. v. 1. *Athalia vero mater Ochoziæ videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium.* Eaque expendit idē Rupertus: *Quod dicit omne semen regium, omnes Reges, id est, Dauidicæ stirpis masculos vult intelligi, vnde semen Abrahæ, quod est Christus, prædictum, atque præscriptum fuerat, iurante Domino debere nasci.* Auitæ religionis assertor, & vindex acerrimus propugnator Elias, vt fidem populi Dei sartam tectam sacrilegisque hostibus immunem præstet, ô quanta subit discrimina, quot ignibus amoris Dei vrebatur! ardebat incendiū idololatrici cultus vitulorum aureorum in Samaria; Baal in Ierosolyma; ardētioris busti zeli Dei flammæ Elianum cor depescebant, iis excitatus præuaricanti populo obstitit, idolorum cultores exterminauit, eo quod indignum faciebant populum electum cælesti promisso aduentus Domini; totus hic vatis zelus illum scopum intendebat, vt sacram illam Dauidicæ generationis lineam, ex qua Deus spoponderat patribus Filium suum secundum carnem, & Dei genitricem orituram, quamque diabolus conabatur abscindere, & eradere de terra viuentium,

Elia quodãmodo debetur Dauidicæ stirpis successio, & conseruatio.

Cur impensius vindicat Elias venerationem Baal quam vituli aurei?

Rupert.

Per sacrilegiū Baal fides & promissio Dei incarnãdi periclitabatur.

Per cultum Baal, Diabolus dauidicæ generationis lineam intendebat abscindere.

Athalia interfecit omne semen regium, vnde Christus oriturus.

Rupert.

Elias vehementius inhibitur in Baal, vt lineam regum ex quibus Iesus oriturus, in columem seruet.

ab interitu, & obliuione vendicaret; idque peractum est industria & zelo Eliæ, quod non penitus interiret. Maternæ Filij Dei prosapiæ, illius honori, indemnitatique, consuluit Vates. Nec sine mercede abiit tanti zelatoris pietas, illam coronant cælites iussu Domini, quadriiugis plaustris igniuomis ad cœlum vsque euchūt. Huius commentationis testem aduoco Rupertum lib. 5. de victoria verbi Dei cap. 14. ibi percuratur cur quadriga hęc non fuit aurea, aërea, saphirina, sed ignea? Quia fidei ardentem zelum, ardentem amoris flammam erga IESVM, & Deiparam currus igneus aptius innuebat. *Dici non potest, conijci tamen potest, quanto dolore cordis ardebat Elias videns quod homines, qui quantum in ipsis erat, mundū indignum faciebant, illa qua Christus est misericordia dudū repromissa, & iuramento firmata.* Et paucis interiectis: *O igitur perfectum odium, & sanctum boni zeli incendium, cuius dignitatem cæli testificati sunt mittendo currum igneum cum equis igneis ad subleuandum victorem emeritum, & potentem, diuinitatis amicum.* Regiam IESV, & Mariæ prosapiam à morte eripuit Elias, & perennare fecit, ideo in cœlum auocatur, & rapitur Dei glorificator; ab interitu per tot sæcula eripitur factus immortalitatis candidatus. Pulchrè S. Methodius homilia in festo purificationis tom. 3. Biblioth. typi Coloniens. de Eliæ pietate erga Deiparam sermonem ingerens, de Deigenitrice fatur: *Puritatis etiam tuæ Helias Propheta præscius, atque imitator in spiritu cùm esset, vita illius ignifera sibi coronam colligauit, in hunc vsque diem diuino suffragio morte superior declaratus.* Vitam, & mores igniferos, currum ex flammis compactum ex amoris affectu erga Deiparam Elias sibi consciuit. *Puritatis etiam tuæ Helias Propheta imitator cùm esset.* Si quid castitatis; si quid puritatis in Eliæ moribus, & factis ostensum est, de hoc Virginitatis primario exemplari mutuatū, & transsumptum, præscius enim erat esse IESVM, & Mariam seruandæ, & deuouendæ castitatis aut virginitatis auctores.

Sui generis decus Elia quodammodo debet Mariæ.

Rupertus.

Cur Eliæ quadriga non aërea, saphirina, sed ignea fuit?

Ardentissimo zelo pungebatur Elias, ne mundus, fieret indignus, aduentus Christi promisso.

Zeli huius incendium ardens rhedam, & ardentium spirituum famulitium promeruit.

D. Method:

Marianæ puritatis Elias præscius, & imitator, morte superior fit.

Elia virginitatem decus à Maria mutuatum.



DISCVRSVS III.

Ad ea verba:

Admirabilem consiliarium.

Aduentus Christi, & illius sanguinis fructus, status Euangelici facinus: consilium & obseruantia virginitatis.

1. LEMMA in superiori titulo præfixum constabit si cernamus in quo habeat gloriationem suam populus Israel. Edocebit nos sanctissimus Vates Oseas cap. 9. v. 11. in vniuersum loquens de Iudæis: *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.* LXX. legunt: *Gloria eorum ex partibus, & doloribus, & conceptibus.* Expendat vaticinium Cyrillus Antistes Alexandrinus: *Gloria sibi ducunt partus, & conceptiones, & dolores parturientium fœminarum suarum.* Et paulo ante: *pariebant enim mulieres eorum secundum promissionem, & benedictionem, Moyse ita vaticinato: non erit*

Israelis gloriatio in conceptibus, & partubus.

Oseas.

D. Cyr. Al.

infœcunda

Promissio & benedictio Mosaica legis quod nulla mulier esset infœcunda aut sterilis in filiis Israël.

infœcunda, nec sterilis in filijs Israël. Exodi c.23. v. 26. Illustret Ruffinus lib.2. in Oseam: *Multiplicandis familiis gestiebant: eam fœlicitatē suam gloriamque censentes, si liceret, tum sociare nubentes, tum spectare grauidas tum audire parientes.* Hoc erat decus, hæc exultatio synagogæ, nubere, nuptui tradere fœminas; prolis multiplicitas, audire dolores parturientium intumescentis vteri, suscipere pignora; natorum caterua, & corona cingi. Quæ autem sit gloria, & gloriatio Ecclesiæ Christi annuntiet nobis Regius Psalmicen, cælestisque citharædus. Psal.44.v.14. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis.* Qui autem sit ornatus fimbriarum statim subiungit: *Adducentur Regi virgines post eam.* Virginum choris ornari, & illibatis floribus circumdari, amantibus immaculatum pudorem. Pulchre Chrysostomus: *Vidisti vestes, fimbrias, vidisti amictum aureum, florem virginitatis; is est vestis Ecclesiæ.* Et sanctus Gregorius Magnus lib.6.in 1.Reg.cap.15. *Quid est enim vestitus aureus, nisi decus, & honor corporis virginalis?* Et examinans argute illud: *Omnis gloria ab intus;* ait: *Aurea enim virginitas non est, si foris est, & intus non est. Quia ergo intus, & foris est, quia eadem splendet in corpore, eadem fulget in mente: omnis gloria filiæ Regum intus esse sentiri conuenienter potest. In fimbrijs aureis circumamicta varietatibus. Fimbriæ enim aureæ sunt claritates à mente nunquam deficientes. Fimbriæ quippe finales vestimenti partes sunt: quæ idcirco in sponsæ Christi decore laudantur, quia nulla est virtutum gloria, si lucere ante vitæ consummationem desistat. Regina ergo amore dicitur, in vestitu aureo virginitas prædicatur. Sed omnis gloria intus, & in fimbrijs aureis, & varietate circumamicta asseritur: vt innumeris virtutibus adiuncta integritas, vsque in finem deduci sentiatur.* Ecclesiæ Euangelicæ tessera, legis gratiæ Symbolum, & insigne aureum, quo à synagoga, scriptaque lege discernitur, decus est virginitatis mente, & corpore immaculatæ, quæ intaminatum custodit corporeum claustrum pudoris, non ad tempus, neque ad breuia & intercissa annorum lustra, sed vsque ad postremam vitæ humanæ metam; cum mors virginitatem signat; conflictus, & victorias de domestico hoste partas coronat. Nec solum exteriorem puritas hæc illibati pudoris ambitum requirit, sed intimum mentis ornatum, propositum perennandi illibatum pudorem; nuptiales thalamos & hymenæos semper respuendi, aureo decore fulget. Hæc solius Ecclesiæ Euangelicæ amplitudo est. Gaudeat synagoga venerabili, & pudico thoro, pessulum pudoris reserare marito; exultet Ecclesia intactum, & clausum dedicare cælesti sponso; gliscat Ecclesia vetus ad conceptus, glorietur in partubus, diuexetur Euæ matris anxietatibus, & ærumnis; Ecclesia noua omne carnalis voluptatis commercium despicit, sponsi nunquam morituri gaudet spiritali osculo, & amplexu, liquidis beatæ vitæ deliciis affluit; duplex in ea decoramentum virginitatis fulgescit, cum mentis aulam propositum non labefactatum exornat, & vsque ad vestimenti, hoc est vitæ limbum, & exitum perseuerat. Gloria hæc *ab intus, in fimbrijs aureis est, in cingulis & zonis* (sic legunt alij) nunquam solutis, semper integris.

Ruffin.

Christiana Ecclesiæ gloriatio, & ornatum virginitas.

Psal.

D. Chrysost.

D. Ire. Magn.

Aureus Ecclesiæ vestitus honor corporis virginalis.

Animi, & corporis illibata puritas.

Ecclesiæ decus, virginalis integritas vsque ad finem vitæ.

2\. Disquirit S. Ambrosius cur in genealogia Saluatoris suppresso nomine sanctarum fœminarum Saræ, Rebeccæ, Rachel, in contextu Dominicæ generationis Thamar famosa mulier adscribitur? Matthæi cap.1. v.3. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Et sapienter sibi occurrit, suscipiens Thamaris patrocinium. Sic enim scribit lib.& cap.3. in Lucam ad id: *Qui fuit Phares: non enim temporalis vsum libidinis requisiuit, sed successionis gratiam concupiuit. Erat enim deforme liberos non habere: quod etiam legum ciuilium fuit auctoritate mulctatum: promiserat eam filio suo Iudas, sed diu pactarum fœdera distulerat nuptiarum, per moram promissi defunctus est sponsus. Nondum virginitatis, nondum veduitatis vernabat gratia.* Abhorrebat legis maledictum, & videri apud contubernales despectam, & deformem, cùm concupiscebat fœtus, & partus. In verbis Ambrosianis curiosus pensiculator aduertet antiquæ legis insignia, apud quam *erat deforme liberos non habere.* Et: *nondum virginitatis vernabat gratia.* Erat pulchra tunc fœcunditas, & speciosa successio filiorum, deformis apparebat innupta, & infœcunda exponebatur maledictionis opprobrio, erat abscondita virginitatis virtus, necdum illibatæ puritatis comparuerat species, & gratia, nec virginei floris fragrantia redolebat.

Cur Thamar in Christi genealogia adscribitur, omissis sanctis fœminis.

D. Amb.

Thamar successionis causa Iudam ad concubitum admisit.

Legis tempore nondum virginitatis, aut viduitatis vernabat gratia.

3\. Prædictum antiquæ, & nouæ Ecclesiæ discrimen, non obscurè insinuat Isaias cap.56. v.3. *Et non dicat Eunuchus: ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis: qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Non intelligit hic nomine Eunuchorum exectos, aut euiratos corpore, sed spiritales spadones, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, vt exponunt communiter Patres Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Thomas Angelicus, Glossa, Forerius: pulchrè S. Hieronymus ait: *Ergo in eunuchis nequaquam intelligendi sunt quos ardens poeta describens ait: Nec non infœlix ferro truncata iuuentus, atque execta virum; sed illi de quibus Dominus in Euangelio loquitur: qui se castrauerunt propter regna cælorum* (Matthæi cap. 19.) *vnde & Apostolus de huiusmodi eunuchis, idest, de virginibus præceptum Domini se non habere testatur: sed dat consilium,* &c. Loquitur ergo huiusmodi vaticinium de virginibus Euangelij regnum cælorum violenter diripientibus, huncque populum virginitatis gloria clarum, à Iudaicis fœminis, & viris discernit: *Dabo eis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus.* Quæ verba vertit Hieronymus tom.9. epist.14. *Dabo spadonibus meis in domo mea, & in muro meo locum nominatum meliorem à filiis, & filiabus Israël.* Ornat priuilegio immunitatis in domo Domini, & gloriosis infulis dignitatis & loci, virginitatis sectatores, eosque præfert filiabus, & filiis Israël; quia Euangelij non adepti sunt merita, nec viguit apud eos religiosus virginitatis cultus; Euangelium professionem virginitatis sectantibus excellentiora confert præmij, & mercedis insignia, in inferiori loco, & gradu relictis filiis, & filiabus Israël sese gloriantibus de filiorum propagine, & carnali coniugio. Quæ autem sit professio spiritalium

Isa.

Spiritalibus spadonibus qui se castrauerunt propter regnum cælorum, quanta beatitudo promissa.

D. Hier.
D.Cyr.
Procop.
D.Thom.
Glossa.
Forer.

D.Hiero.

Virginibus locus seruatur honoratior, quam filijs, & filiabus Israël.

Quæ sit professio spiritalium eunuchorum.

spiritalium spadonum manifestè aperit Isaias, exponente illius verba Hieronymo: *Hæc sterilis virginitate fœcunda est. Hic eunuchus regno cælorum vim facit, & violenter diripit illud. Iste custos est Sabbatorum, vt nunquam faciat opera nuptiarum.* Decet eni mquandoque virginitati nubere, decet complere, aut consummare opera nuptiarum. *Iste elegit quæ Dominus voluit, vt plus offeras quàm præceptum est.* Vt indicet oblationem virginitatis propriam legis gratiæ: *Iste tenet fœdus Domini sempiternum, vt non ad tempus vacet orationi, & iterum ad ipsum reuertatur.* Sed mentem ornet proposito virginitatis perpetuæ. Optimè legit Forerius: *Et elegerint quæ ex animo volo, & firmiter tenent fœdus meum.* Vt mentis electionem insinuet in statu virginali, animumque liberè & spontaneè se Domino dedicantem, inter Deum, & hominem initam sponsionem, & pactum à Deo acceptatum, à virgine immobili fidelitate custoditum. Et vt videas quam leniter fluat hic locus in expositione litteræ primaria. Posset percontari homo, vas luteum & fragile, qua virtute fretus scandere potero ad tantæ perfectionis iugum, & apicem? Respondet Dominus ibidem. v. 5. *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum.* Legit Forerius ex Hebræo: *Dabo eis manum.* Id enim denotat verbum Hebraicum י iad: quid verò manus nomine præseferat Vates, argute enucleat vir doctissimus: *Est tamen nobis Lusitanis quadam acceptio huius nominis manus: vt cum dicimus mea est manus, idest à me initium sumi debet, ego caput sum, primus id incipere debeo.* Quæ verba ad nostrum institutum sunt valde præclara: quasi diceret Dominus: in hac arcta, arduaque virginitatis semita salebrosa tergiuersantibus in medio carnis lubrico, à me initium sumi debet virginei decoris, caput virginum omnium ego in carne ero de virgine nata, primus hanc viam inibo, & initiabo, & in me ipso virginitatis professionem dedicare debeo, vt mecum habeam quamplurimos virginitatis seruandæ æmulos. Mirifica sunt verba Hieronymi præsentē Isaiæ locum perpendentis tom. 9. epist. 14. de laude virginitatis: *Vt huiusmodi plurimum sibi placere monstraret & pudicitia bonum vtrique sexui intimaretur, virginem habuit Matrem virgo mansurus. In se viris, & in Matre fœminis præbuit virginitatis exemplum, quo demonstraretur in vtroque sexu beatam integritatē diuinitatis haberi.* Beatū virginitatis statū in se ipso Iesus viris, Maria fœminis dedicauit, Iesus & Deipara primaria & vnica virginitatis perpetuæ obseruādæ exēplaria.

D. Hieron. — *Propositum perpetuæ virginitatis in sola gratiæ lege viget.* — *Forer.* — *Forer. Lect. heb.* — *Dominus dat manum virginibus, quia ab ipso initiū sumpsit obseruantia virginitatis.* — *Primus Iesus viam initiauit virginalis vitæ.* — *D. Hiero.* — *Iesus viris, Maria fœminis primariū demonstrarunt virginitatis exemplar.*

4. Præclara est illa Ruperti sententia, valdeque notāda in libro de læsione virginitatis c. 9. ibi ait, Dominum à nullo antiquæ legis patre virginitatem requisisse: verba illius sunt: *Diligēter hoc, & subtili discretione animaduertendum est: quia verbū Dei rationabiliter cum hominibus egit, vt non ante quàm ipsum caro fieret, virginitatem carnis à quoquam exquireret, sicque maximè dignā carnis integritatem indicaret. Vbi ad incarnationē venit, suaque incarnatione sexum vtrumque honorificauit, vir ipse nascens de muliere, tunc demum indicauit Spiritus Sanctus, multorumque inspirauit mentibus, dignum esse, vt filij, vel filiæ talis sponsi, cum virginitate mentis, virginitatem quoque custodirent corporis.* Et licet in patribus antiquis & Prophetis virginitatem mentis admittat quantum ad fidei obseruantiam, quia cum idolis non sunt fornicati, fidemque Dei virginem, & intactam custodierunt; virginitatis Deo dicatæ virtutem omnibus denegat, cùm illam sententiam profert à nullo integritatem corporis requisisse, vel exegisse. Non exigit Deus nisi quod sibi dedicatum, satisque indicat ante Verbi incarnationem nulli ex primoribus veteris legis inspirasse perpetuæ virginitatis, Deoque sacræ custodiam: *Vbi ad incarnationem venit, tunc indicauit spiritus sanctus multorumque inspirauit mentibus.* &c. Spiritus diuinus omnium virtutum inspirator est, afflatus tamen cælestes virginitatis illibatæ spirare supra mortalium pectora, reseruauit ad Dei incarnationem; cum enim verbi diuinitas placido illapsu se se infudit in Mariæ viscera, ignisque Deificus sese attemperauit humanitati assumptæ in Virginis vtero, inumbratæ ab spiritu vitali spiraculo refouente, & reficiente teneræ virgunculæ teneritudinem, & fragilitatem; Tunc Christi, & Mariæ virginitas diuinum spirauit puritatis odorem, flabroque spiritus ventilato, & perflato virgineo paradiso, fluere cœperunt aromata eius, stillarunt montes virginitatis dulcedinem, accurrentibus iuuenculis in odorem vnguentorum sponsi, & sponsæ.

Ante Dei incarnationem à nullo antiquæ legis patre, virginitatem Dominus requisiuit. — *Rupert.* — *Cum verbū fit caro, in vtroque sexu quem honorauit, spiritus sanctus virginitatis obseruantiam inspirat.*

5. Quod vero in cultoribus Mosaycæ legis esset incognita, & exoleta virginitatis virtus, ad incarnationis, & Euangelij tempus eius amor, & veneratio reseruata expresse docet S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, qui capiti decimo sexto hunc colophonem imponit: *Qui seruiuimus in lege nuptijs, virginitati in Euangelio seruiamus.* Illudque statuit pro comperto in toto capite 17. hoc suum axioma in cantico toto Canticorum contineri; ludit qua solet argutia, & sapientiæ calamo, pluraque argumenta ex scæna illa sacra, & amoris epithalamio depromit, verbaque commendatæ virginitatis premit, lemmaque propositum velut acu pungit. Recenset iuxta LXX. versionem affectus amoris, & sponsi cantilenam suauem Cantic. cap. 2. *Tu columba mea in velamento petræ iuxta promurale, & ostende mihi faciem tuam, & auditam fac mihi vocem tuam, quoniam vox tua suauis, & facies tua speciosa.* Aperit sponsi mentem eximius scrutator arcanorum cælestium, aitque. *Dum vultum tuum tegeres cum Moyse, & velamentum esset in lege, nec faciem tuam videbam, nec vocem tuam dignabar audire. Nunc autem reuelata facie contemplare gloriam meam, & petra firmissima tegere pro murali, quod audiens sponsa aperit Sacramenta pudicitiæ: fratruelis meus mihi, & ego illi, qui pascit inter lilia, hoc est inter virginum candidissimos choros.* Non erat ingrata Deo sponsa illa fidelis, quæ humano nubebat sponso, in qua fulgebant iugales tædæ, quam inumbrabant, & tegebant pepla carnalis fœderis? altiorem tamen statum post filij sui aduentum in carnem repromittit, in quo nuptiarum spiritalium consortia fulgent, & professionis sacra velamina; cùm virgo soli Deo seruiens attentiori studio gloriam Domini, & sponsi speculatur; in cuius labiis suauis ille professionis concentus resonat, quo demulcentur aures sponsi, quem Angelici chori plaudunt. Tenuit animum sponsi, introspexit illius mentem, cùm ait inter virginum choros tanquam inter lilia sponsum oblectari, & pasci, floridique

Legis tempore incognita virtus virginitatis. — *D. Hiero.* — *Lib. LXX.* — *Apud sponsā lege Mosaica velatam vox virginalis pudicitiæ non auditur.* — *Cum Iesus faciem suam reuelauit, pascitur inter virginum choros candidissimos.* — *In Iesu aduentu resonat in ore sponsæ virginalis professionis concentus.*

Cant. D Hiero.

Post Christum natum, sponsa vocatur ad coronam, de consecratione virginitatis.

Virgo dum consecratur Iesu, illius cor vulnerat.

ridique IESV statuit æmulari candorem. Postea virginem sacratam, & oblatam Deo ad mercedem vocat cælestem. Cantic. c. 4. *Veni coronaberis de Sanir, & Hermon, Sanir* (inquit Hieronymus) *interpretatur Deus lucerna. Et Hermon: idest consecratione.* Et statim: *vt postquam mihi fueris consecrata, possim tibi dicere: vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* In solo enim Euangelio fulgent virginum lampades accensæ, quibus occurrunt virgineo sponso, & eminet virginitatis consecratio.

D. Ioan.

Post Christi aduentum regiones albescunt ad fructum virginitatis.

6. In illa metaphora, in qua hortatur IESVS Euangelicos messores ad metendum, & colligendum fructum spiritalem in horreum Domini, sic hortatur Dominus Apostolos Ioannis. cap. 4. vers. 35. *Ecce dico vobis: leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* Sermo non est de materiali messe, quia cùm hæc loquutus est IESVS, nondum erat apta falcibus, vnde ante protulerat: *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit.* Loquitur ergo de messe, & fructu spiritali, quis autem ille: declarat S. Basilius esse virginitatem, quæ effloruit in Gentibus conuersis ad Christum, & est proprium germen, & fructus gratiæ, & prædicationis Euangelicæ: sic enim scribit Magnus Basilius libro de vera virginitate: *Priores illi quidem homines ex paucis seminibus fœderatis nuptiis, orbem terrarum humanitatis fruge impleuerunt; hæc autem sata iam toto orbe per voluptatem connubij grana intra cælorum horrea congregat. Hanc nempe satorum in castimonia gloriam, translationem significans Dominus dicebat: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem,* &c. *Plurimam segetem granéśque humani generis frugibus culmos, & flauescentes aristas per omnes terrarum tractus intuens Dominus, eiusce spicas colligendi tempus iam iam instare, atque adesse probauit, ideò virginitas sient, quia sicut naturalem ad mortalis vitæ progeniem, per voluptatem coniugij humanitatis iacta fuerant semina; ita ad futuram vitam hinc iam vitæ nostræ semina oportet per castitatis munditiam serere, ipsa per se pura sanctæ integritatis semina ad incorruptibilem vitam agricola preparat.* Antiqua gens propagando humano generi destinata, sicut in aruis fœcundis connubij, & fœcunditatis humanæ indulgens carnalibus commerciis, & voluptatum blandimentis seminauit in carne filiorum partus, prouentus mortalitatis, totósque terræ tractus repleuit benedictionis fructibus, quæ in aduentu Domini erat sicut ager scissus vomeribus, subactus blanditiis, plenúsque aristis, & spicis curuescentibus filiorum. Virgineam verò messem corporum, & animarum, qui seminant in carne corruptibili, sed in spiritu ad spem immortalitatis demetendam, reseruauit Euangelicis messoribus, & perfectæ mortificationis falcibus Christi, & Apostolorum, ideò eos Dominus ad seminanda casta consilia, & demetendas fruges illibatæ puritatis hortatur, quod proprium Apostolorum est: *Videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* Ex illa terra plena segetibus, incana connubiis, stabilita fœderibus nuptiarum, referta filiorum prouentibus, candida lilia puritatis, virgineósque flores colligendos, alligandos cœlestibus consiliorum nexibus, strictioris vitæ chordulis, religiosæ seueritatis funibus, discipulis suis, & eorum sectatoribus reseruauit; grati, & odoriferi fasciculi hi reponendi in religiosis calathis, & dedicandi sacris altaribus, & ritè nuncupat seruator regiones albas, *quia albæ sunt.* Iam enim albescebant de candore virgineo, & immaculatæ puritatis splendore albicabant.

D. Basil.

Nuptiæ orbē terrarū humanitatis fruge impleuerunt. Sata coniugij in castimonia gloriā translata in Dominico aduentu.


Sancta integritatis purissima semina praparant ad incorruptibilem vitam.

Euangelicis messoribus reseruauit Dominus metere fructum intacta virginitatis.



Pars secunda discursus.

Aduentus, & Sanguinis Christi fructus obseruatio virginitatis.

7. EST enim virginitas donum, quod Verbum Dei homo factum de cœlis in homines inuexit, fructúsque Passionis, & Crucis Christi, vt testatur sanctus Athanasius in Apologia ad Imperatorem Constantium, in titulo vbi de Frumentio Episcopo: *Dei filius,* (inquit,) *Dominus, & Saluator noster IESVS Christus homo propter nos factus, profligata morte, & asserto à seruitute, & corruptione humano genere, inter cætera dona sua largitus est nobis in virginitate exemplar Angelicæ sanctitatis. Certè puellas ea virtute præditas sponsas Christi Catholica Ecclesia appellare sólita est, quas Ethnici conspectas vt templum Verbi admiratione prosequuntur.* Et libro de Incarnatione Verbi Dei idem Magnus Athanasius, & Ecclesiæ Catholicæ lumen, fideique propugnaculum hæc annectit: *Quis igitur hominum vel post mortem, vel in vita auctor seruandæ virginitatis fuit? Ac non contra arbitratus est eam virtutem præstari non posse? Attamen noster Saluator, & omnium Rex Christus tantum valuit in huiusmodi præceptis, vt pueri nondum maturi legum disciplina, virginitatem, quæ supra leges est profiteantur.* Ex quibus perspicuum fit virginitatis obseruationem esse tantummodo propositi, & instituti Euangelici propriam, non legis antiquæ, sed Seruatoris nostri inuentum, ex quo enim virgineam carnem ex Virgine assumpsit, perpetuóque nexu sibi copulauit, virginitatis virtutem antea despectam, vel incognitam, æstimare fecit, adolescentulis, & iuuenculis fecit amabilem: *Quis hominum vel post mortem, vel in vita auctor seruandæ virginitatis fuit?* Quasi diceret nullus, cùm hæc asseuerat Athanasius omnes excludit, nullum vel Patriacham, vel Prophetam tanquam inuentorem seruandæ virginitatis admittit; vt hoc coronamento institutionis virginalis IESVS condecoretur.

D Athanas.

Solus Iesus fructum mortis suæ, incorruptionis donum, virginitatis, & angelicæ vitæ exemplar largitus est.

D Athanas.

Nullus hominum nisi solus Iesus virginitatē in obseruantiā docuit, & suasit.

8. Erat apud synagogam virgineæ virtutis quædam vmbra, & typus, non veritas cultus, & obsequij virtutis huius; in quo sensu expendit scripturarum phænix Hieronymus locum Canticorum cap. 1. vers. 10. iuxta lectionem LXX. interpretum: *Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoad vsque Rex in accubitu suo est.* Quæ lectio habetur in Bibliis correctis Sixti V. & approbatur ab Ambrosio in Psalm. 118. serm. 3. Origene, Theodoreto, & Græcis Patribus, ait enim Doctor Maximus aliud esse aurum, aliamque auri similitudinem, in auro denotatur virginitas; non

Cant. Lect. Lxx.

D. Ambr. Origen. Theodor.

Synagoga nō habebat aurum virginitatis, sed similitudinem auri.

D.Hieron.

Canticum Salomonis Christiana virginitatis sacramenta continet.

non habebat aurum synagoga, sed similitudinem auri, scilicet castum connubium, & viduitatem honorabilem. Accipe ipsius verba ex libro 1. contra Iouinianum cap. 17. *Transeo ad Canticum Canticorum: & quod aduersarius totum putat esse pro nuptiis, virginitatis continere sacramenta monstrabo. Audiamus quid loquatur sponsa antequam sponsus eius ad terras veniat, patiatur, inferos penetret, ac resurgat: similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoad vsque Rex in accubitu suo est: Antequam resurgeret Dominus, & Euangelium coruscaret, non habebat aurum sponsa, sed similitudines auri. Argentum autem quod in nuptiis pollicetur habebat varium atque distinctum, in viduis continentibus, ac maritatis.* Non habebat virginitatis aurum sponsa, sed similitudinem auri, & imperfectam quamdam tantæ virtutis æmulationem, tenebat argentum in viduitate, continentia, & nuptiis velut emblematibus ornatum, & distinctum, quoad vsque Rex in accubitu esset virginalis thalami, & nardus humilitatis, & virginei decoris odore virginali, & fragrantia immaculati pudoris mundum repleret: Tunc enim in odorem talium vnguentorum adolescentuli, virgunculæ festinarunt arripientes brauium virginalis vocationis.

Virginitatis cultus fructus est Eucharistiæ.

Zachar. Theod. Isido. Cyril. Vatab. D.Hieron. Paschas. Haim. Remig. Lyran. Diony. Ribera.

9. Quid plura? Virginitatis cultus, & dedicatio proprium facinus est Eucharistiæ & effectus sanguinis Christi in ara litati. Ad quod institutum enodanda veniunt verba Zachariæ Prophetæ cap. 9 v. 17. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* In perscrutando hoc vaticinio celeberrimo in duas classes diuiduntur Patres. De verbo Dei Theodoretus, Isidorus, Cyrillus, Vatablus, Hugo, Chaldæus, Hieronymus. De Eucharistiæ mysterio idem Hieronymus, Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini cap. 21. Haymo, Remigius, Lyranus, Dionysius, Ribera, Cornelius accipiunt. Et exponunt huius commentationis sectatores in hunc modum, frumentum, seu panem vitæ, vinumque diuinum succulentas reddit virgines, iuuenesque validos, & fortes ad resistendum tentamentis hostium, & in fastigium virtutis conscendendum. Vera hæc, sed Zachariæ verba alteram mentem postulant: panis, & vinum Eucharisticum germinat virginum flores, primus & primitiuus germinatus virginei decoris à carne Christi eiusque sanguine pullulat: Hoc præseferunt apertissima facie verba illa: *Frumentum, & vinum germinans virgines.* Nec solum intendit Vates: quod virgines procreet, alat, vegetet, hoc mirum adeo non esset, cum etiam sustentet senes, fœminas maritatas, & viduas. Illud tamen recenset tanquam singulare, & diuinum prodigium quod mustum hoc in humanis cordibus germen & florem virginitatis proferat: verbum נוב nub *germinare, fructificare, augere, crescere denotat.* Ritè aliqui transferunt: *fructificans, procreans virgines.* Sanchez: *florere faciens.* Et hoc indicat Paschasius, Ratbertus Abbas Corbeiensis libro de corpore & sanguine Domini c. 21. *Fœlix fructus vbertatis, ex quo virginitas germinatur, nam in hoc nostri germinis vino castitas corrumpitur, ab isto verò virgines procreantur.* Testis est Lot vino madidus, & temulentus, incestatus, & plenus opprobrio

Panis vitæ, & vinum Eucharisticũ roborant animum contra hostes.

Cornel.

Diuini musti germen virginitas.

Lect.Heb.

Sanch. Paschas. Ratber.

Vino terreno castitas corrumpitur, cælesti virginitas procreatur.

ex carnali filiarum commercio. Vinum terrenum conturbat animum, mentem de statu suo, & nobilitate deiicit ad inuerecundiam, irritamentum vitiorum, carnis propudium, & ludibrium. At mysticum vinum puros immaculatæ carnis cogitatus in pectore inserit, castitatis consilium serit: venit Dominus IESVS in carne, & sanguine suo, vt hominis carnem & sanguinem, qui carnalibus vrebatur affectibus, ad voluptatis blandimenta potiunda inhiabat; in affectus & cogitatus Angelici candoris adolesceret; & carnalis colluuionis gurgitibus immersus ad puriorem immaculatæ vitæ auram emergeret, & spiritali munditiæ flatu respiraret. Erat terra humanæ naturæ ante Christi aduentum incompta florum ornatu, & infœcunda virginitatis frondibus & fœtibus; terra illa à Domino maledicta in mundi nascentis exordio spinas vitiorum, & sentes libidinis germinabat; necdum prosiliebat ex humanis visceribus ausus ille diuinus, vt eius impetus & petulantiam proposito virginitatis constringeret, piisque votis quasi quibusdam lupatis coërceret, redderetque intactam Creatori corporis animique formam, sicut effecta & egressa est è manibus plasmatoris; expectabat male morata tellus senticosa, ad lappas, & tribulos fœcunda, pretiosi sanguinis irriguum, quo immadescens hyacinthos, lilia, & rosas virginum proferret. Humanum commentum ad diuiniorem huius veritatis conceptum libens transfero. Hyacinthus flos plane mirabilis ex iuuenis corpore vita functo, & cruore eius roseo, viuidus ille color cærulæusque nitor flosculi nascitur. Plinius ait lib. 21. cap. 11. *Hyacinthum ex Aiacis cruore editum.* Et eleganter Ouidius lib. 10. Metamorphoseos.

Terra cordis nostri quæ antea proferebat spinas, Christi sanguine irrigata parturit virginitatis florem.

Hyacinthus flos ex Aiacis cruore editus.

Plin.

Ouid.

Ecce cruor qui fusus humi signauerat herbas,
Desinit esse cruor, Tyrioque nitentior ostro
Flos oritur, formamque capit, quam lilia, si non
Purpureus color his, argenteus esset in illis.

Purpurauit cespitem, & pratum croceus venarum iuuenilium latex, & erupit in florem, phœnicei coloris & cælestis æmulatorem. Quod ad propositam mentem sic adapto congruenter: Non erat irrigata synagoga Dominico sanguine ex IESV venis scaturiente, non mirum si ex illa gleba non germinaret virginitatis lilium. Necdum illa tellus biberat fusi cruoris latices, nec ebria diuino musto virgines germinabat. Ex quo latex ille purpureus ex venis & vulneribus IESV manans, terram aspersit, & intinxit, pulcherrimi flores & hyacinthi virgineæ & cælestis puritatis vernant. Non immerito Psalmus quadragesimus quartus hanc inscriptionem præfixam ostentat: *In finem, pro ijs qui commutabuntur.* Postrema verba Aquila vertit: *pro liliis.* Quam versionem sectantur Hieronymus epist. 140. Basilius, Nyssenus tractatu. 2. in Psalmos cap. 4. Theodoretus hic. Priora vero verba: *in finem*, transferunt aliqui apud Lorinum: *effundenti sanguinem.* Sequitur enim ad effusionem sanguinis Christi germinatio liliorum, in quibus species incontaminati pudoris, & Angelici candoris resplendet. Maris quoque ænei apta descriptio à Salomone profertur lib. 3. Reg. cap. 7. v. 26.

Synagoga non irrigata Christi sanguine effuso nec illam bibens virginitatis lilia nõ proferebat.

Effuso Christi sanguine, lilia virginitatis ex humana gleba pullulant.

Psal. Aquil. D.Hieron. D.Basil. D.Gre. Nys. Theodor. Lorin.

In mari æneo mira connexio Calicis, & lilij.

Lib reg.

labiumque

labiumque eius quasi labium calicis, & folium repandi lilij. Mira connexio calicis, & lilij in limbo maris seu luteris emicat; nam Christi passio demonstratur in calice, virtus virginitatis in lilio; nam passionis, & sanguinis pelagus ornatur liliosis ripis, marginibusque floreis; expectabant enim pretiosi cruoris influxum, & viuidum calorem, vt lilia pullularent; iam rubrum Dominici sanguinis mare liliis albicantibus coronatur: & argutè vocat *labium calicis, & lily.* Quis enim in tantam fortitudinis audaciam extolleretur, vt lilium virginitatis labiis profiteretur, antequam Seruator noster prælibaret calicem passionis? Quo hausto, & inter Discipulos diuiso labra iuuenum & puellarum repanda sunt, & aperta ad proferenda vota virginea. Hoc mihi arcanus sensus candelabri in templo constituti adumbrat, nam hastile, & calices in lilia desinunt. Exodi cap. 37. v. 17. *Fecitque candelabrum ductile de auro mundissimo, de cuius vecte calami, scyphi, sphærulæque ac lilia procedebant.* Ex candelabro tunsionibus dilatato & producto, in quo Iesus signabatur, passionum pressuris, & malleatorum ictibus in Cruce extensus, nobile & delectabile germen virginitatis erumpit. Nec mirum quod ex Christi sanguine purpureo oriantur lilia, nam Iesus ipse primitiuus flos originem virgineæ carnis habet ex sanguine; nonne ex immaculatissimis Mariæ sanguinibus, quos ad Incarnationem verbi ministrauit, Spiritus sancti interueniente virtute, Christi corpus, & humana caro coaluit, & compacta est? Ecce virginum flos, decusque liliorum, qui dicit in Canticis: *ego flos campi, & lilium conuallium.* De terra virginea, & intacta ex Mariano sanguine pullulat. Flos Iesus ex Mariæ sanguine egreditur, & lilia virginitatis ex sanguine Iesu exurgunt, iuxta Zachariæ vaticinium: *& vinum germinans virgines.* Scitè ait Paschasius libro de corpore, & sanguine Domini cap. 21. *Hic sanguis nihil magis diligit quàm in Christo virgines.* Cui vt colophonem imponamus, non est viduata mysterio versio illa Sanctis Pagnini, Vatabli, Montani: *vinum cantare faciet virgines.* Quod canticum lætum exultabundæ, & laudantes virgines, quodque ore profundunt melos? Quando in concilio iustorum, & congregatione adolescentularum se Deo immolant, holocaustum viuũ; & velut cælestes psaltriæ, & tympanistriæ, ore lætissimo, suauique cantilena votum virginitatis coram Deo, Deiparente, Angelisque profundunt; illudque vsque ad vitæ metam, vltimumque halitum obseruaturas spondent. Christi corpus, & sanguis in synaxi sacra acceptum ad talem cantilenam prouocat; vt cantores, & cantatrices, quæ in hac vita mortali hoc carmen nuptiale cantitant, æternum illud intonent modulamen, & canticum nouum, quod apud cælestes mansiones reboat, ex ore profluens virginum, quæ sequuntur agnum quocumque ierit: *& vinum cantare faciet virgines.* Hæc de interpretamento primo de Eucharistia, dicta sunto.

Pelagus passionis, & sanguinis Christi liliosis ripis ornatur.

Cum Iesus hausit calicem passionis, labia humana aperiuntur ad proferenda virginitatis vota.

Exod.

Ex candelabro Iesu, tunsionibus passionis dilatato, germen virginitatis erumpit.

Sanguis Iesu ex Mariæ sanguine virgineo coalitus, flores virgineos profert.

Cant.

Paschas.

Sanguis Christi nihil magis diligit quam in Christo virgines.

Sanctes. Vatab. Montan.

Vinum Eucharisticum cantare facit virgines vota virginea.

10. Si vero cum Hieronymo, Rupertoque per *vinum* Spiritum sanctum, eiusque igneum feruorem vsurpes, in eiusdem contemplationis, & protheoriæ proposito stamus. Ex quo enim igneus ille flatus in Apostolorum agro vitiorum sentes exussit, improborum affectuum humorem ariditate siccauit, argillamque humani plasmatis idoneo torrore decoxit, iam Ecclesiarum rident prata ornata flosculis, & liliis, aureo & candidulo virginei candoris fulgore nitentibus. Audiamus Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum scribentem: *Quod istud vinum est quod sponsa mammas pulcherrimas facit, & pudicitia lacte fœcundat. Nempe illud de quo sponsus in consequentibus loquitur: bibi vinum meum cum lacte meo. Manducate proximi mei, & bibite, & inebriamini fratres. Vnde & Apostoli dicebantur musto pleni. Musto* (inquit) *non vino veteri, quia vinum nouum in vtres nouos mittitur: & non ambulabunt in vetustate litteræ, sed in nouitate spiritus. Hoc est vinum quod cum inebriauerit adolescentes, & puellas, statim virginitatem sitiunt, & in crapulam castitatis eructant, & expletur illud vaticinium Zachariæ* (cap. 8.) *duntaxat iuxta Hebraicam veritatem de Ecclesia virginibus prophetantis: complebuntur infantibus, & puellis ludentibus plateæ eius. Quod enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Non vinum veteris legis austerum vetustate coacescens, sed nouum mustum igneæ cuiusdam viuacitatis, & furoris, quale illud erat, quo Apostoli velut lymphati reddebantur igneo flatu, flammifero spiraculo, & feruore diuini spiritus æstuantes, tales frondes, & flores virginitatis progerminat, & vegetat. Cuius ebrietate non titubant, non labascunt adolescentulorum, & adolescentularum corpora animique, sed in virtutis amore firmantur, suaui quadam sobrietate dulcissimi meri virginitatem sitiunt, à diuino musto crapulatæ propositum & votum virginitatis eructant. Nec dissentit Rupertus Abbas lib. 4. in Zachariam: *Vinum Domini spiritus est Domini. Sicut vino non solum extinguitur sitis, sed & vegetatur calor naturalis, ita verbo Dei anima viuit, & dulcedine Spiritus sancti prouocatur mens ad amorem Dei. Hoc a tempore prædicationis Euangelicæ sic abundanter cœpit fieri, vt sicut tempore messis solet apparere plenitudo agri frumentarij. Et sicut in abundantia roris, vel imbris temporanei, & serotini, germen arridet horti bene culti, vernantibus rosis, & candentibus liliis: ita per orbem vniuersum passim spectentur, & electus sexus virilis, & virgines sexus fœminei. Quod aliud Beatam Trinitatem magis quàm hoc spectaculum in hoc mundo delectet? Dicat ergo, quod enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Necdum apparuerant hi flores, nec consitus erat hortus, aut paradisus Domini vernans liliis virginitate candidatis in lege antiqua, quia cespes humani cordis auram lenem, viuificantem flatum, matutinum Spiritus sancti rorem, charismatum stillicidia super Apostolos placidè dilapsum in igneis linguis, necdum susceperat; post aduentum Spiritus sancti, & Apostolorum præconium cernere est diuersa topiaria his stellata, & renidẽtia, & ridentia floribus. Huius spiritus in vterũ Virginis benedictio, & affluẽtia gratiarũ copiosa descendit, in Mariæ mare, & charismatũ maria, quæ ab humilitate nuncupatur situlæ stilla, tota Verbi diuinitas, & diuini Spiritus plenitudo diffusa, vt parturiret illum florẽ, qui cãdor est lucis æternæ; cùm clausit in penuaria cella aulæ virginalis saturitatis horreũ, & tritici aceruũ, panem

Spiritus sancti eiusque igneus feruor, vino denotatur.

D. Hieron.

Vinum non veteris legis, sed nouum Euangelij sitire facit virginitatem.

Rupert.

Verbo Dei anima viuit, Spiritus sancti dulcedine prouocatur mens ad amorem Dei.

De Spiritus sancti aduentu per totum orbem lilia, & rosæ virginitatis exuberant.

Synagoga non albicabat liliis virgineis, quia necdum Spiritus sanctus in igne aduenerat.

Vterus Mariæ claudens virgineum florem Iesum, vallatur liliis virginitatis.

Prima ad virginitatem exhortatio, à Deipara.

panem vitæ, alimentum immortalitatis; canunt cælites, intonant huic Reginæ obsequium præstantes puellæ: *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs*, ipsaque Regina cælorum consilium & exhortationem, profundit ad virginum acies, & cateruas, quæ habetur Ecclesiastici cap. 39. v. 17. in voce dicit: *Obaudite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate: Quasi libanus odorem suauitatis habete: florete flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate Canticum, & benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, & citharis.* Dixit, & facta sunt omnia. Etenim in mundi nascentis exordio quando *terra erat inanis & vacua.* Genes. cap. 1. aut iuxta LXX. *inuisibilis & incomposita.* Deus ait: *Germinet terra herbam virentem.* In quæ verba Ambrosius lib. 3. exam. cap. 8. sic fatur: *Et continuo parturiens terra nouos se fudit in partus, & induit se amictum viriditatis, gratiam fœcunditatis assumpsit, diuersisque compta germinibus proprios suscepit ornatus.* Et postea: *Quid describam purpurascentes violas, candida lilia, rutilantes rosas, depicta rura nunc aureis, nunc variis, nunc luteis floribus, in quibus nescias vtrum species amplius florum, an vis odora delectet?* Huc vsque Ambrosianum eloquium. Sic Deipara sterilescentem humanæ naturæ glebam in mundi renascentis exordio affatur, imperio & iussu Domini, quem vtero clauserat, vt nouos erumpat in partus; viridem, & vernantem virtutum amictum induat, nouis stolonibus, virgultis, virgineisque germinibus compta virescat; imperat enim diuinos fructus parturire tellurem, quod rosa puritatis vernet, lilium impolluti candoris ostentet speciem, & decorem. Dixit & facta sunt, ipsa mandauit, & creati sunt virginei flores, ipsa enim terram nostram ad inuisos, & insolitos flosculorum partus reddidit fœcundam. Hoc imperium, hunc nutum, hoc consilium præstolabantur hi flores vt in areolis suis paradisiacæ amœnitatis formarentur, vt assurgerent in vitales auras, folia explicarentur decoris & gratiæ, diuinisque odoribus cælum, & orbem replerent. Hæc enim species odora agri pleni, cui benedixit Dominus, aduentui & ortui IESV, & MARIÆ virgineo debebatur.

Eccles.

Lect. LXX.

D. Amb.

In mundi exordio ad imperium Domini terra germinauit.

Prata floribus ridentia.

Maria hortatu, & Domini imperio, humana natura gleba virgineos flores parturit.

II. Nec mirum: cùm virtutis institutio à Prophetis obseruata longe absit à sublimitate perfectionis Euangelicæ, quam cætui Apostolorum Christus iniunxit. Eximius Moyses, & Prophetarum vertex cùm munus obiret Ægyptiacæ legationis, amore patriæ, propriæque vxoris retardatur. Exodi cap. 4. v. 18. post iniunctum onus à Deo, liberandi populi: *Abijt Moyses, & reuersus est ad Iethro socerum suum.* Et v. 20. *tulit ergo Moyses uxorem, & filios suos* &c. Nec vacua est mysterio tam accurata sacræ Scripturæ narratio; verborum sententiam acutius introspexit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de adoratione dicens: *Nam electus ad hanc legationem Moyses, non ad eam recto cursu tendit rebus mundanis abiectis; distrahitur autem etiam in curas carnales, ac prius cum cognatis de profectione sua communicat.* &c Et statim: *Hæc vero omnia figura sunt vitæ secundum legem institutæ, quæ diuisa quodammodo est, & in vtramque partem spectat, ad diuinas, inquam, res, & humanas neque est enim à curis terrenis, ac mundanis libera, neque omni ex parte sacra: Atqui Euangelica conuersatio nullo modo prorsus in ea, quæ carnis sunt diuiditur, aut mundanorum negotiorum curas: quia potius eos qui sub Christi ditione sunt, totos omnino Deo veluti consecrat, atque dedicat: qui enim sunt IESV-CHRISTI, inquit* (ad Galat. cap. 5. Paulus) *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Pulchra est etiam Guerrici Abbatis sententia serm. 2. de S. Ioanne Baptista perpendentis Iacob luctam, & claudicationem: *Vtinam non solum claudicem cum Iacob, sed & moriar cum Paulo, vt gratiam, & nomen Israëlis obtineam munere perpetuo. Iacob quidem femur gerit marcidum, Paulus vero corpus emortuum: quia mortificationem membrorum, quam cœpit Prophetica religionis initium, ad integrum consummauit Euangelium.* Hæc ille. Apud Euangelicam professionem tantummodo consummata, & completa Christianæ & religiosæ disciplinæ perfectio est.

Virtutis institutio à Prophetis obseruata, longe abest à perfectione à Christo fundata.

Exod.

Moyses amore patriæ, & vxoris, à legatione retardatur.

D. Cyr. Al.

Distrahebatur carnalibus curis.

Legalis institutio non integre mundata à sæcularibus curis nec omni ex parte sacra.

Sola conuersatio Euangelica, à mundanis reddit animos expeditos, & totos omnino Deo consecrat.

Eius solius munus vitia & concupiscentias crucifigere.

Guerri.

Mortificationem carnis, quam orsa est prophetica religio in Euangelio consummatur.



Admirabilem consiliarium.

DISCVRSVS IV.

Virginitatis seruandæ, dedicandæ & deuouendæ Deo inuentores, consiliatores, auctores & principes vnici & singulares IESVS & MARIA.

I. PRIMICERIÆ puritatis, immaculatæ virginitatis primæuæ exordium ex primitiuo, & primario IESV & MARIÆ fonte emanantis, ab ipsis principiatæ virginei voti dedicationis, sumimus in præsenti patrocinium; Regem & Reginam, quos innexuit spiritus Dei similitudine naturæ humanæ, & primitiis virginei decoris, eodem nexu laudationis iungemus, indissolubili encomiasticæ orationis catena aurea; geminamque corollam ex flosculis suaueolentibus ex paradisiaco topiario sacræ paginæ, & Ecclesiæ primorum compactam, charis primisque naturæ, & gratiæ capitibus imponemus. Nec erit ingratum immaculatæ matris fœcundæ Virginis filio, vtriginitatis cultæ, dedicatæ primatum in ipsis adstruere, à contradicto, & controuersia vindicare. Ordior à diuino quodam Vate Ioele, qui Euangelicæ beatitatis prædicens statum, legendum, & meditandum contradidit posteris hoc vaticinium cap. 3. vers. 18. *Et erit in die illa stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* Amplissimis verbis repromittit Christianæ, & Euangelicæ gratiæ influxum, & vbertatem ad omnes nationes placide fluentem; humanæ naturæ glebam sentibus vitiorum inhorrentem, his mellifluis, lacteisque riuis irrigatam, fœcundiores lætioresque laturam prouentus, quàm terram promissionis olim donatam Patribus, melle, & lactis copia abundantem. Adstipulantur huic sensui Hieronymus

Voti virginalis, primatus in Iesu, & Deipara vendicatur.

Ioel.

Christiana religionis felicitas promittitur.

nymus, Cyrill. Rupert. Vatabl. Albert. hic Nazianz. orat.40. Mihi in præsentiarum vsurpo fluentum de domo Domini emanans, & spinas torrentis hac sacra lympha irrigatas: non cernis ad quem locum fons vitæ, & gratiarum flumen deriuetur? Etenim ad torrentem, aut vallem spinarum cursum deflexit. Erat torrens spinarum iuxta Liuiadem trans mare mortuũ, vbi quondã cum Madianitis fornicatus est Israel. Hic tamẽ locus spiritualiter accipiendus est, erigit enim Vates mentem legentis ad sublimiorem intelligentiam, vt per torrentem, seu iuxta Symmach. *vallem spinarum*. iuxta L X X. *Torrentem funiculorum*. Mundum vniuersum accipias. Locũ quidẽ salebrosum, vitiorum dumetis implexũ, spinis criminũ obsitum, nexibus innumeris peccatorũ implicitum, quem Dominus Iesus gratiæ suæ riuulis immutauit in hortũ Domini, distinctum, & ornatũ variis virtutum flosculis, immaculatæ puritatis gratia vernantẽ: apprimè Hier. inquit: *Vt spinas nostras, & vitia, atque peccata, quæ nullam frugem habuere iustitia, commutent in Domini noualia, & ariditatem nostrã rigent aquis largissimis: & pro spinis, ac vepribus, flores virtutũ multiplices germinemus. Et in eo loco vbi quondam fornicatus est Israel, & initiatus est Beelphegor, lilia castitatis, & rosa pudoris ac virginitatis exuberẽt.* Antequam desideratus cunctis gentibus compareret in carne, & Deiparẽs oriretur, quid erat mundus nisi syluescens nemus, eremus squalida arescens siti; quid erat Iudæa (si paucos Domini electos demas) nisi dumosa sylua erroribus, & criminibus horrida? Ad hanc syluam lappis, tribulisque plenam omniũ vitiorum, deriuatus est primitiuus riuulus gratiarum ex fonte domus Domini, vt liliũ plusquã Angelica puritate candidum, rosaque virginea Maria pullularet. Pulchrè S.Bernard. sermone de Beata Maria, quem refert Lipomanus Exod.c.25. examinans arcam testamenti de lignis setim seu asperæ, & senticosæ arboris compactam, scribit de Maria in arca adumbrata: *Arca de lignis setim facta est, & Maria de spinoso & hispido Iudæorum populo, & arido procreata est, qui vtique spinosus detractione, hispidus superstitione, aridus fuit vnctione diuina gratia. Eua spina, rosa Maria.* Nec ad hoc solum inculta illa tellus senticosa fœcundata est spiritalis fontis vbertate, vt Marianum florem proferret, sed vt virgultum, & rosam virginei candoris illi nemori insolitam, & insuetam germinaret: *Et rosa pudoris* (inquiebat Hieron.) *& virginitatis exuberent.* Hocque indicant præcedentia Hieronymi verba, quibus ait promisisse Vatem temporibus Euangelij futurum, vt latices prædicti fontis cõmutarent terram Iudęorũ salebrosam in terram nouam: *commutent in Domini noualia.* Noualia dicuntur terra virginea aratro inexperta, & vt ait Festus, *noualis ager noua relictus sementi.* Nam campus ille Iudaicus, virginitati insuetus, semen illud intemeratæ puritatis & virginei decoris nunquam susceperat. Hoc enim Iesu lilio, Marianæ rosæ seruabatur. Ex quo enim tellus humana protulit hunc florem, & Iesseam virgam ex sentibus parentum peccatorum; *rosa pudoris, & virginitatis exuberant.* Hæc de Ioëlis vaticinio libauimus, pro Primatu Marianæ virginitatis.

Mundus, torrens spinis, & carduis obsitus merito nuncupatur. Symmach. Lect. L X X. *Iesu gratia sæculum tribulis peccatorum obsitum, in hortũ deliciarum, immutauit.* D.Hieron.

Pro spinis, ac vepribus lilia castitatis, & rosa virginitatis exuberant.

Gratiarum riuuli de domo Domini primitus deriuati in terram humanam, vt Mariam lilium virgineum ferret. D. Bern. Lipoman. *Maria de spinoso Iudæorum populo orta. Eua spina, Maria rosa.*

Insolitus flos virginitatis obseruata virtute Iesu in orbe pullulat.

Festus.

2. Nunc propositũ in titulo Theorema concinit primorũ Ecclesiæ chorus, & tuetur magnũ agmen Patrum. Beda Venerabilis homilia de festo Annuntiationis sic scribit de Deipara: *Verè gratia erat plena, cui diuino munere collatum est, vt prima inter fœminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret.* Et sermone 4. in Assumptione Mariæ expendens Virginis annuntiatæ sententiam illam: *quo modo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Scribit: *Propositum suæ mentis reuerenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse. Quæ quia prima fœminarum, tantæ se virtuti mancipare curauit, iure singulari præ cæteris fœminis beatitate meruit excellere.*

Maria prima inter fœminas gloriosum munus virginitatis Deo obtulit. Beda.

Maria quia prima fœminarum sese virginitati mancipauit, iure beatior fuit præ cæteris fœminis

3. S.Hieronymus lib.1.contra Iouinianum: *Christus virgo, & Maria virgo vtriusque sexus virginitatem dedicauere.* Et epist.22. de custodia virginitatis ad Eusthochium cap. 7. *Habeant nupta suum tempus, & titulum, mihi virginitas in Maria dedicatur & Christo.* Itaque virginitatis dedicatio, & consecratio à Iesu, & Deipara, orta est.

D. Hieron. *Iesus & Maria virginitatem vtriusque sexus dedicauere. Virginitas in Maria dedicatur & Christo.*

4. Præclarum est testimonium Origenis vetustissimi in Ecclesia Patris, qui in cap.13. Matthæi scribit: *arbitror rationi consentaneum esse virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Iesum, mulebris verò Mariam: non enim plausibile est, alij præter hanc virginitatis primitias adscribere.* Quem locum recenset Canis. lib. 2. cap.12. de Deipara.

Origen. *Primitiæ virginei pudoris virorũ & fœminarũ Iesus & Maria.* Canis.

5. S.Bernardinus Senensis sermon.52.art.2. c.1. proponit triplicem benedictionem, quam fœminæ obtinuerunt per Mariam, & trinum malum à quo sunt exemptæ; & de secundo malo maledictionis ait: *Secundum malum erat maledictio legis, per quam maledicta erat omnis mulier, quæ non producebat semen in Israel Deuter.22. cap. dura necessitas, & graue quidem iugum super omnes filias Euæ: nam si pariunt, cruciantur; si non pariunt, maledicuntur. Sed hoc maledictum benedicta Maria virginum primiceria aboleuit, dum prima suam virginitatem Domino consecrauit. Ideo Psalmus de ipsa ait: adducentur regi, scilicet Christo, virgines post eam, id est, post reginam, quæ prima summo Regi dedicauit virginitatem.* Hæc Bernardinus.

D Bernard. *Triplex benedictio proponitur, quam fœmina obtinent per Mariam. In lege omnis mulier infœcunda maledicta. Maria virginum primiceria hoc maledictum aboleuit. Prima summo regi dedicauit virginitatem.*

6. In commendatione primatus virginalis voti verticem tollit S. Epiphanius, qui tom. 2. lib.3.contra hæreses, in hæresi 78. librat eximio mentis examine verba Iesu in Cruce pendentis à Ioanne Euangelista testata cap.19.vers. 26. *Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ: mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Et argutè perquirit qua ratione matrem non tradidit Petro Ecclesiæ apici, non Andrææ, Matthæo, Bartholomæo, aut alteri cuipiam ex sacro Apostolorum collegio? Aptéque respondet Constantiæ Cypri Antistes: *Et manifestum est quod Ioanni propter virginitatem: Ecce enim mater: quamquam non esset mater ipsius Ioannis secundum carnem, sed vt ostenderet ipsam matrem esse principem virginitatis: quoniam ex ipsa vita erat.* Non est obliuiosus factus filius in ipso transitu, & mortis mœrore maternæ benedictionis, & gratiæ; primatũ virginitatis Deiparæ de Crucis suggestu commendat, & prædicat: Cum Mariam sacrum Deitatis depositum, & fœcundæ virginitatis thesaurum custodiendum tradidit Ioanni primo virginitatis Marianæ filio, & alumno Euangelico, filius Dei manifestè demonstrat esse singularem, & primam virgini

D.Epiph.

Cur Iesus in cruce pendens matrem non tradidit Petro, aut Andreæ.

Traditur Ioanni, quia virgo erat, & vt ostenderet matrem esse principem virginitatis.

virginitatis obseruandæ matrem, & magistram: *Vt ostenderet ipsam matrem esse principem virginitatis: quoniam ex ipsa vita erat.* Illa fœmina singularis & sola, quæ vitam peperit, virginei decoris est princeps, & columen, & propositi seruandæ perpetuò virginitatis inuentrix.

D. Gregor. Nyssen. *Virginitas præualet cõtra mortem.*

7. Adiice Epiphanio S. Greg. Nyssenum, qui mirificis encomiis celebrat potentiam virginitatis, inter alia facinora illud recenset eximium, hanc virtutem præualuisse contra mortem, & interitum: sic enim fatur lib. de virgin. c. 13. *Ergo si virginitatem mors superare non potest, sed eius potius præsidio illa concluditur ac dissoluitur, illud manifesto compertum est, morte ipsa virginitatẽ esse potentiorem.* Cùm enim operam darent nuptiis, & procreationi liberorum homines, mors non cessabat: nam id quod habet ortum, necesse est vt habeat interitum; expectabat hominũ genus virginitatis virtutem, in quã mors impingeret, eiúsque effectus essent irriti, ipsa enim virginitas est; quæ illam necessitatem in æternum moriendi tolleret. Quare subiungit: *Hoc enim pacto perpetuum illum, & corrumpendi, & moriendi cursum interrupit, qui à primo parente vsque ad virginalem vitam nunquam est intermissus.* Expectabat ergo hominum genus violentia mortis oppressum virginitatẽ, quæ aculeos mortis retúderet, hominemque mortalem ab interitu vindicaret. Non inuenit Moysis tempestate, Regum, & Patriarcharum ætate, neque Prophetarum diebus illud decus virgineum, quod in libertatẽ, & vitam assereret, donec ab Adamo vsque ad Deiparã peruentum Virginitatis inuentricẽ, quæ causa, & origo extitit animabus corporibúsq; immortalitatis vitæ: subiungit Nyssen. Gregor. *Superiores omnes ætates prætergressa cum his etiam, qui hanc vitam ingrediuntur: simul iam illa percurrens, virginitatem muneris sui terminum inuenit, quem porrò transilire difficilè est: Tanquam Dei matris Mariæ tempore ab Adamo vsque ad eam regnum mors obtinuerit: posteáque sola efficit, vt cùm tanquã ad lapidem aliquem virginitatis fructum mors offenderit, in ea contrita sit.* Cùm legis apud Gregor. Magni Basilij fratrem per virginitatis potentiã portas mortis occlusas, cursumque moriẽdi retardatum, & sublatum, durúmque iugũ super filios Adæ impositum alleuiatum, ne existimes ex Mariana virginitate hominis corpus non resolui, nexúmque corporis, & animi manere indissolubilem; nam post Deiparæ virginitatem, & partum, tempus accepit quo redderet terræ, quod de terra assumpserat; sed quod post illius virginitatem diuinã prole fœcundam reuertitur spiritus, si retinaculis piaculorum non præpediatur, ad immaterialem originem sui Creatoris; quòd immortalis vitæ nunquam interituræ sit particepes; quare mors postquam in virginitatem offendit non mors, sed requies, placidúsque somnus nuncupatur. Hæc autem diuina vita donanda virginitati decreta erat; vt sicut mors per virginem Euam introducta, & deperdita beata vita, ita per virginitatem Mariæ Deiparæ, vita resarciretur æterna, mors in animo, & corpore perennatura cessaret.

Virginitas cursum corruptionis, & interitus interrumpit.

Ab Adamo vsque ad virginẽ, cursus mortis nõ est ablatus.

Cursus mortis sistit, cũ ad virginem Deiparam venit.

D. Gregor. Nyssen.

Ab Adamo vsque ad Mariam regnũ mors obtinuit.

Maria sola effecit, vt mors in virginitate conteratur.

Per virginitatem diuina prole fœcundã reuertitur ad creatorem, & interruptione reuertitur.

D. Bernard.

Maria prima votũ seruandæ virginitatis vouit Domino.

8. Sanctus Bernardus aptissimè pro Mariano primatu est, tractatu de passione cap. 17. loquutus in persona Deiparæ: *Tota enim florea, nullius floris expers, quia nulla virtute careo, cùm tota speciosa sim, & macula non sit in me. Habeo lilium castitatis, quia prima votum seruandæ virginitatis voui Domino.* Hæc Bernardus mellifluus, de Maria benemeritus.

Albertus Magn.

9. His accumulo Albertum in omni litteratura Magnum, Angelici Doctoris Magistrum, & de Beatissima Virgine benemeritum. Qui examinans cap. 1. Lucæ, & verbum illud: *Ad Virginem.* cui salutatio cœlestis paranymphi destinabatur, ait Mariam Virginem per excellentiam nuncupari, priuilegio primatus singulari, quia prima votum edidit virgineum. Sic enim scribit: *De titulo quidem pudicitiæ virginalis dicit: ad virginem; bene virginem vt docet Glossa, quæ prima inter fœminas Deo virginitatis gloriosum munus obtulit.* Et ad illam sententiam Cantici Magnificat: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Inter alia gloriosa Mariæ magnalia, & facinora à potentia Domini, & IESV nomine operata, quibus inter omnes creaturas præfulget tertium recenset: *In voto primam virginitatis oblationem.* Et subiungit: *De voto autem virginitatis intelligitur hoc quod dicitur in* Psalm. 44. *Adducentur Regi virgines post eam. Quia ipsa prima fuit, & exemplo eius post eam secuta sunt aliæ, quæ se offerunt in templum Regi Domino.* Hæc Albertus.

Maria antonomasticè virgo nuncupatur, quia prima inter feminas Deo virginitatẽ obtulit.

Inter omnes creaturas præfulget Maria, quia prima, voto obtulit virginitatem.

Maria prima vouens virginitatẽ dicitur.

Hug. Card.

10. Nec in inferiori loco reponendus purpuratus Pater sacræ Prædicatorum familiæ lumen, & columen, Carensis Hugo, qui ad eam sententiam Psalmi decimi octaui: *In sole posuit tabernaculum suum*: Octo Solis priuilegia Mariæ adaptat grauiter, & argutè: *Beata Virgo octo habet priuilegia, quibus maior est omni terra, id est, omni femina, vel omni rationali creatura; ipsa enim nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Prima est, noua professio virginitatis. Vnde Lucæ primo: quoniam virum non cognosco, id est, me non cognituram propono, nulla ante ipsam professa fuerat virginitatem. Vnde rectè dicitur virgo virginum, quia signifera, & exemplar virginitatis,* Ipsa namque virginitatem voto sacrare virgines docuit. Ipsa est quæ sacrum virginitatis vexillum erexit, ipsa religiosas acies ductauit, instruxit, vt sacræ militiæ adscriptæ stipendia Domini mererentur.

Octo Mariæ priuilegia, quibus maior est omni creatura.

Prima Mariæ prærogatiua, noua professio virginitatis.

Nulla ante ipsam professa fuerat virginitatẽ.

Dicitur virgo virginum, quia signifera, & exemplar virginitatis.

11. Aliud argumentum ad stabiliendum primatum Mariani voti libatur ex sanctissimo, & dulcissimo MARIÆ nomine, illudque proponit, & illustratum magnis verborum fulgoribus reddit sanctus Gregorius Thaumaturgus serm. 1. de Annunciatione, hac sententiarum serie: *Et sanctissimæ Virgini valde suum quadrabat nomen. Maria enim nuncupata erat, quod illuminatio interpretatur. Quid enim splendore virginitatis illustrius. Quapropter & virtutes Virgines denominant, qui rectè essentias earum constituunt. Quod si tantum est bonum habere cor virginitate præditum, quantum tandem erit caro quæ cum animo virginitatem coluerit?* Itaque Maria, hoc est illuminata, & illustrata ex virginitatis splendoribus, nuncupatur ab Angelo; edoctus, & institutus à Deo, ille est, & consistorio sanctissimæ Trinitatis; de cuius consilio efformata, & decreta nomenclatio, vt Angelis, & hominibus innotesceret, quòd tanquã fulgentissimus Sol in vtroq; orbe cælesti, & terrestri refulsit decore virgineo, ipsaq; lampadem accendit virginalẽ cordis, & corporis illuminatione fulgurantẽ, vt præniteret omnibus, & virginitatis corpore, & animo colendę disciplinã traderet; quæ tã eximiũ, & nouũ accendit lumen, tan-

D. Greg. Thaumat.

Deipara Maria vocatur quia splendore virginitatis illustratur.

Maria lampadem virginitatis animi, & corporis accẽdit.

quam

Digitized by Google

quam luminare tantæ virtutis magnum, genus humanū de Angelico proposito erudiet; à Deo, ab Angelis, ab hominibus nuncupetur *Maria*. Vnde soror Moysi, quę in vmbra Deiparæ præcessit, & principatū delineauit primiceriæ imaginis virgineæ, insignitur Mariæ noméclatura. Exodi cap. 15. v. 20. *Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino*, &c. fuit enim vmbra virginea Mariæ antesignanæ virginum, quæ sacrum virginitatis extulit vexillum, & tanquam singularis psaltria, & tympanistria nouum canticum virginitatis modulis cecinit triumphalibus, carnis Pharaone demerso; Doctè Albertus Magnus in eam Lucæ sententiam: *Et ingressus Angelus ad eam*, scribit: *Hæc autem Virgo Beata nostra est tympanistra, quia sicut Maria soror Moysi sumpsit tympanum in manu sua egressæque sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis, & choris, quibus præcinebat; sic hæc Beata Virgo præcessit cum tympano mortificationis carnalis voluptatis: ludens in choro Angelorum, quam multitudo magna virginum, quibus ipsa præcinuit est subsequuta*. Hæc ille.

Maria prophetissa Mariæ Deiparæ vmbra.

Alb. Mag.

Maria tympanistria virginitatem præcinens habet subsequentes, & æmulantes virginum Choros.

12. Huic tam splendidæ diuinorum suffragiorum vrnæ calculum album adiicit sanctus Ioannes Damascenus, qui ex arcano pectore sacrario diuini spiritus sapientiæ penu, verba eructat plena dulcedine, plena pietate erga Deiparam; annuntiatæ ab Angelo Mariæ, secundum ordine præconium, & excellentiam singularem: *Inuenisti enim gratiam apud Deum*. Lucæ c. 1. cùm pensitat; illud effatum pronuntiat; quòd cùm cerneret Gabriel tanti mysterij internuntius Marianum pectus sacro timore correptum, & ex corde pauitante propter insolitas laudes virgineam faciem rubore perfusam, & cælestem Angelicæ Virginis candorem obrubuisse pudoris purpura, tali alloquio eam demulcet, & ab eius animo formidinis nubeculam dispellit, eam proclamans gratiæ virginalis inuentricem. Id enim denotat Angelicum effatum: *Inuenisti gratiam apud Deum*, ex Damasceni placito, orat. 1. de dormitione Deiparæ loquentis: *Sanè gratiam ea inuenit, quæ gratiam merebatur. Inuenit gratiam, quæ gratiæ labores excoluerat, ac copiosam gratiæ segetem collegerat. Gratiæ abyssum inuenit, quæ duplicis virginitatis nauem incolumem seruauerat; animam non minus, quàm corpus virginem custodierat: vnde etiam corpori virginitas constabat*. Duplicem gratiam reperit Maria, primam virginitatis, quæ animam, & corpus intactum, & purum custodire, & dedicare Domino destinauit; secundam gratiam Deitatem, seu gratiarum fontanam plenitudinem adinuenit, & quia primam gratiam excoluit virginalis pudicitiæ, nacta est Deum abyssum gratiæ: *Quæ duplicis virginitatis nauem incolumem seruauerat, animam non minus quàm corpus virgineum custodierat*. De hac prius asseruit Damascenus: *Inuenit gratiam, quæ gratiæ labores excoluerat*. In quibus verbis manifestè adstruit Mariam virginalis gratiæ animo, & corpore excultæ inuentricem, principem, & magistram. Hoc asserit Damascenus, hoc clamat Angelus: inuenisti gratiam. Ipsa enim hanc molem integritatis animi colendæ, diligendæ architectatrix est. De hoc inuento raro, singulari, & inaudito gratulatur Gabriel: *Inuenisti gratiam*. Iam prospectat fœminarum cœtus Euangelicam illam mulierem, quæ in media colluuione vitiorū sæcularium virginitatis drachmam, & margaritam nacta est, accenso fidei, & charitatis lychno, & lucerna vigilis custodiæ sensuum, quam Eua dormitans per incuriam perdiderat. Ideo humana natura in virgine Deipara ob tantam fœlicitatem omnium ordinum congratulationem requirit. Lucæ cap. 15. vers. 9. *Et cum inuenit, conuocat amicas, & vicinas*. Hoc est sublimes potestates Angelorum, & insignes sanctitate fœminas, Euam, Mariam, Saram, Rebeccam, & similes, dicens; *congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram*. Exultans & ouans dicit, quam in Eua perdidi, in Maria inueni cumulo abundantioris gratiæ ornatam, omnes sublimes potentiæ carnis expertes, animæque reginæ ob principatum obtentum in animi rationes, & motus, Mariæ sociæ, & contubernales, eam circumdant meritò diuinis laudationibus acclamantes: Aue gratiæ virginalis inuentrix, Angelicæ disciplinæ singularis magistra, illibati pudoris, & virgineæ imaginis quam primus plastes, primaque virago à Domino acceperat, restauratrix; floris & lilij Angelici, quod solum apud Angelorum areolas & topiaria vernabat, in terra humani cordis seminatrix, & cultrix; diuina Ceres, quæ de corolla immaculatæ segetis gloriatur; bellatrix primæua Minerua, quæ classicum cecinit aduersus libidinis passiones, & incontaminatum sponso custodire thalamum docuit: *Inuenisti gratiam apud Deum*.

D. Ioan. Damasc.

Maria inuentrix gratiæ virginalis.

Maria labores gratiæ excolens, gratiæ abyssum inuenit.

Inuenit corporis & animi virginalem custodiā.

Singulare, & nouum inuentum virginitatis Maria architectatrix est.

Gratiam virginitatis, quam Eua perdidit Maria inuenit.

D. Lucas.

Omnes fœminæ de hoc inuento virginitatis, Mariæ gratulantur.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Pars secunda discursus.

Quis Deiparam ad consilium insolitum deuouendæ Deo virginitatis permouit?

13. PERPLACET in præsenti ad confirmationem huius veritatis inquirere, quod motiuum habuit Beatissima virgo, vt Deo virginitatem suam consecraret. In primis nullum habuit incitamentū vel exemplar humanum, ad cuius imitationem seu æmulationem voueret; nam omnes fœminæ iuxta morem gentis suæ nuptui tradebantur; vnde vt morem gereret statæ à Iudaicis fœminis consuetudini, data est in matrimonium, & custodiam viro iusto Ioseph, vt perpendit clarissimum Ecclesiæ lumen sanctus Augustinus, libro de sancta virginitate cap. 4. ad ea verba: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* ibi fatur: *Quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat*. Itaque ante nuptias virginitatem vouerat, & post nuptias in voto permanebat intactæ, & integerrimæ puritatis, cum post nuptias fatetur Angelo virum non cognouisse. Perpende Augustini sententiam: *Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant*. Tam insuetatum, & insolitum apud Israëlitas virginitatis obseruatio, & votū; vt

D. August.

Israelitarum mores recusabant vouere Deo virginitatem, & manere fœminam innuptam.

Apud Israelitas virginitatis votum insolitum, & inusitatum.

vt virginem Deo consecratam necesse fuerit nubere, vt nuptiæ virgineum decus non tollerent, sed stabilirent. Itaque virgo Beatissima non habuit exemplar humanum, quod in vouenda virginitate sectaretur. Idem sentit Angelicus Doctor cum Augustino 3. parte q.28. art.4. corpore.

Virgo beata nullum habuit exemplar humanum vouenda virginitatis. D.Thom. D.Bern.

14. Audiendus tamen est Sanctus Bernardus ex cuius mellitis verbis mellilegium condam, & dulcem succum legentibus propinabo. Sic enim ait homil.3. super *missus est* : *O virgo prudens, ô virgo deuota, quis te docuit placere virginitatem? Quæ lex, quæ iustitia, quæ pagina veteris testamenti, vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter viuere, & in terris Angelicam ducere vitam? Vbi legeras Beata Virgo: sapientia carnis mors est, & curam carnis ne perfeceritis in desiderio? Vbi legeras de virginibus, quia cantant canticum nouum, quod nemo alius cantare potest, & sequuntur agnum quocumque ierit? vbi legeras laudatos esse, qui se castrauerunt propter regnum cælorum? vbi legeras in carne ambulantes, non secundum carnem militamus: De virginibus autem præceptum non habeo, consilium autem do. Tu verò, non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum: nisi quod vnctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei viuus, & efficax, ante tibi factus est magister, quam Filius. Prius instruxerit mentem, quam induerit carnem. Christo ergo deuoues te exhibere virginem, & nescis quod ipsi exhiberi te oportet etiam matrem? Eligis in Israel esse contemptibilis, & vt illi placeas, cui te probasti, maledictum incurrere sterilitatis: Ecce maledictio benedictione commutatur, sterilitas fœcunditate recompensatur.* Quamtumuis plura ex Bernardo mutuaui, quia propositum theorema valde confirmant. Nimirum omnes Fœminas veteris testamenti ornatas connubio, ne incurrerent sterilitatis maledictum; Deiparam in vouenda virginitate *nec preceptum, nec consilium, nec exemplum* habuisse, vt sola sine exemplo in vouenda virginitate Deo placuisse dicatur, nullum habuit exterius magisterium humanum, sed à verbo Dei interius excitata, diuinitus edocta, ad perpetrandum inauditum vsque ad illa tempora facinus consecrandi Deo impollutum animum, & corpus.

Nulla lex consuetudo, aut pagina veteris testamenti obseruantiam virginitatis docebat Mariam.

Maria nullū habuit obseruanda virginitatis consilium, aut exemplum. Dei filius instruxit mentem ad vouendam virginitatem, priusquam indueret carnem.

15. Est enim valde eximium & præclarum insigne honoris, & gloriæ in aliqua virtute primas tenere, viam nouam virginitatis demonstrasse, & exemplar religiosi status hominibus præbuisse. Intende inter alia encomia, quibus liber quartus Regum extollit inclytum Regem Ezechiam, illud est singulare, quod æternitati commendatur cap.18. v.5. *itaque post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt.* Numquid melior Dauide, melior Iosia? quorum alter electus à Domino caput Israel, & Regalis stirpis, de qua Messias germinaret; alter vero commendationem habet æqualem, de quo scribitur 4. Reg. cap.23. quod non fuit similis ante eum, nec post eum surrexit similis illi? Versat hanc quæstionem doctissimus Abulensis, & in decima nona respondet in succidendis lucis, euertendis delubris, conterendis sculptilibus Ezechiam non habuisse parem. Dauid nullum diruit conflatile, cùm eius tempestate cultus dæmonum nondum esset exortus; Iosias verò licet idololatriam aboleuerit, non fuit primus qui zelo Fidei incitatus bellum inferret vanis simulacris; sed æmulatus est exemplum Ezechiæ: audiendus est Abulensis: *Non fuit ei similis, quia Ezechias fecit hoc à se ipso non habens aliquem priorem, cuius sequeretur exemplum. Iosias autem secutus est exemplum Ezechiæ, Magna tamen laus est, quod aliquis fecerit bona, quæ nullus ante fecisset. Sic enim dicitur de Domina nostra: sola sine exemplo placuisti Domina Christo, id est non fuit aliqua, quæ emisisset votum virginitatis propter Deum ante Dominam nostram.* Ex quo clare constat in virginitatis voto habere primatum, nullum extitisse anterioris ætatis quod sectaretur exemplum, nullam virginem ante Mariam Deo consecratam voto virgineo.

Valde præclarum est in aliqua virtute primas tenere. Cur de Ezechia rege dicatur non habuisse parem. Lib. reg.

In euertendis delubris, & sculptilibus Ezechias omnibus regibus antefertur.

Abulens. *Ezechias primus simulacra diruit, tanti facinoris nullum habens exemplum. Magna laus facere, quod nullus fecit. Deipara prima, & sola sine exemplo votum virginitatis emisit.*

16. Quæ autem alia fuerunt motiua in Deipara Virginitatis sacrandæ Deo? Primum assignat Bernardinus de Bustos in Mariali parte 4. serm.12. de desponsatione Mariæ, illudque recenset ex Glossa, & illius additionibus ad caput primum Lucæ: *virum non cognosco.* Sic enim scribit: *Ecce tangit, quod ipsa vouerat castitatem. Nam dicunt quidam Doctores contemplatiui, quod Virgo Benedicta legens illud Isaiæ septimo: Ecce virgo concipiet, & pariet filium: non existimans se esse illam, amore ipsius virginis deuouit virginitatem, vt posset illius effici ancilla, & pedisequa, putans eam non recepturam ancillas nisi virgines.* Quæ verba licet formaliter non contineantur in Glossa, manifeste hauriuntur ex ea, & additionibus postillatoris. Potuit etiam hæc contemplatio fundari in verbis Psalmi 44. *adducentur Regi virgines post eam.* Nam vt erat ex Spiritus sancti magisterio erudita in intelligentia scripturarum, potuit intelligere hunc locum de pedisequis, & ancillis Deiparæ sectatricibus, quæ voto virginitatis conspicuæ circumdarent Deiparentem, tanquam flores rosarum, & lilia conuallium; & spiritu diuino ebria, affectu pietatis, & obsequij correpta toto animo concupisceret esse vnam ex virginum choro, quæ tantæ Dominæ ancillarentur, & in eius cultum se manciparent, & suam virginitatem dedicarent. In quo sensu amor erga Dei Genitricē, & piissimus deuotionis affectus votum Virginitatis in Mariano pectore protulit.

Maria necdum suæ dignitatis conscia, amore virginis, & matris Dei futuræ, vouit virginitatem. Bustos. Glossa. *Vt esset illius ancilla & pedisequa.* Psalm.

17. Aliud incitamētum, quod stupēt Angeli, mirantur homines tanquā diuinū quoddam prodigiū à Ruperto recensetur to.1. nouæ editionis lib. de læsione virginitatis c.6. quod altissima Mariæ Virginis humilitas causa fuerit vouendæ virginitatis. Sic enim scribit Abbas Tuitiensis: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Breui quidem, sed valde sonora annūtiatione, magnū significauit nobis thesaurū consciētiæ suæ. Reuera si aures audiēdi habemus, percipere vt cūque possumus, qualis illi causa fuerit vt virginitatis votū voueret, cuius non habebat exemplū.* Et statim: *Fateor Charissime frater, mihi & mecū nonnullis, quos cognoui dilectionē, & admirationē habere illius Beatæ Virginis, hanc opinionem esse, quod nullū existimauerit in mūdo esse corpus viri, cuius cōtubernio, vel coniugio dignā se posset arbitrari.* Quæ alia creatura præter Mariam attingeret tā reconditū, & penè imménsum abiectionis cētrū, & profundū; quę fæmina quātūuis abiectior, ignobilior, deformior, quæ nō se dignam reputet alicuius viri cōsortio, vel honesti amatoris ambitū nō requirat? Maria verò Regiis orta natalibus, cuius pulchritudinem Sol & luna mirantur, in cuius ore vniuersæ gratiæ

Altissima Mariæ humilitas causa fuit vouendæ virginitatis. Rupert.

Vouendæ virginitatis nullum habuit exemplum.

Maria existimauit, se omnium virorum contubernio indignam. Immensum abiectionis profundum in Maria.

Digitized by Google

gratiæ omnes suos illigarunt lepores, immersa in anihilationis suæ pelago, inæqualem se reputat omnium virorum contubernio, dignatione, alloquio, ideoque virginitatem vouit, quia apud se statuit nulli viro placituram, nec inuenturam qui vellet ad nuptias dare dextram: *Nullum existimauerit in mundo esse corpus viri, cuius contubernio, vel coniugio dignam se posset arbitrari.* Dixit hoc, vel cogitauit humiliter, existimauit valdè veraciter iuxta præscriptum Dei; imparem se arbitratur cuiuscumque viri commercio, quæ solùm digna est Deo; reputat in abiectione mentis suæ nullum promereri iugalem, aut amatorem, cui spondeat; quia Pater vt filiam, Filius vt Matrem, Spiritus Sanctus vt sponsam exambiunt: inconcinnam & incomptam se existimat humanis, quia solis apta est Seraphicis tædis, & sponsalibus diuinis. ideo se reputans despectam, & nouissimam fœminarum, ad Dei alas confugit, ipsi se consecrat, vt eam sub protectione, gloria, & culmine celsitudinis tueatur. Ideo ei, quæ se ablegatam recensebat ab hominum conuictu, & sodalitio, diuinum sponsum Deus perquirit, virorum omnium optimum & sanctissimum, Ioseph inquam, sub cuius velamento, & patrocinio commoraretur, qui non temerator esset, sed fidus custos Marianæ virginitatis.

Maria apud se statuit nulli viro placituram.

Ruper.

Sola est digna Deo, quæ omnium virorū consortio se reputat indignam.

Tanquam despecta & nouissima fœminarum se Deo consecrat.

18. Motiuum potissimum extitit ipse Deus, qui eam excitauit ad virginitatis votum, vt testatur sanctus Bernardus homil. 3. super *missus est.* Cui sensui patrocinatur S. Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 48. art. 2. cap. 8. examinans illud sacrum Mariæ effatum: *Quoniam virum non cognosco.* quasi diceret virgo benedicta, ait Bernardinus: *In tantum diligo pudicitiam virginalem, tantumque ob hoc abhorreo copulam maritalem, cùm Deo inspirante, & edocente virginitatis emiserim votum, quod etiam concipere si Deum, omnino nolo cognoscere virum carnaliter.* Et paucis mediantibus: *Vnde meritò pensandum est, quod hæc fuerat præcipua causa, quare modus concipiendi filium à Deo præfixus, non fuerat sibi diuinitus reuelatus, vt verbo aperto virgo hanc pudicitiam præmonstraret perfectam.* Eamdem sententiam repetit S. Bernardinus tom. 3. serm. 6. art. 2. capite 3. nec ego Senensis sanctissimi verba replicare grauabor. Scribit in hunc modum agens de Mariæ puritate in Filij Incarnatione præfulgente: *Primo quidem talis castitas, & puritas fulsit in proposito virginitatis: quia quantum in se erat, etiam pro Dei filio concipiendo refugit omnem commixtionem virilem. Proinde Angelo annuntianti conceptum Filij Dei inquit: quo modo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Id est, quoniam sum in statu & voto nunquam cognoscendi virum. Quasi diceret: scio quidem Deum multos habere modos, sub quibus hoc implere potest; sed vnus quantum est in me ex animi mei voto, & à meo animo elongatus, & omnino alienus, scilicet quod virum carnaliter cognoscendo concipiam etiam Deum.* Et statim: *& hanc arbitror causam præcipuam extitisse, quare modus concipiendi ab æterna à Deo præfixus, ei non extitit reuelatus, vt Virginis animo, & eloquio manifestè indicaretur in ea excellentissimus amor, & zelus huius virginitatis, & puritatis, & hoc in summo.* Cælestis consilij superna altitudo disposuit ignotum ei fuisse modum, & rationem à Verbo assumendæ humanitatis ante annuntiationem Angelicam; vt

Maria, ad virginitatis votum à Deo excitatur.

D. Bernar.
D. Bernardi.

Ipsum Deum concipere nolens cum virginitatis iactura.

Modum incarnandi Dei prius nesciuit, vt amorem erga virginalem pudicitiam in Maria demonstraret.

D. Bern. Senens.

Maria Deum ipsum concipere, & parere renuit si conceptus foret ex viri consortio.

audiens ex spiritalis paranymphi afflatu à Deo præelectam ad conceptum & partum paternæ prolis; arcanum mentis suæ consilium proderet, innotesceretque Angelis, & hominibus quàm altis infixum radicibus in eius animo erat virginitatis propositum, quandoquidem si ei daretur electio, vel in eius esset arbitrio constitutum, gignere Deum ex commercio viri; Dei maternitati præferret virginitatis suæ decus, nec grauidari optaret diuino fœtu cum detrimento virginitatis. Liquent ex dictis duo ornamenta Marianæ virginitatis, primum: ex Dei afflatu, & magisterio virginitatem vouisse: *Cùm Deo inspirante, & edocente, virginitatis emiserim votum. Sum in statu & voto nunquam cognoscendi virum.* Secundum: virginalis propositi & statuti firma stabilitas, & inconcussa, nec labefactati nec nutantis, aut alloquio Angelico, Dei Genitricis, Angelorum, & hominum Reginæ mox futuræ, magnificentissimis promissis. *Ex animi mei voto, & à meo animo elongatus est, & omnino alienus, scilicet quod virum carnaliter cognoscendo, concipiam etiam Deum.*

19. Ex præallegatis omnibus auctoribus, & aliis quamplurimis, quos breuitatis causa omittimus, conclusionem elicimus, & tanquam suauissimum succum ex melifluis sanctorum Patrum verbis, sententiisque exprimimus, & lectori propinamus, qui amore tantæ Virginis correptus est: Deiparentem esse primam non solùm excellentia dignitatis, & perfecti status virginei decoris, sed primam tempore, quæ ante omnem fœminam, ante omnem virum, quæ à Deo inspirata virginitatem vouit, firmumque propositum perpetuæ & nunquam interruptum virginitatis obtinuit: Hoc decus proprium est Mariæ, in humano genere hac prærogatiua singulari præfulgere, priuilegium Marianum existit, alteri non dabitur.

Maria dignitate, & tempore prima volens virginitatem.

20. Obiicies primò sanctum Isidorum Hispalensem, qui ait virginitatis studium in veteri testamento ab antiquis patribus exorsum. Sic enim ait lib. 2. de Ecclesiasticis officiis. c. 18. de virginibus: *Quantum enim ad vetus testamentum attinet, Elias, Ieremias, & Daniel castitatis & continentiæ bono primi studuisse noscuntur.* Idem testatur S. Ignatius Martyr epistola ad Philadelphienses. Ambrosius lib. 1. de virginibus. Idem de tribus pueris Damascenus lib. 4. fidei cap. 25. vbi de Danielis corpore dicit: *Virginitate solidatum, vt bestiarum dentes illi infigi nequiuerint.* Et sanctus Hieronymus epist. 22. de custodia virginitatis ad Eustochium: *Virgo Elias, Eliseus virgo, virgines multi filij Prophetarum.*

D. Isido.

Obiectioni nullus fit satis.

D. Ignat. Mar.
D. Amb.
Ioan. Dam.

Daniel virginitate solidatus, ne à Leonibus laederetur.

21. Respondeo ex auctoritatibus Patrū probatur aliquos ex veteribus sanctis fuisse virgines. An vero habuerint propositum virginitatis perpetuæ, vel voto illud firmarint, incertum omnino est, nec id affirmari potest, quia cum hoc non pendeat ex re possibili, sed ex facto, nulla inuenietur auctoritas sacræ scripturæ, aut sanctorum, quæ illud adstruat. Quapropter S. Isidorus citatus oppositum indicat, cùm perpetuam virginitatis obseruationem, & cultum, post Christi & Deiparæ virginitatem emanasse ad Ecclesiam affirmet, post præallegata verba subiungit: *Quantum vero ad nouum (Testamentum) virorum virginum caput est*

D. Isido.

Virorum virginum caput Christus fœminarum virginum caput Maria.

Christus, fœminarum virginum caput est Maria. Ipsa earum auctrix, ipsa Mater nostri capitis, qui est Virginis filius, & virginum sponsus. Inde agmina virorum, & puellarum sanctarum, inde sectatores & sectatrices perpetuæ continentiæ pullularunt. Postremis verbis illis: *sectatores, & sectatrices perpetuæ continentiæ*, satis indicat, cùm id non asserat de antiquis patribus, hoc solum pertinere ad Euangelium; & singulatim votum virginei decoris esse insigne sectatorum, & sectatricum Christi, & Deiparæ, expressè asserit ante finem capitis: *Pergant ergo viam sublimitatis virgines, pede humilitatis sequantur Christum, tenendo perseueranter, quod vouerunt ardenter: itaut professæ, ac seruatæ integritati, cæteris etiam moribus congruant.*

D. Isid. *Apud sectatores & sectatrices Christi professio virginitatis.*

D. Hieron.

22. Sancti Hieronymi auctoritas eumdem sensum continet, in quo illud annotandum, in solis viris antiquæ legis virginitatem admittere, fœminis omnibus denegasse; hæc enim post prædicta verba adiungit: *inueniebatur ergo in viris tantùm hoc continentiæ bonum, & in doloribus iugiter Eua parturiebat. Postquam verò virgo concepit in vtero, ditius virginitatis donum, fluxit in fœminas, quia cœpit à fœmina.* Itaque primatum virginitatis Mariæ attribuit respectu fæminarum; at respectu virorum primiceria est virginitatis consecratæ obseruatione perpetua. Vnde in fine capitis septimi eiusdem epistolæ scribit: *meum propositum sine sexu est. Habeant nuptæ suum tempus & titulum. Mihi virginitas in Maria dedicatur & Christo.* Vbi expressè asserit propositum & dedicationem virginitatis in Iesu, & Deipara habuisse exordium.

D. Hieron.

23. Pro cuius veritate sciendum ex Augustino & sancto Thoma, in virginitate duo esse consideranda, aliud quod se habet per accidens, & materialiter, scilicet integritas corporis, quod nullius corporei coitus voluptate voluntaria sit permixtum; aliud est formalissimum, & essentiale, quod virtutem virginitatis constituit, scilicet propositum perpetuæ virginitatis seruandæ voto firmatum. Scitè sanctus Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 8. ait: *neque enim & ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen Religione, ac deuotione seruatur.* Et in fine capitis: *In animi bonis illa continentia annumeranda est, qua integritas carnis ipsi Creatori animæ & carnis vouetur, consecratur, seruatur.* Et cap. 11. initio: *Nec nos hoc in virginibus prædicamus quod virgines sunt, sed quod Deo dicatæ pia continentia virgines.* Et Angelicus Doctor 2. 2. q. 152. art. 1. corpore: *integritas membri corporalis per accidens se habet ad virginitatem. Ipsum autem propositum perpetuò abstinendi à tali delectatione se habet formaliter, & completiuè in virginitate.* Et art. 3. ad 4. *virginitas secundum quod est virtus, importat propositum voto firmatum integritatis perpetuo seruandæ.* Ex quibus infertur antiquos Patres virginitatem non vouentes, aut perpetuæ obseruationis proposito eam non stabilientes, habuisse materiale virginitatis, non verò formale, quod virtutem virginalem per se, & principaliter constituit. De quibus sapientissimus Pater Franciscus Suarez illud pronuntiatum statuit tom. 3. de Religione lib. 3. cap. 1. num. 6. de Elia, & Eliseo: *Licet hi virginitatem*

Virginitatis virtus definitur.

D. Thom.

D. Aug.

Virginitas non quia virginitas est, sed quia Deo dicata honoratur.

D. Thom. *Ratio formalis virtutis virginitatis in proposito perpetuo abstinendi à venereis consistit, quod voto confirmatur.*

Suar.

seruauerint incertum tamen esse, an per votum illam consecrauerint: nam de hac re nulla mentio, vel significatio in Scriptura sit. Et de filiis Prophetarum & eorum congregationibus, ait numero 10. *Licet Hieronymus absolute dicat hos filios Prophetarum fuisse virgines, in scriptura id non reperio, & verisimile est dum ibi erant castitatem coluisse, nec in congregatione illa solitos fuisse admitti, nisi ab onere matrimonij liberos: Quod autem in eo statu perseuerarent semper, aut quod voto ad hoc obligarentur, affirmari non potest.* De puellis vero Iudaicis nulla est difficultas: audi quid de iis scribat Doctissimus Abulensis tom. 2. in Matthæum cap. 5. quæstione 205. loquutus de raptu virginitatis: *Si autem dicatur de raptu sanctimonialis non habebant locum in veteri testamento, quia tunc non erant moniales, id est virgines Deo sacratæ, quia nulla fœmina vouebat castitatem, sed potius erat improperium, vel maledictio, si aliqua fœmina maneret sterilis, & non conciperet, & tamen benedictio erat in pariendo, Genesis 30. & Deuteronomij 7. potius iudicabant se infelices mulieres quæ manebant in virginitate, & non genuerant prolem. Hæc patent de filia Iephte Galaaditis, cùm fuit occidenda petiuit à patre vt fleret duobus mensibus suam virginitatem super montes Israel cum sodalibus suis, & ita factum est, Iudicum cap. 11. Et sic illa lugebat quia mortua est in virginitate, id est, antequam haberet prolem; & ita non erant tunc mulieres habentes propositum virginitatis, quæ possent rapi. Domina autem nostra fuit prima quæ in veteri testamento voluit seruare virginitatem, ideo de illa dicitur: sola sine exemplo placuit Domina Christo, id est, non habens aliam priorem quam imitaretur in proposito virginitatis.* Imo nec alium virum, qui virginitatem vouerit, vt constat manifeste ex patribus præallegatis. Audiendus etiam est S. Hieronymus tomo 9. sermone de natiuitate S. Mariæ, ibi ait, quòd virgines in templo commorantes vbi ad ætatem iugalibus tædis aptam peruenissent, summi antistitis Ierosolymitani imperio & hortatu, domum patriam reuertebantur, vt in matrimonio locarentur, & vacarent procreandis liberis. Verba Hieronymi sunt: Cum ad quartum decimum annum peruenirent, *tunc pontifex publice denuntiabat, vt virgines quæ in templo constituebantur, & hoc ætatis tempus implessent, domum reuerterentur, & nuptiis secundum morem gentis, & ætatis maturitatem operam darent. Cui mandato cum cæteræ pronæ paruissent, sola virgo Domini Maria, hoc se facere non posse, respondit, dicens: se quidem & parentes suos Domini seruitio mancipasse, & insuper seipsam Domino virginitatem vouisse, quam nunquam viro aliquo commixtionis more cognito, violare vellet. Pontifex vero in angustia constitutus animi, cum neque contra scripturam quæ dicit: Vouete, & reddite, votum infringendum putaret: neque morem genti insuetum introducere auderet, præcepit vt ad festiuitatem quæ imminebat, omnes ex Hierosolymis & vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset.* In quibus verbis ad præsens institutum illæ sententiæ annotandæ: *Virgines quæ in templo constituebantur, domum reuerterentur, & nuptiis operam darent. Cui mandato cum cæteræ pronæ paruissent.* Ex quibus fit perspi

An patres aliqui veteris testamenti, virginitatem vouerint, incertum omnino.

Abulens.

In veteri testamento non erant moniales, nec virgines Deo sacratæ. Iudicabant se infelices fœminæ quæ permanebant in virginitate.

Maria fuit prima quæ in veteri testamento voluit seruare virginitatem.

Sola sine exemplo in virginitatis proposito.

Omnes virgines quæ in templo Ierosolymitano morabantur, cum ad ætatem nubilem peruenissent, in matrimonio locabantur.

Marianæ virginitatis votum insuetum & insolitum.

perspicuum etiam virgines quæ in illo sodalitio vel contubernio templi Ierosolymitani commorabantur, solitas nubere. Altera vero: *Neque morem genti insuetum introducere auderet*, in qua Marianæ virginitatis votum æquo iure nuncupat Pontifex insolitum, insuetum, nouum, inuisum, & inauditum; ideò expectata est diuini, oraculi vox ex primorum, & Sacerdotum calculo, quid in re tam dubia decerneret; vt ibidem subiungit Hieronymus, idémque affirmat S. Gregorius Nyssenus sermone de Christi Natiuitate.

Iesus primarium exemplar vouendæ virginitatis. Suar.

24. Denique Christus Dominus exemplar fuit perfectissimum vouendæ virginitatis. De qua verisimile est votum emisisse, vt docet sapientissimus Suarez tomo 3. de religione.lib.9. cap.1. num.19. tam eximij Doctoris verba refero agentis de voto virginitatis Christi Domini: *Nihilominus certissimum est fuisse virginitatis Deo consecratæ exemplar longè excellentius, tum quia non solum voto, sed ipsamet diuinitate virginitatem consecrauit, & tanquam rem sua diuina Persona maximè decentem illam assumpsit, & à principio conceptionis suæ immutabili decreto firmauit: tum etiam quia ipsummet votum Beatæ Virginis ab ipso Christo duxit originem, & in illius honorem, & præparationem inspiratum, & dicatum est. Idemque suo modo de voto Sancti Iosephi dici potest, qui etiam ratione muneris se comitandi, & propter honorem virginis, & Christi, donum, & singularem sanctificationem suæ virginitatis accepit.* Æquum enim erat, vt IESVS, & Deipara essent primaria exemplaria vouendæ virginitatis, & religiosæ perfectionis hominibus, & fœminis proposita, nam vt Angelicus Doctor affirmat.3. parte. quæst. 28. art.4. ad 2. *Sicut gratiæ plenitudo perfectè quidem fuit in Christo, & tamen aliqua eius inchoatio præcessit in Matre: ita etiam obseruatio consiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfectè quidem incepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine Matre eius.* Hæc Ecclesiæ lumen Thomas. His ergo cœlestibus consiliis viginitatis dicatæ, & Euangelicæ perfectionis IESVS, & MARIA dederunt exordium, ideò dicuntur admirabiles consiliarij. Hunc admirabilem consiliarium Iesum, & admirabilem consiliatricem Deiparam abstulit à Iudæis Deus, de quibus Isaiæ vaticinium procedit: *Auferet Dominus admirabilem consiliarium.*

Iesus non solum voto, sed ipsa diuinitate virginitatem consecrauit.

Virgineũ votum Mariæ, à Christo duxit originem.

Iosephi votũ

D.Thom. *Consiliorum obseruatio perfecta à Christo orsa; inchoata fuit in Maria.*


Religiosa perfectionis exordium à Iesu, & Maria.



Et Consiliarium.

DISCVRSVS V.

Felices & benè fortunatos euentus expectet, qui cum cœlesti oraculo iustitiáque suos cogitatus consultat.

1.  ELIX in cuius pectoris aula Deus assidet, ex cuius imperio, & oraculo humanæ actiones directionem, & securitatem accipiunt; felix, qui possidet assistricem prudentiam, iustitiam, vt iuxta æquitatis, & iuris afflatum animi sui motus, aliorum actus componat. Post vniuersi cataclysmum, quo abolitum est omne hominum genus, cessantibus aquarum nimbis, marisque fluctibus ad patriam domum sese recipientibus, læta facies telluris apparuit, auráque vehementi exiccata superficies. Genes. cap. 8. vers. 13. *Et aperiens Noë tectum arcæ aspexit, viditque quod exiccata esset superficies terræ.* Adhuc comperendinat expressionem ex illa custodia, in qua tenebrarum compedibus deuinctus tandiu delituit; nec præproperam fugam parat ex contubernio ferarum, vt vitali halitu recreatus perfruatur huius lucis vsura. Expectat Domini nutum, & imperium, totum se committit diuinis iussionibus, vt ad vocem cælestis oraculi ingrediatur, & ex arca egrediatur. ibi. vers. 15. *Locutus est autem Deus ad Noë, dicens: egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum.* Vt euaderet ex pressura, & ærumna lignei carceris, expectauit diuinæ voluntatis nuntium: iustus enim omnes actus metitur ad superni consilij normam. Pulchrè S. Ambrosius lib. de Noë cap. 21. scribit: *Recedente aqua, & siccata terra exire potuit Noë de arca: sed iustus nihil sibi arrogat, sed totum se diuino committit imperio. Et maximè qui cœlesti fuerat ingressus oraculo, cœleste debuit, vt egrederetur, expectare responsum. Verecunda enim iustitia est.* Impellebat intus maleolentium animantium fœtidus, & putidus halitus, vt ex quodam mortis tumulo quasi rediuiuus exiret ad regionem viuentium; inuitabat exterius frondium ornatus, opacitas nemorum, ridens tellus thoris herbosa riparum; auiditatem cohibuit, ex consensu oraculi, & consilio egreditur, vt nouus partus in mundum, primique gressus fortunati redderentur: *Verecunda enim iustitia est.* Est enim æquitas, & iustitia sicut sponsa pudica, & pudorata, quæ tota pendet ex arbitrio sponsi, cui totos animi recessus, & pectoris arcana aperit, eiúsque directionem expectans, à consiliis eius non discrepat.

Genes. *Noë iuxta imperiũ Dei ingredi in arcam, & ex ea egreditur.*

D.Ambr. *Iuxta diuini nutus, & consilij normam in, mores suos componit.*

Iustitia sicut sponsa pudica Dei consiliũ expectat.

2. Noë similis extitit Iob, cuius patrium solum, terrámque natiuitatis, quæ patientiæ germina, & iustitiæ tantæ fructus protulit, sacra Scriptura commemorans inquit Iob cap.1. vers. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob.* LXX. legunt: ἐν τῇ χώρᾳ αὐσιτιδῆ. *Homo quidam erat in regione Ausitide.* ita legunt Origenes lib. 1. in Iob, Chrysostomus, Olympiodorus, Didymus in catena Græca. Alij Arabiam, alij verò Idumæam censent esse terram Esau prophani, & flagitiosi, ex qua tanquam ex vitiorum, & iniquitatum vepribus rosa illa patientiæ Iob germinauit. Arcanum verbi *Ausitidis* introspiciens Didymus in catena Græca ait: *At sublimiorem Ausitis habet interpretationem. Nam Ausitis consilium valet, in quo iustus domicilium constitutum habebat: is enim qui facilis est ad excandescendum, temerè agit. Quare vt canibus sic illi cæca nascuntur tum dicta, tum facta. Hic autem iustus nihil non ex consilio administrabat, in quo sapientis præcepto obtemperabat: Cum consilio omnia fac.* Terra in qua exoritur iustus, & vitalem auram capit Ausitis, seu consilium est, debitum iusto viro habitaculum sapientiæ, consilij domus, quo intra rectæ rationis formam vitam instituit, nec æquitatis metas transiliuit, intra cancellos diuinæ sapientiæ se continens. Cæco quodam impetu feruntur improbi, consilij, & prudentiæ

Iob. Lect. Lxx. *In regione Ausitide Iob oritur.* Origen. D. Chrysost. Olimp. Didym.

Iob in Ausitide, hoc est in Consilio, domicilium constituit.

Iob omnia ex consilio administrabat.

Digitized by Google

ſuſtinent orbitatem, ideo rebus in omnibus exorbitant, verba, operaque parturiunt viduata lumine ſapientiæ inſtar canum qui cæcos edunt catulos.

Fons conſilij & æquitatis apud Deum.

3. Statuit ſapiens apud Deum eſſe fontem ſapientiæ, conſilij & æquitatis, quam ſi quiſque obſeruauerit, vitam aget fœlicem. cap. 2. Prouerbiorum v.9. *Tunc intelliges* (inquit) *iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem. Et omnem ſemitam bonam.* L X X. transferunt: *& diriges omnes ſemitas bonas.* Græcum verbum ἄξονας prægnans eſt myſteriis. Aquila ait denotare *flexus.* Symmachus *inuolutiones.* Propriè eſt *axis currus*, & vſurpatur pro mundi axi circa quem voluitur. Athenienſes legum ſuarum tabulas nuncupabant ἄξονας Plutarchus in Solone: *Statuit autem in centum annos leges omnes ratas haberi, quæ ligneis tabulis deſcriptæ ſunt, quas Axonas appellant.* In parabolis Salomonis cap. 2. citato, pro tramite, & orbita vſurpatur, quare in præſenti legit catena Græca: *omneſque honeſtatis orbitas proſperè abſolues.* Subiungit Polychronius in eadem catena: *Quæ de rotarum orbitis, vel axibus non abſque tropo hic exponuntur, ea ad animum transferenda ſunt. Vt enim axes, quibus rotæ inſeruntur, in quadam æquabilitate perpetua illas continent; ita iuſtitia animam, eiuſdemque vires, præcipuè verò inferiores (hæ enim per rotas hoc loco inſinuatæ putantur) firmat, iugiterque in officio continet.* Vehitur in corpore animus velut auriga in curru, & inferiores vires appetitus carnis, quæ in varia deſideria, & cupita voluitur, & rotatur, axe diuinæ legis continet in æquabilitate perpetua, ne à ſapientiæ, & æquitatis tramite exorbitent; in cuiuſcumque ætatis flexibus, ſinuoſis negotiorum ambagibus, tentationumque mæandis dirigit quadrigam ſtrenuè, moderatamque cæleſtis conſilij, & diuinæ legis retinaculis perducit ad optatam fœlicitatem. Iure quidem optimo leges diuinas, & humanas axes, vel axonas nuncupabis; ſicut enim in cæli axe, ſeu cardinibus perpetuo, & inuariabili motu cæleſtes rotantur orbes; ſic orbis inferioris moles, paruuſque mundus homo in officio virtutis continetur juxta œconomicam, vel politicam gubernationem, probis conſiliis legum iuſtarum polis.

Prou. — Lect. LXX. — Omnes bonitatis ſemitæ, & orbitæ à Dei conſilio, & iuſtitia proſperantur. — Lect. Græ. — Aquila — Sym. — Plutar. — Leges in tabulis ſcriptæ axones vocantur. — Cat. Græ. Polych. — Sicut axes rotas in æquabilitate continent, ſic iuſtitia vires inferiores animæ in officio cõtinet.

Probi conſiliatoris encomia.

4. Maximis encomiis inſectatur Salomon iuris prudentem, & probum conſiliatorem. Sedile ſapientiæ, thronum, & cathedram vocat æquitatis. Prouerb. cap.12. v.23. *Homo verſutus celat ſcientiam.* L x x. verò ſententiam efferunt: *Vir intelligens thronus ſenſus.* Et in catena Græca: *vir prudens intelligentiæ ſedes exiſtit.* Ibidemque virum prudentia præditum, iuſtiſque conſiliis, commendat Olympiodorus: *Vniuerſus enim illius ſenſus propter prudentiam, qua pollet, in eo conquieſcit. Ob id virum prudentem ſenſus iudicij, vel intelligentiæ thronum vocat, quia ſenſuum omnium regina, & quaſi caput eſt prudentia.* Et Chryſoſtomus: *vir prudens thronus, vel ſedes ob id dicitur ſenſus, quia eſt ſapientia cathedra, ſenſuſque atque iudicium ad eum modum in illo quieſcunt, vt nunquam inde recedant.* Iniquus ſapientiæ, & prudentiæ gubernaculo deſtitutus, nec rationis, nec ſenſuum tenet dominatum, ideo ſicut palantes pecudes ſine rectore, in vitiorum paſcua oberrantes derelinquit; at vir prudens quadam poteſtate regali cohibet affectus animi & iuxta leges æquitatis viuere cogit: Habet enim in pectore ſolium pulcherrimum, in quo ſapientia, & prudentia placidè conquieſcunt; indeque tanquam ex oraculo iudicia prodeunt ad lites dirimendas, componendos mores; ex illius enim magiſterio tanquam ex perenni fonte ſapientiæ pellucidi conſiliorum latices ſcaturiunt, ad ſedandas perturbationes animorum. Ritè Plutarchus imperij ſociam auet prudentiam, & iuſtitiam, quæ Regũ thronis, & mentibus aſſideat lib. de doctrina principum ſcribit: *Anaxarchus igitur cum Alexandrum de Cliti corde diſcruciantem ſe ſe conſolaretur, dixit ad hunc modum. Clito iuſtitiam contigiſſe, quæ diis aſſideat, vt quidquid à rege fieret, fas, iuſque videretur.* Et ſtatim: *Nõ aſſidet Ioui iuſtitia, ſed ipſe iuſtitia, faſque eſt, lexque tum antiquiſſima, tum exactiſſima. Veteres ita & loquuntur, & ſcribunt, & docent, abſque iuſtitia principatum rectè gerere, nec Iouẽ quidem ipſum poſſe, atque eadem virgo eſt, iuxta Heſiodum, nimirum incorrupta, pudoris, modeſtiæ, & caſtitatis amica. Vnde & reuerendos cognominant reges.* Hæc Plutarchus. Cùm Rex ſedium ſupernarum aſſiſtricem iuſtitiam, & ſapientiam habet ſocias regiminis, fortunata ei accidunt omnia, vtriuſque virtutis colligatæ, & conſertæ manus præbent munimentum principi, imperium reddunt ſtabile.

Prou. — Lect. LXX. — Cat. Græ. — Vir prudens ſedes ſapientiæ & Cathedra. — Olymp. — Senſuum omnium regina, & caput prudentia. — D. Chryſoſ.

Optima imperij ſocia prudentia & iuſtitia, quæ regum thronis, & mentibus aſſideat. — Plutar. — Iuſtitia dijs præſidet. — Imperium rectè gerere abſque iuſtitia, nec Iouem ipſum poſſe. — Iuſtitia Caſtitatis amica.

Oſeas. — Satrapæ, & præſules nũcupantur ſcopi. — D. Cyr. Al.

5. Magnates, ſatrapaſque in præexcelſo honoris apice conſtitutos vocat ſpeculatores Oſeas c.9. v.8. *Speculator Ephraim cum Deo meo.* At S. Cyrillus ibidem nuncupat *ſcopos*, legens: *ſcopus Ephraim cum Deo.* Quia mentes, actioneſque ſubditorum ab iis diriguntur, eoſque inferiores ſuſpiciunt vt exemplar, & imitamentum ſuarum actionum, Sic placet S. Cyrillo ſcribenti: *Solet diuina ſcriptura ſcopos nominare præſides, & moderatores populi, & in ſublimi dignitatum gradu collocatos, in quos intueatur, qui rectam, & inculpatam vitam degere, velit. Quare alicubi Deus ad beatum Prophetam Ezechielem: fili hominis ſcopum dedi te domui Iſrael, & ſermonem exaudies ex ore meo, & minaberis eis à me. Vſitatum enim erat his ſcopis, non ſolum eis, quos inſtituerent ad deſcriptionem, & formam virtutis, vna cum legibus ſuamipſorum vitam proponere; ſed etiam optima præcepta tradere, & Dei voluntatem probè interpretari.* At iuxta vulgatum, & vatis acumen, ſe præbet magiſtratus iuſtitiæ ſpeculum, virtutis exemplar, probi conſilij magiſtrum, optimæ inſtitutionis, iuxta legum normam, viuam & expreſſam imaginem, ſi adſit illi Deus: *Speculator Ephraim cum Deo meo. Scopus Ephraim cum Deo.* Erit enim fidus diuinæ legis interpres, iuſtuſque conſiliarius, ſi cum cæleſti oraculo conſulat cogitatus ſuos, iuriſque conſulta; vt ſicut ipſe ſcopus eſt populis, ſit illi Deus ſcopus, quem dictata ſua, & facta colliment; qui enim à tanto exemplari non diſcedit, non digreditur, ſed mentis deſideria ad illud refert, & dirigit; conſilia à communi vtilitate à vtroque non aberrant: *Scopus Ephraim cum Deo.*

Moderatores populi in ſublimi collocati, vt, iuxta eorum inculpatam vitã, populus mores componat. — Scopi monentur, optima præcepta tradere. — Optimus conſiliator, qui cum Deo eſt & ſuas cogitationes conſultas.

6. Afflatus cæleſti numine Moyſes, effigiauit propitiatorium, ornatũ Cherubinorũ, vtrumque latus cingentium venerando ſatellito, vt inde tanquam ex oraculo veridica daret Deus reſponſa Moyſi, populique principibus, exquiſitas queſtiones perſcrutantibus; eaque forma, mirabili artificio ad miraculũ variegata, excitaret animos, vt penitius introſpicerent arcana, in Cherubinorũ ſitu, forma, nutibus deliteſcentia; quibus

Indicum coetus & ſenatorum conſilia inſtruebat propitiatorium Moſaicum.

quibus omnibus Iudicum cœtus, Senatorum consilia, mirificè instruebat. Exodi cap. 25. vers. 18.& sequentibus: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuò, versis vultibus in propitiatorium.* Et v. 22. *Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim.* Ex purpuratis patribus Caietanus miro acumine aperit oraculi, & Cherubinorum ænigmata: *Ne vanum*, (inquit,) *reputaretur propitiatorium, declarat Deus quod ipse non in illo contentus, sed super illud à supernis paratus erit ad officium audientiæ.* Et statim: *Humano more loquitur Deus, more principis statuentis locum audientiæ.* Habent principes præcelsa tribunalia, togatorum, illustres senatus, ad terminanda iurgia legibus, iure soluendos causarum nodos; quibus tanquam exemplar proposuit Deus suum oraculum, & Cherubinorum affectus: *Respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium.* Vbi Caietanus ait: *iuxta Hebræum habetur, & facies eorum vir ad fratrem suum, ad propitiatorium erant facies Cherubim.* Et subiungit: *Ita quod duo Cherubini non ex obliquo, non torquendo collum, sed secundum rectam lineam mutuò se respiciebant, & propitiatorium medium inter eos.* Iurisconsulti, legum interpretes, magistratus trabea ornati viri, debent esse sicut Cherubim, continuò speculentur attente Dei oraculum, sese mutuò prospectent, vt in forensibus iudiciis in indagatione veritatis coeant, in distributione iuris à Dei voluntate non discrepent; quorum intuitus debet esse sincerus, ab omni iniustitiæ inquinamento perpurgatus: amat enim ius, fasque non homines lusciosos, non aspectus luscos auaritia, non inimicitia toruos, non in interpretandis legibus, dirimendis litibus multiplex, & callidum ingenium, disputandi genus tortuosum, in patrocinandis causis, veritate celanda, aut in iustitia aperienda flexuosum, & obliquum; res oculatissimas non inspergant labyrinthiacis tricis, non vela difficultatum, velut tenebrarum obtendant. Sit simplex oculi pupilla, recta linea prospectent oraculum legis, legislatorisque mentem; quod obtinebunt, si munerum oppressio violenta, colla sua, capita sua non retorqueat; qui personam accipit, caput reflectit, qui xenia prospicit, vultum ab æquitate auertit, vim infert legi, eam torquet, & litigans sententiam extorquet: is *Ex obliquo, & torquendo collum, non secundum rectam lineam respicit propitiatorium.* Non dissimilem contemplationem inuenies apud Alexandrinum Archipræsulem Cyrillum in Catena Exodi allegatum Cherubicos affectus explanantem: *Cerne Cherubim circumstantia propitiatorium conuersa ad propitiatorium, & penè nutui Dominico oculum intendentia: ad Dei enim voluntatem tantum respicit sancta cælestium spirituum multitudo.* Parati sunt ad diuinum obsequium Cherubici spiritus, operationes suas sublimes assimilantes, & conformantes ad Dei arbitrium; hos æmulari humanos Cherub, qui diuinæ, & humanæ legis oracula interpretantur, felicitas est, à regula iuris, & æquitatis nec transuersum vnguem discedere eis in votis est.

Caietan.

In oraculo præparauit Deus locum audientiæ.

Cherubini sese mutuo annuunt, & semper prospiciunt oraculum. Caietan.

Cherubini non ex obliquo, aut torquendo, collū sed directe, se & propitiatorium respiciunt.

Intuitus senatorum in iustitiam, nō luscus aut toruus, sed debet esse sincerus, & rectus.

Qui xenia prospicit, vultum ab æquitate auertit.

D.Cyrill. Alex.

Cherubini ad Domini voluntatē tantummodo respiciunt.

7. Cùm cerneret Moysen Iethro pro tribunali tota die sedentem, & disceptationes componentem populi, ait ei, Exodi c. 18. v. 14. *Quid est quod facis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsque ad vesperam? Cui respondit Moyses: venit ad me populus quærens sententiam Dei: cùmque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius.* In quæ verba quæstionem excitat, & dilucide dissoluit S. Augustinus q. 67. in Exodum: *Quæri potest, quomodo ista Moyses dixerit, cùm lex Dei adhuc nulla conscripta esset; nisi quia lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, vt quod in ea inuenerint, vel faciant, vel iubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate perceperint. Numquid enim Moyses quamuis cum illo Deus loqueretur, per singula credendum est, quod consulere soleret Deum, si quid esset in disceptationibus tantæ multitudinis, quæ illum in hoc iudicandi negotio, à mane vsque ad vesperam detinebat? Et tamen nisi suæ menti præsidentem Dominum consuleret, legémque eius æternam sapienter attenderet, quid iustissimum iudicare inter disceptantes posset, non inueniret.* Hæc Augustinus. Habebat Moyses Deum suæ mentis præsidem, eius legem æternam, & veritatem pro oraculo, quæ deuiare non permittit hominum mentes à tramite æqui, & iusti; ideò forensium negotiorum pondere nec opprimebatur, nec fallebatur, immo omnia facta eius procedebant feliciter, habebat intus Deum consiliatorem.

Exod.

Cur Moyses ante legem scriptā, præcepta, & leges Domini populum docebat.

D. August.

Legem Dei sempiternam consulunt piæ mentes.

Deum mentis suæ præsidentem consulebat Moyses in controuersiis populi.

8. Eodem oraculo dirigebatur constans, & prudens femina Rebecca, quæ sterilitate diuinitus sublata, cùm collidèrent in vtero paruuli, & ante exitum alter alterius plantam tenere paratus esset. *Perrexitque, vt consuleret Dominum.* Gen. c. 25. v. 22. mentem, & affectum pietatis Rebeccæ in hac consultatione manifestat sanctus Ambrosius lib. de Isaac cap. 4. *Eo quod nihil sponte præsumat, sed in omnibus summum Deum præsulem poscat suorum consiliorum.*

Rebecca summum cōsiliorum præsulē Deum consulebat.

D. Ambr.



Et Consiliarium.

DISCVRSVS VI.

Omni solicitudine inuestigandus principibus amicus fidelis, probus consiliarius, fidus Achates, cui arcana pectoris reuelent, vt is pio, & prudenti consilio regiminis pondus releuet.

1. PVLCHERRIMVM ornamentum adiicit sententia Hieronymi proposito Isaiæ commati, & themati, sic scribit: *Græci poetæ laudabilis, & admiranda sententia est: Primum esse beatum, qui per se sapiat: secundum, qui sapientem audiat; qui autem vtroque careat, hunc inutilem esse tam sibi, quàm omnibus. Vnde & illud in nostris libris legimus: amici sint tibi plurimi, consiliarius autem vnus de mille. Et iterum cum consilio omnia age, & dabit tibi prudentia admirabilem consiliarium.* Quis regnum sibi summâ arrogabit sapientiæ, vt nullo consultore indigeat, nisi efferata mente sit præditus? Postulat enim negotiorum moles adminiculatores, qui ipsum curis, laboribusque oppressum fulciant.

D. Hieron.

Primum beatus per se sapiens, secundus qui sapientē audiat.

Qui vtroque caret inutilis.

Sapienter

Cassiod. Sapientia, & prudẽtia per alios requirenda. Senes, & maturi solatium regibus adferunt. Meliores æstimantur reges, si scire omnia non præsumant.

Sapienter Athalarius Rex scribit Tolonico viro Patricio: *Magna est enim, infinitaque prudentia, quam nemo sic assequitur, vt eam non necessario & per alios quærere videatur. Senes ipsi consilijs sapientiam discunt, & à maturis in commune quæritur, quod pro omnium vtilitate tractatur. Solatium curarum frequenter sibi adhibent maturi, reges & hinc meliores æstimantur, si soli omnia non præsumant.* Quæ verba refert Cassiodorus lib. 8. variar. epist. 9. Medicinalis operatio prouenit à consilio seniorum, quæ malis ingruentibus prudenter occurrat, aut futura præueniat. Quid est sapientis consilium nisi forte brachium, quod nutantem imperij verticem stabiliuit, eripuitque à ruina; sæpe laborum, & curarum subitò excitantur nimbi, qui regium pectus obnubilant, & mœrore sauciant; at consultatio prudentis pellit nubila, cœlum regis serenat, & solatio perfundit. Subiungit Athalaricus de auo suo, quantum fiderit consiliis Patricij: *tecum pacis certa, tecum belli dubia conferebat; & quod apud sapientes reges singulare munus est, ille solicitus ad omnia, securè tibi pectoris pandebat arcana.* Humanum namque cor ærumnis exagitatum, & interclusum, cum amico aperit pectoris solicitudines, placide respirat, & curarum pondus in eo reponit. Verba Sapientis solatio plena aculeos solicitudinum pungentes grauiter, extrahunt suauiter; dulcique verborum lenimento, & prudentis consilij oleo anxietatis sanantur vulnera; apposite, grauiter ad rem nostram Arcadium Imperatorem hortatur Synesius Episcopus Cyrenes libro de regno: *Hinc à seipso progrediens Rex, cum propinquioribus primum, & amicis conuersabitur, quibus cum vna coeuntibus de summa rerum consilium capiet*, &c. *Nam quæ vlla Rege dignior possessio, quàm amici consortium? Quis secundarum rerum particeps iucundior? Quis in aduersis fortunæ casibus tolerandis stabilior? Quis in laudando sincerior? Quis in acriter obiurgando minus molestus? Probi autem, ac benigni regis quod nam euidentius populo argumentum, quam si beatos eos faciat, quorum familiaritate vtitur? Hoc enim pacto etiam longinquioribus amabilem sese præstabit, bonisque id in voto erit, regis amicitiam sibi demereri posse.* Hæc pulchrè Synesius.

Cassiod.

Synes. Rex cum amicis consilium capiat. Regis dignior possessio, amici consortium. Rex eos, quorum familiaritate vtitur, beat.

2. Fidat Rex amico, quem probum, & fidelem inuenerit in omnibus experimentis. Non tamen cuiuis aperiat pectoris arcanum, aut consilij sui mysterium propalet. Id edocet Iosephus ab Arimathia Senatoriis clarus insignibus, cùm Iesv cadaueri de patibulo reuulso, funeris iusta soluit; inter alios parentales ritus, quos exhibuit decurio nobilis, ille maximopere enituit apud Marcum Euangelistam cap. 15. vers. 46. *Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum, inuoluit sindone, & posuit eum in monumento.* Ad quid linea, & nitida velamina obtendit Iosephus Iesv corpori vita functo? Ad ornatum, ad decorem, ad honestatem; vt secundi Adami tegeret nuditatem. Vt debitum humanæ naturæ quo Deo tenebatur adstricta, soluat. Fecit Deus primis parentibus post transgressionem pelliceas togas, & induit eos, primi integumenti debitores eramus; ab hoc debito quodammodo nos soluit Iosephus, sindone inuoluens Iesvm: pellicea chlamys de animantium exuuiis contexta debebatur peccatori protoplasto, qui per crimen mortalitatem inuexit; Iesv verò albicans integumentum, & byssinum, qui immortalitatem, & æternæ vitæ candorem mortalibus intulit. Quid? Non cernis quo pacto Iosephus cùm corpus sindone inuoluit, Deiparæ munus vsurpat? Recenter natum Iesvm Maria pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio; recens mortuum Iosephus *sindone inuoluit*, & reponit in tumulo; cùm Iosephus Iesvm sudario, & linteaminibus inuoluit, maternæ sedulitatis, & pietatis æmulator est. Sublimiorẽ, & aptiorem protheoriam inuenit in his inuolucris Theophylactus in cap. 15. Marci scribens de corpore Domini: *Inuoluendum autem est hoc, id est contrahendum, & continendum, & non explanandum. Mysterium enim in contracto est, & occultum, & non cuiuis aperiendum.* Instruebat Principes Iosephus, quod essent sui secreti mystæ, in pectore quasi in abdito sacramentum consilij satagant occludere prudentię, & silentij seris, nec verba mysterij prophanis euulgent, in cordis theca recondant, & annulo taciturnitatis obsignent, ne per rimosa pectora insidorum secretum effluat.

Iosephi Senatoris officia pietatis erga Iesum.

D. Marc.

Theoph. Mysterium occultãdum, & non omnibus aperiendum.

3. Talis sit, quem admiseris ad tua penetralia, vt iustitiæ veram formam, non ementitum splendorem virtutis gerat. Sapienter monet Salomon librum parabolarum esse propositum: *ad suscipiendum eruditionem doctrinæ, iustitiam, & iudicium, & æquitatem.* Lxx. legunt: *ad intelligendum iustitiam veram.* Prouerb. cap. 1. v. 3. eamdem lectionem sectatur catena Græca, cuius auctor cùm iustitiam definiisset: *iustitia est actio vnicuique pro meritorum ratione quod suum est, distribuens. Hac qui ornatus est, ad eum modum à Deo illustratur, vt omnia iustè iudicet, recteque discernat.* Postea argutè perpendit, cur Lxx. Seniores adiungunt: *iustitiam veram*, præclaramque rationem assignat: *præsens hic locus eos cum primis redarguit, qui cum veram iustitiam non habeant, sed ementitam tantum, iustitiæ laruam extrinsecus assumpserint, veram tamen sese habere gloriantur.* In primis cauendum ab iis, qui omnem iuris scientiam sibi arrogant, æquitatem venditant, quorum est personata iustitia. Mellitis verbis, aut sententiarum pompa turgidis speciem pietatis ostendunt, emolumentumque consulentis pollicentur perquirere, at detracta iustitiæ larua, decipulas paratas inuenies, honori, aut opibus imminentem ruinam. Horum astum bellè describit Cassiodorus lib. 5. variarum epist. 34. cum Frontosi pecunias publicas, & opes regias decoquentis, proponit versipelle ingenium Theodoricus Rex. *Mutat verba, variat constituta, nec in vna dicti sui qualitate contentus, diuersis imaginibus immutatur.* Triplicique illustrat similitudine illius vafritiem, primò chamæleontis, qui solet ludere de corio, & varias cælorum regerere species. *Merito chamæleonti bestiæ conferendus, quæ paruorum serpentum forma consimilis, aureo tantum capite, & reliquis membris subalbentis prasini colore distinguitur. Hæc quoties humanos aspectus incurrit, dum ei fugiendi velocitas denegatur, nimia timiditate confusa, colores suos multifaria qualitate commutat: vt modò veneta, modò blattea, modò prasina, modò possit Cianea reperiri. Vnde mirum est in vna superficie tot diuersa conspicere.*

Quæ sit vera iustitia natura. Prou. Cat. Græc.

Lect. Lxx. Cat. Græc. Aliqui non iustitiam veram, sed iustitiæ laruam assumunt.

Versipellis consiliarius mutat verba, & variat constituta.

Cassiod.

Chamæleonti comparatur, & quare?

Chamæleon timore correptus colores multifariè commutat.

4. Secunda

Cassiod.
Cum pandia gemma confertur, aspectibus tremulis colores variante.
Consiliarius improbus aut iurisperitus, tot varietates continet, quot verba protulerit.

4. Secunda similitudo ex pandia gemma desumitur: *Quam non immerito pandiæ gemmæ dicimus esse consimilem, in qua vnus se fulgor non potest continere: fluctuat aspectibus tremulis, dum lapis teneatur immobilis, nam quod modo videris, mox aliud ibi, si amplius intuearis aduertis, sic mutatum credis, quod neminem eripuisse cognoscis. His permutationibus æstimatis mens Frontosi simillima reperitur; quæ dicti sui non habet fidem, quæ tot varietates continet, quot verba protulerit.*

Cassiod.
Protei metamorphoses in se exprimit.

5. Tertia similitudo ex Protei fabula: *Protei fabulis iure sociandus, qui subito comprehensus, substantiæ suæ formam omnimodis non habebat; nam vt celaret hominem, aut leo frendebat, aut sibilabat anguis, aut in vndas liquidas soluebatur.* Hæc Magnus Cassiodorus.

Chamæleon animal immundum.
Leuit.
Hych.
Animalia dolosa, & callida ab altari Domini tanquam immunda remouentur.
Chamæleon immansueta bestia, fingit mansuetudinem.
Ambitiosus inhians expiscare muscam volatilis honoris.
Chamæleontis pallor cum metu ambitiosi componitur.
Hostis nocentior, qui sub specie honestæ vitæ, improbitatem colit.
Chamæleontis corium virescit, cum iactantibus spem incertam promittit vt certam, in liti victoria.
Ad aurum inhiat, cum opum contemptum fingit improbus dynasta.
Non amat colorem albũ puritatis, & sinceritatis.

6. Illustremus comparationes singulas. Inprimis Chamæleon inter immunda animantia computatur. Leuit. cap. 11. vers. 29. *Hæc quoque inter polluta reputabuntur, de his quæ mouentur in terra, mustela, & mus, & crocodilus, mygale, & chamæleon, & stellio, & lacerta, & talpa.* Quibus omnibus hominum mentes ad omnem malitiam, & fraudem versatiles vult denotari Hsychius: *Mustela animal est dolosum, & valde furtis vacans. Crocodilus duri corij & malitiosus est. ὑγαλὴ animal est compositum non natura, sed vitæ conditione ad deridendum aptum, idest, vt dolos faciat, & rapiat, ventrẽque repleat. Chamæleon in malo miserescit, & præ infirmitate mansuetum esse se fingit, cum sit immansuetum animal.* Varia horum animalculorum ingenia exprimunt hominem vafrum, versipellem, ad omnes fortunæ motus, & nutus se vertentem, sed potissimum Chamæleontis varij in pelle lusus, & colorem mutationes, varias formas innuunt, quibus ficti, & callidi amici decipiunt suos familiares; diducto oris rictu inhiat expiscare sciniphem, aut muscam breuis honoris, aut leuem volatici gaudij auram. Ritè nuncupabis in ipso felicitatis apice infelicem; cùm ambitionis hydrope laborat, dum gloriolæ cupiditate tanquam vento distentus turgescit: anxietate, & tumore corripitur, ne honoris nutet in vertice, labascantque super pennas ventorum architectata molimina: pallescit hic chamæleon quodam terrore mortis, cor palpitat, subitoque metu elabendæ è manibus dignitatis, liuescit pellis sanguine destituta, colluctante secum conscientia mala, ne princeps fraudulentum, & insidiosum deprehendat: *Colores suos multifaria qualitate commutat; vt modo veneta.* Ferrugineus cæruleus color est venetus marinis fluctibus similis, cùm cæli speciem emulantur aquæ. Ille hostis nocentior, qui exteriori habitu præseferre videtur cuiusdam vitæ cælestis imaginem, cùm interiora sint plena iniquitate & dolo. *Modò blattea*, Sæpè mentitur chamæleon roseum, aut purpurascentem colorem; simulare verecundiam, affectare pudorem in ipsis criminibus, & propudiis, maior impudentia est. Ad exteriores laudationes, publica elogia, modestiam ostentare vultus, deprimere oculorum supercilia, se fateri indignum, cum rubor ora perfundit; in intimo cordis efferri, & tanquam superum æstimari, genus hipocrisis est. *Modo prasina.* Virescit corium chamæleontis cum verbis, & consiliis suis spem vanam iniicit fortunati exitus in rebus arduis, cùm in ætate senecta viridis iuuentæ flores carpit: *Modo possit Cyanea reperiri.* Color est gemmæ, quæ aureis punctis, seu puluisculis intermicat. Nam chamæleontis æmulatores sese fingunt pecuniæ contemptores, nummique abstemios, cum ad aureum continuò inhient, substantias populorum sugant. Denique chamæleon candore non albicat. Non enim amat colorem minimè fucatum, nec nitenti veritatis, & æquitatis luce perfundi, ô vtinam amarent esse candidatos, & induerent candidam integritatis togam; est enim solus hic color purus, simplex, minimè inquinatus.

Pandia gemma incognita Plinio, & Isidoro. Illius exemplum prætermitto expendere.

Philost.
Protei varia, & diuersa forma.
Homines fallacis affectus varij.

7. *Protei fabulis iure sociandus.* De Protei transformationibus Philostratus lib. 2. de vitis sophistarum in Polluce scribit: *Proteus Pharius miraculum Homericum est: multæ quidem eius, diuersæque formæ. In aquam attollitur, in ignem accenditur, in leonem excandescit, item in suem irruit, in draconem, pardalimque assilit, & assurgit in arborem.* Protei metamorphoses diuersos affectus produnt hominis fallacis, quibus conniuet aliorum passionibus & criminibus, vt simulatam amicitiam sustentet. Horum animantium, & elementorum laruam induit, marini monstri, & aquatilis elementi in leuitate, ignis in excandescentia, leonis in arrogantia, suis in turpitudine, & luxu: draconis in crudelitate; pardalis in versutia, frondentis arboris in vana mundi fiducia; Hæc omnia monstra in se ostentat, cum alienæ voluntatis passionibus obsecundat, ad omnem improbitatem hortatur verbis, consiliis, operibus. Caue, & fuge hanc monstrosissimam bestiam.

Regalium consiliorum arbiter qualis esse debet.
D. Ambr. lib. 2. de officiis cap. 8. *Quod si eum inueneris, qui viuacitate ingenij, mentis vigore, atque auctoritate præstet, & accedat eo vt exemplo, & vsu paratior sit, præsentia soluat pericula, prospiciat futura, denuntiet imminentia, argumenta expediat, remedium ferat in tempore, paratus sit non solum ad consulendum, sed etiam ad subueniendum: Huic ita fides habetur, vt dicat qui consilium petit: & si mala mihi euenerint, per illum sustineo. Huiusmodi igitur viro salutem nostram & existimationem committimus, qui sit (vt supra diximus) iustus, & prudens. Facit enim iustitia vt nullus sit fraudis metus: facit etiam prudentia, vt nulla sit erroris suspicio.* Et eiusdem libri cap. 17. scribit idem sapientissimus Doctor Magistratus infulis clarus in sæculo, postea Mediolanensibus apicibus accitus: *Talis igitur debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, quod vitam eius, ac mores refellat, nihil improbum, ac maleuolum, quod auertat consulentes. Alia sunt enim, quæ fugiuntur, alia quæ contemnuntur. Fugimus ea, quæ possunt nocere, quæ malitiosè possum in noxam serpere: vt si is qui consulitur, dubia sit fide, & pecuniæ auidus, vt possit pretio mutari: si iniuriosus hic fugitur, ac declinatur. Qui verò voluptuarius, intemperans, & si alienus à fraude, tamen auarus, & cupidior lucri turpis, hic*
contemni

contemnitur. Hæc Ambroſius præclarè ſcripſit de iuſto, & prudenti conſiliario.

Conſiliarij Danielis probitas, & integritas.

9. Talis erat Daniel, qui conſilio ſuo lætificauit anxium, & mœrentem regem. Obuerſabatur animo dormientis mirum quoddam, & prodigioſum ſpectaculum, cúmque eſſet expergefactus, ſomnium fugit ab eo. Conuocantur ad conſilium Regis, vt ſomnium indicarent, ænigma aperirent, occulta reuelarent, Aruſpices, Magi, incantatores, Sophiſtæ, venefici, augures. Daniel. cap. 2. verſ. 2. *Præcepit autem Rex vt conuocarentur arioli, & Magi, & malefici, & Chaldæi, vt indicarent Regi ſomnia ſua.* Vnus Daniel ad conſilium Seniorum accitur, vt annotauit Theodoretus: *Vtpote qui in cœtum ſapientum Babylonis non aduocatus fuiſſet.* Ideoque ignoraſſe ſententiam capitis contra ſophiſtas a Rege prolatam. Cur ergo Daniel ad Senatuſconſultum Philoſophorum non aduocatur, vt Sacramentum in corde Regis ſepultum erueret, & abſconditum aperiret? Vah! aduocantur ſtupidi ſapientes, conſultores fallaces: vnus Daniel diuina, quadam mente, magnoque conſilio præditus, à Senatu ſecernitur? Quam ob cauſam? Prima eſt Theodoreti, quia nondum tres anni præterierant, quibus adoleſcentulos cibo Regio innutritos ad ſe iuſſerat Babyloniorum Rex introduci. Secunda ratio, & comprobatior eſt Pererij lib. 2. Comment. in Danielem aientis: *Sed quæret aliquis cur Rex Danielem ſimul cum alijs ſapientibus non conuocauerit? Reſpondendum eſt, Regem non iuſſiſſe vllum ſapientem nominatim accerſiri, ſed mandaſſe tantum, vt qui in vnaquaque ſupradictarum quinque artium ſapientiſſimi eſſent, ad ſe adducerentur. Sed alij ſapientes mandatum hoc Regis celauerunt Danielem, ne is videlicet præferretur ipſis ſapientia, & quæ à Rege ſperabant præmia, ſolus auferret.* Inuidentia, & ambitio à Senatuſconſulto Danielem excludunt; cerne quantas paret inſidias, quot mala architectetur regno alienæ felicitatis æmulatio, etiam cum Regij capitis diſcrimine. Obtrudunt vias, obſerant ianuas, ne ſe inſinuet in amicitiam Babylonici Regis, fidus, & iuſtus diuinæ veritatis interpres; ne quiſpiam iis præferatur ſapientia, aut præclari nominis exiſtimatione; at ipſi vel renuentes, vel inuiti, vt imminentis ſupplicij à Rege propoſiti pondus eleuent, in cœtum cogunt, in conſilium Chaldæorum introducunt, ipſique deferunt ſapientiæ palmam in ſolutione ſomnij: ſanctimoniæ, iuſtitiæ, pietati Danielis hoc munus debebatur, vt ſomniatorem Regem, & ſomniculoſos ſapientes illuminaret pharus illa cæleſtis ſapientiæ fulgoribus micans, in conclaue regium accerſitur.

Daniel.

Theodor.

Cur ad cœtũ ſapientum Babylonis nõ aduocatur Daniel?

Perer.

Conſiliatores ad Senatuſconſultũ Danielem non aduocant, ne præferretur ipſis ſapientia, aut præmium regis auferret.

Cum homine Deus non dedignatur cõſultare ſuũ arcanum.

10. Nec timere debet homo ad conſiliandum accire hominem ſe ſapientiorem, ſe iuſtiorem cùm Deus ipſe pater luminum, & conſiliorum, hominem familiarem ſuum ad ſe auocet conſilij poſtulandi gratia. Geneſ. cap. 18. verſ. 17. contubernali ſuo Abrahæ aperit Deus ſecretum cladis inferendæ Sodomitis; & à creatura conſilium exigit Creator: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Occurrit mens hæc Ruperto Abbati lib. 6. in Geneſim cap. 3. ſcribenti: *Non ergo apud Deum Abraham paruí æſtimatur, cui tales & tantas ob cauſas conſilium ſuum celare non poſſe teſtatur Deus.* Conceptum amplificat pro cauſis Fidei illuſtris quæſitor Oleaſter his verbis: *Tractanda ſunt cum amicis conſilia. Neque faciet Dominus verbum niſi prius reuelauerit ſeruis ſuis Prophetis. Et ſi in omnibus quæ facturi ſumus, conſilium accipere debeamus, maximè tamen cùm vindicta exercenda eſt, ne in ea excedamus. Solet enim ira ita hominem excæcare vt raro non excedat in verbis, aut factis. Si ergo Deus, qui ad vindictam excedere nequit, conſulit amicum, quis tu qui illum conſulere dedigneris?* Quis non conſulat ſodalem ſuum, aut ſapientia præſtantiorem, aut vberiori mentis lumine ſplendentem, vt illuminetur, vt ſapiat; Quando Deum videmus ad mortales condeſcendere, vt in ſuppliciis inferendis, eorum perquirat votum, & ſuffragium; non eget alterius adminiculo, qui omnia poteſt, nec alterius mente, qui omnia præſcit, nec aliena conſultatione, iuris, & æquitatis ſcaturigo, veritatis norma; expectat tamen iuſtorum arbitrium, vt ſupplicia decernat, aut præmia; in quo veræ amicitiæ iura cuſtodit, cùm pectoris intima detegit, ſe ipſum in exemplar proponens prudentioribus, vt aliorum ſententiam exquirant; beatiores euentus ſortiuntur res arduæ, bellorumque diſcrimina, ſontium animaduerſio, cùm alterum habent ſuffragatorem, & difficilius decidit quod conſertis manibus, duorum placitum conſtruxit.

Geneſ.

Rup.

Abrahamum ad conſilium ſuum vocat Deus.

Oleaſt.

Cum amicis tractanda conſilia.

Cum exercẽda ſeueritas, & vindex pœna, conſilium accipiẽdum exemplo Dei.

Feliciorem euentum expecta, cum amici admiſſis ſuffragiũ in rebus arduis.

11. Do tibi magni conſilij Angelum conſulentem diſcipulum, Auebat IESVS reddere ſatura hominum millia, cibillamque regiam munificentia regali ornatam, ponere in deſerto, apud Ioannem cap. 6. verſ. 5. *Cùm ſubleuaſſet ergo oculos IESVS, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum, ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Manus enim IESV penuaria erant cella panem Angelis, & hominibus ſubminiſtrans, aperit enim manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Iam paratam in propoſito voluntatis refectionem, & perennem panum è manibus ſcaturiginem, Rex regum cum familiari conſultat. Non dixit vnde largiemur diſpartientes pauperibus alimoniam; ſed vnde ememus? Si ſubſidium pecuniarum requirit, cur non ſciſcitatur ex Iuda, eiuſque iudicium explorat, apud quem marſupium erat in cuſtodia? Quæſtionem mouet Albertus Magnus in Ioannem: *Sed tunc quæritur, quare hanc quæſtionem non fecit potius Iudæ, qui loculos habebat & pretia portabat, quàm Philippo?* Occurrit dubio: *ad hoc dicendum, quod in veritate quamuis Dominus propter præſentem iuſtitiam elegerit Iudam: tamen ab initio ſciebat, quod ipſe eum traditurus erat, & ideo inſtructionis ſuæ quæſtiones ei non faciebat, quia inutiles fuiſſent, & docuit nos, quod in electionibus noſtris nos debemus in homine conſiderare quid eſt in præſenti, & non quid erit in futuro.* In totum non eleuat quæſtionis pondus ſanctiſſimus Antiſtes in omni litteratura Magnus, nam ſi non reſpicit futura crimina Deus, vt præſentia munera largiatur, non eſſent obſtaculo Iudæ improbitates vt voluntatem illius exploraret

Conſilium Philippi expectat Ieſus, vt turbas panibus ſataret.

Si emere vult panes, cur cõſilium, iudex non explorat, pecuniarum cuſtodis?

Albert. Mag.

Sciebat Ieſus Iudam eum traditurum.

explorarct in famis discrimine. Prudenter & scienter abstinuit Iesvs à sensu, & consensu Iudæ in panum largitione, quia vbi imperium possidet auaritia, visceraque sunt pietatis expertia, plenaque dolo, pro crumena sententiam proferret, & subsidium pauperibus denegaret: Præsciebat Iesvs in corde Iudæ præsidere Plutonem, & Ditem nummis incubantem; non responderet iuxta augmentum pietatis, nè argentum imminueret. Iudæ ingenium detegit Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioanné cap. 16. ad ea verba Ioannis: *Et post buccellam introiuit in eum Satanas*, dicens: *in vno fixus haerebat, illud solummodo voluebat, quomodo pecuniolam sibi pararet: non ergo vt consiliatorem, sed vt cogitationum suarum dominum in corde diabolum retinet.* Inexplebilis auri, & lucelli cupiditas ardebat in pectore; non ergo pateretur numisma vnum expendi in vsum pauperum famelicorum. Post buccellam retinebat Diabolum dominatorem, ante buccellam consiliatorem suarum cogitationum; requisitus vt de sacculis suis opem ferret miseris, in consilium adduceret suum contubernalem, qui omnium hominum suspirat exitium; quid instillaret Iudaicæ menti iuratus hostis salutis humanæ? Quod bursam non exhauriat, egeni inedia pereant. Non exploretur improbum hominis ingenium, qui in consilij consortium solet adducere Diabolum.

Si Iudas interrogaretur pro crumena sententiam proferret, & subsidium pauperibus denegaret.

D. Cyr. Alex.

Qui pecuniolam curanda habiat, & Diabolū possidet dominatorem non est aduocandus in consilium subleuandi pauperes.

12. Parilem nequitiam reperies apud opulentum, qui pro deliciis, & beatitate habebat latifundia, agrumque feracem tritici prouentibus; natitabant pauimenta vino, torcularia musto redundabant, penè in immensum excreuerant frumentorum acerui, Lucæ c. 12. v. 16. eius solicitudo, consiliaque aperiuntur. *Et cogitabat intra se dicens: quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: hoc faciam: destruam horrea mea.* Huius loci omnes scribam argutias, quas apud D. Chrysologum acuminum phœnicem inueni sermone 104. *Cogitabat intra se: quasi posset extra se quispiam cogitare, sed intra se iste cogitabat, qui in corde suo impietatis consilio recepto, nihil pietatis sibi, misericordia nihil reliquit. Cogitabat intra se: digno consiliario se vsus, qui mali animi non poterat habere solatium, non poterat habere collegam.* Tacitus secum voluebat in animo curas maioris prouentus; non curæ, non cogitationis consortem admittit, reformidans ne quispiam de superfluis, de super effluētibus aliquid postularet: auarus non perquirit sodalem, non collegam, cui consulat, vt releuet anxietatis pondus; ne amico ex ore audiat verba pietatis, vt pauperum ærumnis succurrat. *Quid faciam? Interrogantis vox est* (inquit Chrysol.) *& quē putas interrogabat iste? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus possessor insederat: & qui intrauerat in cor Iudæ, mentis eius tenebat arcanum.* Habebat secum familiarem, & improbum genium, à quo auari dicta, & facta pendebant: *Sed audiamus* (subiungit Archiepiscopus Rauennas) *quid & respondeat consiliarius internus: destruam horrea mea. Euidenter apparuit qui latebat, quia à destructione incipit semper inimicus.* Consiliis suis se diabolus prodit, cui semper in votis est vrbium vastitas, calamitas populi, bellis conquassare orbem, inter regios animos dissidium, & flammas excitare discordiæ. Tales dæmones sunt Iudæ & auari consultores pessimi, similes illis de quibus recenset Esdras lib. 1. c. 4. v. 5. *Conduxerunt aduersus eos* (filios nimirum Israël) *consiliatores.* LXX. legunt: *Consultores ad dissipandum.* Quorum calliditatem, & nequitiam describit Augustinus in calce præfationis in Psalmum 119. dicens: *Qui enim consulit alicui, ad salutem consulit, ad id quod prodest consulit, ille autem quasi consulens retrahit à salute. Quia ergo videtur habere pallium consulē tis, & habet venenum perimentis: lingua dolosa dicta est.* Hæc ille. Sæpè enim sub aureo amictu, & senatoria infula virus nocentissimum latet.

D. Lucas.

D Chrysol.

Auarus digno consiliario se vsus.

D Chrysol. *Auarus diabolo consiliario vtitur.*

Consiliarius internus ruinam consulit.

Esdras.

Qui Consultores ad dissipandum nuncupentur.

D. August.

Qui habent pallium consulentium, & venenum perimentium



Et Consiliarium.

Discvrsvs VII.

Recti consiliarij oculi sunt & aures Principis, ipsumque dignitate numinis ornant; cùm instar Dei, eorum auribus omnia auscultat, & obtutibus vniuersa prospectat.

1. Regibvs permulti vbique sunt exploratores, oculique, & complures auscultatores, quibus velut auribus vtuntur; ij sunt consiliarij fideles, vt per eos obseruet aliorum operationes, & verba, omniaque regni prospectet, & auscultet. Rex Regum his oculis, his auribus gaudet ornari. Zachariæ cap. 4. v. 10. *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.* De quibus prædixerat cap. 3. v. 9. *Super lapidem vnum septem oculi sunt.* Qui autem sint oculi Domini prospectu suo discurrentes per vniuersum orbem? Censet Theodoretus esse prouidentiam Dei orbem moderantis, & Zorobabelem protegentis aduersus hostium conatus: *Omnium rerum prouidens, & administrator, qui omnia intuetur, omnia audit, pro Zorobabele propugnat.* At sanctus Cyrillus Alexandrinus pulchra sua commentatione innuit, oculos Domini esse eximiæ sanctitatis, & sapientiæ viros, per quos rector vniuersi reliquum mortalium vulgus intuetur: *Sanctos* (inquit) *rerum diuinarum doctores, vt alijs excellentiores, & sublimiores oculos appellatos, & vt ego sentio, hanc ob causam etiam Episcopos nominatos dicamus. Speculatur itaque per illos in ipsum credentes Dominus noster Iesus Christus.* Iure vocat Cyrillus Ecclesiæ primores oculos Domini, quia per eos paruulorum saluti, & emolumento prospicit; Episcopi vero, & prælati sunt Domini lumina, per quæ speculatur pauperum ærumnas, vt iis succurrat. Habet Dominus Iesvs fidos consiliarios, & familiares nutui diuino parentes, quorum opera, imperitos, & rudes sacris imbuit disciplinis, quorum industria, & prouidentia, cùm aduersa fortuna luctantium exploratrice, releuat & solatur afflictos ærūnis. Hi sunt oculi per quos Deus ex alto prospicit laborantes, aures quibus eorum gemitus exaudit. Forsan ex hoc loco aliisque similibus prouidam Dei curam erga sibi subiectos, Reges terræ æmulati sunt, cùm satellitum, & vigilum custodia suum latus cingunt.

Zach.

Prouidentia Dei oculi discurrentes per vniuersam terram.

Theodor.

D. Cyr. Al.

Doctores, & Episcopi Dei oculi.

Iesus per hos oculos videt credentes in eum, & pauperes.

Regū oculi, & aures qui nuncupentur.

cingunt, quos vocant Regis oculos, regis aures, vt quidquid visu, & auditu perceperint, Regi renuntient. His stipatum clientibus Regem Babylonis describit Philostratus in vita Apollonij Tyanei lib. 1. cap. 15. *Erant autem ibidem* (inquit) *à Rege custodes positi, qui neminem regionem intrare sinerent, nisi prius quisnam, & vnde esset, & quam ob causam in ea loca peruenisset, interrogarent. Satrapa autem huic custodiæ præfectus erat, ex ijs vnus qui Regis oculi solent appellari.* Et cap. 19. eiusdem libri enarrans ingressum Apollonij in Babylonem, ait de satrapa illius ductore: *Ipse ad homines, qui Regis aures appellantur procurrens, verbis Apollonium figurauit.*

Philost.

2. Hortatur Synesius libro de regno Imperatorem Arcadium, vt imbecillitatem humanæ naturæ agnoscat, cuius mens in rebus arduis, & futuris euentibus sæpè fallitur, & limitibus ignorantiæ coarctatur, nec tanta prudentia pollet, quæ se sola sufficiat, vt Reipublicæ, & imperij negotiis prouideat; solus enim Deus sibi satis, nec auxilio, aut consilio alieno indiget, prouidentiæ, & potentiæ nutu hanc penè immensam orbis molem gubernat; at homo licet in suum pectus sapientiæ riuuli sicut gurgites maris, exundent, solerti & sagaci prospicientiæ oculo sit prædítus, imprudentiæ, errori, lapsui expositus, consilio sapientū eget, qui suppetias ferant, & defectum suppleant; ex hac egestate plurimorum fouetur amicitia, & concordia, cùm se mutuò in periculis iuuant. Pulchrè Synesius scribit: *Rex autem id exploratum habet, Deum quidem sibi sufficere, & antiquam eam esse naturam, quæ supra id omne, quod subditum est, assurgit; homini verò multis, atque eiusdem conditionis hominibus imperanti, ad cuiuslibet rei animaduersionem, propriam naturam satis superque non esse. Hunc igitur naturæ defectum supplens, amicos in eiusdem naturæ communionem adsciscit, vim quodammodo suam multiplicans, ita enim fiet, vt & omnium oculis videat: & omnium auribus audiat, omniumque animis in vnum consentientibus consiliū capiat.* Cùm Rex omnibus abundare non posse agnoscit, ad auxilium, & consilium contubernales cónuocat, quorum adminiculo sustentet tergiuersantis, aut labantis naturæ infirmitatem; iis, quibus arcana patefacit virtutem & sapientiam communicat; & multiplicem reddit, cum multorum subsidio administrat imperium; omnium enim obtutibus prospicit, omnium auribus audit, omnium scientia sapit, omnium æquitate iudicat, omniū animaduersione punit, prudétia vniuersorum, mala præcauet, bona promouet, est enim vnus in omnibus consilio, & imperio.

Solus Deus sibi sufficit, Rex terrenus aliorum auxilio, & consilio eget.

Synes.

Natura defectum supplens reges, cum amicos in natura communionē asciscunt.

Rex omnium oculis videt, & omnium auribus audit.

3. Cùm hoc perficit Rex, Deo euadit simillimus, diuinæque naturæ perfectus æmulator est. Nam instar Dei in creaturis sibi subiectis diuersa obit munera. Argutè definit Deum Plinius naturalis Historiæ lib. 2. c. 7. *Quisquis est Deus, & quacunque in parte, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.* Sensationis corporeæ facultates, & potentias à Deo, qui spiritus purissimus est, quisque sapiēs remouet, nec enim corporis carcere clausum sicut hominis animum existimes possidere: expeditiori, sublimiorique modo officia sensuum præstat omnia præsciens, omnia scrutans immēsa & incomprehensibili sapientia. Sic Rex quacūque in parte totus est sensus, totus visus, cùm omnia per oculos, Consiliarios nimirum suos, cernit; totus auditus cùm omnia per auditores audit; totus mens, & animus, cùm animorum sententiis iustis assentitur. Colludit cum Plinij placito mens melliti Bernardi, qui de Dei natura hanc sententiam pronuntiat scribens ad Eugenium Papam lib. 5. de consideratione: *Sicut anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus, in faucibus gustat, tangit in toto reliquo corpore: sic Deus diuersa in diuersis spiritibus operatur, verbi gratia, in alijs amantem se exhibens, in alijs agnoscentem, in alijs alia facientem, sicut vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.* Erigit animū sapientissimus Pater ad contemplationem cælestis Ierarchiæ, & supremi Ierarchæ IESV œconomiam, & regimen, & cælestis exercitus milites tanquam satellites regios cōsiderat, per quos Deus vniuersæ naturæ, & multiplicis gratię munera exercet, cælestis & sublunaris orbis administrationibus prospicit. Habet in regali curia ille cælestis Imperator olympi Angelos salutis humanæ administros, & procuratores propter eos qui hæreditatē capiunt salutis. Possidet Archangelos conscios diuinorum mysteriorum, secretorum Dei *promos condos*; habet virtutes prodigia in elementis operantes ad comminationē, & commonitionem mortalium. Habet potestates, quarum virtute potestas Angeli tenebrarum comprimitur; ne quantum vult noceat. Habet Principatus, quorum moderamine, & sapientia omnis in terris principatus, & ordo cōstituitur, regitur, promouetur, mutatur, transfertur. Habet dominationes supereminentes præfatis ordinibus, ad quas tanquam ad dominos referuntur regimina Principatuū, tutamina Potestatum, operationes miræ virtutum, secreta Archangelorum, cura & prouidentia Angelorum. Habet Thronos, qui se ipsos sedilia præparant Domino, in quibus sedet Deus iudicans omnia cum tranquillitate, serenitate, & pace. Habet Cherubim ex ipsa fontana plenitudine Deitatis bibentes sapiētię latices; & scientiæ fluenta refundentes in omnes ciues suos. Habet Seraphim in se ardentes amore, lucentes cognitione, cælestis aulæ sacras lucernas, alios inflammantes, & illuminantes. In quibus omnibus ait S. Bernardus: *Deus amat vt charitas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas, dominatur vt maiestas, regit vt principium, tuetur vt salus, operatur vt virtus, reuelat vt lux, assistit vt pietas.* Quæ omnia leniter transferes ad Reges, & Imperatores terrenos, quorū quisque in Senatorum cœtus, togatorum ordines, & varia pacis, belli, ordinis, status, gazæ regiæ consilia influit; per iustos & fidos ministros tanquam per Seraph amat, & amplectitur subditos; illuminat scientiæ plenitudine totus factus oculus tanquam per Cherubim; sedet in sedibus ęquitatis, & iudicat tanquam per thronos; per eos tanquam per dominationes imperium roborat; per principatus totum regit orbē; tanquam per potestates quos regit, protegit; contrarias potestates propulsans: tanquam per virtutes præsto adest omnibus velut efficax causa, immobilis virtus: demum per ipsos tanquam per Angelos veritatem annuntiat, ad vniuersa, & singula prouidentiæ oculus extenditur.

Rex optimis, consiliarijs cinctus, Dei naturā æmulatur.

Plin.

Dei natura à Plinio singulariter definita.

Rex modo sublimiori omnium sensuum officia præstat.

D. Bernard.

Sicut anima in diuersis sensibus varia munera obit: sic Deus in diuersis spiritibus angelicis exercet multiplices operationes.

Summus Imperator habet in cælesti curia ministros fideles diuinorū conscios, & executores regiæ potestatis.

D. Bern.

In omnibus Ierarchijs Deus munia exercet, & operationes sublimes.

Regis terreni potestas, diuinum imperium in ministris variis, & functionibus distinctis æmulatur.

4. Hanc œconomicam dispositionem ostendit Deus Iacob soporato supra cespitis cadurcum

correpto

correptóque cœlestis reuelationis flamine; attentis, & gratis oculis prospectauit de supernis Deus ærumnas, & labores viri pro virtute militantis, insidias fratris, & iras fugientis, certatimque delabi iubet è cœli domicilio cœlestium spirituum acies, qui sursum, deorsum cursitarent ad ferendas suppetias diuina somnianti: *Angelos quoque Dei ascendentes, & descentes per eam.* Genes. cap. 28. vers. 12. Dei prouidentiam, & curam, quam erga res humanas exhibet Deus, denotant Angelicæ ascensiones, & descensiones, vt annotat Oleaster dicens: *Vigilat super nos indefessus ille diuinæ prouidentiæ oculus, mittens, & remittens administratorios illos spiritus, qui nos custodiant in omnibus viis nostris. Et cauendum est nobis à malis factis, ac verbis: cùm sciamus Deum ad nos incessanter Angelos destinare: Quia omnia nostra bona, & mala illi renuntient. Et considera qua auiditate nostras res audiat, qui ad ostium accedit ad nuntios suscipiendos.* Habet satellites, præcursores, & exploratores cœlestes diuinum numen, qui eloquia nostra diligenter auscultent, operationes rectas, aut improbas annotent solerter, easque suggerant orbis superni rectori; sunt etenim supremi Imperatoris oculi, auresque spiritus Angelici, qui acta nostra ad Dei conspectum perferunt; ideò scriptura diuinitus inspirata prius recenset Angelorum ascensum, posteriùs descẽsum: *Ascendentes, & descendentes.* Vt tecum repures inter nos quasi contubernales, & sodales ad opitulationem, & solamen velut inquilinos commorari, quasi in speculis esse spiritualibus oculis lustrantes omnia, vt ea dominatori omnium denuntient. Forsan ex hoc loco superstitiosa Ægyptiorum vetustas mutuauit tritum illud prouidentiæ Hieroglyphicum, oculum pulcherrimum sceptro superpositum, de quo S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. contra Iulianum ait: *Volentes significare Deum, hoc est summam, & quæ super omnia est naturam, pingebant oculum: cui baculum substituebant, vt per hoc intelligatur quod omnia videat, & sit ei regia dignitas: nam sceptrum ferè semper Regis intelligitur symbolum: quamuis etiam per stantem baculum, quod nullo modo diuina natura labefactari possit, sed quasi semper stare, & quodammodo sustinere, omnia dicatur.* Retulit quoque hoc symbolum obuiis vlnis, & communi plausu ab Ægyptiis acceptum Cyrillo senior antiquitate Plutarchus libro de Iside, & Osiride, additque ad baculi radices effigiari solere accipitrem: *Quippe qui visus acie praecellit, & volatus pernicitate, ac tolerare se parcissima esca solet. Fama est eum quoque mortuorum insepultorum oculis super volitantem inicere terram.* Vt accipitris ænigmate indicaret, iudices, & ministros Regiæ potestatis in quibus optanda pietas parentalis, vt oculis Rempublicam ornantibus, & illuminantibus morte extinctis iusta funeris soluant. Viua verò lumina, quæ illustrant orbem non inspergant liuoris aut maledicentiæ puluere: In quibus amanda mentis perspicacitas prudentiæ, & prouidentiæ, quibus velut oculis ornantur iuris consultorum animi; acumen, vt omnia prospectent, iisque prouideant: expetenda volatus pernicitas, vt eorum facinora pennis suis vndequaque fama circumferat; vt flante bonæ fortunæ aura, felicitatis aspirante flamine

In Iacob scala Angeli sursum deorsum cursitantes, Dei erga nos prouidentiam denotant.
Genes.
Oleast.
Indefessus diuinæ prouidentiæ oculus Angelos mittit ad nostram custodiam.
Angeli mala, & bona nostra Deo renunciant.
Angeli Imperatoris superni oculi, & aures sunt.
Oculus pulcherrimus sceptro superpositus, hieroglyphicus prouidentiæ.
D. Cyrill. Alexand.
Dei natura semper stabilis, omnia prospiciens & gubernans.
Ad oculati baculi radicem effigiabatur accipiter.
Plutarch.
Accipiter acumine visus, volatus pernicitate, & cibi abstinentia praestat.
Accipitris pietas: insepultorum cadaueribus oculis puluerem spargit.
Accipitris decora, regiæ potestatis ministris æmulanda proponuntur.

ad dignitatum apices sese sustollant: Cauenda tamen in accipitre voracitas, adunci vnguis raptu viuere.

5. Sensit sponsa præsentiam sponsi, illius elegantiam, & vestimentorum odorem, per parietum rimulas, fenestrarum fissuras sponsam contemplantis; illámque sententiam de pectore amoris pleno eructat: *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Cant. cap. 2. vers. 9. de Christi humanitate sermonem esse in præsenti concors sententia est Patrum, nam per eam quasi per fenestras, & cancellos diuinitatem suam ostentabat, & gloriam, in Transfiguratione, & miraculorum operatione; aut eam hominum oculis subtrahebat. Non erit tamen dissonum à mente sponsæ si dicamus sponsum statuere ante oculos tanquam Imperatorem potentissimum, & prouidentissimum, qui per suos familiares, & satellites, quasi per cancellos omnia prospectet. Rite Philo Carphatius fenestras Prophetas, cancellos Apostolos nuncupat, per quos Rex gloriæ Christus humanum genus visitasse, & aspexisse dicitur. Adstipulatur prædictæ commentationi Honorius, illud tamen argute adiungit, allusisse Salomonem ad Regum latera cingentes Dynastas, qui cancellarij dicuntur: *Cancelli, (inquit,) sunt arcus in anteriore parte domus, vnde dicuntur Cancellarij, prolocutores Regis, qui de Cancellis dicta Regum populo dicunt.* Cancellariorum decus, & munus aptè describit Cassiodorus lib. 11. variarum epist. 7. *A duodecima indictione Cancellorum tibi decus attribuit: vt consistorij nostri secreta fideli integritate custodias, per te præsentandus accedat; per te nostris auribus desiderium supplicis innotescat.* Et post pauca subiungit: *Respice quo nomine nuncuperis. Latêre non potest quod inter cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas iannas, & quamuis studiosè claudas, necesse est vt te cunctis aperias. Nam si foris steteris, meis emendaris obtutibus: si intus ingrediaris, obseruantium non potes declinare conspectus.* Expedita, & facilis procedit disceptatio iudicij in forensibus, ciuilibus, vrbanis negotiis, recta profertur sententia, cùm Regalibus obtutibus lustrari omnia, optimates cernunt; nonne verebitur Imperatoris vultum, & dilucidum pronuntiabit iudicium, qui timore coercetur assistentis dominatoris, ne animaduersio iniustè iactata in personam pauperis, suo capiti immineat. Rerum diuinarum contemptores, & asceticarum exercitationum commentatores illud celebrant spirituale theorema, nihil efficacius inhibere corporis, animique motus, totúmque hominem sic componere iuxta virtutis normam, & exemplar, quàm figere menti; Deum omnia cordis intima perscrutantem, nec solum pectus ambientem, sed penitioribus cogitatibus intimum. Sic operabatur sponsa fidelis considerans Deum quasi per cancellatos cœlos, lucidas fores, fenestratas sui conclauis compages apparere, ipsámque contemplari; nonne reformidaret quidquam patrare tantæ maiestatis oculis inuisum, quæ ipsam foret, attestante, & accusante conscientia, iudicatura? O quàm forte retinaculum foret huiusmodi contemplatio ad continendum in virtute, & iustitia primarios viros! Si haberent sibi persuasum,

Cant.
Imperator prouidens sponsus, qui per suos familiares, quasi per cancellos omnia prospectat.
Phil. Carp.
Honor.
Cancellarij, & prolocutores regis qui dicantur.
Cassiod.
Cancellarij secreta consistorij custodientes, & supplicationes pauperis regi suggerentes.
Regis minister, omnibus manifestus & patulus.
Omnia operanda à Regum ministro, quasi in omni loco eius obtutibus lustrarentur.
Dei consideratio omnia prospicientis, in officio virtutis animum tenet.
Sponsa quasi per cancellatos cœlos Deum illam contemplantem, existimabat.

Deum

Digitized by Google

Deum cæli, aut Regem terræ de consistorij secreti culmine, de Regiæ basilicæ superiori fastigio speculantem, audientem, adesse. Denique habent Reges patentes ianuas, lucidos cancellos, fenestras luminosas, consiliarios nimirum suos, per quos prospectent omnia, mala puniant, malis imminentibus prouideant talis fenestra Ioseph, multo splendidior, multo clarior cœlo, per quam Ægyptiorum Rex famem præuidit, eique attulit subsidium. Optime S. Ambrosius scribit lib. 2. de officiis cap. 15. *Quanto vtilius regem Pharaonem sanctus Ioseph consilio prouidentiæ iuuit, quàm si contulisset pecuniam? Pecunia enim vnius ciuitatis non redimit vbertatem, prospicientia totius Ægypti per septennium famem repulit.* Tenebris Ægyptiacis inuolutus, & occæcatus erat Pharao. Habebat tamen egregium, & splendentem prouidentiæ oculum sanctum Ioseph, quo duram inediæ necessitatem iam aduentantem, & occurrentem præcognouit, & prudenti consilio auertit.

Fenestra luminosa regis, probi consiliarij. D. Ambr. *Iosephi consilium, & prouidentia Ægypti famem repulit.*

6. Intuebitur Rex per magistratuum oculos, & ministeria, si non sit orbatus lumine; si enim fuerit obtenebratus, similis erit idolo Moloch, quod Hebræi venerati sunt, cuius cultum exprobrat sanctus Stephanus Actorum cap. 7. vers. 43. *Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham.* De quo fit mentio Amos cap. 5. vers. 26. *Et portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri quæ fecistis vobis.* In actis vero sententia refertur iuxta LXX. seniorum translationem: *Sidus Dei vestri Rempham, vel, Rempham. Moloch, vel, Melchom,* idem est ac: *Rex eorum.* Quod autem sit sidus rutilans in regio idoli capite, expendit Oecumenius in Acta: *Moloch, seu Molchom idolum est Moabitarum, quod in summa fronte lapidem pellucidum, & eximium in formam luciferi habebat.* Declarat falsi numinis effigiem, & stellam eius refulgentem commentatione sua sanctus Cyrillus Alexandrinus, ex quo verba transcripsisse videtur Oecumenius: *Moloch, siue, Molchom idolum fuit Moabitarum, lapidem habens pellucidum, & eximium in summa fronte ad speciem luciferi. Et sonat quidem latinè Moloch rex noster: sic enim Aquila, & Theodotio transtulerunt. Effigies autem luciferi artificiosè facta erat. Qualis autem iste Rex? Astrum Dei nobis Repham, quod redditur obtenebratio, & excæcatio.* Coincidit Oecumenius Cyrillo. *Quis autem is? Sidus Dei vestri Rempham, id quod in excæcationem vobis euasit: obtenebrata enim corda vestra sunt.* Denique addit Lorinus in Actis Apostolorum: *Credibile est in huiusmodi simulacrorum fronte vel vertice appictas stellas habuisse, quemadmodum & Romani simulacro Iulij Cæsaris stellam in vertice addebant.* Nec absque ratione profertur de hoc prodigioso conflatili, aut sculptili Regem nuncupari, esse obtenebratum; quid enim prodest si dignitas regia tanquam sidus antelucanum præfulgeat, aut stellarum decore, & luminibus vertex illius intermicet; si in sua maiestate caligat, oculosque habens non videat, & cæca quadam malitia emortuum portentum sit, nec illuminationes magistratuum accipiat; nec splendores emolumenti, & veritatis infundat.

Rex per magistratuum oculos cernet, si cæcus non sit. Acta. *Idolum Moloch, & sidus Rempha.* Amos. Lect. LXX. *Moloch Rex eorum interpretatur.* Oecume. *Moloch idolum habebat in fronte lapidem pretiosum in formam Luciferi.* D. Cyrill. Alex. *Astrum Dei vestri Rephã, quod redditur obtenebratio, & excæcatio.* Oecum. Lorin. *In vertice idoli Moloch stella erant appicta.* *Magna calamitas sideris splendoribus fulgere, & in ipso dignitatis lumine caligare.*

Et Consiliarium.

DISCVRSVS VIII.

Pretiosus, & rarus consiliarius, qui vera suggerat Principibus, & verbis non fallat ambiguis.

1. PLENA est sapientiæ vox illa Senecæ lib. 6. de beneficiis cap. 33. *Vides quàm facilè sit gratiam referre felicibus, & in summo humanarum opum positis: Dic illis, non quod volunt audire, sed quod audisse semper volent. Plenas aures adulationibus, aliquando vera vox intret. Da consilium vtile.* Nolunt magnates audire verum, quia veritatis vox acerba, & amara est, pectus namque animaduersione improbitatis pungitur; rubor non est perpetrasse, sed de perpetrato admoneri; scelus obliuione sepultum, labentis temporis ruina oppressum, in memoriam, & conspectum reuocatum pudore suffundit, ex pudore commouetur, & inflammatur bilis flaua arguens vehementer dicentis audaciam; non reuocatur tamen à proposito proferendæ veritatis, constantis animi virtus; sepiendæ sunt quandoque aures spinis, quæ molliusculis flosculis adulationis, & suaui concentu mendacij sæpius mulcentur. *Dic illis non quod volunt audire, sed quod audisse semper volent.* Qui non assentitur vtili documento consiliantis, in errorem ductus comprehenditur, corripiturque resipiscentia facti, & imprudentia sua arguitur ingruente ærumna; quæ repelli posset facilè si amplexaretur vtilem admonitionem, vellet audisse verũ, quod audire noluit.

Non mollia, & suauia, sed vtilia suggerenda principibus. Seneca. *Plenæ adulationibus aures, veritatis vocem auscultent.*

2. Indicere bellum Græciæ, tentat inclytus Xerxes, remque in consilio ponit; multiplex adulantium vox in idem venit suffragium, promissa victoria: terga, inquiunt, dabunt ad primam aduentantis exercitus famam, in vastas solitudines immutabuntur, profugis hostibus, vrbes; angusta erunt classibus maria, militibus castra, explicandis equestribus copiis campestria. Hoc, similique modo iactata sententia belli, omnibus blandè adulantibus Imperatori. Solus Demaratus Lacedemonius veritate subnixus,, euentum belli prædixit: *Ob hoc ipsum te Græcia vincet, quia non capiet, vti te toto non potes. Multo ante vincèris, quàm victum esse te sentias.* Hæc dixit, vt refert Seneca lib. 6. de beneficiis cap. 31. & addit: *Acciderunt, quæ Demaratus prædixerat. Stratusque per totam passim Græciam Xerxes, intellexit quantum ab exercitu turba distaret. Itaque Xerxes pudore, quàm damno miserior, Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset.* Proculcata vnius veritas à consiliantium turba, & tumultu, extulit caput, illustriorque reddita ex caligine dispulsa nugatorij, fallacisque consilij; ipsa sola, victo & profligato Xerxe, victrix euasit, infractum & inconcussum pectus demonstrauit, perpetuæ constantiæ triumphis coronata. Cernis inter tot satrapas toto cœlo à vero, & vtili aberrantes, vnum Demaratum,

Consilium Xerxis de bello Græciæ inferendo. *Assentatores palmam indubitatæ victoriæ promittunt.* *Solus Demaratus vtile consilium regi denunciauit, præsentiens illius stragem.* Senec. *Demarato gratias egit Xerxes victus, quod solus verum dixisset.*

Demaratum veritatis scopum collimasse, euentum belli solerter præsensisse? Est enim pretiosus, & rarus, qui veritatem Regibus suggerat.

3. Cùm Nabuchodonosor esset conturbatus visione nocturna, & somno expergefactus, imago fugeret ab illius mente; introduxit sapientes, qui somni ænygma, & illius solutionem indicarent regi. Ipsi tamen sapientia se fatentur destitutos, esseque supra humanum captum, regij pectoris arcana reuelare. Rex remissos animos mercede proposita excitat, pœnisque minatur, nisi somnium aperuerint, & ænygma soluerint. Danielis cap. 2. vers. 5. *Sermo recessit à me: nisi indicaueritis mihi somnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestra publicabuntur.* Cur Chaldæorum magistros in indaganda visione trepidantes, ad respondendum ignaros, pœna capitis Rex terret minaciter, ostentat periculum vastitatis ædium, depopulationis rerum familiarium? Erat comperta Regi leuitas seniorum, qui sæpè in consistorium coacti, vt de rebus grauissimis ad statum Imperij attinentibus, disceptarent, infidos subdolis verbis, nugatoriisque sententiis fraudulentos, & fallaces deprehenderat. Ideò ne ad decipiendum concinnent verba, dolos nectant, mendacium pro veritate vendicent, & regiis auribus obtrudant, rogat vt somnium detegant; vt ex indicio manifesto, in mente regia per somnium obuersantis simulacri, in eorũ interpretatione cõquiescat; nec esse cõmentitiam cõmentationem iudicet, cui præcesserat manifestũ veritatis signum: idq; nõ obscurè demõstrat textus sacer, ibidem numero nono: *Si ergo somnium non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem, & deceptione plenam composueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranseat.* Et argutè annotat Theodoretus his verbis: *Procax quidem, & insana est efflagitatio, sed accusatio admodũ vera, vultis enim somniũ, inquit, quidem percipere, vt communiter falsam quamdam interpretationem commenti, me vsitato more decipiatis.* Id totum superni numinis nutu factum, quis abneget? Poterat Deus similitudinem, & speciem visionis in regali Nabuchodonosoris mente impressam relinquere, vt sui compos factus, memoriæ facilè occurreret; illa tamen abolita est, & expuncta, vt necessitate compulsus colligendi cœtus sapientum, consiliarios omnes ostenderet rex esse mendaces. In eo tamen apparet Nabuchodonosoris ingenium prodigio plenum, quod fallacibus graue supplicium decernat, ne videatur impunè mendacium commorari in regum aulis. Mœrore mortis impendentis fallaces satrapas exacerbat; vt conturbati tam graui pœnæ ictu, & fulmine ad Danielem iustitiæ asylum, veritatis assertorem confugiant.

Daniel. *Cur Nabuchodonosor omnis terri tat consiliarios, nisi veri atem somnij enunci\[ent\]*

Magistratuũ leuitas, & fallacia regi comperta.

Ex agnitione ænygmatis voluit rex coniectare, an veram somnij solutionẽ daret magi. Theodor. *Satrapis in more erat, decipere Nabuchodonosorem sinceritate ambiguus.*

Nabuchodonosor contra mendacium armatur, vt exulet ex aula regia.

4. Talis extitit Dauidis indoles in repellendis ex aula subdolis, & fraudulentis viris. Id testatur Psalm. 100. vers. 6. & 7. *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.* Perquirebat Dauid familiares, quos fides, iustitia, veritas ornaret. Mentem attigit vatis diuini Theodoretus dicens: *Eos verò qui fide præditi sunt, magnique rei diuinæ ducebant, meorum collegiorum, atque consiliorum participes faciebam.* Ad ornandos cœtus, & collegia sapientum, virtutis & fidei studiosos, & cuiuslibet sceleris expertes, colligebat. Talis fuit Banaias, quem ad arcana consilij asciuit libr. 1. Paralipomenon. cap. 11. *Posuit autem eum Dauid ad auriculam suam.* Vbi Glossa inquit: *Tanquam familiarem, & fidelem consiliarium.* Cardinalis Caietanus eximiis laudibus extollit Dauidis solertiam, in delectu ministrorum, legitque iuxta Hebræum: *Oculi mei in fidelibus terræ ad sedendum mecum.* Locúmque illustrat his verbis: *Subiungit modò dispositiones suas rectas respectu ministrorum. Prima est quod eliget fideles. Oculi, inquit, mei, non cæco intuitu, nec aliena relatione, erunt in fidelibus terræ; in iis, qui fideles inueniuntur in terra ad sedendum mecum, pro consilio pro iudicio, & aliis publicis negotiis.* Alterum verò Psalmographi regij comma, in quo aperit animum suum subdolis, & fallacibus viris aduersum, transfert ex Hebraico fonte: *Non sedebit in medio domus meæ faciens dolum, loquens mendacium, non firmabitur coram oculis meis.* Quem locum reddit illustrem purpuratus Pater lumine verborum, argutia sententiarum: *Humana electio, (inquit,) quantumcumque oculata, quandoque fallitur, & si aliquando contingit reges errasse in electione ministrorum, ne videantur errasse, sustinent illos, & malum regimen malum, quàm apparere errasse. Contra hoc vitium dicit Dauid quod nec faciens, nec loquens dolum firmabitur secum. Dicendo firmabitur; significat quod quamuis accitus fuerit, comperto quod mendax est, non firmabitur. Et dicendo non sedebit, significat quod quamuis accitus ingressus fuerit, comperto quod est dolosus, non quiescet sedendo in medio domus meæ regiæ, hoc est in publico officio.* Hæc Caietanus. Salutis propriæ, publicæ sospitatis amans Dauid in eum scopum extendebat suas vires, vt consiliis idoneos magistratus inuestigaret; iustitiæ, & veritatis amatores, qui fucosa amicitia in splendore forensi, oculos, animúmque non decipiant. Comperta alicuius fraude, excidebat ab eius gratia, & beneuolentia. Beatum tribunal, felix aula regia, in qua sola præualebat veritas, exulabant astutia, fraus, & fucus. Si quem autem comprehendebat inertem, ad iudicia somniculosum, spiris nequitiæ, & sagacitatis conuoluentem sese, & occultantem veritatem, senatoriis infulis exautorabat, pellebat à seniorum cœtu; malens humanæ mentis imbecillitatem agnoscere, quæ in electionibus sæpissimè labitur, quàm in errorem inducere populum. Erat instructus Dauid diuina prudentia, qua eius natus Salomon exoptabat illustrari reges. Prouerbiorum capite 20. vers. 5. *Sicut aqua profunda sic consilium in corde viri: sed homo sapiens exhauriet illud.* Græcorum Patrum Catena legit: *Et si consilium in callidi viri corde abditum est instar aquæ profundæ, attamen vir prudens exhauriet illud.* Sicque locum enucleat: *Et si hominis versipellis consilium instar gurgitis, vel putei cuiusdam sit altum, nihilominus vir prudens exhauriet, & in manifestam lucem proferet illud.* Tametsi cor improborum intumescat sicut mare, fallaciarum gurgitibus, & fraudulentiis turbetur, & iactetur pelagus; sapiens rex

Psalm. *Ministros fideles, & in veritate cõspicuos requirebat Dauid.*

Theodor.

Collegiorum, & consiliorũ fuerũ participes faciebat Dauid eos, qui fide, & religione erga Deum eminebant.

L b. Paral. *Banaias auricularius, & fidelis consiliarius Dauidis.*

Caiet. Card. Lect. Hebr. *Quanta soler. in Dauide vi dẽ, & mores perscrutabatur ministrorũ, qui eius lateri adhærerent.* *Eligit fideles.*

Lect. Hebr. *Dolosos expellit de domo regia.* Caietan.

Magnum incommodum in electione ministrorum reges errasse.

Dauid, quem comperiebat consiliarium dolosum ab officio deponebat.

Prou.

Cat. Græc. *Vir prudens consiliũ callidi hominis abditum, in manifestam lucem prodit.*

Digitized by Google

rex instar solertis dextrique vrinatoris, scrutatur profunda consiliorum, nec ei deest oleum sapientiæ, quo cogitatus in tenebris latitantes in apertam lucem eruat, & enuntiet.

Impij consiliarij regis Ieroboam. Oseas.

5. Impios Ieroboam Regis consiliarios insimulat Oseas Vates cap. 7. vers. 3. *In malitia sua lætificauerunt regem, & in mendaciis suis principes.* Qui autem fuerint primarij viri subdit versu 5. *Extendit manum suam cum illusoribus.* Chaldæus locum effert: *Attraxit ad manum suam turbam falsidicorum.* Quorum versutia, & nequitia quanta fuerit, exponit Sanctus Cyrillus Alexandrinus: *Regibus suis adulati sunt, assensu, approbationéque omnium, quæ illis placerent, illos hilarantes.* Et statim: *Debebat enim, debebat illorum cogitatis, & ausibus stolidissimis generosè obuiam ire germana in Deum charitas, & ad conatus insipientium impediendos eniti, non promptè subscribendo, iis delicias facere.* Regi, primoribusque viris Ieroboam obsecundabant facilè iniquitatis ministri, consensu & approbatione calcar addentes regi ad omne nefas incitato. Nullus erat qui obuiam iret iniquis conatibus, qui iustitiæ, & veritatis esset patronus, omnes deceptioni, fallaciis, & mendacio struendo studentes. Vereor hoc esse sal infatuatum, quo conditi sunt improbi consiliatores Regis Artaxerxis lib. 1. Esdræ cap. 4. Cùm cerneret Iudæos in patriam reduces confractos solidare muros, eorúmque ruinas diligenter obstruere, conduxerunt aduersus eos consiliatores, qui opus disturbarent; tabellarium cum epistola ad Imperatorem delegarunt, in qua prætextu pietatis, & regij emolumenti, bellum indicunt subdolis verbis familiæ Iudæorum. Inter alia hæc recensentur verba vers. 14. *Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus.* In Bibliis Complutensibus legitur: *Et nunc igitur sicut salibus palatij saliti sumus.* Hac prouerbiali locutione se nimis religiosos ostentant Xerxis primates, apud quos nefas erat hospitij, & sodalitatis iura violare, quæ contrahebatur salis, & mensæ consortio. Ast iuxta LXX. Interpretum lectionem, non ineptè dices Palatinorum salem apud quos non regnat iustitia, & fides; esse fraudulentiam, & mendacium, quo sale saliti, hoc enim condimento aspergunt verba, hoc sale infatuato saliunt opera, quæ fantur nequaquam insulsa, omnia faceta, venusta, salibus plena; habent vrbanorum sententiæ suauitatem, & dulcedinem adulationis adiunctam cum crissis mordacitate; vna, incautos decipiunt; altera, lædunt innocuos: Hoc sal non eximit à putredine, sed prauos mores corrumpit. Regnúmque disperdit.

Chald. *Apud ipsum turba falsidicorum.* D. Cyrill. Alexand. *Proba, improba assensu, & approbatione confirmabant. Nullus erat, qui obuiam iret impiis regis conatibus.* *Consiliarij nequam sal infatuatum.* Lib. Esdræ. *Sal palatij fraus.* Bibl. Comp. *Hospitij iura quæ mensa & sale contrahuntur, violare nefas.* Lect. Lxx.

6. Non condiuit hoc sale consilia sua Daniel, nec oleo peccatorum inunxit caput Regis postulantis interpretationem eloquij mystici, quod in pariete exarauerat manus superna. Auersabatur verba ad fraudem composita, & concinnata, emollitos super oleum sermones exterius, qui intus sunt iacula. De diuinæ sapientiæ arcano veritatem hausit, in Dynastarum cœtu, & conuiuio impauide protulit: *Phares, diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.* Daniel cap. 5. vers. 28. quo in loco valdè mirandum est, veritatis præconem, veridicúmque sermonem cor regium valdè amaricantem imperij sui ruina, & translatione ad extraneas gentes, recepisse fructum laudis, mercedem honoris. ibidem vers. 29. *Tunc iubente Rege, indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno suo.* De sapientiæ munere ornatur torque, purpuræ illustratur indutu, qui non erubuit vultum potentium, in promulganda sententia cœlestis numinis. Meritò præfertur satrapis accitus ad dignitatis apicem, qui reliquos antecibat prudentia. Quis non expectaret saturatum epulis pectus, caput poculis repetitis temulentum, sacrilegum barbarum irridentem Deo, illudentem sacri templi phialis, eructantem ferale flagitium, sententiam capitis ore, oculis fulminantem, in veritatis nuntium; aut saltem minax, & crudele imperium, quo ipsum apparitores raperent, vinculis clauderent, compedibus, & neruo premerent, donec tempus ostenderet, an euentui prædictio responderet. Veridicis ausibus, & sermonibus hæc spes, hæc corona reposita esse solet. Cur ad eximios honoris ornatus, ad summam gloriam euchit vatem infausta comminantem? Perplura replicant auctores vt dubium soluant. Iosephus lib. 10. antiquit. cap. 12. ait: *Hac interpretatione accepta Rex non poterat vehementer tristari, attamen Danieli suam munificentiam non subtraxit tanquam malorum prænuntio, sed dona, quæ pollicitus est, exhibuit; sic cogitans, quod non bona audierit, sui fati culpam esse, non Prophetæ: immo illum boni viri officio functum esse, qui sic interpretatus sit, vt erat euenturum, tametsi parum lætus euentus sequeretur.* Hieronymus verò alia via occurrit dubio: *Non mirum si Balthasar audiens tristia, soluerit præmium, quod pollicitus est; aut enim longo post tempore credidit euentura, quæ fuerant prædicta, aut dum Dei Prophetam honorat, sperat se veniam consequuturum.* Quis de vinolentorum mensa, & symposiaste penè temulento tam placidum, sobrium, cordatum iudicium præstolaretur? Danielis probitas, & veritas tot experimentis roborata, nebulonum dispulit caliginem, Regem vino madidum ad sanam mentem reuocauit, vt temperaret ab inferenda iniuria vati: cum suo merito mala euentura Rex prædicat, Danielem innoxium pronuntiat, qui boni viri, & fidelis interpretis officio perfunctus est: vel in hoc consiliariis, & ariolis suis sapientior, qui pœnæ imminentis redemptionem inuenit honorem Prophetæ: hærebat animo Regis pium placitum, reddi diuinũ numen placabile, si illustriorem redderet serui sui dignitatem: existimabat recuperandæ regiæ dignitatis aditum inuenire, si comminantis mala, Deus amplificaret. Etenim enuntiatæ veritatis acerbitas ex prædicentis vita, & sanctimonia dulcescit. Hoc adstruit D.Ambros. placitum prædictis inferendũ lib. 2. de officiis c. 11. *Quàm purus Danieli animus, vt mulceret barbaros mores; mitigaret leones? Quæ in illo temperantia? quanta animi, & corporis continentia? Nec immerito mirabilis factus omnibus, quando (quod vehementer admirantur homines) regalibus fultus amicitiis, aurum non quærebat, nec delatum sibi honorem pluris faciebat quàm fidem. Quin etiam periclitari malebat pro lege Domini, quàm pro gratia hominis inflecti.*

Daniel. *Mirum est aurum, & amaricantẽ Danielis sermonem de translatione regni; recepisse fructum laudis, & honoris. Daniel purpura, torque, & suprema potestate ornatur.* *Cur Rex barbarus non malè mulcat Danielẽ, infausta annũtiantem.* *Veritatis fructum solet esse vinculum & nex.* Ioseph. *Infaustum nuncium rex non vatis malitiæ, sed suis flagitiis prudenter attribuit.* D. Hieron. *Rex soluit præmiũ, quia credidit aduersa longo tempore euẽtura. Ad se inflectere satagit Dei clementiam, cum Prophetam honorat.* *Enuntiatæ veritatis acerbitas ex prædicentis sanctimonia dulcescit.* D.Ambr. *Consiliarij Danielis virtutes. Illud mirabilius in Daniele, quod licet regis amicus, aurum non quærit.*

Meritò

Fidem bonam praetulit.

Meritò celebrat Mediolanensis Antistes Danielem tanquam virtutis,& constantiæ prodigium, qui in medio nationis prauæ, tot vitiorum incitatus irritamentis, accitus apicibus gloriæ, non nutauit, non præcipitatus lapsu criminis, sed flecti nescio mentis vigore, iustitiæ, & veritatis semper æquabile tenuit moderamen. Hærebat lateri regio fidelis Achates, vndique affluebant copiæ, affluebant honoris, & adulantis fortunæ flabra, nec illis cor apposuit, nec labentibus fidit, nec istis intumuit. Correptus non est,qua solet mortalium pectus auri sacra fame, non quærebat diuitias,qui ornatum animum tenebat fide,& sapientia: *Regalibus fultus amicitys aurum non quæsiuit.* Æquo iure, arcanoque consilio impositum est illi nomen *Balthasar.* Quod, iuxta interpretationem ex Hebraico fonte mutuatam, idem est ac *Scrutator thesauri, non portans angustiam, non thesaurizans.* Vt annotat Lexicon Complutense.vidisti nouum æquitatis miraculum, gazas, regias scrutabatur, vt esset tuta & fida earum custodia, & non thesaurizabat; admittitur ad regni consortium, & non euasit opulentior, plus æstimans thesauris Babyloniorum veritatem, & fidem: Merito non angustiabatur: *non portabat angustiam.* Sed læto, sereno,hilari vultu spiritum hauriebat, qui ambulabat coram Domino in fide & veritate, alienus à fraudibus& auaritia diuitiis insidiatrice. Denique eodem capite prædixerat Ambrosius: *Daniel ex captiuis regalium consultorum arbiter factus, consiliis suis emendauit præsentia, annuntiauit futura. Ex his enim, quæ frequenter interpretatus ostenderat veri se esse annuntium, fides ei in omnibus deferebatur.* Danielis fides alienæ laudationis ambitum non requisiuit, quando tot experimentis confirmata commendabatur sua. Reuerebantur Satrapæ consilia semper vera nuntiantis, nec exacerbabantur affatibus veritatis, cui innata solet esse amaritudo, quando tot pigmentis puritatis, & sanctimoniæ condiebatur.

Daniel vocatus est Baltassar.

Lect.Heb.

Baltassar idē est ac scrutator thesauri, & non thesaurizans.

Consiliorum Danielis fructus.

D. Amb.

Fides ei ab omnibus deferebatur, quia semper vera nuntiabat.

7. Aponij fontis fluenta, perennem, & irriguam puritatem celebrat Cassiodorus tanquam eximium naturæ miraculum,& de Antenorea tellure, iugisque montium, ex quibus aquarum dorsa turgescunt,& latices defluunt, edisserens,fatur:*Corda illa (vt ita dixerim) montium,in vicem secretarij,negotia contentiosa distinguunt. Namsi quis fortè pecus furatū pilis natiuis solito more spoliare præsumpserit,vndis ardentibus frequenter immersum, necesse est vt antea decoquant, quàm emendare præualeat. O verè secretarium iure reuerendum! quando in his aquis non solum sensum, sed etiam verum constat esse indicium: & quod humana nequit altercatione dissolui, fontium datum est æquitate definiri. Loquitur illic tacita natura dum iudicat, & sententiam quodammodo dicit, quæ perfidiam negantis excludit.* Hæc Cassiodorus lib. 2. variar. cap. 39. aqua illa mirabilis per igneos terræ meatus peregrinum contrahit ignem, postea facile natiuum recuperat algorem. Si suffurata vellera pellucidis vndis immergas,non abluuntur, non dealbantur,sed excocta remanent: silenti iudicio inter raucum murmur delinquentem raptorem damnat, mutaque natura veritatem prædicat, arguitque negantis perfidiam. O secretarium,& iudicem iure reuerendum! qui peregrino artificio, mirabili sapientia in pellucida lympha detegit fraudem,signatque latronem.In discernenda, & eruenda veritate mira auiditas fluentorum.Quæ ad exemplar fidei, & imitamentum natura proposuit iudicibus,magistratibus, vt scrutentur veteratorum ingeniorum fraudulentias, iustitiam ambiant, affatum veritatis diligant.

Natura miraculum in fontis Aponij fluentis.

Cassiod.

Suffuratum lana vellus non lauat, sed decoquit vndis ardentibus.

Aquarum verum indicium negantis falsitatē prodit.

Muta aqua natu à veritatem prædicat.

Ad exemplar iudicum à natura proponitur exploratio aquarum.



Et prudentem eloquij mystici.

DISCVRSVS IX.

Mystici eloquij Theologi encomiastes.

Pretiosum donum sacra Theologia, quanta bona, emolumentaque inferat animæ; ex quo magisterio inducat originem; qui sint idonei vt illius adyta penetrent.

1. PRVDENTEM mystici alloquij insinuare diximus in litteræ commentario sacræ sapientiæ studiosum, verè Theologum, secretorum Dei scrutatorem, quem à Iudæa Deus abstulit, & ad Ecclesiam Christi transtulit,vbi fulget diuina sapientia,& Theologia,seu scientia & theoria de Deo abundat. Hoc dono pretioso Theologiæ sponsam suam Christus ornauit cui mensam subministrauit sacræ sapientiæ poculis plenam,vt non esset angusta, & coarctata sicut in pristinis patribus notitia diuinorum; sed sicut fons scaturiens, & torrens inundans ad omnes gentes, quæ sub cælo sunt, permearet. Hoc conuiuium promiserat Salomon cap. 9. v. 2. vbi focos, & lares sapientiæ apud homines constituit, sacratumque domicilium omnibus patulum, septem columnis suffultum; *Miscuit vinum,& proposuit mensam suam.* LXX. legunt:*miscuit in cratere vinum suum, & parauit suam mensam.* Græci Patres in catena Prouerbiorum: *mensamque suam instruxit ornatè.* Quis autem sit conuiualis apparatus, & magnificus, subiungit:*Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Panem apparat, & phialam musto plenam. Quid per panem & vinum præseferat Salomon, tot sunt interpretamenta, quot habet triclinium Ecclesiæ fulcra. Catenam Græcorum Patrum hac in re sequimur, quorum alij de Theologia sacra vsurpant verba:sic enim inquiunt:*Per panem,& vinum, recta & solida de sacra Trinitate doctrina, quæ cor Ecclesiæ, in qua Christus degit, mirificè confirmat, & recreat.* Prisci Patres, & veteris synagogæ sapientes, vix micas de sacra mensa cadentes comedebant, semper famelici, saturari cupientes de reliquiis cælestis edulij; at postquam diuina sapientia in virginis aula diuinam, & humanam naturam copulauit, apposita est opipara cibilla liberalimanu exornata, dulcissimis obsoniis stipata; sapientes, insipientes, magni, paruulique excitantur eum excelsa prædicatione ad craterem, & epulum

Sacra Sapientia conuiuiū, & triclinium.

Prou.

Lect. LXX.

Cat. Græ.

Panis,& vinum rectam, & solidam de sacra Trinitate doctrinam denotant.

Patr. Græ.

Post Christi incarnationem,magnis, & paruuli poculum diuinæ sapientiæ ebibunt.

lum, vt integrum panē prandeant, poculumque mysteriorum non primoribus labris delibent, sed ebibant. Nec dissimilis est Diuus Ambrosius conceptum amplificans, libro de institutione virginis cap. 14. *Verè autem (inquit) aluus ille Maria crater tornatilis, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis piæ gratiam, diuinitatis suæ plenitudine subministrans.* A virgineo Mariæ conclaui, in quo sapientia diuina discubuit, omne bonum scaturit; à Mariano impolluto triclinio, in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitauit, & tentorium fixit, iugi scatebra exiliunt latices diuinæ sapientiæ, quæ piæ cognitionis humore sapientium pectora velut arentia arua irrigant, & fœcundant; primaria Mariæ vena quam diues, quàm fertilis, quam omni scientiarum copia, & præsertim Theologia cumulata, quæ dum litteratæ liberalitatis præludio, nimirum pio deuotionis affectu, velut antelucana aspergine pectus irrorat, annuntiat scientiæ sacræ profluuium, quod in studiosos sui, vbertim solet influere: crassa, obtusa, impolita ingenia, quasi mater erudit, politiori litteratura sacra, quasi Doctorum doctrix informat, reddit homines docibiles Dei, & diuina quadam eruditione replet. Quid? si de aluo Virginis exundent tramites sapientiæ, quando quidem de latere Christi lancea percusso promanasse autumat S. Isidorus Pelusiota, cuius verba ex libr. 1. epist. 168. mutuata transcribo: *Scriptura diuina veram diuinæ cognitionis doctrinam vinum necessariò appellat. Hoc in poculo quoque sapientia bibendum porrigit, per poculum nimirum Domini latus intelligens, ex quo nobis vita iucunditas, & oblectatio profluxit.* De aperto Christi latere, non solum mysteria, & sacramenta, sed eorum cognitio profluxit: latus enim Domini punctum omnium bonorum scaturigo, & scientiarum est fons, reserata est enim lanceæ cuspide ianua, per quam pateret aditus ad notitiam diuinorum, de compuncto latere mortuo non tantum vita, sed sapientia manauit. Ad hunc craterem vulneris, ex quo sanguinis vinum aqua permixtum exiliit, inuitat Salomon vt haurire possimus sapientiam. In mensa illa, quam apparauit diuina sapientia conuiuis & sodalibus calicem instruxit, non materiali vino, melle, lacte, aut mulso temperatum, sed sacris commentationibus de Deo, eiusque perfectionibus refertum, sesamo, & nectare dulcioribus, quem sancti Dei viri superno numine afflati, toreumatis sacri pocillatores propinant placide auētibus sacram scientiam, vt repetitis potionibus poculi meracissimi, sese ingurgitent: offerunt enim calicem plenum mixto non contextis è floribus corollis ornatum, sed corona gratiarum redimitum, sobrium reddens animum & excelsum, vt extricatus à rebus mundialibus ad superna virtutum fastigia conuolet, vt cum Angelis conuersetur. Ratione simili celebrat Theologiæ laudes S. Diadochus Episcopus Photices in libello de perfectione spirituali cap. 67. dicens: *omnia dona Dei sunt valde bona, & omnium bonorum causa, sed nullum ita nostrum cor inflammat, & eum ad amorem boni status sui excitat vt donum Theologia: cum enim sit fœtus matutinus gratiæ Dei, prima etiam dona largitur animæ: primum enim facit vt libemer, ac iocundè omnes vitæ huius formas contemnamus, vt qui pro cupiditatibus fluxis diuitias sanctarum Scripturarum maiores quam dici potest, habeamus. Deinde mentem nostram igne eam mutante collustrat: vnde consortem ministrantium spirituum eam facit.* Hæc S. Diadochus.

D. Ambr.

Aluus Maria crater tornatilis in quo erat fons sapientia. Indeficientem piæ cognitionis gratiam subministrat.

Maria vena diues, abundans Theologia cognitione, replet alumnos sapientia.

Rudes, reddit litteratos.

D. Isidor.

Vera diuina cognitionis doctrina vinum dicitur. Ex Christi latere poculū oblectationis manat.

Punctum Christi latus scientiarum fons.

A terrenis auocat, ad virtutem animum transfert.

D. Diadoch. *Nullum bonum ita cor nostrum inflammat, vt donum theologia. Fœtus est matutinus gratia Dei.*

Pro diuitiis sanctarum scripturarū terrena facit contemnere. Theologia sacra igne mentem collustrat, & similem Angelis facit.

2. Moyses inauguratus Doctor populi Iudaici, & sacris mysteriis initiatus, auidissimè cupiebat particeps fieri cognitionis diuinæ naturæ, & sacra Theologia à Deo imbui. Nactus est opportunum tempus suæ cupiditatis explendæ, cùm Deus diuinis alloquiis, & visionibus, cum eo tanquam cum amico, & valde familiari confabulatur; fiduciæ, & amoris viribus, & ausibus erectus est animus in audaciam, & in illud postulatum prosiliit: *Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuā, vt sciam te.* Exodi cap. 33. v. 13. Et rursus eodem desiderio ardenti abripitur v. 18. *ostende mihi gloriam tuam.* Vtrobique legunt L X X. interpretes: *ostende mihi temetipsum.* Licet verba loco secundo allegata transferantur sicut in Vulgato, in aliis codicibus Græcis, in quibus reperitur verbum: δόξαν est eadem versio, & sic legit S. Augustinus in scholiis septuaginta seniorum. Quam versionem sectatur Philo Iudæus, in priori commate legens: *ostende mihi te ipsum.* Et de ardore discendi Theologiam, & cognoscendi Dei naturam, & essentiam vsurpat; in secundo: *ostende mihi gloriam tuam.* vertit; & de auiditate sciendi Dei proprietates, & attributa expendit. Verba sunt Philonis lib. 1. de Monarchia: *Quæ porro tua sit essentia cum scire cupiam, qui me hoc docere possit in vniuerso mundo inuenio neminem. Oro igitur vt exorari te patiaris ab amico supplice, & qui solus potes, opem feras. Sicut enim lux à nulla re illustratur, sed se ipsa ostendit, sic tu te solus potes ostendere. Sit ergo venia confugere ad te audenti propter penuriam magistrorum in summo discendi desiderio.* Cerne Moysen tanquam alumnum sapientiæ in illius lyceo versantem ad pedes gymnasiarchi Dei aperto ore expectantem vel sacrarum notionum guttulis perfundi. Lustrabat animo oculisque cælum tot luminaribus, paruisque luminibus stellatum, statam cursuum legem, terrarum orbis concinnitatem, & pulchritudinem expertus erat, prodigiosas operationes de diuina clementia, & potestate partas; auebat scire quæ esset natura artificis, qui globum terræ condiderat, hominem plasmauerat, cœlos tanquam cameras, & vela obtenderat, mare bifidauerat; conqueritur de penuria Magistrorum; non aderat præceptor Verbum Dei carne vestitum, non audierat Apostolos, Euangelistas, cœtumque Doctorum, qui de scientia diuinitatis instruerent, quorum defectum suppleuit Deus, eum perfecte erudiens Theologicis, & Philosophicis disciplinis, eumque sui temporis supremum Theologum efformans. Pergit adhuc Moyses ad percipiendam cognitionem perfectionum diuinarum in iis verbis: *ostende mihi gloriam tuam.* Quorum sensus Philoniana argutia & eruditione expromitur: *Oro tamen (inquit) vt saltem gloriam tuam videre liceat, gloriam dico potestates, quarum stiparis satellitio, quæ hactenus ignoratæ, miro me torquent cognitionis desiderio: tum Deus: quas quæris vtique intelligibiles sunt, non visibiles, sicut ipse sum inuisibilis, & intelligibilis.* Ideam attributorum

extinxit

Sacra Theologia eruditionibus imbui, amat Moyses.

Exod.

Lect. L X X. Cupit Deum ei ostendi.

Phil. Iud.

Moyses Dei essentiam exoptat agnoscere.

Moyses ad summum Magistrum Deum confugit discendi causa.

Phil. Iud. *Diuina natura attributa Moyses agnoscere deprecatur. Ea sunt intelligibilia de Deo, non tamen visibilia.*

Digitized by Google

Dei potentias tanquam ipsius satellites fingit Philo.

effinxit Philo tanquam stipatorum presto adstantium regalibus iussis, & imperatoriam majestatem cingentium, non quia ea collocet extra Deum, habent enim cum natura diuina mirabilem identitatem, sed quia mente percipimus ea velut potestates quasdam à Dei natura emanantes, quę licet corporeo intuitu sint inaspectabiles; intellectili tamen, licet incomprehensibiles, sunt tamen cognoscibiles licet imperfecta cognitione, à rationali natura; quorum vestigia non obscura nobis reliquit in creatis omnibus, per quę omnipotentia, bonitas, immensitas Dei nobis innotescit.

4. Inter alia sacrificia, quæ offerebantur pro peccato, illud est peculiare, & eximium, quo iubet legislator offerri *Simila partem ephi decimam.* Leuitici cap. 5. v. 11. sacerdos verò hauriens ex ea pugillum, cremabat super altare: *Reliquam vero partem ipse habebit in munere.* Quæ sit pars similę, quam sibi vsurpat Sacerdos, & munere diuino ei segregatur, nostrę est ratiocinationis discutere. Aperiet arcanum argutus Leuiticorum mysteriorum scrutator Isychius Episcopus Ierosolymitanus, qui sectatus versionem LXX. legentium: *reliquum erit sacerdoti vt sacrificium simila.* Ait similam esse sacram scientiam de Deo, Trinitate Personarum, & de Incarnatione Verbi: aptè ergo scribit, *Sed quia similam Theologiam esse nouit*, &c. *Vnde ibi quidem quod reliquum fuit, Aaron & filiis eius deputauit, esse autem diximus eius filios, qui sublimia & diuina intelligere possunt. Ipsi quidē pascuntur de scientia reliquijs, cuius totum atque summā in cœlis Christus habet, apud quē sapientiæ Thesauri, & sciētia sicut ait Apostolus absconditi sūt.* Theologiæ donum deputatur filiis Aaron, qui Sacerdotalibus infulis ornantur, ipsi enim assident sapientiæ sacræ conuiuio, & pascuntur de illius ferculis, licet enim Christus sit fons, & perennis scaturigo huius diuinæ scientiæ, de fontana tamen illius plenitudine ebibunt riuulos sacri Doctores, & mystagogi, de sacris mensę reliquis pasti, omni eruditione sunt referti. Sunt apud Iesvm sapientiæ thesauri, & sapientię premium; ideo omnis fœlicitas, omnis beatitas manus diuinę sapientię exornant. Prouerb. cap. 3. v. 16. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitia & gloria.* Hæc bona solicitè solet ambire humana cupiditas, affluentem diuitiarum copiam, nominis celebritatem, honoris decus, perennem & beatam vitam metu mortis expertem, quam in possessione fortunarum nullum solicitet iacturę periculum. Quid innuat dextra sapientiæ, quid præseferat sinistra solerter expendit Didymus in catena Græcorum Patrum in Prouerbia, sic transferentium prędictam sententiam: *Longitudo vitæ, & anni vitæ in dextera illius sunt positæ. Diuitiæ autem & gloria in sinistra illius herent.* Ait ergo Didymus: *per sapientiæ dexteram diuinarum rerum cognitio, ex qua immortalitatis vita oritur, significatur: per sinistram autem rerum humanarum notitia, ex qua gloria, & opum abundantia nascitur.* Humana, & diuina sapientia de manu Domini veniunt. Illa per gloriæ, & copiarum compendia, propria emolumenta requirit; quę diuina est, & ex manu dextera oritur nil terrenum, aut temporaneum loco mercedis expectat, nullo æuo claudenda promissione gaudet immortalis vitæ; quæ de Deo est scientia, Deum ipsum habet pro mercede & vitam Dei, quæ est vita æternitatis.

Leuit.

Lect. LXX. Isich.

Sacrificium simila est scientia de Deo, Trinitate personarū, & Verbi incarnatione.

Simila Theologiam innuit.

Filij Aaron qui sublimia intelligunt, & pascuntur scientia reliquijs.

Apud Iesum Theologia summa, & thesauri sapientia.

Prou.

Quæ sit dextera, & sinistra sapientiæ.

Cat. Græ.

Sapientia dextera diuinarum rerū cognitio, sinistra rerum humanarum notitia.

5. Exiit Abraham de Vr Chaldæorum, migrauit ab eorum contubernio, Chaldæorum opinionibus & fallacibus sophismatibus semper inuisus, euexit eum Deus ad Theologiæ, & sapientiæ arcem; vt quantum discrimen interesset inter sideralem scientiam, & Theologicam cerneret: *Eduxitque eum foras: & ait illi: suspice cælum, & numera stellas, si potes. Sic erit semen tuum.* Genes. cap. 15. v. 5. Cur Deus Abrahamo imperat, vt cęlum prospectet? vt clare percipiat sacri sapientis animum imbutum supernis notionibus, esse velut firmamentum diuersis siderum luminibus distinctum, & ornatum. Exhibebit tibi hanc mentem, quo solet acumine Philo Iudęus libro *quis rerum diuinarum heres?* Vbi sic fatur: *Vult enim celi effigiem, aut quod plus est, cœlum terrestre dici sapientis animam, vt quæ in æthere habet lucida sidera, status, motus, concinnas choreas, diuinos circuitus, virtutum splendores fulgidissimos, & stellis simillimos, quod si sensibilium stellarum numerum inuenire est impossibile, multo magis intelligibilium.* Animus in quo habitat diuina sapientia, stellatum cœlum est; nec illud in æthere tot nitet sideribus, quot istud micat scientiarum, & virtutum fulgoribus; non hic inuenire est ratos siderum errantium cursus; sed mentis semper æquabilis, immunis erroris & fraudis perpolitos discursus, in quo vel cum principia, mentis fulcra, firmat, ex iis ratiocinationes deducit, cum certa fidei dogmata profert, aut verosimilia probamenta eruit, dum hamatas argumentationum cuspides velut iaculorum, & sagittarum exacuit; in animæ firmamento intueberis diuinos circuitus, pulchras ambages, concinnas quęstionum in orbem sese explicantium choreas, vibrata fulmina, splendentia fulgura. Quamobrem excitatur sapiens vt cœlum aspiciat, non tam ætherem micantem ignibus, quam cœlum pectoris lustret, fulgens virtutis, & scientiæ radiis. Post cœli intuitum excitatur sapiens Abraham promissis cœlestibus, vbi v. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Dixitque ad eum: ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam.* legunt LXX. *vt darem tibi terram hanc hæreditare.* Sequitur lectionem Philo Iudeus: *vt darem tibi terram hanc in hæreditatem.* Aitque prius donum Abrahamo concessum à Deo fuisse, quod illum educeret è meteorologia Chaldaica, quę docebat credere mundum non opus Dei, bonorum, malorumque causas stellas esse. Minimè assentior in hac parte Philoni, qui protoparenti fidei, & pietatis sapientissimo, & sanctissimo viro crimen erroris impingit. Erat instructus à Deo, certoque sciebat vnum Creatorem & moderatorem orbis, nec causas hominum à fato pendere, nec vim inferre humano arbitrio siderum influxus, & diuinę prouidentię moderamine cœlestia, terrestria gubernari. Alterum verò acroama Philonis perplacet, quod his verbis explicat loquutus de hęreditate Abrahę promissa: *Nouum autem bonum quod promittitur est acquisitio sapientia eius, quæ non sensu discitur, sed mente sincerissima percipitur, & confirmat migrationem optimam: anima se conferente*

Abrahamum euexit Deus ad Theologiæ, & Sapientia apicem.

Genes.

Phi. l. Iud.

Sapientis animus terrestre cœlum est varijs virtutum sideribus fulgens.

Sapientis in animo varij ratiocinationum discursus nitent.

Phil. Iud.

Sapiens Abraham ab errore Philoniano eximitur.

Phi. Iud.

Hæreditas à Deo promissa Abraha, est acquisitio sapientia & scientia de Deo vno & trino.

conferente ab Astronomia ad Physiologiam, & ad certam cognitionem à coniectura; atque, vt propriè loquar, à genitis ad ingenitum, à mundo ad eius patrem, conditoremque. Præclara sanè hereditas, fortasse maior quàm pro captu hæredis, sed digna largientis magnitudine. Præclarum donum, & miris laudibus celebrandum largitus est Deus Abrahæ, nempe diuinæ suæ naturæ & perfectionis notionem, seu Theologicam cognitionem, vt non iam mens eius in rebus sub aspectum cadentibus sisteret, sed migraret ad contemplationem Creatoris. Nec solitarie nactus charisma Theologicum, Theologiæ parens Abraham, qui & fidei, sed tanquam præclaram, & pretiosam hæreditatem accepit suis posteris in fide æmulatoribus legandam. Præclarum hæreditatis ornamentum, & fidei commissum omni patrimonio præstantius virtus cum sapientia coniuncta, fides cum Theologia, in cuius possessionem iure hæreditario Ecclesia Christi substituta est.

Theologia charisma deriuatum ad æmulatores fidei Abraham.

6. Præstantior Theologus Petrus, qui voce tuba clariore, quæ orbem instruxit, infernum conturbauit, Angelos lætitia repleuit, professus est Christi diuinitatem. Proposuit Iesus Theologorum omnium gymnasiarcha & Doctor, difficilem quæstionis nodum Apostolorum collegio dissoluendum, quid homines de se suaque diuinitate sentirent; dumque disputatio ventilatur, & fluctuat inter iactatas opiniones hominum inconstantes, & turbidas: non vnus omnium, aiunt, sed varius est sensus: *at illi dixerunt: alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Matthæi cap. 16. v. 14. eorum tamen sententiam cupiens audire, quid ipsi opinentur interrogat. Petrus verò qui semper de Iesu præclaram opinionem imbiberat, & sacris Theologiæ, & Apostolatus apicibus à Dei præscientia fuerat accitus, perdifficilis, & obscuræ quæstionis scopum collimauit, dissensionem sustulit, aliorum opiniones refutauit, hæreticorum procerum euertit sophismata, proferens vere beato ore sententiam & conclusionem illam Theologicam: *Tu es Christus filius Dei viui.* Ibidem vers. 16. *O beatum os!* (exclamat S. Ioannes Damascenus oratione de Domini Transfiguratione.) *O prorsus beata labra! O Theologam animam! ô Deo afflatam mentem, ac dignam, quæ diuinitus doceretur! ô præclara instrumenta, per quæ Pater loquebatur! Beatus sanè es Simon fili Iona (hoc enim is pronuntiauit, qui à mendacio alienus est,) non caro, non sanguis, non humana mens, sed Pater cælestis hoc spectaculum, atque arcanam Theologiam tibi patefecit.* Præclarus sanè Theologus Petrus, qui eruditus à Patre & Theologicorum dogmatum, & luminum fonte, controuersiam de Christi natura, & diuinitate, mirabili sapientia, & dexteritate enodauit, & aperuit. Animam Beati Petri Theologam nuncupat Damascenus, quia Petrus sicut Sacerdotum, Apostolorumque vertex est, & corona, sic inter prudentiores mystici eloquij prudentissimus, diuinæ sapientiæ culmen, & Theologiæ primas inter omnes sapientes adeptus est; in primitiuo Apostolorum collegio, & sacro sapientiæ cælestis lyceo, à Iesu rectore magisterij infulis, doctoratus Theologici apicibus laureatus.

Petro theologorum gymnasiarcha quæstio proponitur à Iesu de illius diuinitate.

D. Matth.

Petrus quæstionem sapienter dissoluit.

D. Ioan. Damasc. Beatum os Petri, & illius theologa anima ab æterno Patre de diuinis instruitur.

In Apostolorum collegio Petrus primarij theologi infula à Iesu laureatus.

7. Sapientis consilium in medium produco, quo excitat alumnos suos ad studium scientiæ sacræ. Prouerb. cap. 5. v. 15. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui: deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Quid alij sentiant hoc in loco, & quo sensu abundent, de industria prætermitto; inter omnes commentationum riuulos fluentes placidè, de latice Olympiodori ebibam aptam theoriam, qui de scientia sacra, & Theologia locum exponit in catena Græca, dicens: *Bibe aquas, hoc est salutaria vitæ documenta ex sacris, & diuinis litteris hauri, & pietatis potum, ex diuina cognitionis puteis, quæ iam inde ab initio familiariter nobis cohabitauit fontisque nomen accepit. Ex quo fonte proscaturiunt pocula, quæ mentem refocillant, animumque recreant, ac sese in plateas, in quibus sapientia liberè concionatur, copiosè diffundunt.* Fontem, & puteum vocat sacram scientiam ex Olympiodori placito, quia in profundo latitat, & inuentu est haud facilis, eructat enim aquarum spiritualium venas, & fluenta gratiarum præbentia limpidissimum poculum haurientibus ad emundationem animi, ad voluptatem, & delicias, quibus abundat Dei sapientia; nec solum de proximo bibentibus scaturiunt latices; deriuari auent in plateas, & compita, vt vecordes, imperitosque guttulis suis aspergant, vitali potu recreati à vitiis exurgant. Hoc sapientiæ institutum sectantur, & complent, qui doctrinæ sacræ tramites deriuant ad emolumentum animarum, in aperta area, in vicis, & plateis vbi maior popularis concursus numerus confluit, vt steriles diuino præconio animos stillicidiis roris cælestis perfundāt. Quibus conuenit versio illa, quam refert catena Græca: *aquæ tuæ ex tuo fonte magna vbertate profundantur, perfusæque pertranseant in tuas plateas.* Beatum fluentum, felix præconium, quod postquam honoros conuentus, celebrioresque cœtus irrigauit, ad vrbium angulos, & portas doctrinæ sacræ diuidit fluenta. Hæc iuxta Olympiodori placitum. Nec omittendus Didymus hoc in loco acutus, & elegans: sic enim fatur: *Diuinarum rerum cognitio & puteus & fons est, illis qui ad virtutis studium primum accedunt puteus est: fons vero, iis, qui ad illius fastigium iam peruenerunt. Atque ita Christus Saluator noster super fontem sedisse scribitur; Samaritana vero puteum illum fontem nominabat: aiebat enim: neque in quo haurias habes, & puteus altus est.* Insipientibus, & tyronybus scientia cœlestis puteus est, quia magno labore, & industria comparatur sapientia, & quasi è profundo potus extrahitur; at sapientia veteranis, & prouectis, qui ad illius culmen pertingunt, fons est vndique Theoricis notitiis, quas nacti sunt, diffluens. Argutè ergo Ioannes Theologus vocat fontem, quem nuncupat Samaritana puteum, Doctrina enim illa sacra, qua Iesu præceptore imbuebatur, tanquam in mysteriorum profundo delitescebat, fugiebatque adhuc captum fœminæ. Dicitur fons, quia fons sapientiæ in eo requiescebat. Addit denique Dydimus ampla decora, quibus insignitur sacra Theologia, dicens: *eadem diuinorum mysteriorum intelligentia, & mater quoque, & vxor, & soror nonnunquam appellatur. Mater quidem quia à Christo doctore per illam geniti sumus: vxor vero quia dum illa familiariter nobiscum degit, parit virtutes,*

Prou.

Olymp.

Cat. græc. Sacra litteræ pietatis, & diuina cognitionis putei. Ex his fontibus, pocula scaturiunt, quæ animū recreant & largiter in omnes fluūt.

Sapientia riui ad plateas deriuantur, cum in iis sermonum instituuntur verbi Dei præcones.

Lect. Græca.

Didym. Sacra sapientia puteus est incipientibus; fons in Theologia consummatis. Iesus aquæ scaturiginē vocat fontē, Samaritana puteum nuncupat. Sapientia labore, & industria quasi de puteo extrahitur.

Didym. Sacra sapientia mater, vxor, soror appellatur, & quare.

tes, relliqua fidei dogmata. Soror autem quia hæc æquè ac nos ex Deo patre orta est. Et sapientiam, inquit, sororem meam dixi. Hæc Didymus.

8. Redeo ad fontem & fluentum, cui comparatur diuina sapientia, vt iterato fluminis cursu emundetur animus. Hos aquarum tramites pertransire contendit Ezechiel suffultus Angeli præsidio, & manu; cum enim trino incursu, & transitu permeasset torrentes fluminis, cinctus, & ablutus fluctibus vsque ad talos, vsque ad genua, vsque ad renes; dum quarto intendit tranare fluctus, & peruadare profunda fluminis, obrutus intumescentium gurgitum æquore profundo tutum, non valuit figere vestigium; nec permeare rapido cursu præterfluentem aquam. Id testatur Vates c.47. v.5. *Et mensus est mille torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transuadari.* Quid præseferant mysticæ contemplationis, diuini Vatis transitus, quid denotet profundus, & impermeabilis torrens? perscrutatur Theodoretus, existimatque priores gressus per tramites aquarum trium Euangelistarum Matthæi, Lucæ, Marci sapientiam Euangelicam denotare; quartam vero dimensionem aquarum, Euangelium Ioannis, & Theologiæ mare profundum. Verba sunt Theodoreti: *Scire operæ pretium est, quater illum dimensum fuisse, & diuinis Euangelijs æqualem numero mensuram adhibuisse. Existimo verò quartam mensuram diuini Ioannis Euangelium indicare, quod Theologiam continet inaccessam, & ad quam hominibus aspirare minimè liceat: quæ enim mens vltra illud: In principio, poterit penetrare? Et quæ ad illud: erat, transcendere? Quare ebullientem aquam quasi torrentis fluctum, quem nemo pertransire queat dixit exiisse.* Aquarum impetu, & altitudine Vates reuocatur, expertus est enim amnem imperuium, in mysterio instructus quantum distet Ioannis Theologia, & sapientia à reliquis Euangelistis; hi enim de Saluatoris humanitate differentes, velut aquarum extimam faciem ostendunt, quæ facili negotio peruadari potest; at Ioannes immergitur diuinitatis immenso pelago, reconditos illos & vberes haustus, quos de Dominici pectoris fonte altè biberat, hominibus eructat, & effundit. Inaccessum est, & ab omni intellectu humano abstractum Verbum illud, quo filius tonitrui stupefecit orbem, & Euangelium auspicatus est: *In principio erat verbum.* Quis poterit quocumque nisu mentis peruadare hoc pelagus? Maior acuminis impetus remollietur, timens in aquarum vorticibus voraginem.

Ezech.

Tramet aquarum vasti Ezechieli impermeabilis.

Priores Prophetæ transitus aquarũ, tres Euangelistas Matthæum, Lucam, & Marcum denotant.

Theod.

Quarta aquarum dimensio, quam non potuit pertransire, Ioannis Euãgelium indicat.

Theologiam continet inaccessam.

Ioannes Theologus immergitur Deitatis immenso pelago.

9. Licet comprehendi nequeat verbum hoc, & perfecta Theologia in hac vita imbui humana mens, poterit pro modulo, & captu suo à Deo illuminata aliquas notitias, & speculationes efformare diuini mysterij, si animum moderetur, componatque cogitatus & & affectus, iuxta instructionem Moysi datam, vt ascendere posset ad montem, in quo doceret eum Dominus Exodi cap.19. v.14. *Cumque lauissent vestimenta sua, ait ad eos: estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Quæ verba illustrat S. Gregorius Nyssenus libro de vita Moysi: *Non enim vestium macula, ne ad Deum ascendamus, vnquam vetabit; sed studia, quæ in hac vita suscipimus, quasi vestes sunt, quibus homo induitur. Hæc igitur studia, & hos amictus, non turpes, sed purissimos esse decet.* Et statim subiungit: *Quare oportet, si quis ad contemplationem eius accedere velit, ab omni sensuali & irrationali motu mentem suam permundare: ac ita cum omnem opinionem, quæ ex sensibus originem habeat, ex mente abstruserit, consuetudineque coniugis caruerit (coniux verò hic sensus intelligitur qui coniunctus naturæ nostræ nobiscum habitat.) Hac igitur cùm caruerit, sic poterit ad montem accedere. Mons autem arduus vere, ac ascensu difficilis Theologia est; cuius vix multitudo ad radices peruenire potest, si quis verò Moyses est poterit etiam altius ascendere.* Hæc Nyssenus.

Animus si passiones moderetur poterit pro captu suo contemplationes formare cœlestium mysteriorum.

Exod.

D. Gre. Nys.

Non vestium maculas, sed affectuum abluere Deus à nobis exigit.

Per animi, & corporis munditiam acceditur ad diuinorum agnitionem.

Mons arduus & ascensu difficilis Theologia est.



Versionem illam Theodotionis: *Et prudentem incantatorem*, exornat.

DISCVRSVS X.

Ille prudens & diuinus incantator est, qui homines ad virtutem traducit, & in cœlestem vitam transformat.

1. LECTIONEM Theodotionis illustrat S. Hieronymus in commentario, conceptumque nobis indigitat illustrandum his verbis: *Incantator in Ecclesia est vir eruditus, & exercitatus tam in lege, quàm in Euangelio & Apostolis; qui possit singulas animi perturbationes sua sanare doctrina, & ad statum mentis reducere; dum & scortator recipit castitatem, & ganeo frugalitatem, & quondam auarus, dat eleemosynam.* Et subdit: *Euentila omnes Iudæorum synagogas, & nullum poteris inuenire doctorem, qui sancta præcipiat, & contemptis diuitiis, sectandam doceat paupertatem.* Incantatoribus autem, iuxta formam, quam Hieronymus expressit, Ecclesia Dei abundat, quorum primus incantator cælestis & mirabilis IESVS est. Exorta est magna dissensio apud Ioannem Euangelistam, quis nam Christus esset: *Quidam enim dicebant: quia bonus est. Alij autem dicebant, non: sed seducit turbas.* cap.7. v.12. Honorificat seductorium verbum sanctus Augustinus ad consolationem eorum, qui propter Dei præconium, & IESV dilectionem nuncupantur malefici, seductores. Verba sunt Aurelij, viri inquam immensæ subtilitatis ex tractatu 29. in Ioannem mutuata: *Dictum enim hoc est ad eorum solatium, qui postea prædicantes verbum Dei, futuri erant vt seductores, & veraces. Si enim seducere decipere est, nec Christus seductor, nec Apostoli eius, nec quisquam seductor debet esse Christianus: si autem seducere aliunde aliquem ad aliud persuadendo ducere est, quærendum est vnde, & quo? Si à malo ad bonum bonus seductor est: si à bono ad malum malus seductor est. In hac ergo parte, qua seducuntur homines de malo ad bonum, vtinam omnes seductores, & vocemur, & simus.* Non maleficis artibus, aut instar pharmaceutriæ magico rhombo homines attrahunt IESVS, & illius asseclæ; sed diuinis verbi incantationibus, virtutis odore & pulchritudine

D. Hiero.

Quis sit in Ecclesia verus incantator?

Nullus apud Iudæos Doctor, qui sancta præcipiat & paupertatem doceat.

Iesus cœlestis & mirabilis incantator.

D. Ioan.

D. August.

Solatium eorum qui vocantur seductores.

Inter bonum & malum seductorem quod discrimen intersit.

Si ad bonum seducas, beneficium est appellari seductorem.

chritudine homines alliciunt, vt æmulatores reddantur puritatis Angelicæ, & cœlestis conuersationis; non Magos, non veneficos, non Marsos nuncupabis, sed cælestes seductores, prudentes & diuinos incantatores.

Orbis, & hominis incantator Iesus. Clem. Alex.

2. Huius orbis, atque hominum incantatorem nuncupat Iesum Clemens Alexandrinus, in mediumque statuit prodigiosas verbi Dei operationes, quibus immutatus est orbis, & ad meliorem speciem & formam traductus; labefactauit enim vires hostium, quorum fraude, potentiaque præpediebatur homo, ne in sublimia oculos posset sustollere, & contemplari Creatorem; omniaque turbulenta, infausta, mortalia, in pacatam, tranquillam, beatam, & immortalem vitam erexit. Hæc habet in exhortatoria ad Gentes: *Is occasum traduxit in Orientem, & mortem in vitam Cruci affixit: ab exitio autem abreptum hominem in æthere suspendit, transplantans interitum, & corruptionem, in interitus, & corruptionis vacuitatem, & terram mutat in cælum Dei agricola.* &c. Et paucis interiectis: *Qui crediderunt quidem præstigiatoribus, amuleta, & incantationes accipiunt vt salutares: vos autem ne ipsum quidem verbum cæleste, qui est seruator alligare vobis vultis, & Dei credentes incantationi, liberari quidem à vitiis, & perturbationibus, quæ sunt morbi animi: auelli autem à peccato: est enim peccatum mors æterna.* Græci, & Barbari collo suspendebant, & brachiis alligabant amuleta, præsens medicamentum iuxta mentem præstigiatorum ad depellendos morbos, ad inueniendum tutamen aduersus virulentos afflatus serpentum; cùm essent aniles nugæ, vanumque ludibrium. Præsentissimum medicamen ab omni virulentia criminis, & mortis præseruans seruator est, cuius nomen omnia mala valet deturbare, morbos pellere: *Dei credentes incantationi.* Merito nuncupat Dei incantationem, quæ validissima est ad excludendos improbos affectus qui sunt morbi animorum, facitque exulare æternam mortem animæ peccatum: Bona incantatio quæ à vitiis liberat, & vitam inducit. Sapienter annotat hic Hentianus Heruetus Clementis scholiastes non esse superstitiosum verba sacra, aut Iesu effigiem, & nomen collo suspendere, & brachiis alligare, immò verò pium & Religiosum, dum ab eis absit fraus, & impostura, aut dæmonis pactum, quod in rebus sanctioribus sagæ instinctu, & arte inimici solent inuoluere.

Iesus mortē mutauit in vitam, & incorruptionem homini donauit.

Clement. Alex. *Qui credunt præstigiatoribus, amuleta & incantationes ab iis accipiunt. Iesu incantatione à vitiis, & peccato liberamur.*

Dei incantatio quæ sit.

D. Athan. *Quæ & quanta incantatorum præstigia.*

3. S. Athanasius in quæstionibus ad Antiochum, principem hanc num. 124. proponit: *quæ tanta vis & efficacitas incantatorum, quæ etiam hominem in brutum transformare possit?* Et respondet: *si posset ex hominibus bruta reddere, posset etiam ex irrationabilibus hominem facere rationalem. Sed hoc non est, absit enim: sed qui dicuntur psephades, & item qui venturus est ipse Antichristus oculos hominum perstringet.* Cum opera maleficorum sint vmbræ, imposturæ, & præstigiæ non valent hominem in brutum transmutare, sed oculos male affectos decipiant, & deludunt vanis imaginibus; at diuina incantatio belluinos hominum mores migrare facit in rationales, & Angelicos, conuertit animos ad Dei timorem & charitatem.

Antichristus incantator.

Zachar.

4. Celeberrimus locus plausu Euangelistarum & Doctorum acceptus, apud Zachariam reperitur c. 11. v. 12. in quo sermo est de triginta argenteis, quibus proditor Christum Iudæis venditauit: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Post subiicit Vates Domini paruisse imperio: *& tuli triginta argenteos & proieci illos in domum Domini ad statuarium.* Lectionem Hebraicam huius loci sequutus est Matthæus c. 27. v. 10. *& dederunt eos in agrum figuli.* Aquila verò legit: *& proieci illud in domo Domini ad figulum.* L X X. verò & Symmachus legunt: *dimitte eos in fornacem, & proieci eos in domo Domini in fornacem.* Matthæus verò clarè prædicat nummos in templo proiecisse Iudam cap. 27. v. 5. *& proiectis argenteis in templo.* Sed vbi in templo fornax, statuarius, aut figulus, in quem iactatur pretium Christi? Nunquid in templo conflatorium adest, quod liquet argentum, fusileque reddat; aut officina statuaria, figulinaque ad perpolienda circino, tornandaque ligna, fingenda simulacra? Occurrit dubio magni ingenij acumine Eusebius Cæsariensis lib. 10. demonstrationis Euangelicæ cap. 4. dicens: *Porrò autem etiam illud contemplare, num fornax dicta sit domus Domini, propterea quod in templo Dei quasi in fornace conflatorio, animos ex diuinorum sermonum calore, atque igne transformari contingit, aut alioqui non puros, dum tanquam in fornace igne explorantur, redargui. Idcirco Aquila dum ita conuertit: & proiecit argentum in Domo Domini ad figulum: plane nos docet, quemadmodum diuinum verbum instar figuli habitet in domo Domini, & eorum qui illuc accedunt animas informet, ac renouet.* Est in templo Domini clibanus, ignis excoquens, & purificans homines, eos emundans à peccati scoria, vitiorum sordibus; flammea vis diuini sermonis, atque exæstuans virtus verbi sacri, quod hominem expurgatum transformat in quoddam Dei simulacrum calore virtutis, & gratiæ animatum, purissimis affectibus ornatum. Sapiens figulus verbum Dei, quod terrenum figmentum innouat in cœleste, vt exuta tenebricosa ferinarum passionum forma, induat eam, quæ secundum Deum est pietatis speciem, virtutis imaginem. Harum transformationum inuentor, & auctor Dei verbum. His adiice non contemnendum Theorema, fouebatur in pectore sacrilegi alumni clibanus liuoris, auaritiæ flamma, quæ ad prodendum, & perdendum Dominum quotidie inflammabat affectum; hos nūmos pretium sanguinis Christi, mercedem iniquitatis, diuina sapientia disposuit, proiici in fornacem, & conflatorium, vt inquinatos Iudæorum contactū, auaritiæ sordibus, Iudæ improba venalitate, emundaret ignis diuinus, vt qui inseruierant patrando sceleri, famularentur pietati; ex his enim ager emptus est humandis peregrinis destinatus; omnia in confusionem improbi, in bonum iusti diuina sapientia transformat, cùm nummos auaritiæ pabulum vertit in hominum lucrum; conspurcatos sordida Iudæ cupiditate, & furuos, verbi & amoris diuini conflatorium reddidit illustres de mercede agri peregrinorum tumuli.

Cur triginta argenteos, quibus Iudas eum vendidit, apud Zachariam proiiciantur in fornacem, apud Euangelistam in templum. D Mat. Lect. heb. Lect. L X X.

Dissidium componitur.

Euseb. Cæs. *Templum Domini diuini sermonis calore animos conflat ad puritatē, & transformat ad diuina. Verbum Dei instar figuli habitat in domo Domini, vt animas renouet.*

Transformationum mirabilium artifex Dei Verbum.

Argenteos inquinatos auaritiæ sordibus emundauit ignis diuinus, vt inseruirent pio operi.

Osea.

5. Iniunctū à Domino imperiū Oseæ Vatis huiusque candidum animum diligenter obtemperātis Ecclesiasticorū virorū schola stupet. Iubet Deus vt meretricem ducat vxorem, ipse nec frontē rugat, nec mœrorem pallore demōstrat, nec verecūdiæ rubor genas immutāt pudorati, & sanctissimi Vatis; sed vadit ad lupanar, scortū ducit

Cur Deus imperat Oseæ, vt prostibulosam meretricem ducat vxorem.

ducit ad lectulum, & suis amplexibus implicatur. Quid portenti est hoc? Vates pudicus, & sanctus nuptias ambit fœminæ propudiosæ, cuius pudicitia in fornice prostituta? Vates ipse omne facti dubium tollit. Cap. 1. v. 2. *& dixit Dominus ad Osee: vade sume tibi vxorem fornicationum.* v. 3. *& abijt & accepit Gomer filiam Debelaim.* Cur copulam inhonoram Vati Deus permiserit, & iusserit, inuestigat acerrimus indagator consiliorum Dei in scripturis sanctus Hieronymus; asseritque meretricem de prostibulo ad vatis contubernium fuisse translatam, vt pia Propheta conuersatione, & religioso alloquio castam redderet, & ex lupa in agnam immutaret. Vt hanc mentem adstruat, & confirmet, è pectore suo totius eruditionis promo condo, eruit humanarum litterarum exempla: *Solet laudare Græcia, & scholæ Philosophorum concinunt: qua ratione prædicent virum eruditissimum Xenocratem, qui Polemonem luxuriosissimum iuuenem, & inter psaltrias, atque tibicinas, & impudicas mulieres ebrium & hadera coronatum fecit obedire sapientiæ, & adolescentem turpissimum, mutauit in sapientissimum philosophorum.*

D.Hieron.

Vt pia conuersatione, & religioso alloquio castā redderet.

Xenocratis facinus, qui Polemonem impudicum, mutauit in Philosophum sapientissimum.

6. *Cur Socratem ad cœlum leuent, qui Phædonem, ex cuius nomine Platonis liber est, de lupanari ob crudelitatem, & auaritiam Domini, multorum libidini seruientem, & in academiam transtulerit.* His similibus prolatis aduersus vituperatores Prophetæ, eum à calumnia vindicat, de quo fatur: *Nec culpandus Propheta, si meretricem conuerterit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit.* Dulcis eloquij, & suadelæ præclara trophæa in Xenocrate & Socrate cernimus, cùm non armorum violentia, sed aureis orationis nexibus Polemonem, & Phædonem illigarunt, eos abstrahentes de prostibulo, de vitiorum & turpitudinum colluuie traducentes ad semitam virtutis & sapientiæ. Si hęc facinora honoris, & famæ decus pepererunt linteatis; laudandus est Vates, qui meretricem immutauit in vxorem castam, & pudicam. O quantum exoptat Deus hominum amator, animarum redemptionem, qui prostibulę consulit saluti, cum dispendio Prophetalis honoris! Sed vbi Deus nuptiarum proxeneta est, dedecus abest, venerabile est connubium, nobilis thalamus; traducta est ex Ganeo fœmina ad domum Vatis, vbi virtus, & sapientia habitant, vt lupari desineret, lupinum, & serpentinum corium deponeret, & assumeret pudicitię formam; vt maleolentem turpitudinis halitum, quo fuerat in lupanari afflata, abstergeret pudicitiæ suffitu, quo completus erat pudicus Prophetæ thalamus.

Socrates Phædonem ex lupanari, in academiā transtulit.

D.Hiero.

Propheta laudandus, quod meretricem ex mala bonam fecerit.

7. Cùm hęc verba Hieronymi perlego, vera inuenio illa Horatij carmina lib. 1. epist. 1.

Feruet auaritia miseroque cupidine pectus.
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem.
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Horat.

Nullus ad eo improbus est, qui emendari nequeat, si culturæ sermonis accommodet aurem.

Erant voces, carmina, sermones apud anti- quos ad demulcendos animos composita, quibus tantam vim inesse existimabant, vt essent præsentissimum pharmacum ad curandos morbos animi, corporisque. Pindarus de Æsculapio testatur, eam fuisse artis illius præstantiam: *Vt quotquot ad se venirent ægri, aut debiles, aut vulnerati, omnes malis, ac laboribus leuatos abs se dimitteret, alios carminibus curans, alios potionibus, alios pharmacis.* Plato verò in Euthydemo eloquentiæ vim prædicat, & pangendarum orationum artem, cum arte excantatorum comparat: *Quemadmodum hæc viperas, phalangia, scorpios, & huiusmodi animalia pestifera & morbos lenit, ac permulcet, ita illa iudicum, concionis, & multitudinis animos deliniri solet.*

Pindar.

Æsculapius ægros ab omnibus leuabat ærumnis.

Plato.

Sermonis delinimentum incantatione potius.

8. Non sunt dissimilia, quæ recenset Cassiodorus de vi carminum, & musici concentus ad pelliciendos animos audientium, quæ etiam animantia, & vitæ sensusque expertia inuitauerint sua dulcedine, locoque dimouerint, vt caperarent dulce lyræ, & cantilenæ melos. Ex lib. 2. variar. epist. 40. hæc depromo: *Hinc Orpheus mutis animalibus efficaciter imperauit, vagosque greges, contemptis pascuis, ad audiendi epulas potius inuitauit.*

Cassiod.

Musici concentus virtus ad pelliciendos animos audientium.

Orpheus animantibus, imperat cantilena.

9. *Illo cantante amauerunt siccas Tritones terras: Galatæa lusit in solidis: deseruerunt vrsi amabiles syluas: leones domestica tandem canneta reliquerunt: iuxta prædonem suum præda gaudebat. In vnum conuentum contraria vota collecta sunt & fidem dicente lyra, omnia sibi aduersa crediderunt.*

Cassiod.

Dissitentia animantia in vnum cœtum coēunt, ad audiendū Orpheum.

10. *Amphion quoque Dircæus canendo chordis Thebanos muros dicitur condidisse: vt cum homines labore marcidos ad studium perfectionis erigeret, saxa ipsa crederentur relictis rupibus aduenisse.*

Cassiod.

Amphion cantitans muros Thebanorum condidit.

11. *Musæum etiam, & artis Orphei filium, & naturæ, Maronis præpotens lingua concelebrat, dicens apud inferos in summa beatitudine constitutum, quod per Elysios campos felices animas septem chordarum pulsibus amœnabat.*

Cassiod.

Musæus fidibus suis animas per Elysios campos amœnabat.

12. Retuli prodigia Oratoriæ, cantionis, facundiæ, quæ interuenientibus carminibus, aut pharmacis de medica Æsculapij arte, & officina prodierunt. Quanta vis in Orphæi lingua, cantu, & cithara, auellente radicitus phagos, liburna, cedros, populos, transplantanteque ad musicum theatrum, vel ipso concentu vegetandas. Musico Orphæi concentu resonante patrias relinquunt Tritones vndas, vrsi nemora; leones latibula & rapinas, epuli & feritatis obliti, circunstant attoniti citharædum. De saxis suis ascinduntur lapides, mobilesque sunt & rotant, compingendis pergamis adaptātur canente Amphione. Apud inferias vmbras, existentes animas beauit Musæus, & ad Elysios campos transtulit pulsans citharam. Hæc omnia figmenta sunt, & aniles fabulæ, merumque hominum ludibrium, aut magica arte, & malis incantationibus perpetrata. Vera tamen reperies in Dei Ecclesia, ex quo enim de cœlo personuit nouum canticum Dei verbum, & doctrina Euangelica salutem mortalibus annuntiauit, hominum greges ferarum ritu viuentium, per vitiorum pascua dispersos, palabundos, in vnam coēgit caulam, & domicilium Euangelica pastoris cœlestis fistula. Tritones, hoc est in caducarum rerum fluxu innatantes, vrsos vindictam amantes, anhe- lantesque

Orphei cantus ficta prodigia.

Cœlestes verbi Dei moduli, mirabiles animarū immutationes operantur.

lantesque sitim extinguere alieno sanguine; lupos voracitati, & ventri indulgentes; leones alienorum bonorum raptores, pauperibus insilientes, patrimonia aliena occupantes, & deuorantes mitificauit superna illa, & cælitus dilapsa incantatio Euangelici præconij; ex rudibus, & impolitis lapidibus gentium barbararum suscitauit Deus filios Abrahæ, cælatos fide, expolitos laboribus, glutino charitatis copulauit ad Christianam Ecclesiæ structuram, & cælestis Ierosolymæ murorum compagem. Æsculapios, Orpheos, Amphiones, Musæos, & diuinos incantatores æquo iure nuncupabis viros Euangelicos, & Apostolicos, qui toto pectore, & nisu incumbunt animarum saluti gentium barbararum, cum dulci Euangelij cantico reddunt dociles, & mites, sacrisque doctrinis erudiunt iuxta Euangelij Christi normam, & institutum. Placet de his replicare verba Cassiodori: *in vnum conuentum contraria vota collecta sunt, & fidem dicente lyra, omnia sibi aduersa crediderunt*: Eaque in hoc sensu vsurpo: resonante Fide Euangelica, feri mores domiti sunt, diuersæ Religionis, & inclinationis ingenia in vnum coacta sunt, nationes quæ prius implacabili odio aduersum se belligerabant, ruunt in pacis oscula, & amplexus.

Viri Amphiones & Musæi, viri Euangelici, gētium barbararum saluti inhiantes.

Cassiod.

13. Non omittam verba, quæ eloquentiæ parens Tullius profert in commendationem oratoriæ suadæque facundiæ lib. 1. de Oratore scribit: *Nemo est qui nesciat initio genus humanum in montibus, ac syluis dissipatum, prudentium consilio compulsum, & disertorum oratione delinitum se oppidis, mœnibusque sepsisse.* Et lib. 1. de inuentione fatur: *Fuit quoddam tempus cùm in agris homines passim bestiarum more vagabantur, & victu ferino sibi vitam propagabant: Nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Nemo legitimas viderat nuptias, nemo certos inspexerat liberos. Quo tempore quidam magnus videlicet vir, dispersos homines in agris, & in locis syluestribus abditos, ratione quadam compulit in vnum locum, & congregauit, & eos ex feris & immanibus mites reddidit, & mansuetos.* His adiunge ea, quæ adducit oratione pro Sextio: *Hoc tempore cùm homines nondum, neque naturali, neque iure ciuili descripto fusi per agros, atque dispersi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu, ac viribus, per cædem aut vulnera, aut eripere, aut retinere potuissent: extiterunt viri virtute, & consilio præstanti, qui dissipatos vnum in locum congregarunt, eosque ex feritate illa, ad iustitiam, atque mansuetudinem transtulerunt, & inuento diuino & humano iure, eos mœnibus sepserunt.* Hęc omnia multoque maiora præstiterunt Apostoli, Apostolicique viri, & Euangelicæ sapientiæ præcones, cùm barbaros mores Gentium immutarunt in Angelicam vitam, homines draconum instar commorantes in antris & spelæis tenebricosis, refugientes humanæ vitæ consortium, ad politicam conuersationem, & vrbanitatem reduxerunt, cogentes ad amicitiæ contubernia; vbi septi mœnibus, humano, & diuino iure sociati, & diuinis legibus vincti, iuxta præscripta cælestis imperij vitam transigunt honestate decoram.

Cicer.

Genus humanum in montibus, & siluis dissipatum, oratione delinitum, ad socialem, & ciuilem vitam traductum. Homines ferarum ritu viuentes, in speluncis abditos, magnus vir in vnum congregauit. Cicero.

Apostolici viri indos traducentes ad mansuetudinem, & commune contubernium, describūtur.

14. De his incantatoribus heroicum poëma cecinit Regius Psalmicen Psal. 57. v. 5. & 6. *Furor illis secundum similitudinem serpētis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Improbos voluntaria surditate auditum obsepientes, & cordis duritia obturatas habentes aures, ne Dei vox, auraque tenuis spiritalis spiraculi afflet mentem, adeatque pectoris penetralia; ne cælestis præconij, & cantici melos resultet in anima, eam commouens, & incitans ad diuinos affectus; comparat Dauid cum astu serpentis, & aspidis surdæ, quæ omni nisu aures præcludit aduersus Marsorum incantationes, & mystica carmina; ne eloquij dulcedine, & musici concentus suauitate præstigiisque illecta, à sapienti viro extrahatur de cauerna, & habitaculo. In cuius loci enodatione Euthymius exemplum adducit Dauidis, & Saulis, huncque vocat serpētem, & aspidem, illumque sapientem artificem verbis, dulcemque incantatorem. Sic enim scribit: *Commode vero serpentis & aspidis exemplum adducit, cùm Saul irasceretur vt serpens & obsurdesceret velut aspis, cùm blandos, ac mellitos beati David sermones sperneret, quibus tanquam suauibus quibusdam, atque efficacibus carminibus emollire illum, ac delinire contenderat.* Erat Dauidica cithara & dulce, quod fundebat ore, melos, spiritalis quædam incantatio, quæ hominum animos euehebat ad superna, cælestesque in iis affectus ingenerabat; induratus erat Saul sicut aspis obsurdescens ad Dauidica cantica, mellitaque eloquia, ne ad mansuetudinē cōmoueretur, vel semel conceptam indignationem, aut furorem remitteret. Omnium ore versatur illa aspidis physiologia, qua illius astus celebratur; cùm enim præsentiscit marsos, seu incantatores eam velle de tenebrosis antris extrahere, aut excantādo efficere, vt deponat venenum, & mitescat; vnam aurem terræ applicat, & alteram cauda præcludit, ne incantatorem audiat, sed eludat. Solertia hæc & calliditas traditur ab Augustino, Beda, Arnobio, Cassiodoro, Ruffino, Isidoro lib. 12. originum c. 4. Bernard. serm. 13. in Psal. 90. Isidoro Pelusiota lib. 1. epist. 30. perbelléque accommodat Beda Venerabilis hominibus improbi ingenij, qui per affectatam surditatē aures obturant, ne parænes, sacrosque sermones exaudiant. *Per aspidem (inquit) designantur illi, qui delectatione præsentium, quæ per aurem terræ applicatam intelliguntur, & recordatione præteritarum delectationum, quæ per caudam notantur, ita cor suum obdurant, vt præconia veritatis non audiant, & in infidelitatis, vel erroris sui tenebris permaneant.* Et paulò ante prædixerat: *Prædicatores sunt incantatores, qui ad hoc incantant, id est prædicant, vt hominem de tenebris erroris, aut infidelitatis eliciant. Et sapienter incantant, quia monent eos vt de terrenis ad cælestia tendant.* Carnis voluptas, & terrenarum cupiditatum blandimenta aures hominis obstruunt, & reddunt inexorabile pectus, ne auscultet sacrę exhortationis vocē, aut ad eius exauditionē emollescat? O quantis cōtumaciæ repagulis obtrudunt valuas animæ, & fores auditus, ne eā excantet sapiens incātator, ne pulsis de pectoris latibulo tenebris, Solē iustitię ad illud deducat, aut virus nequitię expuere, cogat, & ebibere virtutis medicamen, gratiæq; antidotum! Proponit hic Aug. Iudæos tanquā aspides surdas, & obturantes aures suas, & Stephanum sapientē medicū, & cælestem incantatorem: illius verba sunt: *Stephanus Martyr prædicabat*

Psalm.

Peccatoris surditas ne dulce verbi Dei melos auscultet.

Euthym.

Saul, mellitis sermonibus Dauidis, quibus incantare illū cinebat, surdus reddebatur vt aspis.

D. August.
Beda.
Arnob.
Cassiod.
Ruffin.
D. Isid.
D. Bern.
D. Isid.
Pelus.
Beda.

Peccatores delectatione præsentium, & memoria præteritarū delectationum, aures quasi cauda obturant. Prædicatores sunt incantatores, qui sapienter incantant, eum de terrenis ad cælestia auocant peccantes.

D. August.

Stephanus sapiens incātator, Iudæi aspides surdæ.

Digitized by Google

prædicabat veritatem, & tanquam tenebrosis mentibus, vt eas in lucem educeret, incantabat. Clauserunt, inquit, aures suas (Actorum cap. 7.) *non erant surdi, sed fecerunt se surdos. Quia enim aures patentes in corde non habebant, violentia tamen verbi per aures carnis irruens, etiam ipsis auribus cordis vim faciebat. Clauserunt & aures cordis, & ierunt ad lapides.* Perpendenda est sententia illa Aurelij: *Violentia verbi per aures carnis irruens, etiam ipsis auribus cordis vim faciebat.* Indurata illa hostium corda expugnare aggressus est Stephanus, non armis, sed verbis, quæ diuino spiritu concinnata, & amoris conflatorio temperata, anceps gladius facta sunt, qui improbos affectus abscinderet; sentiebant ictus sermonum, & vulnera, & sacram violentiam, quæ veritatis lumen inferebat præcordiis, & per auditum irruens rebelles illigabat voluntates, & cogebat ad obtemperandum veritati, sed repulerunt lumen, clauserunt auditum, ne sapiens incantator Stephanus eos pelliceret ad assentiendum Euangelicæ veritati.

Iudæi surdi clauserunt aures cordis, & ierunt ad lapides. Verbi violentia vim faciebat Iudæis.

15. Expulso Adamo de paradisi deliciis, collocauit Deus Cherubim ante horti vestibulum ad custodiam: *Et flammeum gladium.* Genes. cap. 3. vers. 24. quæ verba exponens Oleaster ait: idem esse flammeum gladium, ac aciem gladij, & ex hoc loco ansam arripit, ad exponendum sententiam Exodi cap. 7. in qua de incantatoribus Ægyptiis agitur: sic enim ait: *Quare illud Exodi. 7. Fecerunt sic magi Ægyptij belatehem, id est, incantationibus suis: vertendum puto inflammationibus, aut splendoribus suis. Faciebant enim huiusmodi incantationes in acie gladij.* Idem repetit Exodi cap. 7. in annotatione litterali ad ea verba: *Incantationibus suis.* Incantationes ægyptiacæ factæ sunt in aciebus gladiorum; at spiritalis incantatio perficitur acie gladij verbi Dei, quod framea illa bis acuta ante vestibulum horti Eden constituta, portendebat. Hic gladius politus, & limatus verborum delectu, grauitate dictionis, orationis facundia, splendens & flammeus charitate, exemplari virtutitis magisterio, animas incantat, & ad diuina concupiscenda promouet.

Quid denotet flammeus gladius? Genes. Oleast.

Exod. Incantationes fiebant in acie gladij.


Acies gladij Verbi Dei animas incantat.



Et prudentem incantatorem.

DISCVRSVS II.

Aduersus Marsorum præstigias, Dæmonum incantationes, & maleficia, habet Christianus amuleta præstantissima.



1. GAVDEBAT Romanorum gentilitas periæptis, & amuletis, quæ de collo suspendebant infantibus, ne fascinarentur, malorum omnium vt censebant auerruncatoria. Habent Christiani amuleta varia, quæ animum, & corpus reddunt innocuum contra striges, & manes, præstigiatorum tricas, & incantantium fraude consutos dolos, quæ morbos animi, & corporis præcauent, aut repellunt facile. Non Melis aut Gagatis manus, symboláue fultaciis plena, & superstitiosas syngraphas, signis, & vanis notulis ornatas, sed IESV nomen sanctissimum, Dei Saluatoris virtutem & symbolum, eius Crucem, & cantica diuinitus inspirata.

Christianorum amuleta.

2. Vrget peracri ac vehementi exhortatione alumnos suos Nazianzenus, vt intingantur opportunè sacris regenerationis lymphis, ostenditque grauiter quantum discrimen intersit in prorogatione salutis. Statim vt lucem haurire cœperit paruulus Deo deuouendus, à teneris vnguiculis spiritui per aquam consecrandus, vt securum teneat patrocinium. Cùm parentibus fatur oratione. 40. *Nihil tibi amuletis, nec incantamentis opus est, cum quibus prauus ille in leuiorum hominum animos simul irrepit, venerationem Deo debitam, furtim ad se transferens. Trinitatem ipsi da, magnum inquam illud, & pulchrum amuletum.* Quæ verba perpulchrè commentatur Nicetas, dicens: *Nihil tibi opus est ad pueri collum Diabolica amuleta, hoc est falsa salutis præsidia suspendere, neque incantationes eas, quæ à vetulis mulierculis cum oscitatione, atque inhalatione, & susurris quibusdam peraguntur, admittere, quibus dæmonum quoque inuocatio admixta est, ac per execranda huiusmodi scelera, Diabolus à leuioribus, & stolidioribus hominibus quodammodo adorari videtur. Quin potius filio tuo verum antidotum, hoc est Trinitatem, per baptismi Sacramentum porrige.* Mali dæmonis astum aperit in adinuentione incantationnm, quæ à superstitiosis mulierculis fiunt arcanis verbis, inhalationibus, & susurris, vt dubia spe obtinendæ sanitatis surripiant fideles à fidei constantia, & ad dæmonum consortium transferant. Vnicum amuletum distribuit Nanzianzenus pusionibus, ad præcauendum eos à fascino, incantatione, veneficio, & morbo, nimirum sanctissimam Trinitatem, vnum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vt hoc Fidei symbolo signati, & Spiritus Sancti charactere inusti reddantur incolumes à vanis præstigiis, & sacro stigmate Christianæ militiæ inustos, cernens aduersarius, eos fugiat tanquam Domini filios, & cohæredes æterni regni; hoc fidei symbolum, & Trinitatis diuinæ professio, quo signatur pupus in palæstra spiritali luctaturus, pretiosior bulla est triumphantium, fortius medicamen aduersus inuidiam dæmonis valentissimum, ad bonum faustúmque omen auspicandum, & nota virtutis conciliandæ.

D. Gre. Naz.

Trinitas sancta magnū, & pulchrum amuletum paruulorum.

Nicet.

Præsidia muliercularum incantatricū, & earum insufflationes à pueris amouenda.

Verum antidotum Trinitas per baptismum suscepta, præcauens pusiones à fascino.

Trinitas paruulorū bulla pulcherrima.

3. Increpat eorum errorem, & ignorantiam Chrysostomus, qui ad obtinendam corporum sanitatem, omisso Deo opitulatore, ad incantationes, & veneficia recurrunt. Eos mordicus reprehendit Dauid, cùm asserit in solo Deo fiduciam collocasse, in eóque exultasse in malorum euasione. Psalm. 9. vers. 16. *Exultabo in salutari tuo.* Os aureum ibi fatur: *Hoc est mihi corona, hoc diadema propter te trophæum erigere, propter te salutem adipisci. Ita etiam nos quoque quæramus non omnino seruari, non omnino à malis liberari, sed per Deum. Hoc autem dico propter eos, qui in morbis vtuntur incantationibus, & alias exquirunt imposturas, & præstigias ad suam leuandam ægritudinem. Hoc enim non est seruari, sed perire:*

Psalm. D. Chrysost. Salus per Deū obtinenda. Qui ad leuandā ægritudinem imposturis, & præstigiis vtuntur obiurgantur.

Maxima salus per servatorem servari, seu per Iesum.
Lect. Heb. D. August. D. Hieron.

Maxima enim salus est per Deum esse seruatum. Vnde Dauid in Deo positam esse salutem probè sciebat, ipsaque obtenta dicebat: *exultabo in salutari tuo.* In Hebræo est: *exultabo in Iesu tuo.* Sic intelligit S. Augustinus, Diuus Hieronymus legit: *exultabo in Christo tuo.* Velut Ioui suo seruatori, & medico læta carmina, & hymnos Christo Domino atque IESV dedicabat, gestiens præ lætitia, non humana, sed diuina opitulatione de periculis se ereptum; magna enim gloriatio est per Iesum soterion seu medicum, à morte & ærumnis expeditum esse; non per præstigiatores, aut Marsos, dæmonum socios & adiutores: *Hoc enim non est seruari, sed perire.*

Incantatores Ægyptij Moysis facinora æmulantur.
Exod.

4. Celeberrima extitit illa veritatis, & dextræ diuinorum operatricis concertatio cum Ægypti sophistis, & incantatoribus, quando Moyses coram Pharaone, & cœtu purpuratorum virgam in draconem immutat, hicque serpentes mala dæmonis arte ad inuocationem incantatorum factos, deuorat. Res tota præclarè narratur Exodi cap. 8. v. 10. 11. & 12. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum. Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, arcana quadam similiter. Proiecerunque singuli virgas suas, quæ versa sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Prodigium hoc amplificat suis verbis Philo Hebræus lib. 1. de vita Moysi additis quibusdam, quæ portentum illustrant. Ait enim de Magis Ægyptiacis: *Deinde cùm quisque suam virgam proiecisset, multi dracones circa primum illum voluebantur sinuosis orbibus. Ille verò arrecta ceruice immani hiatu non aliter quàm obiectos pisces circumquaque petitos absorbuit: atque ita deglutitis in pristinam virga naturam rediit.* Primores Ecclesiæ arcanorum sacræ sapientiæ scrutatores, ad altiorem sensum transferunt virgæ metamorphosim, & draconum deuorationem: autumant enim primarium, & principem draconem, portendisse saluatorem, qui in carne peccatrice, cuius serpens præferebat imaginem, qui immunis delicti, aliena peccata portans, tanquam serpens in Cruce exaltatus, & denigratus, colluuionem peccatorum aboleuit, virus lethale, quod ab Adamo in omnes homines serpserat, moriens euacuauit. Audiendus est S. Isidorus quæstionibus in Exodum cap. 12. *Proiecit Moyses virgam coram Pharaone, & serpens factus deuorauit serpentes Ægyptiorum, significans quod verbum caro fieret, qui serpentis diri venena euacuaret per indulgentiam, & remissionem peccatorum.* Et statim: *Virga serpens facta, quoniam qui erat Filius Dei ex Deo Patre natus, filius hominis factus natus ex Virgine, qui quasi serpens exaltatus in Crucem, medicinam vulneribus infudit humanis.* Caro Christi in serpente Mosayco adumbrata est, vt in hoc egregio facinore emineret diuinæ sapientiæ consilium, quæ de hominis natura iure hæreditario obnoxia peccato, morti destinata, faceret peccatorum antidotum, & medicinam mortis, quæ incantatorum vaframenta, & excogitatas, ad hominum ludibrium thecnas, & artes, potestate sua dissolueret. Circumgyrabant angues maleficiorum, ex Philonis placito, circum Moysi draconem in spiras squammatas reptantes, horrendum quid spirantes, necemque comminantes: at Moysis draco horrendo rictu irruens quasi pisciculos absorbuit, in ventre digessit, vbi enim diuina potestas est, Dei verbum plenum imperio, quod virga præferebat, in qua est regalis potestatis insigne, cedunt facilè præstigiæ, & incantatorum commenta imbecillitatem, & imperitiam suam ostentant. Intende in Philonis sententiam: *Multi dracones circa primum illum voluebantur sinuosis orbibus.* Humiliatus in terra, positus in tumulo IESVS conquassauit capita draconum rebellium Angelorum, & potestatum, qui conserta manu vafricie & nequitia sua aduersus ipsum conspirarunt, virus inspergentes liuoris, venenatis Iudæorum linguis, vt ad mortem iustum expostularent; deuorauit itaque exercitum anguium moriens, colubrique tortuosi cacodæmonis confregit vires, mortemque absorbens, quam diabolus in figura serpentis operatus est, eius aculeum retudit, potestatem sustulit. Ritè Isidorus supra: *Virga Moysi in draconem conuersa magorum absorbuit virgas, & Christus per ipsam mortem carnis consumpsit aculeum mortis.* Denique Nyssenus subtiliori commentatione illustrat Mosaicæ virgæ prodigium. Adstipulatur sententiæ Patrum asserentium in serpente humanitatem Christi præsignificatam, & addito suffragio eleuat mentem ad sublimiorem theoriam: *Qui peccatum factus est, serpens factus est, & id propter nos, vt Ægyptios serpentes, qui per magos viuificari videntur, consumat, & destruat. Quo facto, rursus in virgam vertitur, qua delinquentes castigantur, & consolantur, qui arduam ac difficilem virtutis pergunt viam, baculo fidei, optima spe innixi.* Illud singulare eminet in Gregorij Nysseni asserto, virgam exuta forma draconis, in pristinam speciem rediisse. Itaque virga illa Mosayca iam non flexilis, sinuosa, & vertebrata in figura anguis, sed firma, stabilis, dans sustentaculum manui, & fulcrum corpori, fidem & spem innuebat hominis sapientis fulcra, quibus nixus graditur per arduas, & salebrosas huius vitæ semitas, semper constans, sibique æqualis, & similis ad patriam paradisi; hæc virga censoria est maleficorum; incantatores, & maleficos corrigit; data à Deo ad amuletum contra Ægypti præstigias, & inferorum fraudes; qui enim supernorum spe tanquam scipione nixus, fide viua credit, Incarnationem Domini, passionem, & mortem; irridet dæmonis fraudes, & incantamenta, eorumque eneruat vires.

Virga Moysi in colubrum conuersa, alios dracones Ægyptiorum deuorat.
Phil. Iud.
Primarius Draco Dominum præferebat, qui in Cruce exaltatus, virus peccatorum euacuauit.
D. Isido.
Iesus velut serpens in Cruce suspensus, medicinam vulneribus humanis infudit.
Regali Iesu potestati cedunt maleficiorum præstigia.
Phi. Iud.
Iesus in tumulo abiectus conquassauit capita draconum.
D. Isid.
Christus moriens consumpsit aculeum mortis.
D. Gre. Nys.
Iesus serpens, idest peccatu factus, vt serpentes destruat.
Virga, in quam vertitur serpens, animaduersionis & solatij & baculi cui innitimur sperantes, Symbolum est.

5. De quodam Iosepho, Iudaico ex sanguine genito, mira narrat sanctus Epiphanius, quę pater clementiæ & pietatis Deus operatus est, vt ad fidem Christianam eum deduceret, mille machinas admouit induratæ mentis arci, vt eam expugnaret; eam circumdedit inspirationum fulgoribus, verborum iaculis, exhortationum fulminibus, diuinarum Christi visionum blandimentis; at cor eius non est emollitum, sed induratum quasi maleatoris incus, in omnibus illam duritiem chalybe, & adamante maiorem ostendens à parentibus hęreditatam; tandem diuinę potétię, cui nemo potest resistere, dedit manus venenum Iudaicum expuit, perfidiam abiurauit, ad gregem Domini redactus, & Christiano stigmate

Iosephi Iudæi duritiei à Deo expugnata, & emollita.
D. Epiphan.

Digitized by Google

stigmate insignitus est. Is accepta potestate litterisque à Constantino Imperatore, vt de eius sumptibus templum in Tiberiade construeret, vt structuræ calcem præparet è duris saxis, furnos condit, caminos instituit, vt ignea vis petras candidet, & molliat. *At verò* (inquit S. Epiphanius lib. 1. contra hæres. tom. 2. hæresi 30.) *Callidi & omnia facere audentes Iudæi, à præstigiis apud ipsos fieri solitis non abstinuerunt. Incantationibus enim quibusdam, ac curiosa sedulitate ignem ligare ac disperdere generosi illi aggressi sunt, sed non perfectè potuerunt. Cessabat itaque ignis, & non operabatur.* Quæ omnia renuntiata sunt Iosepho, ipse verò zelo fidei IESV excandescens, & charitate diuina exæstuans pergit ad clibanos, astanteque innumera Iudæorum multitudine, qui ad hoc spectaculum confluxerant, vas aqua replet, Cruce signat, IESV nomine munit, vt omnem vim incantatorum exterminent, & ligatas flammas soluant, sopitumque ignem faciant emergere. Rei euentum recenset Epiphanius his verbis: *Magna voce Crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit, & inuocato nomine IESV, sic dixit: In nomine IESV Nazaræi, quem crucifixerunt patres mei, & omnium horum circumstantium, fiat virtus in hac aqua, ad reprobationem omnis incantationis, ac magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini. Et sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas fornaces respersit: & dissoluta sunt incantamenta, & ignis coram omnibus emersit.* Est enim Crucis signaculum, & inuocatio nominis IESV panoplia potentissima ad disturbandas dæmonis insidias, & incantationes dissoluendas. Iure ergo Chrysostomus IESV Christi nomen amuletum, & pharmacum nuncupat, quod omnes ægritudines pellit, imo cantationem mysticam, & arcanam, quæ dæmonem incantat. homil. 8. in caput 4. ad Romanos scribit: *Si & in illum diuinas incantationes canere noueris, statim vulnerabitur. Sunt enim nobis, sunt inquam nobis incantationes spirituales, ipsum nomen Domini nostri Iesu Christi, tum ipsius Crucis potentia. Huiusmodi incantatio non solum draconem à speluis abigit, atque in ignem conijcit, sed & vulneribus quoque medetur. Quod si multi extitere, qui, dictis illis carminibus, sanati minimè fuerint, accusent illi modicum suam fidē, non dicti infirmitatem.* Fugiat ergo homo præstigias dæmonum, & technas, quibus illaqueare cupit incautos, despiciat opem, quam veneficiis impeditos, incantationibus ligatos promittit impendere. Vana sunt hostis promissa, qui non emolumentum hominis quærit, sed lapsum anhelat, & ruinam. Illa firma & secura opitulatio IESV, cui etiam potestas draconis subiecta est, qui cum eius nomen profertur, spiris suis conuolutus serpens de latibulo violentus eruitur; qui inanes reddit eius vires, & inferioris naturæ militem contra nocentissimum hostem obarmat.

Templum in Tiberiade construit.

Furni ignem, in quo calx coquebatur, incantationibus, suis ligant Iudæi.

D. Epi.

Signo Crucis & Iesu inuocatione Iosephus iam Christianus omnes incantationum artes dissoluit.

D. Chrys.

Iesu Christi nomen, & crux validissima aduersus dæmones incantatio, & vulnerum medicamen.

6. Serapion Episcopus hostium patiebatur insidias honori suo detrahentium, præsertim Eusebij, qui Episcopi speciem gerebat, & aduersus Christianæ Fidei pugiles debacchabatur; vt istius insaniam, contumelias, leni animo sustineret, vt iracundiam, & indignationem è medio pectore efferuescentem, & exilientem sedaret, & compesceret, sustinentiam Christi in tolerandis iudaicis opprobriis, præsertimque Iudę traditoris, ante oculos constituit. S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 44. ab homine beneficiis affecto, & cumulato opprobria pati, benefactorem maxime commouet, acorem, & velut iracundiam quamdam extorquet. Accitus enim nefarius traditor in regale Christi, & Apostolorum Collegium, & miraculorum operatione ornatus aduersus dæmones, morbos, & mortem, contumeliosus extitit in Saluatorem, eiusque vitæ proditor. De quo fatur Pelusiota: *Effera enim illa bellua (sic enim eos appellare fas est, qui ne beneficiis quidem meliores redduntur) Saluatoris lenitate, ac patientia, saturata, aduersus eum petulanter impetum fecit. His igitur velut incantationibus iracundiæ ignem lenire, ac mitigare stude: iis enim qui hæc accinunt, cedit.* Dulcem incantatorem nuncupat IESVM, eiusque sustinentiam in tolerandis maledictis, & contumeliis, qui in mala tractatione non retaliabat, cùm malediceretur non comminabatur; sed posuit faciem suam sicut petram durissimam, ad sputa, verbera, alapas, conuitia; hoc tolerantiæ prodigium, diuinæ patientiæ omnibus numeris absolutum simulacrum, validissimum incantamentum est ad sedandum furorem, premendam iracundiam; quis non conticescet, verbis contumeliosis oneratus, cùm cernit IESVM Verbum, & eloquium Patris ad probra tam indecora mutum? Iam non demiror inter antiquos talionis pœnam præualuisse; fortiores quosque ad vindictam anhelasse, non enim habebant sustinentiæ imaginem IESVM nostris sceleribus deturpatam, humilitate illustrem, taciturnitate decoram, patientia coloratam, quæ diuinis hisce incantationibus velut nexibus ferreis illigaret, mitificaret ferocientem iracundiæ leonem. Vidistin hominem iracundia peremptum, velut chimæram euomentem flammas liuoris, cædis, & vindictæ; si eius obiiciatur oculis tale patientiæ spectaculum, furias temperat, ignem furoris sopit. *His igitur velut incantationibus iracundiæ ignem lenire, ac mitigare stude.*

Serapion Episcopus aduersus contumelias hostiles, patientia Christi armatur.

Ab homine beneficijs affecto, opprobrium pati, maxime irā commouet.

D. Isid. Pel.

Effera bellua Iudas, qui beneficijs non est redditus placabilior.

Saluatoris lenitas & patientia, totius iracundiæ incantatio.

Verbum Dei inter opprobria mutum, conticescere cogit hominē in contumelijs.

7. Celebre vaticinium apud Zachariam legitur cuius magnitudo postulat, vt semel iterumque examinetur. Cap. 9. v. 17. hæc verba habentur: *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quod de sacra Eucharistia vsurpatum apud plures Patres, & commentatores inuenies. Singularis est versio Sanctis Pagnini, & Vatabli hoc in loco pensiculanda: *Frumentum iuuenes; & vinum virgines cantare faciet.* Quam rudi litteratura expendit Pagninus, simul etiam nucleum spiritus ex ipsa eruit asserens in scholiis: *Pulchra Iudæis erat tunc corona Romana, quod ob frumenti, & vini copiam cantarent. Modo propter Christum sub Romano Imperio nasciturum, qui panem, & vinum suum nobis in cœna communicans, nos in laudes prorumpere facit.* Est enim Eucharistia victima lætitiæ, sacrificium laudis, quod hymnos, cantica, epinicia, carmina sibi iure vendicat. Aliam tamen protheoriam ex Zachariæ sententia iuxta prædictam versionem formo. Sunt voces & carmina, cantilenæ ad incantandos homines ordinatæ; habet quoque diuinum epulum nouum, & singulare canticum, quo hominis improbam appetentiā cohibet, cupiditatē incantat. Præclarū lumen, & intelligentiæ ornatum accipiet

Zachar.

Lect. Sanctis P. Vat.

Homo propter Eucharistiæ beneficium, carmen actionis gratiarū occinit.

Christi epulū continet nouum canticum, quo nostra cupiditas incantatur.

Clem. Al.

Musica ad mores ornandos præclara.

accipiet Vatis sententia ex Clementis Alexandrini eruditione, qui lib.6.stromatum cap.5.de Cantico Eucharistico scribit: *Est enim attingenda musica ad mores ornandos, & componẽdos. Certè etiam in conuiuio nobis inuicem psallendo propinamus, nostram incantantes cupiditatem, & Deum glorificantes propter copiosam donationem eorum, quibus vtuntur, & fruuntur homines, & quod perpetuo suppeditata fuerint nutrimenta, ad augmentum corporis & animæ.* Erant chori, in quibus tympanistriæ, & psaltriæ canebant, simul lyristæ, choraules ad oblectamentum conuiuatorum, & sub Phonasco vocalium concentus resultabat, pulchrum & diuinum acroama, quo grates rependerentur numini sacro ob creationem fœcundissimam esculentorum, & poculentorum, quibus sustentatur, & oblectatur homo, & propter cibum Eucharisticum, vt insinuant illa verba: *Quòd perpetuò suppeditata fuerint nutrimenta ad augmentum corporis & animæ.* Hic enim cibus corpus, & animam roborat, & auget. Deliniebat fides sensum, & cantus auditum, sed Canticum Eucharisticum deliniebat animum, & ad supernorum affectus excitabat: Ex quibus comperta remanet prisca consuetudo deuouendi Psalmos, hymnos, & sacra poëmata cantitandi ad concentum organi, psalterij, & citharæ, Eucharistiæ Sacramento: illud tamen comma Clementis singulare acumen continet: *In conuiuio nobis inuicem psallendo propinamus, nostram incantantes cupiditatem.* Eucharisticum canticum appetitus rabiem sedat, & cupiditatem incantat; carnis concupiscentiam, & libidinem existima esse centimanum monstrum, aut gigantem Briareum vasta corporis mole præditum, immenso penè robore, & audacia instructum, mille iaculis munitum. Eucharisticum ferculum, & canticum, hunc Gigantem incantat, ne noceat. Occurrit iuueni Circe quædam expudorata, tota deliciis affluens, & libidinis irritamentis prouocans ad luxum fucis, pigmentis, cincinnulis, lenociniis verborum, oculorum nutibus, & totius corporis blandimentis. Ille verò huius feræ vngues, cupidinis retia, & thecnas transiliit illibatus, recusauit bibere propinatum vas veneno plenum, melle meretricis Babylonicæ illitum: per flammas, & ignes transiuit impollutus, & conuolauit ad Dominum. Hic similesque alij rependant gratias conuiuio sacro, quod suas incantauit cupiditates. Rectè ergo Zacharias iuxta vulgatum lætum nuntium profert: frumentum, & vinum Eucharisticum germinare virgines. Iuxta Hebraicam versionem Pagnini, & Vatabli: *Virgines cantare faciet.* Lætum carmen ouationis, & triumphi, sacramque actionis gratiarum cantilenam, vel incantare faciet iuuenes, cùm in conuiuio suam cupiditatem incantant, dum inter libidinis ardores, luxuriæ irritamenta, turpitudinis lubrica, euadunt incolumes, non attendunt blanditiis, respuunt carnis oblectamenta, & corporeæ voluptatis consortium, velut incantati redduntur à conuiuio sacro, à terrenis illecebris sequestrati, vt virgineum florem in corpore, & animo seruent illibatum: *Cantare faciet iuuenes. &: nostram incantantes cupiditatem.*

Hymni ad honorem Eucharistiæ cantitandi.

Clem. Al.

Caro tanquã Briareum monstrum, ab Eucharistia incantatur, ne noceat.

Iuuenis Eucharistiã cãtat, cum eius virtute eripitur à lapsu turpitudinis.

Cum quis inter medias libidinis flãmas euadit incolumis ab Eucharistia incantatur.

8. Prædictæ incantationes spiritales Domini proficuæ; aliæ verò, quæ homines auertunt à Dei cultu, plenæ præstigiis, malique dæmonis artibus, vt fidem Christianam infirment, vel à fidelibus auferant; omnino explodendæ, & auertuncandæ. Aduersus quas Propheta Oseas iaculum Sermonis intorquet c. 4. v. 12. *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annuntiauit ei.* LXX. legunt: *in symbolis interrogabant, & in virgis suis annuntiabant ei.* Iudæorum superstitiones in perscrutandis futuris euentibus proponit S. Cyrillus Alexandrinus, & quo pacto baculos impietatis instrumenta incantabant, vt responsa darent, iuxta placitum, & cupidinem explorantis, eruditè, vt assolet exponit, sic enim fatur: *Auspicia porro, & diuinatoria, & huiuscemodi mala, crimina impietatis sunt; & ex intimis idololatriæ visceribus promanant. Et in virgis suis annuntiabant ei. Venientibus ad se Israëlitis, inquit, & aliquid suarum rerum nosse studentibus, non modo in symbolis, sed etiam in virgis ipsorum annuntiabant eis. Est hic alter fallaciæ modus, diuinatio per virgas, & inuentum, ni fallor, Chaldaicæ curiositatis. Sic enim contra Ierusalem diuinabat Nabuchodonosor, sicut & diuinus Propheta Ezechiel testatur* (cap. 21.) *duas enim virgas statuentes, deinde arcanis quibusdam verbis eas incantantes, vt agente diabolo prociderent, & cadentes rursum obseruabant, vtrum prorsum, an retrorsum, in dextrum, an in sinistrum ferrentur. Sic deinceps quod illis placebat, accedentibus nuntiabant.* Hæc Cyrillus. Hæc igitur tanquam Deo contumeliosa, hominibus inutilia, animabus, & corporibus perniciosa, quæ continebant speciem impietatis, & idololatriæ, aspernatur Vates diuinus, & exulare satagit de Israëliticis pectoribus vanas obseruationes virgarum diuerso habitu cadentium, & mendaciis plena oracula ex ipsis elicita. Obseruat sapientissimus Antistes Cyrillus incantationes esse inuentum Chaldaicæ curiositatis, & superstitionis. Epiphanius verò multo antiquiorem originem huius vanitatis agnoscit, & nepotem Adami Iared auctorem prædicat veneficij, & incantationis. Sic enim ait lib.1.contra hæreses in panario: *Quemadmodum autem traditio habet, quæ ad nos deuenit, hinc cœpit fraus in mundo fieri. Nunc autem in temporibus Iared & vltra veneficium, incantatio, petulantia, adulterium, & iniustitia.*

Vanæ præstigiæ à Christianis explodendæ.

Oseas.

Lect. LXX.

Superstitiosa interrogatio Iudæorum, per virgas.

D. Cyrill. Alex.

Diuinationes, & auspicia per baculos, & virgas.

Inuentum Chaldaicæ curiositatis.

Virgas incantabant arcanis verbis, vt ex earum casu oracula, & præsensiones auspicarentur.

Veneficium, & incantatio à Iared Adami nepote orsa est.

D. Epiph.

9. Respuendæ sunt huiusmodi vanitates, quæ Iared protoparentis pronepotem auctorem agnoscunt; Zoroastem, & Nemrod Babylonis conditorem simul cum Chaldæorum primoribus promotores; Habet Ecclesia cœlestem incantatorem IESVM, cuius nomen præstigias omnes dæmonis dissoluit, & magorum sophismata. Quare S. Ambrosius comparans Ecclesiam cum luna, sic ait lib. 4. Examerom cap. 8. *Quàm ridiculum autem quod te plerique credunt homines, magicis carminibus posse deduci? Anilis ista fabula, ac vulgi opiniones: quis enim opus Dei tanto ministerio deputatum arbitretur Chaldæis superstitionibus posse tentari?* Et statim: *Multi tentant Ecclesiam, sed magica artis ei carmina nocere non possunt. Nihil incantatores valent, vbi Christi canticum quotidie decantatur. Habet incantatorem suum Dominum IESVM, per quem magorum incantantium carmina, & serpentum venena euacuauit. Et ipse sicut serpens exaltatus deuorat colubros Ægyptiorum. Ferale*

D. Amb.

Plerique credebant lunã magicis incantationibus posse deduci.

Ars magica, Ecclesiæ non potest nocere.

Nil praualet incantatio, vbi resonat Christi canticum.

licet

Ferale incantationis carmen hebetatur Iesu nomine inuocato.
Ea inuocatione Petrus, & Paulus aduersus Elimam, & Simonē magos inualuerunt.

licet carmen immurmuret hebetatur in Christi nomine. Sic & Elymam Magum Paulus non solum magicæ artis infirmitate, sed etiam oculorum amissione cæcauit. Sic Petrus Simonem alta cœli magico volatu petentem, dissoluta carminum potestate, deiecit, & strauit. Hæc Ambrosius. Hæc spiritalis incantatio aduersus dæmones, & impostores præualet; de his tamen prudentibus incantatoribus, & incantationibus loquitur Isaias auferendos à populo Iudaico, cùm ait: *Et prudentem incantatorem.*



Iuxta Vulgatum.

Et prudentem eloquij mystici.

DISCVRSVS XII.

Concionatorem Euangelicum instruit.

Efficax, & fructuosa vox diuini praconis, in quo opera verbis consonant.

In Cherubinis Euangelicis quid denotat planta vitulina? Ezech.

1. RECTVM Ecclesiasten, & prudentem eloquij mystici iure nuncupabis eum, qui verba sua operibus ornat, & quod lingua loquitur, exercitium virtutis confirmat. Hos sacros viros, prudentes mystici eloquij Magnus Ezechiel cùm quadrigam gloriæ Dei delineauit, expressit; Cherubinos pedes, aut esse in eis vitulinas plantas dicens cap. 1. vers. 7. *Et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.* Agnosce in vitulina planta fortitudinem, in incessu maturitatem, in bifidata vngula prudentiam. Hæc trina virtus, verba pro suggestu fundentem; potissimùm exornat. Fortis est robore, cùm aura blandientis, & adulantis gloriolæ non extollitur, nec frangitur aduersis, cùm obuiam it intrepidus turbæ peccantium, eorúmque nefariis conatibus clamando obsistit; maturitas ostenditur, cùm nil leue, inconstánsue moribus in eo deprehenditur, sed subtilitatem eruditæ dictionis, rectæ operationis auctoritate confirmat. Vngulam findens, prudentia ornatus apparet, cùm sacri eloquij litteram ab spiritu discernit, & ex arcano diuinæ litteraturæ sermone solerti discretionis indagine eruit, quod intus latet allegoricæ, vel anagogicæ contemplationis. His virtutibus instruit Gregorius Euangelicum oratorem homil. 3. Ezechielem: *In sanctis prædicatoribus planta pedis est vituli, scilicet maturè incedens, & fortis, & diuisa. Quia vnusquisque prædicator, & venerationem habet in maturitate, & fortitudinem in opere, & diuisionem vngulæ in discretione. Non enim facilè prædicatio eius accipitur; si leuis in moribus esse videatur.* Facundia, & sapientia in Ecclesiaste excitant plausum; at morum maturitas, & virtutis exercitatio conciliat venerationem: Conuersationis leuitas sicut nubilum obscurat serenitatem, & nitorem splendidæ dictionis, ne prosit audientibus.

D. Greg. Magn.
In sanctis prædicatoribus maturitas, fortitudo, & discretio eminent.
Leuitas morum destruit virtutē sermonum.

Iesus pedes discipulorum lauat, vt omnem ab Euangelizatoribus maculā abstergat.
D. Ioan.

2. Cùm abiicit se IESVS ad seruile ministerium lauandi pedes discipulorum, arcanas rationes inuestigant, & inueniunt Patres tam abiectæ in Domino seruitutis. Ex parte IESV, vt ipse præiret Discipulis exemplo humilitatis. Ex parte Apostolorum, vt eos instrueret: quanta indigerent munditia, & sanctimonia pedes Euangelizantium, ne eorum vestigia, & humanæ conuersationis puluisculum taminaret. Ioannis cap. 13. vers. 5. *Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Discipulorum.* Pedum ablutionem contemplantes Apollinarius Episcopus Laodicenus, & Theodotus Heracleotæ in Catena in Ioannem inquiunt: *Pedum hac lotio quid arcanum hic insinuat, quale verbi gratia videatur esse præparatio pedum Apostolicorum, ad opus Apostolicum. Mundatis siquidem illos pedibus mittit, concessa eis puritate conspicuos, vt sic orbem terrarum peragrare possent.* Et statim: *Eos igitur totos puros corpore, cæterum pedum emundatione opus habere dixit: id est, ne videlicet duntaxat in se ipsis puri essent, sed etiam in cursu, ac conuersatione sua aliis hominibus puritatem afflarent.* Sanctimonia splendidos, & puritate fulgentes IESVS discipulos ablegat ad præconium verbi, vt perfectæ, & Angelicæ vitæ exemplar seipsos ostentarent populis; vt verbum de ore Apostolico resonans mulceret auditum, vitæ probitas inflammaret ad imitamentum; plus inualuit ad excitandos animos populorum, diuina eorum vita, quàm suada facundia, & dulcis loquela; hæc argumentosa veritas replicabat in anima ratiocinationes, quibus flecteret, & reuocaret errantes; illa vincebat illaqueans mentes, vt verbo manus darent: Ideò IESVS totam solicitudinem impendit in pedum lauacro, & abstersione cuiuslibet sordis, & inquinamenti, vt spes bonæ frugis esset reposita in sermone, cùm vitæ cœlestis simulacrum appareret in opere: *In cursu, ac conuersatione sua aliis hominibus puritatem afflarent*, inquiunt Apollinarius, & Theodotus. Non tam causa purificationis cœtus Apostolici agebatur in pedum ablutione, quàm munditia populorum, vt mundificati Doctores, & Patres, alumnis suis munditiem afflarent, de morum elegantia, & nitore virtutum fulgentes barbaras gentes illuminarent, nec discipuli valde arduum, aut supra cœli fastigium positum crederent, nouæ vitæ ab Apostolis promulgatæ, institutum, quod in ipsis oratoribus exemplificatum cernerent.

Theodor. Apollin. Cat. Græc.
Ad munus Apostolicum concessa puritate, Iesus Discipulos mittit.
Prædicatores in conuersatione sint puri, vt aliis puritatē afflent.
Plus inualuit in Apostolicis oratoribus diuina vita, quam suada facundia.

3. Eximio mentis scrutamine ponderat Rupertus Abbas primum præconem æternitatis Dauidem extitisse, qui inferorum pœnas, cœlestis beatitudinis bona hominibus manifestè annuntiauit; tempore præcesserant Regium Vatem Adamus, Abrahamus, Moyses, Iosue, Samuel: *Nihil de regno Dei, nihil de pœnis inferni, nihil de iudicio, quo & iusti saluandi, & impij condemnandi sunt palam verbis dixerunt; non quod ista nescirent, sed quòd carnales nimium terræ amatores ista non reciperent.* Hæc scribit Abbas Tuitiensis prologo in librum Psalmorum cap. 2. Quæ sic tempera, apud Moysen, & Iobum non est silentio prætermissa inferorum recordatio, & corporum resurrectio, nullus tamen ante Dauidis tempora fusè, & latè, ex professo, & aperto sermone Christi regnum, mysteria vitæ, & passionis eius, fontium damnationem, & tartari cruciatus, beatæ vitæ delicias, vniuersis

Rupertus.
Dauid primus æternæ vitæ præco.
Antiqui Patres nil de regno Dei, pœnis inferorū promulgarunt, propter carnales, & incapaces auditores, aperto sermone.

Solus Dauid clare & aperte annunciauit æternitatem.

uersis nationibus annuntiauit; horum omnium Dauid enuntiator apertus, & vocalissimus extitit,& in concione primarius. Disquirit postea magna ingenij solertia Benedictinæ familiæ decus: *Vt quid sermo Domini, spiritus Domini de virtutibus locuturus futuri sæculi, regem sibi per quem loqueretur, elegit, immo cur illum, per quem primum loqui disposuerat de animarum salute, vel vita æterna, regem esse voluit? Cur de tribunalibus audiri primitus voluit? Cur de Regali solio primas voces emisit?* Quam disquisitionem æquo iure proponere potuisset de Dauidis filio Salomone, qui dicitur Ecclesiastes, seu concionator, qui cœtus hominum congregabat, vt verbum Dei de Regali solio tanquam de suggestu proferret. Vnde Ecclesiastes cap. 1. vers. 1. vbi ait Vulgatus: *verba Ecclesiastæ filij Dauid Regis Ierusalem.* Legit Tigurina: *sermones concionantis filij Dauid Regis in Ierusalem.* Primus Dauid concionator, secundus Salomon Ecclesiastes eximius, qui fallacem huius mundi speciem, & laruam detegit, vanamque pompam despicere, & calcare docuit. Cur de regum prætoriis prima lux æternitatis inclaruit? de regalibus subselliis primitiua vox præconij sæculi perennantis intonuit? Alterius æui, & semper duraturi enuntiatio erat mundo valde inuisa, erant homines cœnosis gurgitibus libidinosæ voluptatis immersi, diuitiis inhiantes, ad personatam mundi felicitatem attoniti, nil de felicitate patriæ permanentis, aut supplicij imminentis cogitantes: *Totum mundi huius auditorum* (inquit Rupertus) *Deo obsurduerat, & in audienda vanitate superbiebat, omnis homo viuens vniuersa vanitas erat. Ludo vanitatis intenta populosa carnis lascinia, vita æterna seria, mortis imminentis negotia scire dedignabatur, audire non poterat.* Erat homo illecebris voluptatum irretitus, terrenis & caducis affixus, ad res futiles & leues incuruatus, oculos sustollere ad cærula templa, & stellata luminibus atria detrectabat. Si post Euangelij lucem, & canticum, veritatis nuncius, præco æternitatis ab improbis irridetur, eiusque verba suscipiuntur tanquã aniles fabulæ, quo pacto mundo in maligno posito, cimmeriis errorum, & criminum tenebris immerso, arrideret præconium æternitatis: Quare vt non irrideretur præconium verbi auctoritatem vsurpauit ex persona Regis. *Quanto magis cùm adhuc recens mundus luxu iuuentutis efferretur, personam qualemcunque verbum Dei prædicantem audire dedignaretur. Ergo peregrinum erat huic mundo verbum Domini, non aliter attentos, aut beneuolos habiturum diuites sæculi, nisi orationem suam inciperet per os Regis, diuitis, magni, regis manu fortis, & victoriosi qualis erat iste Dauid.* Hæc pulchrè Rupertus, quibus in verbis cernere est, quàm è regione opposito itinere procedat Euangelicæ & Apostolicæ prædicationis cursus. Ibi sacræ orationis vox auspicata est à regali trabea, nitenti, & venerabili purpura, imperatoris maiestate sedẽtis in aureo throno, eburneo, & stellato subsellio. Hic verè à vili toga, pauperique lacerna, non ab ore Regum, & Imperatorum, sed egenorum, & piscatorum, non à sublimi maiestate, sed ab abiecta humilitate cælestia oracula resultarunt. Ex qua dispositione diuini consilij gaudio exultans Iesus gratiarum actiones offert Patri: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Matth. cap. 11. v. 25. Concionatus est Salomon, parœmias protulit, sacros Christi, & Ecclesiæ hymenæos mira sapientia, & concinnitate cecinit; mores hominum diuino afflatu motus instruxit. Eius parens Dauid sacræ aureæque orationis flumina fudit de regali suggestu, concrepante cithara, auresque concionis mulcente. Cecinit futura Christi sacramenta sacris odis; obiurgauit hominum vitia, beatæ vitæ semitam ostendit, verum quanta hominum millia ab errore reuocarunt? quam nationem earum, quibus Palæstina cingebatur, Idumæam, Arabicam, Syriacam, Chaldæam, Ægyptiam, subiugarunt fidei veri Dei? Quam vrbem plenam delubris, & aris dæmoniorum, dispulsis idololatriæ tenebris, & contritis sculptilibus ad lumen veritatis reduxerunt? Erat vox illa præconum Dei, tenuis, & gracilis, Ierosolymitanæ metropolis coarctata limitibus; nec productior, nec efficacior canorus ille strepitus, & concentus suauis, vt barbarorum aures penetrans excitaret ad sectandam semitam æquitatis. Hoc facinus, hoc præconium Apostolis Domini seruabatur, de quibus idem Psalmicen superno spiritu afflatus cecinit: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psal. 18. v. 5. Auebis scire quæ sit ista causa discriminis inter primos legis antiquæ oratores, & nouæ promulgatores? Intende, sterilescit oratio dicentis, in quo abundãt terrenæ gloriæ decora; fœcunda est spiritali animarum prouentu vox concionantis, in quo fulgent virtutum insignia, & diuinæ potestatis operatio. Erat Dauid sanctimonia clarus, sed decreuerat Deus non in regali ostentatione mundum subiicere, sed in humilitate, & paupertate Crucis Christi, vt non purpura, non diadema, non infula imperatoria arrogaret sibi vniuersi salutem, sed virtus verbi Dei, & potentia Crucifixi. Circumuallabant Dauidem orantem purpuratorũm cœtus, Cerethi, & Pheleti, scutatorum, & hastatorum militum manus, vt metus & reuerentia Regis conciliarent audientium animos. Erant Apostoli cincti præsidio Angelico, non humano, supernorum spirituum caterua, & cælestis exercitus satellitium cingebant eorum latera, qui eis ferrent suppetias, & malorũ omnium propulsaculum. Apud Dauidem præualebat purpura, apud Apostolos charitatis ardor, Spiritus sancti flamma emicabat, cupido profundendi sanguinis pro amore Crucifixi, animarum lucro; in iis denique regalis Sacerdotij trabea de effusione cruoris, & martyrio purpurascit. Eminebat in Dauidico vertice inclytum diadema lapidibus pretiosis intermicans; Apostolorum verò ornabant caput omnium virtutum decora, illustris corona pulchrius, & suauius micantium omni sidere, lunæ, solisque fulgoribus, mentes hominum fidei luminibus replentium, ad Christi amorem excitantium. Ostentabat Dauid quę signis, & nutibus orantis verba monstraret, sensumque tacitus aperiret, dextram illam manum fortem, quæ Gigantem deiecit, & prostrauit; Apostoli vero spiritu accincti, & gladio verbi Dei muniti, inferorum monstra trucidarunt, vastas sculptilium moles, & machinas de aris, & delubris deturbarunt, terræ gigantes,

Cur primum futuri sæculi præconem regem Deus elegit. (Rupert.)

De regali solio cur prima vox æternæ vitæ emissa.

Ecclesiastes, & Rex Salomon mundi vanitatem prædicant. (Ecclesiast.)

Homines terrenis rebus, & deliciis intenti, scire æternitatis negotia dedignabantur. (Rupertus.)

Vt beneuola esset virtutis & æternitatis concio, ab ore regio sumit exordium. (Rupertus.)

Euangelica prædicatio non ex purpuratis, sed ex piscatorũ, & egenorum ore felicius procedit.

Dauidis aut Salomonis oratio nullã nationem gentium ad cultum veri Dei reuocauit.

Vox antiquorum exilis, & tenuis, Iudææ coarctata limitibus.

Apostolorum vox in omnibus terræ plagis personuit.

Non terrenæ gloriæ decus, sed virtutis operatio, fœcunda est animarum prouentibus.

Non humanæ dignitati regnantis, sed crucifixi humiliationi, attribuenda animarum conuersio.

Manus Dauid fortis vt Gigantem prosternat; Apostolorum potestas vt sculptilia destruat potentior.

gigantes, principes, & dynastas humanarum rerum affluentia, & gloria elatos, & turgidos Euangelicæ fidei iugo subiecerunt, & sapientiæ compedibus illigarunt. Plus valuit apud sæculi potentatus rusticitas, & paupertas dicentis, quàm regalis potentia imperantis. Non corona, non regalia paludamenta, sed fides, virtus, & humilitas prædicantis de mundi Regibus retulere palmam.

Plus valuit apud terrenas potestates rusticitas dicentis, quam regalis potentia imperantis.

4. Quòd plus prodest vita quàm dignitas, & vox concionantis, declarat Ezechiel cap. 3, vers. 17. verbis ex diuino oraculo acceptis: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me.* Cur sacer Orator, & ille cui munus incumbit præconij, speculator nuncupetur, exponit Magnus Gregorius lib. 1. in Ezechielem homil. 11. *Notandum (inquit) quod eum, quem Dominus ad prædicandum mittit, speculatorem esse denuntiat. Cui enim aliena cura committitur, speculator vocatur, vt in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat, vt quidquid venturum est, longè prospiciat. Et quisquis populi speculator ponitur, in altum debet stare per vitam, vt possit prodesse per prouidentiam.* Æquo iure concionatorem nuncupat speculatorem: specula in edito, & eminenti loco conditur, vt tum speculator, tum quod signum dederit prospectari possit, vt sit amicis subsidio, faciléque valeat latentes hostium insidias aperire. Sic animarum speculator, qui in pulpitum, velut in speculam ascendit, debet esse eminentior vita, qui est loci celsitudine sublimior. Postea sanctissimus Pontifex habitum suæ mentis ostendit. *O quàm dura sunt mihi ista, quæ loquor: quia memetipsum loquendo ferio, cuius neque lingua, vt dignum est, prædicationem tenet, neque in quantum tenere sufficit, vita sequitur linguam. Qui otiosis verbis sæpè implicor, & ab exhortatione, atque ædificatione proximorum torpens, & negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus, & verbosus: mutus in necessarijs, verbosus in otiosis.* Quæ verba Gregorij sanctissimi, & concionatoris eximij non tam sui ipsius censoria sunt, quàm Crissis Oratorum, qui dignè non obeunt sacram verbi Dei functionem. Erit valdè proficuum si vnusquisque hanc iustam obiurgationem contra se iaculatam existimet, hocque gladio seueræ increpationis cor suum feriat ad compunctionem.

Cur cælestis præco speculator nuncupatur?
D. Gregor. Nyssen.
Vt in altitudine mentis sedens, tanquam virtutis imitandæ exemplar.
Prædicator debet esse eminentior vita, qui est loci celsitudine sublimior.
D. Gregor.
Magni Gregorij humilitas.
Vita concionantis sequitur linguam.
Quomodo sacer præco sit mutus & verbosus.

5. Concionatores proficuos, probæ vitæ exemplar, & operationes sublimes reddentes, felices vocat Psalmus 110, vers. 10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Eadem sententia reperitur Prouerbiorum cap. 1. vers. 7. ex editione LXX. *Principium sapientiæ timor Domini, intellectus autem bonus omnibus facientibus eum, pietas autem in Deum principium sensus.* Locum Psalmi vertit Hieronymus: *Doctrina bona cunctis, qui faciunt eam.* Sapientiam prædicantibus, & iuxta illius præscriptum operantibus, assidet diuina sapientia vbertim infundens profundos sensus, sublimes theorias, & reconditas sententias diuinorum, vt iis irrigent, & instruant animos audientium, & ad cœlestium contemplationem excitent. Hunc locum expendit Theologus Nazianzenus, & sapientem definit esse, non qui aureo orationis tramite crepat de sublimi throno, nec linguæ vertigine, & volubilitate reddit animos intentos, & attonitos, sed qui operationum demonstratione reddit credibilia, quæ docet. Audiendus est Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 15. *Nec enim (inquit) qui sermone sapiens est, hic mihi sapiens est, nec qui volubilem quidem linguam, imperitum autem animum habet; illis vtique sepulchris non absimilis, quæ cum foris pulchra, & decora sint, intus tamen cadaueribus scatent, atque ingentem fœtorem tegunt: verum is demum, qui pauca quidem de virtute verba facit, cæterum per ea, quæ agit, multa demonstrat, ac fidem & auctoritatem sermoni suo per vitam conciliat.* Et statim addit: *præstantior est sapientia, quæ per opera demonstratur, quàm, quæ sermone nitet, ac splendescit. Intellectus enim bonus, inquit ille, omnibus facientibus eum, non autem prædicantibus.* Hæc Nazianzenus. Non ex pompa sermonis, aut eloquentiæ nitore Ecclesiastes diiudicatur, sed de operationum exercitamento; qui enim exterius aureo sermone fulget, habet pectus vitiorum sordibus putidum, sepulchro dealbato similis censetur, extra enim de albedine eloquij, & argenteo orationis splendore micat, intus tamen latitant vitiorum cadauera, & mortuorum tumulus, malè olentem halitum improbarum affectionum efflans. Bonus enim verbi sensus, & intellectus occurrit, non declamatoribus, sed operatoribus verbi, amat enim sapientia in suis asseclis operatorium sermonem: *Facientibus eum, non autem prædicantibus.* Ille perfectus concionator est, in quo non otiatur verbum, & vocis oblectamento correptum obdormiscit, & torpet, sed quod animum dicentis pungit, & ad ardua virtutis stimulat. Aliter illustrat locum Sapientis Olympiodorus in catena Græca Prouerbiorum. Existimat nomine *intellectus* accipiendam esse prudentiam, quæ bifariam diuiditur in speculatiuam vel theoricam, & practicam, & cum vtraque connexa, & sociata pectus sapientis ornat, illud beat. Cùm enim dixisset: *Aut per virum intellectum, vel prudentiam, eam boni notitiam hoc loco designat, secundum quam cognitum expetimus, &c.* Postea subiungit: *In moralibus itaque prudentia vel intellectus non omnibus promiscuè intellectus est, sed ijs vel solum, vel potissimum, qui secundum illum operantur, siquidem notitia, quæ opus vel praxim adiunctam habet, ea demum est, quæ prudentes, veréque fortunatos efficit. Neque enim vt quis bonus beatusque habeatur, & sit, sat est si bonum sciat, sed opus est præterea vt cognitum opere exprimat.* Hæc ex Olympiodoro mutuata. Illa est eminentior prudentia hominem ornans felicitatis insignibus, quæ non solum leges præscribit, sed leges operando custodit, nec solum speculatione virtutis exercet ingenij potestatem, sed commouet voluntatis affectum, vt imperet potestatibus sibi subiectis ad virtutis actiones. Non reddit fortunatum sapientem scientiarum cognitio, aut infarcire mentem sublimium obiectorum institutis, & ideis, sed scientiæ Dei custodire præcepta, iuxta legum normam moderare animum, quod didicit, & docuit opere complere, hoc efficit beatum: *Qui autem fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in Regno cœlorum.* Operatio virtutis symbolum

Psal.
Prouerb. Lect. LXX.
D. Hieron.
Doctrina bona cunctis qui faciunt eam.
Orator elegans, & sapiens non in linguæ volubilitate, sed in operum demonstratione ostenditur.
D. Greg. Nazian.
Qui dicit, & non facit, similis sepulcro dealbato, pleno cadaueribus, & fœtore.
Vita operationibus bonis sermoni auctoritas conciliatur.
Intellectus bonus nō prædicantibus, sed facientibus eum.
Olymp. Cat. Græ.
Prudentia boni notitia dicitur, in ijs qui iuxta illam operantur.
Non sat est ad felicitatem, scire bonum, sed vt illud opere compleatur.

Digitized by Google

symbolum est veri sapientis, ipsumque felicitat.

6. Ioannis Baptistæ Præcursoris Domini sanctimoniam, & functionem prædicandi annuntiauit Malachias cap. 3. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Sermonem esse in hoc vaticinio de diuino Præcursore testatur Matthæus Euangelista huius loci fidelis interpres cap. 11. Cur verò nuncupetur Angelus, sapienter expendit S. Cyrillus, explodens aliquorum errorem qui purum spiritum Ioannem existimauerunt, corporeæ molis, & humanæ conditionis expertem, eius verba sunt: *Angelum autem nominatum sacro sanctum Baptistam dicimus, non propter naturam quidem (ex muliere enim natus homo perinde vt nos fuit) sed quoniam illi talia nobis prædicandi nuntiandique munus est impositum.* Particeps fuit Ioannes carnis & sanguinis, ex viri & fœminæ commercio genitus, dicitur tamen Angelus ex conuersatione cælesti, vitam transigens adeò puram, ab omnique labe criminis, vel leuioris segregatam, ac si inter ipsos Angelorum choros versaretur. Nomine tamen Angelico insignitur, cum ei munus præconij iniungitur, vt Ecclesiæ Doctores instruat Angelicæ vitæ æmulatores esse debere eos, qui sacris apicibus concionandi acciti sunt. Eiusdem Cyrilli annotatio est Angelum apud sacros vates appellari sermonem, quare ad ea verba Oseæ cap. 1. vers. 1. *Principium loquendi Domino in Osea.* Vel iuxta LXX. *Principium sermonis Domini ad Osea.* Sic ait: *Consueuerunt quippe sancti Prophetæ, Dei sermonem appellare Angelum, vtpote annuntiantem ipsis, & manifestantem voluntatem Dei Patris.* Ex annuntiationis officio sermo diuinus Angelus nuncupatur, simul vt doceat Angelicis moribus præditum esse debere, cui committitur dispensatio sacri sermonis. Alteram, & valde argutam Angelicæ nomenclaturæ originem in Ioanne mutuare possumus ex D. Isidoro Pelusiota, qui scribens Cyro Sophistæ, qui verborum phaleris gloriabatur, & vt de Sophocleo cothurno orationem funderet, nimis vocabulorum affectatorum fingebat elegantiam, in eo reprimit loquelæ fastum lib. 1. epist. 163. dicens: *Etenim pulchrè loqui, cymbalo simile est: at probè agere Angelis innatum est.* In oratione non tam adhibenda est cura in affluentia sententiarum, & copia verborum, quàm in abundantia actionum, vt comparetur Angelis prædicans, quorum gloriatio est, benè agere. Ioannes itaque nuncupatur Angelus, quia à præclaris gratiæ, & virtutis actionibus orsus est vitam, & antequam auspicaretur verbi præconium, ostendit in se omnium virtutum ornamentum. Nec dum verbi munus inchoauerat, vix frui cœperat huius lucis vsura, cùm paternos reliquit lares, genitricis blandimenta, sequestrans se ab huius sæculi contubernio; antra deserti penetrat accinctus hirsuto cameli tegmine, Angelicis deliciis pastus. Lucæ cap. 1. v. 80. *Et erat in desertis, vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.* Cur Ioannes ad eremi vastitatem, solitudinemque, mundi frequentiam vitans, migrarit, perpulchram rationem assignat Titus Bostrorum Episcopus in catena Græca Sancti Lucæ scribens: *Cur autem à multitudine se segregat, ac peregrinatur, atque eremo delectatur? Ne populi erga eum reuerentia euanescat consuetudine conuersationis offuscata: quin & vt arguens acceptus sit, & testificans fide dignus: Cùm Iudaicam improbitatem increpando, tum etiam Christo testimonium exhibendo.* Vt de eremo, de fuga, & abrenuntiatione sæculi, de despectu terrenorum auctoritatem, & fidem conciliaret sibi Ioannis præconium. Nescio quo pacto conuersatio sæculi, hominumque consortium Euangelici concionatoris seueritatem, & venerationem imminuit, & de humanæ vitæ contagio viscus adhæreat vitiorum, halitus imperfectionis afflatur, qui animæ speculum, in quo nitor, splendorque virtutis emicare debet, infuscat. Ille verò qui secessum amat, & rusculum solitarium sibi valde dilectum, rimatur, sæculi irritamentis, & curis feriatus humanis, nec vane cursitare amat per compita, plateas, & foros, venerationi est omnibus tanquam celeste quoddam simulacrum, eiusque verbum tanquam ex oraculo hauritur.

Malach. — *Ioannes Baptista Angelus nuncupatur à functione prædicandi, non à natura angelica.* — D. Cyr. Alc. — *Vita, & moribus debet esse Angelus, cui munus euangelizandi iniungitur.* — Oseas. Lect. LXX. D. Cyr. Alc. — *Dei sermo Angelus nuncupatur.* — D. Isid. Pel. — *Pulchrè loqui cymbalo simile; probè agere Angelis innatum est.* — D. Lucas. — Titus. Cat. Græc. — *Ioannes ad eremum migrat, & secessum amat, vt prædicationi suæ venerationem & auctoritatem conciliet.* — *Imminuitur concionatoris seueritas, ex nimio hominum consortio.*

7. Finiam discursum, ei colophonem imponens vaticinio Ezechielis cap. 40. qui in delineatione templi diuinitus ei ostensi recenset numerum mensarum sacrificij & holocausti, de earumque extremitatibus fatus scribit versu 43. *Et labia earum palmi vnius, reflexa intrinsecus per circuitum.* Mensæ limbos apte considerat Magnus Gregorius, & spiritali intelligentia rimatur interiores eius recessus; per mensas Doctores intelligit, & mystagogos, qui animæ esculenta portant, & cibum vitæ discipulis subministrant. Potiora ornamenta mensarum labia sunt, quæ verbum Dei fantur, & de pectoris thesauro, tot margaritas, quot verba profundunt. Quæ labia reflexa sunt, & repanda, quia sacri Doctores tacitus perpendunt, si quod voce docent, opere complent, si, mensæ extremitates non tam verborum & conceptuum ferculis, quàm operibus coronentur. Eximius est in hac contemplatione supremus Antistes in Ezechielem lib. 2. homil. 21. fatus: *Pensandum verò est valdè quod dicitur, quia earumdem mensarum labia interius sunt reflexa. Tunc enim mensarum labia intrinsecus reflectuntur, quando Doctores ad conscientiam reuocant tacita cogitatione quod dicunt, quando semetipsos subtiliter perscrutantur, si faciunt, quod loquuntur.* Postea examinat esse reflexam *per circuitum, vt vbique semetipsos inspiciant, & in quantum præualent studeant opere implere, quæ docent, ne si prædicantes, facere bona dissimulant, sui vastatores sint, cultores alieni.* Ideò labia contra mensam recurua prædicantur, vt aduersus prædicantem, & non operantem quæ prædicat, sint aduersa, & minentur excidium. Postea sacros oratores instruit sapientissimus Doctor hac monitione: *O Doctor, ecce iam mensa es, iam vasa portas, iam in vasis fidelibus pondus holocausti & victimæ sustines, sed intus reflecte labium, id est, ad cor reuoca sermonem. Audi quod dicis, operare quod prædicas. Si enim negligis implere quod doces, alijs mensam seminas, & ipse à frumenti participatione ieiunas.* Hæc Magnus Gregorius.

Ezechi. — *Mensæ templi Doctores sacri, qui varia doctrinarum fercula subministrant.* — D. Gre. Mag. — *Labia Doctorum interius reflectuntur, quando faciunt, quod loquuntur.* — *Si non faciunt, quod prædicãt, sui vastatores sunt, cultores alieni.* — D. Gre. Mag. — *Exhortatio ad concionatores, vt ad se ipsos per operationem reuocent sermones.*

Et



Et prudentem eloquij mystici.

DISCVRSVS XIII.

Ad animarum lucra, etiam oratore silente, exemplum vitæ vocalissimum est.

1. VT propositum thema illustre reddatur, reuocanda est in memoriam Regalis Historia Saulis, qui Imperatoriis insignibus inauguratus à Domino Samuelis ministerio, regni gloriam sibi donatam patruo suo occultauit. lib. 1. Regum cap. 10. vers. 15. *Et dixit ei patruus suus: indica mihi qui dixerit tibi Samuel. Et ait Saul ad patruum suum: Indicauit nobis quia inuenta essent asinæ. De sermone autem regni non indicauit ei, quem loquutus fuerat ei Samuel.* Quæ verba subtiliter expendit S. Gregorius Magnus cùm in persona Saülis Regis, prædicatoris dignitatem, & insigne agnoscit, cuius functio est aliqua effari, aliqua silentio premere: Est enim in diuini Verbi præcone gloria virtutis, bonique exempli imperatoria potestas, quæ loquela non indiget, quæ seipsam sine verbi clamore manifestat. Sic scribit summus Antistes lib. 4. cap. 4. expositionis in librum 1. Regum: *Verbum ergo regni habet, qui ea conuersatione fulget, quæ exempla cœlestis itineris aliis quasi loquendo prabet. Verbum ergo non indicat, qui magnitudinem sanctitatis per vanam gloriam non reuelat, habet quidem quod indicet, sed quod per seipsum ostenditur indicare, non vult. Nam qui magna dignitate magnáque sanctitate radiat, multa viuendo ostendit, quæ loquendo non dicit.* Eumdem conceptum illustrat, & confirmat ex vestimenti Pontificalis ornatu, in cuius limbo inserere iussit Dominus aurea tintinnabula. Exodi c. 28. vers. 33. *Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies*, &c. *Mixtis in medio tintinnabulis.* Quid tinniant in spirituali auditu tintinnabula in fimbriis talaris tunicæ, argutè aperit. *Vestis quidem Pontificis est ostensio bonæ conuersationis; quæ quasi tintinnabulis multis inseritur, quando opera bona multiplicat, quæ ad minorum exemplum clamat*, &c. *Tunc certè Sacerdos tacet, sed dum incedit, quod portat, clamat: quia bonus prædicator se iactando non indicat, sed benè viuendo loqui nequaquam cessat.* Consentiunt mirabili modo in Sacerdote Domini, & taciturnitas, & clamor, profundum humilitatis silentium, & concentus virtutum suauis: Non laxat linguam ad proferendum sermonem, cùm ipsæ operationes mirabiles in incessu, & progressu vitæ; vociferationes profundant; sunt enim exempla valdè tinnula, omni tuba clarius perstrepentia, quæ segniores quosque incitant ad virtutum exercitamenta. Rupertus in podere Aaronis recognoscit mysterium Christi, cùm finem imponere parat vitæ, & ostendit cumulum dilectionis. Verba eius transcribo ex exordio libri decimitertij Commentariorum in Ioannem: *Qui sunt fines tunicæ Sacerdotalis, nisi extrema vita Domini nostri? Quæ sunt mala punica valdè rubentia? nisi eius, qua maiorem nemo habet Charitatis opera? Hæc vtique mala finibus suæ tunicæ appendit, quia cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, scilicet suam pro amicis suis animam ponendo. Tintinnabula verò clarissima sunt dilectionis eius verba, quibus eos in prædicta cœna instituit, & deinceps pro ipsis Patrem rogauit. Ita mixtis tintinnabulis doctrinæ, & operum eius, malis punicis, nihil visu pulchrius, nihil auditu dulcius, nihil experimento delectabilius.* Piè & argutè, licet inuerso ordine Gregorij, explanat arcanum sensum malorum punicorum, & tintinnabulorum, per vestimenti margines finem vitæ IESV intelligens, per malum punicum illius dilectionem, quæ per affusionem sanguinis perfectè rubuit. Aureæ campanulæ sunt eloquia, & diuini sermones, quibus Discipulos in cœna instruxit, quorum canorus sonitus dulce reboat in vtrisque mundi polis. Illud tamen non est prætermittendum inexaminatum, ante sacras exhortationes exemplum præbuisse humilitatis, abluendo pedes Discipulorum, vt ostenderet, exemplum sermoni præferendum omnibusque prædicationibus præire tanquam antesignanum ad deuinciendos animos, ideò operationum typos collocat Rupertus in malo granatis in ora vestimenti appensis; vertex autem malogranati cingitur pulchro coronamine, nam bona opera absque tinnitu, & strepitu, taciturna quadam grauitate sibi vsurpant victoriosas coronas, & palmas in conuersione animorum.

Lib. Reg. *Saul regno inauguratus vnum verbũ annunciat patruo suo, & aliud silẽtio premit.*

D. Greg. Magn. *Sanctitas licet nõ ostendatur per seipsam loquitur.*

Exod.

D. Gregor. *Opera Doctoru velut tintinnabula clamant. Cum tacet, virtus quam portat, fatur.*

Rupert. *Finis Sacerdotalis indumenti extrema sunt eterna redemptoris, amore fulgentia.*

Tintinnabula sũt clarissima dilectionis Christi verba.

Ante sacras exhortationes Iesus exemplum præbuit humilitatis.

Mala granata operationum typus, quæ sibi asciscunt conuersionis animarum coronas.

2. Exquisiuit Theognostus Presbyter à Diuo Isidoro Pelusiota quam intelligentiam præseferret sententia illa Isaiæ cap. 40. v. 2. *Loquimini ad cor Ierusalem*, & sapienter respondet lib. 2. epist. 1. loqui ad aures Sacerdotem, qui nudum operibus sermonem profert, loqui verò ad cor, qui exemplo ædificat, cessante voce. *Hoc est*, inquit, *summa virtute præditorum: qui vt etiam nullum verbum emittant, silentio tamen quamuis voce clariori discipulos suos erudiunt, non ipsorum aures oblectantes, verum animis lumen ac splendorem afferentes. Nam qui magistro nihil præter sermonem inesse existimant, & aures obtundunt & risum mouent. At qui operibus emicant, etiam si silentium colant, sectatorum tamen animos erudiunt.* Est in Doctore improbo vox muta, & in præceptore sancto silentium eloquens, hoc persuasionis virtute mirabili corda penetrat, & ad sectandam veritatem commouet; illa clamoribus aures fatigat frustrata bonæ frugis æmolumento: exempli taciturnitas omni sermone vocalior est, docet sine labore, loquitur sine voce, persuadet sine argumentatione. Vera est illa Tertulliani sententia lib. de pallio cap. 6. *Sermone, inquis, me suasisti, medicamine sapientissimo. Verum & si eloquium quiescat, aut infantia subductum, aut verecundia retectum, (nam, & elingui philosophia vita contenta est,) ipse habitus sonat, sic denique auditur Philosophus, dum videtur.* Sacræ militiæ Christi adscriptus Tertullianus reiecta toga, pallio indutus est, vt simplicitatem Christianæ religionis profiteretur ipso habitu, liuidos latratus compescit calumniatoris sui, hoc libro asserens non esse erubescendum Christianitatis habitu, & virtutis indumento, quod silente philosopho, & oratore de pectoris virtute sonat, de pietate clamat;

Isid. Pelus.

Isai. *Sermo sine operibus ad aures loquitur, operibus ornatus, loquitur ad cor.*

Qui operibus emicant, etiã silentes spectatores erudiunt.

Tertull. *Sermo suasorius medicamen animæ sapientissimum. Si eloquium quiescat, habitus sonat. Philosophus auditur, dum videtur.*

clamat: Christianus, inquit Philosophus cùm cernitur auditur, quia in quatuor angulis vestimenti resultat virtutum chorus, & non palliatis sed apertis moribus indicat intra pectus, Christi oraculum viuere.

3. Prædicat Ioannis Præcursoris magnalia Ioannes Chrysostomus aureo vt solet eloquentiæ flumine, illius constantiam in offerendo capite, effundendo sanguine pro castitatis præconio, ex aduerso obiurgat propudiosæ Herodiadis impudentiam in solicitanda nece, expostulando capite Baptistæ; post cœnationem, & impudicæ saltatricis choreas, vertex hominis sanctioris merces, & præmium tripudij à saltatrice petitur, ab Herode donatur. Matthæi cap. 14. vers. 11. *Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ.* Et statim perpulchra quæstio occurrit Chrysostomo homilia 18. in cap. 12. secundæ Corinthiorum epistolæ: *Et quare non totum mortuum requiris, sed caput?* Huic percunctationi in primis satisfacit Hieronymus cum Glossa citatus in catena aurea: *Vt habeat in potestate linguam, quæ illicitas nuptias arguebat.* Quibus consonat Nicephorus Callistus lib. 1. Ecclesiasticæ Histor. cap. 19. *Admodum enim optauerat, quæsiueratque caput id, quod ei, quæ concupiuerat rebus, ex sententia, & libidine sua vti inhibebat, ita resectum spectare: & linguam zelo, & æmulatione sancta, tanquam cote acutiorem factam, postremo mutam despicere.* Auebat tenere in sua potestate impudens illa, & furiosa linguam illam auream Angelicis linguis comparandam, totius orbis pretio maiorem, vt ei exprobraret, & obmutescenti insultaret, cernebat os illud gemmeum liuidis labris exangue, silensque, ex quo cælestia oracula resultabant; organum suæ nequitiæ obiurgatorium dissectum conticuisse lætatur, respirareque cœpit non iam auscultatura infensæ sibi linguæ querelas. Frustra silentium exambis ô muliebris & cæca sæuitia, inhumanitas impudica. Casto quodam pudore corripitur moriens purissimi iuuenis lingua, ne si viueret toties repetito adulterij sermone deformaretur. Dissecuisti sacrum caput, vt erumpentes latices sacri cruoris per gutturis vulnus, canoro strepitu, & murmure turpitudinem tuam prædicarent. Obturasti in ore sacrum sermonis fontem, sed aperuisti in gula maiorem, vt improbitatem, quam exagitabat per verba, modò Christi Martyr testificetur per vulnera. Abstulisti instrumentum loquelæ, sed plura nesciens, & inuita indidisti, quot enim guttæ sanguinis de trunco corpore, & dissecto capite scaturiunt, tot linguę exiliunt, quæ ad Deum clamant. Denique muliebris improbitas, quæ intra latibulum Regalis triclinij, & exitiosa fercula feralis conuiuij latitabat, à corpore Ioannis vita functo diuulgata est, eamque per ora singulorum ad fines vsque terræ volitans fama circumtulit. Gratum valde erit modo si Ioannes Chrysostomus verbis suis quæsito respondeat: *Et quare non totum mortuum requiris, sed caput? Caput, quod contristauit, linguamque hanc silentem videre desidero. At secus euenit: nam ô misera & ærumnosa, vt abscissa est, clarius postea clamauit. Nam tunc quidem in Iudæa solum clamabat, nunc autem ad fines terræ venit, & vbicumque in Ecclesiam ingrederis, siue Maurorum, siue Persarum, siue etiam Britannicarum insularum, audis clamantem Ioannem: non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui.* vt etiam silente Ioanne, etiam mortua lingua; habeat virtus eius, & constantia vocalissimum sermonem.

Impudici tripudij merces caput Ioannis Baptistæ.

D. Matth.

D. Chrys.

Cur psaltria non totum corpus, sed verticē exigit Ioannis?

D. Hieron.

Glossa.

Vt habeat in potestate linguam impudicitiæ arguitricem.

Niceph.

Vt mutescētem despiceret linguam.

Ioannes per vulnus, & stillicidia sacri cruoris quasi per ora, & linguas aureas loquitur.

D. Chrys.

Cupiebat Herodias linguam Ioannis cernere silentem.

Lingua muta clarius clamauit per totum orbem.

4. Non est omittenda in eodem loco eiusdem eloquentiæ parentis altera percunctatio, huic instituto, & conceptui peropportuna, quæ procedit in hunc modum: *Cuius gratia non iussit in conuiuio intus occidi, & maior illi fuisset voluptas? Timebat ne præsens visus, omnes suo aspectu mutaret.* Quid pulchrius? Iure miratur Christianæ facundiæ parens, cur non fecerit ad conuiuium adduci Ioannem innexum vinculis, onustum catenis tanquam triumphum suæ nequitiæ & crudelitatis, vt in illo regali sympolio conuiuatores, ipsa Herodiade præeunte, & incitante, irrisoria iocatione vilipenderent; esset enim hic ludus, hoc Ioannis ludibrium, exaturandæ postmodum crudelitatis præludium; nec renuisset improbus amasius facere conuiuium theatrum immanitatis, spectaculum mortis, Ioannis carnificinam, si vel minimo nutu id Herodias expostulasset; esset voluptas maior fœminæ in Ioannem furentis, & debacchantis, pauimentum respersum floribus, immadescens vino, natitans cernere iusti viri cruore, corpus volutans sanguine, caput è trunco exiliens, palpitantem linguam, coram se trementem. Non ausa est tantas tragœdias excitare, nec permisit Ioannem in cœnaculo comparere: *Ne præsens visus omnes suo aspectu mutaret.* Si eminus spectantes ferit virtutis suæ iaculo, & aspectu tanquam missilibus amoris inflammat, quid non faciet cominus visus? Conuiuatores omnes immutabit, ad sobrietatem traducet, ille vultus mirabilis sanctimoniam, & pietatem spirans, Regium pectus ad misericordiam inflectet, ad reuocandam capitis sententiam coget, me ipsam, si iniecerit in me oculos seueritate, & tacita obiurgatione plenos torquebit animum, extorquebit lacrymas, aspectu, habitu squalido, flamina puritatis spirantibus, afflabit castitatis cupidinem. Cernis quam formidolosa sit regalis potestas, virtute destituta, quæ cum vno viro iusto congredi non audet, immò parata est ex eius aspectu arma subiicere, se deuictam clamare? Cernis quàm prævalidus sit virtutis habitus, iusti viri aspectus ad conuersionem animorum; fœmina, quæ loquentem sustinuit Ioannem, præsentiam vultus eius pertimescit.

Cur Ioannes non adducitur ad conuiuium iugulandus.

D. Chrys.

Ne aspectu suo omnes conuiuas mutaret.

Verebatur Herodias, ne Ioannis pœnitentiæ squalore, & splendore virtutis, omnes spectatores ad virtutem traduceret.

5. Celebrat Chrysostomus diuinis eloquijs Martyris sanctissimi Babylæ Episcopi Antiocheni virtutes, & in virtute constantiam, & collaudat Dei prouidentiam in illius corporis translatione, quod iussu Imperatoris deferretur capsula ad suburbium, quod Daphnes vocatur; est autem Daphnes locus amænus & opacus, constipatus, arboribus consitus præsertim lauris, in quo fama est Daphnem Penei fluuij filiam vim Apollinis effugientem, implorato paterno numine, & nomine conuersam in laurum: iuuenes ergo Antiocheni fabulam celebrantes multis illum locum comessatio

D. Chrys.

Antiochenus locus qui dicitur Daphnes.

comessationibus, & ebrietatibus, & impudicitiis contaminarunt; ad tollendam ergo impietatem, & quotidie mala maiora gliscentia, sapientissimus Imperator hoc remedium adinuenit, transferendi in illum locum Babylæ corpus, vt dæmonis potentiam antiquaret, superstitionem aboleret, iuuenum luxum emendaret; qua spe non est falsus: nam (vt ait Chrysostomus tomo 5. libro contra Gentiles,) *Ubi quis Daphne appropinquat, viso statim Martyris monumento, vel ab ipso subur bij vestibulo compescitur, atque emendatur, more adulescentis alicuius in conuiuio accumbentis, ac pædagogum astantem contuentis, eumdémque vultus significatione iubentem, vt decenti ordine seruato bibat, edat, loquatur, rideat.* Sanctissimus præsul Antiochenus, & Martyr Babylas nullos proferebat sermones ad vitæ institutionem; tacitus, & silens requiescebat in tumulo mortis, corporis sui præsentia, & Martyrij constantia iuuenum lasciuientium animos ab improbis affectionibus coercebat, continens eos in virtutis proposito. Inter montium iuga, nemorúmque syluas omni tuba clarius resonabat eius vitæ exemplum admonitorio munere perfunctum, vt inhiberet crimina viuens, & pro Christi amore occumbens Martyrij lauro coronatus; dum fabulosam narratiunculam de hominum mentibus aboleuit Daphnæ in laurum conuersæ, & dæmonis superstitiones expiauit, eius vertex cingitur laureo coronamine. De aridis ossibus, & cranio progredi non cessat sermo exhortatorius, post mortem vox viuit, aduersus improbos censoria potestate clamat de tumulo. Hos igitur omnes sacros præcones moribus clamantes æquo iure vocares *prudentes eloquij mystici*, quos, & similes alios ablaturus Deus à Ierosolyma ominatur dicens: *Et prudentem eloquij mystici.*

Ad tollendā impietatem, ex eo loco corpus Babylæ martyris tumulatur.

Mores precacium iuuenū componebantur ad conspectum monumēti martyris.

Babylas mortuus, & silēs prædicabat, vitiáque coarguebat.

Versicvlvs IV.

Et dabo pueros principes eorum, & effæminati dominabuntur eis.

COMMENTARIVS.

1\. Svstvlit Deus seniores, presbyteros, Prophetas, & consiliarios, & prudentes mystici eloquij, & arcanæ sapientiæ; nunc loco eorum principes substituit adolescentulos, aut iuuenculos, non ætate, sed moribus, nec enim traducit Vates ætatulam exiguam, quæ nullis obnoxia est criminibus, & innocentia, & simplicitate fulget, sed mores & senes improbos, & leues; nihil cùm consilio, & prudentiæ maturitate operantes, tanquam pueriles ludos res serias Reipublicæ agentes, ostendentesque in prouecta ætate adolescentiæ flores, & viridem iuuentam in cano capite?

Pueri, non ætate, sed moribus.

2\. *Effæminati* Hebraicum חעלולים *Haalulim*, à themate עלול significat illudere illusione præposteræ libidinis. Tales illusores, vel abutentes erant Gabaonitæ Iudicum cap. 19. qui virum Leuitum in domo senis hospitio receptum ad hoc infame ludibrium impudenter postulabant, ibi vers. 22. *Educ virum: qui ingressus est domum tuam, vt abutamur eo.* Et v. 25. *Eduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendum, qua cum tota nocte abusi essent dimiserunt eam mane.* Quare posses transferre hunc locum: *Abolentes dominabuntur eis.* Lxx. & Theodotion ritè legunt: *illusores.* Est enim hoc scelus probrum hominibus infame, est ignominosum ludibrium. Aquila legit: ἐναλλακτάς, *Qui se mutent, & turpitudinis exerceant vices.* Vt expendit Hieronymus: genuinus sensus vatis est: imperitabunt eis effæminati, principes nimirum gentium, & præsertim Romanorum, qui tunc temporis erant hoc vitio abutendi adolescentibus formosis ad turpem patientiam, famosi. Iulij Cæsaris pudicitiam prostratam apud Nicomedis Regis contubernium graui, & perenni opprobrio, & ad omnium conuicia exposito, testis est Suetonius in eius vita capite 49. Octauij Augusti prima iuuenta variorum dedecorum infamiam subiit; Eum Sextus Pompeius vt effæminatum insectatus est, ait Suetonius in vita cap. 68. Tiberius Cæsar excogitauit sedem arcanarum libidinum, & accitis vndique exoletorum gregibus, monstrosique concubitus repertoribus, quos spintrias appellabat, eos præmio donauit; in syluis quoque ac nemoribus venerea spelæa commentus est, prostrantesque per antra, cauasque rupes, ex vtriusque sexus pube exposuit, Paniscorum, & Nympharum habitu ornatus. Idem in Tiberio cap. 43. Neronis pudicitiam passim prostratam, Doryphiro liberto nupsisse, inditum Imperatori flammeum nuptiale, perfractas, & fœmineas euiratorum voces imitatum, ex eodem auctore compertum est cap. 29. Hos, aliósque eiusdem farinæ, non homines nuncupabis, sed libidinis portenta, humanæ naturæ monstra, humani decoris opprobrium, quorum habitus, cultus, superstitio, improbitas, multis testificata est auctoritatibus diuinæ, & humanæ litteraturæ.

Lect. Heb. Qui sint effæminati, & illusores? Iudic.

Lxx. *Ignominiæ & turpitudinis ludibrium apud gentes inualuit.* Aquil. D. Hieron.

Imperatores Romani effæminati recensentur.

Sueton.

3\. Rogabis quinam principes effæminati sint, qui dominaturi erant populo Iudaico? Rupertus lib. 1. in Isaiam cap 12. existimat fuisse scribas, & Pharisæos: *Qui exactores ipsi & mulieres. Exactores propter rapacitatem, mulieres propter passiuam, & Sodomiticam libidinem.* Nec mirum sceleribus repletos deditos esse voluptatibus, & veneri vsque ad turpem morbum. S. Epiphanius lib. 1. tom. 1. contra hæreses cap. 16. fœmineis cycladibus indutos ait Pharisæos *In prædicto verò scribarum habitu, progrediebantur per amicula, & alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepidis, & calceamentorum ligulis procedentes.* Vt muliebris habitus eos effæminatos ostenderet. Nec dissentit Hieronymus, qui ad caput 3. Ioëlis: *Et posuerunt puerum in prostibulo,* ait hoc dedecore Sodomitico, tempore Titi Iudæos fuisse inquinatos:

Quæ vniuersa Iudæi, Vespasiani, Titique temporibus, & maximè Hadriani impleta esse, commemorant.

Vt præposteræ libidinis arguant Iudæos.

* * *

Rupert. *Effæminati scribæ, & Pharisæi propter passiuam libidinem.*

D. Epiph.

Pharisæi fœmineis indumentis ornati.

D. Hieron. *Sodomitico scelere affecti Iudæi tempore Titi.*

Quæ numina ab effæminatis venerata? Eorum cultus execrabilis, & crudelis.

In Cybelis, & Atys honorē, sese castrabant, & consecrabant effæminati.

4. CYbelem Deorum matrem venerabantur effæminati, in cuius cultum, & Atys honorem sese castrabant, genitalia abscindentes, ideóque effæminati, seu mulieres nuncupabantur. Hanc immanem superstitionem, quæ apud gentes inoleuit sectatus est populus Israël, vt testatur Oseas cap. 4. vers. 14. *Et cum effæminatis sacrificabant.* Hebraicum קדשות *Cedesoth*, fœminini generis à radice קדש *Cadas*, sanctificare, consecrare, initiari, aliquando in sacra litteratura sumitur per antiphrasim pro effœminato, prophano, immundo, & execrabili. Deuteron. cap. 23. lib. 3. Reg. cap. 14. & lib. 3. Reg. cap. 5. generis masculini קדשים *Cedesim*, transfertur à vulgato: *Effæminati*: LXX. vim Hebraici verbi rimantes legunt: τετελεσμένοι, initiatos, consecratos, rem sacram celebrantes: *Vt cultores idolorum ostenderet*, ait Hieronymus. Aquila legit: ἐνηλλαγμένοι, verbum eiusdem significationis cum eo, quod supra posuit in cap. 3. Isaiæ: ἐνάλλακτας, *Qui se mutant, & turpitudinis aduersa exercent vices.* Hieronymus legit: *mutatos. Quod suam naturam mutauerint, & de viris facti sint fœminæ.* Symmachus ἑταίρας meretrices, id est, Sacerdotes Priapo mancipatos, quos effæminatos abstulit de terra Israël Rex Asa. lib. 3. Reg. cap. 15. *Et Maacham matrem suam amouit ne esset princeps in sacris Priapi, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron.* In præsenti Cedesim, ait Hieronymus, & in capite tertio Isaiæ Thaalutim, denotare *Viros exectos libidine*, quos vocat effæminatos, qui autem sint & dicantur effæminati expendit eruditè Hieronymus, ibidem scribens: *Hi sunt quos hodie Roma, matri non Deorum, sed dæmoniorum seruientes, gallos vocant: eo quod de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Atys (quem eunuchum Dea meretrix fecerat,) Sacerdotes illius manciparint. Propterea autem Gallorum gentis homines effæminantur: vt qui vrbem Romanam ceperant, hac feriantur ignominia.* Nec dissentit Sanctus Cyrillus Alexandrinus expendens vim verbi LXX. *Et cum initiatis.* Ait enim: *initiatos porrò vocat hieromystas Beelphegor, qui non sustinerent esse quod erant: sed potius in animos muliebres immigrarent verbis, & moribus nefariè emolliti: quos nonnulli effæminatos, & molles appellant, qui cum fœmineis vlulatibus, & cymbalis circum cursantes faces sacra docere simulabant, pudenda Beelphegor ludicra obeuntes.* Hanc superstitiosam vanitatem, & turpitudinem obiurgat Arnobius libr. 5. contra Gentes: *Paulò antè in dumis inertissimum nutans lignum, mox in aliquod præsens, atque augustissimum numen, Deum matris constituatur in sedibus. Quis est enim credat honestatis aliquid in ea re esse quam inhiant, vel initient viles Galli, effæminati conficiant exoleti?*

Oseas. Lect. Hebr. Lib. Reg. Lect. LXX. Lect. Hebr. Quid verbū effæminati, praferat expenditur. D. Hieron. Aqui. Naturā mutant de viris facti fœmina. Lib. Reg. D. Hieron. D. Cyr. Al. Lect. LXX. Beelphegor initiati simulacro turpissimo. Arnob.


***

Et dabo pueros principes eorum.

DISCVRSVS I.

Puer est senex, cùm albescenti, & cano capite, animus viridi, & florida morum iuuenta repuerascit, & adolescentiæ vitiis iuuenescit.

Senes vitiis iuuenescētes obiurgat Vates.



1. NEc senectam, nec iuuentam diuinus Vates multat opprobrio, sed traducit vitam annorum senio incanam iuuentutis affectibus reuirescentem, in senilibus artubus senio confectis, ad perpetranda crimina adolescentem vigorem; itaque ætate prouectos, annis graues, moribus verò leues non solet Scriptura diuinitus inspirata nuncupare senes, nec eos ornat seniorum insignibus, quin potius puerulos nuncupat, quia ad primitiuam iuuenculorum ætatem affectibus turpitudinis, & vanitatis remigrarunt. Ætate grandæuos, dynastas, & principes appellitat Isaias pueros: *Dabo pueros principes.* Vel iuxta lectionem LXX. *iuuenes, adolescentulos, iuuenculos.* Egregius affectuum pensiculator Vates abiectæ nomenclationis conuitio lædit primarios viros. Præclarè Magnus Basilius hoc in loco inquit: *Non is qui per ætatem est iuuenis sugillatur: sed qui moribus præfert adolescentiam. Non enim per defectū ætatis vllus venit culpandus: sed qui vitiosè viuit, cuiusmodi erat Roboam, de quo scriptum est. (3. Reg c. 12) & Roboam erat νεώτερος, iunior, & corde pauido: quare & Ecclesiastes: væ tibi ciuitas cuius Rex iunior, & principes tui manè comedunt. Non enim, quia ætate iuuenis, sed quia secundum animā est imperfectus, nec moribus integer, hoc etiam loco dicitur νεώτερος, iunior.* Ætatū, & annorum tempus admetitur diuinus calamus, non iuxta tempus natiuitatis, sed iuxta normā æquitatis; non iuxta rotationes orbium, sed iuxta benè ordinatas choreas virtutū, & circuitus morū. Canum caput sæpè destituitur albentis, & splendentis senij decore, cùm in exercitiis animus viridem iuuentam ostendit. Vocabis meritò monstrosum naturæ figmentum non ex humano capite, & equino corpore cōpactum, sed ex senecta, & iuuenta, animo iuuenili, puerilique, corpore verò senili: in eodē pectore pueritia, & senectus coeunt. Hoc portentū cernere est in dæmone, qui cū sit inueteratus dierum, & malorū, adhuc de malitia iuuenescit. In quo sensu S. Augustinus locum Ecclesiastæ à Basilio citatum illustrat, duas ciuitates constituit, duosque conditores Diabolum, & Christum lib. 17. de Ciu. Dei c. 20 *Væ tibi terra cuius Rex adolescens. Adolescentem dixit Diabolum, propter stultitiam, & superbiam & temeritatem, & petulantiam, cæteraque vitia, quæ huic ætati assolent abundare.* Babylonicæ vrbis, sæculi, & peccatorum, structor dæmon est, quem singulari argutia Salomon, iuxta Aurelij mentem, appellitat adolescentem, vel iuxta Vulgatum, vocat puerum: *Væ tibi terra cuius Rex puer est.* Res prorsus admiratione digna! Diabolus nequitia obduruit, tot millibus annorum inueterauit concreatus cœlo, & mundo, & hunc recentem ætate, tempore nouitium, &

Lect. LXX. D. Basil. Roboam non ætate, sed affectibus improbis iunior. Monstrum ex senecta, & iuuenta compactum senex malus. Diabolus inueteratus dierum, & malitia iuuenis. D. Basil. D. August. Væ terræ, cuius Rex puer est.

& puerulum nuncupat Salomon? Vtique, nequitia namque in dies iuuenescit, viridemque affectum ad improbitates fouet, puerilibúsque vitiosæ conuersationis ludis, quibus homines detinentur, arridet.

2. Natus est Abrahæ ex ancilla Ægyptiaca Agar filius Ismael, postea labentibus annis, fœcundante Deo Saræ vuluam sterilem, ortus est Isaac; natorum contubernium, & lusus, origo rixæ, & discordiæ inter matres factus est, ancilla exulare cogitur cum nato, quem, mirum est, Sacram litteram semper nuncupare puerum. Genes. cap. 21. v. 14 *Tradidítque puerum, & dimisit eum.* Et v. 15. *Abiecitque puerum subter vnam arborem,* &c. Philo Iudæus libro, cuius inscriptio est: *Resipuit Noe*, legit in his locis: *puerulum.* Vbi attento animo perscrutanda sacræ litteraturæ solertia, filium grandiorem puerulum, vel puerum nuncupantis. Abulensis, facta annorum computatione ætatis Ismaëlis, asserit adimplesse viginti duos, aut viginti tres annos. Quo ergo iure puer, aut puerulus dicitur? Cui percunctationi occurrit magno acumine Iudæus Philo proxime relatus, his verbis: *Hic certè mos est legislatoris, vt & prouectos ætate appellet iuuenes, & eos qui nondum senuerunt seniores; non respiciens annorum numerum, aut tempus breue, longúmue, sed impotentias animæ, quæ mouetur melius, aut deterius: Ismaëlem penè vigesimum annum.* (iuxta veriorem computationem Abulensis vigesimum secundum, aut vigesimum tertium) *agentem, cum virtutibus perfecto Isaac collatum, nominat puerulum.* Et statim: *Quamuis iuuenis vocatur puerulus, sophista ipse collatus cum sapiente.* Qui à pueritia excesserat, & ad vigesimum tertium annum fuerat prouectus, adolescentiæ insignia habebat promerita, si hoc denominationis decus sacrum eloquium iuxta temporum progressiones computaret; comparato Ismaële cum Isaaco in virtutis palæstra exercitatissimo, qui à teneris vnguiculis viam sectabatur sapientiæ, puer proclamatur Ismaël austerioris, & horridæ indolis, natus insectari filium, in quo erat radicata stirps, & progenies sanctorum, degeneri vilitate abiectus ad improbos mores, non procurata ascensione virtutis, sed fallacibus verbis inanem quamdam sapientiæ speciem ostentans, perturbans domicilium sapientis, artificioso dolo tanquam venator paratus ad capiendum puerilis Isaaci animum, & trahendum ad improbos suos mores, merito nominatur sophista, & puerulus, non meditans seriosa facinora, sed puerilibus ludis intentus.

Genes.

Cur Ismael nuncupatur puerulus.

Phil. Iud.

Abulens.

Iuuenes, aut seniores Sacra litteratura nuncupat, non ex annis, sed ex moribus.

Ismael cum Isaac comparatus, dicitur puer.

3. Noua inuenta ad saginandum corpus epulis, & ingurgitandum mero sugillans Seneca, aduersus conuiuiorum ministros, & pocillatores hæc verba iactat epistola 47. *Alius vini minister in muliebrem modum ornatus, cum ætate luctatur: Effugit pueritia, sed retrahitur, iamque militari habitu glaber districtis pilis, aut penitus euulsis, tota nocte peruigilat: quam inter ebrietatem Domini, ac libidinem diuidit, & in cubiculo vir, & in conuiuio puer est.* Infelix, qui non tam minister Domini, quàm Veneris, & Bacchi est, qui iuxta improborum numinum nutus viuenti hero perplacet ministrans de poculo merum, de corpore nefandum luxum, delicatus, & effœminatus miles dedecorans militarem togam fœminea glabritie. *Effugit pueritia, sed retrahitur.* Cùm lanuginem euellit, aut pilos barbæ picat. Temporaneæ rotæ vertigo, qua vita nostra circumagitur, & transactæ ætatis dispositio irreuocabilis reuocatur. Operosius est hesternum tempus, quod præteriit, & fugit velut vmbra, ad præsentem diem deducere, quàm dilapsum, & præcipitem torrentem ad suam originem retroagere. Isti iam abolitam puerilis ætatis imaginem in vultibus pingunt, vimque facientes naturæ pueritiam retroactam cum virili, & senili ætate componunt, pueri vultu, specie, moribus.

Seneca.

Pocillatores muliebri toga induti, pueri dicuntur, iuuentutem fingentes.

Eorum glabrities, & turpitudo.

Transactam pueritiã retrahere conantur in vultu.

4. Roboam auspicatus est regnum, & pro bonis auspiciis optatæ felicitatis, omnis populus pariter, duce Ieroboam, venit ad Regem, vt regalis pietatis blandimentum in regni exordio experiretur; alleuamentum tributorum expostulat; grauissimo enim iugo oppressus Israël illud ferre non poterat. Ventilata res est apud primores regni, & de seniorum consilio, qui tũ ætate, experientia, & prudentia incanuerant, iuxta optata, & postulata populi, sententia decernitur. At sano sapientũ consilio, quibus erat in votis populis incolumitas, & emolumẽtum, obstitit iuuenum cœtus, & adolescẽtum vecordia, ex quorum iudicio aggrauatum est iugum. lib. 3. Reg. c. 12. v. 8. *Qui dereliquit consilium senũ, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cùm eo, & assistebant illi.* Et vers. 14. *Et locutus est eu secundum consilium iuuenum.* Qui fuerint sodales Roboam, cur iuuenes, & adolescentes dicantur? auebit lector scire; cuius votis faciet satis doctissimus Abulensis q. 4. in cap. 12. lib. 3. Reg. scribens: *In hoc fuit Roboam fatuus, quia requisiuit consilium iuuenum, neglecto consilio seniorum, quia in iuuenibus rara prudentia est. Vocãtur hi iuuenes, non quod essent teneræ ætatis, sed iuuenes in sensu.* Cùm enim essent Roboam contubernales, & coætanei, & Rex in sua inauguratione quadragesimum primum annum impleslet, compertum fit sacrum auctorem annalium Regum Israël, quadragenarios ętate viros, iuuenes nuncupasse. Subiungit Tostatus: *Ergo non erant isti multum iuuenes ætate, sed prudentia: quia aliquis vocatur puer centum annorum, qui solũ habet prudentiam pueris, vel desideria puerilia. Sic patet Isaiæ sexagesimo quinto: maledictus erit puer centum annorum.* Erant pueri moribus, illudentes consilio seniorum, irridentes prudentiã qua præsentem populi subleuabant ærumnam, moderamen tanquam ludicrum, aut puerilem iocum exercentes, luxui vacantes, pecuniis inhiantes, ad personatam huius sæculi felicitatem attoniti, ideò eos Scriptura diuina vocat infantulos, & iuuenes, tametsi fungerentur munere seniorum: verborum leuitas, morum inconstantia, ætate grandæuos, immutauit in pueros.

Consilium senum de alleuiandis tributis, sanum; consiliũ iuuenum exitiale.

Lib. Reg.

Abul.

Roboami fatuitas notatur in despectu consilij seniorum.

Consiliatores non ætate, sed sensu iuuenes, & prudentia.

Abul.

Puer centũ annorum est, qui habet puerilia desideria.

5. Rediuiuus IESVS apparuit Discipulis in littore, vt titubantes adhuc, & incredulos, fidei solida statione firmaret, compellat piscatores suos Magister mirabili verborum blandimẽto, vt alliciat ad prandium: *Dixit ergo eis Iesus, pueri, numquid pulmentarium habetis?* Ioannis c. 21. v. 5. Si verbo compellantis voluit Ioannes Magistri erga alumnos propalare clementiam, amicorum, aut filiorũ voce demulceret aures, excitaret affectum? Cur pueros appellitat ætate prouectos, barbatos viros, iam penè incanescẽtes, quorũ quidam nuptiale subierat iugum? Sic deiicit Apostolicum apicem, culmina honoris, mundi

Iesus redinimus barbatos viros Apostolos, pueros vocat.

D. Ioan.

Digitized by Google

mundi decus, Principes Ecclesiæ ab Imperatore cœlesti constitutos super vniuersam terram, eos pueros nuncupando? Argutè occurrit S. Petrus Chrysologus sermone 78. *Quia eos fidei virtute repererat destitutos, & à virili robore inuenerat perdeiectos, arguit tales pueros nuncupando, cùm dicit: pueri numquid pulmentarium habetis? Ibi enim erat Petrus, qui negauerat, Thomas, qui dubitauerat, Ioannes, qui fugerat: non ergo vt fortissimos milites, sed pueros compellat vt timidos.* Qui in certamine passionis, reiecta animositate, timidi, imbecilles, inconstantes extiterant, non fortes commilitones, non amici fideles tempore aduersitatis Magistrum deserentes, sed pueri compellandi sunt. *Pueri numquid pulmentarium habetis?*

D. Chrys. *Fortitudinis & fidei robore destitutos pueros appellitat.*

6. Lex de duabus vxoribus viri dilecta, & odiosa à sacro legislatore sancitur hoc verborum tenore: *Si habuerit homo vxores duas vnam dilectam & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos diuidere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia. Iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.* Deuteronomij c. 21. v. 15. In primis diuinæ legis interpres, ipséque legum lator amator est concordiæ, vt exosam fœminam viro reddat placabilem, & erga infensam conciliet amorem, eius natum honorat dono hæreditatis, vt primatus decore defectum amoris compenset; etenim primogenitura primitiua & principalior substantia à Patre donanda filio illex erit, & pellex, quæ pertrahat patrem ad amorem matris, quæ primogenitum enixa est, vt iam non sit infensa, non odiosa, licet minus dilecta; præferatur alia charitatis exhibitione, quæ est opibus præstantior, præcellat ista vberiori largitate. Sublimior mens occurrit Philoni Hebræo ex lectione LXX. legentium. *Et pepererit ei dilecta, & odiosa.* Vbi prior ordine & tempore assignari videtur dilectæ vxoris partus. Antecedit tempore, & iure hæreditario filius qui prior nascitur, at dilectæ filius prior exoritur, nam dilecta prior parturit iuxta lectionem LXX. *Et peperit ei dilecta, & odiosa:* Hoc annotat Philonis Hebræi argutia lib. de his verbis: *Resipuit Noe*, dicens: *Obseruasti iam quod dilecta filium nunquam seniorem vocat, aut primogenitum, odiosa verò filium sæpius; atqui prior ille natus, odiosæ verò filius posterior apparet in edicti principio: si pepererint*, inquit, *dilecta odiosaque: attamen prioris partus quamquam antiquior, à rectè iudicante iunior decernitur: posterioris verò filius, quamuis prærogatiua temporis careat; maiore, antiquioreque portione dignus habetur. Quamobrem:* Pulchrè respondet, quòd mulier dilecta voluptatem, exosa prudentiam denotat, quarum fœtus, & partus parentum mores regerunt, voluptas enim parit studium delectationis; prudentia verò virtutis amorem. *Voluptatis studium*, (inquit Philo,) *partus imperfectus est, & nunquam non puer modis omnibus, etiamsi ad annosam ætatem perueniat. E diuerso virtutis amor ab incunabulis (iuxta prouerbium) in prudentia Senatum allegitur; nunquam sensurus senium.* Sicut enim puer tetricos, verendósque mores pedagogi auersatur, & ludis ætati conuenientibus delectatur. Sic improbus vsque ad vltimam senectam odio habet virtutem, voluptatem amplexatur. Exosæ itaque vxoris filius, nempe virtutis propositum, tempore posterius, dignitate prius, ius primatus & hæreditatis vsurpat veri iudicis, qui falli nequit, calculo: Partus verò dilectæ semper intentus huius vitæ vanis oblectamentis, semper iunior, semper puer est, puerascit enim moribus, licèt præcedat ætate.

Sanctio sacra de filiis duarum vxorum dilectæ, & odiosæ.

Primogenitura defertur filio odiosæ, si prior natus est. Deuteron.

Lex diuina concordiam amat.

Phil. Iud. Lect. LXX.

Filium dilectæ primo natum iuxta LXX non vocat seniorem.

Antiquior decernitur iunior.

Voluptatis partus imperfectus, & puer semper est.

Virtus expers senij, licet senior sit.

Virtutis filius ius primatus & hæreditatis vsurpat.

7. Itaque Dominus qui examinator est cordium, pueros nuncupat senes, & eos qui sunt minoris ætatis ratione virrutis nominat seniores. Cùm hospitaretur Abraham Angelicos ciues in terrestri tabernaculo, pollicitationem accepit natiuitatis Isaac verbo Domini firmatam, cuius potestate exarescens vetulæ Saræ vulua genitali calore reuiruit, vt benedictionis fructum proferret; auscultauit Sara effatum, & promissum Angelicum, & non tam incredula oraculo, quam diffidens de ætatis senio, *Quæ risit occultè, dicens: postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo.* Genesis capite 18. vers. 12. Non irascitur Sara cum ab hospitibus anus proclamatur, filia enim erat ingenuorum, fatetur se esse prouectioris ætatis, intempestiuam voluptati, aptiorem exercitamento virtutum: non pungitur, non exacerbatur de manifestatione vetustatis, sed canitie honoratur, quæ proximior esse solet beatæ vitæ, in qua inuenit animus, sedatis passionum turbinibus, tranquillum, placidúmque portum. Quid? Se, suumque consortem non solum senes, sed seniores vocat iuxta LXX. interpretum versionem: *Abram autem & Sara, seniores.* Comparat vtrumque iugalem S. Basilius in hoc Isaiæ capite tertio, cum ætate primoribus viris, qui annorum numero antecelluerunt vniuerso hominum generi, Adamo, Mathusalemo, Noë. Et scribit hæc: *In superioribus si quidem generationibus plerique alij longè eo diuturniores in viuis conuersati sunt: vixit enim Adam nongentis triginta annis, & vixit Mathusalem nongentis, & septuaginta annis, & mortuus est, & vixit Noë nongentis annis, quo vno deinceps nemo senior vixit. Sed & Abraham testimonio Saræ dictus est πρεσβύτερος senior. Equidem ita contigit in hanc vsque ætatem: Dominus autem meus senior. Planè senior erat, quod eius anima incanuisset virtute.* Nonaginta nouem annorum erat Abraham cum sacri seminis promissio facta est à diuino oraculo. Genesis c. 17. vers. 24. Et præ maioris ætatis viris qui nouem seculorum lustra vel expleuerant, vel transilierant senior prædicatur Abraham, qui ad vnius centenarij metam necdum peruenerat, quia sacris moribus, & virtutibus incanuerat.

Sara cum ab Angelis vetula dicitur, nō irritatur. Genes.

Lect. LXX. *Abrahā cæteris patribus vocatur senior, qui diuturniores in sæculo vixerunt.* D. Basil.

Abrahæ anima, virtute incanuerat.

8. Assumit iussu Domini Moyses regiminis socios, inter quorum humeros diuidat gubernationis œconomicæ pondus; delectus verò fit ex iis, qui ornati erant senectutis decore. Numerorum cap. 11. vers. 16. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri.* Vbi Oleaster in annotatione ad mores ait: *Sunt senes qui canis, & rugis præ se senes ferunt, sed facta iuuenum, & quod deterius est puerorum aliquando habent: Non istos eligere præcipit, sed qui verè senes sint.* In eandem mentem inciderat Philo Hebræus libro: *Resipuit Noe*, dicens: ergo

Numer. Oleast. *Septuaginta senes eliguntur à Domino, qui senectam præferant, non tā rugis, & canis, quā moribus.* Phil. Iud.

Digitized by Google

Senes virtutibus approbantur, vitijs pueri reprobantur.

ergo non eos, quos vulgus senes existimat, quippe curandis sacris præpositos, sed quos solus hic sapiens nouit, seniorum appellatione dignatur, quos enim hic reprobauerit tanquam bonus mensarius falsam virtutis monetam habentes, iuuenili, temerarioque sunt omnes animo, quos autem commendare voluerit probati, & iuxta prudentiam seniores censendi sunt. Et propositum thema confirmat eodem libro ex loco cantici Moysi Deuteronomij 33. inquiens: *In cantico etiam maiore populum vniuersum ad res nouas proclinantem, insipientis, & infantis ætatis nomine pueros vocat. Iustus, inquit, & sanctus Dominus peccauerunt ei pueri eius reprehensibiles.* Et statim: *Non puerilem ætatem corporis aspiciens, sed ad mentis infantiam expertem rationis, ac veritatis.* Iuxta sententiam Domini, qui in rerum dispositione, & iudicum electione non fallitur, non ex corporis habitu, sed ex mentis affectu, aut iuniores & pueros nuncupat, aut seniores.

Deuteron.

Senectus ætatis, infantia mentis redarguitur.

9. Denique vitiosa puerilitas exosa est Deo, & ad perfectionem tendenti omnino aduersaria. Fugit Elias Iezabel minas lib 3. Reg. cap. 19. vers. 3. *Venitque in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum, & perrexit in desertum viam vnius diei.* Quæ verba illustrat anagogica contemplatione Odo de Morim in allegoriis apud Ottamarum Luscinium, ait enim puteum Bersabee esse plenitudinem legis, & charitatem, & subiungit: *Huc veniendum est, quia amulanda est charitas, & sectanda, sed puer dimittendus, quia à dilectione procul puerilitas est arcenda. Dimisso verò puero, secure iam pergitur in solitudinem. Puer enim squalorem eremi, laborem itineris tolerare nequiret: ardorem sitis, famis inopiam ferre recusaret. Quanti cum puero pergunt in solitudinem, & eius impedimento deficientes in via, non perueniunt ad montem Dei Horeb.* Hæc ille. Pueriles mores dedecus adiiciunt sublimioribus viris, in via quoque perfectæ æmulationis diuinæ dilectionis gradientibus solent esse obstaculo, ne decertatores in virtutis stadio prehendant sanctimoniæ apicem, aut supernæ vocationis brauium.

Lib. Reg

Odo. Ottoma. Luscin.

Bersabee puteus charitatem denotat.

Vt eam obtineas puerilitas dimittenda.

Puerilitas nimirumnō est aptus laboribus virtutum.



Dabo pueros principes eorum.

DISCVRSVS II.

Felix imperium, cui diuina sorte obtigit virtute senior vir, prudentia præditus, quâ iuueniles principis mores temperat, & dirigit; assidensque gubernaculis, rerum publicarum motus prouida circumspectione moderatur.

1.  DEFECTVS ætatis principis aut morum errores supplet, & emendat prudentia propria, vel aliena, quæ principalis est virtus sublimioribus potestatibus data ad regimen populi; in eius commendationem Salomon librum parabolarum composuit, in cuius exordio ad prudentiæ participationē hortatur c. 1. v. 4. *Vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia, & intellectus.* Non loquitur de vafritie, malitia, & dolo, sed de vera prudentia de qua prædixerat, v. 3 *Ad intelligenda verba prudentiæ.* De qua S. Basilius in Catena Græcorum Patrum ait: *Ille verè prudens censendus est, qui virtutum studiis semper intentus est, neque ab ea contentione vnquam destitit, aut inde in malitiam abduci se finit. Quin vera quoque prudentia rationes edoctus, inter humanas actiones falsas à veris, vtiles rursum & licitas ab inutilibus, & noxiis facilè discernit.* Proposita tamen est virtus prudentiæ adolescentibus, & paruulis, vt auidè eam capiant, & glorioso insigni coronentur. *Vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia.* Seu iuxta lectionem Græcæ catenæ: *Puero autem rudi sensum, & intelligentiam.* Vbi Appollinarius ait: *Indoctos inquit, mentemque incautam, & inexercitatam adhuc habentes, prudentes efficit.* Nec in hoc sermone ad suum cœtum allicit sacer Ecclesiastes ætate paruulos, aut adolescentulos, quorum ingenium immaturum sapientiæ, intempestiuum fructibus prudentiæ; sed principes sapientia, & virtute paruulos conuocat, eosque disciplinis sacræ prudentiæ imbuit.

Prudentia valde necessaria Principibus.

Prou.

D. Basil. Cat. Græc.

Virtutis studiosus prudēs dicitur

Prudentia inter verum, & falsum, vtile, & noxium discernit.

2. In medio horti Edem eructabat tellus paradisiacum fontem diuisum in quatuor scaturigines & tramites; primum fluentum appellabatur Phison, quod describit Moyses. Gen. c. 2. v. 11. *Nomen vni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Heuilat, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.* Phison prudentiam denotat, quæ primas tenet inter virtutes cardinales, vel Ambrosio teste libro de paradiso c. 3. scribente: *Phison igitur prudentia est, & ideò habet aurum optimum, splendidum carbunculum, & prasium lapidem. Aurum enim pro inuentis prudentibus frequenter accipimus.* Et statim expendit quantæ sint prudentiæ diuitiæ: *Non enim angusta quadam, sed diues vtilitatum prudentia est, quæ pluribus prosit. Ideò prima. Vt si quis de paradiso fuerit egressus, velut quoddam eum prudentiæ flumen excipiat, ne citò possit arescere, sed per hanc ad paradisum facilè reuertatur.* Non est orba pietate, nec aliena clementiæ virtus prudentiæ, pectus in quo commoratur commouet ad subueniendum periclitanti, sine dispendio sui in alieno periculo imò cum proximorum lucro; si quis enim exul paradisiacæ mansionis, patriæque cœlestis, à via vitæ vitiorum impulsu exorbitat, demonstrat prudentia semitam, & manuducit ad quietis contubernium, ne tanquam orbatus luminibus oculorum incidat in nequitiæ voraginem. Nec cùm audis Phisonem fluuium circuire omnem terram feracem auri, & argenti, fœcundamque partubus pretiosorum lapidum, auaram existimes prudentiam, exambientem affluentiam copiarum, ad aurum inhiantem; non enim cadit in sapientem auaritia, nec eius pectus diuitiarum sordes commaculant: scit enim auri ramenta puluisculosque abire in pulueres indicosque lapides, licet oblectent oculos, & impinguent affectum, de terra esse terrenos, nec satietatem, nec sanitatem, nec aliquod emolumentum afferre animo. Ideo prudentia animarum pretiosis margaritis, peccatorum vitæ mutatione insignii carbunculatis gemmis, ripas sui fluminis exornat. Illud quoque commendatione dignissimum in prudentia est, adeo esse frugiferam opulentiæ

Genes.

Phison fluuius paradisi prudentiam denotat.

D. Ambr.

Phison auro ornatur, id est inuentis prudentibus.

Prudentia emolumentis abundat.

Ad paradisū dirigit.

Prudentia non infuscatur auaritiæ sordibus.

Digitized by Google

Vbi prudentia, ibi diuitiæ abundant.

opulentiæ, vt regiones, & Reges, quibus assidet, quorumque pectora laticibus suis rigat, temporaneis quoque diuitet opibus; vbi prudentia, ibi diuitiæ, & gloria est. Sed quia duo genera ignitorum lapidum sacer textus expressit iuxta vulgatum: *Bdellium, & lapidem onychinum.* iuxta L x x. *Carbunculum, & lapidem prasium.* mente voluenda est contemplatio subtilis Hebræi Philonis libro. 1. legis allegoriarum aientis: *Ibi est carbunculus, & lapis prasinus. Differunt hi duo prudens, & prudenter agens. Alter ornatus prudentia, alter exercens eam. Ob hac enim duo prudentia terrigena homini a Deo est insita, vt sapiat, & bonus sit. Quæ enim est eius vtilitas, nisi à ratione recipiatur, & ei formas imprimat? Itaque rectè virtus iungitur prudentia, & prudens cum exercente prudentiam, duo pretiosi lapides.* Carbunculum, & prasinum, quos in margine suo creat Phison, duas prudentiæ partes esse existimat Philo speculatiuam, siue theoricam,& practicam; otiosa est virtus, quæ ad sui exercitamentum possidentem non reducit; ideò illa duo scire quid opportunè facias, & operis executio, tanquam duo lapides pretiosi, duóque lumina animam condecorant. In vno emicat directionis iubar, in altero exemplificata in operatione directio. Huic commentationi alteram protheoriam annectit Philo valdè præclaram, ait etenim in secundo ordine rationalis Aaron eminere prædictos lapides carbunculum, & prasinum, & respondere duabus tribubus Iudæ & Isachar, sic enim subiungit: *Ordo secundus carbunculus sapphirusque, sapphirus autem est lapis prasinus carbunculo Iudas insculpitur, quia quartus sapphiro Isachar.* Et concordat cum Vulgato Exodi c. 28. vers. 18. *In secundo carbunculus sapphirus.* Prædixeratque Philo eodem libro 1. legis allegoriarum: *Et fortè hi sunt Iudas atque Isachar. Alter enim diuinæ prudentia cultorem se confitetur, gratias agens ei, à quo bonum hoc accepit largiter. Alter exercet se in virtute honestisque actionibus.* De quo scriptum est. *Supposuit humerum suum ad laborandum.* Genes. cap. 49. his adiunge, opportunè accidisse prudentiam regali Iudæ tribui, cuius progenies purpuratum ordinem Regum, fasces Magistratuum sublimes, Ierosolymitanæ curiæ regale decus protulit, habeat familia Imperatoriæ trabeæ prærogatiua sublimis, in magnalibus suis stemma prudentiæ, quæ Reges ornat, & regna felicitat,& carbunculo speculationis prouidæque prospicientiæ adiungat lapidis prasini praxim: *Exercens se in virtute, honestisque actionibus.*

Lect. Lxx.

Phil. Iud.

Prudens, & prudenter agens qui sint

Prudentia in exercitio virtutis sita est.

Scire quid facias, & opportune exequi, due prudentiæ lumina, & pretiosi lapides.

Phil. Iud.

Carbunculus & prasinus respondent Iudæ, & Isachar tribubus.

Exod.

Phil. Iud.

Iudas diuinæ prudentiæ cultor.

Isachar gaudet virtutis exercitio.

Genes.

A Iuda purpuratus ordo regû prodiit quorum stemma prudentia est.

3. Perturbatus Pharao nocturnis visionibus earúmque portentis, virum consiliosissimum Ioseph elegit, qui aduersus rabidam famem sapientia sua militaret. Mirabilique prudentia populi famelici leuaret ærumnas: Preteriere septem anni vbertatis, aduenit tempus inopiæ, nubifera pluuia denegata, exaruit gleba fœcundior, annuis prouentibus viduata, Genes. cap. 41. vers. 55. *Clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens, quibus ille respondit: ite ad Ioseph, & quidquid vobis dixerit, facite.* Ablegat eos ad Ioseph, vt iactati famis tempestatibus inuenirent portum salutis, paupeỳésque famelici subsidium,& horrea saturitatis. Securè fidit Rex Iosephi sapientiæ, & in hoc beatus prędicandus talem virum, prudentięque thesaurum apud domesticos inuenisse, quo se expediret solicitudine distributionis, & subuentionis populi. Ritè Oleaster inquit: *Optimè sibi consulit princeps, cùm distribuere nescit: constituere qui hoc facere sciat, & ei negotia committere, qui facere ea scit. Et hinc disce, qualiter principes labores, & negotia regni in alios reiiciunt, & ipsi quasi statua luxui vacant.* Nec reprehensibilis incuria Pharaonis, qui tanto viro fidit omnia, ipse enim negotiis feriatus in Iosephi dexteritate, & sapientia onus regiminis deposuit. Da alium Iosephum, & patiar reges cum eo partiri imperium. Talis vir fascibus, & moribus amplissimus, humanæ prudentiæ errores & defectus supplet omnes. Fulgeat tamen necesse est vt regnum felicitet, sęcula reddat aurea illo duplici insigni, quod exoptat in prętorore Cassiodorus, & insigniter emicuit in Iosepho: *Qui & mundo prudentissimus, & diuinitati maximè probatur acceptus.* Statimque plausu celebrat Pharaonis astum in Ioseph delectu lib. 5. variarum epistola 3. *Nam cum Pharao Rex Ægyptius de periculo futuræ famis inauditis somniis vrgeretur, nec visionem tantam humanum posset releuare consilium, Ioseph vir beatus inuentus est, qui & futura veraciter prædiceret, & periclitanti populo prudentissimè subueniret. Ipse primum huius dignitatis (prętorianæ,) infulas consecrauit: ipse carpentum reuerendus ascendit: ad hoc gloriæ culmen euectus, vt per sapientiam conferret populis, quod præstare non potuerat potentia dominantis.* Iosephi prudentia communis salus populi, medicamen inedia confectę plebis. Pharao regnum obtinuit, Ioseph sapientia incolume reddidit.

Genes.

Pauperes, & famelici ablegantur ad Ioseph.

Oleast.

Rex distribuere nesciens eligat eum qui distribuere sciat.

Principes in alios reiiciũt curas, & labores, & ipsi quasi statua luxui vacãt.

Cassiod.

Prætor prudentissimus mundo, acceptus Deo.

Iosephi insignia, vera prædicere, & periculis prudenter subuenire.

4. Perpulchram commendationem prudentiæ inueni apud Synesium Episcopum Cyrenes libro de regno, in quo instruit Imperatorem Arcadium: inter alia hæc delibo verba exhortatoria: *Prosperitatis, & felicitatis summum quodammodo culmen attigit, cuius ad voluntatem omnia consequuntur. Eius autem voluntas prudentiam sequitur: Cúmque in externas res dominatum obtineat, contubernali nihilominus tanquam præstantiori imperio cedit, ab eáque rerum agendarum signum, & quasi tesseram expectat. Nec enim ad felicitatem imperium sufficit, neque in potentia est à Deo constituta beatitudo, sed accedat prudentia, vel potius præcedat, oportet, qua quam optimè potestatem exerceat.* Imperatoriæ purpuræ fastigium, & regalis potestatis infula, tanquam quid humano maius, & augustius, vt quoddam numen inter mortales habitans suspicitur, & veneratur; est tamen alia potestas sacratior, & diuinior, cui omnis dominatus subiicitur, nimirum prudentia, cuius imperio sceptra, diademata, fasces, paludamenta subduntur; cuius signo, & disciplina, qui rem gerit, regnum felicitat, ad cuius beatitatem non sat est vis, & robur, nisi accedat firmissimum prudentiæ propugnaculum, quæ in rebus aduersis, arduisque regnum continet ciuili, bellicáque gloria clarum.

Synes.

Prudentia imperij contubernalis.

Ab ea rerum gerendarum signum, & tessera expectanda.

Regum felicitas prudentia, eius acta præcedens, & subsequens.

5. Hanc mentem duplici ęnygmate illustrat idem Synesius de arcanis symmistarum Ægypti mutuato. Primum scribit his verbis: *Ac ego inter ea, quæ à sapientibus Ægyptiis fiunt, Mercurium demiratus sum. Ægyptij duplici Deum specie fingunt, iuuenem iuxta senem* Synes.

collocantes,

Digitized by Google

Ægyptij Mercurij speciem fingunt, iuuenem iuxta senem collocantes. Synes. Sphinx roboris, & prudentiæ symbolum.

collocantes, idipsumque præcipientes: siquis ipsorum præclarè sacra sit inspecturus, eum & sagacem, & fortem esse oportere: quando alterum sine altero parum adiumenti conferre potest.

6. Secundum ænygma. *Eadem ratione in sacrarum ædium vestibulis sphingis effigiem collocant, arcanum vtriusque virtutis coniungendæ symbolum, quæ qua parte bestia est, robur, qua verò parte homo est, prudentiam significat.* Quæ simbola & hieroglyphica solertes librorum sacrorum scrutatores Ægyptij ex sacra litteratura mutuarunt. In templo enim Ierosolymitano ab Ezechiele diuinitus delineato, in cuius lateribus hominis & leonis simulacra efficta cernebantur, cingentibus hinc inde palmis. Ezechielis cap. 41. v. 18. & 19. *Duasque facies habebat Cherub. Faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu.* Locumque expendens scripturarum phænix & conceptuum Hieronymus argutè pensitat, cur Cherub imago quatuor facierum formis non ornatur, Hominis, Leonis, Aquilæ, vituli, sicut in primo capite, sed duabus tantummodo, hominis, & leonis? Et respondet in his duabus formis virtutem, & prudentiam hominis expressisse Vatem; verba sunt Hieronymi: *Cùm autem intrauerimus sancta sanctorum, & interiora templi possederimus, nequaquam alia re indigemus nisi ratione, atque fortitudine, quorum alterum ad sensum atque prudentiam, alterum refertur ad animi perseuerantiam.* Hoc symbolo Ezechiel instruebat Reges, & Sacerdotes, quod hoc concursu virtutum ornarent animum, hosque duos asseclas, & socias imperij, conciliarent, fortitudinem, & prudentiam, secumque possiderent tanquam contubernales; earum vna in facie leonis, altera in facie hominis notabatur, quarum subsidio beari imperium, coronis, & palmis victoriæ ornari, non dubitarent. Hinc forsan Ægyptij sphingis symbolum ex fera, & homine compactum ad valuas suorum delubrorum transtulerunt, vt duas illas potentias fortitudinem, robur, & prudentiam, quibus moderantur imperia, insinuarent; præbebant simul documenta proficua, in simulacro monstri artificiosi, ad animi exercitationem, & virtutis cupidinem, in cauda draconis luxum, in leonis vnguibus rapacitatem, in auium pennis (ex his enim omnibus erat compacta sphingis imago) leuitatem, & animi elationem ratione & prudentia coërceri, improbosque cordis motus huius virtutis regiæ disciplina temperari. Nec Mercurij Hieroglyphicum à Synesio supra relatum, ab hac mente dissonat: Collocabant iuxta iuuenem senem, vt senilis sapientia, & prudentia tanquam pędagogico munere perfuncta iuuentam voluptatum blanditiis effusam, temerario & concitato ausu ad omne nefas ruentem, cælestium animaduersionum lupatis compesceret. Ideo Synesius laudat Ægyptios in Mercurij figura: *iuuenem iuxta senem collocantes.*

Ezech. Cherubim in templo Ezechielis, hominis, & leonis vultū præferunt.

D. Hieron. In templo Domini indiget homo ratione, & fortitudine; prudentia, & perseuerātia.

Fortitudo, & prudentia ornant imperia coronis, & palmis.

Animi elatio prudentia coërcetur.

Senilis sapientia moderamen iuuenta.

7. Cùm Ioseph in Proregem electum, vt Pharaonem dirigat, & rempublicam Ægyptiorum administret, legimus, iuuenem iuxta senem collocatum cernimus. Vt senex instruatur à iuuene, in quo erat virtutis, & prudentiæ mirabilis senium. Iussit Rex in rhedam ascendere Ioseph, sellaque curuli, regia magnificentia ornata circumuehi: *clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent.* Genes. cap. 41. v. 43. Pro: *genuflecterent*, Hebraicè est. אברך abrech, quod vertit Chaldæus: *viuat pater Regis, qui est princeps in sapientia, & tener in annis.* S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis scribit esse dictionem compositam ex *ab*, quod est *pater*, & *rác*, quod est *tenerum*. Eruditè Oleaster eam expendit, dicens: *dictionem Hebraicam abrech aliqui compositam arbitrantur ex ab, quod est pater, & rech, quod est tener, quasi vocarent eum patrem tenerum: & patrem propter sapientiam: tenerum propter iuuentutem: ac si vocarent patrem, seu senem iuuenem, aut sapientem iuuenem. Et infra dicit Ioseph se positum à Deo quasi patrem parhoh.* Erat Iosepho iuuentutis ætas, sed virtus mentis penè immensa. Erat senior moribus, vtpote qui prudentia incanuerat, ideo iuuenis senex, & senex iuuenis, paterque Regis nuncupatur, qui male moratos Pharaonis affectus componeret, conculcatum ius, fasque erigeret, & penè labentem Rempublicam fulciret. Verè pater Regis & patriæ, qui inertia torpentem Regem, ignarum consilij, prouidentia expertem, in discrimine famis iuuit, populis fame laborantibus annonam detulit, tot frumentaria commentus est subsidia.

Iuuenis Ioseph prudentia ornatus, seniorem regem dirigit.

Genes. Lect. heb. Chald.

Pater regis ex sapientia nuncupatur.

Oleast.

Ioseph pater tener, senex iuuenis, totius Ægypti pater.

8. Iacobea lucta extitit decertatori bonorum scaturigo. Magnum est, quod fortis, & victor Iacob aduersus Deum proclamatur; quod non sibi soli, sed fideli prosapiæ prærogatiuam benedictionis vsurpat; quod femur tactu pugilis emarcescit, passionis Dominicæ mysterium præfigurans; quod supplantandus esset Iesus oriundus ex Iacob, à Iudæorum populo; ex certamine, ex triumpho de Domino exercituum reportato gloriosum coronamen promeruit, nominis nimirum immutationem ex Iacob in Israel. Genes. cap. 32. v. 28. *Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Emeritus miles, qui in fide militauerat, lacrymis, & precibus pugnauerat, per amoris violentum robur hanc benedictionis gratiam à Deo charismatum fonte extorsit, quod *Israel* nuncuparetur. Quid mysterij in hac nomenclatura deliteat Philo Iudæus aperit; cùm enim vulgatam & ab aliquibus receptam interpretationem nominis Israel nempe mentis *videntis Deum*, admittat, ait, mentis oculum pulcherrimum, qui cuncta prospicit, & prouidet, esse prudentiam, sic enim fatur libro de Abrahamo: *Nominatur enim Hebraicè Israel, quod interpretatur videns Deum, at visus oculorum inter omnes sensus est præcipuus, quo solo percipimus res pulcherrimas, solem, lunam, cælum, mundum vniuersum; mentis autem excellit inter omnes potentias animæ, visus enim mentis nihil aliud est, quàm prudentia.* Inter alia dona illud non inferioris ordinis ex certamine adeptus Iacob, quod eius animus prudentiæ insignibus ornaretur, & tam præclaram virtutum reginam in actionibus suis haberet peropportunè consiliantem, vt omnes eæ moderarentur diuina prudentia.

* * *

Luctamen Iacob ei extitit omnium bonorum scaturigo.

Israel seu videns Deum insula ornatur. Genes.

Phil. Iud.

Visus inter omnes sensus eminet.

Visus, & oculus mentis, prudentia.

Digitized by Google

Et effæminati dominabuntur eis.

DISCVRSVS III.

Quàm infensum Deo effæminatorum nefandum scelus, quod eius punitionem prouocat, & accelerat, & ad vindicandum flagitium aduersum naturæ, elementa ipsa militare cogit contra naturam.

1. Vàm inuisum, quàm exosum totius puritatis fonti Deo, hoc crimen, dehonestamentum, & dedecus rationalis naturæ, liquet manifestè ex vindicta, in quam Deus olim exarsit, vt illud plecteret seueriori disciplina; transacti piaculi supplicium exemplar, & admonitio est futuri; simili modo delinquentes & exfornicantes æquale opprobrium, parilisque cruciatus insectatur. Iustitiæ diuinæ canonem promulgat Chrysost. tom. 1. in cap. 5. Isaiæ: *Consueuit enim Deus constituere pœnas peccatis debitas in vno quopiam, & altero item, & per illos legem sancire in vniuersum omnibus de his, quæ illos apprehensura sunt suppliciis.* Vt hoc propositum fiat dilucidius, confirmat à simili pœna sodomorum extrema, quando dilapsis violentis fulminibus, terra ipsa cælesti igne deflagrauit vnà cum ciuitatibus, & populis. Quomodo ergo nunc qui simile flagitium perpetrare ausus est, similem non luit pœnam deflagrationis igne sulphureo? Quæstionē proponit, & dissoluit sapienter os aureum: *Qua igitur ratione nihil tale passi sunt? Quia alteri longè atrociori supplicio asseruantur. Ob hoc enim semel inflicta einsmodi pœna destitit Deus, vt qui eadem flagitia perpetrare ausi fuerint, etiamsi hic nullam luant pœnam, nihil tamen obscurè nouerint, se nunquam effugituros.* Differtur non effugitur pœna tantæ improbitatis, voracibus & non consumentibus gehennæ flammis destinantur, qui in hoc flagitij barathrum vltronei submerguntur, nec emergere contendunt pœnitentiæ adiutorio. In primitiuo infandi criminis supplicio signata est pœna proteruis eiusdem sceleris æmulatoribus.

D. Chrysost.

Deus crimen in vno plectens, canonem sancit in simili flagitio puniendorum.

Cur Deus igne non castigat hoc tempore sodomitas. Quia ignis æterni supplicio eos seruat.

2. Irritauit Deum ad funestam animaduersionem plane prodigiosam Sodomorum impudentia, vt terrorem inferorum, quem ostentare protelauerat diuina clementia, & velut in occulto delitescentē retinuerat, in propatulo constitueret. In crepitātibus flammis, & sulphureis clibanis ex æthere cōplutis, iussit Dominus gehennæ theatrum, & imaginem viuam è cælo ostentari. Genes. c. 19. v. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo.* Mirum esset si de terra dehiscente, ex voragine erumperet ignis deuorans, illud mirabilius inferni supplicium de cælo descendisse: *ignem à Domino de cælo.* Huius portenti rationem exhibet Saluian. lib. 1. de Prouidentia fatus: *Cùm enim ad suppliciū malorū gehennam in futurum arsuram manifestum sit, Sodomam, & vicinas eius vrbes cælesti flamma consumpsit, in præsenti autem illud, quod futurum est, Deus voluit declarare iudicium; quando super ipsum populum gehennam misit è cælo.* In sacra litteratura ignem cælitus dilapsum super sacrificia sæpissimè cerno, vt deuorata victima virtute flammarum, in holocaustum acceptabile cælicolis verteretur; Hic tamen Deus obarmat ignem ad vindictam inimicorum pluens super peccatores laqueos ignis, sulphur, & spiritum procellarum. De cælo, quando non fausta, & læta proueniunt? De regione cælicolarum, & paradiso suaueolentiori lilio, viola, rosa, quando igneus fluuius mortales depascens, sulphureus fœtor, & flatus habitaculi Plutonis? In hoc euentu: *super ipsum populum gehennam misit è cælo.* Adeò exacerbata est Domini clementia Sodomorum malitia, vt de supernis infernum mitteret, & ostensa acerbitate gehennæ ante tempus eam apparere faceret. Quod expendit Chrysostomus hom. 5. in cap. 1. ad Romanos dicens: *vidimus, enim vidimus, & in præsenti quoque vita gehennæ effigiem: quandoquidem enim multi futuri erant, qui iis fidem minimè habituri essent, quæ post resurrectionem futura sunt, nunc quum iisdem audiant esse ignem inextinguibilem, à rebus præsentibus illos Deus erudiuit: tale est igitur Sodomorum incendium, & vastatio illa: Id quod sciunt ij, qui ad ea loca profecti plagam illam diuinam, ac cælestium fulminum opus oculis subiecère.* Et statim subdit, *Cogitato quàm graue illud sit peccatum, vt quod ipsam gehennam etiam ante tempus existere coëgerit.* Locum illum caliginis, horroris, & tenebrarum, voraces flammas torturæ fontium destinatas, in intimis terræ visceribus segregatas, & ab humano conspectu abstractas occludebat Deus, donec sodomiticum effœminatorum scelus grauissimum iram Dei prouocauit, vt ministrantibus elementis gehennæ imaginem in punitione Pentapolis constitueret. Pyrarum, & bustorum formam, quibus æternaliter puniuntur damnati, fuisse in Sodoma delineatam facilè colliges ex Philone Hebræo graphicè describente quinque vrbium incendium: libro de Abrahamo ita fatur: *Immanes autem illos, & nefarios coitus exosus (Deus) aboleuit, & rabidos eorum patratores aggressus, non vulgari aliquo, sed nouo mirandoque affecit supplicio; inductis enim subito nubibus, iussit eas imbrem, non aquæ, sed ignis pluere. Cùmque in morem niuis densissimè indesinenter flamma deorsum ferretur magno impetu, ardebant arua cum pratis, & condensa saltuum, palustris quoque materies, & intima nemorum. Vrebantur eodem incendio campestria, segetes cum suis frugibus, conflagrabant & arbusta montium, trunci vnà cum suis radicibus, vrbana quoque, & rustica ædificia, mœnia cæteraque opera publica non minus quàm priuati parietes, atque ita vnus dies frequentissimas ciuitates vertit in busta suorum ciuium: structuras verò lapideas, & ligneas, in cinerem, & minutissimum puluerem; vbi verò supra terram flammis absumpta fuerunt omnia, terram ipsam vorabat incendium, ita ut exustis penitus vitalibus, nihil superesset vnde vel fructus, vel herba germinaret, in hodiernum vsque malo durante. Nam fulmineus ignis nunquam extinguitur, aut serpit, aut vaporat, quod oculis ipsis creditur. Extant enim cladis veteris argumenta, fumus exhalans perpetuo, & sulphur quod ibi foditur.* Hæc Philo. Cuius omnia asserta concordant cum sapientiæ cap. 10. vers. 7.

Gehennæ imago ignis in sodomam complutus. Genes.

Cur inferni supplicium de cælo descendisse dicitur. Saluian.

Deus Gehennam misit è cælo, ad ostensionem futuri supplicij.

D. Chrys.

Gehennæ effigies ostenditur vt æternò igni animaduersionem nefantis, conuincat.

Sodomiticū scelus gehennam ante tempus ostendere coëgit.

Phil. Iud.

Sodomæ incendium describitur.

Non aquæ sed ignis, imbres ex nubibus complunnt.

Omnium deflagratio, & vastitas.

Frequentissimæ ciuitates vertuntur in busta suorum ciuium.

Terram ipsā sceleribus coinquinatam vorabat incendium.

Sulphureus fumus in terra sodomorū superstes.

Quibus

Digitized by Google

Sap. Ioseph. Hegef. Borcar. Tertul. D.August.

Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra. De rediuiuis ignibus, & terra in eo tractu æternum fumigante, Iosephus lib.5.& cap.5. de bello Iudaico. Hegesippus lib.1. de excidio Ierosolymitano cap.18. Borcard. de locis sanctis 1. part. cap.7. num.38. Tertullianus in Apologetico cap.40.lib.de pallio cap.2. & carmine de Sodoma S. Augustinus lib.21.de ciuitate Dei cap.5.& 8.& lib.5.de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 10. simili demonstratione iræ diuinæ punitos barbaros in regno Peruano refert Lorinus noster in commentario Epistolæ Iudæ Apostoli vers. 7. his verbis: *In Peruanis historiis extat, nationem quamdam robustam, & gigantea statura, ob idem flagitium simili modo deletam: immisso de cælo iuuene quodam instar Solis splendido qui fulminibus in eos vibratis omnes exusserit. Et huius facti multa adhuc extare vestigia.* Hæc ibi.

Lorin.

Simili flagitio exformicata gentes apud Peruanum, fulminibus de cælo iactatis consumuntur.

3. Nec sola elementa, & cælestia atria contra ferale flagitium vindices iras effundunt, armata sunt Imperialia iura: vnde Valentinianus, Theodosius, Arcadius lege sanxerunt l.6. ad legem Iuliam: *vt omnes, quibus flagitij vsus esset, virile corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare patientia (nihil enim discretum vident habere cum fœminis) spectante populo flammis vindicibus expiarentur.* Vt refert Lorinus in 2. Petri cap.2. v.6. Notatu quoque digna sunt, quæ refert Abulensis tom.2.in Matthæi cap. 5. quæst.217. ibi ait: *Lex humana punit etiam grauiter istud delictum, nam pœna capitalis pro eo imponitur. Cod.ad leg. Iuliam de adulteriis.l. cùm vir: nam leges contra tales armantur, qui infames sunt, & Rempublicam infamant: Et propter talia vitia tempestates, & pestes ciuitatibus aduenire creduntur. Vt ostendit Imperator in authentica, ne luxurientur homines contra naturam.* Hæc Tostatus.

Legum decretis sodomitæ flammis demouentur. L.6.ad leg. Iul.

Lorin. Abul.

Nefandum scelus tempestates, & pestes vrbibus conflat.

D. Chrys.

4. Perpendit argute S. Chrysostomus, creaturas in Sodomis, vt imperio Domini aduersus hominem militarent, & vindices iras, & manus iniicerent in delinquentes, naturæ iura mutasse, & statos sibi motus inuertisse; cùm ignis qui innata propensione, & anhelitu ad superna suspirare cernitur, deorsum inflectitur ad castigationem improborum; recenset hoc prodigium Ecclesiastes Euangelicus in suggestu primarius, tom.1. homilia de Adam, & Sodomitis &c. Cùm enim aureo eloquio, linguæque cælestis penicillo delineasset tragicum elementorum incursum, ignem oblambentem agros, deuorantem senes cum iuuenibus, incendij spectaculum horribile, & admirabile, subiungit: *Ignis eructans imbrem, imber caminum, manens flamma in flumen soluebatur, & pluuia flamma reaccendebatur: retributionem enim erroris sui in se ipsis recipiebant, Erat autem iusta retributio his, qui naturæ subuerterant leges, fœminas in masculis quærentes, vt inuertatur in eis naturæ ordo, & fiat eis naufragium ex igne quasi ex aqua.* Vt sicut improbi luxuria petulantes coibant ad culpam aduersus naturam, etiam elementarius ignis militaret contra naturam ad infligendam pœnam. Quanta verò prodigia in hac animaduersione euenerint perpendet Sanctus Augustinus libr. 1. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap.10. perplacet hic recensere omnia. *Hoc namque modo conueniebat, vt qui communi studio Deum offenderunt, communis vindicta impetu eodem perirent: & qui contra consuetudinem hominum in turpis concupiscentiæ perpetratione exarserant, contra consuetam hominum mortem, non terrena vindicta, sed cælestium ignium infusione arderent: & qui peccatum suum, non solum faciendo, sed etiam prædicando palam fecerant, infamem vitam famosa pœna consumerent. Quæ vindicta & hactenus eorumdem terram non deseruit, dum quali pœna, qui talia agunt, subiacebunt, ostendit.* Insolitum crimen extraordinaria pœna subsequitur, voluntatum nexus ad perpetrationem improbitatis, coitionem creaturarum conflauit ad hominis excidium, vrbiumque ruinam; ardore nequitiæ flagrantes, non terræ hiatus absorbet, sed vltricis flammæ bustum consumit: Sodomorum impudentiam, & propudium, de nefando scelere iactantiam, famosa valde pœna disturbat. Continuatur in solo Sodomitico ira Dei, pœna rediuiua, de flagitiorum busto, & fauillaceo tumulo renascens, & exardescens, vt perennitatem tartarei cruciatus, quem subituri sunt, eiusdem criminis, impietatis, petulantiæ, & impœnitentiæ æmuli, humanis oculis subiiceretur, vt alij saperent alieno periculo.

In elementis naturæ ordo inuertitur, ad vindicandum peccatū aduersum naturæ.

D Aug.

Iusta pœna quoad omnes circumstantias peccato respondet.

5. Recenset S. Petrus Damianus opusculo septimo, seu libro qui dicitur Gomorrhianus sanctionem orthodoxorum Patrum, decernentium effæminatos, seu nefandi concubitus sordibus pollutos, cum dæmoniacis, seu spiritu immundo arreptis seorsum ab aliis fidelibus in Ecclesia congregatos ad preces; cuius statuti causam peropportunam assignans, ait cap. 14. *Liquet profecto, quia quocumque modo per ardorem libidinis vir cum viro polluitur, non inter Catholicos Christianos, sed inter dæmoniacos orare præcipitur, quatenus si carnales homines ex semetipsis nesciunt pensare, quod sunt; ab ipsis saltem valeant edoceri, cum quibus sunt communi orationis ergastulo deputati. Et certè satis dignum est, vt qui contra legem naturæ, contra humanæ rationis ordinem, carnem suam per tam fœda commercia dæmonibus tradunt, communem orationis angulum cum dæmoniacis sortiantur.* Concludit circa finem capitis. *Vigilanter ergo sancti Patres Sodomitas cum energumenis simul orare sanxerunt, quos eodem diabolico spiritu inuasos esse non dubitauerunt.* Cum energumenis computantur tam prodigiosi criminis patratores, vt ex dæmonis commercio prouocantis ad flagitia, illius tartareæ pœnè præstolentur consortium.

Petr.Dam.

Qui infami vitio inquinantur, cum dæmoniacis computantur.

6. Mirum est quàm inuisum hoc crimen Deo, Angelisque exosum, vt aspectum quoque ciuitatis hoc vitio infamis, & criminosæ feueritate iudicij inhibeant. Genes. cap. 19. vers.17. Lot eiusque familiæ præceptum iniungitur: *noli respicere post tergum.* Et vers. 26. *respiciensque vxor eius post se, versa est in statuam salis.* Cur correpta tam diro, & exemplari supplicio iugalis Lot? Respondet apud sanctum Augustinum auctor libri de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 11. *Illius vxor ne retro respiceret iussa, dum respiceret, in salis statuam solidatur, vt cuius visus non erat immunis ex culpa consortio, mortem effugere non posset.* Credendum est hoc vitio Sodomorum non esse deturpatam iusti viri vxorem,

Vrbis sodomæ conspectum auersari præcipit Angelus. Genes.

Vxor Lot in statuam salis migrat, quia respicit. D.August. *Visus ex culpæ consortio, mulctatur statua supplicio.*

Digitized by Google

rem, diu commoratam in pudicitiæ contubernio, sed leuitate fœminea & curiositate prouocatam, posthabita Dei iussione, vt prospe-ctaret ciuitatum incendia; ideo visus velut deturpatus, & inhalatus ex vstorum cadauerum fumo, & vapore punitur, cùm in salis statuam lapidescit, vt caro hominis hoc sale condita à corruptione immunis seruaretur, nec admitteret putridos, & malè olentis criminis affectus. Celerius fugiet à Sodomæ incendio, qui recogitat etiam aspectum ardentis vrbis à Deo punitum.

Quot mala in corpus, & animam inuehat infamis turpitudo. Petr. Dam.

7. Denique nefandæ turpitudinis effæminatorum vituperationem, & exprobrationem subscribam ex Beato Petro Damiano mutuatam, sic scribit Purpuratus, & sanctissimus Pater in libro Gomorrhiano cap. 16. *Hoc sanè vitium nulli prorsus est vitio conferendum, quod omnium immanitatem superat vitiorum. Hoc siquidem vitium mors est corporum, interitus est animarum, carnem polluit, mentis lumen extinguit, Spiritum sanctum de templo humani pectoris eiicit, incentorem luxuriæ diabolum introducit, mittit in errorem, subtrahit deceptæ menti funditus veritatem; eunti laqueos præparat, cadenti puteum, ne egrediatur oppilat, infernum aperit, paradisi ianuam claudit, cælestis Hierusalem ciuem, tartareæ Babylonis facit heredem, de stella cælesti stipulam exhibet ignis æterni, abscindit membrum Ecclesiæ, & in vorax proiicit gehennæ æstuantis incendium. Hoc vitium supernæ patriæ muros conatur euertere, & rediuiua exustæ Sodomæ mænia satagit reparare. Hoc est enim quod sobrietatem violat, pudicitiam necat, castitatem iugulat, viginitatem, quæ irrecuperabilis est, spurcissimæ contagionis mucrone trucidat. Omnia fœdat, omnia maculat, omnia polluit. Et quantum ad se nihil purum, nihil à sordibus alienum, nihil mundum esse permittit.* Et circa finem capitis: *Nimirum quem hæc atrocissima bestia cruentis semel faucibus deuorat, à cunctis bonis operibus, quibusdam suis vinculis obligat, per omnia nequissimæ prauitatis abrupta præcipitanter effrænat. Mox, nempe vt quisque in hanc extremæ perditionis abyssum fuerit lapsus, à superna patria exul efficitur, à Christi corpore separatur, totius Ecclesiæ auctoritate confunditur, omnium sanctorum Patrum iudicio condemnatur, inter homines in terra despicitur, à cælestium ciuium contubernio reprobatur: Fit sibi cælum ferreum, & terra ænea: neque illuc potest, pondere criminis grauatus, assurgere; neque hic sua mala ignorantiæ latibulo diutius occultare; non hic potest gaudere, dum viuit; neque illic sperare dum deficit: Quia & nunc humanæ derisionis opprobrium, & postmodum æternæ damnationis cogitur perferre tormentum.* Hæc Damianus de impœnitentibus effœminatis.

Huius sceleris vituperatio, & detestatio. D. Chrys.

8. Eamdem reprehensionem, ignominiam, & vituperationem subit hoc flagitium apud sanctum Chrysostomum, qui tom. 4. homilia 4. in cap. 1. ad Romanos, diuinis & humanis rationum aureis nexibus deuincit mentem ad detestationem nefandi criminis, sic enim declamat ad populum contra effœminatos & catamitos: *Neque enim hoc solum dico quod fœmina effectus, sed quod perdideris ipsum hoc, nimirum virum esse, & neque in hanc transieris naturam, neque quam haberes asseruaueris, sed communis vtriusque effectus sis proditor, dignus quem tum viri, tum fœminæ lapidibus à se exigant, tanquam qui vtrumque genus iniuria affeceris. Atque vt intelligas, quantum hoc demum sit, si quis ad te adiens promitteret fore, vt te ex viro canem efficeret: nonne ab eo tanquam exitioso declinares? Tu vero dispicito, te ipse non ex viro canem effecisti, sed animal hocce animante infamius; id enim ad vsum accommodum: at catamitus nullibi vsui esse possit.* Et postea: *Quid enim viro corpus suum meretricio more prostituente abominabilius? Quid autem scelestius? O insaniam, ô stupiditatem! vnde malum, hac debacchata est concupiscentia, humanam naturam hostium incommodis, atque adèo tantò grauioribus afficiens, quanto anima corpore præstantior est? O vos & brutis insipientiores, & canibus impudentiores! Nusquam enim huiusmodi congressus apud illos; sed agnoscit proprios terminos natura.* Hæc & alia ibi Chrysostomus.



DISCVRSVS IV.

Adolescentulorum, præsertim formosorum, amor periculosus, eorum nimia familiaritas cautè vitanda, commercium singulare fugiendum.

1. Commendãt Ecclesiæ Patres, virtutum patroni, eximij pudoris, & pudicitiæ cultores prudentem cautionem retinẽdam in iuniorum familiaritate, & consuetudine. Inter alios S. Isidorus Pelusij decus, vitæ eremicolæ, & asceticarum exercitationum gloria clarus lib. 3. epist. 66. ad Nilum Diaconum recenset Socratis sententiam hisce verbis: *Ac Socrates quoque (nam eorum etiam dicta commemorabo, quoniam ad pudicitiam, & castitatem incitant) cùm quemdam formoso adolescenti osculum figentem conspexisset, hic, inquit, facilè gladiatorum cuspidibus innataret, atque in ignem insiliret, qui scilicet natum in se ipso incendium per osculum excitare minimè dubitarit.* Miratus est Philosophus iuuenem basiantis ausum, qui iuuenilis, & pulchræ formæ tactu venenum voluptatis ebibere non dubitarit, & perire voluntarius in pudici amoris busto; hac censura præmonuit sensus omnes remouendos ab specie iuuentæ tanquam à pestis contagio; sed vtinam tam cautus sibi, quàm aliis Religiosus extitisset, & alieno periculo saperet. Ipse enim Socrates pulchros adolescentes deperibat, licet prætextu philosophici magisterij quæreret suæ nequitiæ integumentum. Non est obductum suum amoris vulnus medico peritissimo Gregorio Nazianzeno, illud oratione 3. aduersus Iulianum detegit breuiori sententia: *Et Socratico pulchri amore (vereor enim puerorum amorem dicere, etiam si honestiore vocabulo callidè obtegatur.)* Eam dilucidat, & expendit eruditè Elias Cretensis nobilis Theologi commentator, eiusque mentis eruditus, & solers indagator. Sic enim ait ad numerum orationis tertiæ sexagesimum septimum: *At verò*

S. Isidor. Pelus.

Socrates exprobat quemdam formoso adolescenti figentem osculum.

Socrates ægritudine amoris puerorum laborat. D. Greg. Nazianz.

Elias Cret.

Digitized by Google

verò Socrates impudicitia, ac turpitudinis nomine malè audiebat; tametsi alioqui eius opinionem per speciosa & honesta consilia à se vitari existimaret. Nam cùm Philosophus esset, forum peragrabat, atque ad Philosophiæ studium adolescentes hortabatur, ac præsertim pulcherrimos quosque, & formosissimos. Pulchros enim (ex aspectu scilicet de hominum natura iudicans) preclaræ indolis esse dicebat, atque ad Philosophiam probè comparatos. Hinc igitur Philosophus iste, vt fœdissimo amore laborans, cauillis incessebatur. Non valuit Socrates integumento eruditionis, & doctrinæ occultare flagitia, ex igne qui ardebat in pectore fumus inhalabatur, quo eius opera & fama obscurata sunt. Meritò lacessitus opprobriis, mulctatus ærumnis. Meritò apud omnes magnam subiit turpitudinis, & dedecoris infamiam, tanquam morum corruptor, qui instar lupi in agniculos grassabatur, vt nefando crimine deuoraret, & perderet.

Ad philosophiam formosiores iuuenes vocabat, existimans bonæ indolis esse.

Socrates opprobriis lacessitus ex turpi puerorum amore.

D. Basil.

2. Perplacet hic Basilij Magni commonitorium iuuenibus directum subiicere, ex sermone de abdicatione rerum, & renuntiatione sæculi expromptum: *Iuuenis* (inquit) *siue ætate, siue animo fueris, æqualium tuorum consuetudinem defugito, ab illisque te non secus atque ab ardentissima flamma procul abducito: quando illorum opera vsus aduersarius, plerosque olim incendio dedit, & sempiterno igni cremandos addixit: ac spiritalis videlicet primò charitatis vana quadam specie illectos, in teterrimam postea Pentapolitanam voraginem præcipites deturbauit: Et qui ex medio pelago, sæuientibus vndique procellis, tempestateque incolumes euaserunt, eos iam intra portum securos vnà cum ipsa naui vectoribusque submersit.* Pulchra Basilij in omni litteratura Magni exhortatio ad iuniores; qua inconstans, & mobilis ætas ad omnes blanditias nata, in virtute solidabitur, hacque verborum antidoto virus corruptelæ carnalis fugiet.

A nimia iuuenum consuetudine recedendum non secus atque ab ardentissima flamma.

Multi charitatis vana specie illecti, in Pentapolitanam voraginem præcipites.

3. Fugienda libidinis irritamenta, præsertim quæ recenset ex Helinando S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus lib. 6. hist. sum. tit. 13. cap. 6. §. 4. Transcribitque noster Martinus Delrius tom. 2. disquisit. magicarum lib. 3. part. 1. q. 3. sect. 3. *vis* (inquit) *extinguere libidinem? amoue ligna de igne, si strides incendium. Ligna innumerabilia, & pabula sunt, potissima autem*

D. Anton. Delrio.

Quæ sint pabula ignis libidinosi.

Ocia, segnities, somnus, caro, fæmina, vinum,
Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer.

De vltimo fatur Helinandus: *Quantum enim periculi sexus adfert in muliere, tantum ætas in puero. Periculosa est ætas pueri, periculosior societas, periculosissima verò familiaritas. Vnde legitur in vitis Patrum: non habendam familiaritatem, cum fæmina, puero, vel hæretico.* Vnde mirum non est quod tam seuera animaduersione disturbare contenderint prisci patres puerorum commercium, improbamque familiaritatem. Quare Cardinalis Petrus Damianus Doctor sanctissimus, & disertissimus in libro Gomorrhiano, seu opusculo 7. cap. 15. à sancto Basilio statutam pœnam recenset impudico osculo his verbis: *Clericus, vel monachus adolescentum vel paruulorum insectator, vel qui osculo, vel qui aliqua occasione turpi deprehensus fuerit, publicè verberetur, &*

Helinand.

Facit ætas, quod non facit sexus.

Pueri familiaritas fugienda tanquam periculosissima.

Petr. Dam.

D. Basil.

Quibus suppliciis mulctabatur insectator adolescentum.

coronam amittat, decaluatusque turpiter sputamentis oblinietur in facie, vinculisque arctatus ferreis, carcerali sex mensibus angustia maceretur, & triduo per hebdomadas singulas, ex pane hordeaceo ad vesperam fériatur. Huius postremi cruciatus causam statim assignat. *Quia qui factus est sicut equus, & mulus, congruè non cibo reficitur hominum, sed annona pascitur iumentorum.* Hæc ex Basilio Damianus.

Pane hordeaceo alebatur, annona inquam iumentorum.

4. Solet esse fautrix huiuscemodi improbitatis nimia, & indiuidua consuetudo, fomentum libidinis & impudicitiæ, particulare contubernium, & singularis aliquorum coïtio: quam equidem tanquam iustitiæ aduersariam, pestem charitatis, communis pacis ruinam, lucifugas blattas, quæ spiritalis vitæ substantiam rodunt, & exedunt, vertuncandas, & disturbandas censet magnum illud Ecclesiæ lumen, & strictioris instituti parens Basilius, cuius præcepta, & monita non tanquam sibyllæ folia, aut de tripode prolata Pythiæ responsa, sed velut spiritus cælestis oracula recipienda, & veneranda. Sequentes admonitiones scriptas reliquit sermone de institutionibus Monachorum: *Porro in huiusmodi hoc communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex aliquas coiri seorsum aut amicitias, aut sodalitates. Siquidem nullo modo fieri potest, quin affectiones istæ, quæ in hanc magis quàm in illam propendent partem, plurimum incommodent communi omnium concordiæ.* Et sermone sequenti de institutione Monachorum ait: *Qui enim vnum aliquem plusquàm cæteros diligit, is quod non perfectè cæteros diligat, de se ipso indicio est; quocirca similiter ex conuentu reiicienda sunt & turpis, & indecora contentio, atque amor iste singularis. Siquidem ex contentione inimicitiæ, ex amore autem singulari, sodalitateque, suspiciones, inuidiæque oriuntur.* Prohibet quoque idem spiritalis & asceticæ exercitationis Magister, iuniorum mutua, & singularia colloquia sine arbitro, sine teste, quæ amorem, & affectionem singularem foueant, & sinistram suspicionem ingenerent, & malè audiant apud timoratos viros. Quare in sermone de abdicatione rerum iuniores hortatur: *Domi, aut aliquo in loco vbi quæ à vobis fiunt, videre, qui possit arbiter sit nemo, caue ne vnà cum eo deprehendaris vnquam, ea re videlicet quod vnà cum eo diuina eloquia meditari te dicas, aliamue quamuis ob causam summè necessariam: Nihil est enim quod animæ saluti magis sit necessarium, propter quam Christus mortuus est.* Hæc ex Basilio documenta deprompta proposita sunt ad maiorem perfectæ vitæ stabilitatem, & nouitiorum in vita spiritus cautelam, quibus tanquam clarissimis pharis vitabunt cautes & periculosas sortes in huius sæculi mari, fugient præsentissima naufragia, placidum, & securum tenebunt portum.

Singularis familiaritas velut pestis fugienda.

D. Basil.

Singulares affectiones plurimum incommodant communi concordiæ.

D. Basil.

Singularis amor de cœtibus reiiciendus.

Singularia aliquorum recessus, & latebra periculosa, & malam suspicionem ingenerant.

5. Qualiter temperanda sit amicitia Dei timore, qua discretione gradiendum via regia virtutis ad alterutram partem per immoderantiam affectus nequaquam declinantes, docet sanctus Isidorus Pelusiota libro 2. epist. 102. scribens Ammonio: *Quoniam nimia amicitia suspicione carere minimè videtur, diuino metu temperetur: vt vtrumque in nobis abundet,* nempe

D. Isid. Pelus.

Nimia amicitia suspicione non caret.

Digitized by Google

nempe & Dei metus, & amicorum amor: ille improbas suspiciones eliminans, hic charitatem ac beneuolentiam bonorum omnium matrem pariens. Omnia temperat, & prudenter moderatur Dei metus, cautumque à periculis præbet suum possessorem, dum pedagogi ritu alumnum suum admonet, vt longe à discrimine vitæ spiritalis animæ segregetur; intus enim habet admonentem, & clamantem, caue ætati, time carnis imbecillitatem, corpore, & mente transmigra ab illecebris cupiditatis, ne irretiaris cassiculis venatorum. Perduellis infensus est animæ qui intra te latet, sed hostis infensior fiducia in carnis lubrico, quam præsens sequitur hominis ruina.

Non priuatā dilectionem, sed vniuersalem erga omnes, in suis alumnis exigit Iesus. D. Ioan.

6. Argutè, & dilucide medullam verborum enucleat sanctus Laurentius Iustinianus, quibus Iesus hominibus iniungit præceptum dilectionis. Ioannis cap. 13. v. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Quæ autem sit mandati nouitas, verbis exprimit Saluator, dum non affectatum, & singularem, sed vniuersalem in sectatoribus suis requirit. Hanc enim regulam dilectionis, & vniuersæ disciplinæ compendium discipulis intimauit, quatenus non coarctatum ad vnum, sed dilatatum amorem requirit, vt cresceret. Mens est S. Iustiniani in fasciculo amoris capit. 1. *Sapientissime tamen sapientia legalium præceptorum summam, & omnis disciplinæ compendium in suo inclusit mandato. Tale illud esse voluit, vt virtutem reformandi, quod in homine deperierat, possideret. Nouerat ab exordio propagationis humanæ quantam priuatus amor iacturam fecerat, proinde voluit suo pestem hanc, quæ totius mali causa fuerat, abolere mandato. Quod enim priuatum erat voluit esse commune.* Amore reformat Iesus, quod in homine deperierat, amorisque integritatem restaurat; auebat Iesus amorem esse sicut solem, qui in vniuersum radios claritatis expandit. Nullis coarctatur plagarum mundi & tractuum limitibus, sed ad omnes mundi cardines lumina diffundit. Erat in mundi exordio priuata, & singularis humana dilectio, ligata indiuidualis affectionis compedibus, vnius aut alterius familiaris coangustata, & incarcerata limitibus: venit Iesus & singularitatem inordinatam sustulit ab amore, & eum qui priuati contubernalis erat irretitus illecebris, à vinculis soluit. Ei alas indidit, vt ad vniuersos circumquaque volitaret affectus.

D. Laur. Iust. Communis amor reformat, quod in homine perierat. Ab exordio singularis amor ruinosus.

Amoris humani insignia.

7. Erit interdum valde proficuum ad comprimendos animi affectus, amorisque petulantiam, pensitare quam fragilis, caduca, & volatilis est forma, niue fugacior, quæ facilè vanescit, & fugit, id ostendent facile ipsius amoris, & cupidinis simulacra, cuius pinnas, & faces traducens ad mores componendos S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 233. ad Martinianum inquit: *corporum amorem, vt qui acris quidem sit, verum celeriter extinguatur, ob eam causam pictores cum facibus, & pennis depingunt: quoniam nunc libidinem inflammat, nunc rursum ob saturitatem auolat.* Innuit amoris icon voluptatem cum temporis celeritate träsire quasi volucre quiddam & infidum, & vt ignis impetum extingui. Nec dissonat ab Isidoro S. Fulgentius lib. 2. mythologiæ de cupidinis pictura differens, & eius nuditatis causam disquirens: *quod nudos sibi affectatores dimittat, siue quod libidinis crimen nunquam celatum sit. Huic etiam rosas in tutelam adiiciunt, rosa enim & rubent, & pungunt, vt etiam libido rubet verecundia, opprobrio, pungit etiam peccati aculeo, & sicut rosa delectat quidem, sed celeri motu temporis tollitur, ita & libido libet momentaliter, & fugit perenniter.* Volatile gaudium est, fugaxque species corporis, quam tempus soluit, aut morbus infuscat, omnemque elegantiam pubescentis ætatis, vultumque lanuginis decore ornatum teneræ aut dilucidæ iuuentæ, pallentem reddit, & deformem, obnubilatque caligine nocentis halitus: Sterquilinium niue contectum, soluatur fato operimentum niueum, quid nisi cadauer putidum, esca vermium, erit, dissoluendum tabe, in pulueres fatiscens. Merito breuioris vitæ rosam nuncupat Fulgentius, cuius viuidum, & purpureum calorem matutinum marcescere, & exarescere fecit æstus eiusdem Solis, fluxerunt, foliola rubentia, euentilatus est velut lanugo à flatu roseus decor, remanent sentes, & stimuli pungentes, morsusque pectoris malitiæ suæ conscij, illud perpetuum lancinantes.

S. Isidor. Pelus. Amorem fugacem & celeriter transeuntem, faces & pennæ denotant.

D. Fulg.

Amor nudus, quia libidinis crimen celari nequit.

Rosa amoris symbolum, quia cito marcescit, & aculeis pungit.

Elegantia pubertatis vana, fugaxque.




VERSICVLVS V.

Et irruet populus, vir ad virum, & vnusquisque ad proximum suum: Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.

VERSICVLVS VI.

Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui: vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua.

COMMENTARIVS.



IN his verbis ante oculos constituit diuinus Vates ærumnas, & miserrimam fortunam Ierosolymæ cùm aggeribus circumdata, & expugnata est à Romanis, de hac enim non de Babylonica expugnatione in præsenti est sermo, ipseque rerum promissarum euentus, & vaticinij apertissimum complementum, id manifestum faciet infra; sublatis à Ierosolyma viris fortibus, prudentibus consiliatoribus, qui in præsenti calamitate possent ciuitati esse subsidio, substitutis iuuenibus, & insensatis ad conspectum hostis infensi, minantis gladio, & incendio vrbem, omnia turbata sunt; erat tamen interius bellum nocentius, quod per mediam vrbem grassabatur, nempe seditio, tumultuante vndique populo, & instar exercitus armati, non hasta, & clypeo, sed auaritia, & libidine dominandi irruentis, & deuastantis omnia vrbis decora: Oppressi enim

Ærumnæ Ierosolymæ ex captiuitate Romana prouenientes.

Seditiones, & tumultus Ierosolymæ obsessæ.

enim validiſſima manu, & inuicta Romanorum vndique clauſi Iudæi, amiſſaque ſpe aditus, aut fugæ, in deſperationem, & rabiem adacti ſunt, omnia complentes tumultibus, & clamoribus; & tanquam homines impotes mentis, & conſilij, furoreque lymphati dominatum vrbis, & imperium, non ſolum humani, ſed etiam ſacri apicis affectabant, inter ſe digladiantes mutuiſque cædibus Ieroſolymam complentes; tam longe aberant à reſpuendo imperij onere, & in aliorum humeros declinando. Huius germanæ expoſitionis apertiſſima teſtimonia dabit Ioſephus, qui Iudaicum bellum à Romanis illatum tanquam teſtis oculatus deſcribit lib. 5. cap. 3. *At Ioannes iam dudum tyrannidem affectans, parem cum ſimilibus honorem habere dedecus exiſtimabat: paulatimque ſibi nequiores adiungens, ab eorum affectione ſeparabatur.* Et infra: *cum tamen ciuitas trium malorum ingentium tempeſtate laboraret, hoc eſt belli, dominationis, itemque ſeditionis, eorum comparatione bellum popularibus mediocrius videbatur.* Et lib. 4. cap. 7. Ananum & IESVM Pontifices obtruncarunt, & inſepultos abiecerunt Idumæi milites, & ibi Ioſephus ait: *Et quidem non errauerim ſi Anani mortem dixero excidij ciuitatis fuiſſe principium & ex illo die muros euerſos, remque publicam Iudæorum periiſſe.* Et lib. 6. de bello Iudaico cap. 1. irruptiones ciuium ſeditioſorum proponit: *Contigit etiam ſeditionem, quæ apud Hieroſolymam erat, trifariam diuidi, & aliam partem in aliam verti.* Et ſtatim proponit pugnam, & contentionem de principatu Ioannis, & Eleazari, gladiis & miſſilibus ſe conficientium. Eaſdem calamitates recenſet Hegeſippus lib. 3. 4. & 5. de excidio vrbis, Euſebius lib. 3. hiſtoriæ, quos refert Procopius hic, & ſancti Baſilij verba ex commentariis Iſaiæ tranſlata ad verbum refert ſummatim reddita in hunc modum: *Collapſurum populum, & hominem in hominem addit, vt confuſionem meram, & perturbationem, omniſque pudoris, & ordinis euerſionem fore notaret. Aperte porro nec iam per ænigmata, expugnationis vltima damna explicat. Seditione enim, & cæde vrbem replerunt: non hoſtium metu inter ſe cohærentes; ſed dominandi ſtudio alter in alterum delati: non denique ſeniorum monita quicquam facientes, ſed vt quique erant ſcelere, & turpitudine vitæ maximè infames, ita in probos, & honoratos viros armis inſultabant.*

Ioſeph.

Seditionibus, & cædibus Ieruſalem repleta.

Ioſeph.

Ioſeph.

Hegeſipp.
Euſeb.
Cæſar.
Proco.
D. Baſ.

Ambitio dominatus.

2. Eamdem expoſitionem, & intelligentiam verborum confirmat idem Iſaias cap. 66. verbis illis: *Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis.* De tumultu, & ſeditione Ieroſolymæ, citatis verbis Ioſephi, expendit Gloſſa ordinaria ſcribens: *Adueniente Romano exercitu ſecundum Ioſephum diuiſi ſunt Iudæi in tres partes de principatu contendentes. Alij ſibi alium principem præponentes. Pars autem populi, & ſacerdotum tenebant templum; arcem vero, & regiam domum pars populi & principum, reliquam verò ciuitatem tertia pars, & maximè vulgus. Pugnabant ergo & extra contra hoſtes, & intra contra ciues. Romanis ergo vrbem irrumpentibus, audita eſt vox populi plangentis de ciuitate, vox Sacerdotum, & qui cum ipſis erant de templo, vox etiam Domini audita eſt in Romanis exultantibus, qui etiam nutu Dei venerunt, reddentis retributionem inimicis ſuis, ſcilicet Iudæis, ſcilicet per Romanos.* Quæ verba ex Hieronymo videntur deſumpta, qui non ſolum in hoc loco ſed Iſaiæ capite 3. eumdem ſenſum tenet.

Iſa.

Diſſidia inter Ieroſolymitanos, Romanorum exercitu circumdatos.

Ioſeph.
Gloſſa.

In irruptione Romanorum, quot voces, & lamenta audita intra vrbem.

3. *Apprehendet enim vir* &c. Adeò turbatus iam inſtante Romanorum impugnatione, & vrbis excidio, populus, vt vnumquemque apprehenderent vt præſenti ruinæ opem ferret, collabentique Reipublicæ, porrigeret manum, non reſpicientes in electione principis ad antiquas adoreas, vel Regum Iſraelitarum ſtemmata, nobilioreſque origines, ſed ad habitum, exterioremque cultum, vt opibus abundans in præſenti fame, & calamitate aliquale ferret ſubſidium, & tanto malo ſubueniret; id quod in rebus deſperatis fieri ſolet, quando bello, & impugnatione hoſtium exhauſtis fortunis, is benemeritus regno habetur, qui veſtimentis, & copiis abundat. Optimè Chryſoſtomus in Iſaiam ait: *Sic & Propheta ait, quia principatus proponendus eſſet venalis veſtimento vno, vnoque pane, ſi tamen ſupereſſent. Nemo alioqui erit qui emat, tanta illos apprehenſura eſt, & tam rara parcitas neceſſariorum.* Ad cuius ſenſus notionem illuſtrandam, ſingularem habet vim verbum Hebraicum מכשלה machſela, à radice כשל caſal, ruere, corruere, impingere, collabi, illidi, & velut ægrotum infirmari & languere; in poſtrema ſignificatione propriè denotat colliſionem, quæ fit in corpore ratione ægritudinis, aut infirmitatis, quæ Chirurgi opera, medici periti manu & induſtria indigeat; in quo ſenſu optimè nectuntur hæc verba cum ſubſequentibus, in quibus reſpondet princeps ſe rapientibus ad dominatum, & ſubuentionem populi, in quo non adeſt ſanitatis ſpes, ſed deſperata eſt ſalus: *Non ſum medicus.* &c. In aliis verò ſignificationibus, quas præſefert Vulgatus, verbumque Hebraicum, expoſtulat populus, vt collabentem rempublicam ſuis humeris ſuſtineat. Deficientibus verò viris optimis, qui ſunt vrbis fulcra, exhauſto fulcimento, & firmitate panis, vt ſupradixerat: *Auferet Dominus fulcimentum, & firmitatem*, neceſſe eſt quod ciuitas corruat, quod eleganter explicat ſanctus Chryſoſtomus dicens: *& corruet populus. Quemadmodum enim ligna, quæ ædificiorum ſubſtructiones ſuſſulciunt, & continent, quum ſenſerint putredinem, aut certè ſublata illinc fuerint, neceſſe eſt etiam illidi parietes, & perrumpi, quod nihil ſuperſit, quo fulciantur. Sic & iuxta formulam prius dictorum, ſublatis è medio principibus, conſiliariis, iudicibus, prophetis, nihil iam reliquum ſit, quod prohibeat populum inter ſe collidi, multamque ſuboriri confuſionem.*

Hæc Chryſoſtomus vim verbi Hebraici, & Græci expendens.

***

In obſidione Romanorum quemque obuium diuitem Iudæi principem eligunt.

D. Chryſ.


Venalis in Ieroſolyma principatus veſtimento & pane.

Lect. Heb.

Vrbis ruina adſtruitur.

D. Chryſ.

Sublatis fulcris, domus tota corruit.



Irruet populus vir ad virum, & vnusquisque ad proximum suum: tumultaabitur puer contra senem.

DISCVRSVS I.

Deo exosum valde dissidium, amica vnitas, & concordia, quæ superioris, & inferioris orbis stabilimentum est.


Attributorũ Dei eximia præconia.

Clem. Al.

Attributorũ seu potentiarum Dei varietas in vnitatem coit.

Circulo vnitatis voluũtur, & clauduntur.

Verbum Dei Alpha, & Omega cur dicatur?

1 VANTVM Deus diligat coniunctionem, & vnitatem, genere demostratiuo ostendit Clemens Alexandrinus in Dei potentiis, seu attributis, quorum virtutem, & fœcunditatem mirabilem arcano quodam sermone examinans scribit lib. 4. stromatum capite 8. *Omnes autem spiritus potestates, cum simul vna res facta fuerint, itidem perficiunt, nempe filium. Est autem indefinitus vnaquaque suarum potestatum notione. Quamquam non sit verè vnum vt vnum, neque multa vt partes filius, sed vt omnia vnum, vnde etiam omnia. Est enim idem circulus omnium potestatum, quæ in vnum circum voluuntur, & vniuntur. Et ideo verbum dictum est Alpha & ω, cuius solius finis fit principium, & rursus desinit in id, quod est desuper principium, nusquam distantiam accipiens, neque dimensionem.* Quod verbum notionibus gaudeat, quod diuinæ potestates, seu attributa eius naturam secundum humanum captum velut exornent, & compleant; quod in circulo quodam Deitatis, fine, & initio carentis voluantur in idem principium, in eumdem fontem sese reducentes, à quo emanant, & pululant; & tanquam catenæ aureæ circulo in se ipsis mutuo copulentur, & inserantur, non erit difficile intellectu mentibus, quæ in Theologicis disputationibus versatæ sunt; illud tamen Alexandrini effatum: *Quamquam non sit verè vnum vt vnum*, &c. Attentiorem pensiculatorem requirit. Hentianus Heruetus nobilis scholiastes Clementis censet loqui de verbo, secundum se esse vnum, vt vnitum carni includere duo, naturam diuinam, & humanam, & excludere vnitatem naturæ, licet non excludat vnitatem suppositi. Sic enim ait: *Dicendum itaque erit, Filium vt Deum esse verè vnum, vt Deum autem, & hominem non esse verè vnum, nam licet vtrumque coniunctum sit vnum subiectum, seu suppositum, distincta tamen est, & discreta diuinitas ab humanitate.* Ingeniosa satis commentatio Herueti, sed iuxta mentem Alexandrini de solo Verbo vt Deus est, & de sibi innatis potentiis fantis, aliud congruentissimum interpretamentum inuenire licet Clementinæ sententiæ, quam si iuxta sanam Theologiæ doctrinam quispiam rimetur, apprimè congruentem reperiet. Nam licet Deus sit simplicissimæ vnitatis omnem diuisionem naturæ excludens, intellectus tamen noster illum discernit secundum diuersas perfectiones creaturarum, & habitudines, atque adeò qui est vnus natura, est multiplex ratione. Ritè Doctor Angelicus ait 1. quæst. 13. art. 4. ad 3. *Hoc ipsum ad perfectam Dei vnitatem pertinet: quod ea, quæ sunt multipliciter, & diuisim in aliis, in ipso sunt simpliciter & vnite. Et ex hoc contingit quod est vnus re, & plures secundum rationem.* Itaque iuxta placitum Clementis Deum dicit vnum, non vero vnum vt dicit negationem attributorum per rationem diuersorum. Et hoc indicat sententia subsequens: *Sed vt omnia vnum.* Aut negat esse vnum secundum quod vnum est principium numeri, sed esse vnum quod conuertitur cum ente, vt ait sanctus Thomas. 1. p. q. 11. art. 3. ad 2. negat quoque esse vnum, vt vnum dicit negationem potentiæ ad productionem plurium, itaut eminentiori modo non contineat in sua vnitate singulari productorum multiplicitatem. Quod insinuat sequentibus verbis: *Sed vt omnia vnum. Vnde etiam omnia.* Et sic expendit rationem diuinæ vnitatis S. Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus cap. 13. dicens: *Vnum autem dicitur, quod singulari, eximioque modo sit omnia, vna vnitatis præstantia, causaque sit omnium, sine vnius amissione. Nihil est enim eorum, quæ sunt, quod vnius non sit particeps.* Sic amat Deus in se ipso, in creaturis suis vnitatem, & exosam habet diuisionem, vt licet per subtilitatem humanæ mentis, quæ suo imbecilli captu omnia segregat, & discriminat, distinctos tantum ratione conceptus permittat attributorum, suorumque magnalium, illam tamen à nobis apprehensam multiplicitatem, ad realem vnitatem & indiuisibilitatem reducit. Profluxerunt tanquam ex fonte essentiarum existentiarum Deo, riuuli quidam creatarum rerum, aut corporis expertium, aut capacium corpulentæ substantiæ, illam tamen varietate & distinctione mirabilem creaturarum copiam, ad vnum Creatorem vniuersorum, & distinctorum causam redducit, à quo tanquam ab essendi perenni scaturigine tam diuersi, aduersique natura partus deriuantur mirandis proprietatum diuortiis disiuncti, vnus tamen manet; & cum omnia tam disparilia, & distantia contineat, locisque suis discriminet, & distribuat, ipse tamen gaudet & felicitatur naturæ vnitate singulari.

Cur Verbum dicatur, quod non sit vnum vt vnum?

Hentia.

In Christo distincta est ab humanitate diuinitas.

In Deo multiplicitatem attributorũ discernit mens humana.

D. Tho.

Perfecta Dei vnitas; quæ in aliis sunt diuisa, in ipso simpliciter vniuntur.

Deus non est vnus, vt est principium numeri, nec vt dicit negationem ad productionem plurium.

D. Dio. Arc.

Deus dicitur vnus quia in ipso eminentiori modo sunt omnia.

Deus amat vnitatem, exosam habet diuisionem.

Plures, & variæ creaturæ ad vnũ reducuntur.

2. Decreuit Deus ad subueniendum homini lapso, & abolendum immane piaculum transgressionis, quo totam humani generis massam infecerat, & corruperat, ad aperiendam cæli portam, quam suis erratibus clauserat, naturas duas in immensum distantes, & disparatas conciliare, & consensum adducere mirabili copula; tali pacto vt distantia, disparilitas non obstaret, quin in idem suppositum coirent; id sapienter annotat sanctus Fulgentius libro 3. capite 8. ad Trasimundum Regem Vandalorum scribens: *Sic in se totum hominem verus Deus & summus accepit, & sic plenitudo diuinitatis veritate diuina humanaque substantia inconfusibiliter permanente, semetipsum pleno coniunxit homini, vt vnitate deinceps in æternum manente persona, nec homo Christus à sua diuinitate, nec idẽ Deus Christus à sua posset humanitate disiungi:* Hoc

Naturas inter se distantes in vnum consensum vnitatis suppositi coire fecit Deus.

D. Fulgent.

Inseparabilis nexus diuinæ, & humanæ naturæ in Christo.

Personarum discrimen in patre, & filio gaudet vnitate naturæ, & in Christo naturarum disparilitas vnitate suppositi.

Hoc enim infirmitatis nostræ medela poscebat, vt sicut naturalis vnitas in patre manet, & filio, sic personalis vnitas maneret in Christo: & sicut personalis duas non facit in patre, & filio substantias, sic naturalis discretio duas non faceret in Christo personas. Per omnem modum exambit Deus vnitatem in assumpti à Verbo hominis mysterio, vt Deus, & homo sibi obuiantes, Deus hominem, homo Deum amplexaretur æternum indissolubili nexu, vt nulla æui perennis duratio hanc copulationem dissolueret, non mors ipsa hanc Dei & hominis amicitiam, & societatem disiungeret; amauit in ipsa naturarum dissimilitudine concinnitatem, in ipsa dissensione concordiam. In ipso Deo personarum disparitas, & discretio naturæ parilitatem claudit, & in Christo naturarum distinctio ornatur vnitate personæ. Ibi quod est hypostaseon discretum est, quod est naturæ indistinctum. Hic quod est naturæ dispar est, quod est personæ indiuisum; non enim ex duabus naturis in Christo duo coagmentantur supposita, sed vnicum coalescit; ibi Trinitas ad naturæ, hic dualitas ad subsistentiæ vnitatem redducitur.

Elementorum & cælorum consensus, & musicum cōcordiæ modulamen.

5. Venio ad orbis molem, & elementorum varietatem, dissimilitudinem mirabili consensione, & concentu compaginatam, de cuius ordine & dispositione sese aduersantium, & in concordiam coëuntium apud Iobum Deus fatur cap. 38. v. 37. *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?*

Iob.

Numquid ex cælestibus orbibus Organa concrepant, motibusque suis, & statis circuitionibus, tanquam ex alternantibus choris cithara, & psalterio concrepantibus suaue modulamen resultat, & ex globo in globum reboat? Non defuerunt sæculi sapientes quibus arrideret hoc placitum, quod recenset S. Ambrosius lib. 2. exam. cap. 2.

D Amb.

Ex cælorum motu, & collisu musicum concentum resultare, philosophicorū placitum fuit.

Philosophi, quinque stellarum solis, & lunæ globorum consonum motum introduxerunt, quorum orbibus, vel potius globis connexa memorant omnia, quos sibi innexos, & velut insertos versari retrò, & contrario cæteris motu ferri arbitrantur, eoque impulsu, & motu ipsorum orbium dulcem quemdam & plenum suauitatis, atque artis, & gratissimi modulaminis sonum reddi, cum scissus aër tam artifici motu, & acuta cum grauibus temperante, ita varios æquabiliter concentus efficiat, vt omnem prætergrediatur musici carminis suauitatem. Adduntque obsurduisse aures nostras, & hebetiorem audiendi sensum factum, ne allecti homines tanta sonitus dulcedine lymphati redderentur. Subiungit Ambrosius:

D. Ambr.

Suauitas huius musici soni non audiatur ne homines extra se rapti, propria negotia derelinquerent.

Addunt præterea ideo sonum hunc non peruenire ad terras, ne capti homines per suauitatem eius, atque dulcedinem, quam celerrimus ille cælorum efficit motus ab orientalibus partibus vsque in occasum, propria negotia, atque opera derelinquerent, & omnia hic otiosa remanerent, quodam humana ad cælestes sonos mentis excessu. Et quamuis Ambrosius meritò explodat hoc commentum de materiali cælorum sonitu, & musico reuolutionum suarum concentu; forsan ad hanc commentitiam confabulationem excitati ex verbis Iob, in iis hallucinati, nec ritè perpendentes, genuinum eorum sensum: *Concentum cæli quis dormire faciet?* Non enim de motu orbium concrepante, nec instar organi aut citharæ fundente dulce melos, ex concitatis conuersionibus, vsurpanda Iobi sententia, sed de admirabili illa concinnitate, & symmetria; maximoque stati ordinis concentu, qui ex dissimillimis motibus, & aduersis, cursibusque longo interuallo inter se disparibus, in eamdem æquabilitatem, & concordiam copularis ad conseruationem vniuersi inter se coëuntibus; nam ex acutis, grauibus, leuibus, aduersantibusque actionibus nulla perturbatio, aut dissipatio elementorum exoritur, sed mira copulatio, & consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio quædam naturæ.

Dissimilium motuum, & circuitionum varietas in concordiam redacta, musicus concentus dicitur.

Quod eleganter & grauiter docuit sanctus Dionysius Areopagita libro de diuinis nominibus cap. 11. agens de Dei vnitate in hoc totius orbis theatro refulgente, quæ inter se aduersa & disparia reducit ad suauissimum concordiæ melos. Ita enim inquit: *Hæc denique vna, atque ea indissolubilis omnium coagmentatio diuino eius concentu cohæret, perfectoque concentu, concordia & consensione conuenit, ita vt & sine confusione cogatur, & contineatur sine diuisione: penetrat enim perfectæ pacis integritas ad ea quæ sunt omnia, simplici maximè, & liquida potentia suæ vnius effectricis potentiæ, coniungens omnia, colligansque extrema per media cum extremis, coniuncta, vna, eaque cognata amicitia.*

D. Dio Areo.

Diuersa, & disparia Deus reducit ad suaue vnitatis melos.

Perfectæ pacis integritate Deus colligat omnia.

In hac ergo mundi Republica licet motionibus inter se dissitis, eius ciues dissentire videantur, ab vnico tamen moderatore, pacis, & vnitatis amatore tanquam contubernales in hac magna Dei domo conueniunt mira pace, atque concordia, morumque discordia concors efficitur, & quasi quodam temperaturæ concentu musico suprema cum infimis colligantur. Ex tali dispositione mundialis gubernationis, omni seditione semota, rectè coniectabitur mens quæuis solertior vnicum principem adesse, qui tanti imperij habenas moderetur, & ad publicam vtilitatem, & incolumitatem inflectat ad congruentem coaptationem, & compagem contrarias inter se naturas. Præclare sanctus Athanasius orat. contra gentes inquit:

D. Athan.

Mundus velut cythara ex varijs sonis consentientibus ab artifice Deo pulsata.

Si quis è longinquo citharam audiat, ex multis, & diuersis neruis compositam, & ex ijs concentus harmoniam admiretur, quod non solum grauis suum sonum absoluit, neque solus acutus, neque solus medius, sed omnes pariter pari modo inter se consonant, planè ex eo intellexerit, non à se ipsa citharam moueri, aut à pluribus pulsari, sed vnum esse musicum, qui vniuscuiusque nerui vocē ex arte ad concentum harmoniæ misceat, etiam si illum non contueatur: ita quoque ex consona vbique, & concinna mundi dispositione, nec superioribus contra inferiora, neque inferioribus contra superiora insurgentibus, sed omnibus in commune vnum ordinem conficientibus, consequens est vt non plures naturæ principes & Reges, sed vnum intelligamus sua luce omnia illustrantem, & mouentem.

Ex creaturarum ordine, & consensu vnum esse regem omnia collustrantē, constat.

Mente concipit sapientissimus Antistes in hac orbis machina Deum tanquam citharœdū, qui lyram orbis acutis, grauibus, remissis, inferioribus, & superioribus tonis pulsat, dulciori harmonia, quàm ea, quæ diapason nominatur, ex omnibus vocibus congregata; resonat enim hoc plectrum ex fidibus siderum, elementorū, cælorū dulci sympsalmate, excitantque animū vocu concentu, & consensu ad contēplationē vnius

Digitized by Google

vnius Domini Imperatoris, vniusque manus omnipotentis barbiton pulsatricis. De hac cœlesti Symphonia, & musico concentu ait Deus apud Iob: *Concentum cœli dormire, quiescere quis faciet?* Quasi diceret, nullus. Sicut enim cœlorum, elementorumque status, & inuariabilis est motus suis alternatus legibus, quem nulla potestas poterit dissipare. Sic eius concordia, & æquabilitas valde arridet Deo. Sed dulcius resonat omni cheli, & psalterio consensus animorum, concordiæ fidibus delinitur eius auditus. Musicum concentum in cœlestibus audiuit Euangelista Ioannes Apocal. cap. 14. v. 2. *& audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audiui, sicut citharedorum citharizantium in citharis suis.* Quid canant citharistæ omnibus neruis intenta harmonia, quod melos resultet replens cœlestia atria? Docet S. Andreas Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus in Apocalypsim cap. 39. *Vox multarum aquarum sonusque tonitrui, & citharizantium, hymnorum, & laudum, quas sancti fundunt claritatem, odeque & carminis suauitatem, & consonantiam significant: ha namque instar chordarum citharæ apte compositarum per vniuersam Ecclesiam, cœtumque primogenitorum in cœlo descriptorum latè circumsonant. Enim verò quod est concinna fidium consonantia hoc sanctorum est consensio, mutuaque interse conspiratio.* Ecclesiæ Christi, & fidelium cœtus hoc concordiæ & pacis blandimento, quasi dulci melodia demulcent auditum Dei ipsorumque sanctorum; nulla harmonia suauior resultat apud cœlorum regiam, quàm cordium consensus glutino charitatis copulatorum in Dei gloriam coëuntium, hanc citharam spiritus sanctus pulsat, quid mirum si tam dulce melos fundat: hic hymnus, hæc oda congruentium animorum, amoris fœdere copulatorum cordium, digna est agno stante supra montem Sion, & cœlestium purpuratorum senatu. Sed cur prius vox apparet similis aquarum torrenti præcipiti cursu sese dilabenti, aut horrisono tonitrui fragori ex violenta nubium collisione resultanti? *Audiui vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni.* Quia nulla huiusmodi calamitas, aut res aduersa, quæ per tumultum, & strepitum aquarum adumbratur, nullum iræ fulmen, aut asperioris verb tonitruum ex pectore liuore incalescente, & æstuante iactatum, inrerturbat sanctorum pacem, & quietem, nec charitatis nexum, quo inter se cohærent dirimit, aut dissoluit, tunc enim amoris plectrum, & societatis intimæ organum dulcius concrepat, cum ex ipsa hostis oppugnatione, & acerbitate doloris, omnes citharæ nerui contenduntur, altiorem acutioremque sonitum, multoque gratiorem efficiunt; cùm aliàs deficiente inimica oppugnatione fides relaxantur, pulsantur remissius, submissumque reddunt sonitum; de passionum tolerantia sublimius concrepat iusti lyra, citharam frangit, qui sustinentiam amittit.

Speciosior consensus animorum, quam vnitas elementorū.

Apoc.

Vox, & sonus in cœlo citharizantium, vnitas est, & concordia sanctorū.

D. Andr. Cæsar.

Cur vox cœlestium musicorum cum strepitu aquarum, & tonitrui fragore comparetur.

Nullum iræ fulmen, aut verborum tonitrum sanctorum pacem turbat.

Ex hostium oppugnatione dulcius resonat charitatis cithara.

4. Rationale iudicij, mirabilemque illius ornatum pectori sacerdotali summi Antistitis Aaron appensum sapienter describit Moyses Exodi c. 28. in eoque insitas gemmas in pallis suis, insignitas nominibus filiorum Israël ostentabat miro splendore collucentes, ibi versu. 17. *Ponesque in eo quatuor Ordines lapidum: in primo versu erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus: in secundo carbunculus, sapphirus, & iaspis: in tertio ligurius, Achates, & amethystus: in quarto chrysolitus, onychinus, & beryllus.* In quibus lapidibus illud perpendendum venit, quàm distinctis & variis fulgoribus colluceant, vel candidulo, flammeo, cæruleo, viridi nitore, inspersis quandoque punctulis, aut stellulis intus ardentibus, & fulgurantibus nitescant; hæc nitoris & lucis discrimina argute annotauit S. Gregorius Nyssenus libro de vita Moysi scribens de textura lapidari quadri ordine: *Lapides autem ita erant varij, vt nullius ad alterum esset similitudo; proprio enim singuli splendore fulgebant.* In quibus Moyses tribuum genios, naturæ pronitates, ingenia, magnalia, & facinora demonstrabat; ij autem lapides, natura discordes, splendoribus dissimiles, annuli aurei colligabant, & in eodem rationali inserebant; est enim proprium Dei opus diuersos motus animorum, disparia studia, dissitas voluntates conciliare, & copulare amoris nexu; quare vbi legit vulgatus versu. 10. *Inclusi auro erunt per ordines suos*; vertunt LXX. seniores: *colligata in auro.* Vt charitatis auro copulatas gemmas prædicent. Nec inexaminatum relinquas illud verbum *In primo versu erit lapis sardius*, &c. scio versum quandoque denotare ordinem, & lineam, LXX. & hebræus ordinem nuncupat, & vulgatus in postremis verbis: *Inclusi auro erunt per ordines suos.* Cùm verò delineat lapides Trinitate dispositos, appellat versus primum, secundum, tertium, & quartum, vt discrepantium voluntatum consensus & coitio, hymnum & gratissimum canticum componat, concordiæ concinnitate, & musica temperatum.

Exod.

Lapides rationalis dissimili fulgore micabant.

D. Gre. Nyss.

Magnalia, & ingenia tribuum Israël in diuersis lapidibus adumbrata.

Disparia studia & dissitas voluntates Deus in consensum reducit.

Lect. Lxx.

Gemmæ auro charitatis copulatæ.

Ordo lapidū versus dicitur, quia ex voluntatum consensu hymnus suauis redditur.

5. Perscrutatur S. Isidorus Pelusiota cur duos fratres primos vocauit Iesus, vt Apostolici cœtus fundamenta poneret? Matthæi cap. 4. versu 18. *Ambulans autem IESVS iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis, venite post me.* Et quæstionem soluit lib. 1. epist. 10. rationem esse vt Ecclesiam suam in amore fundaret, in charitate radicaret: sic enim ait: *Nihil apud Deum tanto in pretio est, quàm Charitas: ob quam & homo factus est, & ad mortem vsque obediens. Eaque de causa discipuli quoque illi, qui primi ab illo vocati sunt, duo fratres extiterunt. Ex quo statim per ipsa initia sapientissimus Saluator illud indicauit, se discipulos omnes suos fraterno amore copulari velle.* Primos collegas ad Apostolicum apicem acciuit sanguine germanos, necessitate coniunctos, vt pacem indicaret, & amicitiam inserendam in animis eorum, qui Christum sectarentur? Apostolicam architecturam à concordia inchoat, & charitatis fastigium eidem imponit, vt nihil nisi consensus, & copulatio cordium à spiritu sancto operata in sacro Apostolorum sodalitio interueniat; à coniunctis sanguine orditur hoc opus, vt ipsa fratrum necessitas strictius compaginet structuram, & germanitatis amor concordiæ ferat suffragium.

D. Isid. Pel.

D. Mat.

Primi Apostoli à Deo vocati, fratres erant vt Ecclesia in amore fundaretur.

Apud Deum manet pretiosissimum charitas.

6. Cupit IESVS sic amore deuinctos suos sectatores, & vnanimes, vt eorum consensus vnitatem, quæ interest inter patrem & filium

Optat Iesus, vt sectatores sui vnitatē, quæ intercedit inter patrem & filium, æmulentur.

D. Ioan. filium æmuletur. Proponit Ioannes Theologus Dominicæ pietatis, & amoris affectum cap. 17. v. 22. *Et ego charitatem quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum sicut & nos vnum sumus.*

Ammo. Cat. Græ. Quæ autem sit ista claritas expendit Ammonius in catena Græcorum Patrum, dicens: *Claritatem dicit eam quæ ex signis, & doctrinis, atque animorum consensione existebat.*

Charitas Iesu ex consensu animorū.

D. Chrysost. Et Chrysostomus ibidem citatus: *Frequenter hoc dicit, vt ostendat potentiorem esse pacem, quàm signa ad homines alliciendos. Quemadmodum enim discordia dissoluit, sic & concordia conglutinat, corroboratque.*

Pax, aut concordia signis potentior ad homines alliciendos.

Claritatem vocat mirabilem illum splendorem, qui refulgebat in Christi operibus, & doctrina, famæque celebritatem, & existimationem, quam ingenerabat in hominum pectoribus eius sanctitas, & vita irreprehensa; sed potissimum nuncupat claritatem consensum animorum, qui militiæ Christi nomen dabant. Ex tali enim pace, & cordium vnitate tanquam doctorem eximium diuinum legislatorem à Patre missum coniectabant. Hac igitur vnitatis claritate illustrabat Discipulorum corda, eosque instruebat illustriora esse signa amoris, & pacis Dei, quæ exsuperat omnem sensum ad alliciendos gentium animos, quàm miracula; quo pacto deuincient, & agglutinabunt Deo animas, qui inter se bellis, dissidiisque discordant? nec credent Deum, qui est pacis auctor, concordiæ magister, in iis habitare, qui rixa, & contentione se ipsos discernunt. Hac igitur claritate solis æterni, quam participat à Patre Discipulorum corda illuminauit, vt Patris, & Filij vnitatem æmulentur. *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Non cupit æquabilitatem nexus, vinculi parilitatem; sed singularem similitudinem illius copulationis imitatricem.

Vnitas Patris, & Filij æmulanda in consensione voluntatum.

Præclarè sanctus Cyrillus in catena Græcorum Patrum, inquit: *Charitatis, & concordiæ vinculum petit, quod ad tantam spiritalem credentes vnionem perducat, vt naturalis, ac consubstantialis in Patre, & filio, ac spiritu sancto vnionis similitudinem imitetur.* Hæc Cyrillus.

D. Cyrill. Cat. Græ.

✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤

Irruet populus vir ad virum. Tumultuabitur puer contra senem.

DISCVRSVS II.

Pax, & vnitas amica viro iusto, inuisa dæmoni dissidia anhelanti, qui omnem lapidem mouet, vt copulatas glutino charitatis voluntates disgreget, iucundissimam societatem, & concordiam animorum dirimat.

1. IR iustus sanctissimus Iob assertor, & vindex vnanimitatis, & pacis in lege naturæ; qui, inter natos conuiuia cum sororibus celebrantes, simultatem omnem satagebat auferre, ne qua rixa læderet charitatem, & consensum animorum illius religiosi sodalitij; quod non tam illustre reddebatur de sanguinis glutino, & vnitate stirpis quàm de amoris fœdere; si forsan inter symposia aliquod excidisset verbum, aut imperfectionis labecula humanæ fragilitati irrepisset, offerebat holocausta pro singulis ad abstergendum, & purgandum vel leue piaculum Iob. cap. 1. vers. 5. *Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis.*

Iob zelantissimus pacis filiorum.

Iob. *Offerebat holocausta pro singulis.*

LXX. seniores aliter verba dispungunt in Bibliis correctis Sixti Quinti: *Purificabat eos consurgens mane, & offerebat pro eis victimas secundum numerum eorum, & vitulum vnum pro peccato, pro animabus eorum.*

Lect. LXX. *Pro filiorum vnitate vitulum vnum li abat.*

Singulis singulas victimas dedicabat, vt nullus excluderetur à religiosi antistitis munere, & obsecratione, vt pro cuiusque conscientiæ expiatione victimam offerret; quid necesse est litare vitulinam hostiam pro vniuersis: *Victimas secundum numerum eorum, & vitulum vnum.* Victima, quam vnusquisque natus sibi vsurpat, omnes perpurgauit sordes; comessationum, si qua infuit, superfluitatem, velut spongia absterget: qualemcumque dissipabit delicti vmbram, quid necesse est adiicere litationem vituli vniuersitatem filiorum emundantis? Intende, iugulabatur vitulus pro vnitate, erat hæc pacis, & concordiæ victima. Argute Origenes hoc annotat lib. 1. in Iob. *Cur autem vnum vitulum pro omnibus sacrificas? Cur vnum vitulum communiter pro omnibus animabus iugulas? Ob hoc, inquit, vnum vitulum communiter pro omnibus animabus macto, vt communionem, atque concordiam, vnanimitatem, atque consensum, cunctos illos doceam, vt cùm vnus vitulus pro omnibus iugulatur, vnanimes esse inuicem omnes iudicentur.*

Orige. *Vnum vitulum Iob pro omnibus mactabat, vt doceret natos vnanimitatem, & consensum.*

Gaudebat Beatus parens tot germina filiorum protulisse, qui nec animis, nec moribus discordarent, sed esset in iis vnus consensus voluntatum, vna animorum coitio; ager, cui benedixerat Dominus, irrigatus exhortationum irriguis, & cœlestis sapientiæ fluentis, in quo nullam hostis antiquus Zizaniam inseuerat; pro hoc charitatis nexu, qui pro antithesi humanorum ingeniorum, rarior esse solet inter sanguine coniunctos, inter fratres, & sorores, grates rependebat supremo numini Beatus Iob, vitulique hostiam offerebat, non tanti æstimans natorum incolumitatem, diuitiarum affluentiam, bonæ fortunæ omnibus arridentem vultum, quanti eorum indiuisam societatem, & indissolubile amoris vinculum.

Conuiuia inter natos à Iobo instituta, vt concordia firmaretur.

Nec abludit ab hac mente Chrysostomus, qui prædicat Iobum conuiuiorum auctorem, vt per mensæ, & panis communionem foueretur charitas, concordia firmaretur. Sic enim ait homilia 1. de Iobo: *Pro his vero, quæ vel verbo ipsis alterutro, vel contentione contigissent, continuò vesci ad inuicem faciebat. Existimans quoniam & si quicquam liuoris vicissim contraxissent, mensa panisque appositio eos conciliaret vnanimes.* Ad sanandum contentionis, & rixæ morbum, instituit Iob moderatam, & honestam epularem accubationem filiorum ad conciliandos animos;

D. Chrys. *Mensa, & eiusdem panis communicatio liuorem expungit, & vnanimitatem animorum efficit.*

Digitized by Google

Nam mensa, eiusdem panis, & poculi communicatio, quamtumuis distractos congregat, & conciliat; vt iurgium ex irato affectu exoriens, aut verborum acorem, anteuerteret calix, & panis, erat enim Iob parator simposij, & pacis instructor. Sic hæc terrena cibilla, esculentum, & poculentum corruptione obnoxium operatur; quem consensum, quam pacem & concordiam non inseret pectoribus Christi corpus, & sanguinem participantibus? lædimus, & dissoluimus charitatis pactum, quod in mensæ sacræ communicatione spopondimus, & sanciuimus, cùm rixamus.

In mensa Eucharistica charitatis fœdus sancitur.

2. Cùm plasmaretur Adam, & fieret paradisi incola, præceptum Domini cum ei iniungitur Genes. c. 2. v. 16. & 17. *Præcepitque ei dicens: ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Aliter vertitur hic locus iuxta vetustissimam lectionem L X X. interpretum: *Ex omni ligno quod est in paradiso esu edes: de ligno autem cognoscendi bonum & malum, non edetis de illo.* Et iuxta eos inhibitorius sermo ad plures dirigitur, cùm permissorius intimatur vni. Cùm prohibet vesci ligno scientiæ, pluralitatem denuntiat, cùm mandat edere, commendat vnitatem. Quo assolet ingenij acumine quæstionem excitat sanctus Ambrosius libro de paradiso c. 5. *Qua ratione vbi præcepit ex omni ligno edendum singulariter dixerit: edes: vbi autem de ligno scientiæ boni & mali pluraliter non edetis dixit? Non otiosa quæstio.* Eamque sapienter dissoluit dicens: *Quod enim bonum, hoc & faciendum: quod vero turpe, hoc dissonans, incompositum; atque discretum est. Et ideò Dominus vnitatem semper intendens, secundum vnitatem præcepit. Denique vnitatem operatur, qui fecit vtraque vnum. Nec solum vtraque, sed etiam omnes vnum fecit. Omnes enim vnum corpus, & vnum spiritum esse nos iussit. Per omnia autem primogenitus, cum sit in vnitate cum Patre coniunctissimus Patri semper est, quia Verbum erat apud Deum. Denique ait: Ego & Pater vnum sumus, vt vnitatem sibi maiestatis cum Patre esse monstraret. Sed & nos vnum esse præcepit, & sua natura vnitatisque similitudinem in nos gratia adoptione transfudit, dicens: Pater, sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Ergo vbi bonum præcipit, tanquam ad vnum præcipit, dicens: non edes. Vnitas enim præuaricari non potest. Vbi vero de ligno scientiæ boni, & mali dicit non gustandum, quasi ad plures dicit: non edetis. Quod enim prohibitorium est, tanquam pluribus imperatur.* Mira argutia sacri sermonis reperitur in hoc textu; cum imperium plurium lignorum, & epularum iniungitur vni, & vnius ligni interdictum plurimis præscribitur; qui enim erat natura cum Patre coniunctissimus nullam admittens diuisionem, nullum discrimen, sed omnimodam intimamque identitatem; qui per spiritus gratiam & dilectionem nos vnum cum Deo exoptabat, ab vnitate orditur alloquium primitiuum, quod de ore Dominico prolatum in auribus Adæ personuit. Ideo vnitatem exambit in plasmate suo, vt stabili fundamento indiuisionis construat hominis structuram, quæ nullo discretionis ambitu, aut tentationum procella nutaret. Vbi iustus est protoplastus legem non transgrediens indiuisus est, vnitate coronatur, & amoris diuini concordia: vbi transgressor est exorbitans à via iustitiæ, respuens diuinum præceptum, diuiduus est, discriminatus à Deo, segregatus ab vxore, natisque suis, à quibus diuisus erat criminis diuortio; vbi culpa adest exulat charitatis nexus, vinculum spiritus. Ideò cùm intimatur præceptum de non comedendo, in cuius contemptu crimen erat positum, pluralitatem includit: *Non edetis de illo.* Amplius: Cùm hoc imperatum edicitur, solus erat Adam, necdum formatum illius adiutorium, nec de latere viri constructa virago; ad nondum existentem fœminam censorius Dei sermo dirigitur, vt radices omnes mali animas diuidentis, amputet; vtriusque sexus homines cum Deo inter se perpetua charitatis copula nectere intendebat. Solutionem alteram non minus aptam quàm argutam adinuenit Ambrosianum ingenium eodem loco substitutam: *Ego tamen aliud puto, & quid futurum sit, in ipso iam Dei sermone reperio. De omni ligno gustandum Adæ soli præcepit, quem seruaturum sciebat: de ligno autem scientiæ boni & mali non esse gustandum, iam non singulariter, sed pluraliter dicit: sciebat enim præuaricaturam mulierem: & ideò per pluralitatem ostendit non seruaturos, quia plurium discreta sententia est.* In ipso sermone Deus malum ominatur, cum plures exaudis cautione inhiberi a ligni pomo, portentum accipe futuræ transgressionis. Sciebat enim fœminam præuaricaturam, quæ vnitatem temerauit, mundo diuisionem inuexit: ipsa enim autrix mali, architectatrix doli, inuentrix discordiæ, non tantum mortem, sed separationem, & disiunctionem animorum sæculo intulit.

Genes.

Lect. LXX.

Præceptum edendi de omni fructu paradisi mandatur vni, prohibitio abstinendi à ligno scientiæ intimatur pluribus.

D. Ambr.

Hoc discrimen Ambrosius quæstione non otiosa disquirit.

Bonum consonans est, & cohærens, malum vero diuisum atque discretum.

Deus vnitatem semper intendit.

Vnitas filij cum patre æmulanda est hominibus. Vnitas præuaricari non potest.

Deus ab vnitate orditur alloquium primitiuum.

Adam dum non præuaricatur, indiuisus est, & vnitate ornatur; cum præceptum transgreditur, diuisionem inuexit.

Censorius diuini præcepti sermo ad Euã nondum existentem dirigitur.

D. Amb.

Præsciebat Deus præuaricaturam.

Pluralitate indicat Deus non obseruaturos præceptum.

3. Est enim improborum symbolum diuisio; quod lemma viuis coloribus adumbratum cernimus in illo promisso Abrahæ facto de propaganda sobole maiori multiplicitate, quàm siderum fuerit numerus, aut maritimi litoris arenæ; quod fœdus vt sanciat Deus, & stabiliat immobiliter, sacrificare iubet animantia notissima, aptissimaque holocausto, parare victimas, & in ara litare. Genes. c. 15. hæc series habetur Dominici imperij. ver. 9. *Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuersa hæc diuisit ea per medium, & cuiusque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit.* De industria omitto clibanum fumantem, lampadesque prætereuntes per medias diuisiones scrutantes exta, viscera holocaustomatum, quia alterius negotij, & instituti sunt hæc. Dibifidata membra hostiarum, integramque columbam cum turture ad præsens institutum carpo; nam in membris illis dissectis, impiorum cordium distractio, sicut in simplicibus auiculis turture, & columba, non patientibus cultri violentiam, nec dilaniationem, vnitas, & concordia iustorum portendebatur. Præclara hæc contemplatio est sancti Augustini Sermone 54. de tempore, rationem assignantis quare animalia diuisisse in duas partes dicitur Abraham, aues vero non diuisit? *Quare hoc fratres? Quia in Ecclesia Catholica carnales diuiduntur, spirituales omnino non diuiduntur.*

Hominum improborum symbolum diuisio.

Genes.

In fœdere, quod Deus sancit cum Abraham, animalia bifidantur.

Columba turturque non finduntur.

D. August.

Carnales diuisi, spirituales indiuisi.

Quare

Quare carnales & diuisi, & contra se positi sunt? Quia omnes luxuriosi, & amatores mundi, contra se inuicem divisiones, & scandala habere non desinunt. Isti ergo diuiduntur, quia sibi inuicem aduersantur: aues autem, id est spirituales non diuiduntur. Quare spirituales non diuiduntur? Quia est illis cor vnum, & anima vna in Deum. Est in illis vnum velle, ac nolle. Hæc Sanctus Augustinus.

Qui ambulant in spiritu, habent cor vnum, & animam vnam.

4. Iniqui inter se discrepant, & ad inuicem contrariantur, sicut è regione oppositæ acies se se oppugnant; symbolum ergo improborum diuisio est, tessera iustorum vnitas. Nec immerito tanta solicitudine distractus est sacratus Antistes Abraham vt carniuoras aues circumvolitantes abigat, quæ sanguinum, & carnium nidore attractæ, opportunæ prædæ inhiabant, quæ quidem typus erant dæmonum, qui dicuntur volucres, propter elationis volatum, & agilitatem naturalis potentiæ, quibus sapida offa est hominum dissensio: amant enim iniquos inter se rixantes, & diuidentes, iisque insident placide tanquam cadaueribus animantium aues, exaturantur, oblectanturque tanquam pulpamento, & lautiori obsonio cordibus discordibus, humanis dissidiis viuunt. Postremis hisce verbis insinuata manet secunda pars discursus, eam opportunè insectemur.

Dæmonibus epulum suauе [?] animorũ dissensio.

5. Dæmonis astus est seditiones conflare, perturbare pacem, fratres contra fratres armare, seminare discordias, & à pectoribus humanis radicitus conuellere charitatem. Tradidit Iesvs doctrinam suam parabolæ velatam tegminibus, vt mens perspicax solerter inquireret, intus quid lateret. Matth. cap. 13. v. 24. cœlorum regnum comparat cum agricola sauciante tellurem vomeribus, bonum semen serenti: *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt.* Ibi. v. 25. antequàm triticum perueniret ad segetem, & germen è terra erumperet, teneroque virore seminis triticei partus gemmaret, infelix lolium, sterilémque auenam superseminauit, vt referta terra satoris aduersi seminibus, tribulos, carduos, lapsasque frugis morbum, terræ péstem germinaret; quibus dominantibus, & inualescentibus, gleba sterilesceret, & triticei seminis suffocarentur partus. Hac figura Christus carnalibus sensibus subiicit subdolum diaboli ingenium in hominum cordibus dissidia seminantis. Pulchrè S. Chrysologus serm. 96. inquit: *Quia diabolus hæreses inter fideles: inter sanctos, peccatum: inter pacificos, lites: inter simplices, dolos: inter innocentes, nequitiam gratis serere consueuit: non vt acquirat zizania, sed vt triticum perdat: nec vt reos capiat; sed adimat innocentes.* Exambit dissidia, anhelat neces, & charitatis copulam scindere, & disperdere satagit dolosa sæuitia omnis mali, & crudelitatis artifex: naturæ similitudine, amoris vinculo, de vnico fonte protoplasti humanum genus propagans Deus reciprocæ charitatis igniculum indidit hominibus, & semen dilectionis inseuit, vt quasi quodam glutino innecterentur mortalium corda; at inimicus rixas seminat, coniuncta disgregat, vniformia distrahit, sentes discordiarum permiscet, vt iis socios pungat, contubernales amori vulneret, & sauciet, & in mutuas cædes prouocet liuore ar-

Proprius dæmonis astus est, seminare discordias.

Parabola agricolæ bonum semen serentis, & Dæmonis superseminantis zizania.

D. Matth.

D. Chrysol.

Diabolus quot dissensionum zizania serat, vt triticum perdat.

matos. Aptè idem Antistes Rauennas prædixerat: *Cain probat hoc, qui prius germano sanguine terram tinxit: & in exitium fraternum mortis dignus extitit dedicator. Sic ex discordia nata mors semper humanam scindit & separat charitatem.* Inuentor, & auctor mortis Adam, necdum amara sors & crudelis hominem à vita separauerat, non vitalem auram abruperat, aurea stamina vitalis vsuræ cultro suo absciderat, nullum germen humanum fatali falce secuerat, in improbo Cain separationem, fatum, priuationem huius lucis, interitum hominis discordia dedicauit; discordia fraternam armauit dextram, ad exitium compulit germani, vt terram fraterno sanguine fœdaret, violaret iura naturæ, & humanam læderet charitatem. Discordia cadauer hominis vibicibus liuidum, vulneribus horridum pinxit, & simulacrum mortis inexpertum adhuc, & inuisum, in corpore Abelis vita functi demonstrauit. Cernis à mundi exordio amicitiæ, & germanitatis dæmonem iuratum hostem? Dedicauit mortem dissidium, & liuor Caini, sed consecrauit in Martyrem, vt in conspectu Domini esset pretiosa: profuit, non nocuit Abelo discordia, quæ primam fidei probationem, & primitiuam dilectionem hominis pro creatore morientis initiauit. In aliis vero diabolus non probamentum, non emolumentum salutis perquirit, sed exitium, vt discordes ingerens amicitia sociatis, rixantes pacificis, subdolos innocentibus, omnia permisceat, & fermento iniquitatis corrumpat: *Non vt acquirat zizania, sed vt triticum perdat.*

D. Chrysol.

Cain origo discordia, & mortis dedicator.

Ex discordia nata mors.

Discordia sententiam mortis homini datam, exequitur.

Dæmon ab exordio, amicitiæ iuratus hostis.

Profuit Abelo discordia, quæ ipsum prouexit in martyrem.

6. Apertus & resignatus est coram Ioanne Theologo liber ille arcanis plenus, signatus sigillis septem, & in reseratione secundi hæc verba scribit Apocal. cap. 6. v. 3. & 4. *Et cùm aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal dicens: veni, & vide: & exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus.* Quem alium vidit sessorem super equum sanguinolenti coloris, nisi dæmonem pacis hostem, dissidij auctorem, neces hominum anhelantem, cuius potestas magna est ad nocendum; gladius eius, qui vocatur discordia vndequaque protensus, limatus, & splendens, excitans homines ad interitum, & ruinas populorum, nostris enim dissensionibus fit fortior; liuoris, & auaritię passionibus exacuitur ad cædes, dum enim pro terræ pugno digladiantur mortales, fit Diaboli spatha robustior, & maior occisorum sanguine inebriata. Annuit huic contemplationi Haymo Halberstatensis Episcopus in Apocalypsim dicens, *Permissu Dei datur diabolo potestas tollendi pacem è terra, id est de terrenis hominibus: nam quia isti terrena bona immodicè concupiscunt, & quoquomodo assequi contendunt, propterea inter se discordant, & dimicant, & mutuis odiis, atque cædibus ardent. Gladius quo sessor istius equi armatus est intelligitur mala persuasio, praua suggestio, iniqua deceptio.* Nec discordat ab Haymonis mente Angelicus Doctor in expositione Apocalypsis: *Concessum est à Deo, vt tolleret pacem de terra, id est pacem temporalem, & pacem animi de cordibus terræ deditis, multum laborat ad ponendam discordiam, Gregorius: valde charitatem nostram, id est amorem humilem, quem* nobis

Apoc.

Diabolus sedet super equũ rufum, vt sumat pacem de terra.

Dæmonis gladius discordia limatus ad hominis ruinam, & excidium populorum.

Haimo.

Diabolus aduer. [?] hominis terrenos concupiscentes terrena præualet discordijs.

Dæmonis gladius mala persuasio, iniqua deceptio.

D. Thom.

Diabolus maxime laborat, ad ponendam discordiam.

Digitized by Google

Diabolus charitatem timet, & cõcordia inuidet.

nobis vicissim impendimus, timet, & concordiæ nostræ inuidet: quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in cœlo. Et datum est facere per suggestiones, vt interficiant se inuicem, scilicet vnus alium gladio materiali. Ipse enim concitat bella, & rixas, vnde quandoque sequitur vt homines se inuicem interficiant.

Dæmon bellorum & rixarum conditator.

Ipse enim ab initio temporis paci aduersus, tumultus, & seditiones in sublimibus excitauit, inter Angelos perduellionem, & Apostasiam architectatus est; ideo inter homines semper quietis, & pacis impatiens lites mouet, rixas ingenerat, defectiones populorum à Regibus suis conflat, corda hominum inflammat inuidia, ad bella terrenas potestates incitat, & exacuit, ad mutuas cædes obarmat dextras: Cùm enim prospectaueris moderatores orbis, contempta beata tranquillitate, stimulari ad pugnas, inuasiones vrbium, tunc intellige aureo recedente sæculo ferreum aduentasse, & sessorem equi sanguine conspersi pacem sustulisse de terra, traditamque ei, permittente Deo propter flagitia populorum, magnam romphæam, qua homines interimat; humanis enim cædibus effertur, vastitate populorum & direptionibus exultat, congestis in immensos tumulos cadaueribus epulatur, occisorum sanguine inebriatur, nostris viuit ex mortuis.

Cum Reges terræ videris belligerantes, data est Dæmoni magna dissensionis rhomphæa, qua homines interimat.

7. Quantoperè auersetur hostis antiquus vnitatem, & pacem perpendit Chrysostomus cùm obseruat tempus, quo aduersus Iob natos parauit insidias; cùm eos prospectaret vnanimes, conuiuiis fraternis charitatis festa celebrantes, familiaritate contubernij, communicatione salis, & calicis amicitiam, & familiaritatem confirmantes, illud honestatis domicilium adorsus est nimborum flatibus, & procellis à fundamentis diuexans, & commouens, domusque culmina super commensales iactans, vt conuiuium permutaretur in tumulum. Iob cap. 1. vers. 18. *Filiis tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* In quæ verba os aureum fatur homilia 1. de Iob: *Sed boni totius aduersarius inuidusque diabolus obseruauit tali eos tempore necare, (qui nullatens peccauerunt) pueros, tempore scilicet meridiano, quo cùm omnes læti simul erant, cùm ad pacem coniungebantur.* Pensitanda sunt postrema verba: cùm enim ad conciliationem, & vnanimitatem associarentur, quasi quodam lethali iaculo sauciatus est dæmon fratrum consensione, ideo ardens inuidia conuulso à fundamentis triclinio in caput eorum impulit; aduersus fraternam pacem tabescens infremuit, armauit elementa, vt diruerent domicilium concordiæ, pacisque delubrum. Conceptum amplificat Origenes Adamantius, & natorum Iob indiuisam vnitatem lib. 1. in Iob: *Erant omnes vnanimes in pietate; pacifici in iustitia, atque in Dei timore concordes, vtpote Iob filij, & non tanquam Esau nepotes. Esau enim cùm vnum sufferre non posset germanum fratrem Iacob, interficere eum quæsiuit. Septem vero filij Iob, & tres filiæ tanquam vna anima, indiuisi conuixerunt in vnanimitate, & tanta fuit vnanimitas laudabilium filiorum Iob, vt & malignus, atque inuidus dæmon facilius omnes pariter indiuisos interficere, quàm diuidere, atque dissociare benignam, atque veram, eorum vnanimitatem posset.* Ducebant originem Iob eiusque nati ab Esau, cuius præcordia exarserant in liuorem, & crudelem necem aduersus fratrem, nec temporibus aut aduersitatibus, quibus iactatus est, consepultum fuit odium germani, illud suæ prosapiæ tanquam hæreditarium munus reliquit; Iob tamen de Esau participauit sanguinem, non vsurpauit inuidiam, hausit vitam, non crudelitatem, in Iob purificatum est stemma criminosum, extinctus est in palmite ardor vindictæ, quo arboris truncus inflammabatur; ideo filij Iob eruditi concordiæ disciplina in conuiuiis suis ad amoris fastigium conspirabant, in quibus velut in firmamento sideribus splendidis micanti eminebat vnanimitatis decus, charitatis insigne; ideo, dæmon omnes machinas mouit nocendique artes instruxit, vt eorum vnitatem dirimeret: *Omnes pariter indiuisos interficere, quàm diuidere posset.* Inuertit culmen domus, sed non euertit charitatis fastigium, disgregauit vitam, sed non vnanimitatẽ, animas à corporibus disiunxit, sed distrahere non valuit glutinum animorum; pax, vnanimitas, dilectio indiuisa, & inuicta permansit, cùm sub eodem triumpho amicitiæ colligatis, eadem catena amoris innexis circulis aureis, etiam in morte non confringitur vnitatis monile.

Diabolus aduersus Iobi filios parauit exitium, cum eos vidit vnanimiter epulantes.

Iob.

D. Chrys.

Origen.

Mira filiorũ Iob vnanimitas.

Diabolus interficere indiuisos potuit, diuidere non potuit,

8. Promisit Oseas seruatoris nostri victoriam de morte portandam, & auferenda spolia de Tartarorum regione cap. 13. v. 14. *De manu mortis liberabo eos.* Et statim adiungit: *Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres diuidet.* Lxx. legunt: *De manu inferni liberabo eos.* Quis ergo diuidit & separat inter fratres? Mors. cur ergo mors vocatur infernus? Quia inter fratres diuidit, qui enim causa est diuisionis, infernus nominandus. Argutè S. Hieronymus inquit Prophetæ nomine: *Non valeo consolari: quidquid mente concepero, dolorem meum non potest mitigare, cernentis charissima inter se nomina morte seiungi: ipse inquit infernus inter fratres diuidit. Quidquid igitur separat fratres, infernus est appellandus.* Mortem nuncupat infernum Vates, quia sociata disiungit, inter amicos & sodales vitæ fœdera rumpit, diuidit enim sponsum ab sponsa, parentes à filiis, & dissipat amicorum suauissima consortia; mors ergo, quæ architectatrix est diuisionum, inferni sibi nomen vsurpat: *Quidquid igitur separat fratres infernus est nominandus.* Qui ergo in sodalitatibus, & contuberniis discordiarum, aut rixarum sator est, lædit vnitatem animorum, in acies diffidentes, & varias factiones diuidit corda mortalium, inferni nomen promeruit: Homines enim separat à Deo, & inferorum barathro viam sternit; paradisum, & hortum Domini tranquilla pace fruentem, in Tartara immutat, locum verè tenebrarum, in quo nullus ordo, sed confusio, & horror inhabitat. Merito eum, qui pugnis gaudet, odiis, & dissidiis, dæmonem vocat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 167. cuius verba sunt: *Eum qui pugnis gaudet, ac tumultibus delectatur, atque id studet, vt omnibus odio sit, quonam eum nomine aptius & commodius quisquam appellet, quàm si ipsum nequam atque improbum dæmonem vocet, vt qui voluntate, animique instituto naturam mutarit?* Sicut vbi

Oseas.

Mors inter fratres diuidens, appellatur infernus.

Lect. Lxx.

Qui diuisionis est origo, infernus nũcupandus, & mors.

D. Hieron.

Charissima inter se nomina mors seiungit.

Quidquid separat fratres, infernus nominandum.

D. Isid. Pelu.

Qui pugnis gaudet, & tumultibus delectatur improbus dæmon est.

Digitized by Google

vbi Deus, & Angelus sunt, cœlum adest, sic vbi commoratur rixator, & voluntatum diuisor infernus est, dæmonem enim discordiæ auctorem, & inferias vmbras secum portat.

Inter regnū Dei, & dæmonis quantum intersit discrimen.

9. Quantum intersit discriminis inter regnum Dei, manifestat IESVS Lucæ cap. 11. nam iuxta diuersitatem imperantium sanciuntur leges, & statuuntur iura regnorum; pacis amator Deus discrepantia concordat, colligit dispersa, diuisa consociat; distracta, ciuitatis, & amoris glutino innectit; discordiæ artifex Diabolus, & dissensionis architectator, vnita distrahit, in vnum coeuntia dispergit. Sic enim cœlestis legislator, vtriusque reipublicæ diuersos, aduersosque mores discernit. ibi vers. 23. *Qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* De vtriusque regni statutis hoc in loco disertè scribit Albertus Magnus Ratisponensis Episcopus: *Christi est colligere, dæmonis autem dispergere. Et sic regnum Dei cum dæmonum regno nullam habet communicationem. Colligit enim Christus, & sancti colligunt secum. Colligit autem Christus primò passiones in formam virtutis, actiones ad normam rectitudinis, electiones ad prudentiam rationis: Animales vires, & motus ad mensuram benè constituta mentis. Diuersas, & discurrentes, & vagas cogitationes ad contemplationem intellectus diuini simplicis. Multitudinem totam operum in vnum simplicis intentionis. Multitudinem credentium in vnanimitatem cordis, multitudinem ouium in omnibus nationibus ad vnitatem vnius ouilis, & cura pastoralis. Et sic semper Christus colligendo est, & congregando. Vnde Augustinus in libro decimo confessionum: in omnibus, quæ mente percurro, non inuenio locum tutum animæ meæ præter te, in quo colliguntur sparsa mea.* Sic enim militiæ cælestis cohortes, & deitatis satellites, qui pro foribus excubant Trinitatis, alios amore ardentes, sapientia copiosos, humilitate trementes, potestate sublimes, operationibus illustres, prodigiis mirabiles, imperio, & dominatione conspicuos, hominum ambitu, & tutela decoros, vna pulchritudo, & visio diuina, & fruitio Deitatis consociat, cælestes, & terrenos ciues, expertes corporis, aut ex corpulenta substantia compactos, eadem curia, eadem mensa, idem epulum congregat. De regno vero dæmonis subiungit Albertus expendens verbum *dispergit. Omni contrario modo collecta dispergit diabolus, qui diuisionis est pater & origo. Dispergit enim in varietatem passionum desideria peccantium. Dispergit in corruptionem actionum multitudinem iniustorum operum. Dispergit voluntatem in diuersitatem eligibilium. Dispergit mentis mensuram per diuersitatem animalium motuum. Dispergit intellectum in euagationes cogitationum inutilium. Dispergit intentionem per diuersitatem finium intentorum. Dispergit credentes in contrarietatem discordiarum. Vnitatem Ecclesiarum in diuersitates errorum. Exodi quinto dispersus est populus ad congregandas paleas:* Sic diabolus origo dissidij, fons discordiæ, dum Ierosolymam tumultibus, & dissensionibus repleuit, diruit Israëlis regnum (quod in se ipso diuisum desolatione desolatum est,) & populum Dei per totum orbem dispersit.

Albert. Mag. Christi est, discrepantia colligere; dæmonis est, collecta dispergere.

Vnitates mirificè quas operatur Iesus in homine, proponuntur.

Sparsa omnia colliguntur, & colligātur in Christo.

Deitatis visio quantam vnanimitatē operetur in Angelis, & hominibus.

Albert. Collecta dispergit Diabolus. Diuisionis est Pater, & origo.

Dæmonis dispersiones variæ describūtur.

Irruet populus vir ad virum, tumultuabitur puer contra senem.

DISCVRSVS III.

Diuisionis, tumultus, discordiæ, principium, origo, seminarium, ambitio principatus.

1. PRÆFIXVM theorema proponit & illustrat Magnus Basilius in Isaiæ commentario: *Pro extrema clade,* (inquit) *ciuitatis mox expugnandæ, sibi male metuentes, muris in humum disiectis, hostibus infusis vrbi, per ambitiosam cupiditatem obtinendi principatus, perque primatus amorem, se mutuis cædibus collidebant, & adoriebantur.* Cui noua decora, & ornamenta adiicere parati sumus. Parit enim dignitatum cupiditas, & infularum ambitus dissidia, strages, cædes, ex concupiscentia obtinendi honoris, & sedis primas, dissidia, lites, contentiones, pugnæ redundant. Quid mirum si hoc adstruimus in hominum contuberniis, cum ab hac labe, & peste non eximimus Angelorum cœtum! Habet enim nobile stemma honoris rapina, & principatus ambitio, in ipsa Dei regia domo, paradiso superno exorta est, à Dei primoribus, & principibus primis primæuam ducit originem. Affectarunt post creationem suam Dei cathedram, sublime magisterium, & cælestis Hierosolymæ imperialem prærogatiuam. De quorum insana elatione vaticinatus est Baruch cap. 3. v. 24. *O Israel quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Ibi fuerunt Gigantes nominati illi qui ab initio fuerunt statura magna scientes bellum.* De domo cælesti, in qua Deus vultum suum, & gloriam ostendit, sermo est apud Baruch, iuxta Ruperti placitum; insignioresque Gigantes, malos, & rebelles Angelos nuncupat, qui bellum Deo inferre tentarunt. De iis scribit lib. 1. de victoria verbi Dei cap. 14. *Profectò superbiam illorum nomine gigantium congruè signauit. Magnitudinem quoque immanitatem rebellionis eorum, quæ contra veritatem rebellauerunt, miro modo tam propriè quàm breuiter exposuit dicendo scientes bellum.* Illud tamen adiunge, Vatis sententiam non minori sapientia, & lepore, quàm argutia ornatam: improbos illos spiritus perduelliones, defectionis, & apostasiæ magistros, quos æmulati sunt impiorum spirituum acies, gigantes nuncupat Vates. Quid sunt Gigantes nisi monstra quædam naturæ, horrendæ, & vastæ molis magnitudine prædita, terrifica visu, super reliquum hominum vulgus humeros, & caput extollentia? Dicuntur Gigantes Dæmones, quia appetitu nimio dominationis elati, & inflati turgebant: Nonne Gigas diabolus, & Lucifer, cùm vsque ad solium Dei, & sessionem super latera Aquilonis, vsque ad Deitatis immensæ fastigium se sustulit, & cupiens iura dare omnibus, nulli esse subiectus, exaltauit

D. Basil. Ambitiosa cupiditas obtinendi principatum, Ierosolymam diruit, & ciues in mutuas cædes armauit.

Honoris rapina, & ambitus dominationis, in cœli regia habuit originem.

Baruch. In domo Dei Gigantes nūcupantur rebelles Angeli.

Rupert.

Superbia, aut rebellio dæmonum, nomine Gigantum exprimitur.

Magnus Gigas Lucifer, Dei cathedram, & dignitatem affectans.

exaltauit thronum super sidera? Erat tunc statura magna pertingens ambitu, & celsitudine sua cœli culmina; non erat magnus, & sublimis corporis mole, sed honoris magnifici ambitione, & propriæ excellentiæ existimatione: in mente sua magna dignitatem suam velut statuam auream fingens, & architectans, omnibus Angelis proponebat adorandam; væcordi consilio non exigua Angelorum annuit multitudo. Asciuit consortes criminis, quos habuit æmulos dignitatis. Rite ergo Vates proposita, & dimensa statura magna Gigantum, subiungit: *Scientes bellum*. Quis parauit arma, bella docuit, præliares copias in cœlo disposuit, ad militandum aduersas instruxit, nisi amor primatus? Cùm progenita, & adulta est in Angelorum mentibus ambitio, inuenta est ars præliandi, exorta dissensio, arma verborum, & cogitationum improbarum Apostatis Angelis ministrauit furor. De magistratu & prærogatiua honoris contendentibus Angelis tenebratum, ab iis exulat pacis lumen, paradisi status tranquillus, cæli regia impletur tumultibus præliorum.

Se ipsum velut statuam auream adorandum proposuit cæteris angelis.

Amor primatus, in cælo belligerare, & aduersas acies instruere, docuit.

2. Nec stetit in aula cæli regia contentio, & dissidium pro ornamentis prælaturæ, ad Apostolicum Senatum deriuatum est: Cum enim IESVS instituto amoris symposio, distributo corporis sui sacro epulo, & sanguinis poculo, non leuibus indiciis indigitaret proditorem, vnumque esse asseueraret ex commensalium numero, qui Magistrum de omnibus benemeritum, tam clementem & pium, qui pro alumnis suis sanguinem, & vitam paratus esset profundere, vilissimæ mercedis commercio, & exiguo argentorum numero Iudæis venderet; lis exorta, dissidiumque graue excitatum est inter Apostolos Lucæ cap. 22. vers. 24. *Facta est autem contentio inter eos quis eorum videretur esse maior.* Æmulatio honoris etiam sanctos exussit; & Dynastæ Regis æterni amore vocati, in pace nutriti, concordia stabiliti in domo pacis veri Salomonis, qui nuntium remiserant sæculo, qui pro Christi schola, & sequela omnes respuerant principatus terrarum, qui alias opes in mundo non possidebant præter vilem cymbam, & piscatoriæ artis cassides; obiecta animo spe principatus & præfecturæ, vnusquisque præiudicium æstimat sui honoris, si alterius sibi anteponatur imperium, & affectás esse primarius, Apostolorum apex & coriphæus, pacem turbat, stratum Christi, sacrum mysteriorum triclinium vociferationibus implet, & tumultibus. Licet enim Venerabilis Beda excusationem piam discipulorum prætendat, eorumque litem componat, asserens contendisse non ex ambitu honoris, sed ex affectu humiliationis, quia vnus alterum honorificentia, & exhibitione reuerentiæ præuenire optabat. Hæc tamen Apostolicæ labeculæ translatio, & amotio non arridet Ambrosio, qui lib. 10. in Lucam fatur: *Caueamus ne in perditionem aliqua inter nos de prælatione possit esse contentio. Si enim contendebant Apostoli, non excusationi obtenditur, sed cautioni proponitur.* Nec placet Chrysostomo, quem refert Hugo Cardinalis ita scribens: *Chrysostomus videtur dicere, quod ambitio fuit causa, vnde dicit: passi sunt aliquid humanum discipuli de principatu contendentes. Sed certè illa ambitio non fuit peccatum, quia non de principatu terreno, fuit. Vnde Chrysostomus dicit: vide quia de principalibus terrenis non contendunt, sed de spiritualibus in cælo: Hoc autem infirmitatis erat. Nos autem neque ad infirmitatem illorum peruenimus. Non enim quærimus quis est maior in regno cælorum, sed quis est maior, quis copiosior, quis potentior in regno terræ.* Fuisse concitatam contentionem, & dissidium, terreni dominatus & prælationis causa indicat Ambrosius supra, & Christi obiurgatio, qua eorum sedauit tumultus. Pater Salmeron ait: *Fortè antequam cœna accumberent excitata contentio est propter mensæ loca potiora.* Et Apollinarius Laodicenus Episcopus in Catena Græcorum Patrum: *Illa autem contentio, quæ inter illos oborta est, quis nam eorum videretur esse maior, videtur hinc mota fuisse, quod Domino ex hominibus emigrante, existimarent aliquem ex iis ducis instar, ac Domini cum potestate cæteris præficiendum esse.* Et Albertus Magnus: *de aliqua elatione dignitatis in conspectu Christi tentati.* Nec mirum: necdum enim Spiritus sanctus super ipsos adueniens vberiori gratiæ fluento eorum corda purgauerat, nec ignis ille diuinus inflammauerat affectus, & residens super capita singulorum flammea lingua, linguas & labia nondum mundauerat, & scoriam affectuum, & verborum excoxerat, vt sola Domini loquerentur magnalia. In ipso sapientiæ triclinio, in conspectu Christi, cùm ambitionis tentatio in eorum pectora irruit, subdoleque pulsauit corda, vt in accubitu tenerent subselliorum caput, aut præfecturæ infulis decorarentur, tenentes Apostolici cœtus gubernacula; illicò dissidium, controuersia, & concertatio verborum exorta est.

Pro prælatura contentio deriuata est ad Apostolicũ senatum.

D. Lucas.

Apostolorum pacem turbat honoris ambitus.

Discipulorũ dissidentium excusatio non admittitur à patribus.

D. Ambr.

Apostolorum contentio cautioni proponitur.

D. Chrysost. Hugo.

Hugo contentionem à labe criminis excusat.

Non contendebant de principatu terreno, sed cælesti, iuxta Chrysostomũ.

Salmer.

Propter mensæ loca potiora excitatum dissidium.

Apollina. Cat. Græc.

Contendebant, quo Domino ex hominibus emigrante, præficiendus foret cæteris.

De elatione dignitatis tentati.

3. Perscrutatur Diuus Hieronymus cur IESVS, qui Ioannem Euangelistam Discipulis reliquis prætulerat prærogatiua amoris, non prætulit priuilegio dignitatis, eum præficiens collegij Apostolici rectorem, & caput? Ipse enim mirabili, & diuina sapientia instrueret suos alumnos, esset eis Angelicæ puritatis exemplar, & suauissimis moribus ad virtutem inuitaret? Respondet Doctor Maximus lib. 1. contra Iouinianum cap. 14. *Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo: ætati delatum est, quia Petrus senior erat: Ne adhuc adolescens, ac penè puer, progressæ ætatis hominibus præferretur: Et Magister bonus, qui occasionem iurgij debuerat auferre discipulis, & qui dixerat eis: pacem meam do vobis: & qui voluerit inter vos maior esse, minimus omnium sit; in adolescentem, quem dilexerat, causam præbere videretur inuidiæ.* Multiplices, & pulchras rationes accumulat Hieronymus, vt se ex hoc nodo difficultatis exoluat. Prospexit Christus honori Senioris Petri, vt præluceret prælaturæ insignibus, qui omnibus præiret ætate. Prælati, aut præpositi caput canities exornat, prudentia maturum, veneranda senecta candicans, auctoritatem, & cultum conciliat; inuenta vix ab ephebis egressa, adhuc pulchra lanugine nitens inexperta imperij periculis, aptior est obedientiæ loris flecti, quàm tenere habenas regiminis. Non eligit Ioannem Magister virtutis, vt in electione prælatorum omnem exuere doceret carnis affectum: si enim discipulum dilectum præficeret, forsan obtrectarent

Cur Ioanni, cui donata prælatura amoris, non est delata præfectura dignitatis.

D Hieron.

Petrus eligitur tanquam senior.

Noluit Iesus ætate prouectis hominibus præficere adolescentẽ.

Ioannem à prælatura excludẽs Iesus iurgia inter apostolos abstulit.

Causam præberet inuidiæ, si iuuenẽ sibi dilectum, prælatum eligeret.

Iuuentus aptior, est ad obediendum quam ad imperandum.

Docet Iesus in electionibus exuere carnis, & amoris affectus.

tractarent reliqui, primas amori, & affectui detulisse, amicum sibique gratiosum euexisse ad imperij culmen. Sustulit altercationes Doctor iustitiæ, & pacis, à schola & sodalitio Apostolorum. Remouit iurgia, dissidia penitus extinxit, cum iuniori dilecto antepofuit Petrum Seniorem. Timuit merito iustus Iudex, & scrutator cordium, ne Ioanne aliis alumnis præposito, collegis omissis, fomitem ministraret inuidiæ, aut contentionis tragedias excitaret.

Cur montes præcipit Dauid pacem suscipere? Psal.

4. De pace, quam Iesus cum membris humanis nascens detulit, & transtulit de cælis ad terras, vaticinatur Psalmographus, editque suauissimum carmen numero septuagesimum primum. Et vers. 3. occinit: *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Numquid iustitia, & pace camporum plana non indigent, vt ea in exhortatione ad pacem prælibandam silentio premat? Maior necessitas vrget pacis, vbi maius dissensionis est discrimen: quid per montes, & colles intelligendum, declarat S. Augustinus: *Montes maiores sunt, colles minores.* Et statim: *Excellenti ergo sanctitate eminentes in Ecclesia montes sunt, qui idonei sunt & alios docere, sic loquendo vt fideliter instruantur, sic viuendo vt salubriter imitentur. Colles autem sunt, illorum excellentiam sua obedientia subsequentes.* Postea argute pensat cur non dicit suscipiant colles pacem, & montes iustitiam, sed contra suscipiant montes pacem: *An potius cum distinctione non contemnenda intelligendum est, quod ait: montes pacem, & colles iustitiam. Excellentes quippe in Ecclesia, paci debent vigilanti intentione consulere: ne propter suos honores superbè agendo schismata faciant, vnitatis compage dirupta.* Montes insinuant viros dignitate, & prælatione conspicuos, qui non minus moribus, quàm decoris insignibus eminent; his, quos ad culmen honoris industria, vita, aut fortuna prouexit, & tanquam vrbem in monte fundatam prospectandos, & admirandos constituit, liuoris, aut ambitionis fulmina imminent; humilis planities paruulorum, quos humilitas strauit, & ad parendum semper abiecit, contemptis humanæ apicibus gloriæ, non adeo solerti indigent pacis admonitione; iucunda enim pace perfruitur, qui ambitu honoris non tangitur; à dissidio, & contentione prorsus alienus, qui humili, & beata sorte contentus, primatus prærogatiuam non requirit; pennigerum ambitionis iaculum altiora petit culmina, non repit ad infima, sed sublimes fastigiorum scopos figit; ideo non tanta cautione colles, quanta montes excitantur ad suscipiendam pacem. *Ne propter suos honores superbè agendo schismata faciant, vnitatis compage dirupta.* Ambitio vt potiora sibi vsurpet, pacis fœdera rumpit, vnitatem dissoluit, beatæ tranquillitatis statum conturbat.

Vbi maius contentionis discrimen, vberius adest pacis auxilium. D. August.

Qui sanctitate, & sapientia eminent, montes nuncupantur. D. August.

Excellentioribus in Ecclesia paci & vnitati inuigilandũ.

Excellentibus viris, liuoris fulmina imminẽt.

Ii, quos humilitas strauit, non adeo indigent pacis admonitione.

Diabolus cæli culmen obtinere affectans, quantos excitarit tumultus. D. Lucas.

Cur diaboli casus fulguri, & fulmini comparatur.

5. Cùm Lucifer affectauit tenere cæli culmen, & moderamen, & suæ iniquitatis consortes Angelos mira ingenij sagacitate excitauit ad suffragium suæ voluntatis; mirum est quantos motus excitarit in regione pacis cælesti Hierosolyma; diaboli tumultus Iesus manifestat, cùm illius ruinam enumerat simili aptissimo Lucæ cap. 10. v. 18. *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Quia ad iactum fulminis ex aeris collisione, & nubium, quas violentia ignis discindit, fragore tonitrui terra videtur tremere, Olympusque concuti. Sic Lucifer velut fulmen in suo casu motus, & tumultus concitauit, quos Michael, dracone proiecto, in sublimibus Dei extinxit, serena facie tranquillitatis, cælesti paradiso restituta. Quæ spinæ, & lappæ zizaniorum fuerint exortæ in paradiso cælesti ex appetitu superbiendi, quæ lites, bella, tumultus ex Luciferi negotiatione, vt sibi magisterium, & dominatum inter Angelos vsurpet, declarat Rupertus lib. 1. de victoria Verbi Dei cap. 22. *Igitur in sublimibus Dei discordia tumultus grandis extitit, inter magnas iras dæmonum magnumque, & bonum zelum spirituum bonorum. Nimirum vt hoc animaduertamus, scilicet quod in sublimibus Dei nimium pacem turbauerat.* Et statim Luciferum cum Regibus, & Dynastis pacem turbantibus, bella sitientibus, nimirum cum Assur, Rege Pharaone, Rege Tyri, & Nabuchodonosor Rege Babylonis de quo Isaias ait cap. 14. *Numquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna. De ipso* (inquit Rupertus) *est sentiendum, quod ita turbauerit Angelos per semetipsum, sicut turbauit gentes per talium superbias hominum tyrannorum.* Dæmonemque superbia, & ambitione tumultu internũ cæli quietem violantem, & turbantem, de superni atrij culmine ruentem ad regionem tenebrarum, exprimit similitudo fulguris, & fulminis à Christo apud Lucam Euangelistam prolata: Hæc enim adiicit Tuitiensis Abbas eam expendens: *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Quomodo cadit fulgur? Vtique motis atque collisis nubibus tanto cum fragore, idest tonitru, vt concuti machina cæli, & terra tremere videatur. Tum fulgur excussum breui lucet, statimque disparet, itaque dum dicit sicut fulgur, mirandum innuit motum victorum cælestium, magnumque prælium Angelorum.* Motus Angelorum, concertatio, & contentio exprimitur analogia fulminis, quæ adhuc secretiorem continet prostheoriam. Ex crassioribus namque terrenis, calidisque vaporibus in nubes à terra eleuatis, noua halituum calidorum accessione & collisione, ignis accenditur, & fulmen coagmentatur; sic Lucifer cùm pulchritudine naturæ gloriatur, virtutibus effertur, gratuitis donis extollitur, cùm à Deo se cernit præfectum reliquis, inani motu inflatur, Dei naturam, & æternitatem affectans, voluit haberi vt Deus, & tanquam creator ab Angelis prædicari. His cogitationibus, vel motiuis in viuaci mente reciprocantibus, & alternantibus, motionibusque aduersis sese inuicem collidentibus tanquam terrestres vapores fulmen iracundiæ, & furoris in Luciferi mente conflarunt. Nunc nubes grauis cum igne acerrimè confligendo contendit, cùm velut in secretiori aluo genitum ignem violentiorem tenet, premitur, coangustatur, & velut parturiens gemit, editque tonitruorum eiulatus, & mugitum, terrifico cum fragore prope ruentis ætheris, scinditur, & rumpitur, vt ignis erumpat, qui exinde excussus & iaculatus, arces, & turres sublimes, pulchra mœnia, & ædificia feriens, labefactat, & ad terram, & solum corruere cogit. Nonne prospectas quid egerit horrificum Luciferi fulmen in illo cœlorum senatu, & ciuitate Dei, quantas ex omnium ordinum Angelicorum choris mentes tangendo percussit,

Diabolus vt magisterium inter Angelos vsurpet, in sublimibus Dei pacẽ turbauit. Rupert.

Cum Regibus impiis tumultum concitantibus comparatur. Isai.

Rupert.

Fulmen cum cadit, fragorem, collisionemque nubium, & terræ tremorem operatur.

In fulgure motus, & tumultus, & dissidia Angelorum innuitur.

Natura, & genesis in fulmine Lucifero aptatur.

Horrificum Luciferi fulmen sublimiores turres, & arces cælestis Ierosolymæ deiecit.

Digitized by Google

pertussit, ad superbum fastum Deitatis appetendum ascendit, ad furorem contra Dei Verbum, & assertorem hominum inflammauit? O quantas in murorum circuitu cælestium fecit ruinas! O quanta, hinc inde allectis, & conciliatis spiritibus improbis, reliquit vacua subsellia! Vah, ignis exussit, ignis comedit speciosa paradisi; huius fulminis iactu concussæ, & labefactatæ cælestis palatij sublimes arces & pinnæ. Abietes virentes, & cedri paradisi Dei frondibus charismatum nemorosæ, in fauillas redactæ, & sulphureos fœtores. Cùm hoc igne terrestri, improbo, insano pugnabat ignis Dei, & nubes fidelium Angelorum iniquis conatibus obsistentium. O quot motus, tumultus, & prælia excitata apostatis Angelis de primatu contendentibus! donec excusso, & expulso fulmine, de cœlo secum rapuit, & ad regionem caliginis detulit, quos crinitis, & scintillantibus iaculis perculserat, donec Sanctorum habitaculo reddita est pacis serenitas.

Iudæi tituli cruce Christi expungere solicitant.

D. Ioan.

6. Titulus affigitur Cruci Christi, Pilato auctore, Christo gloriosus, Iudæis inuisus, quo eorum conscientia redarguitur, & nota inuritur infamiæ; superscriptio tituli erat: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Ioannis cap.19. vers.19. quo viso, Iudæorum Pontifices ira excandescunt, eiusque lituram apud Præsidem solicitant, ibidem vers. 21. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Pilatus, & Iudæi mortis Christi auctores, eiusdem criminis consortes, sed Iudæi iniquiores apparent insultantes mortuo, nomen eius delere volentes de terra viuentium, Iudex autem non audet memoriam, & nomen perdere illius, quem morte crudeli damnauerat; vel in hac parte Iudæis prudentior, qui patrocinium suscipit regalis dignitatis, & perennare cupit in Christo Regis insigne. Quæ mens altius insederit Pilati animo, vt amplissimæ inscriptionis gloriam decerneret, decretam promulgaret aduersus æmulationem, & contradictionem Iudæorum antistitum, in sententia immobilis perstiterit, exponit argutè Theophylactus Bulgarorum Archipræsul: *Ceterum scribit titulum, partim vlciscens se de Iudæis, vt sibi inobedientibus, & ostendens malitiam eorum, quod insurrexerint contra proprium Regem.* Et de ratihabitione Pilati in Scripturæ sententia, subiungit: *Si autem appositum fuisset, quod ipse dixerit se Regem, visum fuisset crimen temeritatis, & arrogantia illius. Sed Pilatus non obtemperauit, & in priori stetit sententia.* Tametsi crimen Pilatus suum tituli inscriptione, & regni Christi coronide non minuit, sed coaceruat, addicens neci hominem causa principatus, quem prænouerat tenere Iudæorum imperium; cuius magnalia in Cruce quasi columna ære perennius duranti, & triumphale diadema suspendit; adhuc cum assertor, & tutor IESV nominis, & regni est, sacra, & honorabili variarum linguarum sculpta litteratura, Iudæorum fallacias, & dolos refellit, redarguit inuidiam, & IESV insimulati, seductoris, perduellionis, & læsæ maiestatis crimine, eleuat, & repellit iniuriam. Nec passus est iuxta arbitrium sacerdotum iniquorum scribere: *Ipse dixit*, quasi de se ipso testimonium prolatum esset infirmum, & lubricum; quod laude propria maneret confutatum, & potius daretur arrogantiæ, & temeritati, quàm gloriæ. Itaque scripsit non quod ipse capitis damnatus, sed quod ipse animaduersor, & Iudex adiudicans eum morti, constanter asseruit. Vt de Crucis apice tuba clarius resonaret inscriptio, Iudæos alieni honoris liuore perculsos, perduelles, contentiosos, amicos & auidos rixarum, & pugnæ, hostes & proditores patriæ, maiestatem Saluatoris minuentes impiis conatibus, seditionem conflantes contra suum Regem: *Ostendens malitiam eorum, quod insurrexerint contra proprium Regem.* Non cernis Iudæos pro suo aduersus honorem Christi tumultuantes, vt eleuent Christi regnum, eumque à dominatu excludant regiis apicibus intrudunt Cæsarem, talis est seditiosorum fortuna, se à dignitate abdicant, eligunt immeritum, accersunt extraneum, vt regni hæredem excludant, Regem pacificum despiciunt, tyrannum amplectuntur; pertinaci perturbatori, vt suum acorem exacuat, ambitioni obsecundet, plus arridet ignominiosa, flagitiosa, crudelis, & superba dominatio, quàm clementis Domini pius, & tranquillus principatus.

Pilatus Iudæis clementior patrocinium suscipit regalis dignitatis Christi.

Theoph.

Titulum inexpunctum seruat Pilatus, vt innuat Iudæos contra proprium Regē insurrexisse. Ab arrogantia & temeritate Christum excusat.

Crimen suū adauget damnans Christum Regij principatus causa.

Honori tamē & gloriæ Christi proficit.

Tanquam perduelles, & contentiosos damnat Iudæos.

Iudæi seditiosi, vt hæredem regni excludant, eligunt immeritum, & tyrannum despecto Rege pacis.

Cassiod.

Inter grues mira concordia nullus primatus quæritur, honor communis est.

Fit earum prima posterior, & mutua dilectione muniuntur.

7. Ruborem suffundit homini auium consensio, & communitatis æqualitas, quam seruant in suo conuictu. De gruibus inquit Cassiodorus libro 9. variarum epistol. 2. *Grues moralem nouerunt exercere concordiam: inter quas nullus primatus quæritur, quia iniquitatis ambitus non habetur. Vigilant vicissim, communi se cautela custodiunt, ipse pastus alternus est. Sic honor nullis adimitur, dum omnia sub communione seruantur. His etiam volatus vicaria æqualitate disponitur: vltima fit prima, & quæ primatum tenuit, esse posterior non recusat. Sic quadam communione sociata sibi, sine Regibus obsequuntur, sine dominatu parent, sine terrore famulantur. Voluntariè seruiendo libera sunt, & inuicem se diligendo muniuntur.* Vbi eliminata est primatus ambitio, nulla dissensio exoritur sed iucunda pax refulget. In gruibus, nulla prioritate contendit, cùm quæ fuerat suprema fit infima, & quæ imperauerat, obsecundat; facile alteri cedit imperium, quæ non ad ostentationem sed incolumitatem, & emolumentum obtinuit prælaturam: illud perpende attentiori pensiculatione: *Moralem nouerunt exercere concordiam, inter quas nullus primatus quæritur, quia iniquitatis ambitus non habetur.* Exudat belli, & dissidij tumultus, vbi nullus est ad principalitatis prærogatiuam anhelitus.

Qui alteriora se petit, perditur, & fit præda hostium.

Genes.

8. At qui potiora ambit, repletur belli tumultibus, qui sorte sua non quiescit, sed suprema appetit, in calamitates incidit hostiles. Dereliquit Lot Abrahæ consortium, & habitationem communem, vt terram deliciosam circa Iordanem, & pascuorum prouentibus pinguem, eligeret; Cùm segregatur à iusti contubernio, vt altiora possideat, factus est præda hostium; nam profligatis quatuor Regibus Sodomorum, à quinque Regibus gentium, ipse Lot captiuus ductus est, & substantia eius direpta. Genes. cap. 14. vers. 11. *Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & vniuersa, quæ ad cibum pertinent,*

Genes.

nem, & abierunt: nec non & Loth, & substantiam eius filium fratris Abraham, qui habitabat in Sodomis. Ex iusti commercio, cum appetitus obtinendi maiora latifundia, & vberiorem glebam non labefactabat affectus, beata tranquillitate perfruebatur Lot; cum voluit ditior fieri, & potiri melioribus pascuis, magnam subiit belli cladem, & fortunarum dispendia. Pulchrè id annotat Pater ille, cuius in ore aureum inest eloquium, homilia 35. in Genesim, cuius verba sunt: *Nihil enim profuit Loto quod potiora elegerit, sed re ipsa didicit, priores partes non appetere. Nam ex hoc nihil vtilitatis ei accreuit, sed ecce captiuus etiam adductus est, & didicit re ipsa, quod multo satius ei fuisset, vti consuetudine iusti, quàm separatum, & in libertate viuentem, in tam multas calamitates incidere. Ecce enim vt diuisus est à iusto, & putabat se in maiori esse libertate, & potiora se assequutum & abundare, repente factus est seruus, carens domo, carens & foco: vt discas quantum malum sit diuisio, & quantum bonum concordia: & quod conuenit non maiora temere capessere, sed potius minoribus contentum esse. Tulerunt inquit Lot & sarcinas eius.* Cùm tenebat Lot indissolutum concordiæ vinculum cum Abrahamo, mediocri censu rerum familiarium delectatus, non est expertus bellicas ærumnas, nec captiuitatis iugum; priora cupiens, potiora ambiens, & capessens, amissa libertate factus est seruus; non contentus minoribus, sed priores partes appetens, concordiam, & pacem perdidit, bellorum ambitum, & tumultum requisiuit.

Lot cupiens ditior fieri, magna subijt fortunæ dispendia.

D. Chrysost.

Lot à consortio, & consuetudine Abrahæ segregatus, in multas calamitates incidit.

Quantum malũ sit diuisio, & quantum bonum concordia.

Non expedit maiora temerè appetere.

Irruet populus vir ad virum, tumultuabitur puer contra senem.

Discursus IV.

Vnitas perennitatem, & victoriam parat imperijs & populis; diuisio ruinam accersit.

1. POPVLO permeanti per maris Erythræi profundum sicco pede, & puluerulento vestigio, gelido stupore frenatis hinc inde fluctibus, imbecillitas diuisionis, & vnitatis virtus emicuit; nam scisso pelago præualent hostes Ægyptij, & à tergo adoriuntur Dei populum non pacis spebus victoriæ confisi; cùm vndæ redduntur ad concordiam, omnes pereunt, nullo superstite. Pulchrè conceptum exprimit Tertullianus Marcionem alloquutus lib.4.cap.20. *Aspice mari rubro vastiori super omnia stagna Iudeæ, virgam Moysi imperantem, vt funditus proscissum, & pari vtrinque stupore discriminis fixum, sicco populum pede, intestino itinere transmitteret, rursusque sub eiusdem virgæ nutu, redeunte natura, Ægyptium exercitum vndarum concordia obrueret. In quod opus & austri seruierunt.* Illustrat Exodi locum cap.14. in quo celebris est diuisio, & reductio aquarum, ibi vers.21. *Diuisaque est aqua.* Et vers.27. *Cumque extendisset Moyses manum contra mare reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibus Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Proscissa aqua, & bifidato vasto mari, inualescere videtur hostis aduersus Israël, & à tergo insectatus, & penè apprehendens, diuisionis suffragio, & adiutorio, iam epinicion canebat carmen secutus victoriæ. Cernis diuisionem, quæ illustri, & stupendo miraculo ancillabatur amicis ad fugam, aduersariis opem ferre ad vindictam, & comprehensionem? Mari restituto vacuitatibus suis, gurgitibus diuino nutu, & austri flatu refluentibus, ablatis diuisionibus, conglutinatæ sunt aquæ, & redierunt ad pristinum amicitiæ, & societatis commercium; quo facto hostis obruitur, & victoriæ palma de Ægyptio hoste quæsitæ, vnitati & concordiæ defertur. Et ritè dicit Scriptura diuinæ hanc aquarum reductionem, & compagem factam in vigilia matutina, cùm rosea auroræ facies diem signaret: *Reuersum est primo diluculo.* Seu iuxta lectioné Sanctis Pagnini ex Hebræo: *Reuersum est mare respiciente mane ad fortitudinem suã.* Cùm tactu Mosaicæ virgæ mare scinditur nox erat; cùm disgregata æquora copulantur, candido lumine albescit dies. Amant enim tenebræ sectioné aquarum, & diuortium, contra se altrinsecus positas, & erectas vndas in cumulos intueri; arridet luci aquarum coitio, & coagmentatio, earumque glutinũ, & consensum ex alto prospicit, in quo est abscondita, earum fortitudo, & virtus vt hostem interimat: *Respiciente mane ad fortitudinem suam.* Et mirum est aquarũ moles, & gurgites quasi animatas acies Moysen introducere in Ægyptiorum exercitum irruentes: *Fugientibus Ægyptijs occurrerũt aquæ.* Fugam meditante aduersario, vt rete euaderet, in quo erat interceptus, velut dato signo in pacem redeuntibus aquis, coniunctis & adunatis viribus, consertisque manibus hostem adoriuntur, & ad ima deprimunt. *Ægyptium exercitum, vndarum concordia obrueret.*

Tertull.

Ægyptios aquarũ coitio, & concordia obruit.

Exod.

Diuisionis aquarũ suffragio insectatur hostis Dei populum.

Lect. Heb.

In diuisione aquaris nox, in concordia aquarum diluculum fulget.

2. Pugnaturus bella Domini, eiusque iniurias vindicaturus Sanctus Dauid, aduersus Gigãtem processit in arenam certaminis, instructus non hasta, & clypeo, munitus non armis, sed saxis. lib.1.Reg.cap.17.v.40. *Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente*; postea vero paratis omnibus ad pugnam, & ex aduerso sibi occurrentibus carneo illo monstro, & adolescente pusillo, vt ipsum prosterneret Dauid, paraturam prælij, & triumphi de pastorali pera, quasi ex armamentario assumpsit vnam petram. ibid.v.49. *Et misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem.* Quinque lapides elegit, sed in vno paratur victoria, nec necesse est adiicere secundum, vt hostem prosternat. Argutè S. Augustinus in expositione tituli Psalmi 143. *Psalmus Dauid aduersus Goliath.* scribit: *Hoc quoque licet attendas: quinque lapides posuit, vnum misit. Libri quinque lecti sunt, sed vnitas vicit.* Et in Psalmi exordio: *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Ita scribit vir immensæ subtilitatis: *Repetio sententiæ videtur quod est manus nostras ad prælium, hoc est digitos nostros ad bellum; an aliquid interest inter manus & digitos? Digitis vtique operatur & manus. Non itaque absurdè accipimus digitos pro manibus positos. Veruntamen in digitis agnoscimus vnitatem: diuisionem operationis, & tamen radicem vnitatis.* Et postea: *His ergo digitis pugnat corpus Christi procedens in bellum, procedens in*

Lib. Reg.

Quinque lapides elegit Dauid ad prælium, sed in vno Gigantem prostrauit.

D. August.

Vnitas Goliath vicit.

D. August.

Varijs operationibus in vnitate radicatis pugnat, & vincit miles Christi.

in prelium. Digitis vna manu radicatis, & copulatis, charitatis glutinum denotatur, quæ operatur bella dominica, & hostiles acies fundit, triumphus itaque, & gloriosa magnalia Dauidis vnitati adscribuntur. Vnitas Gigantem deiecit, fudit castra Philistinorum, iniuriam populi, & ignominiam repulit, auertit imminens malum vastitatis, & ruinæ.

3. E contrà dissensio populorum, & nationū discordia Regum, inuidiosæ cuiusdam felicitatis inflammata facibus, quorū animos vindictæ cupiditas discriminat, vt se aduersis manibus petant, conquassant imperia, per beatum ditionum suarum statum subuertunt, calamitates, neces, ruinas, & ærumnas inuehunt. Discordes animos in mutuas cædes anhelantes Ludouici Regis Francorum, & Alarici Gothorum, eius parens Theodoricus Rex cupiens ad consensum reducere, dulcemque concordiam, Ludouicum Regem hortatur ad pacem apud Cassiodorum lib. 3. variarum epist. 4. his verbis: *Adeò inter Reges affinitatis iura, diuina coalescere voluerunt, vt per eorum placabilem animum, proueniat quies optata populorum. Hoc enim sacrum est, quod nulla permittitur commotione violari. Nam quibus obsidibus habeatur fides, si non credatur affectibus? Sociantur proximitate Domini, vt nationes diuisæ simili debeant voluntate gloriari, & quasi per alueos quosdam concordiæ adunata se possint gentium vota coniungere. Quæ cum ita sint miramur animos vestros sic causis med ocribus excitatos, vt cum filio nostro Alarico Rege durissimum velitis subire conflictum: vt multi qui vos metuunt de vestra concertatione lætentur. Ambo estis summarum gentium Reges, ambo ætate florentes. Non leuiter vestra regna quassatis, si data partibus libertate confligatis. Virtus vestra patriæ non fiat inopinata calamitas, quia grandis inuidia est Regum in causis leuibus grauis ruina populorum.* Quid prodest naualibus onerare, & conturbare maria, militum agminibus operire terram, vrbium irruptionibus sese vindices iniuriarum ostendere, & triumphalis gloriolæ captatores? Fructus, & prouentus bellorum cædes, rapinæ, effusio sanguinis, cadauerum congeries, animarum dispendia, populorum opes emungere, regias gazas exhaurire; paupertas, seruitus, filiorum, & maritorum orbitas, ad noua dissidia & bella reaccenso furore. Felix qui pacem exambit, quæ supra omnes copias, & bellicam fortitudinem solet felicitare imperia.

Cassiod.

Placabilis animus regū efficit quietē optatam populorum.

Sociantur proximitate reges, vt nationes diuisæ, voluntate iungantur.

Regum conflictus regna euertit.

4. Qui verò gaudet rixis, & dissidiis, iram seruat, & discordiam vsque ad vltimum halitū Exod. cap. 2. v. 13. Moyses componere voluit iurgia duorum Hebræorum inter se contēdentium: *Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei, qui faciebat iniuriam: quare percutis proximum tuum? Qui respondit: quis te constituit iudicem, & principem super nos?* Qui nam fuerint Hebræi inter se discordantes expendunt Glossa Lyræ, & Guillelmus Exodi cap. 2. clausula 2. dubio 11. afferentes ex Hebræorum placito: *Quod fuerunt Dathan, & Abiron, qui tandem perierunt in seditione suscitata per eos & Core aduersus Moysen, & Aaron vt legitur Numerorum 16. erant ergo ex multo tempore dediti rixis, & seditionibus. Et ideò non mirū si tandem iusto Dei iudicio perierunt descendentes in infernum viuētes.* Optimatum dissidia, quæ fouentur odio, & temporibus inolescunt, interitum sibi, & fortunis vastitatem conflant: Eamdem rixam ad allegoricam, & moralem contemplationem transfert Rabbanus in Glossa ordinaria dicens: *In hoc Moyses figurā Christi gessit, qui duorum populorum discordiam in se angulari lapide pacificare studuit; qui iniuriam facit, & reconciliatorem contempsit iudaicus est, qui prædicationem Christi reconciliantis repulit, & credentis populi hostis perstitit.* Diffidentium populorum animos voluit Deus ad pacatum concordiæ statum reducere, Iudæo semper renuente charitatis, & communitatis glutino, vt in sua pertinacia moriatur & pereat; nec desunt æmulatores Iudaici sceleris, & liuoris, schismatici, & hæretici, qui implacabile odium gerunt aduersus catholicæ veritatis sectatores, de quibus illud effatū Rabbani pronūtiatum existima: *Qui iniuriam facit, & reconciliatorem contempsit Iudaicus est, & credentis populi hostis perstitit.* Qui enim placabilitatis munus respuunt, pacemque vultu toruo respiciunt tanquam inuisam & aduersam, semper iactantur aduersis; iurgiis, & dissidiis miseram vitam claudunt.

Exod.

Rixantes Hebræi, quos Moyses redarguit, erāt Dathan, & Abiron deditis seditionibus.

Glossa. Guill.

Descendunt in infernum viuentes.

Rab. Glossa.

Qui iniuriā facit, & reconciliationem contemnit, Iudaicus est.

5. Aduersus primarios viros pacis hostes, amatores pugnæ vaticinatur Oseas cap. 2. v. 8. *Nonne verba mea bona sunt, cum eo qui rectè graditur? E contrario populus meus in aduersarium consurrexit.* Quo in loco legunt LXX. *Prius populus meus restitit in inimicitiam contra pacem eius.* Loquitur Vates, iuxta mentem Sancti Cyrilli Alexandrini, de Israëlitis paci resistentibus, cuius pulchra sunt Verba: *Et possis videre ipsos sibi inimicos, suamque ipsorum pacem repudiantes. Ipse enim populus meus, ait, hostiliter paci suæ restitit; nam cum illis liceret Deum colentibus vitam felicem, & delicatam agere in perpetua quadam gloria, & iucunditate, scientes ac volentes ab ea defecerunt. Hinc pacis assiduitatem aspernati, velut à semetipsis impulsi suis ipsorum capitibus bellum accersunt.* Innumera mala inuexit in Dei populum bellicos amasse tumultus, & hostiliter obstitisse paci; nam princeps cum aduersus alienos armata manu pugnat, sibi bellum grauius infert, factus sui & populi sibi commissi aduersarius crudelis; cum se ostendit pugnatorem, & iniuriarum vindicem, omnium calamitatum exercitus in suum populum introduxit, contempta felicitate, gaudio, iucunditate, opulentia status tranquilli: *Hostiliter paci suæ restitit.* Non tam restitit alienæ paci quàm suæ; in concordiæ violatorem, & auctorem rixæ calamitatis cumulus redundat, & intolerabili impulsu ingruit conflata malorum tempestas; sibi intolerabile bellum parat, qui pacem impugnat, euertit regnum, qui vinculum amoris, & consensus scindit, apicibus regiis vastitatem accersit, & ruinam, qui firmissimum pacis fulcrum labefactat.

Osseas.

Belli amatores aduersus pacem pugnant.

Lect. Lxx. D. Cyrill. Alexand.

Hostes sibi sunt, qui pacem repudiant.

6. Hac columna firmus, & felix stabat Lucifer in paradiso, qua ruente, cecidit, omni amissa beatitate regni. Ad cuius veritatis probamentum compellandus est Ezechiel cap. 28. vbi sub typo excidij Regis, & regni Tyrij, ruina primarij Angeli describitur, inter alia vtriusque piacula illud obiurgat Vates numer. 13. munera à Deo accepta non seruasse, sed spreuisse: *Foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.* Erat Cherub ille extensus, & protegens ornatus à Deo

Lucifer creatus tanquam aureum monile lapidibus pretiosis fulgens.

Ezech.

Digitized by Google

à Deo variis charismatibus, sicut cyclada variis gemmis pretiosissimis stellata fulgentibus, aut sicut aureum Regis monile indicis lapidibus, aureis nexibus & circulis insertis præfulgens; vnde per foramina gemmarum cauitates, aut pallas intelligit Vates, quibus erant insitæ, aut aureas ligaturas, quibus continebantur, ne caderent. Sic Rupertus argutè expendit vestem Angeli gemmantem lib. 1. de victoria verbi Dei cap. 23. *Cum inquam prapararentur foramina eius, videbat Verbum Deus, quod in iisdem foraminibus ligaturas auri non esset recepturus lapis rebellis, & durissimus.* Et statim explanat mentem suam: *Videbat Verbum Deus, quod creatoris sui dilectionem, qua ad illum solum deberet astringi, nullo modo esset recepturus.* In primo creationis exordio Angelus omni lapide virtutũ pretioso ornatus, charitate insignitus, à creatore formatus est. Fulgebant virtutum decora aureo charitatis vinculo, & alligatura salutis innexa, vt cùm cerneret ignitorum lapidum fulgores à conditore suo profluentes, ac lumine suo velut accensas faces rutilos in paradiso euitare splendores, arctiori vinculo charitatis, & gratitudinis formatori suo stringeretur; superbia elatus, amoris vincula rupit, dum proprij affectus blanditiis, adulatione quadam suæ speciositatis délinitus incũbit, alligaturas dilectionis amisit, cum se à Deo discernit contemnens glutinum amoris, discordiam inter inferiores Angelos intulit, labefactatus est Luciferi primatus. Non incongruè indumenta decoris, & monile nouem gemmis illustre, nouem ordines Angelorum intelligit S. Gregorius Magnus in quos exercebat principatum Lucifer. Sic enim fatur homil. 34. in Euang. *Ecce nouem dixit nomina lapidũ: quia profectò nouem sunt ordines Angelorum, quibus nimirum ordinibus ille primus Angelus ideo ornatus, & opertus extitit, quia dũ cunctis agminibus Angelorũ prælatus est, ex eorum cõparatione clarior fuit.* Aureo gemmeo fulgebat amictu Angelorũ omnium fulgoribus renidente; quos omnes, cum ille superior amore superno creatori conglutinatus erat, tanquam imperator subditos, quasi fulgurantes lapides aureo insertos filo, bene ordinatos, & inter se cõcordes habebat sibi subiectos; illigamentũ amoris, quo hærebat Deo in mutua, & mirabili consensione constrictos continebat. Ex quo exuit nexum sapientiæ, dulce charitatis alligamentum soluit, dissolutum est illius regnum inferioribus inter se dissidentibus, Opportunè prædixerat Vates. v. 13. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Hebraicè est, iuxta Vatablum: *Omnis lapis pretiosus fuit sepes tua.* Nec taliter verba accipias, quod sepes, & muros possederit ex pretiosis lapidibus conditos, & ornatos, sed quod mirabilis ille consensus, & copula spirituum, qua conditi sunt, velut adunatorum, & ordinatorum in diploide lapidum series, illius potestatem tanquam munimentum quoddam cingeret, & protegeret; illud indicans: concordiam esse regnorum præsidium, arcem quamdam tutam, & inaccessam, quæ nullis labefactari potest viribus. Si verò non de sublimi inter dæmones potestate, sed de Rege Tyriorum verba Vatis vsurpes, splendebit tibi tanquam fax Theodoreti sententia, ornatum, & decorem regalium indumentorum declarantis esse mutuam amicitiam, & necessitudinem inter Reges Israël, & principem Tyri coalitam: sic enim inquit: *Olim verò Tyriorum Regi cum Rege Israëlitarum intercedebat amicitia, eratque mutuum quoddam inter ipsos commercium, quod ex libris regnorum facile est percipere.* Familiaritate dissipata, pacis copula, quæ ipsos in amore continebat dirempta, discordantibus animis, ligamine & fœdere amoris discisso, cecidit de regali culmine, exutus indumento, & ornatu opulentiæ, & gloriæ. Magnificum illum Regis apparatum ad nihilum redegit Tyriorum ciuium dissensio: vt innuit Ezechiel in illo commate: *producam ergo ignem de medio.* Quæ autem sit flamma Tyrium imperium depascens, in cinerem & fauillas redigens, explanat Glossa Lyræ: *Quia dissensio fuit in Tyro propter quam aliqui exierunt latenter euntes ad Regẽ Babylonis, & incitauerunt eum, vt veniret contra Tyrum ad eam incendendam.* Nec abnuunt Prado, & Villalpandus ex Iesuitica familia nobiles Ezechielis commentatores: *Si Rempublicam siluæ conferas eiusque principem prealta cedro, superbiæ flatibus actæ, si commercij atque negociationis studio collidi intelligas, statim discordia ignem accendi, & cedrum cum silua in cineres redigi facilè posse, nullo negotio cognosces.* Afferuntque illud axioma philosophicum ex Chrysostomo homil. in Psalmum 134. varia ignium resultantium genera: *Alius qui fit ex collisis lapidibus, alius qui est in comis arborum, quæ ipsæ quoque colliduntur.* Cum enim lapides Reipublicæ prægrandes, magnæque domus anguli, in comatis apicibus dignitatum sublimes, imperij ambitu, aut auaritiæ impetu colliduntur, ignem nutriunt discordiæ, & incendium parant arborum, hoc est ciuium siluæ, nulla nocentior flamma, aut ruina communior illa, quæ ex visceribus & corde regni erumpit: missilia quæ hostis extraneus inuehit scintillæ sunt vel facili negotio sopiendæ; cum de medio, & intimo cordis Reipublicæ gliscunt, certissimam vastitatem, & depopulationem minantur: *producam ergo ignem de medio tui.*

Rupert.

Lucifer ligaturas auri charitatis nõ seruauit, quibus Deo adstringeretur.

D. Gre. Mag.

Nouem nomina lapidum sunt nouem ordines Angelorum.

In ordinibus Lucifer ante lapsum.

Lect. Hebr. Vatabl.

Lucifer ordinibus Angelorum amore colligatis, sepiebatur tanquam muro.

Regis Tyrij ornatus mutua amicitia erat inter reges Israel, & principes Tyri.

Theodor.

Tyriorum, & vrbis incendium nuncupatur ciuium dissensio.

Glossa.

Prado. Villalp.

D. Chrysost.

Ex discordia quasi ex collisis lapidibus & lignis ignis excitatur.

Tumultuabitur puer contra senem.

DISCVRSVS V.

Cœtuum, & religiosarum congregationum decus, ornatus, vnitas & concordia, omni nisu procuranda, dissidium ab ijs repellendum.

1. SPONSA amore diuino saucia sponsum quærit dilectum non inter condensa Prophetarum promissa, & caliginosa legis vmbracula, in quibus nec dum eruperat matutina lux solis æterni, quæ illuminationem sacramentorum cælestium in animæ penetralibus posset infundere; sed in meridie, vbi omnia nitent vehementius, & feruentior radiorum solarium æstus exsufflatur, vt tepore amoris depulso, amor incalesceret; perquirit apricam siluam, & meridianum accubitum, in quo sodales pascit, & cum iis requiescit. Cum viam, & semitam itineris du-

Sponsa sacra sponsum quærit in meridie.

cem præmonstrati cuperet auiditate fœminea, horæ impatiens in sponsum incurrit, ab eo perquirit hospitium, vbi contineat apricata pecora, & constructa mapalia. Ipse verò seueritatem induens respondit Cant. cap. 1. v. 7. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres.* LXX. aliter dispungunt: *Nisi cognoueris te ô pulchra inter mulieres.* Nisi agnoueris te pulchram, & pulcherrimam inter fœminas, & in quo sita sit pulchritudo tua, vagaberis errabunda; pulcherrimam nuncupat faciem solis æstu torridam, fuscam & penè nigricantem; non faciei venustas commendatur, sed animi, in quo autem situs sit hic decor declarat S. Augustinus tom. 9. lib. de pastoribus cap. 15. dicens: *Seuerissimè, non blande respondens, sed pro magnitudine periculi, nisi cognoueris te metipsam ô pulchra inter mulieres. Pulchra es inter mulieres, sed agnosce te. Vbi te agnosces? In toto orbe terrarum. Si enim pulchra, vnitas est in te, vbi diuisio fœditas est, non pulchritudo.* Mirabilis splendor affulgebat in facie sponsæ, non asciticius, aut ex colorũ medicaminibus emendicatus, sed ex vnitate, & concordia temperatus, qui spectabilem, & merito venerandam eam reddidit sodalibus sponsi, & adolescentulis; vnitas enim & consensus animorum, qui à radice charitatis profluit, Ecclesiæ pulchritudo est, & dignitas regia. Emicabat ex ea fidei forma, spei & fortitudinis species augusta. In sequendis sponsi vestigiis, nitebat purpureus in facie color perfusus ex vini poculo, quod in cellario Regis hauserat: splendida erat frons & roris gemmei stillicidiis, ex itineris lassitudine, laboribus & ærumnis perpessis in sectando IESV, pulchrè rorantibus; gratius tamen emicat ex vnitate, fidei consensu, & charitatis vnanimitate, quæ omnem venustatem superat. Quæ de vniuersali Ecclesia Augustinus pronuntiat cuilibet religiosæ congregationi congruẽter aptabis: *Si enim pulchra, vnitas est in te: vbi diuisio, fœditas est, non pulchritudo.* Si cœtus sacer sublimium operationum, aut ministeriorum, & munerum, quæ proximis impenduntur, varietate & pulchritudine fulgeat; si pennæ columbæ innascantur, aut turturis eremum, & solitudinem amantis, quibus præpeti volatu ad contemplanda, & commentanda cælestia se subleuet; aut alæ columbæ deargentatæ auro sapientiæ, & viridanti eruditionis colore, & pallore renitentes; si humicubationes amplectatur, rigidioris edulij parsimoniam, regali amictu pretiosiorem habitum saccum, & pro balteo funem ostentet; si desit vnitas, & concordia, eximium deest speciei magnæ iubar: *vbi diuisio, fœditas est, non pulchritudo.* Est enim religiosæ familiæ indiuisio, consensus, vnanimitas voluntatum, vita, animus, columen, ornatus, gloria, & corona: *Si pulchra, vnitas est in te.*

Cant. Lect. LXX.

D. August.

Sponsa pulchritudo vnitas est, fœditas diuisio.

Cœtuum religiosorum venustas ex vnitate, & concordia.

2. Quid? Ornamentum quoddam decoris adiungitur spiritibus beatis, ex animorum rationalium consensu: qui enim amore summo exardescunt, exultant in charitate propria, & perplacent in aliena. Hoc manifeste insinuat egregia, Cherubinorum simulacra sapientia Salomonis excogitata, & efficta, collocata in templo Domini, vt extensis manibus, & alarum velamento arcam protegerent, & extensione mirabili in Crucis formam templi parietes contingerent. De iis lib. 3. Regum cap. 6. v. 27. hæc verba proferuntur: *Extendebant autem alas suas Cherubim, & tangebat ala vna parietem, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum.* Quid mysticæ demonstrationis includat in Cherub pennis vtriusque parietis attactus, aperit Venerabilis Beda, arcanorum sensuum delubri Dominici perscrutator sedulus, lib. de templo Salomonis cap. 14. *Duos* (inquit) *parietes alis suis tangunt, quia fideles vtriusque populi, Iudæos scilicet & Gentiles possessores secum habent aula cælestis; non quod in illa patria distinctio sit localis inter vtrumque populum, sed quia maior fiat festinitas interna beatitudinis de consortio adunatæ fraternitatis.* Inter festiua gaudia Angelorum, quibus indesinenter intendunt glorificantes creatorem, non exigua accrescit exultatio de vnanimitate populorum, cum eos æterno charitatis fœdere copulatos cernunt, vbi nulla dissensio est, nulla discordiæ amaritudo, aut verborum acerbitas intermixta dulcedini obtentæ deitatis, vbi charitas, & vnitas voluntatum, æquabilitas affectuum, delicias suas super omnes effundit, suauique innexos vinculo, amplexu suo fouet. Eamdem conceptum replicat idem Venerabilis expendens lutèris emblemata, & elegantiora opera in ipsius limbo sculpta lib. 3. Reg. cap. 7. vers. 28. *Sculptura inter iuncturas. Et inter coronulas, & plectas leones,* &c. Vocat coronas, quæ ambiebant æneum vas, quodamque plexu, & ligatura circumdabant; ideo nuncupat plectas velut implexos circuitus, & coronas; quibus omnibus sapientissimus Rex Salomon arcanis similitudinibus exprimebat virtutes sanctorum, Beda attestante lib. de templo cap. 20. *Coronulas quippe inter se sculptas habent, cum ad ingressum vitæ perennis infatigabili desiderio anhelant. Et plectas habent, cum inter desideria vitæ, quæ sursum est, nunquam fraternæ societatis, quæ iuxta est, vincula dissoluunt.* Habent coronas quia mercedem expectant à Deo operarij fideles laboriosæ virtutis, habent plexus floribus intextos, quia eos amor fratrum exornat; sed quia necdum possident gloriosæ ambitum coronæ, coronarium decus nexibus, & ligaturis adiunctum æneo mari, indicabat pacata pectora, charitatis compage solidata in hoc sæculi freto nullis agitata dissidiorum turbinibus, esse eis pro ornatu, & floreo serto, gloriosoque coronamine.

Cherubinorũ Salomonis symbola expenduntur.

Lib. Reg.

Beda.

Alæ Cherubica parietes tãgunt, quia maior festiuitas est in superna patria de consortio adunatæ fraternitatis.

Lib. Reg.

Quid in mari æneo denotant plectæ.

Beda.

Indissolubile fraternæ charitatis vinculum optant Cherubim tanquam coronamen.

3. Cùm Ioseph delegatur à patre ad inuisendos, & visitandos fratres, perpulchro vtitur verbo Iacob, ad mores componendos accommodo. Genes. cap. 37. v. 14. *Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur.* Hebraicè legitur: *Vide pacem fratrum tuorum.* Sic Vatablus. Oleaster: *Vide pacem, & integritatem fratrum.* Additque in annotatione ad mores Olissiponensis Inquisitor: *Tenentur parentes explorare filiorum gesta, quemadmodum & superiores subditorum opera, rectà ne sint, an peruersa: vt male gesta possint in eis arguere; præcipuè pacem, sine qua corpus reipublicæ non potest consistere.* Peruigil stabat Iacobea mens quasi ex specula prouidens pacem natorum, ex quo enim propter Ioseph arcana somnia, & prælaturam in symbolis supernis ostensam, liuore, & inuidia exulcerata fratrum pectora animaduertit, & pessimè audisse apud germanos præsensiones futuri magistratus,

Ioseph mittitur à patre, vt pacem fratrum exploret.

Genes. Lect. Heb. Vat. Oleas.

Parentibus, & Prælatis incumbit obseruare mores filiorum, & subditorum.

Pax potissimum requirenda.

tus, Ioséphumque mordacibus refutationibus exasperasse; percupide exambiebat incolumitatem, & vnanimitatē filiorum, si forte temporis maturitate, & Iosephi absentia pacis fractura resarciretur, & confractum amoris vinculum necteretur. Ideò misit, vt videret pacem, Iosephum integritatis, & concordiæ exploratorem. Ex quo opere peropportunam accipiunt eruditionem religiosæ familiæ moderatores, quibus demandata prouincia, aut visitandi munus iniunctum est, vt perscrutentur, & visitent pacem fratrum, & si inuenerint concordiæ dissolutam compagem, omni solicitudine consolident, & dissidentia corda aduersosque mores, prudentiæ moderamine ad vnitatis concentum reducant: illa enim sententia exhortatoria ad prælatos potissimum directa est: *vide pacem, aut integritatem fratrum.*

Iob.

4. Sic faciebat Iob, vt natos suos in charitate, & vnanimitate contineret, honestis oblectamentis, & simposiis prouocabat. Quare ad ea verba Iob cap. 1. vers. 2. *Natique sunt ei septē filij.* scribit Origines in Iob. lib. 1. *Audite hæc ô filij religiosorum, audite, & imitamini piorum fratrum vnanimitatem, qui viri veraciter in vita sua indiuisi fuerunt, & in morte sua non sunt dissociati. Non sit inter germanos lis, sed benignitas, atque concordia. Non sit inter fratres contentio, neque diuortium, sed pax & vnanimitas, sed sinceritas atque puritas.* Postea comparat eos cum filiis Dauid Amon, Absalon, Adonia in se mutuo surgentibus, aduersus patrem rebellibus, vt regnum occuparent: *sed non tales extiterunt septem beati Iob filij, sed tanquam septem dies indiuisi, & tanquam hebdomada indissociati. Non certauerunt pro elegantia, non litigauerunt pro fortitudine, non contenderunt pro diuitiis, non sunt conturbati pro regno, sed cum essent vnanimes cuncta propria inuicem sibi æstimabant communia; eratque anima que cor eorum, & anima vna. Propterea cum sanctis in perpetuū nominantur, propterea cum iustis in æternum requiescunt, propterea cum Angelis in æternum laudabuntur.* Mirum encomiorum sertum contexuit Origenes, vt natorum Iob capita redimeret; æqua & benemerita laudatio, quæ fratrum concordiæ impenditur; hebdomadam septenarium filiorum numerum vocat, quam illuminabat radius solis æterni, & charitatis iubar; nec solum viuos, & vnanimes commendat gratia præconij, sed indiuisa societate morientes gloria coronat; ait enim inopinata ruina oppressos, & tumulatos, subita præoccupatos morte, à dæmone malorum artifice comparata, spe sempiternæ vitæ occubuisse, eorum animos segregatos à corpore, indiuisos ab amore collocatos in fasciculo viuentium, vt suo tempore ad beatorum consortium traducerentur. Est enim symbolum saluandorum, filiorum, discipulorumque Christi tessera, pax, indiuisio, societas, & concordia. Ioannis c. 13. v. 35. ait Saluator: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* In quæ verba Ammonius citatus in catena Græcorum Patrum in Ioannem ait: *Non ex signis quæ facitis, cognoscemini esse mei discipuli (nam hoc totum supernæ gratiæ est) sed ex dilectione, quam habueritis ad inuicem, & ex consensione animorum, & quod minime dissideatis.* Hæc ille.

Origen. *Pax, & vnanimitas filiorum Iob à religiosis viris æmulanda.*

Orig.

Filij Iob tanquam septem hebdomada dies, indiuisi, & indissociati.

Nullā a pud eos litigium extitit. Eximiis laudibus ornantur ex concordia.

D. Ioan.

Ammon. Cat. Præ. *Ex animorum consensione non ex signis, discipuli saluatoris internoscuntur.*

5. Laudat decorem Ecclesiæ Salomon cap. 6. Canticorum, & repetita sententia vers. 3. & 9. terribilem, & horrore plenam esse prædicat pro complemento laudationis: *terribilis vt castrorum acies ordinata.* Sicut enim cohortes instructæ strenuis bellatoribus, in quibus nitent galeæ, tremunt pennæ, splendent acuminati clypeorum vmbones, resonant armorum strepitus, lituorum sonitus, clangorque tubarum, militibus in procinctu paratis ad pugnam, terrorem incutiunt hostibus, sic Ecclesiæ sacra agmina mirabili ordinatione, & consensu disposita terrori sunt dæmoni. Est enim aciei ordinatio origo victoriæ iuxta sententiam sæcularis auctoris Flauij Vegetij de re militari scribentis lib. 3. cap. 14. *Acies in pugna publica, si sapienter disponitur, plurimum iuuat, si imperitè, quamuis optimi bellatores sint, malà ordinatione franguntur.* Acierum ordinatio, & militarium stationum dispositio impermeabiles eas reddit aduersis incursibus, & inuictas; inordinata castra, & turbatione permixta internecionem sibi asciscunt. Est quoque alia ordinatio sublimior, quæ phalangibus reddit infrangibile munimentum, pugnatorum nempe consensus, & concordia: non temperabo calamum à scribendo verba Magni Gregorij locum Cantici illustrantis, mentem propositam sapienter, & argute adstruentis: ea mutuo ex homilia. 8. in Ezechielem: *Scimus enim, & constat, quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata, atque densata, vt in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, vt locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur, profectò iam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritalis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, vt per charitatem semper vniti, atque constricti, nunquam interrupti per discordiam inueniamur: quia si qualibet bona in nobis opera fuerint, si charitas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, vnde ad feriendum nos hostis valeat intrare.* Et postea. *Benè ergo dicitur: terribilis vt castrorum acies ordinata, quia electorum multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos, per charitatis concordiam munitos contra se, & conglobatos aspiciunt.* Solent quandoque Imperatores milites suos aggeribus claudere, aut catenis circumquaque munire ad arcendas irruptiones hostiles, & dum perstat indissoluta nexuum compago, acies manet inuicta, quia aut hostis retardatur impetus, & oppugnatores facit resilire; fusio, & interitus militum dissolutio est nexuum, dum reserata, & patens est ianua mortibus; sic in spirituali militia castra Dei, dum consertis amplexu concordiæ manibus pugnant, Luciferi phalangas expugnant, sunt enim aduersariis inaspectabilibus impenetrabilia, cùm consensu conglomerata, beneuolentia constipata, vnanimitate constricta præliantur bella Domini: Qui charitatem inter milites destruit, acies in fugam vertit.

Cant.

Ecclesia decor acubus ordinatis ad prælium comparatur.

Veget. *Acierum optimo dispositio maxime iuuat ad victoriam.*

D. Greg. Mag.

Castrorum acies vnita, & nullo loco interrupta, inexpugnabiles.

In spirituali certamine animorum concordia reddit milites inuictos.

Charitatis nexum in spiritalibus copiis Diabolus reformidat.

6 Hugo Cardinalis, religiosæ Ecclesiæ accommodat præsentem locum: *Terribilis vt castrorum acies ordinata in cœnobitarum collegio, quod sub regula militat, & abbate. In primis excellit temperantia, in secundis sapientia, in tertiis iustitia, in quartis prudentia, in quintis*

Hugo. *Acies bene ordinata dicuntur, quæ in collegio, & cœnobio sub regula, & prælato militant.*

tis fortitudo. Et paulo ante scripserat: *Terribilis est hæreticis, impiis & spiritibus immundis Ecclesia, & hoc ex numero, & fortitudine bellatorum: ex longo vsu armorum, ex fidelitate, & zelo, ac vnanimitate pugnantium, ex præsidio Angelorum, vt castrorum acies ordinata. Nam in prima acie est ipse Rex cum ducibus suis Apostolis: in secunda exercitus Martyrum: in tertia cœtus confessorum.* Religiosæ acies quàm decoræ eductæ ad prælium tanquam Ecclesiæ subsidia, quæ auxiliares copias suppeditant ad illius decus, & stabilimentum: Earum imperator, ductator, & antesignanus IESVS, ex cuius consortio exultant, protectione triumphāt, hic est exercituum Dominus, qui vel solo nutu innumeras phalanges fundit, & perdit, exiguumque numerum militantium exornat infulis triumphorum; quàm dulce, quàm præclarum tantæ militiæ duci nomen dare; sub omnipotenti vexillatore sacræ militiæ stipendia promereri: Hoc latus illustrat acies purpuratorum sanguine Martyrum tolerantia passionum illustrium, pretiosæ mortis compendio de tyrannis triumphatorum; ex illo progreditur cohors indicentium bellum carni, & sanguini; qui cum iis tanquam cum innato hoste abdicāt pacem, petulcæ carnis motus vigili & indefessa coërcitione compescētes, virginitatis floribus, aut pudicitiæ vernantes: altero ex angulo procedit ad pugnam valida, & terribilis manus armatorum militum thoracibus ahæneis, vel ex horrido, & hispido seto compactis, qui inedia exaridi, taciturnitate conspicui, secessus, & solitudinis amore venerandi, metu percellunt principem tenebrarum. Aliæ demum copiæ subsidiares robustissimæ se se ostentant actiuosæ, & contemplatricis institutionis sublimitate conspicuæ, vita, moribus, non minus quàm verbis velut ambidextri à dextris & à sinistris pugnantes, ad oppugnationem destinatæ idololatrici cultus, vt lumen Euangelicum inuehant in remotissimos terræ tractus, mundique angulos, repulsa tenebricosa errorum caligine, & tanquam præsidiarij milites Dauidicæ arcis respicientes contra Damascum, hoc est impietatem; & Aquilonis, hoc est hæreseos, faciem nebulosam, & frigidam, fide & charitate vacuam, hamata sacrarum commentationum, & politioris litteraturæ iacula intorqueant, non minus verborum, & disputationũ præconiis, quàm perpolitis calamis tanquam acuminatis hastarum, & missiliũ cuspidibus, transfodiant. Quam pulchra tabernacula Iacob, castra Dei sunt hæc. Hæc Dei sponsa: *terribilis vt castrorum acies ordinata.* De hac dicta sunto Gregorij Magni verba, quæ loco superius relato subiungit sacras familias affatus: *Antiquus verò inimicus castitatem in nobis si sine charitate fuerit, non timet, quia ipse nec carne premitur, vt in eius luxuria dissoluatur; abstinentiam non timet, quia ipse cibo non vtitur: quia necessitate corporis non vrgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi charitas desit, quia diuitiarum subsidiis nec ipse eget: valde autem in nobis charitatem veram, idest amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, & nimis concordia nostræ inuidet, quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in cœlo.* Supra omnem sæculi abrenunciationem, ieiuniorum cultum, sacci asperitatem, diuitiarum contemptum, solitariam vitam, impensa proximis opera, rebellibus Angelis est formidabilis concordia.

Religiosarũ manuum ordines varij sub Iesu imperatore militantes.

Martyrum & confessorũ acies, & virginum chori. Doctorum manus.

D. Gre. Mag.

Diabolus nullum opus timet concordia vacuum.

Nimis inuidet vnanimitati.

7. Postea verò subiungit idem maximus Antistes, quam inualida sit abstinentiæ virtus sine charitatis concordia, & sententiam sacri fidicinis Psalmo 150. *Laudate eum in tympano, & choro,* subtiliter expendit: *Magna enim est virtus abstinentia, sed si quis ita ab alimentis abstineat, vt cæteros in cibo diiudicet, & alimenta eadem, quæ Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, etiam damnet, quid huic virtus abstinentiæ facta est nisi laqueus culpæ. Vnde Psalmista quoque nullam esse abstinentiam sine concordia, designans ait: laudate eum in tympano & choro. In tympano enim corium siccum resonat, in choro autem voces concorditer cantant. Quid ergo per tympanum nisi abstinentia, & quid per chorum nisi charitatis concordia designatur? Qui itaque sic abstinentiam tenet, vt concordiam deserat, laudat quidem in tympano, sed non laudat in choro.* Ille verus choraules, qui à cibis est abstemius, sed à concordia, & charitate non est ieiunus. Charitas enim, & remotio sententiæ censoriæ, & condemnantis comedentes, parsimoniam condecorat. Nec prætermittenda similitudo concentus in choro resonantis, qua vtitur Gregorius; ea quoque Plutarchus ait insinuari conspirationem animorum, & fraternæ charitatis consensum lib. de amore fraterno tom. 2. moralium, ibi fatur: *Quemadmodum in eodem corpore eadem natura, eodemque alimento participantia humida, & sicca, frigida, & calida, si concordent ac consonent optimam ac iucundissimam temperiem generant, & harmoniam, sine qua neque diuitiarum, neque regij principatus, quem diuinum homines existimant, vllam esse aiunt gratiam, aut vtilitatem: ita fratrum ex concordia, & genus & domus valet, ac floret: & amici & familiares, quemadmodum consonans chorus, nihil contrarium neque dicunt, neque faciunt, neque sentiunt.* Communitatis corpus incolumitate, & sanitate perfruitur causa concordiæ; cum aduersa indoles, opposita ingenia moribus, & affectibus discrepantia velut contrarij humores symmetriam quamdam seruant, & per consensus temperaturam, & concordiæ concentum harmoniam edunt dulciorem illa, quæ ex fidibus bene temperatis, & multimodarum vocum conuenientia resultat.

Psal.
D. Gregor.

Abstinentia ferè nullius pretij est, si liuor adsit & dissensio.

Ille Deum laudat in tympano & choro, qui abstinentiam ornat Charitatis concordia.

Plutarch.

Iucundissima humorum temperies in corpore efficit consensum mirabilem, & harmoniã gratissimam.

Ex fratrum concordia genus & domus valet, ac floret, & consonans chorus resultat.

8. Proposuit Eudemon difficilem nodum soluendum Diuo Isidoro Pelusiotæ: cur Prorex Ægypti Ioseph relictis, & dimissis aliis fratribus, Simeonem solum in compedes, & vincula trudit, donec veniret Beniamin? Factum constat, & supplicium ex Genesis capite 42. vers. 19. *Si pacifici estis, frater vester vnus ligetur in carcere: vos autem abite.* & v. 25. *Tollensque Simeon, & ligans, illis præsentibus.* Vinculis innexuit Simeonem cernentibus fratribus, vt coram multis testibus illum plecteret. Cur grauem, & durum pœnæ reatum in Simeonem refundit, aliis incolumitate fruentibus, & abire permissis? Quæstionem verbis Eudemonis excitatam Isidorus proponit, & soluit lib. 3. epist. 115. *Quoniam per litteras ex me quæris, quam ob causam Ioseph, alijs omnibus fratribus prætermissis, Simeonem solum tanquam reditus fratrum prædem & obsidem futurum in vincula coniici iusserit?*

D. Isid. Pel.

Cur Ioseph solum Simeonem fratrem tradidit vinculis.
Genes.

Simeon insidiarum, & dissidij aduersus Ioseph potissimus auctor extitit.

Digitized by Google

iusserit? Hoc dico, id eum hac de causa fecisse, quod ipse eorum, qui tragœdiam illam aduersus eum struxeram, princeps extitisset. Nam si cum natu maximo, qui optimam sententiam proposuerat, sese coniunxisset, fortasse conatum illum, & insidias euertisset. Ac probabile est alios quoque aut metu perterritos, aut ex maiorum natu consilio, & sententia pudore affectos, insidias compressuros fuisse, &c. Et statim: *Quoniam igitur tuendi iuris causa, ne vocem quidem mittere ausus est, icc irco eum tanquam pro fratribus obsidem futurum, vinculis constringi iussit.* Nec dissonat ab Isidoro sapientissimus Abulensis dicens: *Vt enim dicunt Hebræi, Simeon plusquam aliquis de aliis ligatus est, quia plus deliquerat: vnde referunt eum dixisse: ecce somniator venit venite & occidamus eum. Item dicunt quòd iste posuit eum in cisternam veterem.* Qui grauius deliquit, grauius plectitur; nam aduersus fraternæ concordiæ, & discordiæ artifex seuerius puniendus. Simeon namque ante alios animi liuorem, verbis indicauit, tempestatem illam aduersus benemeritum fratrem conflauit, insidias, proditionem, necem commentus est; inuidiæ prunas in sinu fratrum pene sopitas, & obliuionis fauillis consepultas, verborum flabro reaccendit, incitatis ad vindictam animis, verborum iacula & sagittas adiecit calcaria, vt tunica exutum in cisternam proiicerent; forsan si Rubeni sententiæ Simeon calculum album adiecisset & pietatis consilio suffragaretur, pessimè consiliantium impetus retunderet, conuitiorum iacula, prudentia sua frangeret, obuiamque iret impiissimis conatibus. At contraria omnia operatus est, tragicam illam fortunam ærumnis, & periculis scatentem architectatus est; qui origo extitit dissidij, & aliis præiuit exemplo ad perpetrandum indignum fraterno sanguine, & immane facinus, necesse est quod plectatur vehementiori supplicio; & qui causa fuit criminis, strictioris pondus subeat animaduersionis. Teneatur in custodia, adstringatur vinculis, qui fraternæ charitatis nexus dissoluit. Aduersus hos, & similes contubernales dissidij, & contentionis architectos, qui rixas fouent, opinatur Nyssenus distringendam vltricem seueritatem gladij: Quare examinans verba Moysi Exod. cap. 32. v. 27. *Hæc dicit Dominus Deus Israel: ponat vir gladium super femur suum: ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* De hoc leuitarum præclaro facinore, quibus manus suas consecrarunt Domino, subiungit sanctus Gregorius Nyssenus libro de vita Moysi: *Aduersus igitur hos malos fratres gladiorum opponit aciem Moyses, quod enim aliis quis iubet, sibi quoque ipsi sancit. Horum fratrum cædes, peccatorum interitus est: Nam qui aduersariis consiliis fixum, atque statutum in animo malum delenit, aduersarium in se ipso interfecit.* Hæc ille.

Abul.

Simeon in tragœdia Ioseph excitanda, plus deliquerat.

Illum in cisternam veterem coniecit.

Teneatur in vinculis, qui fraternæ charitatis nexus dissoluit.

Aduersus fratres rixa, & dissidij auctores, vltionis gladius euaginandus.

D. Gre. Nys.

Horum fratrum cædes, peccatorum interitus est.

D Lucas.

Cur Rex pacificus Iesus dicat, non venisse dare pacem, sed separationem.

9. Valde reconditum sensum continent verba à Saluatore prolata Lucæ cap. 12. v. 51. *Putatis quia pacem veni dare in terram? non dico vobis, sed separationem.* At contraria, vt videtur, ab ipso promulgata sententia est. Nam ipse princeps pacis est, qui pacem in terras & tranquillitatem inuexit, acclamantibus in eius natalitiis spiritibus supernis, hominibus in terra degentibus factam pacem, ipse est qui fecit vtraque vnum, & dissidentes populos obseruantiis, ritibus, moribus, in vnanimitatem conciliauit: docuit ambas copulare dextras ad cædem armatas, & in mutuos amplexus ruere discordantes; ipsiusque æuo exorituram pacem, Vates prænuntiarunt. Quare ergo Discipulis intimat, se in mundum venisse, non vt pacem daret, sed separationem? Occurrit argutè dubio Chrysostomus, explanatque feliciter, quam pacem, quodve prælium, dissonantiamque IESVS mundo intulerit. Eius verba sunt ex catena Græcorum Patrum in Lucam mutuata: *Quia videlicet præcipua singularisque pax tunc præstatur, quando quod tabe, vel sanie corruptum est, abscinditur, atque proiicitur; quando factiosa, & improba pars repellitur, aut omnino destruitur: sic certè cælis terra coniungi potest.* Solent quandoque improbi aduersus animæquiores, & sanctiores viros cœtus suos & consilia instruere, subdolamque factionem, vt conserta manu multorum sese mutuo opitulantium, vim inferant ope destitutis humana, pro quibus stat ratio; & nuda veritas militat; vt facto à multitudine impetu, ius, fasque detur in opprobrium, & conculcationem; huic parti iniquæ non venit IESVS, vel qui eius obtinent vicariam potestatem, dare suffragium, & auxilium, sed separationem, & disgregationem; vt distractis seditionis fautoribus, consilium iniquitatis dissoluatur, & seditiosorum conatus maneant irriti: *Sic* (adiungit Chrysostomus) *in turre illa factum videmus, quando perniciosa illa pax per salutaris vocis dissonantiam dissoluta, tranquillam atque laudabilem pacem reddidit. Sic etiam Paulus eos, qui aduersus se conspirabant, diuidebat, atque dissipabat. Tempore verò ipsius Naboth concordia illa, quouis bello fuit atrocior. Nec enic semper concordia laudanda, cum etiam latrones magna inter se concordia conspirare sciamus.* Est enim concordia ex qua seditio, bellum, tumultus concitatur, est etiam diuisio ex qua oritur quies & pax; ad malum coëuntes dissipandi, vt ex diuisione vnitas, ex eorum discordia mutuus consensus renascatur; Hæc disgregatio facinus IESV est, ex qua resultat glutinum animorum, & vera tranquillitas, perturbatione, & tumultuaria dissensione repulsa: *Sic certè cælis terra coniungi potest.* Vbi enim lites, & rixæ vigent, vmbra quædam est mortis, & Tartarea regio, in qua omnia perturbata sunt; cùm verò redit tranquilla quies, & pulchra pacis species oritur, suumque iubar effundit, in Angelorum senatum, & cælitum curiam migrant hominum sodalitates, & contubernia.

D. Chrys. Cat. Græ.

Præcipuè pax præstatur, cum membrum tabe corruptum secatur ac proycitur, & pars communitatis factiosa destruitur.

Ex separatione seditiosorum, pax resultat.

D. Chrys.

In turri Babylonica pax, & coitio perniciosa dissoluta est à Deo.

Improba peccatorum concordia.

Pulchra pacis species in cælitum curiam migrare facit hominum sodalitia.

Orige.

10. Colophonem imponam huic discursui verbis Origenis, fraternam charitatem commendantis lib. 1. in Iob vbi eam sententiam Vulgati cap. 1. v. 4. *Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium*, exornat iuxta lectionem. LXX. *Conuenientes ergo filij eius ad inuicem*, in hunc modum: *Filij, qui septem fuerunt numero, & vnam habuerunt animam; septem fuerunt persona, vnum erat eis cor. Qui dissimiles erant aspectu atque facie, similes verò, & vnanimes mentis concordia, atque pietatis communione. Isti ergo septem filij Iob conuenientes adinuicem. Non erat inter eos superbia, neque arrogantia, neque inflatio, neque elatio. Non contemnebat primus nouissimum, non se extollebat, non exaltabat maior super minorem sed*

Filij Iob personæ septem, sed vnum cor, & vnam animam habebant.

Eorum concordia, & vnanimitas magnis encomijs celebratur ab Origene.

Digitized by Google

germanorum circa inuicem conseruantes vnanimitatem conueniebant adinuicem. Conueniebant purè atque sincere, conueniebant concorditer, atque vnanimiter. Iunior maiori obsequium reddebat, nouissimus primo cum primatu honorem exhibebat: non inuidebat alter alteri, sicut filij Iacob Ioseph. Non resistebat alter alteri, sicut Absalon Amon, & sicut Adonias Salomoni, sed conueniebant ad inuicem tanquam fratres ad fratres, tanquam germani ad germanos. Nullus indicabat inter eos, nec quicquam suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, & munera & substantia, & diuitia, & vnanimitas, & pecunia, & charitas. Conueniebantque ad inuicem ipsi priores adimplentes hoc quod dictum est: Ecce quàm bonum iucundum habitare fratres in vnum. Ipsi priores obseruantes id quod post ab Apostolis obseruatum est, & à credentibus perfectum atque impletum, sicut dicitur: erat cor, & anima omnium credentium vna. Hanc scilicet piam vnanimitatem ostendentes, atque sinceram concordiam demonstrantes beati illi filij Iob conueniebant ad inuicem. Ita oportet etiam facere religiosos fratres, ita oportet etiam nunc ostendere veros germanos, blandos atque mites esse inuicem, modestos quoque, & vnanimes. Non oportet contentionem vel diuortium cum inuicem habere Non oportet eos inuidiam atque zelum aduersus inuicem retinere. Non oportet eos malitiam vel iniquitatem adinuicem reseruare; sed similiter vt illi religiosi filij Iob se inuicem debent diligere pariter atque sinceriter inuicem debent sentire, suam gloriam atque honorem sibi inuicem deferre, sicut dicit Apostolus: Si honorificatum fuerit vnum membrum, congaudeant omnia membra. Non oportet inuicem mordere, atque criminari, ne adinuicem consumantur. Sed filiorum Iob imitari debent benignam illam germanitatem, atque Deo dilectam fraternitatem, qui omnes tanquam ex sancta radice sancti creuerunt rami, qui omnes tanquam ex sancta arbore sanctum produxerunt & fructum. Hanc licet longam verborum catenulam verè auream ex diuite Origenis Adamantij abaco mutuaui, aureum verè monile, quo charitatis fraternæ pectus exornarem, sertumque ex pulcherrimis floribus compactum, quo eius cingerem venerandum caput.

Speculum charitatis religiosis viris proponitur.

Admonitiones præclara viris religiosis impenduntur, fraterna charitatis.

Sententijs versiculi sexti: Apprehendet enim vir fratrem suum, domesticum patris sui: vestimentum tibi est, princeps esto noster; ruina autem hæc sub manu tua, *nouum decus adiungit.*

DISCVRSVS VI.

Quàm lubricum, quàm plenum discriminibus, & ruinis, dignitatis culmen, quàm sæpe crudelis, & tyrannica ambitio principatus.

1 CVPIDO celsitudinis, quæ nimia solicitudine imflammat affectum, & per immoderantiam obtinendi maiora, & disparilia meritis, & viribus animum sauciat, mille voragines, & immēsa prærupta ambitu suo claudit. Illud verò discrimen primarium est, caputque effert, quod qui properat citato cursu prehensare gloriæ fastigium, ingentem lapsum, & periculosum præcipitium parat; ex altiori enim gradu ruina solet esse horribilior cum desiderio vehementi ducitur incautus ad speciem dignitatis huius mundi, & volubilis sæculi rotam apprehendit, eius vertigine circumuoluitur, & raptatur ad illicita desideria; plurimis sæpe quibus obtigit desideratus accessus ad gloriæ metam, Dei recessus imminuit. Legem daturus Dominus descendens in Sinai, & condescendens per cælestes illuminationes, & contemplationes Mosaicæ menti, postquam inhibitorio mandato præcepit radices montis populum non attingere, de primoribus hæc verba subiungit Exodi cap. 19. ver. 22. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Gladij imminentis terrore suspendit Sacerdotes, eosque excitat, vt sordes abluant vestimentorum, animumque perpurgent, approximaturi montano habitaculo Dei: accitis ad dignitatū apices sublimiores, maius supplicium imminet; populum excidio territat, & inhibet eius approximationem, vt fuga se subripiens, se se elonget à discrimine mortis; Sacerdotes dum proximiores esse promittit monti, & Domino, iactatæ minę de propinquo, paratæ sunt ferire eorum caput; Leuior enim, & facilior euasio periculi est, quæ pedibus, & cursu perficitur, quàm ea, quæ perficitur affectuum immutatione exutis carnis illecebris, ad puritatem & sanctimoniam Deo dignam redacta mente: qualis iniungitur primoribus. Argute LXX. Seniores postrema verba præallegati textus disiungunt: *Ne forte recedat ab ipsis Dominus* Minę sunt hæ horrore plenæ, quæ duriora pectora percellent; eas rectè perpendit S. Cyrillus Alexandrinus l. 7. de adoratione dicens: *Eos quoque qui sacerdotio sunt insignes purgari præcipit, dicens: ne forte recedat ab eis Dominus: Discriminosū est enim sacerdotij munus, neque procul est à periculis, immo vero etiam proximum, nisi illi perspicue adsit vitæ integritas.* Periculis plena, & obnoxia criminibus sacerdotalis functio est, si non protegatur à malis incursibus sanctitatis clypeo, quæ enim fastigiatur maiori excellentia dignitatis, de proximo aptior est feriri diuinæ iracūdiæ fulminibus; longe disgregatur à populo fugiente præsentiā Domini, & appropiat diuinis fulgoribus, in isto verò accessu, recessum Domini timeat, si enim implicatur rebus terrenis, & curis humanis sæculi, obligationibus expedita sui muneris, quibus innectebatur Deus, quid mirū si soluto vinculo diffugiat. Quidam Abbas in primatu constitutus suas deplorat ærūnas, & quanta sint recēset pericula prælaturæ, apud Petrum Blesensem ep. 103. dicens: *Antequam hunc honorē, aut potius hoc onus mihi imposuisset cælestis indignatio (ad hoc enim in ira Dei vocatus sum) sentiebam de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis mei: atque in memoria abundantia suauitatis iugiter exultabam. Frequenter in orationibus meis inter ignitas compunctiones, inter iubilationes arcanas, inter pia suspiria, inter deuota susurra, quadam desiderij vehementia in Deum mea deuotionis ferebatur affectus. Vbi modo sunt illi diuinæ inspirationis æstus, illa superna suauitatis experientia, & quædam delibationes fruitionis æternæ? Sed illos cælestis gratiæ motus mea percita infœlix anima iam non*

Exod.

Sublimioribus viris, & sacerdotibus maius imminet discrimen, & supplicium.

Lect. LXX.

Maxima comminatio, Dei recessus.

D. Cyr. Alx.

Discriminosum est sacerdotij munus, nisi perspicuè niteat integritas vitæ.

Prælaturæ discrimina recensentur.

Petr. Bles.

Onus prælaturæ, cælestis indignatio nuncupatur. Prælatus deplorat suas ærumnas, & caruisse diuinis delicijs, quibus fruebatur in vita priuata subditi.

sentit

sentit, quos in die Domini bona, & in hora beneplaciti eius, de Christi amore tanquam de ligno vitæ fructus salutis, & paradisi delicias colligebat. Nunc autē omnē escam abominata est anima mea, & appropinquauit vsque ad portas mortis. Et paulo ante prædixerat: Animam meam quasi sub iactu aleæ posui: Dum ad incertum diuitiarum sub certo discrimine mortis æterna me compuli. Sciebam enim omnē honorē huius sæculi esse impedimentum graue, & quoddam peremptorium salutis æternæ. Nec existimes hunc timoratum virum, per exaggerationem quamdam, lamentationes in aërem, & verba fudisse; iactatus enim periculis, & penè summersus æstuantis prælaturę æquoris turbinibus, cogitur mœrentis animi & pene naufragantis affectus mœroris proferre, vt status sui in solitudine, & tranquillitate positi, liquidas voluptates, quibus abunde deliciabatur, cū turbulenta dignitate componat; quæ tanquam immanis bellua vndique conscientiam claudat, & repetitis morsibus compungat, & vulneret. Periculosæ nuncupat plenum opus aleæ, in quo æternæ salutis negotium agitur, & indissolubili nexu præpeditur animus, ne liberè ad cælū conuolet, nisi valentiori Dei gratia firmetur, vt inter medios dignitatum nimbos placitum portum innocētis vitę teneat, & purioris conscientiæ serenitate gaudeat. Quod licet cernere in multis viris iustis sanctitate conspicuis. Hi tamen quandoque sub immenso pondere anhelantes exęstuant. Placebit audire tristes eiulatus Gigantis gementis sub præfecturę aquis Gregorij in omni litteratura, & virtute Magni ad Leandrum Hispalitanum Archipræsulem scribentis, incuruato capite ingemiscentis sub onere Tiaræ Pontificiæ. Lamentationes, carmen, & væ resonant in epist. 125. lib. 1. *At me multum nunc deprimit honor onerosus, curæ innumeræ perstrepunt, & cum sese ad Deum animus colligit, hunc, suis impulsibus quasi quibusdam gladiis scindunt. Nulla cordis quies est. Prostratū in infimis iacet sua cogitationis pondere depressum; aut rara valde aut nulla hoc in sublimia penna contemplationis leuat. Torpet ignaua mens, & circumlatrantibus curis tēporalibus iam pene ad stuporem deducta, cogitur modo terrena agere, modo etiam quæ sunt carnalia dispensare* Et statim. *Quasi enim prospero flatu nauigabam, cum tranquillam vitam in monasterio ducerem. Sed procellosis subito motibus tēpestas exorta, in sua perturbatione me rapuit, & prosperitatem itineris amisi: quia quiete perdita, mentis naufragium pertuli. Ecce nunc in vndis versor, & tuæ intercessionis tabulam quæro: vt qui in naui integra diues peruenire non merui, saltem post damna ad litus post tabulam reducar.* Hæc Magnus Antistes.

Petr. Bles.

Honorem huius sæculi vocat impedimentum graue, & quoddam peremptorium salutis æternæ.

D. Gre. Mag.

Planctus, & gemitus Magni Gregorij sub pondere tiaræ pontificiæ anhelantis.

Temporales curæ animū deprimunt ad terrena & ad volatum contemplationis præpediunt.

Dignitas procellosum mare.

2. Miratus es discriminosam præfecturam in sanctis, perhorresces in improbis criminosam & crudelem. Discriminauit Deus in mundi Genesi in primis humanæ naturæ germinibus Abele, & Caino, offerentis animi affectus, & munera, cùm victimæ huic grato arridet vultu, & beneplacito; alterā verò infenso obtutu spernit. Super litantem Abel ignis cælitus illabitur, suaque flamma & ignea lingua lambit, osculatur antistitem, & oblationem, eius prædicans animi sinceritatem, & innocentiam; Cain verò frigidus remanet, orbatus igne, & lumine cælesti. Cùm hic oculis lustrat prælati à Deo fratris signa, busto quodam zeli corripitur, & furit, liuor ministrat arma, & interitum fratris suggerit, Genes. c. 4. v. 8. *Cumque esset in agro consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Quid compulit Caini furentis audaciam, vt dextram germani sanguine tingeret, & terram madefaceret innocentis cruore? Haud dubio primatus ambitio, nam cum cerneret Abelem à Deo prælatum, & singulari affectus significatione dilectum, illum de medio tollere apud se statuit, vt superstiti germano, per mortē cederet Abelis prælatura; violento gladio surripere voluit à Deo donatum honorem, quem nulla meritorum prærogatiua promeruit. Pulchrè S. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses c. 36. ait: *Cain cum accepisset consilium à Domino, vti quiesceret in eo, quod non recte diuisisset eam, quæ erga fratrem erat communicationē, sed cum zelo & malitia suspicatus est posse dominari ei, non solum non acquieuit, sed & adiecit peccatum super peccatum manifestans sententiam suam per operationem suā. Quod enim cogitauit, hoc & operatus est, dominatus est, & interfecit eum, subijciente Deo iustum iniusto, vt ille quidem per ea quæ passus est iustus ostenderetur, hic vero per ea, quæ commisit, detegeretur iniustus.* Persuadet sibi iniustus per mortis compēdium, dignitatem iusti vsurpare potuisse; ideo necē intulit, vt dominationem ab Abele auferret, & sibi ascisceret: *Zelo & malitia suspicatus est posse dominari ei.* Vultu taciturno pensitauit inuidus aditum præclusum obtinendi honoris, & vnicam superesse viam adeundi, nimirū pręfecti mortem, vt eo de viuis ablato, apex decoris ad ipsum se inflecteret. Erat autem compendiosus obtētus dignitatis bona operatio ex sincero pectore, & conscientia pura manans. Vnde ait Deus eodem c. 4. v. 7. *Nonne si bene egeris, recipies.* Verbum Hebraicum denotat: *eleuare, attollere, sustollere*, vt notat Vatablus, verbumque expendit: *Nonne si bene egeris exaltatio erit tibi? quasi dicat: tu videris dolere quod frater tuus sit elatus, & euectus supra te. At si studueris benefacere, attolleris vt ille.* Quod hilari vultu, & approbationis signo Abel munera respexerit Deus, commendatio est benemeriti candoris, & rectæ operationis, & sacrificij merces: per quam Abel viam strauit ad gloriam, & immortalitatē. Cain verò instar insanientis inuidia percitus ad gladium cōuolat audito sano Dei exhortatoris consilio. Quam iniqua, quàm proterua, quàm crudelis primatus ambitio, per dilectum à Deo, per contemptum Dei, per gladium, per interitū fratris, violato iure naturæ ad celsitudinem potiundā, viam parat. Præualuit in fratrem, sed dignitatis concupitæ gradum non obtinuit. Sic manet irritus primæuus finis fratricidæ furentis. Auebat Deus in Caino perhonorificum principatum, vt insurgentes iracundiæ, & liuoris motus aduersus fratrem in se ipso frangeret, & rationis cohiberet imperio, ne prosilirent in apertum, & truculentum nefas: *Peccasti, quiesce, subter te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Ipse verò fusis iracundiæ habenis, in scelus ruit; iure perdidit prælaturæ cælestis insignia, qui cæco impetu disruptis diuini timoris & charitatis retinaculis, moderari noluit rationis dominatum; subiit vitę dispendiū iustus, nō honoris iacturā; primatus nobilioris, & acceptabilioris muneris, sanguinis effusione decoratur, prælaturæ infulas à Deo donatas mors ipsa signat, obtinuit iustitiæ moriens principatū, cùm primitiua victima martyrij laurea, Virgineo decore pulchra, innocentiæ præconio veneranda proclamatur.

Prælatura ambitus, Cainum ad crudele fratricidium compulit.

Genes.

D. Iren.

Cain vt sit Abelis Dominus, ipsum interfecit, vt eius prælaturam vsurpet.

Lect. Heb. Vatab.

Exaltationis compendiosa via, morum recta institutio.

Crudelis primatus ambitio.

Cupiebat Deus in Caino liuoris, & iracundiæ imperium, vt ipsam frenaret.

Iusto maximum ex morte commodū accessit.

3. Alterum generis humani monstrum liuore,

& am

Herodes furit præ timore collapsuræ regiæ dignitatis.

& ambitione furens aduersus Iesum adhuc pupum recens in orbis lucem datum, producam in medium, Herodem nimirum, qui audito nuntio Magorum credulitate noui Regis initiatorum, eiusque ductum in sideris fulgore insectantiũ, metu perculsus imminentis à throno repulsæ, elabendi è manibus sceptri, casuræ à capite regalis coronæ; iracundiæ, & internecionis flammas vomit in innocentes paruulos; immobilẽ satagit reddere Regiã trabeam tot victimarum sacrarum cæde immotam, exui nesciam purpuram tot purpuratorum conchylio ebriã; satellites crudeles ciet, lanistas conuocat, obarmat limatis gladiis, pugionibusque ad lanienam lactentium incitat. Regiæ ambitionis immanitatem pulchrè delineat Ioannes Geometra inter primores, qui auream catenam sapientissimis eloquiis nectunt, vt sanctum Lucam exornent: Sic enim ait c.11. v. 51. *Postquam verò Herodes à Magis delusus erat, animo bell-, cædesque voluta bat, tanta autem machinabatur mala, vt domestica etiam bella foueret, vxorem liberosque ad mortem designans; cuius facinoris patrandi opportunitatem nactus, vxorem cum primis trucidauit, liberos vero cum occidere per Cæsarem non liceret, illis ad tempus pepercit, tantisper iram comprimens, donec Romam nauigasset, vbi accepta tanti sceleris perficiendi potestate filios suffocauit. Domesticorum vero sanguine saturatus, in externos bella conuertit, semper principatui timens memor Magorum, & & pueri Regis. Atque vbi se manifestò delusum vidit (ô insaniam & furorem!) in infantes innocentes iram conuertit, & communi omnes clade inuoluit, mittens eos qui in Bethlehem vniuersam, eheu ætatem immaturam, demeterent: tantam in pusillos ac recens natos infantes crudelitatem exercens, tam atroces illis cruciatus inferens, vt quiuis benigno ac clementi pectore praditus commiseratione possit affici, si vel rebus inanimitatis, aut teneris pulchrisque ramusculis multo minora videret irrogari; verum haud quidquam ipse animo commonebatur, quippe qui ne proprijs quidem filiis regni hæredibus propter regnum pepercerat.* Hæc Geometra. Non pepercit vxori, natis, propriisque visceribus, non minusculæ ætati paruulorum, qui eiulatibus, & vagitibus ferociores animos mitigant. Omnia hæc crudelitatis portenta ex regnandi cupidine promanarunt; domesticas, & externas calamitates intulit Herodis ambitio: *Semper principatui timens, memor Magorum, & pueri Regis.*

Ioan. Geomet.

Herodes, ne sceptrum amittat, vxorem & liberos interimit.

Omnium infantium ætatem teneram demetere iubet, alienum principatum reformidans.

4 Hoc iaculo iactantiæ & ambitionis sauciatus ille serpens antiquus impiorum caput, & ambitiosorum antesignanus Deo inuisus, cuius maledictionem incurrit: De quo Vates Habacuc arcano sermone fatur c.3. v.14. *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius.* Bella intestina mouit Lucifer, vt obtineret sceptrum in cælis, & imperium Angelorum: argute Rupertus hoc in loco inquit: *Tunc maledixisti sceptris eius, quando in cælo damnasti superbiam eius volentis tenere sceptra cæli, diuinumque imperium, & se ipsum facere altissimum. Dicebat enim in corde suo similis ero altissimo. Illis autem sceptris maledixisti, idest propter illam præsumptionem irrecuperabiliter eum damnasti.* Eumdem conceptum mirabili sapientia amplificat idem Rupertus, superbum fastum Luciferi, & ambitiosum appetitum dominandi prodit, expendens Isaiæ verba c.14. v. 13. *Qui dicebas in corde tuo in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.*

Habac.

Ruper.

Sceptrum cæli ambienti Lucifero Dominus maledixit, & æternæ damnationis pœnam irrogauit.

Quæ verba de primo Angelo apostata expendunt Patres: Hieronymus in commentario, Augustinus lib.11. de ciuitate Dei c.15 & lib.3. de doctrina Christiana c.37. & lib.1. de Genes. ad litteram cap.24. S.Thomas 1.p. quæst.63. art.5. Origenes lib. 3. Periarch. cap.2. Prosper. in dimidio temporis cap.1. & 2. Tertullianus lib.5. contra Marcionem c.17. Eusebius lib. demonstrat. Euangel. c.9. Bernardus serm.3. de verbis Isaiæ, cuius expositionem eo in loco vita superstite dabimus. Modo vero examinandum venit verbum illud: *In cælum ascendam: super astra Dei exaltabo solium meum.* Quis extitit ascensus iste? quem gradum obtinere, ad quem verticem ambiuit scandere Lucifer? cuius subdolam cupidinem aperit Rupertus lib.1. de victoria verbi Dei c.10. vbi inquirit cur in cælum, & super astra Dei desiderabat ascendere, qui super astra erat, & in cælo Empyreo conditus? Sic enim inquit: *Nonne in cælo erat, & propter superbiam de cælo cecidit? alium ergo ascensum oportet intelligi, videlicet ascensum cordis, non corporis ascensum, honoris, non loci.* Et statim: *Quod dixit ascendam, tumor fuit ambitionis, quia qui dicebat: ego feci memetipsum, Deus ego sum, consequenter sic ambiebat ascendere in cælum, vt cæli teneret imperium, sic exaltare super astra Dei solium suum volebat, sic ascendere super altitudinem nubium, vt adoraretur, & honorificaretur concentu Angelorum tanquam Deus, & Dominus ipsorum. Hoc enim habet suprema dictio, siue dictionis eius conclusio. Nam ac si aliquis quæreret, in quo ascendes? ero (inquit) similis altissimo.* Mirificis verbis reuelat Rupertus diaboli cogitatus, impios, & insanos conatus, imò Satanas ipse manifestator apertus extitit suorum arcanorum, cum impia molimina in corde suo architectata verbis arrogantissimis prodit. Non conquieuit nobilissimis adoreis, & creationis suæ primordiis, esse conditum in sublimioris cæli atrio, & tantorum curia senatorum, nisi supremæ potestatis raperet dominatum, ipsique tanquam creatori omnium, & Domino, reliqui tanquam clientes plauderent; ipsum velut excelso plaustro & carpento aureo vectum, & per Empyrei palatia & plateas circumlatum, & ouantem, circumsonantibus organis, & circumstrepentibus fistulis, & lyris ad supremum thronum perducerent, & tanquam supremum Olympi imperatorem in eo collocarent, psalmis, & hymnis Angelorum resonantibus, *Tumor fuit ambitionis, vt cæli teneret imperium.* Cæca, insana, præceps ambitio est. Recessum, & discessionem à Deo non timet, cùm solium eleuatum apprehendere cupit, cùm ascensum & volatum, struit ad supremum dominationis, & subsellij fastigium, casum & præcipitium sibi architectatur. Cernis magnam illam mentem perspicacitate, & acumine omnia penetrantem insano ambitionis furore lymphatã, & amentem, nimia cupidine dominatus quasi molæ asinariæ grauedine in mille præcipitia, & voragines ruentem?

D.Hieron. D. August. D. Thom. Orige. Prosp. Tertul. Euseb. Cæs. D.Bern.

Qualis fuerit ascensus à Dæmone concupitus?

Ruper.

Suspirauit ascensum non loci sed honoris.

Ambitionis tumore concupiuit tenere cæli imperium.

Voluit adorari, & honorificari concentu angelorum tanquam Deus, & Dominum ipsorum.

Supremum cum appetit dignitatis fastigium, casum, & præcipitiũ machinatur.

5. Nec solum periculis plena, cæcaque ambitio Luciferi est, sed & tyrannica; *Similis (inquit) ero altissimo.* Ad cuius theorematis explicationem supponenda est illa assertio, quæ veritatis magnam speciem præsefert, Apostatam Angelum similitudinem, & æqualitatem Christi affectasse, & de facto peccasse per superbiam appetendo hypostaticam vnionem, & à primordio temporis aduersarium Christi fuisse, illius celsitudini

Isai.

Apostata angelus æqualitatem Christi affectauit.

Digitized by Google

Suar. V.guer. Valent. Cather. Ascani. Malon. Moli. Ricar. Dionys. Alex. Al. Ruper.

celsitudini gloriæque inuidisse, hostiles parasse insidias, vt illum de medio tolleret, quam docet eximius Theologiæ Doctor Franciscus Suarez tomo de Angelis. c.7.art.30. à n.13. ibique refert Viguerium, Valentiam, Catherinum, Ascanium, Martinengum, Malonum, Molinam, Ricardum, Dionysium Carthusianum, Alexandrum Alensem. Ad huius thematis probationẽ adduci posset Rupertus lib.2. de victoria verbi Dei c.4. vbi hæc pulchra verba habet: *Largissima Creatoris beneuolentia de inope & abiecta terra materia, qua tunc sub aquis latebat gloriosam & Angelicæ claritati consimilem ederet creaturam, & vni creaturæ ex multitudine eiusdem creaturæ suam daret potestatem, & honorem, & regnum, nihilque minus haberet creatura ipsa, quam ipse creator omnium, totumque Reipublicæ eius obtineret imperiũ. Nota est persona illa, quia non solummodo creatura sed etiam creator est, idest non solummodo homo, sed etiam Deus. Celsitudinem illam diabolus per superbiam ambire præsumpsit, dicendo: ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Optimè expendit Rupertus dignitatem Christi exãbisse luciferum; ad quam obtinendam duos satellites adiunxit violentiam, & crudelitatem, spirans ab exordio minarum, & cædis in Saluatorem, & in hoc sensu vsurpat venerabilis Pater Franciscus Suarez verba Ioannis c.8. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Nam ex eo tempore in quo potuit peccare; & in veritate non stetit sed lapsus est in mendacium, asseuerans esse Deum, hocque nisus est persuadere Angelis, homicida fuit: *Ac proinde* (inquit) *non fuisse homicidium illud commissum contra Adamum, & in illo contra humanum genus, sed fuisse prius commissum in Dei Filium, quem futurum hominem Lucifer præcognouit, & statim ob superbiam & tumorem odio habuit.* Et confirmat ex verbis Theologi: *Desideria patris vestri vultis perficere. Quid enim voluerunt Iudæi perficere, nisi mortem Christi, ergo hanc ab initio desiderauit diabolus, & ratione illius dicitur fuisse homicida: nam doluit quod ille constitueretur hæres vniuersorum, & cupiens præripere hæreditatẽ, illum odio prosequutus est.* Nec dissonat Abbas Tuitiensis l.8. in Ioannem: *Nomine homicidæ, antiquum diaboli odium intelligere nihil vetat, quo & ante hominem conditum se intorsit aduersus eundẽ filium Dei, quem nunc hominem factum desiderabat, & festinabat interfici.* In Diaboli mente cum appetitione imperandi odium, insidiæ, machinatio mortis pullulabant; adeo inuerecunda cupido dominatus, vt ipsius Dei vitæ non parcat; Lucifer viam sibi ad imperium sternere nititur, etiam de medio sublato Deo; cernens irritos conatus, à spe imperij se deturbatum, correptus ira, exardescens inuidia, vindices, & crudeles manus parat, omnemque lapidem mouet, vt interimat dominantem; iræ, liuoris, immanitatis semina in Iudæorum pectoribus sparsit, vt cupiditatis suæ fructum germinent, eique obsecundent interempto redemptore. Clarum intelligentiæ iubar micat in illo Apocalypseos commate, c.13.v.8. vbi Iesvs proclamatur nomine *agni qui occisus est ab origine mundi:* Cur seruator agnus à mundi exordio mactatus, & occisus dicitur? Quia à primæuo tempore, imo antẽ tempora sæcularia, & in ipsa æternitate decreuit, & prædefiniuit Pater vt Filius pro mundi salute occumberet, ideoque ab origine mundi dispositiuè nuncupatur occisus. An figuratiuè oblatus & mortuus, cùm Abel interimitur, cũ victima paschalis offertur agni, qui tollit peccatũ mundi figuratiua? Arrident hæ cõmentationes Patribus. Illam tamen non incongruã, sed, valde concinnam poteris adiicere, agnum esse Iesum ab origine mundi occisum in dæmonis desiderio, & intentione, iam enim in proposito suę voluntatis Christus occidebatur, & mactatur. Si enim diabolus ab initio homicida fuit, vbi homicida est, necessario homicidium interuenit, iam enim in inuidia, & furore parabat interimere Regem, qui prælatus erat à Patre hominibus, & Angelis, eiusque sanguinem fundere. Sacra agni victima à dæmone interẽptore deuouetur morti, iam anhelabat cõprehẽdere agnum, inuenire carnifices, quorũ dexteras cruentaret innocentis victimæ sacro cruore.

Voluit Deus vni homini Christo dare potestatem, honorem, & regnum, omnium creaturarum.

Hanc imperij celsitudinem diabolus per superbiã ambire præsumpsit.

Diabolus ab exordio temporis aduersarius Christi fuit, illum de medio tollere satagens.

D. Ioan. Suar.

Cur Diabolus ab initio dicatur homicida?

Vt præriperet hæreditatem Christi, illum odio prosecutus est.

Rupert.

Tyrannica libido principatus ipsius Dei vitæ non parcit.

Apoc.

Cur Iesus nuncupetur agnus occisus ab origine mundi?

In desiderio, & proposito voluntatis Diaboli, Christus ab exordio mundi occidebatur.

6. Redeo ad discrimina gloriosæ dignitatis, quæ Archidæmon perspicuè ostendit trina tentatione Saluatorem in solitudine pulsans, postquam gulæ iaculum aduersus cælestem agonothetam intorsit, eoque in suum caput resiliente, se animaduertit repercussum, & saucium; è malitiæ suæ pharetra, mille thecnis, & nocendi artibus referta, alteram validiorem sagittam, philtro ambitionis, & gloriæ illitam eduxit, vt ea sacrum decertatorem figeret: Matthæi c.4. v.5. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatẽ, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Sciebat in culmine honoris proximiorem esse ruinam, in apice gloriæ multorum etiam validissimorum labascere vestigia, aut nutare capita vertigine circumacta. Cur ergo Iesum ad templi fastigia, pinnasque subuexit? Vt de magisterij ambitu, & glorioso doctorum subsellio, in quo multos deceperat vanę glorię laqueis, Dominũ clauderet. Mens est Diui Anselmi in c.4. Matthæi, vbi quid nomine pinnaculi præseferat Euangelista, argutè manifestat. *Iste creditur esse magister dæmoniorum, qui dominũ tentauit. Mos architectura est in Palæstinâ, vt tecta desuper plana, non cacuminata habeantur. Similiter templum Salmonis factum erat planum desuper, & in gyro cancelli deambulatorij, ne quis incautus inde laberetur; & erat ibi sedes doctorũ, vt inde loquerentur populo infra posito. Ideo duxit eum super pinnam templi quum vellet eũ de vanagloriâ tentare, quia ibi in cathedrâ doctorũ multos deceperat in gloriâ, ideo putauit & istum positum in cathedrâ magisterij, in vanã gloriam extollere posse.* Dæmonum magister de magisterij cathedrâ pulsat Saluatorem, & in fastigiis cancellorum collocat, vt ambiat doctoratus lauream, sapientiæ gloriam, de pinnaculorum apicibus sese ostentet populo dissertè disputantem; infidum profectò subsellium, scientiarum thronus à diabolo oblatus, in solio litteraturæ insidias parat, qui anhelans ascensum throni cælorum, & Angelorum cathedram, ruinam sibi accersiuit; ipse sapientior omnibus videri voluit, & consultari tanquam Deus, vt ab eius cõsilio, & sententiâ cælestia, & terrestria penderẽt omnia, & de throno sublimi regali ornatu spendenti responderet consulentibus: *sedebo* (inquit) *in monte testamenti, & super solium Dei exaltabo solium meum.* Vt sedens in cathedrâ moderaretur sapientum Angelorum cœtus, & in Lyceo sapientiæ gymnasiarchæ munere fungeretur. Expectabat dæmon de sapientiæ præfaturâ, & gloriâ pulsandum Iesum, iactantiâ, ex

Diabolus ambitionis iaculo Christũ percutere parat.

D. Mat.

Diabolus subuexit Iesum ad templi fastigia, vt de ambitu cathedra, & Doctorum subsellio dolosè caperet.

D. Ansel.

In supremo templi ambitu cancellato, erat sedes Doctorum, vt inde loquerentur ad populum.

In Cathedra magisterij multos decepit Diabolus vanagloriæ laqueis.

Sapientiæ subsellium concupiuit Diabolus, vt moderaretur sapientum angelorum cœtus.

7. In

Digitized by Google

aliorum despectu, efferendum,

Nullus priscorum patrum cur non tentatus de imperio, aut gloria primatus

Genes. Oleast.

Deus iuxta hominum vires distribuit tentationes.

Nouerat Deus solum Iesum victorem euasurũ de præsentata mundi monarchia.

Solus Ioannes tentatur de dignitate Messiæ, ipsam refutaturus.

7. In tentationes varias, vitæ, salutis, honoris discrimina incidere alumnos suos permittit Deus. Honos Abrahæ in raptâ à Regibus vxore periclitatur; pectoris illius fortitudo exploratur tentamento validiori, cùm filius Isaac ad necem vocatur, ad lanienam destinatur, & flammam holocausti; Iobi, & Tobiæ sufferentia tanquam cote examinatur cæcitate, vlceribus, bonorum rapinâ, filiorum exitio: Cur nullus priscorum patrum tentatur de regno mundi, aut gloriæ primatu? sciebat enim Deus imperij infulas splendore suo perstringere oculos mortalium, & celsitudinem ad casum vergere, nec omnium virtutem parem, vt cum imperialibus apicibus se componat, vltrò repudiato orbis principatu. Mens est sapientis Oleastri in c. 22. Genesis in morali annotatione: *Vbi tu aduerte* (inquit) *distributas à Domino tentationes, secundum eorum qui tentantur vires. Dominus, ait Paulus, benedictus, qui non permittit vos tentari supra id, quod potestis. Qui enim nouerat neminem, nisi Christum victorem euasurum ex præsentatâ mundi monarchiâ. Eum solum voluit illâ tentari; similiter de dignitate Messiæ, quæ solum Ioannem pulsari voluit, quia solum nouerat eam refutaturum.* De orbis imperio, omniumque regnorum dominatu solus tentatur IESVS; de Messiatus honore solus Ioannes, in quibus erat piæ humilitatis affectus, & validæ virtutis clypeus, quo ictus repellerent hostis, potentiori ariete labefactare conantis præsidium pectoris omnia mundialia respuentis, omniaque prospectantis tanquam volatilem gloriam, halitumque subito vanescentem, aut coloris aurei nubeculam vel leuissimo Aquilonis flatu dissipatam. Grauissimum tentamenti pondus ad orbis imperium prouocantis, solùm fidit Deus Filij sui potentissimis humeris, regalem dignitatem Christi, eiusque coronam ponderosam valdè, meliori omnium natorum ex muliere capiti. Est enim præferentia honoris, prælaturæ dignitas periculosæ plenum opus aleæ, quæ robustos virtutis lacertos infractos, impauidosque humeros, & flecti ad improbitatem, ad vanitatem nescium caput, requirit.



Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui, Princeps esto noster.

DISCVRSVS VII.

Gratissima Deo, & hominibus electio, quæ non sanguini, nobilitatique; sed virtuti potissimum, & meritis consulit.

1. FOECVNDÆ conceptionibus Vatis sententiæ, iuxta mores annotationem congruentem in præsenti parturiunt. Cùm instruunt eos qui præsunt electionibus, fautores esse debere virtutis, & abscisâ affectione generis, & sanguinis, gloriosis meritis potiores partes dare. Quare iure sugillat Vates incautam, aut non præmeditatam electionem, cum Ierosolymitani obuios quosque ad præfecturam apprehenderent. Prudentem Isaiæ obiurgationem verbis suis amplificat Magnus Basilius in commentario: *Non item eum eligerent, qui esset dignus: sed domesticum, & familiarem: neque qui salutaris esse posset Reipublicæ. Sed qui in suâ gente & familiâ vi facultatum præpolleret. Id quod absit, vt contingat in creatione præsidum Ecclesiæ.* Aperta est via discursus, prorsus sese insinuat exhortationis semita, perambulemus, & discurramus in ea.

D. Basil.

Obiurgantur ab Isaia Ierosolymitani, quod non eligerent dignũ, domesticum, familiarem, & diuitem.

Iob ob merita sua, & fauore ad imperium eligitur, omnium suffragijs.

2. Inter alias ætatis suæ aureæ felicitates, quas recenset Beatus Iob, illam constituit pro coronide, quod non vltro se insinuauerit in culmen honoris, & apicem Regiæ dignitatis, rapinâ, aut solicitatione suffragiorum apprehenderit; sed quod magnitudo animi, & virtutis suæ splendor, & sapientiæ conciliauerit animos amicorum, & hostium; omniumque vota in eum incumberent, vt eueherent ad fastigium imperij, suoque moderamini vltrò se subijcerent. Id apertè fatetur c. 29. v. 25. *Si voluissem ire ad eos, sedebam primus; cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator* LXX. interpretes apertius loquuntur: *Sedi princeps, & habitabam sicut Rex in accinctis.* At in catena Græcorum patrum legitur: *Et habitabam sicut Rex inter monozonos.* Quæ versio retinuit verbum Græcum μονοζώνοι quod denotat: *Excellentes bello, & qui cingulo eximio cæteris differunt.* Ita transtulit Olympiodorus. S. Augustinus: *Rex cinctus fortibus*, legit in hoc Iobi loco. Isidorus ait verbum Græcum denotare: *Ordines militares, vel cateruas barbaricas, vel prædatorias coactiones*; propriè dices: *Agmina accincta ad prælium.* lib. 4. Reg. cap. 5. ver. 2. legunt LXX. *Ex Syria exierunt accincti.* Vulgatus hic, & alibi; *Latrunculi.* Diximus de verbi significatione, vt virtus Iobi plus luceat, cuius splendore allecti barbari, cuneique piratarum, latronum globi, milites ferociores dignum imperio existimabant, Regem illum declamantes, Regalibus infulis ornantes. Rem totam suis verbis illustrat Olympiodorus in catena Iob, illius personam agens: *Ego inquit vnus ex ijs videri volebam, nec secus quam vnus ex multis ad eos adibam: at illi principem me deligebant. Nec enim aut per imperium, aut adeò per tyrannidem principatum occupabam; sed quia rerum vtilium adhibito delectu, cum ijs colloquebar, virtutisque viam monstrabam: iccirco me principem renuntiabant: nec aliter illi ipsi mihi, atque milites imperatori parebant. Tanquam si diceret, vel ab hospitibus, & peregrinis Regiam dignitatem accepi.* Cum Iob renuntiatur princeps à militibus, à populo; pulchra commendatio est electorum, qui non auro sua vendidere suffragia, qui non stemmatibus, Regijsque Iob curulibus, non copiarum vbertati, sed clementiæ, inuicto animi robori quærenti omnium salutem, & commune emolumentum, imperatoria detulêre paludamenta. Accessit Iob ad militum manus, non aucupaturus solium, sed demonstraturus viam virtutum, vt raptores se continerent à prædâ, populus inhiberetur ab insolentiâ, & tumultu; suis virtutibus acclamantibus, suis meritis suffragantibus communi omnium calculo electus, & ornatus principis trabeâ: felix regni auspicium non ambitione vsurpatum, sed integritatis iure possessum.

Iob.

Qui dicantur accincti?

Lect. LXX.

Iob militum, & facinorosorum hominum conciliauit animos, & reduxit ad continentiam.

Cat. Græ.

Olymp.

D. Aug.

D. Isid.

Lib. Reg.

Lect. LXX.

Olymp.

Non coactis, aut tyrannis, sed clementia, ac virtutis decora imperium Iobo detulerunt.

Ab hospitibus, & peregrinis princeps eligitur

3. Iacob

Digitized by Google

Cur Ruben primogenitus Iacob, non obtinuit regnum, & sacerdotium.

3. Iacob Patriarcha pulcherrimâ filiorum coronâ cingitur sicut oliua nouellis frondibus, & vitis fœcunda palmitibus. Ruben in cuius geniturâ orsus est virum, non possidet principatum; cur non obtinuit sacerdotij, & regni primatum? nam filius natu primus, iure primogeniti, prærogatiuam sceptri, & cidaris vsurpat; ab vtriusque dignitatis ornamento manet Ruben primogenitus abdicatus? Dubium hoc prætendit Timotheus lector sapientissimo Isidoro Pelusiotæ, & illud soluit argutè lib. 2. epist. 48. *Quoniam enim Ruben in paternum lectum rabido quodam furore insilierat, propterea nec regnum, nec sacerdotium, tametsi alioqui natu primus esset, consecutus est.* Furore libidinis percitus Ruben incestauit nouercam, dormiens cum Bala patris concubinâ, cuius sceleris conqueritur sanctus senex c. 49. Genes. lacrymabili voce, cùm ait: ascendisse in cubile patris, & maculasse stratum eius. Quod flagitium non abiit impune; ob id manet inhonorus, amisso decore principatûs; à Deo enim non primogenituræ, sed honestati delegatur sacerdotium, & regnum: illa enim eximia dona, quæ consequutura erant naturam, & primogeniti dignitatem, luxuriæ piaculum grande ab eo discussit, & repulit, & deriuare fecit ad posteros, in quibus inuenirent virtutis sacrarium, commendationem probitatis. Non qui tenet in natiuitate, sed virtute primas, à Deo exaltatur, & apicibus sacris eligitur: peruenit sacra tiara, & Sacerdotalis balteus ad filios Leui, qui grande specimen ediderunt magnanimitatis, & roboris in vindicando flagitio, in aurei vituli cultu, & superstitione, commisso; qui manus, & gladios cruore fratrum, & cognatorum intinxerunt. Pulchrè annectit sequentia S. Pelusiota. *Leui, qui tertius erat, non modo quia pater decimam consecraturum se esse promiserat, verum etiam ob pietatem, & sanctitatem, & quia diuini honoris causa, cognatorum sanguine manus impleuerat, sacerdotio donatus est. Quem etiam Moyses in benedictionibus admirans his verbis vtebatur: qui dicit patri, aut matri: non vidi vos, & fratres suos non agnouit, ille Domini mandata custodiuit.* Ex quo enim tam aspectabilis facta est fides, & pietas Leuitici generis, delata est ipsis à Deo cura sacerdotij, facto ipso clamante, ad sacra adyta sacerrimumque principatum accitos esse à Deo Leuitas, ob præmium virtutis.

D. Isid. Pelus. Turpissimus incestus Rubenum à regali, & sacerdotali dignitate relegauit.

Non primogenituræ sed honestati delegatur à Deo imperij, & sacerdotij trabea.

D. Isid. Pelus. Tribus Leui propter pietatem, & sanctimoniâ ad sacerdotales infulas eligitur. Zelus leuiticæ familiæ in vindicando idololatriæ flagitio.

4. Permansit apud Leui mitra, & Sacerdotij gloria; regnum verò, sceptrum & coronamen deuolutum est ad Iudam quartogenitum. Quam ob rem? perscrutaberis, & iure quidem optimo: scitu enim dignissima est hæc secunda percunctatio. Vt merces virtutis esset corona regni; ideo inter Iacob natos illum Deus præstolabatur eligere, qui factis, & egregiis facinoribus, regio decore dignis, imperium promereretur. Talis enim Iudas fuit, cuius egregia facta, quibus sibi viam strauit ad principatum, cõmemorans sapiens Pelusiota, loco præallegato inquit: *At vero Iudas qui quartus erat, propter integrum iudicium, ac rectam sententiam, regiam dignitatem obtinuit.* Rem totam dilucidè explanans statim annectit hæc: *Quoniam enim plerique delicta sua occultantes, alios condemnant, hic autem se ipsum condemnauit, ac eam, quæ stuprum admisisse credebatur, supplicio, & cruciatu liberauit, ob eam causam haud iniuriâ regiam dignitatem est assecutus. Etenim qui ex Leui ortum trahebant, sacerdotij munere fungebantur: Qui autem à Iuda genus ducebant, regnum gerebant, non tam sortito, ac fortuito, quam in virtutis præmium istud capientes.* Res est notissima, vel mediocriter versatis in sacrâ paginâ, historia Thamaris, & Iudæ; cùm enim ad eam esset ingressus tanquam ad meretricem, eamque imprægnasset. Gerens vterum flammis deuoranda destinatur, agnoscens autem Iudas ex pignoribus contraditis fœtum esse suum, causamque extitisse discriminis, nurum suam ab incendio eripuit, à vituperio vindicauit, totum crimen, & reatum in caput suum retorquens, se ipsum lapsûs, & incestûs promulgauit auctorem; Genesis cap. 38. Quam reuerendus, quam numerosus virtutum chorus effulsit in confessione flagitij; primùm animus ingenuus non erubuit publicè fateri, quod occultè, penè solicitatus à fæminâ, ausus est perpetrare; quanta animi integritas, æquitasque iustitiæ, cùm in se refundit crimen immane, & populi contumelias, vt damnatam capitis in libertatem assereret, & vitam donaret miseræ, quæ iam properabat ad bustum; etenim fragilioris sexus ærumnæ, & lacrymæ, nobile pectus tangunt, & ad miserationem inflectunt; Quàm rigidus, & seuerus iudex amore sui exutus, nec consulens proprio honori, aut incolumitati, iuxta veritatis iudicium, æquitatis normam, sibi aduersam sententiam protulit, & promulgauit. Tanquam merces tantorum facinorum Iudæ regnum à Deo donatur: *Propter integrum iudicium, ac rectam sententiam, regiam dignitatem obtinuit.* Non est præuaricatus in iudicio, nec rigidum decretum reuocauit affectus sanguinis, qui solet esse vehementior, & integerrimorum iudicum obnubilare mentem, & inflectere iudicij rectitudinem; at causâ discussâ, & examinata diligentiùs apud clementiæ solium, & pietatis dictamen, litem in contrarium diremit, imminens supplicium remouit; quæ omnia supremus ille iustitiæ, & prouidentiæ oculus attentè perlustrans regali diademate coronauit. Talia præmia, & honoris insignia virtuti sunt donata: *in virtutis præmium istud capientes.*

Cur quartogenitus Iudas delegatur ad regnum.

D. Isid. Pelus. Propter integram iudicij sententiam, regiam dignitatem obtinuit. Iudas Thamar liberãs à supplicio, seipsum condemnãs, eligitur ad regnum. Filij Iudæ regnum gerebant tanquã virtutis præmium.

5. Discessurus à sæculo Moyses, & ad immortalitatem migraturus, preces fundit ad Dominum plenas pietate, vt sibi successorem eligat, & prudentem moderatorem populi, ne is dispergatur tanquam palabundus grex, non possidens pastorem. Oratio continetur Numerorum cap. 27. vers. 15. & 16. *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc.* In quibus verbis exsufflandum Iudæorum commentum, qui viro sanctissimo Moysi crimen ambitionis impingunt, affirmantium pro filiis suis principatum postulasse; illud doctè refellit Abulensis quæstione 41. Potiùs in hoc postulato virtus humilitatis emicuit, & quàm ex corde renuntiauerat sæculi gloriæ, inordinato natorum & propinquorum amori; nec in renuntiatione principis ductum sectatus est humanum, sed diuinum beneplacitum præstolabatur, vt ex superni oraculi voce, oblitis cõsanguineis, optimo viro deferretur suffragiũ. Mosaicæ probitatis in eligendo principatu argutus

Moyses Deũ precatur, vt eligat imperij successorem. Num.

Non postulat pro filiis principatum. Abul.

Phil.Iud. *Mira affectuum in Moyse temperantia, qui nullum filiorum, aut nepotum successorem sibi optauit.*

argutus pensiculator est Phil.Iud.lib.de charitate ratus: *Cum mortalis huius vitæ finis instaret oraculo aperto de hoc præmonitus, nullum vel Regem, vel priuatum imitatus est, quorum vnicum votum habetur ac studium, heredes liberos relinquere: sed quamuis pater esset duorum filiorum, neutrum successorem sibi optauit, victor affectuum erga cognatos, ac domesticos; & poterat si filios suspicabatur parum idoneos, certè fratris filios extollere, iam virtute meritos sacerdotium.* Quæ verba perlegens Origenes, quo solet ingenij acumine, & eloquio disserto Conceptum ampliauit, illum accommodans eorum electionibus, qui euehuntur ad sacros apices, obiurgans eos, qui hæreditaria Ecclesiæ ornamenta, & sacerdotia cognatis relinquunt; sic enim ait homilia 22. in Numeros: *Sed interim videamus Moysis magnificentiam. Recessurus de sæculo, orat Deum, vt prouideat ducem populo. Quid agis Moyses? Numquid filij tibi non sunt Gerson, & Eleazar? aut si aliquid de ipsis dubitas, non sunt filij fratris magni & egregij viri? Quomodo non oras Deum pro ipsis, vt eos constituat populo duces? sed discant Ecclesiarum principes successores sibi non eos, qui consanguinitati generis iuncti sunt nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum sed referre ad iudicium Dei, & non eligere illum, quem humanus commendat affectus, sed Dei iudicio totum de successoris electione permittere.* Magnificum præbuit Moyses exemplum probitatis in mortis limite, in quo paternus amor solet esse solicitus circa incolumitatem filiorum, vt facultatis, & honoris amplam possessionem ipsis relinquat: vt in sibi simili, quem post se relinquit, moriens viuat, & non solum vita, sed gloriæ infula in successore sit superstes. Quam sequestratum à mundo, & cognatorum affectu Moyses se ostendit in postremâ vitæ clausulâ, vt formam daret Ecclesiæ principibus delegandi sacerdotium, & sacrum principatum, virtuti, non sanguini. Quo in opere vel ad miraculum illustris extitit sanctus Richardus Cicestrensis Antistes qui *consanguineos suos etiam maturos & nobiles ad beneficia ecclesiastica admittere noluit vlla ratione, sciens pastorum principem Dominum nostrum Iesum Christum non Beato Ioanni Euangelistæ ipsius cognato, sed Beato Petro sanguine illi minime coniuncto, regni cælorum claues tradidisse.* Vt habetur in eius vita apud Surium 3. Aprilis. Non Iacobum, non Ioannem elegit ad Regale Sacerdotium, & Ecclesiæ primatum; sed Petrum euexit ad summum Pontificij fastigium, cum quo intercesserat nulla sanguinis necessitudo; vt princeps pastorum instrueret primarios sacerdotes, & Ecclesiarum principes, carnis, & sanguinis affectus nimios exuere in distribuendis sacris honoribus.

Origen.

Moyses documentum præclarum, exhibuit Ecclesiæ primoribus, vt in electionibus deponant affectum erga consanguineos.

Non est hæreditarius tradendus Ecclesiæ principatus.

Sanctus Richardus consanguineos suos maturos, & nobiles ad beneficia ecclesiastica, admittere noluit.

Suri.

6. Desæuiit ira Domini in filios Core, grandi plaga, horribilique supplicio eos plectens Numerorum cap.16. Dathan & Abiron terra dehiscens sub pedibus eorum, & os suum aperiens, deuorauit cum tabernaculis suis, & voragine sua viuos sepeliuit; alios vero vorax flamma consumpsit iussu Domini ibi verſ. 31. & 35. *Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.* Grande piaculum ignis ostensione fecit, & exorbitans fuisse sacrificulorum Core flagitium. Quod scelus tantam supplicij seueritatem promeruit, vt thuribula ænea, in quibus obtulerant suffitus, in laminas efficta in anathemata affigerentur altari, & in monimentum ære perennius? Puniuit Deus ambitum principatus; quod sese intruderent contra Dei beneplacitum in sanctissimam sacerdotij functionem. Audi sanctum Isidorum Pelusiotam lib.2.epist.48. *Quamobrem cum quidam in deserto, qui a Ruben genus traxerant, seque quod à primogenito oriundi essent, sacerdotio dignos esse iudicarent, furore quodam perciti, in eos, qui diuino cultui consecrati erant, impetum fecissent: Mosen videlicet arbitrati fauore ductum fratri, & nepotibus suis sacerdotij dignitatem prodidisse: Tum verò fulminibus ac tonitruis cælitus petiti, atque confecti sunt: vt nimirum vltrice sacerdotij honorem, non primigeniorum iuri, sed virtuti confirmante, atque asserente.* Rubenitarum insana præsumptio origo extitit seueræ animaduersionis; existimarunt namque Sacerdotij amplissima decora iuxta maiorem sanguinis necessitudinem Dominum admetiri, ideo tanquam ex primogenito Iacob filio oriundi, in sacra adyta ausi sunt se intrudere, & vim inferre sacratis honoribus, inferentes incensa in conspectum Domini; Quàm verò ingrata extiterint Domino meritorum pensitatori, suffimenta alienigenarum, cælestis ignis patefecit; æther namque tonitrua parturiens, iaculatus fulmina gemitu, & fragore nuntiauit eorum audaciam, & voce quauis tubâ clariore promulgauit sacerdotij honorem non primigeniorum iuri, sed virtuti conferendum. Addidit de suo Pelusiota: *fulminibus ac tonitruis cælitus petiti, atque confecti sunt.* Quod non reperitur in sacro textu; vt terra voragine, cælum tonitruum mugitu testarentur quàm inuisum esset Deo, cælicolisque, in distributione Pontificij honoris, cognationem, & sanguinem virtutibus & meritis anteferre.

Filij Core horribili supplicio mactantur.

Num.

In filiis Core ambitus principatus, & sacerdotij punitur.

D.Isid.Pel.

Existimarunt Moysen fauore ductũ fratri, & nepotibus sacerdotium prodidisse.

Flamma vorax ostendit sacerdotij honorem non primogenitura sed virtuti delegandũ.

Fulminibus de cælo iactatu peremit ambitiosos.

7. Lamentatur Salomó inuersum in mundo rectum probitatis ordinem; sæculi potentatus sæpissime euehere insipientes, & improbos ad sublimioris dignitatis subsellia; pietate, & sapientia præclaros viros, in angulo solitarios, inhonoros & mœrentes relinqui; illos pedamentis fauoris innixos assurgere, & serpere in apices decoris; istos destitutos plausu, non habentes, qui brachia, & manus porrigant, non fautores, qui alas indant, quibus ad superiora volitent, humilitatis pauimento stratos, & deiectos repere. Lamenta hæc continentur Ecclesiastæ cap. 10. verſ. 5. & 6. *Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis: positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.* Salomonico lamento adiicit suos threnos Hieronymus, & concionatoris sacri sententiam præconio suo illustrat: *Vt vel in mundi potestatibus, vel in Ecclesia principatu, hi qui diuites sunt in sermone atque sapientia, diuites etiam in operibus bonis, ignobiles sedeant; & imprudens quisque in Ecclesia principatum teneat. Hoc autem fieri à vultu eius, qui in sæculo habet potestatem, vt potentes quosque, & doctos viros premat, nec eos in populis apparere permittat; illos verò quos scit imprudentes esse,* in

Bonorum abiectionem, improborumque exaltationem lamentatur Salomon.

Eccles.

D.Hieron.

Diuites virtutis & sapientiæ sedét ignobiles; & imprudens quandoque tenet Ecclesiæ principatum.

Digitized by Google

in Ecclesiis faciat esse maiores, vt cæci à cæcis ducantur in foueam. Ampla dignitatum decora non decent nisi viros, quos insignis litteratura, aut conspicua virtus exornat; quodammodo mœret gloriosior infula, cùm pectus ambit, aut caput cingit, sapientia, & meritis destitutum, orbam se sentit, & proprio viduatam decore; quanto plus refulget, tanto amplius erubescit. Cernebat Hieronymus hac plaga pessima mundum languere: in eo cernitur sæpissimè sapientia humiliata, insipientia exaltata, virtus depressa, improbitas eleuata; ignorantia conspicua, scientia obumbrata caligine quadam obliuionis; thesaurus timoris, & sapientiæ tumulo quodam silentij, & obliuionis sepultus: cùm cathedra honoris illustri viduata viro, per mortem vacua, implenda venit; ille menti occurrit, qui eam ambitu occupat, precibus & auris adulationis aucupat, perpetua obliuione obruta virtute sapientis. Nec inexaminatam relinquas propositionem postremam sacri concionatoris: *Et diuites sedere deorsum.* Quia diuites honori sunt omnibus: opulentia, & opum abundantia, quos mimos non conciliat? Vah infortunium thesaurorum pietatis, gazarum scientiæ! Cerne veras opes contemptas, accitos ad sidera terrenorum possessores; despicatui habitos eruditionis, & pietatis promos condos. Lenit verborum blandimento Hieronymus sic mœrentes animos, eosque erigit spe melioris æui, in quo merces seruatur sapientiæ, corona virtuti: *Non simus itaque tristes, si in hoc sæculo humiles esse videamur: scientes à facie diaboli stultos subleuari, & diuites deiici: seruos insignia habere dominorum, & principes seruorum ingredi vilitate.* Permittit quandoque Deus cælestibus diuitiis abundantes viuere inglorios, vt insurgant animi ad maiora æternitatis præmia promerenda, maiusque pondus gloriæ seruetur vitæ nunquam terminandæ; improbi verò cum exaltatione, & glorificatione terrena apparent conspicui, indeficientis veræque beatitatis iacturam reformident, ne immerentes in hac vita ditati, glorificati, in cælesti Hierosolyma, & patria sortem non obtineant. Hæc aliaque Ecclesiastæ, Hieronymique pronuntiata dicta sunto de electione facta ab improbis principibus pietate, aut fide alienis, non de timoratis pieque viuentibus, qui iuxta æquitatis regulam insignia honoris distribuunt.

In mundo sæpissime cernitur sapientia humiliata, insipientia exaltata.

D. Hieron.

A facie Diaboli subleuantur stulti, sapientia, & virtute diuites deiiciuntur.

Pietati seruatur merces æterna, si careat temporali.

8. Quantam circumspectionem in eligendo ad Episcopatum tenuerint Gregorius Nazianzenus, & Basilius constat ex Gregorij epistola 27. in qua amice conqueritur Basilium infirmitatem finxisse, ne ad sacra comitia Episcoporum se conferret, vt suum daret suffragium: verba sunt Nazianzeni: *Ad metropolitanam vrbem nos acciuisti, cùm de Episcopo creando consultatio proposita esset. At quam speciose, & ad persuadendum apposito prætextu vsus es. Ægrotare te finxisti, atque extremos spiritus ducere,* &c. Inter alias excusationes à Basilio excogitatas, illam potissimam refert: *Tertio (liceat enim hoc quoque dicere) si piorum Deique metu præditorum hominum huiusmodi electiones esse iudicasti, non autem potentium, & apud vulgus gratiosorum. atque ego his de causis nauigij proram, vt dici solet conuerti, ac proficisci detrectaui.* Basilius suspecta habebat suffragia, non virtuti deferenda, sed potentiæ, ideo personatam infirmitatem sapienter commentus est, cuius exemplum Nazianzenus sequutus adornatam profectionem inhibuit.

D. Gre. Naz. D. Basil.

Nazianzenus simulatione ægritudinis, consultationi de creando Episcopo, non interfuit.

Basilius suspecta habebat suffragia quæ non virtuti, sed potentiæ deferuntur.

9. Curat quoque Deipara electiones Antistitum, & ad pastoralem solicitudinem idoneos promoueri. In quo sensu explanat Guillelmus verba Canticorum cap. 8. vers. 9. *Si murus est ædificemus super eum propugnacula argentea.* Existimans esse Dei genitricis verba ita fantis cum nato suo: *Hoc nimirum est, quod à pia Matre omnipotenti filio dicitur: si quis in Ecclesia propter simplicitatem pastorali officio aptus non est, & tamen per charitatem ad exhibendam proximis misericordiam procliuior est; tu, diuina operatione, ego, pia intercessione, non tantum pronocemus, sed & informemus eum sublimibus clarissimorum Patrum exemplis: ne scilicet insufficientiam propriæ discretionis minus attendens, & ob hoc illi plus iusto innitens, ibi sua iustitia dispendium patiatur, vbi se Deo impensius præstare obsequium arbitratur.* Quæ verba produnt Mariæ solicitudinem ad promouendos aptos viros ad Pontificios honores, in iis charitatem, & pietatem inprimis auget, defectum sapientiæ supplet suis precibus, & propositis ante oculos mentis exemplis priscorum Patrum, ad sacras functiones obeundas informat, prudentia instructos reddens; si Mater Principis pastorum tanto studio solicitat simpliciores, secundum Deum pietate conspicuos, sedere cum principibus Ecclesiæ, & gloriæ solium tenere; quanto propensiori animo ad regale sacerdotium prouehet viros sapientia claros, virtute venerandos. Faxit Deus, vt terreni potentatus regni cælestis Imperatrici respondeant votis.

Deipara solicitudine magna, vt viri idonei ad pastorale munus eligantur.


Cant. Guillel.



VERSICVLVS VII.

Respondebit in die illa, dicens: non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite me constituere principem populi.

COMMENTARIVS.

1.  D tantam miseriarum molem redactus est populus in obsidione Romanorum, vt requisitis hominibus, qui in tali tempestate illũ dirigerent, & gubernarent, omnes vltrò oblatũ imperium constanter repudiarent; nullum tametsi ambitioso fastu alioqui turgidum allectauit magistratus gloria, nec prælaturæ splendor; sed propriæ incolumitati, & vitæ consulentes onus dominationis declinabant, derelinquentes Rempublicam quasi nauem tempestate iactatam nauclero, & clauo destitutam, vt pessum iret, & in cautes impingeret. Erant enim aspectu hostium, & internecionis certa expectatione perculsi, languentes, & deficientes viribus, vt in cap. 1. proposuit Vates, in recusando principatu constantes, & tenaces. Constantiam

Romanorum excidio impendente, Ierosolymitani omnes dominatum constanter recusant.

Lect. heb. Tigur. Vatab. *Imperij onus iureiurando declinant.*

tiam indicat verbum : *Respondebit in die illa.* Hebraicum נשא nasa, indicat *leuare vocem*; vt vocis, & effatus contentionem ostentet, & libertatem in recusando magistratu. Vnde Tigurina legit : *deierabit.* Et Vatablus : *ille cum iureiurando abnuet imperium oblatum.*

Causa repudiandi principatus proponuntur.

2. Nec sola fuga, & recusatione importunis populi tumultuantis precibus, & violentis coactionibus facere satis curant electi, & apprehensi ad dominationem, sed verosimilibus argumentis vincere eorum conatus, qui ad præfecturam volentes nolentes splendidiores viros trahebant. Primam excusationem allegat ad Regnum raptus dicens : *Non sum medicus.* Sententia hæc pendet ex capite primo, & mirifice cohæret cum illis verbis : *omne caput languidum, & omne cor mœrens à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas: Vulnus & liuor & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Vide ibi propositam commentationem. In qua asseruimus Ierosolymam proponi velut languidam, viribus destitutam, plagis, & vibicibus plenam, cui renuntiata est desperata salus; nunc ait electus ad imperium: Non sum medicus, nec apud me sunt pharmaca, aut medicamina emollientia tumores, & vulnera. Excedit meas vires, meam facultatem, & prudentiam tam grauis morbus, vt possim Hierosolymæ in tam graui anxietate, & conflictu positæ medelam adhibere.

Populus languebat insanabili ægritudine. Lect. Hebr.

3. Hanc metaphoricam locutionem, qua proponit Vates populum tanquam ægrotantem, & principem illius curam recusantem, expressit verbum Hebraicum חבש quod denotat *ligare*, *alligare*, & de alligatione, & curatione vulnerum solet vsurpari. Isaiæ cap. 30. vers. 26. *in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui.* Et cap. 61. *vt alligem contritos corde.* Iob cap. 5. vers. 17. *Ipse vulnerat & medetur.* Hebraicè : *ipse dolere faciet, & alligabit.* Osee cap. 6. vers. 2. *& sanabit nos.* Hebraicè : *& alligabit nos.* In quibus locis reperitur idem verbum Hebraicum. Quod quidem alteram admittit significationem, nimirum *imperare*, *dominari*, *principem esse & caput Reipublicæ*, & cohæret cum vi verbi Hebraici *alligare*, nam Reges, & magistratus suis ligant præceptis, legibusque transgressores, & tanquam vinculis in virtute continent. Vnde in præsenti legi potest : *Non ero dominans.* L X X. *non ero tuus princeps.* Chaldæus : *Non sum dignus vt sim caput.* Vnde Plato lib. 5. de Republica princeps nuncupat : *seruatores, auxiliariosque.* Et Cassiodorus lib. 12. variar. cap. 3. munus medici, & moderatoris componit : *Ægris* (inquit) *non vna causa salutis est, alter cibis reficitur, alter per abstinentiæ beneficia tenuatur; hic lauacra mollia, ille ferrum quærit, & vulnera, & varium poscit remedium diuersa qualitas passionum : Sic qui populis præesse cognoscitur, non vno consilio præditus inuenitur. Feroces districtione premendi sunt, mansueti ciuiliter admonendi, dolosi cautè, simplices sub lenitate tractandi sunt. Et ideo vbique prædicatur esse necessaria prudentia, quoniam rebus omnibus adhibere videtur accommoda.* Quare in præsenti, tot impendentibus ærumnis Romanæ captiuitatis; sapientior quisque se agnoscit destitutum consilio, & prudentia in perturbata republica ciuium, irruptione, & tumultu componendo.

Oseas. Lect. heb.

Reges subditos suis ligāt legibus.

Lect. LXX. Chald. Plato.

Cassiod.

Munera medici & moderatoris componuntur.

Famem repellere non valens, merito respuit principatum.

4. *Et in domo mea non est panis, neque vestimentum.* Aliud argumentum accumulat incitatus ad regimen, vt recuset serio principatum; prudenter mensurans suas facultates, & cum populi inopia componens, ait : non suppetere ei copias vt famelicis, & sitibundis, nudisque, à quibus Deus supra abstulerat omne robur panis,& omne robur aquæ,subueniat, vt possit depellere morbum rabidæ famis,& ignominiam nuditatis in ipsa captiuitate necessario subeundam. Vnde pondus dominationis sapienter declinat. Existimat enim nomine, & gloria principatus esse immeritum, qui fame penè enectos non suscitat pane, & nudos non ornat vestimentis. Hæc sunt etenim maiora principis insignia. Hinc etiam colligimus non esse aptos dominatui, aut præfecturæ eos qui laborant inopia, vt solerter prouisum est l. *rescripto* ff. de muneribus & honoribus. Ibi scribitur : *cæterum si ita quidam tenaces, & exhausti sunt, vt non modo publicis honoribus pares non sint, sed etiam vix de suo victum sustinere possint, & munus vtile, & nequaquam honestum est, talibus mandari magistratum : præsertim cum sint qui conuenienter rei, & suæ fortunæ, & splendori publico possint creari.*

l. rescr. ff. *Qui laborat inopia, idonei non sunt præfecturæ.*




ORNATVS LITTERÆ.

Non sum Medicus.

DISCVRSVS I.

Magistratus, & Medici comparatio, & similitudo.

1. RINCIPES æquo iure vocabis curatores,& seruatores,qui vulnera obligent Reipublicæ languentis,& pharmaca accommodent varietati infirmitatum, & passionum, quibus humanum genus ægrotans iacet. Talis erat Abraham, qui in pacti diuini sanctione cum genere suo initi, immolans pecudes quasi arcanorum cælestium mysta,operationis diuinæ explorabat signa. Gen. c. 15. v. 11. *Descenderuntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham.* L X X. legunt: *Et consedit illis Abraham.* Non vt tanquam aruspex in volatu,& garritu auium obseruaret auguria; sed superno numine afflatus internosceret mystica,& moralia documenta; tanquam peritus medicus animorum non solum adhibet præsentibus improbitatibus medicamenta salutaria, sed prudenti solertia præuenit imminentia mala, & futuris infert medicamen cautionis. Audi sanctum Ambros. lib. 2. de Abraham c. 8. *vir ergo pacificæ mentis considebat,& considerabat, quatenus prohibere cominus posset, ea mala, quæ hominibus inferūtur. Mens enim sapientis viri ac iusti, mederi studet humanis casibus,& prohibere, & resecare animarū nostrarū labores.* Residebat in alta mētis specula Abraham, vt exploraret humanos casus,& infirmitates

Genes.

Lect. LXX.

Vir prudens mederi studet humanis casibus, & resecare anima langores.

D. Ambr.

firmitates occurrentes, & de sapientiæ suæ penu, velutde pharmacopolio educeret vnguenta sanandis vulneribus: iam enim fidei, & prudentiæ princeps ad Reipublicæ moderamen instituebatur, vt esset magistratuum exemplar, eosque doceret non tantùm præsentes depellere morbos, sed præcauere futuros.

Iob falsos amicos nuncupat medicos iniustos.

2. Querelæ sancti Iob personant in capite 13. aduersus principes, & falsos amicos, qui ad leniendos eius dolores venerant consolatoriis verbis, eos potiùs hostes nuncupat aduersus Dei prouidentiam deblaterantes, sectatores peruersorum dogmatum, passiones Iob non patientiæ documenta, virtutis probamenta, sed improbitatis flagella dictitantes. Eos carpit seueriori verborum disciplina, ibi vers. 4. *Prius vos ostendens fabricatores mendacij.* Vbi LXX. legunt: *vos autem estis medici iniusti.* Symmachus in catena Græcorum Patrum: *adherescitis mendacio, & mihi fraudulenti medici, qui ea, quæ à ratione sunt auersa, paratis.* Quæ verba Iob expendit Didymus ibidem: *iniustus medicus is est, qui salutaria remedia commutat inutilibus, & ea, quæ obsunt, prebet ægrotantibus. Id verò dupliciter euenit, aut ex imperitia medici, aut ex improbitate.* Remque enucleat accuratiùs Polychronius in eadem catena: *Cùm ad me sanandum accesseritis, vestris me nunc sermonibus, quasi iaculis sauciatis, ipsaque, quam patior, calamitate, dolorem mihi adfertis acerbiorem: medicosque imperitos imitamini qui cum sanantia negligunt medicamenta, stultè ægrotorum vulnera; quasi morsu discerpunt.* Sic solent lædere verbis, & tanquam iaculis sauciare ægrotantes, imprudentes, & iniqui principes; dum pro dulci verborum lenimento, quo velut oleo mollificent vulnera, asperioribus ea increpationibus exacerbant, & maledico dente tanquam ferreo vnco, putredine infectos artus exarant, & dilaniant: quos æquo iure Beatus Iob iniustos, & iniquos medicos nuncupat, cùm aduersas sanitati medelas applicant.

Iob. Lect. LXX. Symm. Cat. græc. Didym. Iniustus medicus est, qui salutaria remedia non adhibet, sed noxia ægrotantibus. Polychr. Iobum amici, sermonibus quasi iaculis sauciabant.

3. Nec propterea bona, & pia sæuitia à Magistratu, & Prælato secluditur, quæ sæpe sæpius iustitiam comitatur, & ornat; eget tamen ira prudentiæ temperatura, & blandimento compassionis, quæ non augmentum tumoris, & puris vlceribus ingerat, sed leni tactu humoris redundantiam exprimat, non saniem & suppurationem denuò creet. De hac sæuitia disertè scribit Tertullianus aduersùs Marcionem lib. 2. cap. 16. *Bona igitur & seueritas, quia iusta si bonus index; id est iustus. Vindicanda erit procacitas ætatis verecundiam debentis: atque ita non poterunt indici exprobrare, quæ indici accidunt, carentia & ipsa culpa, sicut & index. Quid enim si medicum quidem dicas esse debere, ferramenta verò eius accuses quod secent, & inurant, & amputent, & constringent, quando sine instrumento artis, medicus esse non possit? Sed accusa malè secantem, importunè amputantem, temerè inurentem, atque ita ferramenta quoque eius, vt mala ministeria, reprehende.* Proponit Magistratum Florens Tertullianus medici munera perfunctum, cum vulnera aperit, cum putrida membra amputat, aut inurit, cum ligaturis stringit, dolentem pungit, lædit, excruciat, lacrymas, gemitus, clamores extorquet, pia sæuitia est, & iusta seueritas quæ crudeli paratura, corpus morbidum traducit ad sanitatem, & vitam. Immurmuret, infremat vulneratus non aduersùs curatorem, non aduersùs ferrum, sed aduersùs vlcera de contracta putrilagine tumentia, aut hiantia, quæ indigent seueriori manu, & scintillantis ferri cauterio.

Bona, & pia seueritas in vindicanda procacitate. Tertul. Qui medici manum ad sanitatem cupit, ferramenta secantia, & inurentia refugere non debet, nec accusare.

4. Cerne medicum sæuitiam cum pietate prudentissimè moderantem, Nathan Prophetam ingredientem ad Dauid libidinis iaculo vulneratum, vt sanitati restituat. lib. 2. Reg. cap. 12. *qui cùm venisset ad eum dixit ei: duo viri erant in ciuitate vna,* &c. In Bibliis Complutensibus LXX. Interpretum additur: *annuntia mihi quæso iudicium hoc.* Et sanctus Chrysostomus in titulo Psalmi quinquagesimi: *sermo mihi ad te, ô Rex,* & ibidem subiungit: *Propheta ad Prophetam venit. Quo modo se ipsum curare non potuit? Sicut enim medici quando ægrotant, aliorum medicorum auxilio indigent, & infirmitas obliuioni dat artem: sic & in hoc Propheta, ille Propheta, & iste: sed ille sanus, iste autem graui vulnere sauciatus.* Et ad ea verba LXX. interpretum: *sermo mihi ad te ô Rex. O sapientia medici! intrauit portans gladium, vt secaret vulnus, sed infirmanti non ostendit, nè abhorreret medicinam. Abscondit de intus ferrum, non sub vestimento, sed sub velamine narrationis.* Et in vltima parabolæ medicinalis clausula: *tu es ille vir:* inquit: *ô sectura non gladio secans sensum doloris, sed in compendio accusationis! Cum oportuit occultauit narrationem, cùm verò tempus inuenit, statim percussit, & abscidit sine grandi plaga vulnus.* In aperiendo, & curando vlcere Dauid, sapientissimi curatoris munere perfunctus est Nathan, cùm lanceolam reprehensionis cuspidatam, dentatum verborum ferrum, & acutam nouaculam, sub parabolica narratione abscondit: sciebat enim valde asperum, & criminosum esse Regum ingenium aduersùs censores suos, & in obiurgantes velut percussas feras in percussores insilire; ideo gladiolum accusationis pulcherrimo schemate epulatæ ouiculæ occultauit, vt dum censorio iudicio Dauid seipsum nesciens multat, & addicit pœnæ, prius se sanum agnosceret, quàm in aperiendo vulnere ictum, & dolorem Vatis præsentisceret.

Nathan medicus sæuitiam cum pietate temperat. Lib. Reg. Lect. LXX. D. Chrysost. Medicus se ipsum curare non potest, cū ægrotat. Lect. LXX. D. Chrysost. Nathan, vt secaret Dauidis vulnus, sub verborum inuolucro, & lenimento, gladium abscondit. Prudens prophetæ sectura accusationis.

5. Eunuchus princeps pistorum traditus est vinculis, & carceri, in quo erat Ioseph. Genes. capit. 40. at quem *pistorum principem* appellat vulgatus, & LXX. Philo Hebræus nuncupat: *principem coquorum.* Comparat coquum, & medicum, vtriusque munia, & eorum discrimen argutè assignat idem Philo lib. de Ioseph dicens: *Quid autem inter coquos & medicos intersit, quis non videt? Illi quidquid ad sanitatem conducit, etiam si ægroto ingratum videatur solum magno apparant studio. Hi contrà suauia curant, vtilia negligunt. Ergo medicis similes sunt in ciuitate leges, & magistratus legitimi, senatores, indicesque prouidentes communi saluti, ac securitati.* Coqui est elixare, & condire carnes herbis, croco, pipere, saccharo, melle, vt palato sapiant, & gustum demulceant. Medicus non suauitatem quærit, sed vtilitatem; per potiones acerbas, per pharmaca insuauia, per effusionem sanguinis,

Genes. Lect. LXX. Phil. Iud. Coquus, & medicus comparantur, & vtriusque discrimen proponitur. Senatores legitimi populo proponunt nō suauia, sed proficua.

Digitized by Google

guinis, per ferrum, per vulnera, per ignem, & immania cruciamenta prouidet corporis incolumitati; sic principes, magistratus, & senatores tanquam medici ciuitatum, communem earum salutem quærant. Quare in Ioseph Patriarchæ iustique prætoris nomine, Hæc ibidem verba Philo subiungit: *indignum enim esset, si cum mea fidei commissa sit administratio Reipublicæ, in prauidendis commoditatibus cederem cuiuis medicinæ professori; nam ille in ægroto nullam splendoris fortunæ rationem habens, nec quod claro genere natus, aut opulentus, denique Rex, aut tyrannus sit, vnum hoc spectat, quomodo seruare queat hominem; & si forte sectione, vstioneve opus videt, secat vtrique principem suum ac Dominum seruus ipse, atque subaurit. Ego qui non vnum virum curandum suscepi, sed integram ciuitatem laborantem morbis grauioribus, contractis ex innatis concupiscentiis, quid agere debeo: Num prodita vtilitate publica, illius, aut illius aures mulcere adulatione illiberali, & ne seruo quidem decora.* Habitum medici in magistratu perbelle describit Philo Hebræus, cùm in medelis adhibendis non respicit personam principis, aut priuati, sed communem omnium ciuium incolumitatem, vt laborantem vrbem, aut imperium grauescens innatis morbis sanitati restituat. Felix qui non personas, sed vitia, & scelera secat, exurit pro tempore & qualitate languorum adhibitis pharmacis; tunc enim vstio, sectio, & asperior disciplina mitior redditur, cùm eam non liuor exasperat, sed publici emolumenti zelus iucundat. Talis est medicantis forma. Qualis verò debeat esse medicati promptitudo, vt insuauia, iniucunda, pungentia, cruciantia medicamina tanquam noxia non respuat, quæ salutem & vitam de doloribus generant; de fellitis potibnibus dulcedinem sospitatis creant; describit Tertullianus in scorpiaco aduersùs Gnosticos cap.5. *Est & hæc peruersitas hominum salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quæque medicamina vitare, mori denique citius, quàm curari desiderare. Nam & medicinæ præsidium plures qui refugiunt, plures stulti, plures timidi, & male verecundi. Et est planè quasi sæuitia medicina de scalpello, deque cauterio, de sinapis incendio; non tamen secari, inuri, & extendi, morderique idcirco malum, quia dolores vtiles adfert; nec quia tantummodo contristat, recusabitur, sed quia necessario contristat, adhibebitur. Horrorem operis fructus excusat. Vlulans denique ille, & gemens, & mugiens inter manus medici, postmodum easdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & sæuas iam negabit.* Huc vsque Tertullianus, in quo per otium pensiculare poteris extrema verba; *mugiens inter manus medici, postmodum easdem mercede cumulabit.* Ne serpat virus vlceris, & vitalia omnia depascat, patitur exulceratus secari, & denticulato ferro bifidari pedem, aut brachium candenti & scintillanti cauterio inuri, inter mœrores, anxietates, cruciatus vlulat, gemit, immugit, vociferatur, immanes manus ad suam natas lanienam accusat; Cùm verò de periculo mortis erutum se cernit, & sanitati restitutum, manus medici muneribus accumulat, pro doloribus grates, pro cruciatu mercedem lubens rependit, gloria exornat, quas diritate ferina carnificis violauerat, artifices optimas salutis, & vitæ assertrices prædicat. Quid simile cernes in ciue, sub principis; in subdito, sub prælati imperio gementibus; cùm punguntur aculeis verborum, sæuis increpationibus exuruntur, cum gemunt sub verbere; exercitatorium patientiæ, disciplina correctionis, medicamentum sanitatis applicitum est, vt ex pœna, & cruciatu facilius conualescant. Tunc autem medici curatio, & animaduersio superioris efficax cùm non de maleuolentia prodit, sed de zelo disciplinæ, tunc æmulabitur Deum, dequo sanctus Cyrillus Alexandrinus ad ea verba Ioelis c.1. *expergiscimini ebrij*, sic scribit: *Percutit enim tanquam peccatores, non volens, quia pius est Deus; sed velut coactus conuertens eos, & de supplicio illis modum auxilij efficiens. Quemadmodum scilicet boni quoque medici ægrotantibus perquam acria, & insuauia medicamenta ministrant, vt doloris tolerantia morbum depellat.* Hæc ille.

Ioseph sapiens medicus Ægyptiorum. Phil. Iud.

Medicus non personam respicit ægroti, sed salutem.

Per sectiones, & vstiones, seruus Dominum curat.

Vrbes tanquam languidi sunt, diuersis ægritudinibus laborantes.

Præfectus vrbis communi emolumento prospiciat.

Tertull.

Peruersi hominis est, abhorrere salutaria; exitiosa suscipere.

Stultitia est, refugere medicinæ præsidium.

Diligenda est manus medici, quæ per aspera, & tristia salutem infert.

Mugiens inter manus medici, eas postea mercede cumulat.

D. Cyrill. Alexand.

Deus vt prudens medicus per supplicia sanitatem animæ infert.

6. Perquirit Philo Hebræus cur Moyses Deum exhibeat iratum, omnibus armis instructum ad vindictam hostium? Deuteronomij cap.32.v.41. *Si acuero vt fulgur gladium meum.* Et v.42. *Inebriabo sagittas meas sanguine.* Et respondet sæuitiam, & minas timorem incutere seruis respectu Dominorum, quo quidem velut inuiti continentur in officio; quandoque verò iram dissimulat, ne comminationibus obruantur, & improbi fiant immedicabiles. Sic ergo Philo libro, *quod Deus sit immutabilis*, loquitur: *Proinde legislator noster cùm sit optimus animarum medicus, vnicum finem habet propositum, vt radicitus mentis infirmitates exsecet, ne ex reliquiis repullulet malum immedicabile. Quod ita se speraait effecturum, si auctorem creaturarum induceret minacem, indignabundum, iniustis seuere intentantem supplicium, nonnunquam arma corripientem in improborum perniciem. Nec enim aliter emendatur insipiens.* Minas iactantem aduersùs improbos introducit Deum Moyses, vt radicitus amputet morbos, & vulnera animi, ne male affecti experiantur curationis asperæ tormenta; ne sub vstione & sectione, & reliquo seueritatis apparatu grauiter ingemiscant, sed comminatione gladij, ignis, & cruciatuum apparatu coerceantur à flagitio.

Deuteron.

Deus indignabundus proponitur, vt radicitus sanet mala immedicabilia.

Phil. Iud.



Non sum Medicus.

DISCVRSVS II.

Spiritalis medici ornamentum pietas & compassio est.



MISERICORDIÆ formam, pietatis effigiem, similitudinem compassionis mutuare poteris de tuo Creatore, qui abiectiora munia medicandi non refugit, vt ouem morbidam de draconis faucibus ereptam humeris suis impositam faceret conualescere. Exprimit hæc omnia S. Lucas Euangelista in parabola descendentis hominis ab Hierusalem à latronibus spoliati, plagis affecti, & iam penè animam agentis, quem videns, cuius clamores miserabiles

miserabiles auscultans Sacerdos, & Leuita Hebræus, magis exutus ipse pietatis visceribus, misericordiæ habitu, quàm languens vestibus, immaniter despexit, & præteriuit. Samaritanus secta despectus, verbi interpretatione, & officio mirabilis, quique dicitur *custos* formam tenens Domini IESV, qui est animarum, & corporum curator, & custos, super ægrotantem pietatis viscera effudit. Lucæ cap. 10. vers. 33. *Venit secus eum, & videns eum misericordia motus est.* Quæ verba sic effert S. Ambrosius: *Venit secus eum, hoc est factus compassionis nostræ susceptione, finitimus, & misericordiæ collatione vicinus.* Iam in ipso accessu proximum agnoscebat per compassionem, qui factus fuerat remotus distantia delicti. Tot ora quot vulnera aperuere latrones, vt tantis vocibus attraheretur medicus; est enim dolor, & labor vocalissimus, vt auxilium hauriat de supernis; venit Deus de propinquo, vt oculis cerneret hiantia vulnera, & vibicibus membra tumentia, & oleum, & vinum infunderet. Optimè Asterius Amasæ vrbis Episcopus in Catena Græca ait: *At Samaritanus (cuius nomen Iudæis inuisum erat) bonorum omnium thesaurum adsistens præstitit curationem: qui est Saluator noster, sub infami Samaritani nomine occultatus, & iacenti vulnerato fontes aperiens salutis.* Despectum erat Samaritani nomen, sed illud ex charitate assumpsit, qui factus est despectus super filios hominum, vt filios hominum non despiceret, sed aspiceret; Vnde primò medicus cœlestis suo ægrotantem solatur aspectu, & spem recuperandæ sanitatis gratioso intuitu generat in animo iam è vita migrantis; quam plurima attulit alleuiamenta, & vitæ subsidia, sed maiora sunt amoris lenimenta, quibus perfusus est languidus, & expertus vitæ, & pietatis fontem. Adiungit sanctus Euangelista in curatore nostro aliud eximium charitatis argumentum. v. 34. *Et appropians alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum.* Quo in loco audiendus est Euagrius in catena Græcorum relatus. *Propterea fortassis Sacerdos ægrotum non curauit, sed Samaritanus semimortuum, qui non dicit sicut sermo Propheticus* (Isaiæ cap. 1.) *non est malagma imponere neque oleum, neque alligaturas. Ipsum autem ex proposito venisse patet ex eo quod secum fascias attulerit cum vino, & oleo, quæ vulneribus curandis conducunt. Viuentium igitur Angeli, mortuorum vero dæmones, sed homines ægrorum rationem habent ad quos Christus vt medicus venit, eáque propter Saluator appellatur; cùm enim humana natura ægra dicitur, medicus nominatur.* Pertransiit moribundum Leuita Iudæus, & Sacerdos, qui fatetur non esse medicum, nec habere malagma, pharmaca, nec alligaturas salutis; hoc munus Samaritano seruatur, qui sub inglorio nomine hominis incolumitatem quærit; ideò zonis alligari, & pannis inuolui passus est, vt ex iis fierent emplastra naturæ; ipse solus re, & nomine seruator, & medicus, qui compassus est languido, eíque exhibuit beneficium sanitatis.

Iesu pietas, & compassio, elucent, in Samaritani cura erga ægrotū vulneribus saucium.
D. Lucas.
D. Ambr.
Medicus ad infirmū approximare non reformidat.
Aster.
Cat. Græc.
Iesus sub inuiso, & inhonore Samaritani nomine omnium bonorū thesaurum, & salutis detulit fontem.
D. Lucas.
Euagr.
Cat. Græc.
Charitas Iesu non solum vnguentum, infudit vulneribus, sed ea fasciis, & linteolis colligauit.
Angeli, viuētium curam habent; dæmones mortuorum; homines vero languentiū. Iesus Saluator dicitur, quia ægra natura humana medicus est.

2. Cùm accipit Moyses à Deo trabeam prælaturæ, & moderaminis populi, iubetur intra sinum recondere manum, quæ extracta albicans lepra apparuit, & sic infecta ad pectus applicatur. Exodi cap. 4. vers. 6. *Dixitque Dominus rursum: mitte manum tuam in sinum tuum: quam cùm misisset in sinum protulit leprosam instar niuis. Retrahe ait manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ.* Quid mysterij contineatur in hoc prodigio dignissimum scitu est. Sanctus Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysi ad allegoricam protheoriam animum erigit dicens: manum Moysi Filium Dei adumbrasse, qui est manus, & potentia Patris, & ex eius pectore prodiens, ad infirmos venit, quorum lepram peccatorum suscepit, eosque sanans, & viuificans ad immortalitatem reduxit, eius verba sunt: *Vnigenitus Dei Filius dextera excelsi est, cùm è sinu Patris ad nos visitandos descendit commutatus dicitur, at vero postquam morbos nostros sanauit, naturam nostram in sinum suum reduxit. Sinus autem Filij Pater est.* Quo in facinore quis non videat quantum eluceat Patris, & Filij compassio, & clementia; cùm immundam illam tot sceleribus naturam, putidisque vulneribus inhorrentem suscepit, diuinisque splendoribus ornatam collocauit ad dexteram Patris? Adhuc tamen inculcare licèt sacri textus seriem in Moysis instructione, & principatus inauguratione. Cùm legislator, & dux populi decoratur infulis præfecturæ, cur eius potestas non de sinistra leprosa, sed de dextera ostenditur? Cur ad tactum capitis, pedis, aut alterius manus non restituitur sanitati, sed intromissa ad sinum, & ad pectoris tactum? Vt ostenderet misericordiæ viscera esse principis magnalia, vt languentem populum terrenis passionibus, ad vocem Domini contumacem, spiritu, & blandimento lenitatis instrueret, vt plebem Domini Ægyptiacæ superstitionis inquinamentis sordidatam, tanquam agnos, & oues scabie maculosas portaret in brachiis tueretur quodam amplexu charitatis. & expanso sinu misericordiæ refoueret, ipsoque dextræ attactu pulsante pectus, quantum curæ, & cordi illi esset populus, quàm in intimis præcordiis reconditus, facilè ostenderet. Pestilens afflatus lepræ non est horribilis charitati, quando quidem populus lepra infectus non fœtet Creatori, qui propter homines factus est leprosus.

Exod.
Mosaica, & leprosa manus de sinu educta Christum denotat medicum, de sinu patris descendentē, vt sanaret hominem ægrotum.
D. Gregor. Nyssen.
Postquā hominē sanauit, naturam nostram in sinum suum scilicet ad patrem reduxit.
Cur Moyses in principem electus ostenditur non de sinistra, sed de dextera manu leprosa, in sinum introducta.
Viscera misericordiæ plenissima sūt principis magnalia.

3. Amplificat in Imperatore, & seruatore nostro Diuus Ambrosius hunc affectum pietatis examinans verba Psalmi 61. *Nónne Deo subiecta erit anima mea?* Hunc locum cum altero Isaiæ connectit, affectúmque compassionis Christi miris laudibus effert. *Vnde ait Propheta*, (Isaias cap. 53.) *& pro nobis dolet. Quomodo dolebat meo dolore, si meum non gerebat affectum? Homo*, inquit, *in plaga & sciens ferre infirmitatem, itaque quasi homo infirmatus est, quasi homo doluit, & nos quasi hominem æstimauimus eum esse in doloribus. Quid vtique est homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem, nisi quia plaga habebat compassionem?* Sumus debitores non tantum Christi passionibus, sed compassionibus: suscepit infirmitates nostras, portauit iniquitates, sensit omnium nostrum dolores, & vulnera, & ex intimo cordis affectu cum infirmantibus infirmatus est, doluit cum dolentibus, & compassus est vulneratis; minus enim mihi contulisset ni meum suscepisset affectum. Iacebat homo languidus in dolorum grabato, & miseriæ lectulo, & in tumulo quodam mortis recumbebat exanimis; descendit Rex gloriæ ad pauperis animam agentis hospitium, visitauit

Psal.
D. Ambr.
Christi lesus cōpassionis affectus, & infirmitatum nostrarū condolentia.
Debitores sumus non solum Christi passionibus, sed compassionibus.

Digitized by Google

visitauit infirmum, quem videns, ingemuit, & lacrymatus est, & de visceribus misericordiæ suæ infudit oleum pietatis, sanguinis sui vnguentum, & balsamum, vt sanaret ægrotantem, & à reati longa qua tenebatur peccatorum, absolueret. Prædixerat subsequentia Ambrosius seipsum assertorem præbens diuinæ, & humanæ naturæ in Seruatore nostro: *Non enim alter ex Patre, & alter ex Maria: sed qui erat ex Patre carnem suscepit ex Virgine: affectum assumpsit ex Matre, vt infirmitates nostras ipse susciperet.* Quæ verba primò aspectu eam præbent intelligentiam, vt qui ex Maria suscepit carnem, ex ea susceperit sensum doloris, qui experitur in corpore; erat enim Verbum antequam descenderet ad ærumnis plenam huius sęculi conuallem, sicut expers corpulentæ substantiæ, ita alienus à dolore, & pœnalitate, quam expertus est factus homo, in ea carne, quam assumpsit ex MARIA. Adhuc subtiliori perscrutatione indigent Ambrosiana verba: *Carnem suscepit ex Virgine: affectum assumpsit ex Matre.* Cur non dixit: *Affectum assumpsit ex Virgine, carnem suscepit ex Matre?* cùm vtrumque alienum non sit ab Euangelij, & mysterij veritate, cùm à Virgine Matre consors factus est carnis, & sanguinis, humanas affectiones, & passiones induens, per omnia absque delicto fratribus suis assimilatus. Caro Christi remota prorsus ab omni contagione criminosæ corruptelæ ab immaculata Virgine prodiit, castitatis, & puritatis fœtus à pudorata Virgine ab omni vitio, & virili consortio sequestrata venit; flos ex flore germinauit; sed qui dicit virginem, intemeratum pudorem asserit; nomen verò matris, & insigne eximiam deprędicat pietatem, & teneritudinis affectum, & naturæ quoddam in diligenda prole prodigium, cui Deus ipse assimilatur, vt ostendat erga mortalium genus misericordiæ viscera. Cùm audis genitricis decus statim sese offert cura, & solicitudo, charitas in seruando, & educando fœtu, osculum, amplexus, ad vbera portatio, & super genua blandimentum. Mater nato alludenti colludit, balbutienti balbutit, arridenti subridet, queritanti compatitur, & vniuersos in se affectus pueruli configurat, Magna hęc in parentibus, maiora tamen in Genitrice creatoris. Cùm enim Spiritus Sanctus eam creat in matrem prolis æternæ, in hoc Marianum mare omnia effudit pietatis, amoris, teneritudinis, compassionis flumina, vt omnia hęc in filium, quem generabat refunderet. Habebat Verbum sicut Deitatem, ita & pietatem, & misericordiam immensam ex Patre; omnem tamen compassionem, & pietatis affectum humanitatis assumpsit ex Matre. Quid? quod in ipsa diuinæ, & humanæ prolis generatione, impensè compatiebatur Maria generi humano, cuius redemptionem dulci amoris affectu correpta, & pelago Deitatis immersa omnibus exoptabat votis, vt in ipsa generatione redemptoris compassionis affectum influeret, vt natus compatiens exemplari Genitricis compatientis assimilaretur: *Affectum assumpsit ex Matre.* Denique MARIA cùm Principem æternitatis diademate humanitatis cinxit splendidissimo lapide pretioso commiserationis insigniuit, vt in homine quem gerebat, affectū humanitatis, & clemētiæ demonstraret.

D. Ambr.

Iesus affectū compassionis sumpsit ex matre, carnē suscepit ex virgine.

Cur non dixit Ambrosius affectum sumpsit ex virgine carnem suscepit ex matre.

Nomen matris eximiam indicat clementiam, & amoris affectum.

Iesus affectū compassionis, & pietatis assumpsit ex matre.

Maria in incarnatione Verbi, suum, ad redimendum genus humanum affectum cōpassionis infixit.

4. Argutè perscrutatur Eusebius Emissenus cur Deus ad reparationem orbis, & redemptionem generis humani, nostrum corpus tot miseriis obnoxium, & non aliquod corpus lucidum proportionatum lumini Deitatis assumpsit? Homilia 11. de Pascha ait Emissenus: *Quid tantopere necesse fuit vt splendida illa, & sincera diuinitas humanæ carnis experiretur iniurias? Quare non magis aliquod speciosum lucis corpus assumpsit?* Et inter alia, quibus quæstiunculæ, quam sibi ipsi obiecerat, satisfacit, hęc scribit. *Cur lucem susciperet, hominem redempturus? Inordinatum medici apparet ingenium, si humeris suis imponeret illæsum, & negligeret vulneratum: Illa necesse est sanitatis arbiter membra contrectet, quæ grauibus morbis æstuare perspexerit. In quo corpore timetur ægritudinis causa, in ipso est exercenda medicina: Numquid aliquid solicitudo proficiet, si cùm alium dolor teneat, alium cura consoneat? Si cùm iste crebris anhela sitis pulsibus vrgeatur, alius pro eo desideratis aquarum refrigeriis irrigetur?* Venit IESVS saluare peccatores cur lucem assumeret, quæ nunquam peccauerat? Lucem creatam profiteor planè æmulam splendoris æterni, qui procedit à Patre, puram, splendidam, incontaminatam, nullo sceleris afflatu obnubilatam; minus tamen mihi contulisset amoris, si formam corporis per omnia sibi similem assumpsisset, quam si naturam induceret humanam à diuina per omnia segregatam. Charitas eximium prodit affectum, cum ad viliora, & abiectiora prosternitur, nonne dilectio diuina intimius commendatur, & laudatur vberius, cùm hominem de vili luto plasmatum amplectitur, & æterno nexu sibi associat? Hominem inquam vibicibus plenum, à latronibus vulneratum, vt dum languores nostros portabat, & vulnera patitur, ex iis, quæ passus est discat compati infirmitatibus nostris. Solertior est disciplina curatoris, & medela cautior, cùm sanitatis asserendæ arbiter prius in se experitur, quæ curaturus est vulnera.

Euseb. Emiss.

Cur Deus ad hominis redemptionē, non corpus sed tot miseriis obnoxiū suscepit?

Non corpus sanum medicus, sed languēs, & vulneratum, ad sanitatem contrectat.

Ille sanitatis arbiter cōmēdatur, qui prius in se experitur, quæ curaturus est vulnera.

5. Disquirit Chrysostomus quæ fuerint epulonis crimina, quæ eum æternis cruciatibus, & ignibus manciparint? Nec enim ex solo purpureo indutu, & pleno lautioribus epulis syrmate, Tartari vinculis videtur addictus. Et respondet os aureum homilia 1. de Lazaro: *Non huius solum, qui iacebat in vestibulo, verum nec alterius cuiusquam ille misertus fuerit.* Quouis ferro, & adamanto duriora viscera deliciæ, & affluentia diuitiarum in diuite epulone creauerant. Pauperi non solum alimenti subsidium, sed compassionis affectum pernegauit; nec istius tantum flectebatur ærumnis, quem cogebatur cernere in vestibulo exiens, & reuertens, sed nullius vox, & ploratus immisericordia commouerunt viscera: Pauperes verberabant aërem eiulatibus, & clamoribus, ipse verò tanquam aspis surda, ne misericordia, & pietas eum incantarent, solerter claudebat auditum. Subiungitque de pauperibus Chrysostomus: *Offerentes sese nostro conspectui quamuis simus ipsis lapidibus duriores, tamen admirabilem, illam pauperum modestiam reueriti, flectimur. Ipsa quoque facies pauperis erat miserabilis, vtpote fame diutinaque valetudine confecta. Attamen nec horū rerum quicquam implacabilem illum emolliit. Hæc igitur prima vitiosa crudelitas erat, inhumanitásque, cui nihil poterat accedere.* Ipsa facies pannosorum

Diues epulo Tartaro traditur, quia nullius pauperis, aut languentis misertus est.

D. Chrys.

D. Chrys.

Pauperum lurida facies & ærumnosa vita ad miserationem inflectunt. Nullius egeni miseria epulonem inflexit ad pietatem.

Digitized by Google

nosorum squalida, vitaque ærumnis plena cum aspectui nostro obuersatur, solet quodam pietatis attactu humanum cor pungere, & vulnerare, & quadam compassionis symmetria ad ferendas suppetias prouocare; diues tamen nec clamoribus, nec tot hiantibus plagis, quæ solent esse ad subuentionem, & attrahenda subsidia vocalissimæ, emollitus est. Hæc igitur barbara immanitas, alienæ infirmitatis compati nescia, impinguatum, & incrassatum diuitem perpetuis flammis addixit.

Duri pectoris immanitas fratrum Ioseph.

6. Similes Iosephi fratres in duritia, qui omnem affectum, pietatis exuentes, germanum vendiderunt Ismaëlitis, nec illius lacrymis commoti sunt: Apparent in conspectu Ioseph, & immanitatis proprio scelere redarguti, æquam exploratorum pœnam subire iudicant. Genes. cap. 42. vers. 21. *Locuti sunt adinuicem: merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus; idcirco venit super nos ista tribulatio.* Quæ autem fuerit deprecatio pueri. Ismaëlitis emptoribus mancipati; quæ diritas germanorum venundantium, aperit Doctissimus Abulensis in caput Genesis 42. quest. 2. proponens verba Ioseph emptitij: *Miseremini mei dulcissimi fratres mei: miseremini patris nostri, qui tanta me teneritudine diligit, vt iam ex nunc vita eius cum gemitibus agenda sit, & cum vehementi fletu ad inferos eius canicies descensura. Miseremini ergo mei, nec hoc peccatum habeatis super me dulcissimi fratres mei. Sed ad hoc, & plurima alia, quæ deplorabat ille Ioseph puer tenerrimus, cui Deus naturalem tradiderat eloquentiam, ipsi leonibus frementibus sæuiores, Hircanis tigribus ferociores, surdis aspidibus truculentiores, & asperiores vrsæ raptis catulis, nullatenus flexi sunt. Non fraterna corda, sed hostilia adamantino lapide duriora gestantes, declinauerunt oculos suos ne viderent cælum, nec recordarentur iudiciorum iustorum.* Quibus quoque consonant verba Senecæ lib. 1. de clementia cap. 5. *Est proprium ferarum nec generosarum quidem præmordere, & vrgere proiectos. Elephantes leonésque transeunt, quæ impulerunt. Ignobilis bestiæ pertinacia est.* Barbaries inuidorum, & ferina crudelitas animantes vincit, quorum generosiores abiectis parcunt, à prostratorum morsu, & laniatu abstinent, & miserabilium flectuntur lacrymis. Maxima fratrum Iosephi sæuitia, qui singultibus, & clamoribus, & iuuenculi germanitate ab immani venditionis facinore retardati non sunt. Quàm alieni à pietate, & compassione, qui proprio sanguini non parcunt. Vel mitiora sunt hominibus elementa dum ad plagas & verbera Israëlitis inflicta à Pharaone tyranno commouentur omnia, & quodam compassionis affectu iussu Domini naturas suas immutant. Rite S. Nyssenus lib. de vita Moysi ait: *Tunc consentientes tyranno Ægyptios omnes cùm vidisset Moyses, in vniuersam eorum gentem, nemine omnino excepto, intolerabilia infert vulnera. Commouebantur iussu eius elementa ipsa, terra, scilicet, ignis, aër, aqua, ad impietatem enim tyranni actiones suas facilè commutabant.* Elementa ipsa deprædicant tyranni immanitatem, qui non flectebatur seruulorum passionibus, & obturauerat aures ad eorum clamores, ideò crudeles intolerabiles plagas infligunt corporibus barbarorum, vt sensum

Genes.

Abul.

Verbis miserationis plenissimis Ioseph ferrea germanorum pectora emollire contendit.

Immanitas fratrum Ioseph.

Senec.

Feræ generosæ abiectis parcunt. Ignobilis bestiæ pertinacia est.

Mitiora hominibus elementa, quæ ad plagas à Pharone inflictas Israëlitis, commouentur.

D. Gregor. Nyssen.

doloris à pertinacibus expromant, & affectum compassionis extorqueant. Plaga elementorum crudelis in pertinacibus animis mititudinem creare solicita animaduersione satagebat, & compassiuæ eruditionis edocere disciplinam.

Eximium Iesu misericordiæ documentum in cæci curatione.

D. Marc.

7. Eximium præbuit misericordiæ documentum Iesvs in cæci curatione apud Marcum cap. 8. vers. 22. *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret. Et apprehensa manu cæci eduxit eum extra vicum.* Quo in loco Domini clementia maior est interpellantium votis, nec solum eorum annuit postulatis vt cæcum tangat, sed illum apprehendit manu. Argutias suas aperit sanctus Chrysologus in hoc diuinæ bonitatis facinore dum scribit sermone 176. *Illi rogabant vt vel tangeret eum: sed Christus qui horrere nescit pauperem, pauperem scit amare, totam dedit pauperi manum: Et debilitati Deus publicam præbuit seruitutem.* Quàm dulcis Saluatoris misericordia, qui non sola manus impositione, & attactu ærumnosi, eius procurat sospitatem, sed totius diuinæ manus amplexu cum manu cæci suam illaqueat manum, vt præbeat cæco ducatum, & fulcrum, quo debilia membra sustentet. Felix ærumna quæ omnipotentis dextram promeruit. Condere orbem, solem, lunam, & stellas fundare, opera sunt digitorum suorum, adiuuare pauperem opus est totius manus Dei: *Totam dedit pauperi manum.* O quantum ostendit pietatis affectum, qui totam dedit pauperi manum vt eripiat à casu, vt eleuet à cæcitatis ærumna! Addit Euangelista vers. 23. *Impositis manibus suis.* Nec contentus est Iesvs cæco vnam manum donare solam, imponit ambas super cæcum, vt tanquam Creator qui vtraque manu primum plasma plasmauerat, figmentum suum reformet. Chrysologus legit supra: *Imposuit illi manus.* Et adiicit maiora incrementa conceptus: *In faciendo, in reparando, in componendo hominem, Dominica manus curatrices semper adsunt.* Produnt enim curatrices Saluatoris manus excellentiora signa clementiæ, quàm exoptabat in Imperatoribus Seneca libro 2. de clementia cap. 6. vbi scribit de viro misericordi: *Succurret alienis lacrymis, non accedet: dabit manum naufrago, exuli hospitium, egenti stipem, non hanc contumeliosam, qua pars maior horum, qui se misericordes videri volunt, abiicit, & fastidit quos adiuuat, contingique ab his timet, sed vt homo homini ex cõmuni dabit.* Et statim: *Vbi enim opibus potius vtetur, aut viribus quàm ad restituenda quæ casus impulit. Vultum quidem non deiiciet, nec animum ad aruscantis ciuis aut pannosi aridam faciem, & obnixam baculo senectutem: cæterum omnibus dignis proderit, & Deorum more calamitosos propitius respiciet. Misericordia vicina est miseriæ, habet enim aliquid trahitque ex eo, imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem & ipsi suffunduntur.* His & aliis Seneca principes ad pietatem, & compassionem informat.

* *
*

D. Chrysol.

Iesus cæcum non solum tangit ad sanitatem, sed totã dedit pauperi manum.

Tribus digitis appendit orbem Iesus & solē creat & lunam; ad subsidium pauperis totam impendit manum.

Ambabus manibus Deus hominē format & reformat.

Seneca.

Signa imperialis clementiæ, & compassionis erga egenos.

Pietas nullū pannosum, aut ærumnosum despicit.


Et



Et in domo mea non est panis.

De pane vitæ sententia exponitur.

Iudæi orbati pane cœlesti, qui dat vitã mundo.

1.  Hoc comma Isaiæ in sensu arcano accipiunt Ecclesiæ primores, & aiunt Iudæos sententiam aduersus se protulisse, plane confitentes esse orbatos pane cœlesti, qui dat vitam mundo. Hanc panis indigentiam fuerat comminatus Israëlitis Amos Vates cap. 4. illis verbis: *Ego dedi vobis stuporem dentium, & indigentiam panum, in omnibus locis vestris, & non estis reuersi ad me dicit Dominus. Ego quoque prohibui à vobis imbrem.* Cuius vaticinij protheoriam sapienter ad rem nostram proponit S. Cyrillus Alexandrinus: *Incrassatum est ergo cor Israel: neutiquam enim Christi mysterium intellexit, ideò & indigentia panum spiritualium, & aqua penuria laborarunt, quoniam non habuerunt verbum nutriens, quod de cælo descendit, & dat vitam mundo, quod gratia spiritus animas irrigat, fontem viuum ex Deo Patre filium, per legem, & Prophetas solatium.* Habebat Iudæus panem, & alimentum proprium filiorum, quibus enim quæ perierant ex Israël pabulum corporis sui primario præbere contendebat IESVS; ipsi verò filij contumaces facti, & aduersarij cœlestis epuli, panis cœlestis iacturam experiuntur; venit canis illa Chananæa de partibus Tyri, & Sidonis, quæ figurabat Ecclesiam gentium, & particeps facta est mensæ cœlestis, fame enectis Iudæis. Matth. c. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Felix & fidelis mulier, quæ semel, & iterum repulsa de mensa dominorum panem vitæ, quem Iudæi aspernabantur pietate promeruit. De ea Chrysostomus in Catena Sancti Thomæ ait: *Si canis sum, non sum aliena, canem me dicis, ergo nutries me vt canem, non possum relinquere mensam Domini mei.* Et S. Hieronymus ibi: *Scio me, inquit, filiorum panem non mereri, nec integros capere posse cibos, nec sedere ad mensam posse cum patre, sed contenta sum reliquiis catulorum, vt per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem.* Peruenit vtique ad panis integri participationem illa quondam spreta gentilitas, & sponsa mercede conducta abundat panibus, Iudæus in domo patris sui fame perit. Rite S. Chrysostomus hoc Domini consilium in famis penuria, quam Iudæus patitur, aperit homilia 23 in caput 6. Matthæi: *Chananæam illam mulierem magno certe dono impletam remisit. In hac verò euidenter ostendit, quoniam Deus etiam illa quæ nobis parata non sunt dare possit, si vehementius postulemur. Non est bonum tollere panem filiorum, & dare canibus, & tamen dedit, quia illa etiam vehementer exegit. Per Iudæos verò è regione monstrauit, quia desidiosis nec illa quidem tribuat, quæ eis fuerant præparata. Itaque illi acceperunt nihil, immo etiam propria perdiderunt.* Indigni facti sunt mensæ cœlestis accubitu, perdiderunt cibum vitæ. Illum à se contradictionibus sequestrantes, quid mirum si illud effatum proferant: *In domo mea non est panis.*

Amos.

D. Cyr. Al.

D. Matth. *Chananæa dominica mensa accubit, cibatur cœlesti epulo.*

D. Chrys. Cat. Aur. *Canis à Domino nutricatur.*

D. Hieron. *Chananæa micas comedens peruenit ad integrum panem.*

D. Chrysost. *Deus ea, quæ parata nobis non sunt exhibet; si vehementius postulentur*

Desidiosis Deus, nec ea quæ in fuerant præparata, largitur.

2. Singillatim expendit de Eucharistia hunc locum S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. *Iuuenes antistites, ac prudentia minimè adulti, ne panem quidem, & vestimentum, ad hoc vt quibusdam regendis præsimus, habentes.* Quæ verba suis commentariis illustrat Elias Cretensis: *Non ero princeps, non est in domo mea panis. Nos autem hoc loco per panem intelligamus eum, quo animus alitur.* Et Albertus Magnus in caput 9. Lucæ: *Dicunt enim nostri temporis prælati: non sum medicus animarum, & in domo mea non est panis verbi, & Sacramenti: quia nec verbum est mihi in doctrina, nec operatio sacramentorum in cura.*

D. Gregor. Nazian. *Quo sensu dicant prælati: non est in domo mea panis, nec vestimentum* Elias Cret.

3. Quare cùm Iudæi vitæ pane fuerint destituti, abstulit enim Deus exercituum ab eis omne robur panis, mirum non est quod in tot aduersa, & calamitates inciderint, nimirum tumultus, seditiones, populorum clades; Eucharistia namque stabilimentum exhibet imperiis, concordiam amat, vnitatem fouet, qua deficiente, necessum est vt pessum eant omnia. Rursus qui orbatus est princeps cœlesti epulo non promeretur medici insignia, quia ex aula sua exulat cibus immortalitatis omnium ægritudinum medela. Sapienter Plinius lib. 22. naturalis historiæ cap. 25. cùm medicinas ex frugibus annumerasset, sic scribit de pane: *Panis hic ipse quo viuitur, innumeras penè continet medicinas.* Quanto verius Pliniana verba de pane cœlesti, quo ad immortalitatem viuimus, vsurpabis. Nam cibus hic vitæ est medicamentum mortis, & medicamen obliuionis, quæ omnia exornata dabunt subsequentes discursus.

Gens quæ Eucharistia cibo caret, in quot ærũnas incidat.

Plin.

Panis innumeras continet medicinas.



In domo mea non est panis.

DISCVRSVS III.

Eucharistia vnitatem amat, concordiam fouet, Regum pacem exambit.

1. DOMVS illa Iudæorum, & aula Regia, in qua est viuifici & cœlestis panis penuria, tumultibus quatitur, seditionibus atteritur, vt testatur Isaias: *Irruet populus vir ad virum, tumultuabitur puer contra senem.* Vrbium denique eis impendet desolatio. *Ruina autem hæc sub manu tua.* Causamque assignat princeps dicens: *In domo mea non est panis.* Deficiente etiam Eucharististico pane, qui omnia vnit, & coagmentat, mirum non est Ierosolymitani Imperij decus dissolui, est enim proprium munus cœlestis epuli omnia inter se dissita vnire, & animos in concordiam vocare.

Domus Iudaica in qua est cœlestis panis penuria, tumultibus quatitur.

2. Inter alias festiuitates, quas in commemoratione obseruatione perpetua habere tenebantur Israëlitæ iussu Domini non inferior erat oblatio primitiarum triticei fructus, de qua Leuiticus cap. 23. vers. 10. sanxit: *Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem: qui eleuabit fasciculum coram Domino vt acceptabile sit pro vobis.* Gaudet Deus primis fructibus, sed potissimum

Leuit. *Gaudet Deus spicarũ manipulo primitiarum sibi oblato.*

tissimum primitiuarum spicarum aceruo, & manipulo principe terræ fruge, & prouentu præcipuo, quo vita hominis alitur, vt in oblato fasciculo spicarum, Dominum creatorem omnium profiterentur Israëlitæ. Sed in manipulo triticeo sublimiorem intelligentiam agnoscit Sanctus Cyrillus Alexandrinus, discussisque folliculis, & integumentis, granum mysticum eruit, tanquam medullam pretiosiorem à paleis litteræ sequestratum. Ait enim symbolum extitisse Saluatoris, & panis vitalis, qui ad concordiam vocare solet dissidentes animos, lib. 4. glaphyrorum in titulo; *Christum nobis factum esse panem vitæ.* sic fatur: *offerri autem hæc Deo ab iis, qui iam terram promissam incolerent præceptum erat: vt in vtroque Christus intelligatur. Hic est enim panis de cœlo descendens, ac viuificans, & primitiæ fermenti eorum, qui in nouitatem vitæ, in ipso restaurantur, & reædificantur. Veteris quidem fermenti Adam primitiæ extitit: postquam verò datum à Deo præceptum negligens in præuaricationem prolapsus est, execrandus mox est redditus, genusque humanum morti, & corruptioni obnoxium in ipso factum est. At Christus primitiæ secundi fuit huius fermenti.* Primum fermentum sinceritatis, & gratiæ in Adami natura Deus condidit, vt iuxta obsequium hominis præstitum diuino præcepto, immortalem, & incorruptam eam seruaret, & cœlestibus donationibus ornatam in filios protoparens refunderet; reddidit eam tamen præcepti transgressione criminosam, obnoxiamque corruptioni. Venit IESVS tanquam fermenti, secundi primitiæ, vt restauraret homo donationes, quas in Adamo amiserat. Hæc iuxta Cyrillum, qui commentationem suam ex Paulo mutuasse videtur. 1. Corinth. cap. 5. vers. 6. & 7. vbi expurgare iubet vetus fermentum ex Adamo mutuatum post transgressionem, vt simus in Christo noua conspersio, qui massam naturæ corruptæ, pane azymo sui corporis in Cruce immolati, ad incorruptionem transire fecit; ideò Apostolus sapienter hortatur: itaque epulemur non in fermento veteri Adami terreni, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, quam in massam hominis voluntaria prolapsione inuexit: sed in azymis sinceritatis, & veritatis, & adipe frumenti, quod de cœlo venit, de flore, & primitiua natura in Christo renouata ab omni labe criminis aliena: adiicit postea altiores conceptus præclarasque protheorias Antistes Alexandriæ Cyrillus: *Christus autem ex nobis factus adinstar spicæ è Sancta natus Virgine.* Et statim: *Spica verò vna considerata, vt & nos ipsi, non vna spica solum, sed quasi manipulus quidam conficitur ex multis spicis fascis vnus.* Illico seipsum, & conceptum magis explanat. *Christus enim Iesus vnus est, verumtamen veluti fasciculus quidam coagmentatus, & intelligitur, & est: Propterea, quod omnes in se credentes contineat; vnione nimirum spirituali.* Sicque concludit: *Manipulus ergo Christus est, quasi omnes in se complexus, cunctisque incubans.* Hac spica sui corporis, quam terra iactata, nullo vomere humani consortij arata, sed tanquam intactum nouale protulit MARIA, ex Spiritus Sancti cultura vnionem, & concordiam exambit. Spica symbolum aptissimum vnitatis, dum grana in se recolligit, & fouet nexu mirabili, ne dispersa siccescant, aut abscissa succum vitalem haurire non valeant ex caudice. Manipulus segregatas spicas in vnum nexum congregatas, & sociatas amplectitur, vt amoris vinculum addat segetibus decorem, & gratiam. Ideò IESVS in Sacramento absconditus spicæ, & manipulo comparatur, quia est ei valde amica fidelium conspiratio in vnitate fidei, & amoris, *Manipulus Christus est omnes in se complexus, cunctisque incubans.* Christicolas cum seipso copulat, & inter se coire facit, & stringit amoris diuini lacertis, cordáque refouet communicantium vitali quodam vapore, ne intepescat vitalis illa consensio, sed Spiritus Sancti flamma recalescat.

D. Cyr. Alex.

Spicarũ manipulus Iesũ panem vitæ innuit.

Veteris fermenti Adam primitiæ extitit.

Secundi fermenti Iesus primitiæ fuit.

D. Cyr. Alex.
Iesus ad instar spicæ à sancta nascitur virgine.

Ex multis spicis fascis vnus conficitur.
Iesus credentes omnes continet, & vnione spirituali colligat.
Manipulus Iesus omnes in se complectitur, cũctisque incubat.
Spica, & manipulus signũ concordiæ.

Eucharistia in spica, & manipulo significatur, quia valde amat fideliũ animorum vnitatem.
D. Cyr. Alex.

3\. Cùm de structura templi, & reparatione mœnium vrbis Ierosolymæ exustæ post captiuitatem Babylonicam, ageret Deus, ostendit Zorobabelem velut artificem Vati Zachariæ. cap. 4. vers. 10. *Et videbunt lapidem stanneum in manu Zorabel.* Lapis stanneus seu plumbeus perpendiculum est in manu fabri Zorobabel, quo laterum æqualitatem examinet, & probet in renouata structura. Mysticè verò accipit S. Cyrillus Alexandrinus, in eóque Christum agnoscit, eúmque lapidem stanneum seu plumbeum prædicat propter duo. Primum est: *Hac ratione vocatus est lapis stanneus: quod stanno conglutinantur, quæ conglutinanda sunt. Dixit autem profectò Deus per os Zachariæ, cùm filium suum nobis demonstraret aliquando venturum, atque affuturum: Et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.* Et statim secundam rationem assignat: *Plumbi talentum eundem vocat, quæ autem huius rei sit ratio, rursus dicam: argentum improbum simul cum plumbo si excoquatur, optimè purgatur: rapit enim plumbum ad se naturæ vi simul excocti metalli sordes: non dissimile fuit illud quod Christus erga nos ipsis impleuit: nobis enim cùm improbi essemus, non corporaliter modo, sed spiritaliter admixtus est, ita denique sordes exoxit eas, quæ nobis inerant, is enim tollit peccata nostra, vt nos propter ipsum, & per ipsum puri, ac splendidi simus.* Vt hominem Deus expurget, & emundet geminum conflatorium agnosco, aliũ laboris, & ærumnæ, in quo sapiens conflator, & argentarius excoquit ad purum vitiorum sordes, scorias criminum aduerso torrore, flatuque igneo, quem hostilis conatus exufflat, hominis naturam, & virtutem examinat, redditque pellucidam, & charitatis splendoribus renidentem; alterum conflatorium, quod artifex Dei sapientia adinuenit ad purificationem animorum, Eucharistia est, in quo seruator velut stanneus, seu plumbeus lapis fidelibus communicantibus se permiscet; de eo enim Cyrilli verba manifeste vsurpanda: *Nobis enim non corporaliter modo, sed spiritaliter admixtus est.* In quibus adstruxit spiritalem, & corporalem vnionem, quam cum recipientibus operatur in hoc Sacramento diuina maiestas. Et benè conflatorium charitatis, & caminus ignis Dei, in quo Spiritus Sanctus exurit quidquid criminosum est; ab hoc incendio amoris cùm homo exurendus, & purgandus venit, Christi Domini corpus stanni aut plumbi gerit munera; cuius ea vis est in excoctione metalli, vt diuisa ramenta coniungat, dissociata grana congreget, & auri strigiles seu paruulas massas perficiat, & in vnum coire faciat; metallum quoque excoquit ad purum, purgamenta,

Zach.

D. Cyr. Alex.

Lapidi stanneo Iesus cõparatur, quia stannum separata conglutinat.
D. Cyr. Alex.
Iesus plumbi talentũ nuncupatur.

Plumbum à sordibus purgat argentũ.

Iesus corporaliter, & spiritaliter nobis admixtus, animas à peccatis expertes, & puros reddit.

Corporalis, & spiritualis item vnio in Eucharistia.

Eucharistia spiritale conflatoriũ, quo Spiritus Sãcti flamma, crimina exurit.

menta, spumas, & quidquid sordidum est ad se attraxit; itaque vt metallum puritate resplendeat, plumbum de scoria sordescit. Quid simile cernere est in Domini IESV passione, dum enim mea delicta portabat, vt nimiæ charitatis fornace aboleret: erat indutus vestibus sordidis, assumpsit fæces, & scorias meorum criminum, vt conflatorio charitatis excoqueret, redderétque naturam hominis splendidam sicut argentum perpurgatum septies: Id ipsum perficit IESVS in Eucharistica communicatione, quæ imago viua est Dominicæ passionis, & mortis, vnione illa diuina, & feruore charitatis reddit animam defœcatam, puriorémque sideribus; quidquid pulueris, purgaminis, & labis in cœnosi huius mundi gurgite colligit, purificat Christi corpus, animumque à peccatorum sordibus purgat; sedet enim quasi conflator emundans animi argentum, purgánsque non solum filios Leui, sed in vnaquaque anima fidelium purgationem peccatorum faciens suo sanguine. Illud tamen præclarum est ad confirmationem propositi thematis ex Cyrillo mutuatum: *Stanno conglutinantur, quæ conglutinanda sunt.* Etenim stannum minutos calculos, metalli scobes dispersas in vnum conflat, & coire facit; vt vim illam mirabilem insinuet, quæ in Eucharistia viget inter se dissitas voluntates congregandi, variisque geniis, & affectibus dissentientes copulandi amoris glutino.

D. Cyr. Al. *Eucharistia charitatis nexu adstringit, dissentientes animos, & coire facit in vnitatis consensum.*

4. Hanc vnionem in quotidiana communicatione cœlestis panis postulare nos docuit IESVS in oratione, qua Æternum exoramus Patrem. Matth. cap. 6. vers. 11. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Lucas cap. 11. vers. 2. legit: *Panem nostrum quotidianum.* Matthæi verò sententiam, quæ apertius prodit virtutem panis vitalis, declarat Ambrosius de Eucharistia, libro 5. de Sacramentis cap. 4. rationemque reddit cur supersubstantialem appellitet: *Non iste panis est qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Quod ergo fulcimentum præbet animæ substantia panis cœlestis; Quòd tentamentis Satanæ impulsa non corruat. Quòd inter huius sæculi ærumnas, & aduersa, firma permaneat eius virtus. Hæc, & alia decora operari in anima panem supersubstantialem fatendum est. Illud tamen eximium, quod vnanimitatem, & pacem creet, & foueat. Cerne quæ præcesserint apud Matthæum verba: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.* Nexum voluntatum exambit incolarum cœlestis curiæ, & habitationis terrenæ. Pulchrè adiungit Sanctus Ambrosius: *Sanguine Christi pacificata sunt omnia vel in cœlo, vel in terra: Sanctificatum est cœlum, deiectus est Diabolus. Ibi versatur, vbi & homo, quem ille decepit. Fiat voluntas tua, &c. Hoc est sit pax in terra, quemadmodum in cœlo. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Corpus & sanguis ille, qui oblatus est in Cruce, vt redintegraret omnia, & in concordiam adduceret terrena cum cœlestibus, pacem intentat ablatis dissidiis, nec qualemcumque æquanimitatem, sed æmulam illius quæ viget in cœlis: Quotidianus panis pacem firmat in humanis cordibus, ne aliqua dissensionis iniuria labefactari possit.

Eucharistia panis est supersubstantialis. D. Matth.

D. Ambr.

Anima nostra substantiam fulcit.

Eucharisticus panis animum roborat, vnanimitatem, & pacem creat.

D. Ambr.

5. Grauiter & acutè perpendit Eusebius Emissenus in iis speciebus institutum esse Eucharistiæ mysterium, quæ vnitatem Ecclesiæ manifeste demonstrarent. Et de specie panis scribit homilia 5. de Pascha: *In hoc ipso quod numerosis tritici granis confici nouimus, vnitatem constat assignari populorum. Sicut enim frumentum, quod solita purgantis sollicitudine præparatum in candidam speciem molarum labore perficitur, ac per aquam, & ignem in vnius panis substantiam congregatur: sic variæ gentes, diuersæque nationes in vnam fidem conuenientes vnum de se Christi corpus efficiunt.* Species ipsa panis vnanimitatem populorum adumbrat, dum enim grana commolita in candidiorem substantiam transeunt, aqua conflatur panis, & igne decoquitur; fidei vnitatem in populis nationum exprimit, quæ dum renascuntur fonte baptismatis, fidei aqua coagulantur in Dei alimentum, quod flamma charitatis solidatur. Itaque panis stemma est nobilioris concordiæ, qua populi in Deum coeunt, & adinuicem concordant. Aliud mysterium enucleat idem Emissenus in calicis mixtura, in qua vinum cum aqua temperatur, in eáque manifestatur geminus latex sanguinis, & aquæ, qui ex latere Domini mortuo, & compuncto lanceæ cuspide, exiliit. Ioannis cap. 19. vers. 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua.* Sic ait Emissenus homilia prædicta: *Hoc itaque Dominici Sanguinis vinum aqua esse miscendum non solum traditione Dominus, sed etiam genere passionis ostendit: ex cuius sacro latere sanguis, & aqua lanceæ illisione profluxit.* Noluit solitarie perfrui deliciis suis Dominus, abiectam plebem, despectam hominis naturam vocat in fruitionis Eucharisticæ consortium, nec sine populis, & dilecta sponsa esse viuus, & mortuus aut tempore breuissimo patitur; ideò albentem aquæ, rubicundum sanguinis laticem ex arcano pectoris profundit vita defunctus, vt quàm intimam, quàm secum in visceribus reconditam, & vnitam cordi habeat congregationem populorum apertura pectoris aperiret. Esse sine vita potuit, esse sine amore non valuit. Distraxit animam à corpore præualida mors, disiungere tamen non præsumpsit fortitudinem robustam dilectionis suæ; scidit venas & pectus sacrum ferrum crudele eius lateri illisum, diuidere tamen non valuit amoris copulam, rumpere firmissimam vnitatem inter cor IESV, & hominem dilectum. Postea subiungit Emissenus: *Per aquas enim populos significari sacris aperitur eloquiis, sicut legimus: Aquas istas, quas vidisti populi sunt, & gentes, & linguæ. Ac sic dum in sacramentis vino aqua miscetur, Christo fidelis populus incorporatur, & iungitur, & quadam ei copula perfectæ charitatis vnitur, vt possit dicere cum Apostolo: quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio?* Sicut cœleste Eucharistiæ adinuentum ex charitate ortum, in amorem ingenerandum tendit, vt animos hominum à Deo sequestratos, intèr se variis errorum opinionibus dissidentes coadunaret; Sacramentum dilectionis, amorem tentat, & sollicitat, vt homines à Dei facie profugos, sibique infensos his Adami funiculis, & charitatis vinculis alliciat, attrahat, &

Eucharistia sub iis speciebus continetur, quæ sunt symbola vnitatis. Euseb. Emis.

In diuersis granis in vnius panis substantiam congregatis, vnitas fidei diuersarum nationum demonstratur.

Vinum aquæ permixtum in calice, geminum laticem aquæ & sanguinis de latere Christi profluentem, denotat. D. Ioan. Euseb. Emis.

Iesus viuus, & mortuus sine sponsa dilectione esse non potuit.

Ferrum animam à Iesu corpore diuisit, charitatem non absoluit.

Euseb. Emis. *Aquæ populi denotantur.*

Sicut aqua vino copulatur, sic fidelis populus incorporatur, & iungitur Christo perfectæ charitatis copula.

& deuinciat; vt sicut vinum aqua permixtum ipsam in se transfundit, & immutat, vt amissa elementi natura viuacitate sua vinum in se eam ebibat, & transferat; sic Deus in hoc poculo hominem in se transformat, & concorporeum consanguineum Christi & deificum format vt in se non iam, sed in Deo viuat, & superna virtute roboratus omnes aduersitates, & ærumnas constanter ad certamen prouocet. Haud dubio Emissenus ex Cypriano Martyre conceptum, & verba mutuauit, in epistola 63. de Sacramento Dominici calicis hæc scripta reliquit: *Quia nos omnes portabat videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & coniungitur.* Et statim: *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest, nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autē vtrumque miscetur & adunatione confusa sibi inuicem copulatur, tunc sacramentum spiritale, & cæleste conficitur.*

Vinum in calice aquam in se transfert, & sanguis Christi hominem in se transformat.

D. Cypr.

Si vinum sine aqua offeratur, sanguis Christi esset sine nobis.

Si aqua sine vino litaretur, plebs esset sine Christo.

6. Porro Cypriani protheoriam idem Emissenus exornat, & amplificat adiiciens maiora: *Sicut ergo separari grana ab illius confecti panis adunatione non possunt, & sicut aqua ad propriam redire substantiam vino permixta iam non potest: sic & fideles quique atque sapientes, qui redemptos se Christi sanguine & passione cognoscunt, ita debent quasi inseparabilia membra capiti suo fidei conseruatione, & ardentissima religione sociari; vt ab eo non voluntate, non necessitate seiungi, non vlla terrena spei ambitione, non denique ipsa possint morte diuelli.* Quid hominem edocet tam eximia dilectio, & peregrinus ambitus vnitatis, ad quid pondus inclinat charitatis immensæ? Nisi vt indiuisum seruent concordiæ nexum communicantes, vt non aduersitas, non ærumna, non tribulatio, non ipsa mors imminens, aut immanes cruciatus, à suo capite corpus disiungant. Cerne quantum affectet congregationis suæ Dominus illabefactum vinculum amoris, & fidei, in illo Emisseni commate: *Sicut aqua ad propriam redire substantiam vino permixta iam non potest, sic & fideles &c.* Cum enim vinum aquam absorbuit, & in suam transtulit naturam, amissa blandiduli elementi, & clementioris poculi temperatura, operante vi ignea vini; nullius opera vinum ab aqua fas est discernere, nec amplexum illum suauem, & vnitatem poculorum auebit disiungere solertior industria: qua in similitudine eximium exemplar proposuit auctor vitæ, & fons amoris, quantum nos diligat, & quantum redamari cupiat. Sicut Deus ita & eius amor zelotes est, quam semel amplexus est animam, cupit ne elabatur ad adulterinos alterius amatoris lacertos, omni amatoris catena eam innexuit, traiecit cor eius spiculo, sed foras euehi valet, confixit eam clauis, sed refigi possunt, clausit, munerum vinculis, at solui valent; vnus nexus est indissolubilis, vna copula inuariabilis, & vnitas indiuisa, vini & aquæ permixtio; quid ergo faciet homo, quem ausum concipient gentes, quarum congregatio omnis sicut stilla situlæ, & stillicidium roris computatur in illo Deitatis mari rubro, & sanguinis Christi Oceano immersum, permixtum, concorporeum? Fugiet vini consortium, dimissa fide, aut contempto amore se ipsum à mero illo sacro segregabit? Vah scelus immane! Gaudebit aqua foueri vini ignibus, amisso humore vitiorum; in vini itaque, & aquæ mixtura, quàm indissociatam vnitatem exoptet Iesus exprimit; Hanc tamen solum crimen soluit, quod sociata dissociat, congregata disgregat, & copulata disiungit.

Euse. Emis.

Inseparabilis nexus, & indissolubilis Charitas in Eucharistia prætenditur inter redemptos, & sanguinem redimentem.

Aqua ad propriam redire substantiam, vino permixta non potest.

In Eucharistia Deus hominem sic transformat, & sibi innectere cupit, vt nunquam ad flagitia relabatur.

7. Suum populum rubore confusionis suffundit Chrysostomus mirabili obiurgatione, cum in medium prodire facit suis verbis defectum amoris eorum, qui eidem cibillæ accumbunt, easdem dapes participant; solet enim esse mensa, accubitus, epulum amicitiæ arbiter, charitatis, conciliatio; sic de suggestu sonat Os aureum homil. 8. in caput. 4. ad Romanos in morali: *Vereamini igitur, vereamini mensam eam, cuius omnes participes sumus. Christum propter nos trucidatum sacrificium eidem mensæ superpositum. Prædones salem eumdem simul comedentes, prædones esse desinunt, duntaxat aduersus eos, quorum conuictu vsi fuerint, mensa eo vsque illorum mores immutante, vt qui feris immaniores essent, eos ouibus mansuetiores reddat. Ipsi autem eiusmodi mensæ ac cibi participes aduersus nos mutuò armamur.* Communicatio eiusdem mensæ, & cibi pacem conciliat, & amorem fouet; aliqua opprobrij insectatione, aut temporis iniuria labefactatum redintegrat, rixas excitatas extinguit eiusdem contubernij, sodalitatis, & conuictus commercium; quod quidem amica pietate ferculorum, & verborum lenocinio dissidentium iungit dextras; in eamdem mensam, & conuiuium coitio, & hilaritas concordiam ingenerat animorum; apud conuiuas vnitas ciborum pacis stabilimentum est; nec fas est illius fœdera rumpere; ne iuri gentium, aut placabilitatis symbolo vel minima labes irrogetur iniuriæ. Si hæc pacis fœdera sancit cibus terrenus; quæ pacta amicitiæ, & charitatis non sanciet, & statuet cibus cælestis, nulla temporis iniuria, aut opportunitate violanda. Hinc est quod in Ecclesia primitiua, ante, aut post acceptam sacram synaxim salutabant se inuicem fideles osculo sancto. Quod aperte testatur sanctus Cyrillus Archiepiscopus Hierosolymorum Catechesi mystagoga 5. hunc priscum morem recenset: *Deinde clamat Diaconus: complectimini, & osculemini vos inuicem, atque tunc mutuo nos osculo salutamus. Non hæc ita accipias quasi osculum illud sit eiusmodi, quale in foro inter communes amicos esse consueuit: neque enim tale est. Hoc igitur osculum animas mutuo conciliat, & omnem malorum obliuionem illis spondet. Signum igitur est hoc osculum reconciliationis animorum, vniuersaque iniuriarum memoria deleta. Igitur osculum hoc reconciliatio est, & idcirco sanctum.* Ad hoc basium hortabatur fideles Paulus dicens: *Salutate inuicem in osculo sancto.* Ad Romanos capite 16. vers. 16. 1. Corinth. 16. v. 10. 2. Corinth. 13. v. 12. 1. Thesal. 5. v. 25. & Apostolorum Coryphæus Petrus 1. epistola capite

Mensa cælestis panis vnanimitatem cordium conciliat.

D. Chrys.

Prædones eiusdem cibi, & salis participes, in amicitiam coeunt.

Mensa mores immutat & feritate deposita, mansuetudinem generat.

In Ecclesia primitiua, post acceptam sacram synaxim, sese salutabant fideles osculo sancto.

D. Cyr. Ierosol.

Communionis sacra osculum symbolum erat conciliationis animorū, & obliuionis iniuriarum.

D. Paul.

capite 5. vers. 14. Tantus erat eorum temporum in moribus candor, & mirabilis simplicitas. Erat ergo in communicantibus castæ, & puræ dilectionis signum, amicitiæ prodromus, quod omnes simultates ex animis abstergeret, rixas sepeliret obliuionis tumulo, in beatam pacem, & concordiam animos participes mysteriorum Christi blandimento quodam faceret coire.

D. Chrys.

Fures eiusdẽ salu partici pes fures esse desinunt.

8. Redeamus ad Chrysostomi verba nec ea inexaminata relinquamus: *Pradones salem eumdem comedentes predones esse desinunt.* &c. De communicatione salis operante concordiam, habemus illustre testimonium lib. 2. Paralip. capite 13. vbi Abias Rex Iuda vt suos milites accenderet ad prælium, & hostes Ieroboam sectatores retardaret à conflictu, habuit ad militum turbas sapientissimam concionem, inter alia dixit vers. 5. *Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum, ipsi & filiis eius in pactum salis* aut iuxta L X X. *Testamentum salis.* Cur autem dicatur pactum, seu testamentum salis, illico perscrutaberis? Respondet Vatablus id dici propter perpetuitatem inuariabilem, hoc est fœdus firmum, & inuiolabile, eo quod sal arceat corruptionem. Idem adstruit Abulensis hîc quæst. 13. Aliter & quidem argute Theodoretus expendit: *Testamentum salis aeternum appellauit regni firmitatem, quoniam etiam barbari simul vescentes, cum hostibus pacem seruant firmam ac stabilem, salis recordantes.* Communicatio eiusdem mensæ, & salis dissidentes animos barbarorum quasi quodam glutino consensionis concordat, nam salis recordantes, cuius participes cum commilitonibus extiterunt, fœdus sanciunt pacis, quod fœdus salis in memoriam reuocabat in concione sua Abias, vt familiarum principes Regem Ieroboam sequentes cum Ierosolymitanis, & tribu Iuda conciliaret: fratres estis eiusdem salis consortes, ne mutuis cædibus deuoremini; si hoc consilium, & pactum honoratiores quosque retardat, & coercet à vindicta, & sanguinis fusione; quanto robustius milites, & Imperatores corporis, & sanguinis Christi participatio, & in eadem mensa esse conuiuatores non salis, sed Deitatis, & humanitatis, in qua omnes sales reconditi, & gratiarum scaturigines, inhibebit à bellico tumultu, & mutuis regnorum cladibus; & fortiori vinculo amicitiæ colligabit Regum dextras, & voluntates.

Paral.

Cur regnum Dauid donatum dicitur in pactum, vel testamentum salis?

Lect. LXX.

Abul.

Testamentum salis perpetuitatẽ regni, & pacis æternitatem denotat.

Deitatis, & humanitatis Christi participes, in qua sunt omnes sales, & gratia, alieni sint à bellico tumultu.

9. Iurgia nescio quæ excitata erant inter Iacob, & illius socerum Laban, Iacob verò vt erat pacis amantissimus in exitu ad terram patriam, voluit hospitem suum dimittere erga se morigerum, benè temperatum, & affectum. Genes. capite 31. vers. 44. *Veni ergo & ineamus fœdus: vt sit in testimonium inter me, & te. Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum: dixitque fratribus suis: afferte lapides, qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum.* Facta, & dicta hæc redolent fraternitatem, & vtriusque congregationis concordiam, quam fœdus initum constringit firmiori vinculo: *Qui congregantes fecerunt tumulum.* Vt non sola erectio lapidis, & titulus fœderis, & inscriptio pacis consensionem æternam Iacob, & Laban prædiceret; sed nuncupant tumulum, vt rixæ, & simultates antiquæ velut in quodam busto, & mortuorum conditiuo perpetua obliuione maneant consepultæ, mortua spe iterum liuoris renascendi. Vt ergo pactum esset illustrius, & omni ceremonia pacis, ritu consensionis celebraretur, lauto epulo largiori poculo roboratum, & confirmatum est. *Comederuntque super eum.* Quid in hoc lateat mysterij aperit argute Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 7. Genesim capite 47. dicens: *Lapis erectus in titulum vocandus domus Dei Christum significat.* &c. *Quid enim est Laban, & Iacob in confœderationem sui lapidem erigere in titulum, lapidesque congerere in aceruum testimonij, & desuper comedere pro pactione postulati fœderis? Quid inquam nisi penè quod iugiter cernimus, post diutinos tumores, seuaque iurgia sæculares potentias Ecclesiis vel sacerdotibus conciliari respectu Martyrum, & Christi Domini ac Regis eorum? Nempe post inimicitias super aceruum testimonij pariter comedere, idest post quaslibet iniustitias in basilicis Martyrum satisfactione data, vel accepta, deinde, ob confirmationem pacis, corpus, & sanguinem Christi pariter manducare, & bibere.* Hæc Tuitiensis Abbas. Est enim Eucharistia pacis vinculum, & perpetuæ amicitiæ fœdus, corpus namque hic comeditur, sanguis bibitur, qui pacem sanxit in cælestibus & in terrenis, hominemque auersum cum Deo composuit; vnanimitatis pacta affectat inter primaria capita, ex quibus perpetua consensio, & societas in corpora deriuetur. Quàm felix votum Eucharisticum, si coram aris diuinis arma ea bellici tumultus velut anathemata suspenderentur; si Dynastæ ex animis, euacuato liuoris veneno, inirent pacta concordiæ, & amicitiæ indissolubilis nexu iungerent dextras, erecto discordiæ tumulo, & sepulchro, amicitiæ vero triumphali fornice, & in ostentum confœderationis commensales, & conuiuatores essent sacri epuli. Hoc prodigium diuinum omnibus optatissimum panis solus cælestis patrare potest. Faxit Deus vt euentus omni beatitate abundans consonet omnium votis.

Vt pactum pacis statueretur inter Iacob, & Laban, lapis erigitur in monimentum.

Genes.

Vt fœdus amicitia sanciatur, conuiuium instituitur.

Erectus lapis Christum denotat.

Rupert.

In hoc fœdere & tumulo pax principum sese reconciliantiũ adumbrata, & deposita simultas.

Ad confirmationem pacis, Eucharistiæ conuiuio pariter accumbunt sæculi potestates.

Votum Eucharisticum cessatio bellici tumultus, & fœdus concordia perennis.



In domo mea non est panis.

DISCVRSVS IV.

Eucharistia Regum, & regnorum stabilimentum, compendiaria via, & ratio triumphorum.

1. MIRVM valde est quot ærumnæ subsequantur ad penuriam panis, nam

nam enumerata illius deficientia, statim Vates subiungit: *Ruit enim Ierusalem, & Iudas concidit.* Vt ostenderet mysticum panem esse imperatorum, & imperiorum firmissimum fulcrum, virtutem inuictam conferre aduersus hostiles incursus, quo fundamento labefactato, necesse vt omnia Reipublicæ decora in pessum eant, donec graui opprimantur ruina; quantum roboris, & victoriæ conferat Eucharisticum sacrificium aperte denuntiat Isaias capite 31. vers. 8. & 9. vbi aduersus Assyrium pro tuitione Ierusalem hæc verba comminationis iactat: *Et cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladij.* Et minarum compendia claudit hac sententia: *Dixit Dominus cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.* Si de materiali Ierosolyma vsurpes, sensus erit Deum esse ciuem Ierosolymitanum, & contubernalem: Hispane: *Tiene casa y fogar, es vecino y morador.* Magnum ergo, & opportunum præsidium expectet, qui habet Deum Ierosolymæ incolam; possidet ergo in Sion familiam, sponsam, filios, & focum, habet suos ignes, suas delicias, & amores Deus; ibi est cor suum, & istius foculi flamma inardescit; proteget ergo Deus suum cor, suam sponsam, & familiam. Si ad Ecclesiam Euangelicam referas, quàm pulchra sententia, in ea possidet Deus focum, & ignem, aram, sacrificium, amorem, pugnabit ergo aduersus hostes quasi pro aris, & focis. Symmachus, Aquila, & Theodotion legunt: *Et clibanus in Ierusalem.* Per focum, caminum, clibanum in Ecclesia mysterium Eucharistiæ intelligo, de quo ait sanctus Chrysostomus tomo 5. homil. 61. *Hic fons est veritatis radios effundens, fons luminis: Huic & superna potestates assistunt influentorum respicientes decorem, quoniam & illa nobis manifestius propositorum virtutem speculantur, & inaccessibiles admirantur splendores. Efferues quidem fluuius, & igne vehementius, sed non comburit, sed tantum baptizat, quidquid acceperit.* In Eucharistia caminus ignis diuini, & amoris immensi bustum est, quod flammas eructat purificatorias animorum, hic ignis non exurit, quod contingit, solum erga sordes, & scorias peccatorum vim suam exerit: hac flamma cor accipientis inardescit, & renouatur vt phœnix: Hic clibanus, & furnus est, in quo panis ille cælestis excoquitur igneo spiritus sancti flatu, & torrore, vt sit hominibus in escam: Hoc foco Sioneo, & furno gloriatur Deus, ex quo velut armamentario missilia educit aduersus Assyrium, & omnes illius conatus hac vnica panoplia irritos reddit. Nobilis Isaiæ interpres Forerius sic locum expendit ad nostrum institutum legens ex Hebræo: *Qui habet focum in Sion, & furnum in Ierusalem.* Et ait: *Fidelis Iehoua, qui perpetuis sacrificiis in templo Ierosolymitano colitur, id enim habere focum, & furnum significat: quasi insinuent quod non possit non adesse illis, à quibus iugiter colitur, & quod sacrificia sint, quæ aduersus hostes bellum gerunt. Certe Numa Pompilius nuntiis de aduentu hostium respondebat, ego sacrifico. Quod si victimæ irrationales certiores redd bant Israelitas de auxilio Dei, quid fiducia sacrificium illud inge*

Isa.

In Ecclesia Deus habet ignem, focũ, & contubernium.

In Ecclesia Deus aduersus hostes quasi pro aris, & focis pugnat.
Lect. Sym. Theod.
D.Chrysost.
In Eucharistia clibanus ait diuini amoris, & fons luminis. Superna potestates demirantur inaccessos sacra mensa splendores. Ignis Eucharisticus non comburit, sed purificat animos.

Hic furnus, Assyrij conatus euertit.

Forer.
Lect. Heb.

Deus iis adest à quibus iugiter colitur. Sacrificia aduersus hostes bellum gerunt.

in Ecclesia, quo Vnigenitum Deo Patri offerimus, in animis nostris non efficiet, quo modo ignem charitatis in piorum cordibus perpetuo ardentem despiciet bonus Pater? Perdet, periet scio hostes Ecclesia, si ignis hic, & fides non deficiat. Placabatur Deus sacrificiis pecorum in templo Ierosolymæ, ad protectionem piorum excitabatur, & ad arma capessenda aduersus hostes; quanto melius ex Eucharistico cultu inflammabitur ad amorem, & tutamen fidelium, cùm non victimæ taurorum, aut hircorum, aut sanguis vitulæ litatur, sed Christi corpus, & sanguis validissimum inquam telum ad conterendas insidias inimicorum, & fundendas acies hostiles. Est enim Eucharistia arx, & munimentum infrangibile ad tutelam regnorum, vallum quoddam cæleste quod hostes intercipit, ne fugæ subsidio è manibus vincentium elabi possint: argute hoc in loco ante postrema verba: *Cuius ignis est in Sion.* LXX. adiiciunt Vulgato sequentia: *Petra enim circumdabuntur quasi vallo.* Eorum vim & conceptus leporem sanctus Cyrillus Alexandrinus exprimit: *Petram hic nobis vocat infractam & illabefactabilem Seruatoris potentiam. Itaque diuina potentia tanquam rupe quadam cincti, & quasi vallo seu munimento & sepimento, cedent victoriam, & nemo eorum fugiet.* Petra & fundamenta saxorum instar mœnium cingentium turrem reddunt inexpugnabilem; ita Christus sanctorum munimentum potissimum eorum, qui eum colunt, venerabile sacrificium offerentes, dabit tutum præsidium, & inaccessum suis cultoribus, & in protectione Dei cæli commorabuntur, ne aliqua aduersariorum aspectabilium, seu inspectabilium labefactari possint iniuria: In quo etiam conceptu verba superius relata ex septuaginta senioribus vsurpo: *Petra circumdabuntur quasi vallo.* Nec solum ineuitabile fatum, & excidium hostium iis verbis intelligo cum Cyrillo, quando non datur aciebus aduersis locus prolapsionis ab excidio, & ruina, sed velut expanso rete intercipiuntur factæ præda & spolium dominantis; sed prouidum amorem, quo Deus suos circumdat velut parma impenetrabili, suis alis fouet, & custodit quasi pupillam oculi: *Petra circumdabuntur quasi vallo.* Sed vnde accersitum supernè tam validum auxilium, vt sit IESVS murus & antemurale suis dilectis; ex eo quod habet ignem, caminum, & furnum, & lares in Euangelicæ Sionis habitaculo, furnum inquam plenum calidis panibus, qui non solum pro alimento & annona sunt militantibus, sed pro omni structura armorum fortium.

2. Quo in loco non incongrue appones portentum illud supremi numinis visum Romanis, quod ansam dedit erigendi aram, initiandi cultus in illius honorem, & exhibendi gratum victoriæ contra Gallos auspicium, ex panibus: refert illud Lactantius lib. 1. de falsa religione capite 20. his verbis, *Eodem quoque tempore Ioui quoque pistori ara apposita est, quod eos in quiete monuisset, vt ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hostium castra iactarent,* eaque

Iuge sacrificium Ecclesia hostes perdit.

Infracta tutela circumdatur regnũ, quod Eucharistia præsidio vallatur.

Lect. LXX.

D.Cyr. Al.

Romani aduersus Gallos gratum victoria auspicium sumunt ex panibus.

Lactant.

Ioui pistori ara erecta à Romanis.

Iupiter Romanos in somnis admonuit, vt panes in castra Gallorũ iactarent, in signum victoriæ.

eoque facto soluta est obsidio, *desperantibus Gallis, inopia subigi posse Romanos.* Nec aræ, nec victoris decus promeruit vanum Iouis pistoris simulacrum, in quo diabolus Deitatem affectans colebatur; sed supremo numini, & Deorum Deo, & Domino instituenda festiuitas, qui per id temporis feliciter voluit Romanorum imperium celebratissimis onerare victoriis in omni terræ plaga. Hoc tamen visum, seu verum, seu fictum, optimam præbet institutionem Christianis, vt ad arcendos hostes, dissoluendam obsidionem; ad concitatam, & inhonoram eorum fugam, altaria eleuent summo Deo pistori panifico, qui mellitas exhibet placentas, Deitatis & humanitatis conditas dulcedine suis conuiuis, quarum tanta virtus, vt debita fide, & pietate cultæ, & in pectus reconditæ commensales, & milites suos à potestate tenebrarum reddat inuictos, aduersis omnibus eminentiores, & bellicis incursibus terrenorum Principum; da cultores Eucharistiæ fideles operibus fidem comprobantes, qui pietatem, quam cultu adstruunt, non destruant improbitatibus; qui cum pro ara, & foco ignis deifici pugnant, Deum sceleribus non impugnent, torrente, & profluuio vitiorum charitatis flammas ex altari, & sacrificio prosilientes in humana corda infusas non extinguant, & dabo victores, hostium colla calcantes, eorum consilia velut lanuginem vel leui flatu dissolutam, disturbata. Hoc munus, hoc robur panis ex penuaria cella diuinæ potestatis, & clementiæ deprompti.

Panis Eucharisticus fidelibus exhibet certam spem victoriæ.

3. Quod quidem facile ostendet tibi velut in vmbra liber primus Regum cap. 4. vers. 1. vbi Israel egressus est obuiam Philistæis ad pugnam: *Et castrametatus est iuxta lapidem adiutorij.* Quid mysticæ commentationis contineat adiutorij, & auxilij petra, expendit in suo allegoricæ, & sacræ eruditionis promocondo Ottomarus Luscinius apud quem hæc verba Odonis Tusculani perleguntur: *Et nos charissimi iuxta hunc lapidem nostra castra collocare curemus. Alioquin ab hostibus subito capiuntur, capta dissipantur, & in cineres rediguntur. Lapis enim iste fortitudo castrorum est, & pulchritudinis ornatus: Et in circuitu sese ducens, non solum se murum, sed etiam antemurale constituit. Bene autem lapis adiutorij, quia non solum munimentum tribuit, sed & adiuuat, & defendit. De particulis enim eius in funda accipimus, & contra Goliam rotantes, gloriosam de aduersariis victoriam reportamus.* In petra hac nimirum IESV reperies omne bonum, auxilium, munimentum, ornamentum. Ornat milites gratia, triumphis coronat; quis enim cadet in petra firmatus, & radicatus? calamitatum fluctus, aduersitatum procellæ impauidum ferient & inconcussum in hac petra fundatum. Denique petra hæc auxiliares copias suggerit, robur vinci nescium infundit, vt belli Imperator occurrat hostibus, eorum propellat conatus. Arca Domini quæ typus erat corporis Christi, in quo est manna pietatis, diuinitatis dulcedo, & pastoris virga, quæ oues dirigit errantes, fulcrum debilium, in adiutorij saxo erecta collocatur, vt castra dirigat, animos erigat militantium, spe certa victoriæ: *De particulis enim eius,* &c. Huius diuini panis tanta vis vt illius particula acies hostium fundat, & superbum Goliath de aliorum despicientia fortem, validissimis armis instructum prosternat.

Lib. Reg.

Odo Tusc. Ottomar.

Christus lapis est adiutorij aduersus hostiles acies. Iesus lapis fortitudo castrorum est, murus, & antemurale.

Vel sola panis particula Goliam prosternit, & hostes perimit.

Arca typus erat corporis Christi.

4. Recenset Isaias victoriam aduersus Assyrium obtinendam, & pulcherrimum verborum acroama proponit cap. 30. vers. 32. *Et erit transitus virga fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos.* Solent pugnatores aptioribus armis conterere hostes, & communibus vsitatisque instrumentis, spatha, clypeo, hasta, iaculo, retundere gladij, scuti, sagittæ violentiam; ait ergo Dominus non communi bello prosternendum Assyrium, in fugam conuertendas eius acies; sed bello præcipuo, & pugnandi arte exquisita, & insolita. Quæ autem sint præcipua bella, in quibus Assur territus fugiet? Diserte aperit Forerius proponens præclaram, & exquisitam formam aduersarios debellandi. Sic enim inquit: *Quemadmodum Iudæi intra mœnia reclusi & obsessi non armis, non instrumentis bellicis, sed tympanis & cytharis, & occisione victimarum, seu oblationibus, quas sursum leuabant, atque agitabant, victoriam adepti sunt; ita populus Dei hostes suos, & Christiani hostes Iudæos, à quibus immanes persecutiones perpessi fuerunt non armis, sed ingenti gaudio in tribulationibus, & sacrificiis Eucharisticis deleuerunt.* Et statim subiungit legens: *Bellis oblationum seu hostiæ agitandæ:* Quæ sit oblatio agitationis: *Bella itaque agitationis seu hostiæ agitandæ, sunt bella, quæ sacrificiis, & oblationibus constant, ac conficiuntur, non armis. Habent Christiani suam agitandam hostiam, quam in altari hìc atque illuc mouent: quo vno sacrificio hostibus sæpissimè negotium facessunt.* Noua ars præliandi apud Iudæos inualuit, cum hostes expugnant non armis, sed victimis, apud quos impenetrabilis clypeus oratio est, & panoplia potentior oblatio sacrificij; nec pæana canentes in hostes irruunt, sed citharis concrepantes coram Deo modulantes, preces & lacrymas ad eum fundentes de victoria sunt securi. Hæc facinora de vmbratili sacrificio prædicantur; quanto maiora expectabit fidelis in veri Dei victima sacra, in qua memoriam fecit mirabilium suorum Deus, hæc est vnica spes dimicantium, robur, auxilium, munimentum eneruans vires aduersas, nouam adiiciens animositatem pro pietate, aut iustitia præliaturis.

Isa.

Quæ sint bella præcipua, quibus Assyrius territus fugit?

Forer.

Iudæi, tympanis & citharis, oblationibusque victimarum, de hostibus victores.

Fideles victima sacra Eucharistiæ de hostibus triumphant.

Forer.

5. Cæli, & terræ munificis benedictionibus cumulauit Iacobum Isaac, prærogatiuam primogenituræ, & gratiæ ab Esau præripientem: Patefacto supplantatoris fraudulenti pio consilio, benedictionem alteram Esau exorat, & extorquet à Patre, qui supremo afflatus spiritu, hæc verba arcanis referta fundit: *Frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc fili mei, vltra quid faciam?* Genesis capite 27. vers. 37. legit Chrysostomus ante hæc verba: *Omnes benedictiones in eum effudi.* Ex stabilimento panis & vini, omnium benedictionum copia in ipsum refunditur, & vniuersarum felicitatum influxus: nec adeo abiecta mens Isaac vt in Iacob illo terreno sisteret:

Genes.

Iacob pane, & vino stabilitus omnibus benedictionibus cumulatur.

sisteret: correptus enim erat afflatu diuino, vt sanctus senex corporeis caligans oculis intuitu mentis mysterium Christi cerneret; verus enim Iacob IESVS supplantator vitiorum, qui omni benedictione cælesti repletur à Patre, in quo Angeli, & homines benedictionem gratiæ, & æternæ hæreditatis vsurpant: qui omnem benedictionem possidet ex frumento, & vino corporis, & sanguinis, quorum figuram, terreni fructus humanæ vitæ fulcrum præferebant; humiliatus enim corporis passione, & effusione sanguinis, gloria, & honore coronatur. Iam enim prædicebat Isaac, ex pane, & vino mystico quanta gloria in Iesum & eius Ecclesiam redundaret; nam illius regnum omne obtinet robur, & inuictam virtutem ex cælesti pane, & mystico potu; nec silentio prætereunda, indulgentia diuina erga iuniorem Iacob, quam Isaac patefecit suis verbis, quodammodo sibi arrogat magni Dei munus, vt Israëlem sacris imprecationibus locupletet. Perpendenda sunt Angelici Doctoris verba hoc in loco: *Frumento & vino stabiliui eum. Opus diuinæ prædestinationis, & gubernationis siue spiritualis siue temporalis soli Deo competentis sibi adscribit tanquam in hac sacramentaliter gerens vicem Dei.* Nec mirum si in sacramento quodam Dei vices gerebat, qui arcana mysteria Dominici sacramenti vulgabat. Qui enim benedictionem accipit figuratiuam cælestis panis, omnium benedictionum copia donatur. Nec tam munifica largitoris clementia exili hominis manu, & potestate completur, cùm ipsam humanam habilitatem superet; & superiores vires supra humanum captum sese erigentes requirat; in mysterio panis Isaac pio deuotionis affectu moderamen constituit regnorum, nam de illius munere venit stabilimentum populi, & imperij beata felicitas. Vnde in promissione panis, & vini facta Iacob sub integumento quodam sacro verborum, temporalis regni Israël beatitas sapienter adstruitur, vt ait S. Isidorus apud glossam ordinariam: *Det tibi Deus de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei*: & addit: *secunda benedictionis prophetia est, idest in fœcunditate rerum & potentia regni, quæ in illo populo fuit.* Itaque panem, & vinum velut quoddam dominationis pignus, & regni fulcimentum apposuit, ne tanta virtute stabilita potestas flecteretur ad ruinam.

Ecclesia robur inuictæ virtute Eucharistiæ.

D. Thom.

In sacramento benedictionis Iacob, Dei vices gerebat Isaac.

Felicitas Israëlitici Regni in Eucharistiæ adumbrato mysterio promittitur.

D. Isid.
Gloss.

Agnoscit quoque mysterium Eucharistiæ idem Isidorus quæstionibus in Genesim cap 23. in benedictione quam Iacob accipit: *De pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Sicque conceptum suum ex Augustino illustrat: *De pinguedine terræ: hoc est de congregatione populorum. Multitudinem frumenti, & vini: hoc est multitudo, quam colligit frumentum, & vinum in Sacramento corporis, & sanguinis sui. Illi seruiunt populi ex omnibus gentibus ad eum conuersi.* Cernis quanta emolumenta honoris sibi consciuerit Rex Christus ex institutione tanti mysterij, sceptrum totius orbis terrarum suscipit, & susceptum omnium nationum incremento cumulauit; dissidentes populos ritibus, moribus, ferina quadam crudelitate disiunctos, corpus, & sanguis Dominicus coire fecit in fidei concordiam, & glutino charitatis innexos genua curuaturos, ad altaria sua sacrata reduxit: cælestis dapis suauitate deliniti, odore diuini mu-

D. Isid.
D. Aug.

Regnum Ecclesiæ multitudinem gentium colligit, vt ei obediat in multitudine frumenti, & vini.

sti attracti, & vincti alligatura salutis, veniunt, & adorant dicentes: verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator. Itaque hoc sacramentum regnum fundat, & seruat æternum; & tanquam quædam parens fœcunda regnorum, sceptra, coronas, & triumphos parit.

6. Diuinis Ezechiel propositum lemma adstruit cap. 41. vbi de templi prodigiis plena delineatione, & de altari ligneo ait vers. 22. *Hæc est mensa coram Domino*: Habebat vero tam altare, quàm templum parietes variis cælaturis ornatos, de quibus v. 18. *Et fabrefacta Cherubim & palmæ; & palma inter Cherub & Cherub, duasque facies habebat Cherub, faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu.* Altare, & mensa in mysterio ostenditur Vati, vt aram, & Eucharistiæ mensam exprimeret templi sacri ornamentum, vt exponit sanctus Hieronymus; sed mirum est quanta palmarum decora altare, & sanctuarium circumdent; nam ex eo proueniunt triumphorum magnalia, & in hoc sacro tholo spolia hostium velut anathemata suspenduntur virtutis inuictæ cælestis mensæ, & panis. Mirabili argutia perpendit Hieronymus in hoc templo sacros Cherubinos non quatuor facies personatas ostentasse; sicut in quadriga gloriæ Dei capite 1. sed occultata facie Aquilæ, & vituli, speciem præsetulisse hominis, & leonis, & discrimen vultuum, & mysterium in vtraque visione assignat: *Sed tantum duas hoc est hominis, & leonis: quorum primum ad rationem pertinet, sequens ad furorem, furorem autem dicimus non eum, qui perturbationi, & vitio proximus est; sed qui mentis consolidat mollitiem, & fortiorem facit animum dimicantis.* Omnem gloriam à mensa, & altari profluentem describit Vates, nam ex vtriusque participatione mirabilis fortitudo in animum refunditur, lymphata enim redditur amore diuino, & furore sacro repleta, impauida irruit in hostium cuneos, & victricem dextram ostentat victricibus palmis decoram. Leoninæ faciei terribilis aspectus, & ostentatio magnifica manifestat, quod anima ex mensa procedit instar leonis impauida, & robusta, vt metu percellat inaspectabiles hostes. Pulchre S. Chrysostomus tomo 5. homilia 61. ad populum, inquit: *Tanquam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* Leones hi, & catuli leonis ex Ecclesiæ antro prosilientes, agnum occisum ab origine mundi in altari mactatum comedentes, pectus ferentes armatum leone de tribu Iuda ad victoriam dæmonis nato, in turpem fugam proiiciunt diabolum, qui tanquã leo rugiens circuit quærens quem deuoret; quin potius in inferias orci vmbras, & latebras pudibundum coniiciunt, cui iuxta Petri Apostoli monita 1. epist cap. 5. resistunt fortes in fide viua Eucharistiæ, quæ nuncupatur mysterium fidei. Opponunt enim tanquam militiæ cælestis emeriti, & instructi præliis Domini Tartareo Leoni sulphureos ignes & flammas libidinis spiranti, putidoque ore spargenti male olentem vitiorum halitum; agnum immaculatum, innoxium, qui innocentiæ, & puritatis candore, & virtutum odore expiauit orbem contaminatum crimini-

Ezech.

In templo mensa Domini, Cherubim & cælata palma Ezechieli ostenduntur.

Mensa Eucharistica palma victoriis circum datur, & ornatur.

D. Hiero.

Cur in templo Ezechielis duas tantummodo facies Cherubim ostendit.

Vultus hominis, & leonis rationem, & fortitudinem dimicantis præseferunt.

Homo Eucharistia munitus terribilis redditur hostibus.

D. Chrys.

Agnum comedentes, tanquam leones ignem spirantes aduersarios rugiens terrentes, redduntur.

bus; obiiciunt leoni leonem, cuius ro oris igneæque virtutis participes amore inardescunt, & zelo scintillantibus oculis animæ, & corporis furore diuino, charitatis missilia in aduersarium iaculantur, ciusque obtutum acumine & dolo plenum, eximiis diuinæ gratiæ luminibus perstringunt. *Qui mentis consolidat mollitiem, & fortiorem facit animum dimicantis.* Quæ verba Hieronymi ad prædictum theorema non constringo, nempe quod splendoribus solis æterni, quem in pectore velut firmamento portat fidelis tanquam fulminibus obruat Satanam; ad temporaneum prælium amplifico, nam Eucharistia, & cælestis panis, molles, inertes, eneruatos milites roborat ad certamen, ad victoriam instruit; nam qui pauitant conserere cum hostibus fidei manus, de euentu irruptionis trepidantes, ex mensa sacra instructi progrediuntur ad bellum tanquam rugientes, & furentes martiali igne & impetu leones.

Panis Eucharisticus inertes milites roborat ad prælium.

Cur templũ, & sanctuariũ in figura quadrangula fundatum.

7. Nec omittendum censui acumen Hieronymi eodem loco, in quo perpendit in quadrangula figura sanctuarium & sanctum sanctorum fuisse fundatum. Eodem cap. 41. vers. 5. ait Ezechiel: *Et dixit ad me hoc est sanctum sanctorum, & mensus est parietem domus sex cubitorum, & latitudinem lateris quatuor cubitorum vndique per circuitum domus.* Et vers. 8. *Et vidi in domo altitudinem per circuitum fundata latera ad mensuram calami, sex cubitorum spatio.* Vbi Doctor Maximus Arithmeticam commensurationem explanat, & conceptum mirificum proponit his verbis: *Post quam aperiebatur sanctuarium, & templum per quatuor angulos contra faciem sanctorum. Prius enim habemus scientiæ multitudinem, per quam victoriam de hoste consequimur: Et postea nobis sanctuarium aperitur & templum: quod habet quatuor angulos, & stationem firmissimam: & quæ in nullam partem declinior sit. Hanc enim habet naturam mensura quadranguli, vt stabili consistat basi.* In figura quadranguli inclinari aut flecti nescia, quæ instabili basi semper consistit, fundatum est templum, & sanctum sanctorum, quia omnis firmitas, & æterna stabilitas à sanctuario profluit, nulla enim temporanea felicitas orbis stabit perenniter, si non in sancto sanctorum, & cultu Domini & veneratione fundetur.

Ezech.

D. Hiero.

Per scientiæ multitudinẽ victoriam de hoste consequimur, & sanctuarium nobis aperitur.

Mẽsura quadranguli habet stationem firmissimam.

Omnis stabilitas à templo, sanctuario, & mensa prouenit.

8. Ad paradisiacum hortum sponsæ sacræ, & bene constructum topiarium virtutum arboribus consitum, lubens descendit sponsus, nec dedignatur sublimis illa potestas, quæ nutu suo moderatur Olympum, condescendere ad areolas aromatum, vt rosas, lilia, & flosculos carpat amoris diuini purpurisso vernantes, & sanctorum desideriorum affectu renidentes: Descensum Regis æterni proponit sponsa suis verbis Cant. cap. 6. vers. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Mira versionum varietas hoc in loco est, quæ propositum theorema apertè enuntiant. Aquila, Symmachus, quinta editio, Tigurina legunt: *Ad pascendum.* Vatablus: *Vt pastorem agat.* LXX. verò locum efferunt mirificè: *Fraternus meus descendit in hortum suum ad phialas aromatum, pascere in hortis, & colligere lilia.* At verò Paraphrastes Chaldæus, qui sæpe

Cant. Descendit sponsus ad areolas aromatum, vt pascat & pastorem agat.

Lect. Aqui. Sym. Tigur. Vat. LXX. Chald.

sæpius mentem suam ad terrenam felicitatem populi solet abiicere, hic se erigit ad ostendendam spiritalem intelligentiam: *Dominator sæculi descendit ad concilium sapientum & seniorum. Sicut vir qui nutrit filium suum dilectum in deliciis, ita delicate nutrit eos.* Quod autem fuerit deliciosum, & delicatum nutrimentum filiorum non exprimit. Mentiar si manna mente non cogitet, & verbis immurmuret; vmbris, & figuris gaudet & inumbratur amans adhuc tenebricosum latibulum, & absconsionem mysteriorum; sponsus vero qui non in tenebris noctis, sed in meridie pransurus descenderat, amat feruorem solis, fidei lumen, & vitæ alimentum suis conuiuis dare. Descendit ad Ecclesiæ hortum nemorosum, gratiarum fluentis irriguum, *vt pastorem agat.* Agniculosque innocentiæ candore conspicuos, & oues corporeis passionibus errantes super humeros portet, corpore, & sanguine suo cibet, & potet. Hæc florida sacramenti cælestis pascua inuenit, qui inspirationis ad bonum suasoriæ sibilum, dulcemque Euangelicæ perfectionis fistulam, & verborum cantilenam auscultat, piumque animarum pastorem apprehendit, qui intacto humanitatis lilio, & purpureis vulnerum rosis nutrit sodales eosque, potu hausto de fontibus Saluatoris inebriat. Illustris est LXX. versio: *Ad phialas aromatum.* Vt discrimen adstruat huius horti animæ, ab illo paradiso in quo diabolus primæ fœminæ propinauit poculum mortis, & transgressionis fœtore respersо, & venenoso halitu criminis, paradisum terrenum tanta varietate flosculorum redolentem tetro odore repleuit; in hoc tamen horto sponsæ phialam plenam virtutum odoramentis cælestibus, permeantibus animæ penetralia, adinuenit. Bona phiala calix passionis, & diuini sanguinis poculum, efflans gratum halitum vitæ, & immortalitatis, & spirans bonum Christi odorem. Speciosior, diuinior hæc IESV phiala, quàm Atrei, quam Athenæus lib. 6. & Pausanias libro 2. recensent, in qua ille filium suum agni vellere coopertum in conuiuio epulandum apposuit. Verba sunt Athenæi: *Atrei aureum agnum, cuius causa deliquium solis accidit, phialam auream fuisse, in cuius medio aurea fuit agni imaguncula.* In composita Atrei fabella, pulchra narratiuncula portenditur diuinum mysterium. Habemus agnum in phiala, ex cuius vellere facta est nobis vestis immortalitatis, pia victima agnus in Cruce immolatus innocens prædicatus à fure, qui patibuli stipabat latera, cuius Deitatem comprobauit in eius occasu deliquium Solis. Matth. cap. 27. *à sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* Et obscuratus est Sol Iudæis: *& ab omni lumine sunt priuati in signum futurarum tenebrarum, quæ comprehensuræ erant gentem Iudæam,* inquit Origenes in catena aurea Sancti Thomæ: agnum occidentes, & illius fidem respuentes amiserunt Dei lumen, & regnum. In Ecclesia verò, in qua non tenebrarum potestas; sed sol ille diuinus, qui in ara Crucis occubuit, & obscuratus est, vt illuminaret omnes nationes, præsidet; vbi agnus comedendus apponitur punctus clauis, aromatibus conditus in sepulchro, illuminat eam

Descẽdit Dominator ad concilium sapientum, vt tanquam filium dilectũ in deliciis nutriat eos.

Cibat agnos suos pastor, & potat, carne & sanguine.

Lect. LXX.

Paradisus, transgressionis fœtore inhorrescit, hortus Iesu virtutum aromatibus corporis, & sanguinis odore vernat.

Athen.

Atrei aureus agnus in phiala, cuius causa deliquium solis accidit.

Agnus immolatus in cruce Iesus cuius causa sol deliquium patitur.

D. Mat.

Iudæi omni orbati lumine.

Christus,

Christus, & faciei splendore defendit; non deliquium patitur illius imperium, nec illi languorem protendit solis occasus, quæ agnum occisum, & in Cruce mactatum in phiala comedendum apprehendit; Iudæo tamen qui lumen reiecit, & panem, occiduus est sol, & tenebricoso operimento eorum vrbem inuoluit, quia eorum Sacerdotium, & imperium, quibus affulgebat antea vberrimum lumen, tenebricoso quodam squalore languescunt. Recte ergo clamat Isaias quod ruit Ierusalem, quia in eius domo non est panis.

Iudæis resp[u]entibus Christum, de[fi]ciunt solis & regni ve[ti]tis.

Non sum Medicus: & in domo mea non est panis.

DISCVRSVS V.

Eucharistia diuinæ sapientiæ medicamen, quod eripit à senio, & mortalia facit perennare feliciter.

1. IN anteloquio discursus secundi, expositionem Eucharisticam huius commatis adstruentes, verba hæc retulimus ex Plinio: *Panis hic ipse quo viuitur innumeras penè continet medicinas.* Et potiori iure vsurpauimus de pane, quo in vitam æternam alimur, cuius medicamina innumera sunt. Vnam, vel alteram in præsenti dabimus.

Plin.

Panis quo ad vitã æternam viuimus, innumeras continet medicinas.

2. Illustre vaticinium proponit Ezechiel cap. 47. in quo templi descriptio delineatur, magnisque verborum luminibus imaginem ostendit torrentis ex orientali parte erumpentis, & vtriusque ripæ arboribus consitæ, mira foliorum & fructuum vbertate vernantibus. v. 12. *Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per singulos menses afferet primitiua, quia aqua eius de sanctuario egredientur: & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.* Quæ verba de sacra sapientia, aut de viris iustis aliqui Patres vsurpant; qui iuxta torrentem gratiarum proferunt verbis, & operibus fructum vitæ. Hieronymus tamen in præfatis verbis augustius sacramentum agnoscit, dicens: *Horum omnium lignorum principatum tenet lignum vitæ.* Habet hic locus allusiones mirificas ad Psalmum primum, & ad lignum vitæ plantatum in paradiso terrestri, ex cuius esu Adam vitam, & æternitatem mutuaret; ex quibus, Ezechielis scripturæ profundæ, & obscuritatæ mysticorum verborum tegminibus, clarus splendor interpretationis infunditur. De Christo Psalmographus cecinit Psalm. 1. v. 3. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Lignum vitæ Christus, cuius promissa fidelia sicut semen inseuit Pater in cordibus Patriarcharum, & Prophetarum, irrigata fluentis piæ deuotionis, & gratiæ; venit tempus cum sancita pacta aduentus Dei in mundum veridica comprobauit, & granum illud tot calamitatum procellis, & hostilis deuastationis nimbo intermortuum, reuiuit; Tunc lignum vitæ plantatum est in terra intacta vteri virginalis. Sic verba accipit Hugo Cardinalis, affertque locum Ezechielis cap. 17. *Tenerum distringam & plantabo super montem excelsum, & eminentem, scilicet Beatam Virginem.* Quis autem sit fructus huius ligni opportuno tempore datus, subiungit: *Quod fructum suum, id est carnem esibilem, dabit in cœna.* Vnde Psalmicen consona voce respondet Ezechieli, cùm pomifera ligna appellitat, quæ in thoris nemorosæ ripæ gratum præbebant vmbraculum: *Omne lignum pomiferum.* Vbi Hieronymus addit: *Siue vt omnes voce consona transtulerunt: Βρώσιμον, quod cibum & escam tribuit, & quod mandi potest.* Hic fructus est ligni, quod mandi possit, & tanquam ferculum vitæ & panis cælestis in Ecclesiastico conuiuio recumbentibus apponatur fidelibus: Has fruges præstolabantur sancti illi viri diuino spiritu afflati, cuius saturitate fœcunda inhiabant expleri. Dedit tamen hunc fructum *in tempore suo*, scilicet in cœna mystica; vnde in conuiuio nuptiarum, in quo manifestauit gloriam suam requisitus à Matre, vt potus vini penuriæ succurreret, aliud insinuans cælestius, & vberius institutionis Eucharistiæ mysterium, respondit: *Quid mihi & tibi est mulier, nondum venit hora mea.* Ioannis cap. 2. cum vero apud eundem Ioannem amoris, & temporis Christi interpretem, omni sacra paratura se accingit ad corpus suum largiendum in cibum, & sanguinem in potum, tunc apertè subiungit: *Sciens Iesus, quia venit hora eius.* Hanc horam tempus suum vocat Regius Psaltes. Numquid alia tempora non sua? Minime gentium: vniuersi enim temporis Dominus, & artifex, qui cœlorum est conditor, & eorum circumgyrationes ordinat statis legibus, & qui auctor est vitæ: tempus suum appellat in quo eximiam charitatem ostentat, & esse cibum, & conuiuam hominum habet pro deliciis, mareque illud oceanum fontanæ plenitudinis, & immensæ largitatis, quod in hominum pectora optabat effundi, tot sæculis compressum, tot amoris desideriis coarctatum, opportunitatem adinuenit vota sua cumulatissimè adimplendi, cùm sanguinem effundit, & effusum suis dilectis bibendum propinat; hoc tempus vocat suum, in quo maiora corporis, & animi emolumenta homini impendit; eo enim tempore magis suus est homo, & ideo tempus vocat suum. Dei homo est cùm creatur, sed magis Dei, & suus est cùm redimitur, maiori enim vinculo seruitutis, & gratitudinis adstringitur. Cùm creat dat hominem Deo; cum redimit, & redemptionem in conuiuio repræsentat, dat homini Deum: maior ergo proprietas & muneris, & temporis istius est. Amplius: non tantum in ligno pomifero apud Ezechielem, sed in foliis illius adumbratum est mysterium Eucharistiæ. Habent enim hoc eximium ligni folia, quod præ omni vnguentaria theca vberiora, & pretiosiora exhibeant medicamenta, ad adstruendam sospitatem, quæ languidis, & recumbentibus in grabato mortis optatissima solet esse felicitas. Folia ligni mysteriorum figuram, aut antiquæ Paginæ sacramenta obscurioribus verbis recondita, & occulta esse primores Ecclesiæ cen-

Ezech.

Ligna iuxta præterfluentis ripas, quæ per singulos menses, afferunt primitiua.

D. Hieron.

Iesus lignum vitæ inter omnia ligna pomifera obtinet principatum.

Psal.

Hug. Card.

Ezech.

Lignum in beata Virgine plantatum, quod carnem suã in cœna dedit.

D. Hieron.

Tempus suũ vt cibũ tribuat vocat Iesus horam cœnæ.

In nuptiis Canæ necdum venerat hora cœnæ.

Cum pascha celebrat cum discipulis, sciebat Iesus, quia venit hora eius.

Tempus amoris, & conuiuij suum per excellentiam nuncupat.

Tempus in quo maiora corporis & animi emolumenta homini impendit, suum nuncupat.

Cum creat, dat hominẽ Deo; cum redimit, & cibat, dat homini Deum.

Medicinalia ligni folia Eucharistiã præferunt.

ſent; commentationum, & commentatorum veneror has vmbras interpoſitas pulcherrimi & ſalutiferi ligni frondibus, nobis tamen medicinale folium dulcius ſapit. Sub quo myſticus cibus vitæ candido aureoque nitens colore latitate, Hieronymus inſinuat: *Scientia ſcripturarum ducit ad regna cælorum, & præbet nobis panem, qui dicit: ego ſum panis qui de cælo deſcendi. Sic folia eius moralem doctrinam continent, & tribuunt ſanitatem, vt peccantium curent vulnera.* Itaque non erit incongruum ligni huius pomum delitеſcens ſub foliis, Deum ſub Euchariſticis tegminibus latitantem agnoſcere; ſicut enim arborum fruges integumento foliorum viridantium protectæ ſeruantur incolumes, & reddunt gratam ſpeciem & honeſtiorem veſtitus ornatum, & quo decentius cuſtoditæ, ardentiori ſtudio ſunt ab oculis concupitæ, vileſcerent enim aliquomodo viduatæ operculorum decore: Sic Deus in arbore vitali ſeruatoris noſtri, quæ paradiſiacas ripas Eccleſiæ ornat, in pulcherrimo pomo, & fructu vitæ accidentium quædam obtendit velamina, ad intuitus humani mirabile temperamentum, & probamentum fidei, vt ſic celata diuina maieſtas venerationem, & cupidinem audiorem ſui ipſius pareret. De his ait Vates, *Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.* Per hæc namque accidentium panis & vini operimenta cibus vitæ omnium morborum medicamina, & ſanitatem influit, facta ſunt hæc accidentium folia quædam emplaſtra naturæ, & ſerpentini vulneris antidotum: De quo ligno ſcribit Sanctus Chryſoſtomus tomo 1. in Pſalmum primum. *Huius ligni eſum cum recuſaſſet Adam, in contrarium incidit: Nos autem nunc myſtice comedentes, transgreſſionem ex ipſo exterminamus: lignum enim vitæ eſt Chriſtus; lignum mortis diabolus. Hic enim hominem expellit ex paradiſo, ille vero latronem ducit in paradiſum.* Et ſtatim: *Quem fructum dedit in tempore ſuo? Vide eum crucifixum, & latus eius compunctum, ex quo ſanguis, & aqua ſcaturijt. ſanguis quidem ad repræſentandum martyrium, aqua vero in ſignum baptiſmi. Humidum lignum vnum deiecit: Lignum autem ſiccum, mundum rurſus erexit. Eſus illius mortem peperit: eſus huius vitam fecit rurſus germinare. De illo enim dictum eſt: non comedetis ex illo; de hoc autem: guſtate, & videte, quod benignus eſt Dominus: ſpecioſus eſt vt malum: ſuauis eſt vt vinum: fructifer vt olea, quæ multa habet tegumenta ſicut malum punicum: fructu abundans vt palma: maturus vt botrus.* Cernis quos fructus, quot pharmaca præbeat lignum ad ſanitatẽ, & vitam reſtituendam: Odores, balſama, vnguenta, vina, ſanguinem, aquam, varia vulnerum integumenta, ſuauitatem, benignitatem, transgreſſionis exterminium, mortis interitum, mundi prolapſi erectionem, reſtitutionem paradiſi, æternæ vitæ flores, & germina, ſed iam Os aureum verbis ſuis ad ſecundam alluſionem ligni vitæ in paradiſo plantati nos vocat.

D. Hieron.
Cibus vitæ curat peccatorũ vulnera.

Pomum vitæ ſub velaminibus accidentium occultatum.

D. Chryſoſt.
Diuini ligni eſum Adam recuſans, incidit in mortem; nos comedentes, ad vitam alimur.
Vitalis ligni Ieſu decora recenſentur.

Fructus ligni in tempore ſuo datus Ieſus crucifixus.
A ligni ſcientia eſu inhibetur homo; ad ligni vitæ epulum prouocatur.

3. De ligno vitæ habemus ſcriptum in Geneſi cap. 2. verſ. 9. quod inter ligna pomifera, quæ Deus plantauerat in paradiſo voluptatis, ſpeciei, & dignitatis extollebat caput: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio paradiſi.* Quæ autem munia lignum vitæ conferret protoplaſto originariam iuſtitiam ſeruanti recenſet Sanctus Auguſtinus, & ex ipſo doctiorum ſchola. Sic enim fatur libro 13. de ciuitate Dei cap. 22. de corporibus Adæ, & Euæ: *Licet ſenio non veteraſcerent, vt neceſſitate perducerentur ad mortem (qui ſtatus eis de ligno vitæ mirabili Dei gratia præſtabatur) tamen & alios ſumebant cibos. De ligno vitæ propterea guſtabatur, ne mors eis vndequaque ſubreperet, vel ſenectute confecti decurſis temporum ſpatijs interirent, tanquam cætera eſſent alimento, illud ſacramento.* Itaque munere ſuperno, & mirabili virtute arboris vitæ, eriperentur à ſenio Adamus, & Eua, ita vt poſt plurima annorum luſtra, & ſæculorum decurſus ab edaci tempore nullam paterentur iniuriam, nec rugis contracta cutis offenderetur, nec trementia aut effœta viribus, annorum & morborum pondere membra, egerent ſcipionum fulcimento; ſed grata iuuenta apparerent nitidæ & floridæ facies, & renouatione mirabili de eſu ligni vitæ quotidie iuueneſcerent, & primæuæ ætatis referrent candorem. Et ſolerter nuncupat Auguſtinus *ſacramentum* lignum vitæ: *illud ſacramento.* Vt in illo quaſi in arcano quodam mirabili diuinæ poteſtatis, myſterium Euchariſtiæ adumbraretur, cuius robore homo à corruptione liberabitur, animi, & corporis immortalitate donatus; quare de arbore vitæ Iesv alia Auguſtini verba, libentius quàm de terreno ligno, iuxta proprietatem vſurpo. In quæſtione 19. veteris teſtamenti tomo 4. fatur: *Cibus enim vires præſtabat, vitæ autem arbor medicina modo corruptionem omnem prohibebat. Sic enim homini erat quaſi inexpugnabilis murus.* Eſt enim Euchariſtia inexpugnabile præſidium aduerſus corruptionem, & mortem; licet enim homo originarij reatus pœna conſtrictus, pendat ſtipendium peccati mortem, & de terra compactus reddat terræ, quod de terra aſſumpſit, virtute ligni vitæ in incorruptionis originem redibit, irridens & inſultans morti; nam panis virtute tanquam vallo, & munimento infrangibili vndique clauſus, nullam ſemitam inueniet interitus, qua poſſit obrepere; eſt lignum vitæ antidotum mortis, & præſentiſſimum pharmacum procul pellens corruptionis ærumnas. Nunc in ſpe, poſtea in re. Eſt fructus & folium ligni vitæ ad ſanitatem. Felix domus, in qua eſt panis, nam in ea aſſidet medicus, medicamen parans peccatorum vulneribus, & mortalitati applicans medelam immortalitatis. Quapropter exufflanda eſt irriſio Ariſtotelis lib. 3. metaphyſ. cap. 8. textu 15. aſſerentis mordicus, nullum hominem fieri poſſe immortalem per cibi eſum; cuius verba recenſet Abulenſis Epiſcopus in cap. 13. Geneſis, quæſtione 168. *Sic enim ponit, irridendo fabulas illorum, qui dixerunt, quod quidam Dij manducauerunt, aut guſtauerunt de quodam cibo, & effecti ſunt immortales; alij vero, qui de eodem non guſtauerunt, manent mortales.* Philoſophorum princeps nunquam tale pronunciatum proferret, ſi panis cæleſtis myſterium agnoſceret, aut Geneſim mundi, voluptatis hortum, & ligni vitæ munera

Geneſ.

D. Auguſt.
Lignum vitæ à ſenio, & morte immunem hominẽ ſeruabat.

Alia ligna erant homini alimentũ, lignum vitæ ſacramentũ.

In ligno vitæ Euchariſtiæ ſacramentũ adumbratũ.

Cibus arboris vitæ hominem à corruptione ſeruabat, & tanquam murus contra aduerſa muniebat.

Abulenſ.
Ariſtotelis aſſerentis per cibi eſum hominem nõ reddi immortalem, theorema exploditur.
Dij per conuiuium immortalitate donati.

munera apud Moysen perlegisset; ipse potius opprobrio, & contumelia dignus, si scintillulas luminis fidei ex sacris libris mutuatas & ereptas, sub fabulosæ narrationis cineribus latentes, conabatur extinguere; inoleuerat apud sapientiæ humanæ gnaros viros illa narratio conuiuij Deorum, cui supremum numen præsidet symposiastes, & ambrosiis dapibus pastos reddebat æternos, & lege mortis immunes, vt in his esset adumbrata fœcunda prælibatio diuini sacramenti, & mensa illa falsorum numinum præluderet conuiuio, & mensæ Eucharisticæ, quæ veros Deos facit, & conuiuas suos immortalitatis gloria exornat.

Ezech.
Renouat.io primitiui fructus mira per singulos mēses in ligno Ezechieli ostensa.
Lect. Lxx.
D.Hieron.

4. Hæc pro ornatu vaticinij Ezechielis dicta: superest tamen pro coronide arcana sententia, & pensiculatione solerti dignissima, in illis verbis: *Per singulos menses afferet primitiua.* Lxx. legunt: *De nouitate sua primitiua dabunt.* Et apud Sanctum Hieronymum sic habetur: *Siue vt in LXX. scriptum est, fructus eius in renouatione sui primitiua dabit.* Vt ipsa arboris innouatio aperte demonstraret renouationem animorum, quam fructus ligni vitæ operatur; perdidit homo primitiuum innocentis vitæ candorem, sed cibus iste cælestis amissum restaurat vberiori gratia. Sed mirum valde est quod singulis mensibus lignum redibat ad pristinum decorem, & fructus parturiebat nouitate menstrua mirabiles, & renascenti primitiua nouitate conspicuos. Vt singulorum mensium collectam, & participationem panis cælestis forsan innueret, quam Iesv societas superno quodam instinctu acta in vniuersum orbem inuexit, cum tam eximiis morum prouentibus, per singulas lunas festum conuiuale Deificum promulgat, ad alimentum vitale excitat sæculares, vt tot passionum incursibus labefactata humana natura, rei familiaris distracta sollicitudinibus, innatæ imbecillitatis casibus debilitata, & remissa, menstrualibus epulis renouata reparetur; communicantibus adaptanda verba Psalmistæ Psalm. 91. *Iustus vt palma florebit.* Germina palmæ ad annum innuendum aptabant Ægyptij, teste Horo Apolline lib. 1. cap. 3. *Aliter quoque annum indicantes palmam pingunt: quod arbor hæc sola ex omnibus ad singulos lunæ ortus singulos etiam ramos pro-reet, itaut duodecim ramorum productione annus expleatur.* Annosa palma iuuenescit singulis mensibus, nouis, & primitiuis virgultis frondescit, vt temporis edacitate, & carie consumpti rami, nouorum foliorum germinatione restituat sibi spolia amissa pristini decoris. Sic iustus menstruali conuiuio panis cælestis accumbens, per singulos menses: *De nouitate vitæ primitiua dabit.* Per singulos menses afferet nouas vitæ primitias, cum charitate diuina incalescens ad exantlandos perfectioris vitæ labores animosus redditur: *Fructus eius in renouatione sui primitiua dabit.* Dum cibo vitæ vegetatus, & diuini calicis musto inebriatus, tepore dimisso, vota & statuta virtutum renouet, quæ retro sunt obliuiscens, reparato in studio virtutis vehementiori curriculo, ad anteriora extendit se ipsum ad apprehensionem brauij supernæ vocationis; & tanquam lignum stabilitum, & radicatum Dei timore, & fœcundum gratiarum irriguo flores, & fructus primitiuos germinat conuersationis cælestis.

Menstrua participatio ligni vitæ, & renouatio à societate Iesu inuecta, ad animarū prouentum.

Cur iustus renouatus dicatur, vt palma.

Duodecim anni menses, & Lunas per germina palmæ innuebant Ægyptij.
Hor, Ap.

Spiritalis renouatio hominis, est incitamentum ad perfectionem.

Deut.
Benedictio Iosepho imprecata à Moyse ad Christum nobilium trāsfertur.

5. Moyses faustissimam benedictionem imprecatur Ioseph, Deuteronomij cap. 33. v. 13. *Ioseph quoque ait, de benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & rore atque abysso subiacente. De pomis fructuum Solis, ac Lunæ de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum.* In quo vaticinio sterilis esset Mosaïca dictio, si sisteret in benedictione illius Ioseph, & mentem ad diuiniora non transferret. Iam in illo præfigurata videbat Christi mysteria, vt annotat Sanctus Ambrosius, libro de benedictionibus Patriarcharum capite 11. Verus enim Ioseph adauctus, & ampliatus per omnia, benedictus est à Patre benedictionibus *de pomis cæli, de pomis fructuum Solis ac Lunæ.* Ipse est enim cæli pomum, quod de cælo descendit, ipse enim inter cælestium spirituum virgulta tanquam malus inter ligna siluarum sub cuius vmbra, & protectionis velamento viuunt acies Angelorum, & sempiterna illius visione, & fruitione satiantur; ad terras veniens secum paradisi cælestis ambrosias, & delicias detulit, vt sub vmbra illius sedens, & requiescēns sponsa, pomi cælestis dulcedinem degustaret. Æquo iure eum nuncupat malum, & pomum. Verba accipe ex Sancto Ambrosio in Psal. 118. octon. 5. in cap. 2. Cantic. citata: *Huiusmodi enim pomum odorem gratum habet, vt cæterorum pomorum fragrantiam vincat. Et Christus affixus ad lignum, sicut malum pendens in arbore, bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis, qua peccati grauem detersit fœtorem, & vnguentum potus vitalis effudit.* Et statim: *Non solum odor, verum etiam cibus suauis in malo est. Ergo cibus suauis est Christus. Cibus plane mentes Angelorum & hominum pascens.* Malus eo quod ab æstu protegit, pomum immarcessibile, quod hic suauitate sua refouet animam, & vitæ odorem confert æternæ; optimum pomum tactu molle, visu pulchrum, gustu suaue, quod omnem animæ complet appetentiam: *Sicut malum immarcessibile* (inquit venerabilis Beda) *cælesti suauitate reficit.* Ideoque à Moyse appellatur: *pomum cæli.* Quia cœlum ad terras secum detulit, & vbertatem illam, torrentemque voluptatis, quæ in cælicolas exundat, ad terrenam hominis conuersationem deriuauit. Denique pomum cœli vocatur, quia qui pomum ligni vitæ carpit, & gustat, futuræ gloriæ possidet pignus.

D Ambr.

Cur Iesus dicatur benedictus à Patre benedictionibus de pomis cæli, de pomis fructuum solis, & Lunæ.

Angelorum, & hominum pomum deliciosissimum Iesus.

D. Ambr.

Iesus tanquā pomum pendens in arbore crucis odore immortalitatis mundum repleuit.

In pomo Iesu odor, & cibus suauis, qui mentes Angelorum, & hominū pascit.

Iesus malum immarcessibile, & cæli pomum, conferens beatæ vitæ pignus.

6. Illud superest difficile explicatu, quo sensu Iesvs dicatur: *pomum, & fructus Solis ac Lunæ.* Ad terrestrium pomorum genituram coëunt Solis, & Lunæ influxus; nam Luna genitali quadam aspergine arua noctu humectans, irrorat & fœcundat; Sol verò interdiu viuidis igniculis fouet, & vitali quodam calore promouet terræ partus, & lignorum prouentus. Iesvs vero virginalis, & pulcherrimæ arboris Mariæ fructus est; sola ergo Maria tanquam Luna immensæ gratiæ fluentibus ab spiritu sancto fœcunda, absque solis humani commercio peperit dulcem Iesum pomum suaue. Non ergo iuxta vaticinium Moysis, & sacræ paginæ strictum tenorem nuncupabi

Qua ratione Iesus dicatur pomum Solis & Lunæ.

Terrestris pomi genitura à Sole & Luna prouenit.

Maria superno spiritu fœcunda sine viri consortio dulce pomum Iesum peperit.

nuncupabitur pomum, & fructus Solis, ſed ſolius Lunæ; ſed ſi liceat profundius rimari ſacræ litteraturæ mentem, hunc nodum facile ſolues, ſi iuxta præfatam Ambroſij, & Bedæ ſententiam pomum prò vitali alimonia corporis, quam propoſuit Chriſtus hominibus epulandam, vſurpes. Nam Euchariſtiæ cibus fructus, & pomum eſt Solis, & Lunæ.

Euchariſtia cibus fructus eſt Solis, & Lunæ.

Hoc eſt Solis IESV, & Mariæ Lunæ, quæ firmamentum inferius, & ſuperius ſua luce clarificat. Luna Maria peperit iuſtitiæ Solem, cuius vterus clibanus ſpiritalis extitit, qui Spiritus Sancti flammis accenſus panem vitæ decoxit, & tanquam Regalis menſa Virginea panem cœlicum nobis in eſum propoſuit.

Luna Maria iuſtitiæ Solē, & vitæ cibū genuit.

Comedimus fructum, quem terra Virginea protulit, nullius peccati, aut hominis arata culturis, pomum pendens in arbore & ligno vitæ IESVS in Mariæ gremio, quod ſucco, ſanguine, lacteque cælitus veniente animauit, colorauit, candidum, & rubicundum dedit. Itaque ſolem æternum in animæ penetralia recondendum, gyrationes varias virtutum acturum in puro corde tanquam in cœlo ſuo Luna Maria dedit. Euchariſtiæ pomum fructus eſt etiam & opus Solis. Nam Sol Chriſtus in cœna, & amoris eximij ſympoſio feruentioribus fulminibus charitatis exæſtuans, verba conſecrationis operatoria tanquam igneos radios exufflans in panem, quem ſanctæ apprehenderant manus, panem terrenum in cæleſtem immutauit. Vnde LXX. interpretes à Deo acti, transferunt verba Moyſi: *Et à fructibus ſecundum horam ſolis conuerſionum.* Eos ſequitur Sanctus Ambroſius legens: *Secundum horam factam Solis curſus.* Quæ enim hora celebrior curſuum & circumgyrationum Solis æterni niſi illa de qua ait Ioannes cap. 13. *Sciens Ieſus quia venit hora eius vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.*

Euchariſtia pomum eſt ſolis Ieſu fructus.
Sol Ieſus charitate exæſtuans panē in cibū vitæ conuertit.
Lect. LXX.
Hora conuerſionis, & curſus mirabilis Solis Ieſu, hora fuit trāſitus ex hoc mundo ad patrem.
D. Ioan.

Hora in qua Sol ſiſtendus in Crucis ſolio, & firmamento: *A fructibus ſecundum horam Solis conuerſionum.* Fructus à ligno Crucis pendens, in qua hora Deus immortalis ſemper viuens vitam cum morte commutaret, particeps factus mortalitatis. Euchariſtia *fructus horæ conuerſionum Solis.* in qua communis panis & periturus tranſit in panem æternum, & Sol gyrum cœli circumiens coarctatur ad fructum, & micam panis; & panis vſitatus in corpus Chriſti conuertitur.

In hora tranſitus Ieſu Solis æterni de pane fit cibus vitæ.

In hac hora conuerſionum Solis pomum Euchariſticum, in quo ſunt abſconditæ Deitatis, & humanitatis deliciæ, candidum innocentia, rubicundum paſſione, tanquam ab arboris vitæ ramis, in ſacris Chriſti digitis dependebat. Iam tenes propoſitum theorema, Euchariſtiam eſſe pomum & fructum Solis, ac Lunæ.

Cum Ieſus panem conſecrat, de digitis, & manibus ſuis velut de ramis arboris vitæ pomum Solis pendebat.

Huic conceptui mirificè conſentiunt tranſlationes aliæ ex Hebraico fonte hauſtæ, nam pro verbo *pomus cœli.* Hebraicum denotat: *cœli delicias.* Tygurina Leonis Hebræi legit: *A delicatiſſimis & dulciſſimis fructibus Solis.* Et Vatablus in ſcholiis: *Propter delicias prouentuum Solis, & ob delicias influentia Lunæ.*

Ieſus pomum cœli deliciæ.
Lect. Hebr.
Tygur.
Delicatiſſimus & dulciſſimus fructus Solis Euchariſtia.
Vatab.

Cibus namque vitæ, cœli cœlorumque continet delicias, & ſtillicidia ſuauitatis, & gratiarum in corda mortalium fundit; in eo guſtatur tanquam in fonte mellea diuinitas, & humanitas omnem ſaporis continens dulcedinem; qui enim felleum acorem peccati reſpuit, in hoc epulo videt, & guſtat quàm ſuauis eſt Dominus. Forſan ex hoc loco ſuperſtitioſa gentium vetuſtas mirabilia quædam arborum & frugum Solis, ac Lunæ mutuarunt. Ea recenſent optimæ notæ auctores, Ariſtoteles in Epiſtola ad Alexandrum Magnum, Dionyſius Carthuſianus in cap. 33. Deuteronomij ſcribens: *De arboribus autem Solis, & Lunæ multa in geſtis Alexandri Magni leguntur, quæ arbores in extremis ſuperioris Indiæ, ſitæ dicuntur, atque altiſſimæ perhibentur. Ita quod Orientis Solis aduenientiſque Lunæ ſplendores primo recipiunt, quare fructus magnæ eſſe virtutis ſcribuntur, in tantum quod inde veſcentes vſque ad trecentos, aut quadringentos annos viuere aſſeruntur.*

De arboribus Solis, & Lunæ miranda prædicantur.
Ariſtot.
Dion. Cart.
Arbores Solis, & Lunæ Orientis Solis radios primò hauriunt.

Eadem ferè recenſet doctiſſimus Abulenſis in tertium decimum caput Geneſis, quæſtione 166. & ſubdit: *Sacerdotes autem qui ibi erant vtentes pomis arborum Solis & Lunæ quadringentis annis viuebant illæſi.*

De fructibus arborum Solis, & Lunæ comedentes, vſque ad quadringentenos annos vitam protelabant.
Abul.

Pomum autem noſtrum arborum Solis ac Lunæ non ad quadringentos annos epulantium vitam protelat, ſed æternitati corpora animoſque conſecrat, & in æuum feliciſſimum nuſquam terminandum viuere facit. Ideo in Moſaïco carmine illud adiungitur: *De pomis collium æternorum.* Vatablus legit: *Delicias collium æternorum.* Nam montes ſanctitate conſpicui, & ſublimes, & colles inferioris altitudinis ex hoc pomo participes fiunt æternitatis: *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Ioannis capite 6. annos æternos in mente & ſpe habet, iam in ſe ipſo poſſidet pignus æternitatis.

Pomum Solis, & Lunæ Ieſus æterna vitæ annos confert.
Ieſus pomum collium æternorum.

7. Excitata iurgia inter Saram, & Agar vt Abraham ſopiat, exulare cogit de domo ſua ancillam; confertque ei ad itineris & peregrinationis ſolatium panes, & vtrem aquæ. Geneſis cap. 21. verſ. 14. *Surrexit itaque Abraham mane & tollens panem, & vtrem aquæ impoſuit ſcapulæ eius, tradiditque puerum & dimiſit eam.*

Panem, & vtrem aquæ exhibet Abrahā exulanti ancillæ pro viatico.
Geneſ.

Miror Abrahamum hoſpitalitatis, & miſericordiæ clarum inſignibus inhoſpitalem & immitem erga ancillam extitiſſe. Cur Agar non onerat ſcapulas vtre vini, & farcinulis onuſtis petaſone, eſculentis variis, & carnibus, quæ erranti fœminæ per ſolitudinem omni ſolatio deſtitutæ poſſent eſſe ſubſidio, ad vitæ ſuſtentaculum, & pupuli Iſmaelis oblectamentum? Ampliſſimæ enim, & refertiſſimæ eſculentis, & poculentis erant apud domum diuitis Abraham penuariæ cellæ, ex quibus promptuariis ſubuenire poſſet patria prouidentia egeſtati ancillulæ errabundæ per campeſtria; præſertim cum ſplendidum conuiuium, & epulum in ablactatione Iſaac paulo ante præceſſiſſet, cuius analectis redimere poſſet in Agar famis ærumnas.

Cur nō dedit Abrahamus de penuaria, & diuite cella vinum, & carnem.

Non caret myſterio hæc Abrahæ parſimonia in dura tractatione ancillæ. Ea enim ſynagogam exprimebat à domo Dei exulantem, orbam alimento vitæ, ſecum deferentem non vinum, ſed aquam, quæ ſolatium ſolet eſſe morientium. Audiendus eſt Sanctus Ambroſius tomo 2. in caput primum Iſaiæ; *Sicut in vini viribus Eccleſia honoratur, ita & cum aqua vtre ſynagoga proijcitur. Nam illa Agar quæ typum ſynagogæ geſtabat, vtique cùm eijceretur, non cum vino, ſed cum vtre aquæ de tabernaculis effugatur;*

A domo Domini ſynagoga exulat, ſecum deferēs aquam, quæ ſolet eſſe morientium ſolatium.
D. Ambr.

tur. Certe domus Abrahæ erat diues, locuples, abundans; attamen non vinum, non oleum, non panem accepit, (sic opinatur singulariter, & præter vulgatam Ambrosius) *quæ sunt vitæ alimenta firmissima. Et rectè vitæ synagoga alimenta non accipit, quia vitam quæ est Christus ignorat: aqua sola æger protrahitur, languidus sustentatur. Conueniens enim erat, vt quæ viuentis non merebatur alimoniam, vel solatium morientis acciperet.* Non est apud synagogam vinum cælestis alimoniæ, quæ vitæ vires confert æternæ; sed aqua, quæ spiritum iam efflantibus momentaneum præbet oblectamentum, quæ cum febri æstuantibus fitis ardorem ad tempus refrigerat, quæ morborum humores exacuit, & caloris noxij flammas reaccendit, vt ossium medullas penetret, vitalia depascat, mortem inuehat. Habet synagoga aquam in extremo vitæ halitu solatium, non pignus, & adiutorium vitæ, sed suffragium mortis. Habet Ecclesia vinum, & mustum quod feruentiores reddit pro virtute dimicantes, quod præuenit à titubantia, & lapsu criminis, quod denique viuidos igniculos creat in animis, iisque excitati assurgunt ad regni æterni participationem.

Synagoga alimenta vitæ non accipit, quia vitam quæ est Christus ignorat. Non accipit viuentis alimoniam, sed solatium morientis.

Apud Ecclesiam Christi vinum redũdat, quod viuidos igniculos creat.

8. Mitior Deus cum mancipiis, & ancillis extitit, nam Deuteronomij cap. 15. vers. 12. extat hæc lex pro emptitiis Hebræis: *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum: & quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris: sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.* Iam in miseris prouidentior cura refulget, & gratia benedictionis vberior redemptis, cum libertate donantur soluto seruitutis iugo, ad subueniendum egestati opulentum viaticum secum portant, agnum, panem, vinum. LXX. interpretes locuti sunt apertius: *Viaticum suppeditabis ei ex ouibus tuis, & ex frumento tuo, & ex vino tuo.* Hæc sunt integra alimenta naturæ, quæ hominem famelicum, & illius substantiam fulciunt, munifica largitio panis cum obsonio, & vino lætificante, & confortante corda. In quibus omnibus mysterium redemptionis, qua homo erutus de potestate tenebrarum, & in filiorum Dei libertatem assertus, & viaticum panis Eucharistici, quo stabilitur ad æternitatem, adumbratum censet Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 7. de adoratione: *Cùm nos liberos dimisisset, id est à peccatis liberasset, & adoptionis gratia decorasset, præclarum nobis viaticum se ipsum adiecit, vt immaculata hostia, & vt ouis ad victimam propter nos ductus, largitusque vt viuifica benedictionis, id est sanctæ suæ carnis, ac sanguinis participes essemus.* Cernis quanto munificentior IESVS cum emptitiis, & ancillis existit, quàm Abraham. Ille orbat exulantem synagogam viuificis naturæ stabilimentis, vino, & aliis esculentis; at IESVS suis captiuis erutis de iugo criminis ferreo, & de potestate tenebrarum, apponit mensam, conuiuium parat eximiis refertum dapibus, agno, pane, & vino, hoc est sanctæ & immaculatæ suæ carnis, & sanguinis participatione & benedictione. Optima hæc, & opima vitæ fulcra, & viatoribus fercula, quæ stabilimentum præbeant, & robur firmissimum gradientibus per huius sæculi salebrosas conualles, & introducant in terram viuentium. At synagogæ Iesum respuenti, verum Isaacum, & risum nostrum insectanti, poculum exhibetur morientium, quia robur, & vegetationem de diuino musto adiicere non præsumpsit animo suo languenti, quo iam anhelans, & animam agens protelaret spiraculum vitæ, & iucundos spiritus adiungeret æternæ. Auet tormentum mortis, quæ vitam respuit. Congruenter ergo dicebat Ambrosius: *& rectè vitæ alimentum synagoga non accipit, quia vitam quæ est Christus ignorat.* Non mirum ergo quod Isaias asserit in persona Iudæorum: *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.*

Deuter.

Serui emptitij cum redimuntur, opulentum viaticum panis, carnis, & vini secum portant.


Lect. LXX.

Eucharisticũ viaticũ carnis, & vini cælestis donatur à Christo redemptis.

D. Cyr. Alex.

Iesus in Eucharistia præclarum nobis viaticum seipsum dedit, & viuificam benedictionem contulit.

D. Ambr.



In domo mea non est panis.

DISCVRSVS VI.

Non promeretur principatus insignia, cui non suppetunt largitionis panum suffragia.

1. ÆQVO iure recusat imperium vir prudens apud Isaiam semel, & iterum requisitus, & coactus, quia vndequaque cinctus ærumnosa egestate, non præualens ex vrbe expellere inopiam, inuehere in domus suæ munificentiam splendidam in panibus, qua subueniat indigentibus, claro diademate, regnique trabea exutum verticem suum cernit, nec promereri diadema, & sceptrum liberalitate decoratum honorificentiori nimirum imperij paludamento. Transactis in Ægypto annis vbertatis; & egestatis ærumnosæ tempestate adueniente, ad Pharaonem populi confluunt, vt inopiæ subleuet infortunia. Genes. cap. 41. vers. 55. *Clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens.* Hebraicè est: *Clamauit ad Regem pro pane.* frumentaria subsidia non ab œconomo aulæ Regiæ perrequirunt, vt aperiat triticeas cellas, & exponat grana in horreis recondita; sed accurrunt ad Regem, vociferationibus eum, & clamoribus petunt, & vndique cingunt. Quæ verba expendens Oleaster, ait: *Mirum valde est, quod ad Regem, vt panem præberet, irent: Vt hinc Reges discant non esse tam Domini, quàm parentes omnium suorum, & curent temporalia etiam suis administrare, & vereantur Christiani Reges hæc negligere, videntes hæc gentilem curasse. Vnde apud Isaiam cap. 3. legis: indumentum tibi est, princeps eris nobis. Et iurabit in die illa; non ero Dominus, & in manu mea non est panis. Noluit ille esse princeps, quia non habebat ad dandum. Vt eos ostendat non debere reges esse, qui nihil dant.* Famelicus populus muneris sui admonuit

Genes.

Ægyptius populus clamabat ad regem pro pane.

Oleast.

Reges non tã domini, quam parentes, & curatores subditorum ad alimoniam.

Apud Isaiam noluit esse princeps, qui non habebat, quid donaret.

Non debent esse reges, qui nihil dant.

admonuit Regem, vt in extrema egestate famis subleuaret ærumnas, & refertas manipulis apothecas effunderet in sinus pauperum. Et iure iuxta Hebræum Pharao coronatur Regis insignibus panem indigentibus præstaturus: *Clamauit ad Regem pro pane.* Nam sicut alimenti largitio regium munus, & decus exornat, ita miseria & illiberalitas, imperialibus infulis principem exauctorat: *Vt eos ostendat non debere Reges esse, qui nihil dant.*

Ornatur Pharao regis insignibus panem indigentibus præstaturus.

2. Ex munificentia voluit Deus ostendi omnipotentiam suam, & ex hominum pastu suam diuinitatem demonstrari. Reor lectori fore periucundum, si memoriam refricet mirabilis illius IESV panum multiplicationis in solitudine operatæ. Ioannis cap. 6. vers. 9. *Est puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* Et vers. 10. *Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.* Quem locum perpendens Tertullianus, ad adstruendum Christum Deum & Creatorem, aduersus Marcionem intorquet lib. 4. cap. 21. *Pascit populum in solitudine, de pristino scilicet more. Aut si non eadem & maiestas, ergo iam minor est Creatore, qui non vno die, sed annis quadraginta: nec de inferioribus materijs panis & piscis, sed de manna cælesti, nec quinque circiter, sed sexcenta hominum millia protelauit.* Quod cibat quadraginta annis in deserto populum ex paratura cælestis panis, & vitam prorogat sexcentis hominum millibus, & de materia terrestri & aquatili exigua alimenta præbet in deserto quinque millibus, ostentatio est diuinæ maiestatis & creatricis dextræ, cuius nutui cælestia, terrestria parent omnia. Nec dissimilia miracula edidit in conuiuio populi contumacis, & fidelis: nam eamdem potentiam ostentauit sectantibus ductum nubis, & columnæ, & sequentibus vestigia Saluatoris ascendentis in montana trans mare Tiberiadis. Ibi secundum Euangelium Lucæ cap. 9. accepit panes & duos pisces: *Respexit in cælum & benedixit illis, & fregit.* Albertus Magnus mirifica quædam & singularia manuum Dei miracula discernit. Hæc enim superaddit Euangelicæ narrationi, & prodigio diuino alia quamplurima coacervat, & inibi latitantia in apertam lucem profert: *Et hoc est miraculum quod pauci aduertunt: quod ex eodem genere cibi, & paruulis conuenientia, qui tamen liquidum desiderant cibum, & maturioribus competentia, qui solidum cibum requirunt, & infirmis, qui gratia curationum sequebantur, qui leuem quærunt cibum, ab infirmo stomacho vincibilem, exhibuit. Et quod desiderio naturali, vnicuique saporem, quem desiderauit, præsentauit. Sapient. 16. voluntati vniuscuiusque eorum deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur.* Iuxta captum, & nutum insequentium Christum mirabile præstabat obsequium panis hordeacei, & piscis fragmentum, sese accommodans appetentiæ, aut egestati comedentis, renouans prodigia diuina primitus experta in manna, à populo ad Palæstinam peregrinanti; cum cibus leuissimus de cœlo super arua implutus vniuscuiusque famulabatur voluntati, naturam delicatioris cibi, & dulcem saporem reddebat iuxta varium accipientis arbitrium. Si panis ille de penuaria cella nubium, aut ætheris per manus Angelicas conditus omnem saporem, & omnis suauitatis dulcedinem exhibebat gulæ Iudaicæ; quid non præberet panis, manu potentiori, & munificentiori Creatoris attactus, & pinsus, multiplexque redditus, variaque dulcedine fœcundus, de suauissimæ Deitatis influxu, quæ vbertim stillabat mirificam virtutem, & dulcedinem per digitos, & manus? Pusionibus, lactentibus, & infantibus minutioris ætatis, nectareum & mellitum succum largiebatur sapidiorem supra lactea stillicidia maternorum vberum: languidorum turbæ spe sanitatis anhelanti, hordeaci panis frustum & piscis spolium reddebat saporem perdice, phasiano, fartis turturibus gratiorem, palatumque demulcebat supra omnia gulæ irritamenta, aut dulciora bellaria. His omnibus iuxta Tertulliani sententiam: *Eadem & maiestas.* Arguitur, in nouissimis & pristinis temporibus, & munificis facinoribus; Et ad ampliorem dissertationem aduersus Marcionem adducit textum ex lib. 4. Regum cap. 4. vers. 42. *Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei* (nempe Eliseo) *panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua. At ille dixit: da populo vt comedat. Respondit que ei minister eius: quantum est hoc vt apponam centum viris? Rursum ille ait: da populo vt comedat: Hæc enim dicit Dominus, comedent & supererit. Posuit itaque coram eis: qui comederunt, & superfuit iuxta verbum Domini.* Tertullianus proximè relatus legit: *Quid ego hoc dem in conspectum centum millibus hominum?* Et hæc verba subiungit: *O Christum & in nouis veterem! Hæc itaque qui viderat Petrus, & cum pristinis comparârat, & non tantum retro facta, sed & in futurum iam tunc prophetantia recognouerat, interroganti Domino quis nam illis videretur, quum pro omnibus responderet: tu es Christus: non potest non eum sensisse Christum, nisi quem nouerat in Scripturis, quem iam recensebat in factis.* Alludit Tertullianus ad textum Euangelij Diui Lucæ cap. 9. vbi recensita serie, & dispositione miraculi multiplicationis panum, statim IESVS sententiam discipulorum, & iudicium explorat circa suam Deitatem. Ibi vers. 8. *Quem me dicunt esse turbæ?* Et relatis multiplicibus aliorum opinionibus, vers. 20. *Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei.* Ex quibus perspicuè patet intelligentia Tertullianici conceptus: *Hæc qui viderat Petrus, &c.* Ex tali namque prodigio excitatus est Apostolorum coryphæus ad adstruendam strenua animositate Christi diuinitatem. Licet enim hac cælesti disciplina agnitionis Dei iam Petrus esset imbutus, & tot portentis à Christo patratis confirmatus ad tantæ fidei professionem; attamen supremus Magister Iesus, qui omnia disponit suauiter, hoc tempus obseruauit, vt in opipara mensa deserti, saturatis tot hominum millibus, ipsumque Regem & Saluatorem mundi acclamantibus, & ad Regium culmen iam in pio suæ voluntatis proposito rapientibus, & extollentibus, interiora pectoris Petri scrutaretur arcana; & Apostolis rogatis quid vnusquique de Christo

Suam diuinitatem adstruit Dominus de hominum pastu. D. Ioan.

Tertul.

Mos Dei pristinus, populū in solitudine pascere.

Diuinæ Maiestatis ostentatio, panis in deserto paratura.

D. Lucas.

Albert. Mag.

Manuum Iesu panes distribuentium prodigia.

Paruulis delicatum, grandioribus solidum cibum dedit, & infirmis delicatum.

Cuiuscunque appetitui, cibi sapor diuersus mirabiliter inseruiebat.

Tertul.

Viginti panes hordeacei, virtute Elisei alunt centum millia hominum.

Tertull.

Christi conuiuiū in deserto præfigurabatur.

Ex panum distributione mirabili, & hominum pastu deitatem Christi Petrus agnoscit, & prædicat. D. Lucas.

Tertul.

sto

sto sentiret, ipse ore omnium responderet, & expulsa omni tergiuersatione anteiret deuotionis studio, qui omnibus antecellebat dignitate, & fluenta cœlestis eloquij, quæ de pectore Patris altius biberat, eructaret, vocemque ederet tuba clariorem: *Tu es Christus filius Dei viui.* Quæ omnium hæreticorum confunderet perfidiam, & tartareas dæmonum caligines disturbaret. Repete postremam Tertulliani sententiam: *Cum pro omnibus responderet tu es Christus, non potest non eum sensisse Christum, nisi quem nouerat in scripturis, quem iam recensebat in factis*; nimirum multiplicationis panum, quem in miraculo Elisæi tanquam in vmbra præcognouerat, & in prodigio, quod oculis viderat, manibus contrectauerat, quinque hominum millium comedentium in saturitate, in deliciis panis, & piscis nutritorum, præsentem intuebatur. Ex hoc enim facto vberius lumen affulsit fidei, ex multiplici pane maiorem sumpsit audaciam, & robustiora virtutum incrementa, vt coram tyrannis, & Regibus, ignes, rotas, & gladios minantibus, intrepidus profiteretur, quod coram vndecim testibus, & Christo deuotus fatebatur. Cernis ex panibus mirabilem Christi gloriam subsequutam, Regem, Dominum, Messiam, Veri Dei progeniem à Petro, & collegis proclamatum? Viderant cæcos illuminatos, leprosos mundatos, febres, & dæmones expulsos, mortuos suscitatos, expectauit Deus mensam in deserto parare, vt esset in Petro incitamentum ad annuntiandam Christi diuinitatem; professio enim tam eximia regni, & Dominatus Christi, panum largitioni parabatur.

Tertull. *Petrus Iesũ in scripturis predictum, recognoscit in alimoniæ factu.*

Ex panibus mirabilis Christi gloria subsequuta.

3. Amplissimis promissis suspensos tenuit animos Iudæorum ad Palestinam pergentium Moyses, cum Exodi cap. 16. vers. 6. scribitur: *Dixerúntque Moyses, & Aaron ad omnes filios Israël: vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & manè videbitis gloriam Domini.* Quæ autem sit gloria Domini eodem loco subiungitur vers. 10. *Cúmque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem, & ecce gloria Domini apparuit in nube.* Iam nube lucida obumbratus, & tanquam indumentis gloriæ vestitus apparet in solitudine, quia in deserto mensam paraturus, & pasturus tot hominum & fœminarum cateruas, & gloriam, & maiestatem Domini apparituram spoponderat summo manè, aut exoriente Sole; quo ergo ex facinore magnificentia Domini illuxit, & principatus insigne? statim indicat textus sacer vers. 12. *Mane saturabimini panibus, scietisque quod ego sum Dominus Deus vester.* Gloria Domini ex panibus resultat. Dei Dominatus ex saturitate, & hominum refectione diuinum accipit præconium. Origenes citatus in catena Exodi legit: *Mane videbitis gloriam, maiestatem.* Et subiungit: *Haccine est in quo agnosci Deum ponitis, & maiestatem Dei dicitis apparere, si panes sine carnibus comedantur.* Et statim: *mane replebimini panibus.* Hæc est gloria Domini si pauperes abundent esculentis, hæc maiestas Domini si eis præbeat alimenta. Hæc magnificentia diuina & Regius splendor famelicos saturare panibus.

Exod. *Saturitas populi Israëlitici proueniens ex panibus, gloria Domini nuncupatur.*

Orig. Cat. Exod.

4. De Ecclesia Euangelica percelebre vaticinium promulgauit Isaias cap. 60. vers. 16. *Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis.* Proponit Ecclesiam primitiuam vt teneram iuuenculam alendam tanquam nutritiæ, & gerulæ lacte, copiis gentium, & facultatibus Regum velut vbere delicatè, & deliciosè sustentandam. Quare Glossa Lyræ sic verba expendit: *Ab eis accipies nutrimentum.* Et Diuus Hieronymus versionem illustrans LXX. *Diuitias Regum comedes.* Hæc verba subiungit: *Quæ diuitiæ secundum Hebraicam veritatem vbera sunt Regum, atque Doctorum, quibus nascentium in Christo eruditur, & nutritur infantia.* Sed mirum valdè est nutritios, & altores Vatem nuncupare Reges: Numquid omnes principes, numquid omnes Reges, vel diademate cincti, aut imperialibus infulis clari, qui Ecclesiam suis copiis ditarunt? Alij quamplurimi inferioris ordinis, & dignitatis Ecclesiam de suis fortunis, & prouentibus reddiderunt opulentam. Fateor tanquam cumulum gloriæ, & mirabilem accessionem ornatus positam dictionem illam: *Mamilla Regum lactaberis.* Vt prædiceret fideles etiam à potentioribus subsidium accepturos. Sed si verbum amplifices, altores omnes nuncupat Reges à munificentia largitionum, & fortunarum copia, qua pauperibus alimoniæ subsidia conferunt. Si enim eos, qui in vinculis clausos, & esurientes, & sitientes visitant, cibant, & potant, IESVS reges nuncupat coram Angelis suis, & tales reges, quibus regnum donet æternum: *Venite benedicti Patris mei possidete regnum*, &c. Mirum non est si regalibus ornamentis illustrat eos, qui Christo dicatis gregibus præbent alimentum. Nec dissonum est principes appellare nutrices, quæ distenta vbera paruulis immulgeant, & eorum ori lacteum succum instillent. Genesis cap. 47. vers. 12. Iosephi prouidentia, & pietas celebratur erga parentes & domesticos: *Et alebat eos, omnemque domum patris sui, prabens cibaria singulis.* Pagninus legit: *Alebat eos quemadmodum alitur paruulus.* Oleaster accuratius: *Prabens panem ad os paruuli.* Adagiúmque expendit dicens: *id est prabendo panem fratribus & domui: ac si essent paruuli: aut quemadmodum dari solet paruulis ad os, id est, cùm petunt, ac si dicant: saturauit eos. Solent enim paruuli frequenter comedere: vt opus sit parentes quasi semper ad manum panem habere, ad porrigendum illis.* Quo loquendi modo in prouida curatione principis indulgentiam, & tolerantiam matris ostendit, quæ nec repetitis, & importunis postulatis, & exactionibus panis fastidit, nec exhauritur tot votis penu clementiæ, vbi affectus charitatis exuberat, quinimmò gloriosum ducit onustas portare manicas bellariis, & panis frustis, quibus ora repleat gannientium parvulorum. Iure ergo Isaias Reges appellitat nutrices, & nutrices nuncupat Reges.

Isai.

Glossa. D.Hieron. Lect. LXX. *Nutritios, & altores Ecclesiæ, reges vocat sacra pagina.*

Principes appellantur populi nutrices.

Genes.

Pagnin. Oleaster. *Ioseph populi altor prabebat panem quasi ad os paruuli.*

5. Nec tanquam tædiosi misericordiæ pauperum dimittamus Iosephum, cuius pietas litteris sacris memoria commendatur æterna, eámque Ambrosius exaltat diuinis præconiis: vt rubore suffundat auarum diuitem, cui abundabant tritico horrea referta, adeò tenacem vt grana dispersa in sinum pauperum peruenire formidaret: Et vt suæ animæ conflaret interitum, & æternas ærumnas, parabat dissipare horrea. Opponit Mediolanensis Antistes Pro-

D.Amb.

Princeps Ioseph voce magna vocabat pauperes ad frumentum, & panes.

regis Ægypti liberalitatem: *Imitabo sanctum Ioseph humanitatis prædicatione, clamabo voce magna: Venite pauperes, edite panes meos, expandite gremium suscipite frumentum.* libro de Nabuthe c. 7. quid hæc pietas fœcunda copiarum, fœcundior virtutis, & clementiæ asportauerit eximio principi, inuestigare non erit indecorum. Eius in cœlo immortalitatem, & gloriam, qua donatus est dispensator fidelis, cœlicolis agnoscendam relinquimus; de felicitate, quam in hoc sæculo est adeptus, & fama perenni, quæ per omnium ora circumuolitans celebratur, nonnihil disceptandum.

Triumphalis currus, & diadema Ioseph merces largitionis panum.

Interpretato Pharaonis ostento, & patefacto arcano Dei consilio, fecit eum ascendere super carpentum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, & præpositum esse scirent, vniuersæ terræ Ægypti, & regalibus infulis gloriosum. Genesis cap. 41. Hæc merces, hoc coronamentum est prouidentiæ liberalis, qua fame periclitantibus subuenit. Audiendus est Cassiodorus lib. 5. variarum capite 3. describens præfecturam prætorianam, de Ioseph verba subiungit: *Cum Pharao Rex Ægyptius de periculo futuræ famis inauditis somniis vrgeretur, nec visionem tantam humanum posset releuare consilium, Ioseph vir beatus inuentus est, qui & futura veraciter prædiceret, & periclitanti populo prudentissimè subueniret, &c. Ad hoc gloriæ culmen euectus, vt per sapientiam conferret populis, quod præstare non potuerat potentia dominantis.*

Cassiod.

Ioseph periclitanti populo ex panis inopia, prudenter subuenit.

Contulit alimentum per sapientiam, quod præstare nō valuit potentia dominantis.

Ioseph ab imminenti famis excidio Ægyptū eripiens saluator mundi nuncupatur. Rupert.

Amplissimis decoramentis principatus ornatur, & carpentum Regium reuerendus ascendit, quia famis impendentibus periculis, populum eriperet largitione panis. Adhuc Pharao adiecit maiora ornamenta gloriæ. ibidem vers. 45. *Vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi.* Pulchrè Rupertus lib. 8. in Genesim cap. 40. rationem præclaræ nuncupationis assignat: *Appellatur lingua Ægyptiaca Saluator mundi, eo quòd ab imminente famis excidio orbem terræ liberauerit.* Quàm longam, & amplificatam benedictionis vsuram largitio panis vsurpat. Famis subuentio facta est in tota terra Ægypti, & vniuersis terminis eius, & ad Chananæos peruasit, & dicitur vniuersum orbem redemisse, vt amplitudo gloriæ, quæ ex clementia redundat, non compensetur ex factis, sed reddatur superior; sed superet, & mensura maiori celebritatis remetiatur Iosepho, quàm fuerat tritici mensura.

Abundantior gloria quàm tritici mensura donatur Iosephus

Illud adiice liberalitatis fontem non esse constrictum tam exiguis limitibus, sed ad vniuersum orbem scaturientem peruadere, & vberrimos latices fundere ex affectu largitoris, si vniuersas orbis plagas premeret famis ærumna. Huius tamen egregia benefacti memoria altissimas radices fixit Ægyptiorum animis, ad cuius perpetuitatem, & gratitudinem dicatum Iosepho benefactori monimentum, & seruatori erectum simulacrum modio tritici coronatum. Hoc testatur Iulius Firmicus libro de Errore prophanæ religionis capite 14. *Huic post mortem Ægyptij patrio Gentis suæ instituto templa fecerunt. Et vt instam dispensationis gratiam posteritas disceret, quo modio esurientibus, frumenta diuiserat, capiti is superpositus est.* Postea addit: id inuito, immo mortuo Iosepho accidisse, neque enim huic supersti-

Delubrum Iosepho erigitur, illiusque simulacrum modio coronatur. Iul. Firm.

tioso facinori religiosus Iosephi animus, & Deo summo dicatus annueret, vt erroris illecebras ex nominis sui celebritate superstitiosis hominibus ipse præberet, cùm ei esset compertum diuini numinis honorem hominibus conferre, sacrosanctis legibus esse prohibitum. Si verò ob Iosephi venerabilem, & gratam memoriam, erecta statua, ab omni superstitioso cultu suspenderent animos, & liberalis principis in titulo commendarent munera; rectè ornarent caput Iosephi modio triticeo, quia possessorem principatus præ omni regali coronamine ornat prouida largitio panum facta esurientibus.

Cur in Sancta Sanctorum arca introducta? Guill. Petr. Pal.

6. Perquirit Guillelmus Exodi capit. 37. Cur Dominus introduci iussit in adyta, vel in sancta Sanctorum arcam? Et respondet dubio 3. ex Petro Paludano Ierosolymitano Patriarcha: *In ipsa erant tria, primo quidem virga, quasi pro sceptro regio: Secundò, tabula, quasi pro lege regia: Tertiò vrna mannæ quasi pro cellario victualium domus Regiæ.* Vniuersi Imperator Deus intra aulæa templi, & sacraria solis Sacerdotibus peruia, regiam munificentiam, prouidámque potestatem ostentabat.

In arca inerat cellariū domus regiæ.

In virga pastoris pium affectum, vigilantem solicitudinem sceptrum regium, & clauum, quo cœlestia, terestria moderatur: legis tabulas digito Dei scriptas, iuxta cuius sanctiones, & normas obseruantiam mandatorum exigeret, & aut puniret errantes, aut obseruatores mercede donaret. Est enim virga, qua minatur delinquenti, est manna dulcedinis fructus legis obseruatæ: Est sceptrum regale, benè enim seruatis ritibus, & præceptis Dominicis Dominus coronatur, & suæ gloriæ amplificat decora: at iuxta præclaram Paludani, & Guilielmi protheoriam, manna denotat penuariam, & regiam prouidentiæ Dei cellam, ex qua deprompti panes cœlitus dati, vt alumnos suos, & clientes in deserto aleret, & maternis visceribus delicatè, & deliciose nutriret filios suos. Horum omnium intra adyta erat in arca monumentum; vt summus Sacerdos ad preces, ad expiationes ingrediens, aut suffitum, memori mente grates persolueret Deo. Iuxta sceptrum regium, & imperij coronamen Deus cellariam panis adiunxit, vt principes erudiret eorum dominatum non tam fulgere infulis imperialibus, quàm panibus, & largitionem panis munificam haberent pro sceptro, & diademate; nec promereri principatus insignia, cui non suppetunt in datione panum suffragia. Iure ergo apud Isaiam ille respuit principatum qui dicebat: *In domo mea non est panis nolite me constituere principem populi.*

Virga minatur trāsgressoribus legis; manna dulcē fructum largitur eam obseruantibus.

Penuaria, & regia Dei prouidentia cella in māna indicatur.

Largitio panum munifica pro sceptro, & coronamine regio debet esse principibus.


***

Non

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Non sum medicus, & in domo mea non est panis.

In Ecclesia Christi est medicus, in cuius domo est panis, & vestimentum Beatus Ioannes Dei, qui hæc verba affirmatiuo sensu vsurpat: sum medicus, & in domo mea est panis: constituit me Dominus principem & curatorem populi languentis, patrem misericordiæ, Patriarcham Hospitalitatis.



SÆPE sæpius annotauimus supra virorum insignium munera, quæ à synagoga Deus abstulit, ad Ecclesiam Christianam transtulisse. Id enim in versiculis antecedentibus demonstrauimus; quare cum misericordiæ principes, qui subuenire possent indigentibus à synagoga defecerint; iis Ecclesia Christi abundauit. Inter quos primas tenet Ioannes Dei cognomine celebris, misericordiæ pater, pietatis, & charitatis rex, Hospitalitatis insulis clarus, qui ærumnosos ægrotantes suo fouet gremio, & communi suscipit hospitio: Verè curator animorum, & corporum, in cuius domo pauperes abundant panibus, ægrotantes medela, & lectulo. Huic sacro Heroi, Hospitalitatis parenti, subsequentes iure dicantur discursus.

Beati Ioannis Dei magnalia prædicantur.



DISCVRSVS VII.

Potentissimus Ioannis Dei humerus debiles sustentans, qui non solum peccatores, & languentes pauperes, sed ipsum Deum portat.



1. HVIVS sanctissimi viri laudationum vnde auspicabimur exordium, quàm ab ore aureo ex quo tot margaritæ quot verba effluunt dum alium heroem inclytum misericordiæ virum omnibus ornamentis charitatis præclarum commendat, nimirum Iob in cuius capite 29. vers. 15. hæc pietatis inscriptio, & monumentum ære perennius posteritati donatum est: *Oculus fui caco, & pes claudo.* Quem locum in catena Græca dum parens eloquentiæ perpendit, & simulacrum hospitalitatis in Iob describit, imaginem viuam, omnem opem impensam pauperibus spirantem, in Ioanne Dei exprimit, ad amussim detornatis sententiis: *Cuiusmodi igitur hic fuit, cum locuples esset, communis omnium portus, communis omnium pater, communis omnium medicus, imò verò quam medicus potior, ipsum enim dicentem attende. Oculus eram cacorum, pes autem claudorum. Vides quemadmodum is pro natura melior quidam quàm quiuis medicus eorum hominum curator fuerit, qui manci, membris capti, ac debiles erant.* Quibus Chrysostomi verbis alia Magni Gregorij libens subiungo ex lib. 19. moralium cap. 14. *Oculus fui caco, & pes claudo. Hac etenim dicens profecto indicat, quia & illi per semetipsum manum prabuerat, & hunc portando sustinebat.* Hæc portatio apud Iobum mirabilis fuit, si subleuatos de stercore, & luto debiles suis humeris sustinens ad domus suæ hospitium detulit: si verò per augesim ad amplificandam Iobi pietatem dicta, iuxta tenorem litteræ videantur, vt exponunt interpretes, quia vniuersarum ægritudinum erat curator, & sanitas; & omnium membrorum ægrotantis corporis vicem gerebat, cùm omnibus calamitatibus subsidia impendebat, dans languentibus medelam, & panem, & verba consolatoria animis, quæ totius solent esse leuamen ærumnæ. Iobo nostro patrique pauperum dulcis oneris claudorum, & infirmorum corporea portatio reseruatur, mutilatos pedibus ac debiles ac penè exanimes super scapulas suas eleuatos, & applicitos, ipse vicem gerens gestatoriæ, & curulis sellæ, & carpenti triumphalis, in suum vehebat alacriter xenodochium. Sed verba Chrysostomi ad calculum reducenda. *Cuiusmodi igitur hic, (nimirum Iob,) fuit cùm esset locuples.* Hoc aurei alloquij pater in Iob iure miratur, qui diuitiis affluebat, tu verò mirari desine, & omnem admirabilitatem Ioanni Dei serua, vniuersa illa opera impendenti, cùm esset oppressus egestate. Ea verò quæ subiungit: *Communis omnium medicus.* Placidè adaptabis viro, qui argumentum est nostræ laudationis. Et clarè prospicies quam aptè illud comma Isaiæ in affirmatiuo sensu sibi vsurpet: *Sum medicus, & in domo mea, est panis.* Quod synagogæ Deus pernegauit, Ioanni Dei detulit.

Iob. D Chrysost. Cat. Græc.

Iob pater pauperum, communis omnium portus, & omnium languentiũ medicus.

D Greg. Mag. Iob manum porrigebat caco, humeris portabat claudos.

Ioannes Dei debiles, & claudos super scapulas vehit ad hospitalem domum.

Pauper, & egenus Ioannes pauperibus abunde subuenit.

Communis omnium pater, & medicus.

2. Promiserat Deus Dauidi imperij sui dilatationem Psalm 59. vers. 8. *Lætabor & partibor Sichimam.* Quæ verba perscrutatus Aurelius Augustinus, quo solet ingenij acumine expendit iuxta interpretationem verbi *Sichimam*, quod ex Hebræo vertitur, *humerus.* aitque Dominum IESVM, quem Regius Psaltes referebat, onera portanda fidelium humeris diuisisse. *Sichima humeri interpretantur, quomodo diuidit humeros? Vt alios grauent peccata sua, alij tollant sarcinam Christi: alia sarcina premit, & aggrauat te, Christi autem sarcina subleuat te. Alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet.* (Affert auctoritatem Christi apud Matth. capite 11. vers. 30. *Et onus meum leue.* Legitque: *& sarcina mea leuis.*) *Ferant illam qui volunt, & inuenient quàm sit leuis, quàm suauis, quàm iucunda, quàm rapiens in cœlum, & à terra eripiens.* Quæ autem sarcina leuior, & iucundior quàm Christum in paupere baiulare. Hæc sarcina non deprimit ad terram, sed euehit ad cœlum. Nec iniucunde Augustini argutias adaptabis Ioanni Dei, quem charitas formauit mortuorum portitorem, languentium vehiculum. Cum quo Dominus IESVS suos diuisit humeros: *Sichima humeri interpretantur. Quomodo diuidit humeros?* Verè Dominus noster lãguores omnium

Psal. D August. Sichima humerus interpretatur, & quare? Alij tollunt onus peccati, alij portant sarcinam Christi. Alia sarcina pondus habet Christi sarcina pennas habet. Sarcina Christi à terra eripit, & in cœlum rapit. Leue pondus Christus baiulatus in paupere Iesus cũ Ioanne Dei suos humeros diuidit, cum ipsũ admittis consortẽ baiulatorem pauperum.

Digitized by Google

nium tulit, dolores, & dolentes portauit. Hos humeros baiulatores languentium cum Ioanne diuidit, cum eum admittit in consortium laboriosæ portationis, socium leuaminis ęrumnosi, coadiutorem pietatis. Atlas ille cœlestis, & supremus moderator, qui suæ potestatis humeris naturæ humanæ molem ponderosam tot ærumnis, & languoribus aggrauatam sustinet super huius Gigantis scapulas imposuit, vt tolerantia alienarum passionum Dei vicem gereret dolens, & gemens pietatis affectu egenorum gestaret ærumnas. Cum Ioanne Dei Deus charitatis partitus est imperium. Hæc iuxta Augustini mentem, sed in hoc loco non est prætermittenda Hugonis Cardinalis protheoria: *Sichima interpretatur humerosa, vel laboriosa. Partitur ergo Sichimam, qui diuersimodè laborat: modo in actiua, modo in contemplatiua, sicut dicitur in Psalmo 41. In die mandauit Dominus misericordiam suam, id est, opera misericordiæ præcepit fieri de die ad litteram: vt nocte canticum eius, id est, laudis, & contemplationis. De hac Sichima, id est, de labore, Genesis 49. cap. Isachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona & terram quod optima, supposuit humerum suum ad portandum.* Partitur ergo Sichimam Ioannes, cùm die inquirendis, & subueniendis pauperibus inhiat, & portandis ægrotis, & eorum alimentis stipe corrogandis insudat. Et noctu à terrenis abstractus ad cœlestia contemplanda subuehitur, & de torrente voluptatis totus perfusus, & ebrius in Dei sinu conquiescit. Verè Isachar totus osseus virtutis, & charitatis robore, inter sarcinas pauperum conquiescens, cui iuxta spondas, & culcitras ægrotantium, aut è vita migrantium assistere requies erat; supposuit humeros suos ad laborandum, & portandum aliorum languores, & infirmitates; verè Isachar, qui interpretatur merces, cui egestas abundantiâ omnium rerum exuberat, & in paupertate nactus est thesaurum, & opulentiam. Nec exportandis ad mediterraneum pelagus, sicut tribus Isachar mercibus in infido mari forte perituris, & denorandis, sed diuitiis Christi, gregibus pauperum in domum pietatis inuehendis incumbit, quibus æternum gloriæ pondus operatur, & mercedem Domini mercatur æternam.

Atlas Ioannes languentes portans, Dei vicariā functionem præstat.
Deus cum Ioanne sue charitatis imperiū partitur.
Hug. Card.
Sichima in labore actiua, & contēplatiua functionis diuisa.
In die mandat misericordia opera, & nocte canticum laudis orationis Dominus.
Ioānes noctu cœlestia contemplatur, die stipe corroganda, & ægris portandis insudat.
Ioannes verus Isachar opulentam pauperum mercaturam portans.

3. Comparans Eusebius Emissenus triumphalem Christi ascensum cum superiora cœli palatia penetrauit, cum Eliæ ascensione, sic argutè fatur de Pascha homilia 7. *Legimus Beatum Eliam curru igneo cum corpore ad superna præreptum: Hæc omnia implentur in Christo. Ecce iterum Elias noster igneo diuinitatis vehiculo corporeus ascendit ad cœlum.* Curru igneo portatum est Eliæ corpus ad regiones supernas, & Christi humanitas, aut corpulenta substantia vehiculo diuinitatis importata est cœlestibus; ignis, & Deitas præclari vectores, qui pondus sustinent, & aligero motu inuehunt terrena cœlestibus. Ecce Ioannem Dei, Deitatis æmulatorem, qui vacillantia, & infirma corpora erigit, & super humeros sustollit, vt redintegratis membris, & restituta sanitate reddat suo Creatori. Elias is est, qui charitatis traha, & igneo amoris vehiculo, non tam portatur ipse, sed portat ærumnosos in hospitalitatis paradisum, & terrestre suum cœlum, vbi cœlestes

Euseb. Emiss.
Iesus verus Elias igneo diuinitatis vehiculo corpus ad cœlū portans.
Deitatis æmulator Ioannes, cum vacillantia corpora super humeros sustollit.
Ioānes verus Elias, qui igneo charitatis curru portat ærum-

spiritus in pauperum receptaculis tanquam custodes domus, & laboris sui adiutores inuenit. Cùm scanderet Elias ardua cœli clamauit Eliseus lib. 4. Regum cap. 2. *Pater mi, pater mi currus Israel, auriga eius.* Cur acclametur auriga? in promptu est ratio: quia egregius suarum moderator passionum, & affectus terrenos, & humanos coërcuit, ad cœlestium incolarum mores, & œconomiam reduxit, errantésque populos, & effrenes ad idololatricum cultum ruentes continuit, & iniectis lupatis diuini timoris ad obseruantiam sacræ legis contumaces inflexit. Currus verò Israël quare nuncupatur? Rationem assignat Abulensis quæst. 19. *Quia ad currum pertinet sustentare. Sic enim Elias sustentauit Israel, supportando defectus eorum, & prouidendo eis in necessitatibus.* Duos humeros ostentat pietas, & clementia vt infirmos sustentet; alterum tolerantiæ, alium prouidentiæ, nec minoris virtutis est errata, querelas, opprobria infirmantium deuorare iucundè, male moratæ turbæ ærumnosorum indoles, & ingenia sustinere toleranter, quàm corporibus impėdere alimentorum subsidia Vtroque humero portauit Ioannes cateruas pannosorum, Reipublicæ sentinam; illatas contumeliąs dolentium ex impatientia exortas hilari, & ridenti vultu suscipiebat, & flamma charitatis suo pectore accensa, maledicta expengens, verborum blandimento alienos dolores leniebat; delicatiori esculento, & poculento eorum alleuiabat ærumnas. Currus qui non ligna, paleas, & fœnum; sed aurum purum amoris importat, triumphale carpentum onustum mendicorum manubiis, trophæis pauperum, quos hospitalis solicitudo sanitati corporis, & animi restituit.

nosos in hospitalitatis paradisum.
Lib. Reg.
Elias auriga dicitur, quia moderator extitit suorū affectuum, & alienarū passionum.
Qua ratione currus nūcupatur Elias.
Abul.
Currus erat alienas ærūnas, & defectus portans.
Duo humeri clementia, tolerantia, & prouidentia, in Ioāne eminent.

4. Inuicti Samsonis facinus recenset Scriptura diuina, & præclarum sui roboris triumphum, cùm domo clausus, & vallatus militum manu portarum seras perfregit, & vastam molem super humeros sustulit. Iudicum cap. 16. vers. 3. *Apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, & sera, impositásque humeris suis portauit ad verticem montis.* Vel iuxta Ambrosium lib. 3. epist. 24. res gestas huius tam eximij herois narrantem, & scholiis illustrantem, Hoc modo. *Fores portæ vrbis, & vtrosque postes manibus amplexus materiem totam, & seram ceruice valida sustentans, in verticem montis altissimi transportauit.* Hoc fecisse Samsonem ad ostentationem eminentissimi roboris sui censet Abulensis quæst. 5. perpendens quod in aliis facinoribus ostenderat animositatem, & audaciam: *Hic autem ostensæ sunt vires, quia erat aliquid admirandum, & non solum supra vires huius hominis, sed etiam supra vires multorum simul, quòd portas simul cum postibus cum omnibus appenditiis suis, eas per magnum tractum ab vrbe portaret, vsquequo poneret eas super verticem montis.* Fecit tamen hoc ad irrisionem hostium, & signum triumphi euehens ad montis fastigium, vt tanquam erectæ columnæ cū gloriæ suæ præclaris inscriptionibus, æternū docerent roboris præconium. At Ioánis ampla virtutis decora res gestas Samsonis superât magnitudine: Onus dulcius, & nobilius pauper ad limina domus abiectus, est ad ceruicis gestamen, quàm serarū, & postiū ponderosa moles; cœli ianuas egenis aperit Ioann. eosq; deducere conatur ad cœlestis Ierosolymę cacumina.

Iudic.
Samson fores domus ad verticē montis portat, cū feris, & postibus.
D. Amb.
Abul.
Vires suas ostentat Samson, solus portans onera, quæ multi viri fortes baiulare non possent.
Dulce, & nobile onus pauper ad ceruicis gestamen.

In

Ioannes columnas erigit pietatis.

In quo facinore columnas erigit pietatis in singulis ærumnosis, quæ indelebilem viri Dei, & aduersus edax tempus perennantem hospitalitatem ostentant.

Ioannes munia Dei præstat.

Samaritani pietas erga vulneratũ.

D. Lucas.

5. Cerne Ioannem ipsius Dei munia præstantem charitatis obsequio. Requisitus IESVS quis verum amorem impenderet hominibus, & proximi qui essent, & hominis germani? parabolam Samaritani cuiusdam curatoris pauperis à latronibus vulnerati, quem queritantem, & semiuiuum Sacerdos, & Leuita despexit; homo nationis extraneæ medicando pauperi incubuit. Lucæ cap. 1. vers. 33. *Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, & videns eum misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.* Sententias, & verba omnia Christo adaptat Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 5. *Supra iumentum suum imposuit vulneratum, in quo eius peccata vexit omnia, nec ouem pastor despexit errantem.* Et ibidem argumentum tam eximiæ pietatis retorquens aduersus Nouatianos subiungit: *Vos autem dicitis noli me tangere. Nemo de vulneratis nostrum ingrediatur hospitium.* Ioannes vero, qui Dei cognomen tenet, & amoris pignus, & est illius clementiæ, & compassionis legitimus hæres, quid dicit: pateat diu noctu egenis omnibus, & languẽtibus hospitium, alimenta omnia, & medicinalis curatio ærumnosis exuberent. Verè *Samaritanus* hoc est infirmorum custos. Cùm IESVS tenebrarum principem expugnauit, & de atrio hominis muti expulit, in Iudæorum ingressus est linguas, quibus onerant eum opprobriis, & maledictis vocantes dæmonium habentem, & Samaritanum; vbi primam contumeliam Magister veritatis constanter repulit, ad secundam conticuit, vt annotat Sanctus Augustinus in catena Sancti Thomæ Lucæ cap. 10. ibi inquit: *Non se negauit infirmi custodem.* Id enim præsefert Samaritani nomen. Cerne Samaritanum cœlestem constitutum à Domino in Ecclesia sua curatorem, & patrem infirmantium, æmulatorem eximium pietatis Christi, de quo prædictæ Ambrosij sententiæ: *Supra iumentum suum imposuit vulneratum.* In quo dolores omnium tulit, & infirmitates compassionis affectu. Cerne pastorem Dei palabundas oues per inhospita, antra, stercora, & morbidas imponentem suis humeris, vt ad hospitium, & delubrum clementiæ deducat. Cuius facinora adstruenda sunt ex parabolæ prædictæ tenore, quorum pensiculator serius est Hugo Cardinalis, cernensque toruo oculo Leuitam, & Sacerdotem despicientes pauperem in extremo vitæ halitu, obsurdescentes ad clamores infelicis, qui tot oribus quot vulneribus voces fundebat tristes; eos carpit, & Samaritanum pietate mirificum, egregiis extollit præconiis. Verba sunt purpurati Patris: *Et appropians mente, & corpore, non pertransiens sicut Sacerdos, & Leuita; alligauit vulnera eius, necessaria tribuendo; infundens oleum compassionis, & vinum consolationis, & imponens illum in iumentum suum, id est, portans per compassionem, & subuentionem onus eius: quia certe Laici, vbi clerici nihil faciunt, portant onera pauperum, & infirmorum. Duxit in stabulum, id est, in domum suam.* Ioannes pauper, & humilis, relictis sapientibus, & diuitibus, eligitur vt subueniat indigentibus, nec denegabit egenis subsidia, aut solamen, ægrotis, sicut Ierosolymæ, dynasta ab Isaia propositus, timore correptus ex vrbis excidio; potius accitis gregibus pauperum voces fundet omni solatio plenas: in domo mea est panis, vestimentum, oleum, vinum, alligaturæ salutis, pharmaca pietatis, languentium hospitium. Nec indecorum censeas munus baiulatoris pauperum, quod de humeris Saluatoris sacrum sumpsit auspicium. Quare perpendens verba illa: *Imponens illum super iumentum suum.* Asterius Amasæ vrbis Episcopus in catena Patrum in Lucam, inquit; *Quid autem est iumentum, quo semiuiuum, ac animam agentem ad hospitium Saluator deduxit, nisi caro, in qua ad nos venire dignatus est, quæ fuit quasi vehiculum quoddam aut diuini Verbi iumentum, in qua & per quam omnia sustinens, ac tolerans, pro plena morbi depulsione ad hospitium, id est, Ecclesiam, vbi perfecta vulnerum curatio consummatur, deducit.* Hæc ille.

D. Ambr.

Iesus super se imposuit languentem hominẽ eiusque peccata vexit omnia.

Nouatianorum crudelitas erga ægrotantes.

Ioannes verus Samaritanus pietate, infirmorũ custos, & baiulus.

Hugo Card.

In Samaritano præfulgens omnia charitatu decora, & munia gra- [illegible] muneribus.

Aster. Cat. Græc.

Iumentum dicitur caro Christi onera peccatorũ, & infirmitatum portans. Perfecta vulnerum curatio in Ecclesia hospitio

6. Quid mirum si Ioannes ad Dei æmulationem sustineat onera pauperum, si onus illud Angelicis humeris formidandum, & sub cuius pondere curuantur, qui portant orbem, nimirum IESVM suis humeris baiulet! Quid simile auditur de Apostolicis Euangelizatoribus, Psalm. 67. vers. 20. *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Ex Hebræo sic legitur: *Imponet in onus nobis Deus IESVM Saluatorem nostrum.* Sic ferè Caietanus, Pagninus, & Lorinus. Eugubinus in idem recidit: *Accumulet, imponat nobis Deus IESVM nostrum.* Vatablus: *onerat nos donis.* Notissima est illa, qua cumulatus est gratia Ioannes, ei namque peregrinanti occurrit in via puer delicatus, nudis pedibus incedens, gratioso, & mirabili aspectu, nitens, augustiori quadam formositate conspicuus, cuius teneritudinem, exiguam ætatulam commiseratione tenerrima conspicatus, de terra eleuans, & suis imponens humeris, dulce pondus sustinens, graditur; parte itineris dimensa, leuis ætas in annis ponderosa fit nimis, cuius grauedine incuruatus felix baiulator, anhelat; frons, & supercilia sudoris stillicidiis rorant; iam dux ille deificus paruulúsque IESVS iustum per vias rectas deducens, egregium iuuenem virtutis decertatorem, qui sub regio charitatis vexillo stipendia merebatur indurabat laboribus, scapulas Ioannis tactu suo formabat, & instituebat ad baiulandos pauperes; verè illæ felices, quæ ab immenso ipsius Dei onere portando, sumebant piæ vectionis auspicium: quid non portabit Atlas iste robustissimus, qui non iam cœlum, sed cœlorum moderatorem, sua ceruice sustinuit. Iure ergo omnem itineris, & instituti beatitatem sibi promittat cum Psalte Regio: *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Rite & aptè adiunget: *Imponet in onus nobis Deus IESVM Saluatorem nostrum.* Et fiducialiter clamabit cum Vatablo: *onerat nos donis.* Quæ de gratiarum fonte scaturiunt. Gaudet Deus vehi humeris charitatis, cum portatur in paupere, qui licet fœtore quodam paupertatis sordescat, de his sordibus, & fœcibus pretiosi, & cœlestes lapilli colliguntur,

Ioannes Dei Deũ ipsum, & Dominum Iesum suis humeris baiulauit.

Psal.

Dulce onus Iesus portãdum imponitur Euangelizantibus.

Lect. heb. Caiet. Pagnin. Eugub. Lorin.

Puer Iesus ad portandos pauperes Ioannem instruit.

Cœlestis Atlas Ioannes qui non cœlum, sed cœlorum moderatorem sua ceruice sustinuit.

Vatabl.

Donis fuit onerat Deus eũ, qui onus pauperis vehit.

Portatores multi, pueri Iesu. Ioseph, & Simeon. D. Lucas. Hug. Card.


tur, qui diadema charitatis exornant. Ad ea verba Lucæ cap. 2. *Accepit eum in vlnas suas.* quibus celebratur pius Simeonis affectus, scribit Hugo Cardinalis: *Ioseph creditur eum portasse in humeris in Ægyptum.* Ioannes instar Ioseph pueri IESV baiulus non portat scapulis suis in Ægyptum declinans furias tyranni, sed in propriam domum asportat pauperum hospitium, charitatis officinam. Aggrauat hoc Deificum pondus vectorem, sed simul alleuiat, est enim Christi sarcina leuis. Argutè sanctus Augustinus ad eam Psalmi 67. sententiam: *Et posteriora dorsi eius in pallore auri.* legit: *Inter scapulas.* Et adiungit hæc: *scapulas accipiamus, qua in medio caput habent. An quia ibi portatur illa sarcina leuis? Quid ipsa sarcina leuis nisi ipsa charitas, quidquid enim difficile est in præcepto, leue est amanti.* Tametsi humeri aggrauentur ponderosa mole pauperum; leue onus censet charitas.

D. August. *Omnis sarcina amanti leuis.*



DISCVRSVS VIII.

Pauperi non tantum exhibendus est humerus, sed totus impendendus pietatis, & compassionis affectus, vt homo perfectam Dei similitudinem in se ipso formet.

1. 
HOc decus insigne datum est à Domino misericordiæ, & eleemosynæ impensæ pauperi, vt pulcherrimis pigmentis fingat Dei imaginem in animo misericordis viri. Celebrat qua solet verborum copia, & eloquentiæ nitore Chrysostomus eleemosynæ laudes, illamque pro coronide pietatis assumit adstruendam, quod exemplar diuinum gaudens miserationis, & clementiæ præconio, regerat expresse, illiusque simulacrum floridis pigmentis decorum, omnium oculis exhibeat venerandum: Ex hoc aureo fonte colligam verborum gemmas, quibus charitatis coronem caput, tomo 5. homilia 33. de arte eleemosynæ, & misericordiæ scribit: *Quia opus est omnia particulatim dicere artis huius merita? Hæc namque te docet, quomodo possis Deo similis fieri, quod est omnium summa bonorum. Non alterius indigens artis, domos ædificat, texit vestes, inabsumptos parat thesauros, facit vt mors superetur, Diabolum cohibet, Deo reddit similes.* Idem repetit tomo 2. in Matth. cap. 11 homilia 38. ad eam Lucæ sententiam cap. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester.* dicens: *Cùm pleraque alia dixit, de nullo id præterquam de misericordia dixit: sitis misericordes sicut Pater vester: nihil enim certè nos vsque ad similitudinem Dei sic effert, atque extollit, quemadmodum libera beneficia, & copiosa collatio.* Eundem conceptum inculcat, & proponit apertius tomo 4. 2. ad Timoth. cap. 2. homilia 6. in morali: *Solum denique pietatis, ac miserationis est studium, quo Deo æquales euadere possumus: quo si careamus cuncta simul amisimus. Non enim ait, si ieiunaueritis, aut virginitatem obseruaueritis, aut oraueritis, Patri vestro similes eritis: nihil enim huiusmodi in Deum cadit, neque aliquid tale operatur Deus. Sed quid? Estote inquit misericordes, sicut Pater vester qui in cœlis est. Istud Dei opus est, hoc si desit, quid habes?* Non ex ieiunio, non ex Virgineo decore, aut oratione præcisè euadimus similes Patri, nec illam potissimam similitudinem Patris misericordiarum, & miserationum, qua ipse gloriatur, & gaudet, exprimimus. Virginitas namque, & ieiunium exercitamenta sunt humana, quæ corpulentam substantiam requirunt, quarum obseruationum, & affectuum immunis est Deus, nec ipse alterum exorat, cum à nemine subsidium expectet. Misericordia tamen assimilat nos Deo, & naturam misericordis Patris regerimus, cum misericordiam exhibemus; fateor gratiam, qua iustus redditur homo, esse Dei similitudinem, illúmque reddere diuinæ naturæ consortem, sed opera pauperi ex charitate impensa, Dei in nobis formant perfectam effigiem, est enim misericordia character filiorum Dei, qui parentis sui gloriosa magnalia, & nobilitatis stemmata operum splendore reddunt conspicua. Vocati sunt, quamplurimi ad supernum Dei consortium, gratiores tamen sunt Patri, qui miserationis Dei imaginem portant. Illud tamen Chrysostomi effatum: *Deo æquales euadere possumus.* ex feruore concionantis prolatum iudica; nec omnimodam, sed aliqualem parilitatem in homine cum Deo enuntiat, Nisi mauis intelligi tantam esse virtutem pietatis, & miserationis, vt homines in Deos migrare faciat, participatione.

Charitas impensa pauperi, Dei similitudinem format. D. Chrys.

Dei similitudo summa omnium bonorum.

D. Chrys.

D. Chrysost.

Misericordia erga pauperes Dei Patris imaginẽ refert.

Veri misericordis cum Deo æqualitas qualis sit ex Chrysostomo.

2. Simile elogium, & antiquius reperies apud Clementem Alexandrinum, sic enim fatur de subuentione in alienis calamitatibus lib. 4. stromatum cap. 3. *Misericordia autem non est, vt quidem existimarunt Philosophi molestia propter alienas calamitates affici, sed est potius quid diuinum, vt dicunt Prophetæ, misericordiam, inquit volo, & non sacrificium. Misericordes autem esse vult, non solum qui faciunt misericordiam, sed etiam qui misereri volunt, & si non possint, quibus adest vt sponte, & libera voluntate operentur. Nonnunquam enim volumus vel dando pecuniam, vel corpoream dando operam facere misericordiam, vtpote egenti opem ferre, vel ægrotanti inseruire, vel ei adesse, qui est in aliqua calamitate, nec possumus, vel propter paupertatem, vel morbum, vel senectutem: (nam ea quoque morbus est naturalis,) exequi institutum, ea quæ cupimus, & ad quæ interno animi motu ferimur, non potentes efficere.* Illud autem Alexandrini comma eleganter expendit illius scholiastes Gentianus Heruetus: *Misericordia est potius quid diuinum.* dicens: *Deo maximè conuenit adoratio, & sacrificium, & tamen Deus magis vult misericordiam, quàm sacrificium, ad Deum propius accedunt, qui proximi miserentur, quàm qui Deo sacrificant.* Propior est Deo, fitque diuinior, non qui placat numen supremum thure, sabæóque calamo suaueolenti, acerræ vaporibus, aut pastillorum suffitibus aras complet; sed qui subleuandis pauperum oneribus incumbit, qui eorum attrectat vulnera putrida tabifico sanguine diffluentia, nec horret scabiem languentis, aut putridi sanguinis fœtorem; sed caput ægrotantis aut sordidi pauperis super brachia sua deponit, & reclinat in lectulo,

Clement. Alexand.

Misericordia est quid diuinum.

Voluntas, & affectus subueniẽdi alienis calamitatibus, pro misericordia computatur.

Gentian. *Deus qui adorari expetat, magis vult misericordiam, quã sacrificium. Deo sunt proximiores, qui miserentur proximi, quã qui sacrificant.*

ctulo, aut super purulentam saniem vnguentum mirificum pietatis effundit, & opera charitatis odoramenta suauia, quibus tota die repletur domus, suauissimum halant cælicolis odorem. Si hæc decora tribuit Clemens Alexandrinus misericordiæ voto, cum non adest facultas largiendi nummos, inseruiendi ægrotis, alendi famelicos, voluntas tamen, & compassionis affectus, summa alacritate desideriorum alas expandens, tanta mercede donatur. Quas coronas recipient benefacta ægrotis & pannosis impensa.

Iobi misericordiæ opera eximia calamitosis præstita. Iob.

3. Proponit Scriptura diuina affectum pietatis Iob, consolantis afflictos & mœrentes, in eos qui omni ope erant destituti, misericordiæ viscera effundentis c.30. v.25. *flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Huius sancti viri misericordia præclari, teneritudinem cordis, quod alienæ calamitatis, & paupertatis caminus soluebat in fluenta lachrymarum, multiplices thesauros pietatis in pectore reconditos in leuamentum alieni laboris & mœroris dispersos, Chrysostomus diuulgat in Catena Græcorum Patrum: *Postquam multa sua recte facta narrauit, quemadmodum inquam varie calamitosis subuenerit: quemadmodum necessariis rebus largiendis, egentium inopiam subleuauerit; quemadmodum iis, qui per iniuriam oppugnabantur, fuerit opitulatus: quemadmodum ægrotantibus curationem pro viribus adhibuerit: quoniam genus quoddam reliquum erat hominum, quorum haud sanabile erat malum; cui nullum humanum reperiebatur remedium; huiusmodi etiam hominibus, se id, quod suum erat, hoc est communem sensum doloris tribuisse testatur, dum ait: iis, quibus ipse auxiliari non poteram, quibus vnius Dei manus præsto esse poterat, communem sensum doloris præbui lacrymas & gemitum.* Et statim: *non deceptus diuitiis, de alienis calamitatibus oculos deiiciebam; immo vero eas meas esse ac proprias ducebam.* Dum hæc Os aureum de Iobo scribit, vitæ seriem, & egregia facinora Ioannis Dei describit, & exuberantes pietatis affectus, quibus præstabat lætitiam mœstis, desolatis opem, viduis & pupillis præsidium; nec solis curationum, & alimentorum subsidiis eos subleuabat, sed fletu & lacrymis compatiebatur calamitatibus alienis, super se eas assumens tanquam proprias. Adiicit sententiæ Iob lumina maiora Magnus Gregorius, quibus eius opera pietatis, & arcanas pectoris affectiones illustrat lib.20.moral.cap.26. *quamuis vera compassio est passioni proximi ex largitate concurrere, nonnunquam tamen cum exteriora quaque abunde ad largiendum suppetunt, celerius dantis manus dationem inuenit, quàm animus dolorem. Vnde scire necesse est, quia ille perfecte tribuit, qui cum eo quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit: vt prius in se dolentis passionem transferat, Et nunc contra dolorem illius per ministerium concurrat.* Et post multa ante finem capitis scribit: *Quia itaque vir sanctus apud omnipotentem Deum, aliquando maius datum nouerat mentis esse quàm muneris, dicat: flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Exteriora enim largiens rem extra semetipsum præbuit. Qui autem fletum, & compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit.* Duplex insigne compatientis charitatis proponit summus Antistes. Qui cum patiente compatitur, & dolet, in alienæ calamitatis se ingerit consortium, dolores alienos vi quadam mirabili ad se attrahit, & in animum suum transfert, vt animum mœrentem, & variis aggrauatum ærumnis, magna animositate, & compassione in se ipso portet. Præclarum valde est languens corpus portare humeris, sed eximium præsefert amorem, qui cor mœstum, & dolens per adiutorium misericordiæ sustinet, quanto enim pondus extranearum ærumnarum in proximo alleuiat, tanto semetipsum per charitatem aggrauat, dum dolorum acies relicta ad tempus propria origine, ad alienam domum miserantis expugnandam migrat. Dulce telum amoris, quo pectus in alienis laboribus deplorandis sauciatur; felix qui cum pane, & vestimento, porrigit desolato solamen verborum, & fletus blandimentum; qui alimentum dedit, exteriora donauit, qui verò lacrymas fundit alieni miseratus laboris, animi pignus & cor ipsum misero exhibuit, in teneras liquatum, quas oculorum fontes fundunt, lacrymas. Hunc virum ita temperatum, Christi laborum nostrorum miserantis, viuum simulacrum iure nuncupabis. Illum enim æmulatur, qui cum Deus esset, hominis dolores, & infirmitates supra se tulit, & miserans misertus est nostri. Minus enim nobis contulisset, nisi nostrum suscepisset affectum. Pulchre Gregorius Magnus citato loco subiungit: *Quam videlicet pietatis formam mediator nobis Dei, & hominum dedit qui cum posset nobis etiam non moriendo concurrere, subuenire tamen moriendo hominibus voluit: quia nos videlicet minus amasset, nisi & vulnera nostra susciperet, nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret.* Perfectus ergo Christi imitator est, & imaginem Christianæ compassionis format, qui dolores alienos pietatis affectu miserando tolerat.

4. Quæ omnia vitæ Beatissimi viri, cuius præconia celebramus, cohærere compertum est. Quare Ioannes cognomento Dei tanquam quodam charitatis insigni coronatur, cum eum Iesus ad hospitalitatis opera instituit, & format, illius nomen immutat. Et iuste nuncupatur Ioannes Dei, qui diuini amoris & miserationis perfectam referebat effigiem. Dei potestatem prædicat Regius Psaltes Psal. 146. vers.4. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Nec minor virtus Dei arguitur, & incomprehensæ maiestatis in reducendis ad numerum sideribus, quàm in nominum impositione, vt certo notitiæ symbolo insignita militent Deo, & propriis insignibus vocata, dicant: adsumus. Præsentem sententiam Hieronymus ad arcanum sensum reducit: *Vultis scire quomodo de contritis stellæ fiant? scriptum est in Genesi: quia eduxerit Deus Abraham, & ostenderit ei stellas, & dixerit ei: sic erit semen tuum. Et omnibus eis nomina vocans de Abram vocat Abraham. Abram dicebatur in Chaldæa. Et in cælo vocatur Abraham. Eo tempore quo factus est stella, vocatur Abraham.* Sed videamus quid præseferat illustre cognomen Abraham, quo apud cælites ornatur cum stella constituitur? Id aperit eximius scrutator arcanorum Philo Iudæus lib. de Gigantibus in hunc modum: *Quando se ipso melior nomen mutaturus est, fit homo Dei, iuxta redditum sibi oraculum: ego sum Deus tuus: si vnus*

Marginal notes:
D. Chrysost. Cat. Græc. *Egenti alit.*
Iniuria oppugnatis opitulatur.
Ægrotis curationem affert.
Sensu doloris, & lacrymarum alienis calamitatibus compatiebatur.
Alienas ærumnas tanquam proprias ducebat.
D. Gre. Mag.
Ille pius erga pauperes, qui eis dona largitur, & afflicti in se animum sumit.
Apud Deum aliquando maius datũ est mentis, quam muneris.
Qui exteriora dat, aliquid extra se præbet, qui fletum, & compassionem tribuit, de semetipso aliquid largitur.
D. Gre. Mag.
Nos Deus minus amasset, nisi & vulnera nostra susciperet.
Quod à nobis Deus sustulit, ad tempus ipse sustinuit.
Ioannes Dei nuncupatur, quia diuini amoris, & miserationis præsefert simulacrum. Psal.
D. Hieron. *De hominibus contritis stellæ fiunt.*
Abram vocabatur in Chaldæa; eo tempore quo fit stella, nuncupatur Abraham.
Phil. Iud. *Abraham se ipso melior factus fit homo Dei.*

Deus ob priuatum affectum dicitur Abrahæ Deus; & Abraham vir Dei.

vnus totius mundi Deus ob priuatum affectum dicitur huius viri Deus, necessario ipse quoque Dei est. Indulgentia Domini, quæ communis est omnibus, amoris specialis affectu impenditur vni tanquam benemerito, vt priuata voluntas Regis æterni in seruo suo magis resplendeat, quem nominis sui insulis honorare voluit, vt Deus Abraham, & Abraham, Dei reciproca cognominatione illustrentur. Itaque vt ad gradum, & fastigium præclari nominis accitus Abraham scandat, fit homo Dei, vt Dei possessio & cognomen viam sternat ad nuncupationis Abrahamidæ gloriam. Quid pretiositatis includit nomen Abrahæ vt tantis insignibus decoretur? Reuoca ad calculum Hieronymi sententiam: *in cælo vocatur Abraham* & nodum difficultatis solues. Cum Lazarus mendicus abiectus ad ianuam epulonis confectus plagis ex hoc migrat sæculo, in sinu Abrahæ recipitur, tunc perlego nomen Abrahæ in cælo, cùm occupatus in recipiendis pauperibus, claudendis suo gremio, hospitalitatis munere fungitur: in terra vocatur Abram, quia pater multarum gentium; in cælo cum sit stella, & tanquam luminare magnum charitatis splendet fulgoribus, vocatur Abraham, quia solamen mœrentium, afflictorum perfugium, desolatorum portus, pater pauperum. Quid mirum si huius viri Deus est, & hic vir & homo Dei est. *Nomen mutaturus fit homo Dei. Ipse quoque Dei est.* Alter, Abraham, pauperum pater & medicus Ioannes Dei cognomento insignis apparuit, quia diuini imitator est muneris. Hunc titulum præclarum ei peperit compassio pauperũ, quæ totum diuinum reddidit, & charitatis Dei perfectam effigiem. His, fascibus nominis Dei gloriatur & exultat Ioannes in pauperum obsequium, & præsidium mancipatus. De quo verba à Philone prolata in laudem Abrahæ vsurpo, ex libro quis rerum diuinarum hæres: *Magis gaudet se esse Dei famulum, quàm si absque contentione adeptus esset imperium terra marique in omnes homines.*

In cælo vocatur Abraham, cum in recipiendis pauperibus, hospitalitatis munere fungitur.

Alter Abraham Pater pauperum, & medicus Ioãnes Dei.

Phil. Iud.
Ioannem nuncupari Dei præclarum cognomen, & insigne.

5. Punitur vxor Lot famoso supplicio, cum fugam capessere parat ab incendio sodomitico, & ductu Angeli eripitur, & redditur incolumis. Sed animaduersio diuina non defuit. Genes. cap. 19. v. 26. *Respiciensque vxor eius post se, versa est in statuam salis.* Quod crimen admiserit fœmina Lot iugalis, quod tam celebri pœna expiatum est, textus indicat. Interim refero Glossam Lyræ, & illius verba recenseo, nullum eis præter alienum adiiciens calculum: *Dicunt autem Hebræi quod hoc fuit, quia nocte præcedenti peccauerat in sale, vt sic pœna corresponderet peccato, petenti enim Lot pro condimento cibi Angelorum, quos homines credebat, ipsa renuit apportare, quia secundum modum Sodomorum, inter quos habitabat, affectum ad hospites non habebat.* Hæc narrat Glossa, nec improbat. Sæpe tamen in sacræ litteraturæ lemmatibus Iudæorum solet esse suspecta sententia, resque sacras suis gaudent ornare figmentis. Certum est fœminam affectu nimio necessariorum, quos inuoluebat, & incinerabat sulphureus de cælo implutus ignis compunctam, & correptam despexisse Dominicum imperium, Angelicam iussionem, ne caput retro verteret ad contemplandum miserum spectaculum: & propriam condolentiæ passionem

Genes.
Quod flagitium admisit vxor Lot, vt migraret in statuam salis.

Glossa.
Quia denegauit salem condiendis cibis supernorum hospitum, mulctatur in statua salis.
Vxor Lot affectum ad hospites pauperes non habebat.

Vxor Lot ex inobedientia punitur.

antepossuisse diuinis præceptis. Ideo eam Deus in figmentum salis immutat, vt inobedientes, & incredulos perpetua salis admonitione compescat, & iis qui iter arduum virtutis aggrediuntur, & aspero amaroque asceticæ disciplinæ exercitamento insudant, præbet condimentum ne respiciant retro, & ad ea, quæ in sæculo derelinquunt conniueant, & retrogrado gressu caput affectionis inflectant. Hæc documenta Patres capiunt ex sale. Si vero veritatis vmbram teneant postrema Glossæ verba: *affectum ad hospites non habebat.* Protheoriam supra recensitam adstruunt. Sicut enim affectus compassionis ad pauperes, & hospites, Dei format similitudinem, & imaginem; sic defectus compassionis, animusque aduersus hospitalitati construit simulacrum salis.

Compassionis affectus Dei simulacrum format, animus immisericors cõstruit figmentum salis.

6. Iob in sterquilinio sessitans, quasi de suggestu, sui ipsius, inspirante Domino, iustus, & rectus prædicator est; piorum operum texit catalogum, quibus in statu suæ felicitatis subueniebat egenis, iisque suas temperat ærumnas cap. 30. vers. 16. *Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea (quia ab infantia mea creuit mecum miseratio: & de vtero matris meæ egressa est mecum.) Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem.* Et vers. 32. *foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Vt has præclaras operationes pietatis exornem, ex catena Græca in Iob monile vere aureum circulis sanctorum Patrum insertum dabo, distinctum gemmis verborum, & illuminatum, pectoribusque appendam tum Iobi, pauperum in lege naturæ parentis, Ioannis Dei in gratiæ lege patris egenorum. His catenulis aureis, pretiosisque murenulis vtrosque innectam, fabrefactis à primoribus Ecclesiæ argentariis fictilibus, vt gemmis sententiarum hos viros misericordia pares reddant illustriores: sectantur lectionem LXX. veteres Patres: *impotentes autem quicumque aliquando re opus habebant, non sunt frustrati.* Et in Catena Græca legitur: *Impotentes autem quamcumque habuerunt necessitatem, non frustrati sunt.* Et ibidem Chrysostomus: *Vides quemadmodum nullius despiciens erat? Vt erat modestus? vt communis omnium medicus? vt portus communis? Vt calamitosorum, atque egentium omnium commune perfugium. Quamcumque necessitatem, inquit, habebant, non illam certe hanc vero minime, sed quamcumque tandem nulla excepta, quamuis periculis esset referta, quamuis sumptus exigeret, quamuis periculosa. Ac vide quemadmodum iis opitulabatur; à quibus parem beneficij gratiam minimè expectabat, viduis inquam, pupillis, omnique ope destitutis hominibus.* Hæc ibi Os aureum.

Iob.

Miseratio & pietas Iobi erga egenos, & hospites.

Lect. LXX.

Cat. græc.

D. Chrysost.
Ioannes nullum despicit, communis omnium medicus, & portus.

In omni necessitate, nulla excepta, opitulatur pauperibus.
Iis benefacit, à quibus nullam gratitudinem expectat.

7. Illam vero sententiam parenthesi cinctam: *quia ab infantia mea creuit mecum miseratio: & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Aliter dispungunt LXX. & Catena Græca: *quia à iuuentute enutrimi sicut pater* (orphanos nimirum) *& ex ventre matris dux fui.* Et de miseratione erga orphanos, & ope destitutos paruulos explanat ibi Chrysostomus: *Vide quanta hæc sit misericordia, qui vel perexiguam panis particulam partiatur egentibus. Illud vero è ventre dux fui, huic par est, infantes admodum*

Lect. LXX.
Cat. Græc.
Paruulos parentibus orbatos, ope destitutos alebat, artiumque disciplinis erudiebat.
D. Chrysost.

orbatos

orbatos parentibus suscipiebam ipse, & quoad corroborata essent ætate, alebam, atque educabam, artiumque disciplinis erudiebam. Denique eos tandiu manu duxi, dum mea opera haud magnopere egerent.

Euagrius. *Paruulorū, & orphanorum dux.*

8. Euagrius in eâdem catena citatus inquit: *Hinc intelliges, ab eo adolescentes prius quam ad eos visum arriperet, ad virtutis disciplinam fuisse institutos. Sic enim verum erit quemquam ex vtero rectâ via deduci.*

D.Chrysost. *Egentes alit, & induit vestimentis.*

Si autem despexi nudum pereuntem. Chrysostomus: *Non modo alui, inquit, egentes, sed etiam cum nudi essent indui, cum à frigore illorum vita periculum crearetur*; O medicum præclarum, & misericordiarum Imperatorem omnium linguis merito prædicandum, in cuius domo erat panis, & vestimentum.

D.Chrysost. *Dei imaginē integram, & incorruptam in se ipso figurauit subueniens orphanis & viduis.*

9. *Oculos viduæ expectare feci.* Chrysostomus: *De Deo cum caneret modulator dixit: Patris orphanorum, & iudicis viduarum: ac rursus, orphano tu fuisti adiutor. Ergo cum imaginem quasi integram & incorruptam Iobus seruaret, imitabatur exemplar.* Cernis Iobum ad diuinæ misericordiæ exemplar efformasse artificiosis operibus viuam pietatis imaginem, omnia benefacta charitatis, & amoris in proximos desolatos flammas spirantem? Qui enim cum pane, & indumento affectum miserationis exhibet, perfectam Dei similitudinem in se ipso format.

10. Omnia quæ de Beato Iobo in hac catena aurea recensita sunt præconia, & velut ex abaco eductæ gemmæ sideribus fulgentiores in apertam lucem enuntiatæ, mirifice consentiunt Beato Ioanni Dei, & inclytis operibus, egregiis miserationis facinoribus in pauperes impensis, quibus illius vitæ series quasi quoddam firmamentum stellatum intermicat.

Martyrij monachi charitas erga leprosum eximia & abundans Dei remuneratio. D.Greg.Mag.

11. Colophonem imponam huic discursui narratione mirabili sancti Gregorij Magni, in qua ante oculos ponit charitatem Martyrij Monachi leproso exhibitam, & remunerationem, qua à Deo donatum est tantum pietatis opus. Transfero verba quantumuis multa ex homilia 39. in Euangelia: *Quidam Martyrius nomine, vitæ valde venerabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratia, ad aliud monasterium tendebat, cui spiritalis pater præerat. Pergens itaque, leprosum quemdam, quem densis vulneribus elephantinus morbus per membra fœdauerat, inuenit in via, volentem ad suum hospitium redire, sed præ lassitudine non valentem. In ipso verò itinere se habere perhibebat hospitium, quo idem Martyrius monachus ire festinabat. Vir autem Dei eiusdem leprosi lassitudini misertus, pallium quo vestiebatur in terram protinus proiecit, & expandit, ac desuper leprosum posuit, eumque suo pallio vndique constrictum super humerum leuauit, secumque reuertens detulit. Cúmque iam monasterij foribus propinquaret, spiritalis pater eiusdem monasterij magnis vocibus clamare cœpit: currite citius, ianuas monasterij citius aperite, quia frater Martyrius venit Dominum portans. Statim verò vt Martyrius ad monasterij aditum peruenit, is qui leprosus esse putabatur de collo eius exiliens, & in specie apparens quali cognosci ab hominibus solet Redemptor humani generis, Deus, & homo Christus Iesus, ad cælum, Martyrio aspiciente, rediit, eique ascendens dixit: Martyri tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cælos.*

Martyrius leprosum pallio suo constrictum super humeros leuat, & portat ad hospitium.

Dominum in specie leprosi baiulauit.

Iesus ex humeris Martyrij exiliens ad cælum rediit.

Qui sanctus vir mox vt est monasterium ingressus, est pater monasterij dixit: frater Martyri vbi est quem portabas? Cui ille respondens dixit: ego si scissem quis esset, pedes illius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat: quia cùm eum portasset, pondus eius minime sensisset. Nec mirum, quomodo enim pondus sentire poterat, qui portantem portabat? Qua in re pensandum est nobis, quantum fraterna compassio valeat, quantum nos omnipotenti Deo misericordiæ viscera coniungant. Inde enim ei qui est super omnia propinquamus, vnde nos per compassionem proximi etiam sub nosmetipsos deponimus. Hæc ille, in quibus pensitanda est illa vltima clausula Sacerdotis Maximi: *quantum nos omnipotenti Deo misericordiæ viscera coniungant.* Iis nam insignibus verborum, similitudinem exprimit diuinam, quam homo in se ipso format, per compassionem, & subuentionem pauperis. Eaque Beato Ioanni Dei Dominum in pauperis & ægri specie portanti pulchre adaptabis.

Cum Dominum portabat, pondus non sentiebat.

Quantum nos Deo fraterna compassio coniungat.



DISCVRSVS IX.

Ioannis Dei caput præstantissima, & beatissima regni trabea charitas cingit, cum Hospitalitatis, & miserationis erga pauperes obtinet principatum.

1. MBIEBAT Ierosolymæ populus primarium virum, & cogens ad regni, & vrbis moderamen clamabat: *Princeps esto noster.* Ipse verò cordatè recusabat imperium vltro oblatum, iureiurando affirmans non esse medicum, propriamque panis penuriam, & rerum necessariarum, ad subueniendum egenis, & medicandum ægrotis, ad subeundum onus moderaminis obsistere, ideo fugam capessere cogitans, & ab splendore regiminis sese subducens aiebat: *non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere principem populi.* Grates superno numini, quod alium virum misericordiæ infulis eximium Ecclesiæ suæ prouidit, & subrogauit, qui à charitate excitus, ad pietatis certamina, & alendi pauperes onera, vltroneus sese obtulit; nec propter propriam inopiam, & laborum ærumnas in pietatis stadio exantlandas, humile, & abiectum imperium, periculis, anxietatibus plenum recusauit, sed fiduciam in Deo, & magnanimitatem possidens pro thesauro, opulentiorem inuenit suam egestatem, & abundantiorem omnibus gazis Regiis, vt languentibus, & indigentioribus copiose subueniret: ideo charitas fasces suas, & trabeas Ioanni delegauit, imperatorem, & principem hospitalitatis constituens per vniuersum orbem, dedit ei imperium omni terreno regno illustrius, & diuinius: vt merito sibi vsurpet illa magnalia: *Sum medicus, in domo mea est panis & vestimentum, constituit me Dominus principem populi languentis, & regem hospitalitatis.* Noui huius regni

Charitas Ioanni Dei, imperium suum delegauit.

Digitized by Google

regni præconia in præsenti discursu celebranda.

2. De promimus exempla laudationis eximiæ ab alio patre pauperum, & misericordiæ principe Iob cap.29. vers.25. *Cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Cuius loci communis expositio est Iobum ad regium culmen euectum non deseruisse curam erga pauperes, & indutum regalibus infulis, non exuisse erga afflictos & mœrentes compassionis affectum; alia tamen non incongrua contemplatio potest adiungi, si asseramus ex ipsa pietatis, & miserationis affectione regnum promeruisse, ipsosque mœrentes, & calamitatibus oppressos, expertos suæ ærumnæ alleuiamentum, ipsi imperiale coronamen detulisse, & suũ regem proclamasse; in prima protheoria, miseratio regem inuenit, & ornat, in secunda regem constituit. Charitas enim sibi principatum vsurpat, quot pauperes & miseros alendos, & solandos possedit, tot patronos & suffragatores regiæ dignitatis obtinuit: vt enucleetur Iobi sententia, examinanda est Lxx. interpretum lectio: *Et habitabam sicut Rex in accinctis. Quasi consolans tristes.* Cum postremis verbis: *eram tamen mœrentium consolator*, ea ita vertit catena græca: *quemadmodum passionibus affectos consolabar.* Et Isidorus in eàdem catena versionem illustrat: *eos qui animi miseriis, externis ve premebantur ærumnis, re atque oratione consolabar.* Et recenset Symmachi versionem: *quemadmodum deducit eos dux viæ: consolabar eos miti ac facili adhibita cohortatione, atque humeris eos propemodum gestabam, eorumdemque imbecillitates gerebam, perinde vt qui calamitosis, ægrotantibusque hominibus dux est itineris.* Quibus consonant opera pietatis eodem capite relata: *oculus fui cæco, & pes claudo.* Ex quibus benefactis ita hominum animos deuinxerat, vt ipsum regem acclamarent, militum satellitio latera stiparent, & ei honoratioris cinguli bellatores adiungerent; munitur præliantium manibus, qui cateruis pauperum erat accinctus, diademate regio coronatur, quia eum egenorum, & mœrentium corona circumdat. Conceptum indicat Caietanus legens: *Sedebo caput, & habitabo sicut Rex in exercitu.* Et ait: *quod autem adiungit, sicut mœstos consolabitur. Ratio enim redditur quare vtroque tempore* (pacis & belli) *Iob erat caput, quia erat sicut qui mœstos consolabitur, hoc est perseuerans indefessè in officio consolandi mœstos.* Exprimit tamen & ornat Olympiodorus in catena Græca: *vel ab hospitibus & peregrinis regiam dignitatem accepi.* Tantam in hospitio, & mensa liberalitatem experti dignum imperio iudicabant hospites & peregrini. Erat Iob alioquin regalibus paludamentis insignis, & decorus, quam dignitatem eius virtus, sapientia, copiæ, in tractandis, & discernendis rebus publicis dexteritas ei donauerant; Ille tamen primatus, & regnum, quod ei detulit misericordia, & pietas in egenos, multo illustrius, & diuinius. Agens Chrysostomus de arte eleemosynæ, & quod est omnium artium, & facultatum quæstuosissima, ait tom.5. homil.33. ad populum Antiochenum: *Hanc itaque suscipiamus artem & scientiam, & obeamus. Melius est enim hanc scire, quàm esse regem, & diademate coronari.* Neque enim ita ornat diadema splendescens lapidibus indicis, & auro fuluo, rosea purpura, & regalis sceptri ornatus regem; sicut vir iustus apparet conspicuus charitatis corona, cyclada misericordiæ ornatus, circumamictus varietate operationum erga pauperes; illa magnalia cum tempore labente, labuntur, & pereunt; hoc tamen decus regium fidus est comes, qui virum misericordem, nec in morte, aut tumulo deserit suum imperatorem, sed perpetuo satellitio ei adhæret in æternis mansionibus, & regia Dei cæli aula. Hunc capitis ornatum & principatum obtinuit Iob: quia *erat mœrentium consolator. Sedebat quasi Rex circunstante exercitu.* Alterum misericordiæ principem, & eximium imperatorem stipatum cateruis egenorum, copiisque debilium, & languentium Ioannem liceat cernere, qui factus est, & formatus ad solamen, & subsidium mœrentium, orphanorum patronum, pupillorum actorem, & tutorem, ægrotantium curatorem, iure sedet in Ecclesia Dei in excelso solio manibus misericordiæ, & charitatis fabrefacto, quasi Rex populi languentis circunstante exercitu. Cui heroi non perfunctoriè aptabis versionem Lxx. *Habitabam sicut Rex in accinctis.* Et Augustini: *Rex cinctus fortibus.* Qui fortes sunt, & accincti nisi Angeli, quos præsto habebat Ioannes sui muneris socios, coadiutores, & militiæ sacræ sub vexillo charitatis adscriptos, ad propugnandum, & protegendum miseros, expugnãdum languores, propulsandum ærumnas, perpetuos commilitones? Ioannes enim sæpissimè cum Raphaële xenodochiis præposito, onus baiulandi infirmos, & abiectiora pauperum obsequia partitus est. Rex cinctus fortibus Angelis, & princeps & dux in accinctis suis fratribus, qui ad pauperum obsequia semper sunt in procinctu.

3. Moritur Sara in ciuitate Arbel, venitque Abraham vt mortuam defleret, & funeri iusta solueret: expleto pietatis officio postulat à Chananæis conditiuum, vt vxorem mortuam tumularet. Genes.cap.23.v.3. *Cumque surrexisset ab officio funeris loquutus est ad filios Heth dicens: aduena sum, & peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum. Responderunt filij Heth dicentes: audi nos Domine, princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum.* Quo in loco non immoror in contemplanda contemptione rerum terrenarum, quæ vigebat in Abraham, cùm vir inclytus nec minimam terræ glebam possidens, tanquam aduena, & peregrinus à labente sæculo, ciuitatem in omne æuum permansuram in cælis expectans, postulat ius sepulchri. Illa tamen præclara Abrahami commendatio à filiis Heth prolata, iustam pensiculationem requirit: audi præclarum & veridicum Hethæorum responsum: *audi nos Domine, princeps Dei es apud nos.* Has meritas laudes varietas lectionum amplificat. Tigurina legit: *princeps diuinus es tu inter nos.* Vatablus: *Pro magno principe te habemus.* Cornelius à Lapide ita illustrat: *Septuaginta vertunt Regem sanctum, qui Deo charus, & curæ sis, ac proinde insignis & illustris sis, eximieque venerandus suspicimus te ob tuas virtutes, & propter Dei erga te fauorem, curam & protectionem: perinde ac si magnus esses princeps, ex cælo ad nos lapsus.* Quamobrem, & virtutem eximiam, hæc encomia Abrahæ prædicant

Iob. *Iob ex affectu, & pietate erga pauperes, regni trabeam promeruit.*

Lect. Lxx. *Iob miserorii solamen, & lætitia.* Cat. Græc. Isidor.

Lect. Sym. *Sicut dux itineris ægrotos humeris portabat, eorumdemque imbecillitates gerebat.*

Caietan. *Quia mœstos consolabatur, caput pauperum constituitur.*

Olymp. Cat. Græ. *Ab hospitibus, & peregrinis regiã dignitatem accepit.*

Primatus ex misericordia Iobo delatus, illustrior, & diuinior. D. Chrysost.

Eleemosynæ artem scire, melius est quam esse regem.

Ioannes Dei misericordiæ princeps, Charitatis rex.

Lect. Lxx. D. August. *Habitabat sicut rex accinctus fortibus nimirum satellitibus Angelis.*

Abraham sepulchri conditiuum, postulans à Chananæis, Dominus, & princeps Dei ab ipsis proclamatur. Genes.

Lect. Tig. Vatabl. Cornel. Lect. Lxx. *Quare Abraham Chananæi vocant regẽ magnum, principem sanctum & diuinum.*

dicent Hethæi merito perscrutaberis? Quod enim maximum, & augustissimum in eo eminuit, vt illum principem Dei, regem diuinum, sanctum velut è cælo dilapsum clamitent? Respondet Abulensis celebratissima fuisse Abrahæ facinora, quibus tot insignia laudationum promeruit. Primo sua comitate, & clementia, verborumque dulcedine barbarorum animos adstrinxerat, & in profusas commendationes linguas soluerat; quod quinque Reges Sodomorum fusis eorum copiis, & vsque ad internecionem deletis, profligarit, & hostium spoliis onustus victor redierit: quod gentes Gigantea proceritate vastas, & robustas, in montibus Seir deleuerit; quod filium in senecta & effœta ætate, sterili, & senio confecta Sara obtinuerit; victimam gladio, & busto à Deo destinatam, de mortis faucibus & incendio diuina, & Angelica prouidentia ereptam, obedientiæ miraculum ab omnibus conclamatum: Hæc omnia, & alia complura longe lateque fama vulgauerat, quibus sanctimoniæ, pietatis, & virtutis incomparabilem gloriam asciuerat: Illud tamen decus non inferiori gradu reponendum pietas in egestate confectos, in aduenas & peregrinos hospitalitas, quæ *magni, sancti, & diuini principis* nomen peperit. Huius asserti non debile argumentum sumimus ex cap. 21. antecedenti vers. 33. *Abraham vero plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.* Quod fuerit institutum in plantatione huius siluæ, variè exponunt interpretes, quorum placita sunt: consitam esse ad domus ornatum, & gratum oculis decorem, ad peregrinantium quietem, vmbraculum, hospitum refugium, ad orationis domum, litandum Deo, sacræ Philosophiæ gymnasium. Lipomanus in catena Genesis hæc ex Thargo Ierosolymitano verba recenset: *Abraham hortum plenum optimis fructibus plantauit, & peregrinos suscepit hospitio, quibus gratis necessaria omnia suppeditabat, nihil aliud exigens pro pretio, quam vt scilicet orbis conditorem agnoscerent, venerarentur, & timerent rectorem cæli, & terræ, cuius solius donum esset quidquid comedissent, vel bibissent.* Quæ omnia Pererius approbant, & Cornelius: confirmat Abulensis: *Locus ille erat sine arboribus, ideo Abraham qui delectabatur in suscipiendo hospites, plantauit arbores, de quarum fructibus recrearentur viatores, & eorum visu delectarentur. Et inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni. Ibi hospites ad laudandum Deum, & gratias reddendum ei, pro beneficiis incitabat.* Erat pietate, & sapientia plenum pectus illud sacri symposiastæ Abrahæ, nec solam alimoniam offerebat gratis, subleuandæ causa inediæ corporis, sed præbebat pabulum animæ: erat totus destinatus, & deditus hospitalitatis officio, peregrinorum & viatorum subsidio; plantauit lucum, vt eos alliceret, non solum charitatis obsequio, sed amœnioris loci oblectamento, vt à silente silua, densarum frondium opacitate, & vmbra commodiorem acciperent admonitionem ad laudandum creatorem: Erat domus Abrahæ diuini cultus schola, asylum viatorum, diuersorium peregrinantium, in quo candidam beneuolentiam, à lucro & retributione temporanea alienam largitatem experiebantur. Huius hospitalitatis fama percrebuit apud Hethæos, quorum incola erat Abraham: *& fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.* Ore omnium celebrabatur hospitantis affectus, humile obsequium, in omnes profusa largitas, hoc igitur misericordiæ ministerium inclytum, illud decus sibi conciliauit: *principis diuini, sancti, & magni: Princeps Dei es apud nos.* Dicunt filij Heth. Verè Dei princeps, qui Dei munificentiam æmulabatur, bonos, & malos suscipiens charitatis amplexu, hospitans misericordiæ gremio. Iam enim hospitandi in sinu pauperes munere, quod retinet in cælis, initiabatur in terris, felici auspicio suscipiens in domo sua, & nemore peregrinos.

Abul. *Propter eximia trophæa de quinque Sodomorum regibus reportata.*

Propter obedientiæ miraculum, in mactando filio.

Propter pietatem, & hospitalitatem erga egenos, & peregrinantes sancti, & diuini principis infulis ornatur. Genes.

Abraham nemus plantauit ad viatorum vmbraculū, & refugiū. Lippom. Chald. *In hoc horto Abraham peregrinos suscipiebat hospitio, & gratis necessaria suppeditabat. Donorum pretium, Dei laudatio.* Perer. Cornel. Abulen.

In hoc pomerio hospites ad laudandum Deum & gratias reddendum pro beneficiis hortabatur.

Misericordiæ ministerium decus regiū Abrahæ conciliauit.

4. Benefacta pietatis diuinæ impensa populo recenset Dauid Psalm. 145. vbi nuncupat Dominum populi patronum, ex omnibus periculis liberatorem, & redemptorem, omnium languorum medicum, cæcorum ducem, & lumen, in carcere vinctos visitantem, & de neruo, & catenis eripientem, prædicantem clausis apertionem; iacentes in miseriarum ergastulo, & grabato mortis, aut in varias calamitates corruentes, erigentem & subleuantem, aduenas, peregrinos, orphanos, viduas omni humano subsidio destitutas, fulcientem, sustentantem inexplicabili benignitate, visceribus misericordiæ hospitio suscipientem. Celebrat suis carminibus prædicta omnia à vers. 7. *Dat escam esurientibus. Dominus soluit compeditos: Dominus illuminat cæcos. Dominus erigit elisos. Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet.* Quid inde deducitur ô cælestis Psalmicen? *Regnabit Dominus in sæcula.* Ac si diceret: vel ex hoc dignus imperio, quia pauperibus alendis, subleuandis, curandis, incumbit. Qui enim tam mirificas operationes misericordiæ populo suo exhibuit; dignus est vt in æternum regnet; vt diadema regni cingat caput, ex quo tam pia consilia; sceptrum ornet manus, ex quibus tantæ clementiæ opera profluxerunt. Vt regnum quod habet à natura, illud ei misericordia, & benignitas donarent.

Dominus Deus, propter varia munera donata languentibus, Rex æternus prædicatur.

Psal.

5. Colludit cum huius sacri hymni sententia Euangelica Ioannis historia c. 6. Quando mensa à Iesu in deserto proponitur, alimenta & dapes tot hominum famelicorum millibus parantur. *Dicit ad Philippum vnde ememus panes, vt manducent hi?* In qua percontatione, de pectore Christi arcanam intelligentiam eruit Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioannem cap. 13. *Optimam disciplinam* (inquit) *& sacris consentaneam viris, suis modo discipulis Christus proposuit. Nam etiam in montibus & deserto paratos esse docuit oportere ad hospitalitatis virtutem: quaquidem re, quid homini, qui Dei charitatem assequi velit, maius excogitari potest?* Saturatis, & refocillatis populis, omnes vnanimi consensu in eam sententiam venerunt, esse dignum imperio suum altorem, qui tale facinus subueniendi egenis, & languidis diuinitus patrarat; quare vltronei infulas regni deferunt Christo, qui licet oblatas constanter recusarit, fuga in montem se subducens, ad nostram admonitionem, & exemplum, ne prælaturas ambiamus, sed mundi gloriam quasi acerbum hostem fugiamus; & quia non egebat temporaneo, & ab hominibus renuntiato, qui regnum à Patre possidebat æternum; tamen populorum Christum sectantium beneuolentia commendatione, & gratitudine digna est, vt annotat

D. Ioan.

D. Cyr. Alex. *Dominus Iesus etiam in monte paratos esse voluit discipulos, ad hospitalitatis officium.*

Iesus dignus imperio proclamatur à turbis, quia pauperes aluit.

Digitized by Google

D.Cyr.Alex.

annotat S. Cyrillus ibidem capite 20. dicens: *Laudabilis sane sententia fuit illorum, qui quod apud homines summi honoris est, in Christo digne conferri posse arbitrati fuerunt. Nihil enim aliud hac regni oblatio, quàm hanc animi sui de Christo sententiam significat.* Viderant Christi liberalitatem, & prouidentiam in regali mensa in deserto apparata, diuinam virtutem experimento compererant in prodigiosa multiplicitate panis, pro libito satisfecisse auiditati naturæ, in cibo hordeaceo quasi ambrosiæ gustum, & saporem delibasse; isthæc exuberans clementia in medios, supremos, infimos profusa largitio, regium coronamentum promeruit; iustum ergo consilium populorum Christum principem acclamantium, qui adeo hospitales viros adhibuit in hoc pietatis officio, qui hoc inaudito miraculo ad munus hospitandi etiam in eremo homines excitauit, vt consortes faceret imperij charitatis, vt ad maiora speranda de munifica Dei manu in arduis negotiis eorum animos instituerct, quando homines non solum saturos inueniunt repulso discrimine famis, & inediæ, sed duodecim cophinos de analectis colligunt. Diuina enim hospitalitas satisfacit omnibus, & superabundat, mensura supereffluenti commiserationis.

Psalm.

Domus Rahab ab excidio, & direptione eripitur.

Rahab in Saluatoris genealogia adscribitur propter hospitalitem.

6. Amplissimis donis remuneratur à Deo Rahab meretrix, & decoratur honoris insignibus, cuius nomen æternæ memoriæ commendatur Psalm.86. vers.4. *Memor ero Rahab.* In vrbis Ierichuntinæ expugnatione, & vastitate, publico edicto ei vita donatur, pereuntibus vniuersis, & illius domus eripitur à rapina militum. His adiice maiora, eam accepit vxorem Salmon princeps tribus Iuda, ex eaque deducta est, tota illa inclyta, & nobilissima Regum Iuda progenies vsque ad Christum Dominum, & illius Genitricem, vt constat Matthæi capite 1. Cur in tam glorioso stemmate Genealogiæ Saluatoris, recensita linea Regum eorum, stirps ponitur Rahab ignobilioris, & indecoræ fortunæ fœminæ? Respondet Abulensis tomo 7. in Matthæum cap. 25. quæst. 374. dicens: *Rahab Hierichuntina quia exploratores domo sua recepit, habuit nomen æternum in Israel cum esset Chananæa, & in genealogia Christi locum habuit.* Agit hic Abulensis de laudibus hospitalitatis, & in hoc munere recenset insigniora exempla vtriusque sacræ paginæ veteris & nouæ, pulchrè prædixerat: *istud opus hospitalitatis laudatur valde exemplis*, &c. Glossa Lyræ in caput 2. Iosue, ait: *Rahab in cuius domum ingressi sunt exploratores Iosue, esse perfunctam hospitandi officio in vrbe Iericho: Translatio Chaldaica* (inquit) *vbi nos habemus mulieris meretricis, habet mulieris hospitalariæ.* Propter munus recipiendi beneuola fide, & tutela exploratores peregrinos, redditur famosa: Hospitalitas in Rahab omnes titulos inglorios, & rumores improbitatis expunxit, ex scorto immutauit in religiosam, & piam fœminam, cuius fores meretriciis impuritatibus afflatæ, Saluatoris cruore, & Crucis triumphali vexillo, in filamento coccineo signata est: Hospitalitas publica voce præconis, & vitam donauit, & singularis gratiæ prærogatiua, in communi vrbis excidio, & damnatione anathematis, eius domum reddidit impunem;

Abulen.

Glossa.

Rahab in vrbe Iericho hospitalariæ munere perfuncta.

Hospitalitas in Rahab, omnes titulos inglorios expunxit.

nec enim poterat deuastatio, & mors in charitatis domicilium irrumpere, quod fidei, & hospitalitatis erat vallatum præsidio: Hæc ex pellice vxorem regiam reddidit, Salmoni nobilioris tribus capiti, & principi contradidit iugalem; inter diuinioris generis adoreas, & magnalia Regum, Patriarcharum, Prophetarum inseruit; & Dauidis Regis auiam fecit. Matthæi cap. 1. vers. 5. *Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem, genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid Regem.* Cernis quot decora & coronamenta acceperit Rahab ex hospitalitate.

Ex pellice vxorem regiam reddidit hospitalitas.

7. Vt prædicta omnia summatim colligam, hac Deus gloriatur, Iob Rex proclamatur, Abraham Dei princeps dicitur, Christus iudicatur dignus imperio deferentibus populis regni suffragia: Hac denique Rahab ad firmamentum cæleste Dauidicæ stirpis euehitur tanquam fulgentissimum sidus: Hoc hospitalitatis donum cùm Iudæa non tenuit, merito vrbem, & imperium amisit. Cerne primarium virum Ierosolymæ se ipsum imperij infulis exuentem ob defectum hospitalis miserationis, & respondebit in die illa dicens: *non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere principem populi.* Pulchre Hieronymus expendit verborum sensum: *pro medico Symmachus & Septuaginta transtulerunt principem, id est ἀρχηγὸν Theodotio: ἐνδησόμενον qui liget vulnera, & prouideat sanitati*, &c. *is autem dicet, qui princeps fuerit electus, nec posse mederi vitiis, id est curare languentes, esurientibus cibum tribuere, vestire nudos, qui ipse se sustentare vix valeat.* Hæc decora, quæ synagoga abiecit, ad Ecclesiam suam, & sanctum hospitalitate celeberrimum Ioannem transmisit: Hic cælestis corporum medicus, & curator animorum est; hic princeps qui ligator est vulnerum, & infirmantium, prouidentissima miseratione consulens sanitati. Hic medicamina adhibebat vitiis, curabat languentes, esurientibus alimenta præbebat, nudos indumentis ornabat; egenorum, pupillorum, viduarum consolator, & altor instar Dei in æternum regnat, imperator turbis pauperum accinctus sicut Iob, Dei princeps nuncupatus sicut Abraham, alens & suscipiens pauperes in domibus suis per orbem dispersis, sicut Christus cibauit, & hospitalitatem docuit Apostolos in desertis locis. Non in temporaneam genealogiam Christi inter atauos Regios sicut Rahab propter munus hospitalitatis adscriptus, sed in Dei genere, & diuina prosapia inter misericordiæ Heroes, charitatis Deos perpetui regni consortes Ioannes vocatus Dei.

Munus principis est, mederi vitiis, curare languentes, alere esurientes, vestire nudos.

D.Hieron.

Beati Ioannis Dei decora.

* * *

DISCVR

Digitized by Google

DISCVRSVS X.

Gratissima Deo, & cælicolis misericordis viri hospitalitas, quæ in vita & in morte omnium felicitatum cumulata mercede remuneratur.

Prima felicitas.

Hospitali viro è vita decedenti paratur Dei ductus, Angelorum plausus, satellitium, & hospitium.

Isai.

1. Celeberrimus est Isaiæ locus opera misericordiæ commendantis, & ante oculos constituentis æternam, & temporaneam eorum remunerationem. Capite 58. vers. 7. ait: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tuâ citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.* Verosimilibus argumentis, & rationibus illustrandus hic locus, & ex illa communiori promissione facta operibus pietatis eorumque administris, placide deducendus ad singulare munus hospitandi pauperes, quod in Ioanne Dei refulsit. Primores Patres & interpretes in his verbis pensitant stipulationem factam à Deo temporaneæ, & æternæ beatitatis venerabili hospitalitati, de qua sententiam illam: *egenos vagosque induc in domum tuam*, vsurpant glossa interlinearis: *induc hospitales inuicem, præbe tectum, accipe cælum.* Hugo Cardinalis: *non solum suscipe hospites, sed compelle rogando.* Et quod caput est, S. Hieronymus annotat in Hebræo esse: *induc in domum* suppresso possessiuo *tuam.* Additque: *vt si tuam non habeas inducas in hospitiolum, quod mercede conductum, vel beneficio possides.* Vt primum domicilium Ioannis Dei insinuet mercede conductum, primitiuum charitatis tectum, piorum hominum liberalitate spondis, stragulis, operimentis ornatum, in quod pauperes solicitus inuehebat. Arduum profecto opus in quo laborum saxa emollienda, difficultatum culmina complananda. At charitas nullis obicibus remoratur; præsertim cum Dominus strauit aspera in vias planas, & æquatis montium iugis fecit viam hospitalitatis regiam. In hoc sensu expendit illud comma: *anteibit faciem tuam iustitia tua,* S. Cyrillus Alexandrinus: *Leuigans scilicet ante pietatis viam, & aspera reddens leuia, & peruia, & quod præruptum est tollens, & cursum ad omnia optima velut patefaciens.* Erat hoc munus hospitandi pauperes iniuria temporis obsoletum, velut nemus dumetis, & tribulis inhorrescens, aut semita in solitudine obturata, & saxeo montis oppressu sepulta, quod excindere parat hic Dei vir, & præsidio altissimi planum reddere, viamque reddere peruiam, iucundam, & pulchram suis vestigiis, vt sectatores suos eximiæ charitatis æmulos ad cursum inoffensum inuitet.

Pia hospitalitas, & misericordia pauperibus impensa celebrantur illustri vaticinio.

Præbe tectũ pauperi, & accipe cælum.
Glossa.
Hugo.
D. Hieron.
Qui non habet tectum, inducat pauperes in hospitiolum mercede conductum.
Primum Beati Ioannis hospitiũ.

Ioannes planam fecit viam hospitalitatis regiam, quæ antea erat aspera.
D. Cyr. Alex.

Vbi attente perpende huius strenui ducis animositatem, & prudentiam, qua milites suos accinxit, & adstrinxit irreuocabili decreto humilitatis, quo fores obstruxit gloriæ, ne ambitu periculoso ad sacerdotij infulas aspirent, ne ad brauium tantæ vocationis currentes, clericali dignitate remorarentur, validissimo apud ipsos hospitalitatis instituti obstaculo. Id verbis apertis declarat Vates, qui pulchrè præmiserat: *si abstuleris de medio tui catenam.* Legunt Lxx. *Colligationem, & ordinationem*, vel Hieronymo teste: *ordinationem clericorum.* Ac si diceret, euenient tibi omnia gratissima in hac hospitali functione: *si abstuleris de medio tui ordinationem clericorum.* Nam hæc tibi, & tuis asseclis erit vinculum, & nexus, & compes retardans ad obsequium pauperum, hospitalitatis inhibens ministerium. Repulsa hac remora, confractis his repagulis egenos & languidos induces in domum tuam, franges esurienti panem, nudum vestimento operies, sanandis infirmantibus incumbes: *Tunc anteibit faciem tuam iustitia tua.* Vbi Hugo Cardinalis ait: *id est eleemosyne tue, & opera tua bona. Eleemosyna enim est quasi præcursor hominis in curiam cælestis regis, vt preparet locum facienti. Vnde Prouerb. 18. cap. donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spacium ei facit.* Psalm. *iustitia ante eum ambulabit. Et gloria Domini colliget te. Id est gloriosè colligeris ad patres tuos, & eris in collegio sanctorum merito eleemosynæ. Quasi diceret: non solum iustitia tua anteibit, sicut nuntius ad placandum Dominum, sed etiam iustitia tua sequetur te: vt merito bonorum operum fructum consequaris æternum.* Nec inferiori gradu reponenda contemplatio sancti Cyrilli Alexandrini: *Gloria enim Dei* (inquit) *circumdabit te, id est cinget te, & te suspiciendum reddet, & vt commune sis multorum præsidium splendor enim sanctorum iuuat haud mediocriter eos, qui in ipsum imuentur.* His annecte Tigurinam: *tunc erumpet velut aurora lux tua.* Et Vatabli scholium: *Lux omnia felicia significat tunc eris felix, & omnia tibi prospere cedent.* Nec solum felicitatum, & beatitudinum omnium concursum hic locus insinuat, sed Christi Domini ducatum in cæli aulam. Quare Vatablus pie legit ad ea verba: *anteibit faciem tuam iustitia tua.* In hunc modum: *Tunc Christus iustificator tuus deducet te in cælum, vbi vitam æternam consequeris, quæ est gloria, qua Dominus afficit suos.* Et Hugo Cardinalis: *Christus, qui omnes iustificat, anteibit ad gloriam.* Enim vero hoc in loco solerter pensiculanda munifica Dei manus in remuneratione iustorum, nec enim solum caput misericordis viri gloria æternitatis exornat, sed quodammodo par pari refert, & munia omnia hospitalitatis recompensat mirificis gloriæ splendoribus. Piæ operationes ab Isaiæ catalogo relatæ hæc sunt: in domum inducere pauperem, alimoniam conferre, vestimento eum induere, officium curatoris agere, sanum & valentem reddere ægrotum, pannosorum colligere cateruas, & ad hospitium cogere, & reliquæ.

Ad perseuerantiam muneris hospitandi pauperes, Ioannes sodalibus suis sacerdotij dignitatẽ interdixit.

Ordinationem nuncupat vinculũ.
Ordinationẽ clericorum abstulit.
Lect. Lxx.
D. Hieron.

Hugo Card.
Eleemosyna est hominis anteambulo, qui viam, & ingressum parat in curiam cælestis regis.

Merito eleemosynæ colligeris in cœtu sanctorum.

D. Cyr. Alex.
Misericordem virum gloria Dei circumdat, & ornat, vt sit commune multorum præsidium.
Lect. Tig.
Vatabl.
Viri misericordis quanta sit felicitas.
Vatabl.
Christus misericordia viros deducit in cælum.

Hug. Card.

Omnia hospitalitatis munia Deus speciali gloria recompensat.

reliquæ. Cerne hæc opera æquabili præmio, & parili mercede abunde coronata. Et ausculta Isaiam Dei vicem agentem, & clamantem de vaticinij solio: impendam quæ impendisti, reddam quæ dedisti, beatitudinis immutatione, & renouatione illustriora. Dedisti panis frustum, do tibi integrum beatitudinis gaudium. Ad abiectiora, & viliora pauperum obsequia te accinxisti, *gloria Domini* (iuxta Sanctum Cyrillum) *circumdabit te, cinget te.* Habuisti in manibus lucernas amoris flamma splendentes, quas oleo commiserationis in desolatos, continuo refouebas: *Erumpet quasi mane lumen tuum.* Et vt ait Sanctus Cyrillus: *non dixit simpliciter dabitur tibi à Deo lumen, sed erumpet potius instar fulguris cuiusdam, cum impetu, & cursu demissum à Deo.* Quid enim continuè suspirantis animæ pro suo creatore, & egenorum amore flammæ, & euaporationes igneæ in generarent in nube illa diuinæ clementiæ, & iustitiæ mercedem superefflucntem pro benefactis retribuentis, nisi fulgura quibus reddebat iustum charitate fulgurantem, & splendorum ambitum cælestium, quibus adhuc in ergastulo sæculi huius vultus apparebat gloriosus? Nisi fulmen amoris, & luminis, quo videat Deum in patria, & de eius intuitu gaudeat, & fruitione diuinitatis quasi busto quodam deifici amoris inardescat. Respondent flammæ flammis, ardores ardoribus. Collegisti pauperes, & impulsos intrare coëgisti sub humilis domunculæ tectum rimulis fatiscens, ventis & temporum iniuriis peruium. Gloria Domini colliget te in æternam Christi mansionem fulgentibus lapidibus stratam, stellatum solium concameratum crystallino lacunari, & aureo fastigio. Induisti pauperes indumento, ornabo te diploide iustitiæ, & cyclada gloriæ, & honoris æterni. Munere medici, & curatoris infirmantium es perfunctus, genua debilia roborans, & corpora conualescere faciens: *sanitas tua citius orietur.* Hugo Cardinalis: *Christus qui est verum lumen, & verum mane te illuminabit, & sanabit cum prædicta feceris. Malachiæ 4. vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Et rectè in pennis salubritas ostenditur, quas volucres solent expandere super pullos, & aquila illa Iesus prouocans ad volandum pullos suos portauit in humeris suis, cuius charitatis mentionem faciens Dominus repetit, quo modo portarem vos super alas aquilarum, vt tuitionem inaccessam colubro, dulcis illa baiulatio ostendat. Alis medicinalibus illos portat ad cælum, qui suis humeris pauperes baiulant ad hospitium, dat eorum corporibus, & animis sanitatem æternam, qui medicamenta applicant infirmis temporalem. Describit hanc factis consonam remunerationem Sanctus Chrysostomus homilia 45. in Acta Apostolorum, qui in persona Christi fatur: *pœnas decernit his, qui non suscipiunt, & honores his qui suscipiunt. Suscepisti me, inquit, in tuum diuersorium, accipiam te in regnum Patris mei. Famem meam soluisti, soluam tibi peccata. Vidisti me ligatum, videri te faciam solutum. Vidisti me peregrinum, faciam te ciuem cælorum. Dedisti mihi panem, do tibi regnum integrum, ita vt hæres sis ac possideas.* Et statim: *Manus verè benedicta, quæ talibus ministeriis seruiunt, quæ dignantur ministrare Christo. Induisti vestimentum, & indueris veste salutari.* His demum adiunge cæcos, & languidos, claudos, & aridos, manu ducebas ad hospitalem domum, & tuum contubernium: *Christus iustificator tuus* (ait supra Vatablus) *deducet te in cælum.*

Qui ad obsequium pauperum accingitur, gloria Domini cingitur.

Qui miserationis habuit accensam lucernam singulari lumine gloriæ decoratur.

D. Cyr. Al.

Amoris ignei vapores, & suspiria pietatis fulgura ingenerant, quibus vir iustus circumdatur.

Medico, & curatori pauperum æterna Iesu sanitas oritur.

Hug. Card.

Solis iustitiæ æmulus qui alis medicinalibus scapularum, pauperes vehit ad hospitium.

D. Chrys.

Stupenda Domini beneficia curatoribus pauperum impensa. Similia ministeria in cælis tribuit Deus, quæ pauperi sunt in terris donata.

Manus benedicta quæ

Christo in pauperibus ministrans.

2 Non erit absonum si Iobi misericordiam, & hospitalitatem repetitis laudibus celebremus. Recenset scriptura diuina numerum armentorum, ouium, camelorum, asinarum, hæc omnia erant ei: *ac familia multa nimis* Iob cap. 1. v. 3. in catena Græca legitur: *& ministerium multum valde, & opera magna erant in terra.* Origenes libro 1. in Iob: *ministerium copiosum.* Quodque illud sit subiungit: *certum est quod & mensa eius, atque sedes eius, & ministerium copiosum; sed plus erat ministerium copiosum, quod ministrabat hospitibus, & aduenientibus, infirmis, & miserantibus destitutis, & peregrinis, pauperibus & infelicibus. Pro horum ergo omnium susceptione nimium copiosum habuit ministerium.* Hoc copiosum ministerium pietatis, ipsemet apertius testatur cùm sub dio habitaret in sterquilinio cap. 31. v. 32. *foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Et Chrysostomus in catena Græca illuc illustrat: *Hominis hospitalis, & ex Abrahamea nobilitate orti hoc est insigne. Domum, inquit, habui communem, mensam communem, mea haud mea, sed domini ratus. Dominus enim dedit, ergo cum conseruis partienda cibaria. Vidisti humilitatem, vidisti humilitatem, vidisti clementiam, vidisti liberalitatem. Cum enim bonum ipsum communionem amet, dextram omnibus porrigebat, domum cunctis patefaciebat.* Ministrabat copiose pauperibus, sed abundantiori remuneratione ei Angeli ministrarunt. Nolunt in hac parte cælites vinci, sed certant ambitioso famulatu Iobo partes dare, vt excitent sacræ functionis sodales ad exercitium pietatis. Pulchre Origenes eodem loco sequentia verba annectit: *Puto quòd & in cælo, & in excelsis copiosum nimis habuerit ministerium. Plurimi ministrauerunt ei super terram pro miserorum susceptione, sed pluriores ministrabant ei in cælis cælestes Angeli incorruptibiles eleemosynas, atque bona opera eius in memoriam coram Deo in cælum deferentes.* Postea describit Iobo ex hac vita migranti Angelorum factum occursum, splendorem satellitum, & cælestis militiæ gloriosum apparatum, & obsequium; quo ei omnes velut certatim obsecundant, & in fasciculo viuentium suscipientes, suis manibus collocant: Placidissima sunt quæ subsequuntur apud Adamantium, qui omnes sapientiæ & eloquentiæ lepores in Iobi commendatione, & hospitalitatis encomio fundit: *Omnibus itaque modis ministerium copiosum erat beato Iob. Quale putas illi fieri obsequium ad susceptionem, & gloriosum quoque honorem ô amice cum anima eius exiens de corpore ad illud sæculum transiret; cum illi occurrerent omnes Angeli, quando gauisæ sunt ad eum omnium sanctorum animæ, quando omnes animæ miserorum atque inopum, quibus super terram bene fecerit, beneficiis eius attestatæ sunt? Quæ vniuersa in lucem illic procedentes gloriosè occurrunt, atque sancta attestantur, non solum*

Quod fuerit sancti Iob ministerium copiosum, & multum valde.

Iob.

Cat. Græc.

Orig.

Pro susceptione, & hospitio pauperum, & infirmantium copiosum habebat ministerium.

D. Chrys.

Cat. Græc.

Hominis hospitalis insigne, domum, mensam habere omnibus pauperibus communem.

Copiosum ministerium angelorum habuit Iob apud cælites.

Angeli eleemosynas Iob deferebant in cælum.

Orig.

Iobo hospitali, & curatori pauperum è vita decedenti omnes angeli, & sanctorum animæ pauperum exultanter occurrunt.

Pauperes accepta à Iobo beneficia attestantur.

solius

Similis felicitas misericordiæ virorum promittitur.

solius Iob virtutibus, sed & omnibus qui similiter vt Iob eleemosynas miseris, ac beneficia infelicibus impertiunt. Quæ omnia in vero, & stricto sensu non tam de apparatu magnifico, quo receptus est Iob in cæli palatium, vsurpo, cùm in eius transitu adhuc occlusis paradisi foribus, nulli ante Christi ingressum patebat aditus, ideo depositus est in sanctorum patrum sinu, & receptaculo, vt fide & spe aleretur Redemptoris, qui tot in domo sua saturauerat pauperes; quam de solemni pompa cælestium exercituum, qua in obitu suo susceptus est Ioannes. Properarunt in eius aduentum, & occursum acies Angelorum, Sanctorum cohortes, plaudentes, collætantes, gratulantes, tota miserorum, egenorum, viduarum, pupillorum turba, quos educauerat, quos aluerat, quos curauerat, quos induerat, ex alto cælo demittitur circumquaque illum stipantium, benefacta pietatis in se ipsis experta testificantium. *Quando omnes animæ miserorum, atque inopum, quibus super terram benefecerit, beneficiis eius attestatæ sunt.* Vnus dicebat hic me effusum maternis visceribus, & proiectum ad exteras ianuas & derelictum, quiritantem in limine inuenit, leuauit in sinu; altricem, & baiulam exquisiuit pretio conductam, vt foueret, vt lactaret, vt honestis exercitiis erudiret. Alius clamabat me pene animam agentem, præ inedia tabescentem, de stercoreo stramento leuauit, & sublatum humeris in hospitalitatis domicilium inuexit, vbi languoris exemptus ærumnis conualui. Hæc vel alia similis oratio fit Hospitalitatis principi; huiuscemodi epinicia canuntur triumphanti circumdato Angelorum satellitio: *Cum illi occurrerent omnes Angeli.* Viden supernorum spirituum satellitium.

Solemnis pompa cælestium exercituum; qua suscipitur in paradiso Ioannes Dei.

Auari diuitis, & tenacis insipientia, & infelicitas.
D. Lucas.
D. Amb.

3. Tenacem illum diuitem, & chalybea duritie erga pauperes præditum, prouentibus annuis anxie incubantem, in abundantia inopem, in felicitate miserum, apud Sanctum Lucam cap. 12. sapienter redarguit sanctus Ambrosius libro de Nabuthe cap. 7. explorat intima pectoris auari, illiusque adhæret lateri, & surdis auribus stillat consilia proba; improba, & sibi aduersa postulantis. Perpendit numeri 18. censa, quæ mammona iniquitatis inspirat: *Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea.* Certè in quanta discrimina, turbationes, & errores lapsus est opulentus insipiens; superaffluentem abundantiam, quam cæli pietas, & cespitis clementia donauerat ad commune miserorum emolumentum, rigidiori quadam auaritiæ censura sibi soli vsurpat. Sic sic fallaciæ illecebris, & mendacis adulationis blandimento irretitur auarus. Et decipitur; vt oblitus sospitatis alienę, iacturam faciat suæ, æternæ egestati addictus. Felix si largitatis, & miserationis secura alienatione bonorum, beatiore acquisitione, & proprietate in æternum ea possideret. Quod enim retinere sibi parat, destruitur; quod dispergeret, & communicaret extraneis, in corporis sui, & animæ salutem redundaret. Audiendus est Mediolanensis Antistes: *Tu verò quod per te multis nasci voluit (Deus) tibi soli reseruas, imino*

D. Amb. Diues, quod sibi reseruat, admit; quod

& tibi ipsi admis. Magis enim seruares tibi, si dispertires aliis, bonorum enim fructus munerum in eos ipsos qui contulerint, reuertuntur, & gratia liberalitatis, in auctorem boni operis redit. Denique scriptum est (Osee cap. 10.) seminate vobis ad iustitiam. Esto spiritalis agricola, sere quod tibi prosit. Bona satio in corde viduarum, si terra tibi reddit fructus vberiores quam acceperit, quanto magis misericordiæ remuneratio reddit multiplicíora, quæ dederis. Quia verò consilia postulauerat diues non à misericordiæ oraculo, sed à propria cupiditate, & in adyto pectoris præsidente auaritia; disturbare conatur improba, & aliena dictamina consiliarius fidelis Ambrosius, lipitudines cupiditatis terrenorum curis induratas ab oculis curat detergere. Animæ, & corporis lumina obcæcant auaritiæ sordes, nec bona existimat, nisi quæ quæstuosa sunt, & maiora possidendi appetentiam demulcent. Perpendit argute, illud effatum auari ex ore excidens: *Habes multa bona.* Quæ sint bona expendit, & quodam compassionis affectu insipientem erudit, quomodo ex mammona iniquitatis iustitiam operetur, ne ex bonis mala sibi creet, quæ suo capiti æternum minentur periculum: *Et ergo qui scit sciat multa bona sunt; et qui vti nesciat, recte mala. Dispersit, dedit pauperibus (Psalmo 111.) iustitia eius manet in æternum. Quid hoc melius bono, si pauperibus largiaris; in quo tibi debitorem Deum quadam pietatis fœneratione constituas? Bona sunt si aperias horrea iustitiæ tua, vt sis panis pauperum, vita egentium, oculus cæcorum, orbatorum infantium pater.* Et statim. *Habes fœcunditatem publicam, quid destruis horrea tua? Ostendo tibi vbi melius tua frumenta custodias, vbi bona sepias, vbi fures ea tibi auferre non possint. Include ea in corde pauperum, vbi nulla tinea, nullus gurgulio ea consumat, nulla corrumpat vetustas. Habes apothecas inopum sinus, habes apothecas viduarum domos, habes apothecas ora infantium orphanorum, vt dicatur tibi: ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Non minus inhiant auari thesaurizandis nummis, & cumulandis copiis diuitiarum, quàm acquirendæ gloriæ, & sui nominis celebritati; sed huius diuitis stulti superbiam, & fastum opprimit auiditas ampliora possidendi, nec insanos impetus honorificæ denominationis permittit in apertam lucem erumpere. Cupido pecuniæ gloriolæ concupiscentiam penè extinxit, & oblitus hæreditariæ successionis, in quam copias posset refundere, complacet sibi, si ipse solus possideat, nec obligationem reddendæ gratiæ aliis relinquat. Quanto melius possideret, & publicam honorificentiam præsumeret, non voce præconis nuntiatam, sed misericordiæ, quæ solet esse vocalissima; si ex vocibus pauperum harmonicos concentus componeret, & suauissimas Deo, & cælicolis cantilenas, quæ impensa celebrarent sibi munera. Hæ non næniæ funebres corporis vita functi, sed Heroum, & triumphatorum epinicia, quæ animum migrantem ad superos in Angelorum theatro ornant diuinis præconiis. Cupis ô diues celebratissima funeri tuo iusta soluere, & celebriori pompa tuum humari cadauer, operi nudos,

sibi admit & aliis si spargit, reseruat.

Spiritalis agricola securus sat... in corde viduarum, & egenorum qui multiplicata colligit, quæ seminauit.

Diuitiæ bene vtentibus bonum, improbe vtentibus malum.
D. Amb.

Si diuitias pauperibus largiaris, optimum tibi bonum acquiris, habens Deum debitorem.

D. Amb.
Optima frumenti horrea, & apotheca secura inopum sinus.
Ex ore infantium qui aluntur, gloria, & laus diuitis perficitur.

Ex ore pauperum harmonicus concentus perficitur, quo ornatur diuitis tumulus.

nudos, hospitare peregrinos; viduarum, pupillorum, miserorum reple sinus panibus. Vt tibi morienti condoleant, lacrymis, eiulatibus, clamoribus repleant tuum domicilium, assideant ferculi portitoribus, beneficia largitatis, laudationes tuas piis celebrantes choris: *ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.* Ambrosianum consilium os quoque aureum produxit in Psalmi 12. commentario, cuius titulus est: *in finem Psalmus David.* Eugubinus legit in Hebræo: *Oratio ad triumphandum.* Chrysostomus: *Epinicion canticum David.* Et vers. 6. subiungit Psalmicen: *cantabo Domino qui bona tribuit mihi*: Cantici compositionem ibidem docet Chrysostomus, & æternum monimentum, qua arte, & industria erigendum: *Non potes ipse forte componere, conuoca pauperes, eorum linguas commodato accipe, & tibi eas compara. Scias eum libentius id auditurum, quàm canticum Dauidicum, quod illi pro te cecinerint. Quemadmodum enim quod ex diuersis est chordis constitutum, iucundiorem emittit modulationem, quàm quod ex vnica: ita etiam quod est ex diuersis pauperibus, Deo, qui audit vocem pauperum iucundum quid resonabit & amabile. Erige tibi ipsi, & Deo huiusmodi monimentum.* Eleganti homæosi excitat auarorum animos, vt erigant monimentum ære perennius suarum laudationum, & diuinæ gratulationis, vt viri misericordis munificentia celebretur, non tuba, non fistula, aut symphonia, quæ simplicitatem vocum continent; sed cithara, sed psalterio ex permixtis, & bene temperatis vocibus compacto diuersorum pauperum, vt gratius melos resultet, aurésque iucundius demulceat, diuersarum operationum pietatis hymnodia, & cantilena. Quot organa hydraulica beneficæ operationis resonant in obitu Ioannis & funerario munere? Quàm pulchrum acroama intonant exercitus cælestes ad commendationem hospitalitatis? quàm canori lyristes orphani, quàm festiui choraules egeni impensa sibi beneficia conclamantes? Quàm gratæ tympanistriæ, & psaltriæ viduæ, lacrymis concinentes, laudibus extollentes patrem pauperum, proprium benefactorem? His fidibus delinitur Deus, cui gratissima sunt hymnodiæ, & doxologiæ, organico, & saturo pauperum gutture, misericordis viri celebrata præconia.

Canticum, triumphus, & æternum monimentum, qua arte erigendum.
Psalm.
Lect. heb.
D. Chrysost.
Ex linguis pauperum suauissima cantilena resultat.

In obitu Ioannis quàm dulce melos, & pulchrum acroama ex ore pauperũ, & Angelorũ resultat.



Secunda felicitas.

Cum Iesu & Deipara Hospitalis viri æmulatio, & parallelium.

4 ÆMulationem quamdam, & similitudinem non exiguam interesse inter Deiparam, & hospitalem virum comprobandam assumimus, in hoc titulo præfixo. Officiosam hospitalitatem Abrahami, & Saræ subsequuta est bonorum omnium scaturigo; arcanorum, quæ priscis patribus erant in voto, detectio; impendentis excidij Sodomorum manifestatio, & aduentus Dei in mundum promissio. Sic annotauit Nouatianus apud Tertullianum libro de Trinitate cap. 26. de cælestibus hospitibus disserens in Abrahami tabernaculo receptis: *quorum pedes cùm lauisset, cinericios panes cum butyro, & ipsius copia lactis offert, & vt hospites retenti vescerentur hortatur. Post quæ, & quod Pater futurus esset, audit: & quod Sara vxor eius paritura ex ipso filium esset, addiscit: & de exitu Sodomitarum, quæ merebantur pati, recognoscit.* Peregrini post epulum, & poculum solent esse vocalissimi, & eorum, quæ in itinere cernunt, vel auscultant, longam & bene adornatam narrationem texere; Cælestes verò hospites in mundo, & à mundo peregrinantes, enuntiationes afferunt de supernis, & futuros euentus promulgant. Merces hospitij est, Sodomorum impendentia damna aperire, promisso germine de Saræ vulua velut de sterili gleba germinante, adornare progeniem, & domum: hospitalis functio pro pane, & vitulo lætiora, & vberiora beneficia compensat. Nec ablutionem pedum inhonoram, aut vacuam remuneratione derelinquit, quam Iesus habitu humano in domo Abrahæ exceperat, eam in filiis Abrahæ in cœnaculo exsoluit, & discipulorum pedes abluit. Argute subiungit Nouatianus: *quod enim erat futurus meditabatur in sacramento Abraha factus hospes apud Abrahe filios futurus: Cuius filiorum pedes ad probationem quod ipse esset abluit: reddens in filiis ius hospitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat pater.* Ad probamentum quod ipse esset, qui Abrahæ apparuit, qui ab ipso Dominus compellabatur, cum ad hospitium incitabatur, filiorum pedes abluit, & linteo abstergit, vt in iis hæreditariam abiectionem ablutionis pedum relinquat testatam Ioannis Euangelistæ monumentis: *Reddens in filiis ius hospitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat pater.* Adeò arrisit Deo humilis Patriarchæ famulatus, vt decreuerit illum in filiis amplificatum reddere: Cerne Christi hospitantis suos pauperes, quantum exuperent obsequio, & muneribus humilitatis decora; pro Abrahæ casula amplissimum parat cœnaculum; pro egenorum, & declinantium ad manendum cibilla, opiparam mensam, & opulentam; pro vitulo tenerrimo, & optimo, suum exhibet corpus, innocentiæ candore, & immaculatæ puritatis eximium, agnum in Cruce immolandum vt vniuersi orbis expiaret delicta. Pro satis, & subcinericiis panibus Eucharisticum sacramentum; pro lauacro pedum trium peregrinatorum, duodecim Apostolorum pedes lauat, vt in ipsos tanquam in Abrahæ natos ius hospitalitatis totum refundat, & non tantum hospitalitatis venerandæ faciat sectatores, & hæredes; sed creditores, quibus hospitale debitum soluat. Accepit Christus, aut ille qui eum exprimebat Angelus de Patriarchæ manibus hospitalitatem ad vsuram, vt cum fœnore, & lucro multiplicatam, & cumulatam redderet filiis. Accepit Christus, iuxta Nouatiani placitum, ab Abraham hospitalis muneris debitum, vt in filiis solueretur; Ioannes Dei illud à Iesu accepit, acceptum cumulauit, & filiis hæreditarium dereliquit, vt in susceptione egenorum æmulatores sint Christi, qui pauperes

Tertul.
Abraham cũ viatores suscepisset hospitio, & conuiuio, quod pater futurus esset, audiuit.

Abrahæ hospitalitas multipliciter remunerata.

Beneficium ablutionis pedum, quod in domo Abrahæ Dominus accepit, in cœnaculo discipulis exsoluit.
Tertul.
Reddidit Iesus ius hospitalitatis filiis quod ipsi fœnerauerat Abraham pater.

Maiora quã Abraham humilitatis decora compensat.

Fecit Iesus discipulos hospitalitatis sectatores, hæredes, & creditores, quibus hospitale debitum soluit.
Ioannes Dei munus hospitalitatis, à Iesu accepit, illudque cumulauit, & filiis hæreditarium reliquit.

Digitized by Google

pauperes suos in triclinio suscepit, cibauit, eorum pedes lauit: *Reddens in filiis ius hospitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat pater.* Suscepit quandoque in suo hospitiolo pater pauperum, & hospitalitatis princeps Ioannes Iesum in specie pauperis, eique officioso affectu pedes lauit; Ioannes ius hospitalitatis Iesu fœnerauit, vt illud redderet in filiis ampliatum.

5. Redeamus ad Abraham peregrinantium susceptorem hoc ministerio illustrem, eiusque hospitalem domum, in eaque tanquam in senescente, & cadente vmbra intueamur Euangelicum lumen, & solem Deiparam, in quo altissimus tabernaculum posuit, & hospitium, & viuidis coloribus gratiosisque pigmentis delineatam contemplabimur perfectæ hospitalitatis imaginem. Comparat Abrahæ,& Mariæ hospitalia munera, & decora Albertus Magnus in caput 10. Lucæ, & à singulis impensa charitatis officia, cum Patriarcha Dominum recepit domicilio, & Maria vtero ad ea verba: *Et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam*; sic scribit: *Ea autem, quæ in domo sunt ad recepti hospitis commodum preparanda, Genesis 18. describuntur; vbi dixit Abraham afferam pauxillum aquæ & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque bucellam panis. Parauit tamen de tribus satis simila subcinericios panes, & vitulum tenerrimum, & optimum. Quæ omnia in domo ista* (nempe Virginis vtero) *parata sunt. Pauxillum aquæ fuit in gratia sancti Spiritus sanguinem purificante, ex quo facti* (alias loti) *sunt pedes humanitatis Christi, quibus terram nostram calcauit. Vmbra requiei sub arbore fuit vmbra refrigerij in virore Mariæ, quæ sicut rubus virens virginitate, ignem diuinum per fœcunditatem tenuit, & florem pudicitiæ inconsumptum seruauit. Buccella ad cellam bucca pertinens panis Dei fuit, qui de se dixit: ego sum panis viuus qui de cælo descendi Ioannis 6. hic sub cineribus humanæ mortalitatis manu sapientiæ formatus, decoctus est igne charitatis: de tribus purissimis satis simila compositus, scilicet corpore & anima, & Deitate, & omnibus in Eucharistiam preparatus. Vitulus ac sacrificium pro peccato est ipse homo natus ex ea, secundum humanitatem oblatus. Tenerrimus propter deuotionis, & gratiæ adipem, optimus propter sanguinis sui pretiositatem. Sic ergo recepit eum in domum suam, non alienam. Hanc enim domum, ipsa cum hospite suo filio Dei habuit. In qua nullus communicauit alienus, nec dæmon, nec homo, nec aliquis vnquam nisi iste hospes ius vel opus habuit secum in ea.* Hæc pulchre sapientissimus, & pientissimus Pater. In quibus argute describit omnia pietatis officia, quæ hospiti Deo, & filio in vtero Maria Mater exhibuit. Ipsa namque prima fuit quæ Deum in aliena natura peregrinantem suo suscepit hospitio, & nudum Dei Verbum habitu humani corporis induit. Ipsa Filij pedes lauit, non aquarum fluento, sed gratiarum stillicidio, cùm in eo corpore, quod Maria dedit intrarunt gratiarum omnium maria, & in bibulo carnis tota se plenitudo diuinitatis infudit, & in virgineum vellus charismatum fons, & scaturigo placido descendit illapsu, vt Ecclesiæ paradisum irrigaret, & hominum sordes velut pedes ablueret. Ipse Iesus fructus ventris benedictus sub Maria arbore pulcherrima, & ligno vitæ requiescit, ipse Deus qui Seraphicarum alarum tegmine cingitur in Isaiæ solio, fœminei vteri inumbratur velamento: Et rite sub Mariæ arbore, Dei opacam acclinationem, & requietem exprimimus, quia post tumultus Angelorum, & hominum pacis reclinatorium ab omni lite, & crimine alienum inuenit. Argute pro coronide Albertus illa adiungit verba commendans hospitalem Mariæ domum diuinis præconiis: *in domum suam non alienam, in qua nullus communicauit alienus nec dæmon, nec homo, nec aliquis vnquam nisi iste hospes ius, vel opus habuit secum in ea.* Vt omnem omnino hospitem inaspectabilem à gloriæ Dei solio, & Verbi Dei contubernio excludat, nec illos in Maria per breuissimam temporis morulam admittit. Quis extraneus, & alienus nisi peccatum, & auctor criminis diabolus? *Nec aliquis vnquam ius habuit in ea.* Vt se vindicem præbeat Ratisponensis Antistes Marianæ immunitatis, sancit dæmonem nec per instans in ea habuisse dominatum,nec originarij sceleris hæreditario reatu, aut iure adstrictam,tanta enim, & tam eximia puritas decebat templo Domini,Spiritus sancti habitaculo, sapientiæ conuiuæ, & conuiuantis triclinio, in habitu humano peregrinantis Dei hospitio.

Abraha, & Maria hospitalia munera Deo impensa comparantur.
D Lucas.
Alber. Mag.
Abraha futuratura ad peregrinantis Domini hospitium.
Aqua Spiritus sancti loti sunt pedes humanitatis Christi in vtero virginis. Vmbra refrigerij virginei.
Iesus subcinericius panis igne Charitatis decoctus de tribus satis simila,corpore, anima,Deitate compositus, ad Eucharistiam præparatus. Vitulus, & sacrificium pro peccato Iesus.
Iesum Deipara suo non alieno suscepit hospitio. Nullus alienus nec dæmon, nec peccatum, vnquam ius habuit in Maria.
Omnia mariana pietatis & hospitalitatis munera describuntur.
Deum peregrinantem induit. Eius pedes lauit gratiarum fluentis. Sub arbore pulcherrima Maria Iesus requiescit.
Alber. Mag.
A Verbi Dei triclinio Maria, omne peccatum in omni tempore excludit Magnus Albertus.

6. Nec noua est virginalis vteri cum Abrahameo tabernaculo comparatio. Eam illustrat Sanctus Gregorius Thaumaturgus Alberto longe antiquior, sermone 3. in Annuntiationem sanctæ Mariæ Virginis, introducit Gabrielem paranymphum humano more tergiuersantem ad tam sublimis, & inauditæ legationis dignitatem, cùm Deo ipso de arcano Incarnationis sacramento disputantem, dubia excitantem, Deum (ipsum dubiis Angelicis occurrentem. Sic scribit Thaumaturgus: *Cæli,terraque non te fines capiunt, quomodo igitur te virginalis vterus capiet? Cui Dominus, quomodo* (inquit) *Abrahæ tabernaculum me capere potuit? Et Angelus: quoniam* (inquit) *hospitalitatis habebat pelagus.* Abrahamidum hospitium exiguum tabernaculum, hospitalitatis amore amplissimum, dilatatum est ad Domini receptaculum, & alimentum. Mariæ vterus cælos ipsos amplitudine superans, virginale gremium gratiarum mare Deum hospitabitur. Parua Abrahæ casula triclinium facta est immensi hospitis. *Quoniam* (iuxta Gregorij Thaumaturgi placitum) *hospitalitatis habebat pelagus.* Mariæ aula ampliori munere hospitalis gratiæ Deum suscipiet peregrinantem. In accubitu suo reclinabit, sanguinis, & lactis præbebit alimoniam. Si veridicum Thaumaturgi effatum existimas de Abrahamo prolatum: *Quoniam hospitalitatis habebat pelagus.* Quia vnum vel alterum peregrinatorem,& quandoque Deum, vel Angelos ad horam suo recepit tugurio; idem æquo iure, vsurpabis de Beato Ioanne: *quoniam hospitalitatis habebat pelagus*: qui in hoc mare magnum retia, & sagenas expan

D. Gregor. Thaum.
Abraha tabernaculum suscepit Deum, quia hospitalitatis habebat pelagus.
D Gregor. Thaum.
Mariæ vterus ampliori munere hospitalis gratia Deum suscepit peregrinantem.
Ioannes Dei hospitalitatis habuit pelagus.

expandebat charitatis, vt promiscuum vulgus egenorum, & ægrotantium expiscaretur, ex omni genere piscium congregaret catervas pauperum, & induceret in domum suam. Nec turbabatur hoc pelagus decumanis fluctibus, aut typhonum flatibus, sed tranquilla pietatis aura refouebatur: Vidistin Deum metatorem Virginalis triclinij ad suscipiendum verbum, quod totus non capit orbis, ex hospitalitatis commensuratione adaptasse cælo latius tabernaculum, vt tanto hospiti adornaret mansionem. Eadem hospitalitas perexiguam Ioannis casulam in aulæum stratum conuertit, vt Deum cæli Iesum vulneribus cruentatum, in specie pauperis ostentantem in calidæ aquæ lauacro fixuras clauorum, cœlis ipsis, & sideribus splendidiores, simul cum cælesti curia hospitaretur. Maria suo suscepit thalamo Deum paruulum peregrinantem, Ioannes in cælis regnantem; hæc corpus, & armorum tegmina adaptauit ad prælium in suo tabernaculo, hic suscipit iam parta victoria Imperatorem post prælium, post triumphum.

Ioannes Dei Iesum vulneribus cruentatum suo suscepit hospitio.

Maria suo suscipit thalamo Deum paruulum peregrinantem; Ioannes Dei recipit in cœlis regnantem.

7. Inquirit Guillelmus cur inter celebratissima vteri Virginalis encomia illud commendatione mirabili celebretur ab sponso Cant. cap. 7. vers. 2. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* In quo illum cum patera, aut calice comparat tornatili, & artificiose elaborato, & rotundato? Et respondet argute apud Delrio: iuxta omnem æquabilitatem detornatam, & perpolitam phialam, in Maria denotare æquitatis normam, qua omnibus indiscriminatim pietatis viscera effundit: *Crater tornatilis* (inquit) *id est scyphus magnus verè sine angulo & ruga, quia laudabili æquitate* (*id est sine acceptione personarum*) *quantum in se est, omnibus salutem propinat.* Magnis, & paruis, diuitibus, pauperibus esculenta panis cælestis, & poculenta gratiarum, quibus abundat Marianum hospitium, & penuaria cella, mensa virginea superabundanter propinat. Benedixit Dominus coronæ anni benignitatis suæ, vt benedictio copiosa super ipsam descendens, omnibus abundaret. Proposuit pietatis formam, quam potissimè æmulatus est Ioannes expandens gremium copiosæ miserationis, & fluenta charitatis deriuans ad emolumentum & solatium vniuersorum, vt egestas copiis; & thesauris ditior, satiaret famelicos, vitam & benedictionem sine personarum acceptione omnibus propinaret ægrotis.

Cant.
Guillel.
Delr.

Maria vterus crater tornatilis quia sine acceptione personarum vniuersis salutem propinat.

Ioannes Dei flumina charitatis deriuat ad solatium vniuersorum.

8. Nec abiit sine mercede tam sublimis operæ functio. Vt eam cernas recurrere ad Iacob certamen, & expectationem, diuinaque promissa, cùm in laboribus in palæstra virtutis exantlatis, deliciis cælestibus irroratur, & velut ambrosiis dapibus pascitur. Genes. cap. 48. vers. 15. *Deus qui pascit me ab adolescentia mea.* Quid intelligentiæ spiritalis in verbis lateat, aperit Philo Iudæus arcana Iacobei pectoris reserans libro de Dei immutabilitate scribens: *Deus qui nutrit me à iuuentute: an non videtur tibi omnes quæ sunt in terra collectiones aquarum despicere? Is certe nunquam de cisterna biberet, cui Deus præbet potus meracos, nunc Angelis pincernas agentibus, nunc ipse infundens, non expectato internuntiorum officio.* Apparant cibillam Iacobo per campestria erranti, & famelico Angeli, pocillatorum quoque munere functi, & cælestes dapes subministrant, poculumque meracum præ omni nectare suauius; hic piæ exercitationis est fructus, vt ipse Deus simul cum Angelica ministrantium curia, pocula porrigat, & virtutis alumnum cæli deliciis reddant saturum. Hic haud dubio facile despiciet per siphunculos aureos, & regias pateras deriuata fluenta, solisque mensam suauissimis epulis refertam. Cerne nostrum Ioannem cum pauperum cohorte, & ægrotantium turba pastum, & saturum de Iesu & Mariæ, Angelorumque ministrantium manibus. Maria Ioanni dulcissimum aquæ haustum porrigit, vt calices aquæ suppeditatos egenis sitientibus, aquæ calice exoluat. Quem cum delibat Ioannes: *an non videtur tibi omnes quæ sunt in terra collectiones aquarum despicere?* Nec mirum si de gratiarum & charismatum pelago, in quod influunt omnia gratiarum flumina, vt in aquas plurimas super Angelos, & homines redundaret, fluentum ebibens Ioannes despiciat creatos omnes fontes, & latices; nam qui de manibus Deiparæ, cuius congregationes aquarum Deus appellauit Maria, suscipit laticem, humanæ appetentiæ sitim extinguit, & mercedem accipit calicum aquæ, quos esurientibus egenis porrigit. Ad suæ ergo æmulatorem charitatis, & dulcedinis Maria venit, vt ministerium pascendi, & adaquandi greges pauperum suauissimo stillicidio recompenset.

Iacob pro exantlatis laboribus cæli deliciis pascitur.
A Deo nutritur.
Genes.
Phil. Iud.

Apparant mensam Angeli in deserto erranti Iacob, & pocillatorum munere funguntur.

Ioannes Dei pastus, & satur de Iesu, Maria Angelorum ministrantium manibus.

Cum Maria Ioanni Dei dulcissimum aquæ haustũ porrigit, creatos fontes, & latices despicit.

Mercedem potus aquæ de Mariæ manibus accipit, qui tot calices aquæ pauperibus propinauit.

9. Quid plura? Inter omnia Mariæ præconia illud est valde sublime, quod stupent Angeli, ad cuius enuntiationem Gabriel expauit, sanctissimæ Triados decreto firmatum, ore paranymphi maximo cum tremore prolatum: *Dominus tecum.* Lucæ cap. 1. cuius sententiæ mens est iuxta Græcorum Patrum scholia in aurea catena Sancti Thomæ relata: *Hoc autem est totum legationis complementum: Dei enim verbum vt sponsum supra rationem vnionem efficiens, tanquam ipse germinans, idemque germinatus, totam naturam humanam sibi ipsi confirmauit.* Hæ sacræ laudationes, quæ omne superant affatum, de Maria prædicantur in colloquio Angelico, & commate illo mirabili: *Dominus tecum.* Cernereque licet eamdem profusissimam commendationem ab Isaia vaticinatam de misericordi, & hospitali viro, cùm enim præmisisset cap. 58. vers. 7. *frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam.* Post ea ad huiuscemodi exercitamenta pietatis hortatur, proposita ineffabili remuneratione. Et vers. 11. subiungit: *Et requiem tibi dabit Dominus semper.* Vbi legunt LXX. interpretes in Bibliis correctis Sixti V. *Et erit Deus tuus tecum semper.* Quorum verborum, & promissorum magnitudinem perpendens Sanctus Cyrillus Alexandrinus sapienter ait: *Est quoque hoc præter alia maximum. Quid enim boni non adest his, qui hoc sunt consequuti? Aut quibus donis non abundet homo, si Deus cum illo sit, qui omnia potest, & diuite manu distribuit ea, quorum suppeditator est,*

Cur Dominus tecum dicitur Maria.
D Lucas.
D. Thom.
Cat. Aur.
Dei verbum in vtero virginis germinans, & germinatum totam naturã humanam sibi confirmauit.

Lect. LXX.
Misericordi, & hospitali viro promissio hæc fit: erit Deus tuus tecum semper.
D. Cyr. Alex.
Bonorum omnium maximum, quod Deus, qui omnia potest, cum homine sit.

Digitized by Google

est, & largitor, qui etiam tentationum impetus propulsat, adeóque fortem reddit, vt in vniuersum ipsi Satanæ, & perturbationum insultibus resistat. Hæc Cyrillus: in quibus cernere est præconiorum similitudinem in Deipara, & hospitali viro. De ea dicitur ab Angelo: *Dominus tecum.* De illo ab Isaia profertur: *Dominus tecum semper.* Apud Vatem omnium bonorum affluentiam portendunt, quæ de diuite fonte, & inexhausto diuinitatis exuberant, vt ea manus Omnipotentis largitoris, & suppeditatoris munifica largitate in pectus viri hospitalis refundat. Quid enim deficere potest ei, cui præsto adest Deus, cum ipsoque est semper? Alia quoque via Domini assistentiam prædicat, qua ei adest vt protector fortis, vt Heros inuictus cuius adiutorio, & tutamine Satanæ conatibus obsistat, victórque prædicetur omnium passionum, & perturbationum animi domitor, & triumphator insignis. De MARIA verò dicitur: *Dominus tecum.* iuxta Græcum supra recensitum; vt humanam naturam languidam sanet, deficientem reformet, collapsam erigat, & stabiliat. *Totam naturam humanam sibi ipsi confirmauit.* De Ioanne Dei iuxta analogiam quamdam, & æmulationem dicitur: *Et erit Deus tuus tecum semper*, ob animi robur, & reportata de vitiis præclara trophæa, & virtutum magnalia, cœlestia charismata, quæ de scaturigine fontanæ plenitudinis hausit. Tum præterea *Dominus Deus cum illo erat*, Vt sanaret ægrotos, iacentes erigeret, suis firmaret humeris, & debiles languidósque sanitati restitutos confirmaret.

Adest Dominus misericordia viro vt ipsum in tentationibus, & aduersis fortem reddat, & inuictum.

Hæc sancta felicitas Ioanni Dei potissimum promissa.



Postrema Beatitas.

Ioannes in casu mortis non cadens, sed flexis genibus expirans, illius detriumphator est; & cadauer, imago adhuc viua pietatem, & amorem erga pauperes spirans.

1. PERVENIMVS ad vitæ metam huius cælestis viri, in qua metit in ore misericordiæ manipulos curuatarum spicarum, quæ messes vberioris prouentus spiritualis parturiunt, & pauperum ante ambulonum manibus in horrea cœlestia inuexerat. Videbimus in conflictu, & agone mortis luctantem, sed non cadentem; sed habitu, & statu triumphatoris commune fatum expectantem, & cadauer ostentans viuentis adhuc pietatis simulacrum; quod IESV morientis, mortémque vincentis, & cædentis, imaginem regerit. Migraturus ad parentes suos Iacob olorino, & vatidico cantu cecinit IESV triumphum de morte reportatum, dum veridicos affatus dirigit ad Iudam, & in iis Seruatorem nostrum arcano spiritu signat. Genes. cap. 49. vers. 9. *Requiescens accubuisti vt Leo.* IESVS accubuit in sepulchro, requieuit in tumulo, quia ex quo Deus mortem expertus, non mortis, sed requietis, & placidissimi somni præsefert figuram. Et rectè vt Leo, vt validissimum robur ostentet, flecti nescium ad miseræ corruptionis ærumnas, sed quod in humano casu stetit præualidus, vt ad incorruptibilitatem remearet. Pipere leporis, & gratiæ plana sunt verba Cæsariensis Eusebij, Aquilæ quoque, & Symmachi versiones, quas recenset libro 8. demonstrationis Euangelicæ cap. 1. scribentis: *Significantius Aquila conuertit quum flexisses, cubuisti. Symmachus autem: genibus flexis confirmatus es.* Subiungitque: *ex quibus verbis planissimè apparet ipsa de morte ad vitam restitutio, & ab inferis veluti à quadam ferarum captura Saluatoris nostri euasio. Quod verò illum dixerit, & genua flexisse, & confirmatum esse, non autem cecidisse, in eo quidem, quod genua flexerit, mortem interim demonstrauit: quod autem sit confirmatus, non raptum esse more aliarum animarum.* Arcani sensus profundissimus indagator Eusebius, ex Iacobeis alloquiis exprimit succum dulcissimum mysteriorum Christi, & lectoribus propinat. IESVM (ait) non esse à morte raptum, aut inuitum exhalasse postremum halitum, sed esse raptorem mortis, & speluncas filiæ latronis, & deprædatoris perlustrantem; spolia distribuisse, & ab iniquo possessore pietatis prædas extorquentem Creatori suo restituisse. Quod genua flexit, ad mortem inclinatum Iacob ostendit. Quod sit confirmatus à Deo, susceptum fuisse IESVM, & stabilimentum accepisse, vt non videret corruptionem corpus, sed primitias immortalitatis in tumulo plantatum germinaret. Sed quia IESVS non occubuit ad tellurem procumbens, aut poplitibus flexis, incuruatisve genibus, sed erecta statura patibulo suffixus; lectiones propositæ affectum animi IESV, & pulcherrima in morte subeunda decora pordent, quæ sectatoribus suis æmulanda dereliquit: *Quum flexisses, cubuisti. Genibus flexis confirmatus es.* Cùm hæc perlego, occursitant animo quædam cogitationes, quæ ipsum ad sublimiores protheorias euehunt Quid cùm animus à corpore seiungitur, ipsi genuum flexus nobis indigitant? An mirifica hæc venerationis, & diuini cultus est ratio, tanquam eximium Dei donum, vt quid cœleste, & diuinum amplexandam mortem, suscipiendum interitum flexis genibus? An ostendit eum qui in operibus pietatis vita fungitur, non plenè mori; mortuus est enim, & quasi non est mortuus, cùm viuit æternitati, in hominum memoria, & affectu quotidie resurgit, & similes imitatores reliquit post se? An inconcussa corporis statio, cùm relictis exuuiis terrenis, animus ad cælites euolauit, deprædicatrix est, talem virum mortem irrisisse, ipsam detriumphasse? Quid simile de Diuo Simeone Stylite annotauit Matthæus Raderus noster parte tertia viridarij Sanctorum in eius vita caput 4. *de Stylitis*, ex Theodoreto Cyri Pontifice, & Antonio in historia Patrum, magni Simeonis cliente deprompta, ibi scribit: *Corpore nec post mortem collapso, quod in statione tanquam victor etiam ipsius mortis, stando perstitit immotum.* Nisi mauis quod hæc cadaueris statio clamitet

Mors Christi somnus, & requies. Genes.

Iesu stabilitas, & firmitudo in casu mortis. Euseb. Cæs. Aquil. Symm.

Ab inferis velut à ferarum captura Saluator liber euasit. Iesus in morte genua flexit confirmatus est, & nõ cecidit aliorum hominũ more.

Iesus non poplitibus flexis occubuit, sed erectus in Cruce.

Pia mors vt Dei donum suscipienda, & flexis genibus veneranda.

Qui pietatis operibus fungitur, non plene moritur.

Inconcussa corporis in morte statio irrisio est mortis. Matth. Rad. Theodor.

Simeonis stylitæ corpus, nec post mortẽ collapsum, statione victoriã mortis ostendit.

Digitized by Google

clamitet animi remotioris à fœcibus humanis, & propioris cœlo fuisse corpus tabernaculum, ipsumque appetere liberius cœlitum vsu frui. De hoc habitu corporis, & animi proferam libentius humani Vatis carmina, quæ ipse de Astrologis vsurpat:

Corporis habitu sancti ostendunt in morte, quod ad cœlum scandunt.

Felices animæ quibus hæc cognoscere cura
Inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter vitiisque iocisque
Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus, aut vinum sublimia pectora fregit
Officiúmque fori, militiæve labor.
Non leuis ambitio,perfusáque gloria fuco,
Magnarúmque fames sollicitauit opum.
Admouere sua distantia sidera menti.
Æthereáque arbitrio supposuere suo.
Sic petitur cœlum

Si animus ad æthereas regiones scandens secum rapere sollicitauit corpus socium passionum, carnem consortem ærumnæ, commilitonem præliorum Domini, ipsum pia animositate post mortem præpeti volatu auet ad superos conuolare.

Flexi poplitis statu habitus orantis est.
D. Hieron.

11. Denique habitus iste, & status flexi poplitis, orantis, & supplicantis est, qualem licet cernere in illo Agonotheta eremicolarum, & asceticarum exercitationum diatryba Paulo de quo Sanctus Hieronymus eius facinorum encomiastes, hæc in eius vita capite 12. recenset nomine Magni Antonij, cadaueris Paulini spectatoris, & parentatoris: *Nam ingressus speluncam, vidit genibus complicatis, erecta ceruice, extensisque manibus in altum, corpus examine: ac primum & ipse, viuere eum credens, pariter orabat. Postquam verò nulla, vt solebat, suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit quod etiam cadauer sancti viri, Deum, cui omnia viuunt officioso gestu precaretur.* Quam peregrinum, quàm pium, & suauitate plenum spectaculum cernere Paulum storea ex palmis contexta velut armorum tegminibus munitum aduersus mortem stantem, neque in postremo halitu collapsum ad terram, sed erecta ceruice, manibúsque erectis ad sidera, speciem, & formam ostendisse deprecantis. Similem habitum complicatorum genuum orisque preces fundentis ad superos conspicaberis in Ioanne vita defuncto, huicque diuinissimo simulacro Acherontis stupori, nouo orbis miraculo Hieronymi verba iure aptabis: *Quod etiam cadauer Sancti viri, Deo cui omnia viuunt, officioso gestu precatur.* Pro pauperum ærumnis, pro famelicorum annona, pro ægrotantium sanitate, pro viduarum subsidio, pupillorum solamine; mors in Ioanne omnia temporanea finiit; sed oratio pro languentium, & ærumnosorum turba manet æterna. Commune fatum in corpore omnes vitæ functiones extinxit, sed auferre nequiuit formam oratoris; quæ precationum fulgura, & amoris flammas eiaculabitur animus iam solutus de corruptibili ergastulo in cœlesti curia, & præsentia Deitatis, si cadauer frigidum piæ deprecationis tam eximia ostentat vestigia?

Pauli eremicola cadauer genibus complicatis, erecta ceruice, extensis in altum manibus perstitit.

Cadauer sancti viri officioso gestu precabatur.

Ioannis Dei habitus deprecantis, & stantis post mortem.

12. Perquirit Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus, cur IESVS Iudæorum insidias non auertit mortem crucis inferentium, nec mortuus est aliqua vulgari ægritudine in lectulo, decumbens? Et respondet sapienter, & argutè libro de Incarnatione Verbi: *Iam si eius corpus ægritudine laborasset, & sub omnium oculis verbum Dei ab eo dissoluto recessisset, non sine dedecore habitum fuisset, medicum alienorum morborum, suum, quo vsus erat in curandis ægritudinibus instrumentum, corruptum à morbis neglectui habuisse.* Non oppressus ægritudine in grabato expirat qui arbiter est mortis, & vitæ, sed stans in Cruce; ne caro omnium morborum propulsatrix, & sanitatum origo, inhonora relinqueretur, & despicatui haberetur. Dedecet omnium infirmitatum, & languorum curatorem, miseræ conditionis nostræ ærumnoso languore de vita expungi. Nec indigere poterat pharmacorum subsidio, qui omni languori salubre medicamen adhibuit. Prospexit decori humanitatis suæ IESVS, eam morbis inaccessam, & intactam formans; similem honorificentiam cadaueri Ioannis curatoris adiunxit, non cadit, communi fato oppressus ad terram procumbens, in lectulo stratus, lethalis ægritudinis oppressus pondere, ad quem mirificandum leniter fluunt verba Archipræsulis Alexandrini: *Non sine dedecore habitum fuisset, medicum alienorum morborum, suum, quo vsus erat in curandis ægritudinibus instrumentum, corruptum à morbis neglectui habuisse.* Geminam inducunt languores corruptionem humanis corporibus, & duplici probro mortalitatis ea dehonestant, & quod humorum temperaturam dissipant, & ablata amica concordia, & symmetria sanitatem expugnant, vitam eripiunt, & quod debilitate languescunt, amissaque omni firmitudine labascant, & corpora è terra compacta ad originalem terram declinent, & decidant. At Ioannis cadauer speciali charitatis prærogatiua erectum immotum perstitit: *Ne in medico alienorum morborum, suum, quo vsus erat in curandis ægritudinibus instrumentum*, labascens, *neglectui esset habitum*: sed corpus quod fuerat languentium fulcrum, & stabilimentum, ab amore diuino fulciretur; patremque pauperum in vehendis languentibus gloriosum ipsa mors venerabilem redderet, nec ausa esset fatali impulsu ad terram deiicere qui tot miseros pene exanimes de terra subleuauerat, super scapulas portauerat, & in hospitium charitatis inuexerat.

Cur Iesus mortem non auertit, nec in lectulo ægrotans occubuit?
D. Athanas.
Alienorum morborum medici, dedecus est, instrumentum quo morbos curauit, corruptum ægritudine despectui habere.

Ioannes Dei æmulus Iesu, cùm non occumbit in lectulo, nec prosternitur ægritudinis pondere.

D. Athanas.

Languores geminã corruptionẽ inducunt humanis corporibus.

Corpus Ioãnis Dei curandis ægrotis inseruiit, non labasçit.

13. Dauidis verba, diuina subsidia, & emolumenta prædicantis, Ioannes vsurpat Psalm. 3. vers. 4. *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Hebraicè est: *Clypeus circa me.* Ne impetus mortis communi ruina me faciat corruere. Quæ panoplia potentior, aut parma firmior, quàm IESVS Cruci suffixus, in cuius pio, & stricto amplexu Ioannes moritur, vt mortis ad prolapsionem compellentis impulsus, & ictus retundat? Quod fulcrum firmius, vt in occasus debilitate, & languore firmetur, quàm Christi Crux? Adde quod in loco prædicto Græcum verbum ἀντιλαμβάνεσθαι, denotat, teste Lorino: *Manu veluti porrecta retinere, ac prehendere aliquem collapsurum.* Paulus Actorum cap. 20. vers. 35. dixit: *suscipere infirmos.* Suscepit Ioannes languidos, & sustentauit ualida

Psal.
Deus Ioannem suscepit, eius caput exaltat, ne corruat.
Lect. Hebr.

Lorin.
Actor.
Qui languidos suscipiebat, & stare faciebat in morte non corruit.

Digitized by Google

lida manu, impendens charitatis opitulationes varias infirmantibus, subleuans eos de mortis ærumnis; Deus Ioanni efflanti animam, eiúsque cadaueri manum porrigit, fulcimentum impendit, ne labascat: eius caput exaltauit in morte exhibens erectionem, & stationem incorruptibilis vitæ æmulam; nec permittit, quod languida ceruix capite submisso labaret. Non decet casus tam eximium curatorem eleuantem de stercore, & putredine pauperes: *Ne in medico alienorum morborum* (vtor Athanasij verbis:) *suum, quo vsus erat in curandis ægritudinibus instrumentum*, in subleuandis ærumnosis vehiculum maneret, & prostraret inglorium. Hæc de sapientissimo hoc medicatore, & pannosorum amatore dicta sunto, quem Deus in Ecclesia sua substituit pro indigentia synagogæ clamantis: *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum.*

D. Athanas.

VERSICVLVS VIII.

Ruit enim Ierusalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius.

COMMENTARIVS.

1. M INATVS est Vates in præcedentibus ablaturum Dominum à Ierusalem omnia ornamenta, & decora; quibus de medio sublatis, quid nisi ruina, & vastitas vrbis subsequenda? Sicut auulsis domus basibus, & columnis, omnis structura corruit, sic de medio sublatis viris principibus, qui erant Reipublicæ fulcra, & sustentacula, labefactata, & diruta est domus. Pro verbo: *ruit*. Legit Sanctus Cyrillus: *Quare nunc attenuata est gloria eorum*. Et Sanctus Chrysostomus: *Idcirco nunc humiliata est gloria eorum*. Ex cuius placito humiliatam gloriam nuncupat captiuitatem; nam quæ maior fastus, & superbi supercilij depressio, quæ maior infamia, quàm qui litandi Deo, aut regnandi munere, & dignitate erant conspicui, sub neruo ferreo pressi, à prophanis, & barbaris essent neci, & lanienæ destinati. Examinat aduerbium *nunc* Sanctus Cyrillus, & intelligendum ait de tempore, quo Iudæi IESVM ad mortem expostularunt. Nam ex tunc decreta est eis à Iudice Deo omnis ignominia captiuitatis, & irrogatum omne genus calamitatis.

Iudæorum domus corruit, eorum gloria humiliata.

D. Cyrill.
D. Chrysost.

Quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum. Clamat Vates, & iustam Dei animaduersionem esse deprædicat, recensens Iudæorum scelera, & tanquam omnium caput statuit Deicidium, cum inconditis vocibus, & minis à iudice, & Præside Pilato sententiam capitis aduersus Saluatorem Iudaica turba extorsit. Sic Cyrillus, & Hieronymus: Doctoris Maximi verba sunt: *Causasque vedit impietatis eorum: contra Dominum blasphemauerunt, atque dixerunt: tolle, tolle crucifige talem, non habemus regem nisi Cæsarem: Et clementissimum Dominum furore linguæ suæ ad amaritudinem prouocauerunt.*

Iudæi inconditis vocibus Christi interitum à præside extorquent.

D. Hieron.

3. Rursus illo verbo: *Quia lingua eorum*, &c. Iudæos carpit Vates vocans magnificos conuiciatores, viribus ignauos, armis imbelles, lingua bellantes, verbis digladiantes, & pugnantes aduersus Dominum. De quibus Psalmographus cecinit Psalmo 63. *Exacuerunt tanquam gladium linguas suas*. Habent enim pro armis linguas. Argute Sanctus Augustinus: *Et vos ô Iudæi occidistis: Vnde occidistis? Gladio linguæ. Et quando percussistis, nisi quando clamastis: crucifige, crucifige.* Est enim iaculum linguæ fortius quod sauciare solet pectus iusti, & illius exercere tolerantiam.

Iudæi magnifici conuiciatores lingua belligerantes.

Psal.


D. August.



VERSICVLVS IX.

Agnitio vultus eorum respondit eis: & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt: væ animæ eorum quoniam reddita sunt eis mala.

COMMENTARIVS.

1. 

ÆC prouerbialis locutio: *Agnitio vultus eorum respondit eis*. Diuersa interpretamenta potest admittere. Primò enucleanda est iuxta Vulgatum. Sanctus Hieronymus simpliciter accipit, asserens idem esse ac si diceret Vates: *Sua recepere peccata*. Susceperunt fructum peccatorum, debitas nimirum pœnas.

Sensus verborum varij.

2. Pro genuina interpretatione supponendum pro agnitione Hebraicè legi הכרת *haicharath*. Cuius radix בכר duo admittit potissima significata, *Aperire, denudare, ostentare*, inde nomen, *apertionis, denudationis, ostentationis*. Hoc est impudentiæ, nam peccati pudor faciem operit, at canina impudentia faciem denudatam, & gloriabundam de sceleribus ostentat. Secundò denotat, alienum se ostendere, & extraneum, dissimulare id quod est, & præseferre, id quod non est, veluti si quis adhibita larua alium se esse simulet libro 3. Regum capite 14. vers. 5. vxori Ieroboam dixit Ahias Vates: *Cum ergo illa intraret, & dissimularet se esse quæ erat, Quare aliam te esse simulas*. Genes. cap. 42. vers. 7. *Quasi ad alienos durius loquebatur*. Hebraice est: *alienum se simulat erga ipsos*. Induta maiestatis forma. Ex vtroque significatu deducitur sensus aptissimus ad denotandam impudentiam, & simulationem Iudæorum Christum ad mortem expostulantium; nam eo deducta sunt eorum consilia, vt Christum interficientes, à morte illius viderentur immunes; omni nisu, & conatu cædem intentantes, iustificarent seipsos, & nihil viderentur facere. Audiendus est sanctus Augustinus in Psalmum 63. cuius verba Iudæorum

Lect. Hier.

Peccati pudor faciem operit, impudentia denudat.

Peccatoris simulatio personata.

Lib. Reg.

Lect. heb.

D August.

Iudæi cum dolum occidunt, à luce apparere se effugere.

rum pessimum genium aperiunt, & subdolarum mentium improbitatem in proparulo constituunt: Examinat vir immensæ subtilitatis verbum illud: *Exacuerunt tanquam gladium linguas suas.* Et ait: *ipsum est totum acumen Iudæorum, hoc est quod pro magno quæsierunt. Occidamus, & non occidamus: sic occidamus, vt non ipsi occidisse iudicemur.* Et ad eam sententiam eiusdem Psalmi: *Defecerunt scrutantes scrutationes*, subiungit magnus Aurelius: *id est acerba, & acuta consilia, non tradatur per nos, sed per discipulum suum. Non occidatur à nobis, sed à iudice totum nos faciamus, & nihil fecisse videamur. Et vbi est clamor linguæ crucifige, crucifige? Sic cæci estis, vt & surdi sitis. Simulata innocentia non est innocentia, simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas: quod & iniquitas est, & simulatio.* Quæ verba, & vim verbi Hebraici expendunt, & vatis Isaiæ mentem comprehendunt. Præmiserat Propheta Iudæos blasphemantes, publicisque vociferationibus Christum damnantes, & sententiam mortis à Iudice extorquentes; modò eorum vafritiem, & artificium simulandi innocentiam, in subsequentibus tacite redarguit: Dicunt enim non occidimus Christum, innocentes sumus à sanguine hominis huius: in proferenda, promulganda, executioni mandanda sententia nihil fecimus. Dicunt Iudæ ore suo immane flagitium damnanti: *Quid ad nos? Tu videris.* Seipsos expertes culpæ, & incontaminatos iactantes; est enim eorum ingenium alienos se ostendere, & extraneos à tanti sceleris machinatione, præferre laruam iustitiæ, personatum innocentiæ habitum, dicentes: *Occidamus, & non occidimus. Sic occidamus, vt non ipsi occidisse iudicemur. Totum nos faciamus, & nihil fecisse videamur.* Sed verissima est in præsenti illa Cassiodori sententia lib. 12. variarum cap. 17. *Amicum est autem criminis velle nesciri, & qui vias suas occulit, conscientiam prodit.* Hoc fraudis simulacrum artificio improbitatis compactum, & integumentis astutiæ tectum denudat Vates, & dissoluit, dicens: *Agnitio vultus eorum respondit eis.* Vultus ipse prodit scelus cordis, aduersus eos testificatur, impietatémque traducit, & clamat ipsos mortis Christi artifices primarios extitisse, tantáque impudentia crimen promulgasse, quanta Sodomitæ.

Totum negotium mortis Christi perficiunt, & nihil fecisse, volunt videri.

Simulata innocentia non est innocentia; simulata æquitas, non est æquitas, sed iniquitas.

D. August.

Cassiod. *Innatum est criminis, velle nesciri. Crimen conscientiam prodit.*

3. *Agnitio vultus eorum respondit eis.* Est prouerbialis locutio, nam ex ipso habitu, & fronte, & oris figura perspicere dicimus, quod ex ipso protinus occursu percipimus. Sumpta analogia à Physiognomicis, qui ex oris lineamentis, reliquaque corporis specie, ingenium hominis, & mentem comprehendere autumant. Ritè Tullius ad Antonium ait: *Non enim solum ex oratione, sed etiam ex vultu, & oculis, & fronte, vt aiunt, meum erga te amorem perspicere potuisses.* Et in Verrem libro 8. *Is erat Apronius, qui vt ipse non solum vita, sed etiam corpore, atque ore significat, immensa aliqua vorago est, aut gurges vitiorum, turpitudinúmque omnium.* Et de Iuliani Apostatæ petulantia, & improbitate longe ante præuisa, scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 4. *Me morum ac gestus ipsius inæquabilitas, atque ingens quædam mentis emotio vatem efficiebat. Neque enim mihi boni quicquam significare videbantur ceruix minime firma, humeri, quos subinde, agitabat, & attollebat, oculus vagus, & oberrans ac furiosum quiddam intuens, pedes instabiles, & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus proterui & exæstuantes, nutus & renutus omni ratione carentes, sermo hærens spirituque intercisus, interrogationes præcipites, & imperitæ, responsiones his nihilo meliores, alia in alias insultantes.* Ex his male moratum Iuliani ingenium, & ad omne dolum versatile rite coniectauit Nazianzenus, & euentus, coniecturæ optimè respondit: Simili modo Isaias affirmat vnumquemque rimari posse mores, ingenium Iudæorum, & affectiones animi ex primo aspectu faciei, & perfrictæ frontis; vnde tanquam rectus Metoposcopus ab omni superstitiosa chiromantia, & physiognomina alienus ex frontis & faciei lineamentis, cordis arcana venatur, & quid eis euenturum sit solertissimè diiudicat. Quasi vno verbo diceret: *Agnitio vultus eorum respondit eis.* Vultus exterior eorum, & habitus secreta cordis patefecit. Perleges in fronte facile, tanquam in codice, omnia in corde architectata maleficia: In ipsa facie tanquam in animæ speculo aperte perspicies, in pectoris, & cordis arcano præmeditata consilia. Ecclesi. capite 13. versu 31. *Cor hominis immutat faciem illius.* Quid enim, ratiocinari potest ex indurata, & meretricia Iudæorum fronte, tumido supercilio, & ferrea ceruice semper contra Dominum erecta, extentoque collo, ex oculo vago, & oberrante furiosum quiddam intuente, & iracundiæ semper aduersus IESVM iaculante? è capite mobili huc illucque inflexo, irridente insultanteque affixo in Cruce Domino? Ex naso conuicia, maledicentiam, contumelias spirante; diducta & crispante bucca ingeminante tremulos cachinnos; ex oculis leuiter iudici nictantibus Crucis animaduersionem? Ex tot sycophantarum imperitis, maleuolis interrogatiunculis plenis fraude, & mendacio? nisi pectus eorum immensam aliquam voraginem extitisse, & gurgitem vitiorum, turpitudinúmque omnium mente agitatam improbitatem in faciem prosiluisse, ipsam vultus formam animo respondisse conformitate quadam mirabili, mentis habitudinem, & indolem viuis coloribus in facie delineatam, & expressam?

Ex facie ingenij hominis comprehenditur.

Tullius.

D. Gregor. Nazian.

Ex gestu, & moribus Iuliani, illius Versutiam Gregorius Nazianzenus coniectatur.

Iudæorum improbitas in vultu innotescit.

4. Aliter possumus expendere prædicta verba, si dicamus non solum in vultu apparere, & relucere culpam Iudæorum, sed etiam pœnam. Vnde verbum illud *respondit eis*, duplicem intelligentiam admittit, nempe respondere fructu, vel voce & tono. Primò iustam compensationem, & æqualem mensuram exigere, iuxta numerum eorum, quæ sunt seminata fructus, & prouectus expectare, & colligere; tale quid canit Poëta lib. 1. Georgicorum:

Iudæorum pœna relucet in vultu.

Peccato pœna respondet, in fructu, & in tono consonat.

Illa seges demum votis respondet auari
Agricolæ. Virg. l.

Et ad Galatas caput 6. vers. 8. *Quæ enim seminauerit* D. Paul.

seminauerit homo, hæc & metet. Sumpta metaphora ab agricolis, qui terra benè subacta, culta, & seminata, vel vbertate, & bonitate, aut penuria, & prauitate respondet fructus. Et erit sensus iam in fronte velut in publica tabula circumferunt euidens testimonium, vocem profundens, quantas sint luituri animaduersiones, & supplicia; nam iuxta numerum, & mensuram improbitatum, quas in facie ostentant, erit numerus, & mensura pœnarum, vt par pari mensuretur, & pœna culpæ respondeat. Sicut enim infra subiungitur: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* Sic improbis Dominum blasphemantibus, quorum adinuentiones contra Dominum, segetem percipient copiosam adinuentionum suarum, & fructum earum comedent in experientia supplicij. Refert Iudæus Philo Flaccum Auillium grauissimis cladibus affecisse Iudæos, eósque vbinis terrarum degentes exagitasse, sæuo tyrannicóque ingenio eis architectatum esse perniciem; Dei tamen prouidentiam in eorum tutamine, & sibi inflicto flagello recognouit. Eadem enim quæ in Iudæos molitus est, super caput suum sunt refusa, eosdem cruciatus in seipso expertus. Describit Philo in Flaccum flagitiorum, & suppliciorum mirabilem symmetriam, hæc de Flacco referens ad Deum exclamante: *Rex deorum, & hominum, ergo cordi tibi sunt res Iudæorum, nec mentiuntur tuam prouidentiam: sed illi potius errant, qui negant eos foueri tuo præsidio, cuius ego sum argumentum certissimum. Quantum enim in Iudæos debacchatus sum, tantum ipse pertuli. Passus sum eorum bona diripi, data prædatoribus licentia, ideò paterna maternáque hereditate priuatus sum. Probrosè quondam inquilinos vocaui, cum ciues essent: ideò patior ignominiam exul eiectus toto orbe habitabili: in theatrum producti quidam, iubenie me, in conspectu inimicorum iniustè flagris cæsi sunt, & ego iure optimo traductus sum non per vnius ciuitatis theatrum, contumeliosè cruciatus misero animo prius quam corpore, sed per totam Italiam vsque Brundusium, per totam Peloponnesum vsque Corinthum, certus non esse hunc finem mearum calamitatum, sed alias latere in insidiis, vt paria referantur paribus. Interemi quosdam, interiment me alij,* &c. Eamdem maleficiorum, & animadnersionum consonantiam, vice versa, poterit recensere Iudæus, nam parilibus flagitiis, & cruciatibus parilia genera pœnarum, impensa sunt: quantum enim Iudæi in IESVM debacchati sunt, & ipsi pertulerunt. Passi sunt IESV integumenta milites sortiri, & ab eis deprædari, ideò dati sunt direptioni Romanis. Paterna, & materna regni, & Sacerdotij hæreditate expulsi. Conciuem & colonum honorémque patriæ, & Iudaici sanguinis tanquam extraneum, & peregrinum reprobarunt; ideò exules toto orbe dispersi, & palabundi oberrant. Flagris cæsum IESVM Cruci affixerunt, quamplurimi eorum flagellati, & patibulis suffixi perierunt. Paria itaque paribus relata sunt, & animaduersiones per omnem modum respondent flagitiis.

Adinuentionum aduersus Christū segetem colligunt Iudæi supplicium vastitatis.

Phil Iud.

Flaccus quantum in Iudæos debacchatus est, tantum, ipse pertulit. Iuxta mensuras criminis, pares rependuntur pœnæ.

Maleficiorū & animaduersionū consonantia in Iudæis.

5. In secunda acceptione verbum *respondit eis.* Vsurpatur pro consonantia illa, quæ reperitur inter pectus, & vultum, faciem, & animum, itaut interna hominis synderesis, & conscientiæ vox designetur, quæ hominem diiudicat, & damnat in ore apparens; ipsa enim manifestat in vultu, & prodit scelus cordis, vel ipso homine silente, & dissimulante; per ora, per habitum, per vultum clamat contra ipsum, accusat vt testis, damnat vt iudex incorruptus. Et quot malis infestet, & vulneret, quot cruciatibus discerpat præcordia mali conscius animus aperte denuntiat. Et erit sensus: ipse vultus eorum simulatque agnoscitur, eos accusat, vocésque profundit tuba clariores testificans dignos esse supplicio. Sapienter sanctus Athanasius in Apologia ad Imperatorem Constantium ait de calumniatoribus suis: *Obserua num vultu quoque sycophantiam prodant: Is enim index est conscientia, siquidem scriptum est,* (Prouerbiorum capite 15. iuxta LXX.) *animi securi latique vultus floridus, idem contra in tristitia mæstus, ita quoque insidiantes Iosepho, ipsa conscientia redarguebat, & Labanis in Iacobum malignitas ex fronte apparebat.* Adde Caini vultus immutationem ex repulsa oblationis, & prælatione germani. Genes. capit. 4. vers. 5. & 6. *Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* Verba expendit Chrysostomus homilia 18. in Genesim: *Quare tanta detineris tristitia, vt & in facie mæroris magnitudinem ostendas.* Et sapienter Angelicus Doctor scribit: *Concidit autem eius vultus exterior, quia ab interiori consternatione mentis, vel cordis exterior aspectus faciei cadit. In vultu enim lucet communiter passio mentis. Vnde ex hoc apparet mirabilis virtus apprehensionis, & affectionis, quod ita subito, & ita vehementer totam naturam immutat.* Vnde ipsius vultus, & frontis temperamentum scelus diuulgat, & manifeste arguit, quid intus sceleris, & impietatis animus machinetur. Quare hanc cordis, & vultus concordantiam non ineptè comparabis echo, sicut enim in conuallibus, siluis silentibus, locis concameratis, & saxorum angulis accepta vox repercussu quodam resultat, simili tono aut intenso, aut remisso responsat, ita reciproca voce recinunt conscientia, & vultus. Et hoc est *Agnitio vultus respondit eis.* Hæc iuxta vulgatum.

Cordis, & faciei mirabilis consensus.

Vultus accusator est vocalissimus, & proditor criminis in animo latentis.

D Athanas.

Lect. LXX.

Genes.

Caini mæror & liuor in facie ostenduntur

D. Chrysost.

In vultu lucet passio mētis.

Apprehensionis virtus quæ vehementer totā naturā immutat.

Cordis, & vultus concordantia comparatur echo.

6. Illustremus lectionem LXX. seniorum. Ita legunt: *Confusio vultus eorum restitit eis.* Ita vertunt Chrysostomus, & Cyrillus, nisi quod hic legit: *pudor vultus.* Quam sic accipe: primò quod confusio vultus, seu infamia, quæ oboriri solet consideratione admissi flagitij, & pœnæ infligendæ eos coercere satagebat, vt conceptam animo iniquitatem premerent, nec foras emanare sinerent. Secundò *confusio vultus restitit eis.* iuxta superius dicta, ipsi flagitium dissimulare, & obuelare curabant, sed confusio, quæ relucebat in vultu, eos manifestabat, & contra ipsos testificabatur, extitisse sceleris auctores; vultum enim illius, qui nullius conscius est criminis, pudor, aut rubor improbus

Lect. LXX.

D. Chrysost.
D. Cyrill.

Metus ignominiæ coercet à flagitiis.

Confusio vultus crimen reuelat.

probus non suffundit; sed hilaris, & lætus ostenditur, quia intus non habet conscientiam accusatricem, quæ vultum immutet. Sed quia nullus pudor, nulla scelerum confusio apparebat in eorum ore, potius pertinacia, & impudentia, vt ex subsequentibus fit perspicuum; *Et peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* Ideò aliter sententiam poteris expendere, quod pudorem, qui solet cohærere criminibus: (nam hominis animus post patratum scelus consuescit de malefactis mœrere, & suppudescere,) petulantia, & procacitas absterfit; adhuc tamen in ipsa affectata libertate, & impudentia malefactoris, licet os perfricuerit, & modestiam exuerit, remanent indicia animi in ipsa facie criminis reprehensoria; in expudorata fronte, flagitij memoria, dum cor suppungit mœrorem, & ruborem, inuito malefactore, comparere cogit; Hic ergo pudor petulantissimis frontibus resistebat, sese opponebat, & testificabatur callidos, & versutos dissimulatores, esse Deicidij capita, & potissimos auctores Iudæos: *Pudor vultus eorum restitit eis.*

Verecundiā quandoque ex facie petulantia, & procacitas abstergunt.

7. *Et peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt.* Constituit ante oculos similitudinem Sodomitarum in patrando scelere, & Iudæorum in expostulando ad necem Christo. Primò Sodomitæ omnes pariter irruerunt in Lot. Genes. cap. 19. vers. 4. *Viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul.* Iudæi quoque principes, Sacerdotes, scribæ conserta manu mortem IESV consiliauerunt. Secundò similes extiterunt in iniustitia, & violentia, quia sicut Sodomitæ conciuem benemeritum de omnibus, pudicum, hospitalem, indemnitati omnium consulentem, cogere conabantur vt traderet iuuenes: *Vimque faciebam Lot vehementissimè.* ibid. vers. 9. Sic Iudæi contubernalem omnium seruatorem, & medicum, qui immensis beneficiorum nexibus eos deuincere curabat, contra omne fas, & ius adiudicadicarunt morti: Tertiò, & potissimum pariles fuerunt in impudentia; nam illi sicut petulantissimi canes exuta omni verecundia Angelos in specie iuuenum in domo Lot clausos, & sub illius culmine protectos ad præposteram libidinem inconditis clamoribus propalam exigebant. ibidem vers. 4. *Prius autem quàm irent cubitum viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul. Vocaueruntque Lot, & dixerunt ei: vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoscamus eos.* Sic etiam Iudæi impudenter non in abscondito consilio, sed palam, & apertè impietatem suam promulgarunt, IESVM velut hominem detestabilem prædicantes, & adiudicantes morti. Eleganter sanctus Cyrillus Alexandrinus ait: *Nam quemadmodum habitatores Sodomorum intemperantia ac immoderatione cupiditatum effrenatè laborarunt, voluptatibusque à natura abhorrentibus adducti, in Beatum Lot irruerunt, dum omni verecundia proculcata, & contempta, & prærupta quadam impudentia superante, viros ad ipsum diuertentes, ad abusum peterent; pari modo arbitror, & Iudæi contra se iniquitatem suam clamitarunt, & annuntiarunt, cum Pilato dicunt de Christo: tolle, tolle, cruci affige eum.* Et præclarè Sanctus Hieronymus: *Sic isti publicè proclamantes suum prædicauere peccatum, nec vllam in blasphemando habuere verecundiam. Secunda post naufragium tabula pænitentia est, & consolatio miserorum impietatem suam abscondere.* Hi tamen præcones facti sunt suorum scelerum, nec ea celare, & abscondere, sicut solet homo, curarunt, sed in propatulo vulgarunt. Magna impudentia est deliquisse, sed maior post peccatum non verecundari, sed efferri, & gloriari flagitio, & in suo complacere delicto.

Iudæorū improbitas cum Sodomitarū scelere æquiparatur. Genes.

D. Cyr. Alex. *Iudæi inuerecundi, & impudentes in postulanda nece Christi.*

Publicè proclamantes, suum peccatum prædicant.

8. Aliter possunt prædictæ sententiæ discuti, quod Iudæorum scelera sua grauitate, & magnitudine clamarent: Nam vt notat Abulensis Genes. cap. 18. tria peccatorum genera vociferari dicuntur ad Dominum: Sodomia, effusio sanguinis innoxij. Genes. c. 4. vers. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et fraudatio mercedis operarij. Iacobi cap. 5. v. 4. & in hoc sensu expendit Sanctus Chrysostomus versionem Septuaginta: *Peccatum suum prodiderunt.* Et verbum Græcum: *Κατήγγειλαν*, & ait: *Annunciauerunt, prodiderunt dicit, & publicitus spectanda præbuerunt: peccati magnitudinem, & grauitatem luculenter edisserens, vt hinc edisceré possent inflicta supplicia longè esse suis peccatis minora. Nam quod modum exuperarent, essentque nimis quam grauia, vtpote omnibus explorata, & omnium oculis subiecta, etiam si nemo coargueret, quamuis nemo reprehenderet. Satis enim superque eorum flagitia seipsa prodebant, ac manifestabant.* Hæc os aureum hoc in loco.

Iudæorum piacula magnitudine, & grauitate sua clamitant. Genes. D. Chrysost. Lect. LXX.

Væ animæ eorum quoniam reddita sunt eis mala. Connectuntur hæc cum subsequentibus, & ex eorum interpretatione pendent, corúmque commentarium infra dabimus.

Agnitio vultus eorum respondit eis.

DISCVRSVS I.

Omni carnificina, & tyranno immanius animum excruciant improbæ conscientiæ stimulus, & angor.

1. PECCAVIT improbus, & licet in vultu prætendere satagat signa hilaritatis, & lætitiæ; intus corrodunt præcordia mœstitia, angor, & tormenta sæuissima, quæ læsa crimine conscientia germinat: Hi sunt improbitatis fructus, secum enim defert quocumque se vertat, sæuum tortorem, qui diu noctúque plectat, & ante oculos constituat quandam horrore plenam imaginem mortis. Deliquit Adam suasione fœminæ, & in barathrum incidit ineuitabile plenum terroribus, & tormentis, nisi manus diuina succurreret. Vix auscultauit Domini vocem quasi pastoris soliciti, dulci fistula perquirentis ouem errantem, quæ voluntario lapsu in caueam ruerat, vt eam extraheret; & statim fugam arripit, & inter condensa ligni vetiti rusculum inuestigat, in

Adam auscultans voci Domini latebras quærit.

Genes.

in quo delitescat. Genes. cap. 3. vers. 8. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Iam ab exordio flagitium lucem refugit, quærit latebras. Quis à consortio, & loquela Dei fugacem Adamum reddidit? Is cui solamen erat dulcis concentus, diuinum alloquium, tanquam horrisonum tonitrum recusat, & refugit; cerne quot mala in pectus Adæ transgressoris inuexerit crimen: ipsum ab amicitia Creatoris reddidit extorrem, illius conspectum, & colloquium abhorrentem. Iam terrores parabat, minas conflabat animo præuaricatoris mala conscientia. Ipse enim simul cum improbitate insurrexit tanquam exactrix exors pietatis, parabat torturam, & verbera iustè infligenda criminoso. Argutè id annotauit Pater is, cui inest aureum alloquium homilia in Genesim 17. *Misericors Deus principio cum formaret hominem, conscientiam illi indidit accusatricem perpetuam, qua decipi, & deceptionem ferre posset nunquam. Et licet quis admisso peccato, perpetratoque aliquo facinore illicito, omnes homines celet, illam tamen accusatricem non poterit latere: nam hanc intrinsecus, habentes vbicumque sumus, circumferimus. Ipsa nos circumit, obturbat, laniat, flagellat, nunquam quiescit: sed & domi, & in templis, & in mensa, & dormientem, & surgentem adoritur, rationem delictorum exigit: obque oculos proponit, & delictorum grauitatem, & subsequuturam pœnam.* Conscientiæ morsus præuaricantium perbelle describit Chrysostomus, vellicantes pectora, & lancinantes intima cordis. Prouido Dei consilio actum, vt cordibus humanis inderet conscientiam, quæ accusatricis, iudicis, carnificis munere fungeretur; vt peccati oblectamentum dirimeret, & dulcedinem culpæ, & carnis blandimenta exacerbaret, & mellitum voluptatis saporem in absinthium verteret. In vigilia, & somno non patitur quietum habere cor, velut mortiferum virus anxietate, & gemitu perturbat, pœnæ impendentis sine fine duraturæ terrore contabescit. Rursus ad examen vocat idem Constantinopolitanus Antistes latibulum à præuaricatoribus in medio paradisi requisitum, & concinnatum; non enim in aliquo speleo & saxorum antro suffugium perquirunt delitescentes, sed in medio paradisi: *Nam sicut flagiones, & ingrati quidam famuli, cum non possint à Domino suo occultari huc, & illuc in angulos domus currere solent, metu illorum conscientias concutiente: ita & hi nullum inuenientes effugium, in ipsa domo, paradiso (inquam) circumaguntur.* Vitabunt aliquem locum, sed se ipsos non effugient, qui sceleris accusatricem secum portant conscientiam. Pulchrè Eusebius Emissenus homilia 3. de Pascha scribit: *Si fortè charissimi, hominis cuiuscumque seruus duris domini sui vrgeatur imperiis, quocumque fugiendo aut latitando euadere, & declinare iniquum Dominum potest. Seruus peccati quò fugiet? Qui secum trahit quocumque fugerit? Non fugit se ipsum, non est quo eat; mala conscientia sequitur se: imo non recedit à se. Vix aliquod deforis potest esse remedium, quando intus est vulnus inclusum. Quid prodest quod homo sonantem fugit arcum, qui iaculum secum portat infixum.* Transfugit volatile peccati gaudium, & velut in theatro scœna peracta, personata illa felicitas dissoluitur, & euanescit, per alia oblectamentorum diuerticula, quibus abundat sæculum, compendia obliuionis peccati iniquus requirit; fugit acerba, sectatur iucunda, inuestigat sensuum adulatoria blandimenta, refugit peracerba; sed increpatoria conscientiæ verba declinare non valet, quæ tanquam acuminata iacula pectus transfodiunt, cor traiiciunt, crudeli vulnere sauciant, & torquent; vita potius imago mortis est, qua in tot dolorum, & gemituum turba transigitur. Cerius qui iaculum secum portat infixum, licet ingurgitetur de limpidissimo torrente, & lympharum lauacro summersus innatet, de aquarum refocillatione non tollit vitæ pericula, nec cruciatus peracerbos remittit, dum de iaculi transfixi punctura laceratur. Sic animus de male moratæ conscientiæ sagitta confossus, clauum suffixum in corde portat, illud continuo lancinantem.

Post transgressionem, aspectum, & alloquium Dei abhorret.

D. Chrysost.

Donauit Deus homini conscientiam accusatricem perpetuam. Tanquã crudelem exactorẽ improbus conscientiam suam circumfert.

Improba conscientia carnificina.

D. Chrys.

Primi parẽtes instar flagrionum in ipsa domo paradisi effugium quærunt.

Euseb. Emis.

Homo iniquus seipsum trahit, quocunque fugerit.

Mala conscientia sequitur se, non recedit à se.

Improbus conscientiam suam tanquã iaculum, gestat infixum.

2. Celebrat Lucas Euangelista prodigi filij miseram seruitutem, erectionem ad vitam post mortis ruinam, ipsumque prospicit aduentantem ad paternos lares, vt vestiat, & ornet gratia parentis, quem iniquitas, & luxus propriis exuerat vestimentis gratiæ. Sed valde festiuus est festinus Patris occursus, vt pannosum, & squalentem filium plus de culpæ, quàm ærumnæ sordibus osculis, & amplexibus redimat, & illustret. Lucæ cap. 15. vers. 20. *Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Cur non expectat filium extorrem ad paternæ domus fores, & limina pater cinctus caterua famulantium, sed festinat, accurrit, & seposita seriosa grauitate, & tarditate depulsa, conuolat ad natum, & suis implicat amplexibus? Quid impulit parentem, vt assumptis charitatis pennis præpeti volatu anhelaret ad effundenda pietatis viscera, & pullum, & amicum pignus de faucibus draconis erutum, & harpyarum ereptum vngue, brachiorum tanquam alarum protegeret velamento? Respondet argutè Guarricus Abbas sermone in Sabbato secundæ hebdomadæ Quadragesimæ: *Sic festinabat absoluere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciaret misericordem compassio miseri, quàm ipsum miserum passio sui.* Vidit natum in equuleo malæ conscientiæ tortum, angoribus improbitatis ipsius velut vnguibus excarnificatum; audiit eiulatus, & tristes gemitus animi sub tartarei exactoris hasta venditi, & Acherontici monstri lanienæ destinati. Anhelo cursu festinat, vt opem ferat, vincula relaxet, instrumenta cruciatus inhibeat, & solamen infundat. Accelerat vt proprij pectoris releuet ærumnas, & cruciatus; tantum flagitium conscientia improba est, vt illius tormenta ad patrem redundent vberiori mœstitia; prodigum torquet iniquitatum memoria, quæ ex visu patris, ingratitudinis partes accumulant; sed crudelior tortura pietatis, & compassionis, quæ de grauitate delicti, & alienæ conscientiæ tormento viscera patris vexabat.

D. Lucas

Cur pater filium prodigum non expectat, vt veniat, sed ei celeriter occurrit.

Guarric.

Festinabat absoluere reũ à tormento conscientiæ suæ.

3. Magnum illud Caini flagitium, in quo inferendæ necis germano ostensum est exordium, multatur

Caini à facie Dei repulsa, mœror, & tremor improbi.
Genes.

multatur à Deo horribili quadam sed iusta animaduersione. Genes.cap.4.v.13. *Vagus, & profugus eris super terram.* Et v.14. *Tam graui supplicio oppressus mœret Cain: Ecce eycis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis qui inuenerit me, occidet me.* Vtrobique transferunt LXX. seniores: *Gemens, & tremens eris super terram. Et ero gemens, & tremens super terram.*

Lect. LXX.

Multatur exilio parricida, vt exul patriæ, & paterni domicilij, diuino præsidio destitutus non inueniret certam mansionem, qui affectu ferarum exularat à pietate fratris & charitate; apud omnes pateretur repulsam tanquam horribile monstrum humanæ aduersum naturæ. Sed cur vita prorogatur, & non incurrit morsus bestiarum, & decursu temporis in hostiles gladios, qui ipsum perimerent? Funestæ mortis auctor seruatur à Deo non ad vitam, sed ad pœnam morte ipsa crudeliorem. Sapienter sanctus Ambrosius scribit in Psalmum 35. *Cùm adhuc à Domino pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum. Latebat miser tremens, & timens: & cum adhuc percussor deesset, ipsa se iniusti vita cruciabat. Acceperat signum, ne eum aliquis occideret: non vt vita suauitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnam, vt percussorem suum quotidie timendo pateretur. Meruerat quidem vt percussor inhiberetur: sed sine vlla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor.* Arcetur percussor, gladius inhibetur, Cain sanguis, qui fraternum sanguinem fuderat, seruatur incolumis. Hæc vitæ protestatio per tot temporum lustra, non pietas, non amor, sed iusta sæuitia est. Conscientiæ suorum criminum traditur plectendus, mactandus tanquam immanissimo tortori. Latitare cupiebat palabundus, & errans, fugiens tanquam mortis imaginem, & inferias vmbras, alienas violentorum manus; sed ipse pauitans, & horribili conquassatione membrorum, intimi indice horroris, contremiscens, miserabiliorem, & immaniorem torturam, & lanienam in cordis intimo circumferebat; illud vulnus crudelius, & cruciatus seuerior, qui non aliena sed propria manu infligitur; nec fas est euitari, quod pungit. Præcipitur à Deo, nequis eum prophanus interimat, non vt perfruatur iucundius huius lucis vsura, quæ etiam improbos oblectare consueuit; sed vt pœna productior ex horrore, & metu, recrudescente in se vulnere, & dolore quotidie renascatur; vt sine vlla temporis mora per annos, menses, dies, horas, temporisque particulas, ipse sibi existat percussor, & lanista: *Sed sine vlla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor.*

Cur Caini vita protelatur?

D. Ambr.

Cessante Domini pœna, torquetur suorum peccatorum conscientia.

Vt percussorē suum quotidie timendo pateretur.

Sine vlla intermissione ipse sibi carnifex, & percussor erat.

Cruciatus ille seuerior, qui non aliena manu, sed propria infligitur.

Plutarch.

Pulchrè Plutarchus libro de tranquillitate animæ hanc pœnam innatam improbis describit: *Facinorosa conscientia instar est in anima vlceris in corpore, vtpote quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter, peruellentemque animam. Nam quum omnes alias tristitias tollere ratio solita sit, sola hæc eadem pœnitentia facit incitabilem præ pudore, quasique mordicus impetentem se, atque excarnificantem.* Hæc ille.

Facinorosa conscientia pœnitentiam in anima relinquit continuo lancinantem.

4. Impij, & Tyranni Imperatoris conscientiam describit Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione quarta, sumptis perpulchrè, & pereruditè similitudinibus ex priscis narrationibus inferorum, & cum hæc verba præmisisset: *Ij qui molestiam intulerunt metu concutiuntur, meritasque pœnas expectant, propriaque conscientia cruciatu afficiuntur. Nam quæ quisque iam iam perpessurus timet, hæc passus est etiam si non patiatur: Grauiusque à se ipso fortasse, quàm ab iis qui supplicium illaturi sunt, torquetur.* Postea vero Theologiæ apex orationem suam deriuat ad Pyriphlegetontes, Cocytos, & Acherontes, punitores improborum, Tantali sitim, Ixionis rotam, & Tityj iecur continuo auibus laceratum. *Iulianus Imperator* (inquit Gregorius) *vester huius sodalitij est, &c. vel ipsius iecur ab auibus depascatur, nec tamen vnquam deficiat, sed quotidie impleatur, siue veritas hæc sint, siue fabula, veritatem in figmentis indicans: Verum quibus tum & quantis pœnis afficiatur videbimus, quámque his grauioribus, & acerbioribus, siquidem scelerum magnitudini vltiones, & supplicia respondent.* Hæc de conscientia improba Iuliani, Theologus. Verum omissis modo illis ad mores compactis narratiunculis de Ixione, & Tantalo, & impendenti super verticem saxo, videamus quid præseferat illa iecoris laniena & depastio. Enuntiat apertissimè Macrobius, Ambrosius lib. 1. de somno Scipionis cap. 10. scribens: *Vulturem iecur immortale tundentem, nihil aliud intelligi volentes quàm tormenta conscientiæ obnoxia flagitio, viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia, indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere forte tentauerint, excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec vlla sibi miseratione parcentis: lege hac, qua se iudice nemo nocens absoluitur, nec de se suam potest vitare sententiam.* Incessabilis illa hepatis auulsio, vulturei rostri, & vnguis excarnificatio, improbæ conscientiæ lanienam repræsentat, quæ nec diu nec noctu quietum cor esse patitur; sed curæ, & solicitudines vehementes velut teredines corrodunt, & tanquam vnci ferrei discerpunt. Omni enim flagro, & cruciatu vitalia depascit, & peruellit angor & metus, & continua sceleris admonitio, quæ pœnam non finit intermori nec remitti, sed continuò de vulnere, & laniatu renascentia viscera ad immortalem pœnam viuere cogunt. Illustrat mentem hanc non minus eleganter quàm argutè Sanctus Bernardus lib. 5. de consideratione ad Eugenium: *Hic est vermis qui non moritur memoria præteritorum. Semel iniectus vel potius innatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps euellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus, esca vtique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem; & mortem viuacem. Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit. Quis det illis semel mori, vt non moriantur in æternum.* Quæ verba fabellam Tityi Gigantis amore Latonæ capti, & eam de stupro interpellantis pœnam, inter imas Erebi vmbras religati, iecoris à vulture lancinati, illustrant & ornant; conscientiæ vermem, & morsus delineant aperte, & quæ tanquam blatta ligno, cordi hæret, & figitur sceleris admissi continua recordatio. *Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus, esca vtique inconsumptibili perpetuat vitam.* Quod idem

D. Gre. Naz.

Qui molestiā alteri inferunt, propria conscientia cruciatu afficiuntur.

Quod quisque timet perpessurus, antequam illud patiatur patitur.

D. Gre. Naz.

Iuliani Imperatoris cor tanquam Tityi iecur continuo auibus dilaceratum.

Scelerū magnitudini vltiones & supplicia respondent.

Ixionis & Tātali fabula, & impendens super verticem saxi.

Macrob.

Tormenta cōscien. in obnoxia flagitio.

D. Bern.

Vermis memoria scilicet præteritorum criminū hæret firmiter, nec cessat rodere conscientiam.

Mors semper viuens, & vita moriens

Tityi Gigantis amore Latonæ capti pœna.

idem Philo Iudæus affirmarat de Flacco in Iudæos tyrannidem exercente, post flagitia commissa: *Vexans se ipsum recenti calamitatis memoria arrodensque suum cor misere.* Ait Philo libro in Flaccum quanta mala accersit sibi homo flagitio commisso, iam tunc destinatur ad perpetuum patriæ cælestis exilium, à consortio & felicitate Sanctorum, extorris, semper arsurus edacibus ignibus. In hac quoque mortalitate secum circumuehit inferas vmbras, & tartarei cruciatus, & ærumnæ viuam imaginem, cum instantis sceleris memoria tanquam furia, & Erebi monstrum, & lanio cor discerpit, & distrahit præsentis horroris acerbitate, & imminentis terrore supplicij. Voluptatis dulcedo, & adulatio instar vaporis à vento dispersi euanuit. Et semina virulenta in pectore sata dereliquit mœstitiam, horribilem metum exacerbantes animum, & ad desperationem inducentes, quæ de recordatione transacti flagitij quotidie pubescunt, & velut sopitæ flammæ inardescunt tristi suspirio, quod mœstitia elicit. Cernis in animo bustum, & pyram à peccato accensam, camini per omne æuum ardentis æmulatricem.

Homo recenti calamitatis memoria arrodit seipsum.
Phil Iud.

In hac vita secum circumfert inferas vmbras.

5. Nec horrescere fas est ad terribilem nuncupationem tartarei hiatus, & caueæ in corde delitescentis, nam Diuus Bernardus carcerem, & infernum improbam conscientiam peccatoris appellat, sermone 4. de Assumptione Beatæ Mariæ ad verba Psalmi 15. *Non derelinques animam meam in inferno.* Ita ait: *Infernus quidam, & carcer animi rea conscientia est.* Et sermone 2. eiusdem festiuitatis eamdem similitudinem latius prosequutus: *Erat enim illi conscientia carcer, erant tortores ratio, & memoria, atque hi quidem crudeles, austeri, & immisericordes: sed longe minus rugientibus præparatis, ad escam, quibus erat iam iamque tradenda.* Memoria, & mens, quæ erant satellites criminis, lenones voluptatis, illecebrosa dulcedine irretientes, & captiuantes voluntatem, post commissum scelus tortores facti sunt crudeles, seueri, omnem clementiam exuentes, qui clamoribus, terroribus pungunt, & flagris immanissimis excruciant miseram animam subeuntem miseræ captiuitatis ærumnas, in carcere conscientiæ criminosæ clausam, in quandam inferni voraginem proiectam, ne remeare possit ad regionem luminis, & quietis, nisi Deus mittat manum suam de alto, impenio gratiæ & pœnitentiæ subsidio.

Improba conscientia carcer & infernus.
D. Bern.

6. Fudit Ionas consputus à cœlo cœleste præconium, & Niniuitarum animos impendentis supplicij terrore suspendit; cùm perlustrat Regiam, vrbemque totam ieiuniis instructam, ciliciis, & cineribus tanquam armis munitam sese diuinæ iræ opposuisse, euaginatum, & limatum Dei gladium ad necem, & carnificinam in vagina reconditum, angore quodam correptus Vates, verbi sui quodam opprobrio, & promissionis minacis euentibus non respondentis, zelo tabescens expostulat gemebundus animæ suæ vt moreretur. Sed eximio Ecclesiastæ laboranti, & penè animam agenti non defuit Dei solatium, præparat Dominus vmbraculum hederæ, vt viridanti velamento refocillaretur, & mœstitudinem in lætitiam magnam commutaret. Sed breue illud gaudium disperiit subito, & Dominico imperio, quo viruerat, quo fronduerat hedera in modum tabernaculi eripientis ab æstu, & torrore solis, subito exaruit abiectissimi, & tenuissimi animantis morsu, & voracitate. Ionæ cap. 4. v. 7. *Et præparauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum: & percussit hederam & exaruit.* Quàm durè tractat Deus verbi sui ministros; exiguam casulam, & hederacea mapalia, quæ possent esse subsidio ad temperiem mœroris prophetæ, dissipat. Sed in hedera aut *cucurbita*, vt transferunt LXX. interpretes, cælestis instructor collocauit magisterium, vt tanquam de suggestu præconem suum erudiat. Si rigorem litteræ teneas, ex hederaceo subsellio edocet Deus Vatem erga criminosos clementiam, & efficacioribus argumentorum clauiculis tenet Prophetam, quam hedera tesserulis, & manibus repit, & hæret lignis, & parietibus. Si doles, & ingemis (inquit) de hederæ occasu, & siccitate, non doleam ego de vrbis vastitate, & hominum excidio? Emolliit pectus Ionæ his blandimentis pietatis, & ad arcana lemmata mentem prouexit, vt in typica cucurbitæ vmbra affulgeret vberius lumen moralis intelligentiæ. In hedera, & opaca cucurbita apparens voluptatis gaudium, & volatilem mundi gloriolam, sicut in vermiculo, conscientiæ morsus, & torturam ostendit. Mens est Theophylacti Archiepiscopi Bulgariæ sectantis lectionem LXX. seniorum: *Proinde & vmbra cucurbitæ hoc est gloria huius mundi, siquidem omnis gloria hominis sicut flos fœni,* (Isaiæ cap. 40.) *Refrigerare nos videtur in hoc afflictionum æstu, ideoque à nobis expetitur. Eam verò feriat vermis matutinus, ipsa nimirum conscientia nostra, cum nihil eorum, quæ nostra sunt tenebricosum, aut obscurum est. Hinc & vermis est, nunquam non peccatorum nobis sensum exhibens. Ipsa enim sensibilis tinea ossium cordisque ob oculos nobis ponens nostra scelera, docens iuxta nos vel grauioribus pœnis dignos, peccatorum nostrorum causa.* Pulchra Theophylacti mens moribus componendis apta, in qua operæ pretium duxi iuxta Vulgati versionem illustrare hederæ metaphoram: in qua malemoratæ fœminæ, & pellicis ingenium adumbratur: est enim hedera ipsa lasciuior, & ambitiosior, omnia amplexu irretiens. Horatius lib. 1. carminum Ode 36.

Ionas Propheta angore cruciatur, cum vaticinij verbis euentus non respondet.

Vmbraculũ hederæ vermis arroditur, & exsiccatur.
Ionas

Ex hedera instruit Deus Vat. ad commiserationem, & clementiam.

In vmbra cucurb. à mundi gaudium, & voluptatum vermis conscientiæ morsus adumbratur.
Theoph.
Lect. LXX.

Ossium, & cordis sensibilis tinea conscientia iniqui.

Improbæ mulieris, & pellicis ingenium cum hedera componitur.
Horat.

> *Nec Damalis nouo*
> *Diuelletur adultero*
> *Lasciuis hederis ambitiosior.*

Idem de Neæra canit in Epodon ode 15.

> *Arctius atque hedera procera astringitur ilex*
> *Lentis adhærens brachijs.*

Cui quadrat hederæ natura descripta à Plinio lib. 16. naturalis historiæ cap. 34. *Inimica arbori satisque omnibus serpentium frigori gratissima.* Et postea: *arbores necat candida, omnemque succum auferendo tanta crassitudine augetur, vt ipsa arbor fiat. Inter media folia emittit brachia vtrinque semper amplectens. Pluribus locis intercisa, viuit tamen duratque, & totidem initia radicum habet, quot brachia, quibus inuolutas, & solida arbores sugit, ac strangulat.* Exambiunt impudicæ hederæ omnia amplecti, vt tyrannica dominatione imperitent omnibus, nimirum copiis, honori, vitæ; facies amicitiæ laruam videtur prætendere, cum nullus sit

Plin.
Hederæ natura.

Arbores necat & succũ earũ aufert.
Diuersa brachiola expãdens, arbores sugit & strãgulat.
Meretricis ingenium expãditur.

ſit hoſtis nocentior, quæ continuo inſidias parat; id ſatagunt vt ex robuſtioribus arboribus inter quarum brachia, & frondentes ramos mille radicibus, & clauiculis lenocinantium verborum ſeſe intertexunt; ſuccum, & ſubſtantiam diuitiarum extrahant, & ſugant, & arbores excindant. Semel interciſa, & ſeparata, nouis radicibus adhæret, reparatur, & reuireſcit ad interitum arboris, ipſaque manente incolumi, amicum ſtrangulat. Eius qui viuit ex morte meretricis calliditatem, & inſidias promulgat Chryſoſtomus homilia 14. ad populum tom.5. *Hæ poſtquam laſciuia pennas vndique extenderint per oculos, & habitus, & verba, poſtea ſuos inijciunt amatores, & colligant, non prius abſiſtentes quàm & ipſorum cruorem ebiberint, inſultantes poſtmodum & ipſorum ſtultitiam carpentes, & multum de ipſis riſum fundentes.* O quot proceras arbores caput extollentes irretierunt, ſteriles, & exangues reddiderunt, & exſiccarunt, diſſipatis pinguiſſimis patrimoniis, & cenſibus laſciuientes hederæ! Ipſæ plenæ corymbis gemmarum, & ſpoliis ſtultorum.

D. Chryſoſt. *Pellicum tyrannis in amaſios.*

Contra hanc heredam immittit Deus vermem conſcientiæ, qui in hominis pectore naſcitur, vt ipſum de lethali ſomno, & morbo excitet, & eripiat: *Eam verò feriat* (inquit Theophylactus) *vermis matutinus, ipſa nimirum conſcientia noſtra.* Ipſa enim ferit, cum in corde tuo emori facit, cum radices amoris excindit acerba peccati memoria: crudeliſque morſus impendentis pœnæ tanquam exactor immanis tributa præſentis mœroris, & perturbationis rependit, horribiliſque voce obteſtatur, & admonet de pœna iam iam inſtanti nullis terminata ſæculis: *Ipſa enim ſenſibilis tinea oſſium cordiſque.* Continuo enim remorſu abolere facit pulchras animo obuerſantes imagines, & phantaſmata, quæ velut inſomnia in arce mentis ludunt, & dormitanti peccatori illudunt. Fugat titillantem demulcentemque voluptatem continuus ille ſenſus perpetrati ſceleris, pungens pectus, & compungens, & tanquam ſenſibilis teredo mordet, arrodit, exedit vitalia, vt compeſcat hominis animum à delicto, & amplexu fœmineo, qui acerbiores morte cruciatus in animo derelinquit. Felix vermiculus cùm renidentis gratiæ aurora in corde exoritur, pellitque animi caliginem, qua inuoluitur in ſcelus ruens, regionem vmbræ mortis à flagitio architectatam diſſipat; obliuionem, & torpedinem, quam crimen inducit, exterminat, fucatum oblectamentis naturæ lumen, & pene ſopitum, continuis ſuſpiriorum flatibus reaccendit, & amoris igniculos, & blandimenta voluptatis fletibus expungit. Has omnes copias ſuggerit conſcientiæ remorſus ad expugnationem flagitij, ſi mordax remedium vulneris pectus admittat, & non reluctetur aduerſus medicam manum. Quis ſapiens, & cordatus non patietur morſus, & acrimoniam talis vermis ad tempus excruciantis, vt à morſu vermis æterni eripiatur, & in omne æuum conualeſcat. Illuſtrat mentem hanc Sanctus Bernardus pulcherrimum acroama adiungens Iſaiæ capiti 66. *Vermis eorum non morietur.* libro de conuerſione ad clericos cap. 6. ſcribit: *nec ſentire interim pigeat morſus vermis interni, aut periculoſa quædam animi amaritudo, & pernicioſa mollicies perſuadere queat, vt præ*

Conſcientia morſus in laſciuientibus.

Pœna ſceleribus imminens, & pectus pungẽs, quãta emolumenta in animo parturiat.

Conſcientia vermis immortalem vermem interimit.

Iſaia.

D. Bernard.

ſentem velimus diſſimulare moleſtiam. Optimum eſt tunc ſentiri vermem, cùm poſſit etiam ſuffocari. Itaque mordeat nunc, vt moriatur, & paulatim deſinat mordere, mordendo rodat interim putredinem, vt rodendo conſumat; & ipſe quoque pariter conſumatur, ne foueri incipiat in immortalitatem. Vermis (inquit) *eorum non morietur. A facie illorum morſuum quis ſuſtinebit? Multiplex enim nunc conſolatio arguentis conſcientia releuat cruciatum.* Naturam quamdam tribulantem, pungentem, mordentem conſcientiæ hominis Deus indidit, vt temporaneo cruciatu & morſu, perpetuæ torturæ & inclementis morſus tartarei admoneret; vt præſenti moleſtia ad curationem vulneris putridi admiſſa, non diſſimulatione pernicioſa à ſe repulſa, tineam perpetuo exedentem corda damnatorum redimeret; mordet nunc, ne in æternum mordeat, rodit, vt vulnus amputet, & virulentam ſaniem abſtergat, vt mordens in ipſo morſu moriatur. Felix tortura, quæ à cruciatu immani releuat, mortem abolet, vitam creat.


Vtile eſt, vt conſcientia vermis nunc mordeat, vt moriatur.



Agnitio vultus eorum reſpondit eis.

DISCVRSVS II.

Horribile admodum conſcientiæ improbæ tribunal, in quo ipſa ſui teſtis, accuſatrix, incorruptus iudex ſententiam capitis enuntians.

1.  MPROBA conſcientia non ſolum torturam ædificat ſontibus, vt eos ſtimulis, & flagris cædat, & morſibus laniet; ſed tribunal adſtruit intus in animo in iudiciario ſubſellio ſeſſitans, omnes iuſtitiæ rigores, & forenſis iudicij iura ſibi acceſſit, vt horrere percellat errantes, & velut quibuſdam lupatis effrenes cohibeat à flagitio. Admiſit Lamech grande piaculum furore correptus, cuiuſdam adoleſcentuli ſanguinem, & vitam profudit; improbi facinoris, & crudelis horrore captus, ſui ipſius accuſationem inſtituit coram ſuis fæminis iugalibus. Geneſ. cap. 4. v. 23. *Dixitque Lamech vxoribus ſuis Ada, & Sellæ: audite vocem meam vxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.* Quis fuerit iuuenis de vita ereptus, non eſt huius inſtituti confirmatio. Auocat nos Lamech eiulatus, & ſincera confeſſio plena lacrymis, & apertio vulneris animi, ex qua indulgentiam Domini, & mitiorem pœnã promeruit, vt conſcientiæ criminoſæ auſteritatẽ, toruumque vultum, minaces oculos in Lamech iactantẽ, vindicemque æquitatis gladium euaginantem, mentis cernamus intuitu. Vix inficit alieno cruore manum, cum conſcientia ſeuerum animi ſcandit tribunal, & iudicium inſtituit, accuſat, coarguit delinquentem, & ad confeſſionem criminis cogit. Peccati apertionem, & præconium

Conſcientia improba tribunal, & iudicium.

Geneſ.

Lamech cõfeſſio criminis plena lacrymis.

Digitized by Google

conium Lamech amplificat, quo solet eloquio Chrysostomus homil. 20. in Genesim, & in persona ipsius delinquentis fatur: *Mentem vestram intentam præbete, & diligenter auscultate, quæ dicturus sum, non enim de rebus vulgaribus vobis loquar, sed occultas quasdam res vobis aperiam, & confitebor ea, quæ nullus alius scit: sed solus ego, & oculus ille, qui sopiri nescit, quem timens festino, & anhelo, vt vobis manifesta faciam, quæ à me sunt acta, & quantis pœnis ego me ipsum nefarijs obnoxium fecerim operibus.* Et paucis interiectis. *Quis enim istum, dic obsecro, talem ad confessionem adegit? Nullus alius quàm conscientia, & incorruptus ille index: nam simul ac in peccatum declinauerat, & opere perfecerat malum conatum: statim insurrexit conscientia, inclamansque, & ostendens peccatorum magnitudinem, omnibus se ipsam pœnis obnoxiam facit,* &c. *Misericors enim Deus eiuscemodi nobis accusatorem assistere voluit, vt nunquam soli relinquamur: sed indesinenter ille congrediens clamet, & pœnam exigat delictorũ.* Vel in hoc maiori venia Lamech Protoplasto, & parente dignior, qui non excusationum, & turpis pudoris velamento texit errorem suum, sed nefarium conatum, crudelitate plenam audaciam planam facit suis consortibus; nec solum fatetur crimen, sed aggrauat ampliori sermonum ambitu, dum adolescentis ætatulam extinctam, in ipso vitæ florentis exortu abscissi, ictus vulnera, iræ immanitatem, quasi ponderosas moles criminum sibi coaceruat. Mira homicidæ testificatio, quam non rotæ, furcæ, ferreæ vnguis metus à malefactore extorsit; sed conscientiæ artificium, & coactio, quæ in pectore Lamech accusatoris, & iudicis munere fungebatur. Non erat necessarius illi magistratus Regalibus infulis clarus, qui iudicialis potestatis teneret imperium, cuius satellites virgas, & secures ostentarent ad terrorem malefactorum. Ipsa conscientia, contra occisorem gladio iustitiæ armata, consurrexit, nec illius sententiam comperendinauit; sed statim comprehendens tenet eum adstrictum peccatorum suorum vinculis, aduersus illum testificatur flagitium voce sanguinis dispersi, & clamore animi, qui solet esse vocalissimus, tanquam iudex tristis, seuerus, sed incorruptus sententiam damnationis promulgat.

D. Chrysost.

Conscientia attestatio, & redargutio.

Conscientia Lamech iudicium.

Conscientia accusatrix clamat, & pœnam delictorum exigit.

2. Nec mirum est post patratum impium facinus nequam pungi tanti Iudicij seueritate. Illud admirabilitate plenum, quod in ipsa molitione, & in nisu criminis iam impia conscientia præsentiat, qua sententia multandus sceleratus. Hoc valde compertum est ex consilio architectorum Babylonicæ turris. Genesis capite 11. v. 4. *Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: Et celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras.* Verè filij terræ, homines terreni exorbitantes à cælo, quorum nomen in terra scribetur, ab edaci tempore expungetur, ab hominum memoria obliterabitur. Vrbem sibi condunt, quandam hominum societatem, animorum copulam, in vnum locum coitionem, habitaculorum concordiam, & de dispersione meditantur? Vnde præcognoscitis in totum orbem dispergendos? Præsensionem vestram ipsa veritas iuuat, præsagio euentus ipse rerum consonat, vt constat ex Genes. cap. 11. vers. 8. *Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras.* Et v. 9. *Et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.* Qua ex indagine, quibus auspiciis coniectata ab iniquis dispersio? Respondet argutus Philo Hebræus libro de confusione linguarum, deprauatam eorum conscientiam iam in exordio structuræ superbæ, suggessisse mentibus improborum supplicium dispersionis: *Profectò (inquit) conscientia redarguit in pectore, & quamquam contemptores Dei stimulat, vt vel inuiti cogantur intelligere, humanas res administrari à natura præstantiore, & esse iustitiam, quæ implacabiliter scelera vindicet, infestam iniustis impiorum facinoribus, & eis etiam, qui his patrocinantur. Verum isti omnes sunt semper morientis, & nunquam emortuæ miseriæ posteritas, illius quæ Cain dominatur.* Sceleratorum mentibus quantumcumque occæcatis caligine superbiæ, ingerit conscientia saluberrimas cogitationes, & quædam veridicæ diuinationis effata, vt pungat corda inflata elationis tumore, tumidos flatus propellat, eaque restituat sanitati, coërceat à flagitio impendentis formidine pœnæ, semper instantis, semper occurrentis in primis motibus, & conatibus nequitiæ: Arripuerunt scelerati architecti impium dominatum, vt sine lege, sine subiectione ciuili impudenter peccarent; ast conscientia intus in vniuscuiusque animis partes suscepit vindicis iustitiæ, & intimo terrore eos percellit, disperditionis flagello multat: & dum conantur esse conciues in Babylone à se condita, quodam improbitatis vinculo connexi, eos conscientia discernit, & tanquam extorres à patria in omnes mundi plagas seuero multat exilio. *Antequam diuidamur in vniuersas terras.*

Conscientia criminosi, qua sententia sit multandus, præsentit.

Genes.

Turris Babel artifices cum communionē ineunt de dispersione cogitant.

Phil. Iud.

Dispersionem improbis malis conscientia suggerebat.

Iustitia Dei vindex est scelerum.

Structores turris semper morientis miseriæ posteritas.

3. Nodus quidam admodum difficilis solutu reperitur Genes. cap. 4. in verbis ipsius Dei conantis reprimere à præmeditata insolentia, & crudelitate reprobum Cainum. Sententiarum tenor est versu 7. *Nonne si bene egeris recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Æquo iure sciscitaberis quid sit peccatum adesse in foribus? Existimat Hugo Cardinalis excubare peccatum pro foribus domus animæ, quia ei insidiatur pœna peccati, Viamque obire ostiarij: *Pœna peccati vicem ianitoris obtinebit: quia semper concomitabitur te siue introeas, siue exeas.* Homo delinquens ipse sibi carcerem ædificat, ferreisque pessulis claudit errorum, ne facilis pateat elabendi è vinculis, & custodia aditus; ipsum scelus tanquam somnij expers adest vigil, & excubat ad postes animæ tanquam draco, qui apertis oculis dormit, vt de neruo eripi cogitantibus, intentet minas, & fugæ conatus dissipet. Auctor catenæ in Genesim Lipomanus aliter expendit: *Scelere igitur, & flagitijs polluti excruciamur à conscientia, quæ ad nostri cordis fores semper excubat, quæ quidquid agimus, aut molimur illicò nobis præsto est, neque lætos vnquam esse permittit.* Subiungit statim rationem alteram, qua aliqui præsentis difficultatis pondus eleuant: *Alij exponunt, ad ostium scilicet sepulchri, semper peccatum tuum accubabit, quo vsque dies ille iudicandi accesserit, quo tempore* de

Genes.

Quid denotet peccatum adesse in foribus.

Hug. Card.

Pœna peccati munus ostiarij obit, quæ ingredientem, & egredientem comitatur.

Lipom. Cate.

Conscientia flagitij ad cordis fores excubat, nec lætum esse sinit.

Peccatum ad ostium sepulchri accubat, ad vindictam postulandam in die iudicij.

de omnibus perpetratis facinoribus pœna luenda est. Admisso enim scelere, ad iudicis portam pœna suspensa manet, donec ille ferat iudicium. Vidistin ex perpetrato impio facinore male moratæ conscientiæ exactionem crudelem? Seris firmissimis cordis intimum obstruit, diu noctu assidet indefesso oculo ad custodiam, intentans ei omnium cruciatuum minas, & rependens impius exactor; mens ipsa quam habuit impius sceleris administram, conuersa est in accusatricem irrefragabili testificatione eum conuincens, & vinciens sceleris admissi reatu; continuo interpellat iudicem supremum, vt commeritis flagris plectat manum, quæ ausa est assurgere in germanum, & fraternam lædere charitatem: nec solum assidet foribus viuentis, sed accubat portæ tumuli impij in peccato morientis, scelerata conscientia nunquam moriens, vt inter silentes vmbras sepulchri, eius resultet clamor expostulans, vt vindicis potestatis Dei æqua animaduersio in caput sontis descendat. Nisi mauis excubare ad ostia corporis, vt egrediente anima de carnis ergastulo, dum villicationis ratio à Patre familias exigitur, maleficiorum testimonia perspicua proferat, propria manu, & charactere inexpuncto exarata in tabulis cordis, vt nec cunctari, aut reluctari valeat, vel inficias ire. Quo sensu accipe verba Sancti Ephrem Syri ex sermone ascetico de vita religiosa atque monastica, mutuata: *An ignoras o miser, quia illic omnes cogitationes tuæ atque sermones conscripti erunt; & si mentiri volueris arguet te conscientia tua adiutrix ac testis?* Itaque conscientia criminosa accubat, & vigilat ad testimonium, & iudicium, nec est necesse ad flagitij probamentum excitare testes ab inferis, cùm ipsa sit non solum sceleris spectatrix, sed etiam auctrix, & adiutrix, cuius testimonio & chirographo tuo annutu exarato, & subscripto conuinceris. Gratum erit legenti cernere hanc tristem peccati imaginem, & sceleratæ conscientiæ simulacrum viuum, rigidis & obiurgatoriis sermonibus, & hostilibus armis iustructum aduersus animum, qui deliquit. Eam reddit nitidam, & colorat floridis verborum pigmentis Sanctus Ambrosius in eam sententiam Psalmi quinquagesimi, vers. 5. *Et peccatum meum contra me est semper*: inquiens: *Sapiens aduersum se iudicat esse delictum suum, & tanquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum aduersantium modo sibi arbitratur obsistere. Quidquid personuerit, quidquid increpuerit, culpa ei propria semper occurrit: quidquid fuerit dictum aut lectum, in se dictum putat: quidquid intenderit, se nutu, se oculis signari putat. Si epuletur, si cogitet, si oret, aut deprecetur, ante oculos eius semper est error proprius, & momentis omnibus culpa pulsat conscientiam, nec quiescere, nec obliuisci finit, velut grauis censor exagitat se terrore perpetuo. Omnia igitur aduersa habet, qui se ipse sibi displicet, ipse sui accusator, ipse sui testis est, nec inuenit, quò fugiat, quippe se perurget, & stimulat.* Hæc ex Ambrosio ambrosia verba de prompta sunt, ex quibus excubiæ sceleratæ conscientiæ ad damnationem improbi perbelle demonstrantur.

Conscientia admissi sceleris hominem accusat.

Conscientia testis verus & incorruptus.

D. Ephr.

Conscientia, testificatione sceleris in animo exarata, conuincit.

Tristis peccati imago, & scelerata cōscientiæ simulacrum.

D. Ambr. Psal.

Crimina cōmissa tanquā hostiles acies homini aduersantur.

Conscientia peccatorum tanquā grauis censor exagitat terrore perpetuo.

Peccator sui testis est, & accusator.

4. Obiurgat Apostolus Paulus Iudæos lege eruditos, diuinis monitis instructos contra Dominum deliquisse: eorum scelera collatione facta cum gentium impiis facinoribus, multo esse maiora, cùm hi pædagogiam, & ductum legis spernant; illi verò naturæ legem, lumenque rationis; vnde nationes à consortio Dominicæ institutionis sequestratas, contrà legem in corde hominis insitam peccantes, iusto iudicio Deus damnat, ad Romanos capite 2. v. 14. & 15. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Relictis aliis de obseruatione legis naturalis documentis, quæ etiam in cordibus Gentium affulgent, testimonium conscientiæ ad præsens institutum vsurpo absoluentis vel damnantis censoria potestate Gentes lege diuina carentes. Habet enim humanum cor quosdam concreatos in anima pietatis igniculos, quasdam veritatis, & rationis faces accensas, quibus synderesis & conscientia vniuscuiusque ipsorum facta metitur ad rectæ rationis regulam, non fine diuinæ gratiæ præsidio, qua mens diuinitus illustratur, & voluntas virtutis amore completur. Describit eleganter conscientiæ pædagogiam, eruditionem, accusationem, clamores, interpellationes, sententiæ prolationem, in iudiciario animæ subsellio, Sanctus Laurentius Iustinianus exornans Pauli locum, sermone de sancto Marco Euangelista: *Veritas enim* (inquit) *nullius testimonio indiget, habet testimonium in se, cui neque malus, neque iniustus valet obiicere quidquam. Dat voces suas in cordibus omnium ratione vtentium, conuincit illos, & legibus suis (velint, nolint) facit esse subiectos. Est enim humana ratio arbiter quidam æquissimus eruditus per legem veritatis, quæ lumine suo neminem facit exsortem, sed lucet super bonos, & malos, & se infundit super iustos, atque iniustos: lege quippe sua veritas non solum qui sub lege sunt, sed etiam qui sine lege esse creduntur, absque errore dijudicat. Illos sibi ipsi insinuat, atque conscientiæ propria facit esse notissimos. Clamat pro veritate conscientia ipsius irradiata splendore in cordibus mortalium, atque iuxta qualitates operum gloriam pollicetur, siue minatur ipsa supplicium.* Et allegato Pauli loco ad Romanos cap. 2. iampridem relato, subiungit: *Vnde (oro) qui sine lege sunt, sibi ipsis sunt lex? vtique per rationem conscientia ipsorum iudicante, quæ in arcano à veritatis eruditur lege. Nam conscientiam aliud nihil esse arbitror, quam rationis iudicium in veritatis lumine propalatum, atque discussum.* Accusator seuerus, interpellator criminosus, vox irrefragabilis, iudex incorruptus conscientia est. A quo se subducere animus nequit, cum ipsam semper secum circumferat; Cùm in crimen homo prolabitur, & legem transgreditur, statim insurgit ad animi arcem, & forense quoddam iudicium instituit, vociferationes profundens aduersus delinquentem, & licet abdere se satagat conspectui humano, propalat illum ei, cui notissima sunt omnia, veritatis radiis, & rationis lampade inextincta manifestat transgressorem, compedibus legis obligat, & adstringit, & censorio quodam pectoris theatro, damnabilem statuit, & addicit morti. Quis

D. Paul.

Conscientia testimonium mirabile.

D. Laur. Iust.

Lex veritatis, & rationis lumen in hominibus effulgens.

Humana ratio arbiter æquissimus per legē veritatis eruditus.

Clamat pro veritate cōscientia vniuscuiusque.

D. Laur. Iust.

Conscientia per rationem iudicat hominem.

Conscientia est rationis iudicium in veritatis lumine propalatum.

Digitized by Google

D.Thom:

Aduersus peccantem insurgit cogitatio accusans.

Quis enim declinabit accusantium cogitationum testimonium, nam vt ait sanctus Thomas præsentem locum Pauli cum Isaiæ themate proposito cohærere faciens: *Insurgit homini circa aliquod factum aliqua cognitio accusans, dum propter rationem aliquam cogitat se male fecisse. Psal. arguam te, & statuam contra faciem tuam. Isaia 3. agnitio vultus eorũ respondebit eis.* Nec solum culpam insimulat, sed in faciem impingit; Hæc tamen acerbitas conscientiæ accusatoriæ non tantum differtur ad subsellium examinis extremi; nunc quoque animum in iudicio accersit, & multam petit. Præclare id annotat sanctus Anselmus ad illud comma Pauli: *Inter se inuicem cogitationum accusantium*; scribens: *accusabunt vel defendent nos cogitationes nostræ, non vtique illæ, quæ tunc erunt, sed istæ, quæ nunc sunt in nobis. Cum enim siue bona, siue mala cogitamus, velut in cera sic in corde nostro tam bonarum quàm malarum cogitationum notæ quadam & signa relinquuntur, quæ in occulto nunc pectoris posita, in die illa reuelabuntur ab eo, qui solus potest occulta hominum scire. Quarum notarum causas non latere Deum, etiam conscientia nostra contestabitur.* Præsentissima signa imprimunt in pectore improbæ cogitationes, & vestigia relinquunt, quasi seruorum stigmata, quæ peccatum inurit, vt ostentet iudici superno, quæ nulla edacis temporis iniuria de corde expunget, sed tanquam in ære & silice stylo ferreo, & vngue adamantino conscientia sculpit, vt conuincat sceleratos, & in extremo iudicio criminentur.

D.Anselm.

Cogitatus quimodò sunt in nobis vel defendunt, vel accusant.

Bona aut improba cogitationes in corde quasi in molli cera signata manent ad diem iudicij.

5. Conatur Chrysostomus sophisticas quorundam argumentationes refellere contra Dei prouidentiam deblaterantium; fundunt enim de pectore querelas quidam oppressi paupertatis ærumnis, cum cernunt Lazarum durissima tellure iacentem, squalentem paupertate, & fœtore, hiantibus vulneribus inhorrentem; epulonem tumidum ingredientem pompaticè, induentem purpuram multo saturatam conchylio, plumeo in syrmate decumbentem, in lectis eburneis eructantem crapulam, & ebrietatem, cuius natabant pauimenta vino; balsamum, muscum, & è floribus eliciti liquores iucundos spargebant naribus odores. O vitam vere beatam, & felicem! inclamant sæculi huius homines, cupidinum & vitiorum oblectamentis stupidi, ad volatiles huius æui glorias attoniti; at Os aureum serio examinans hanc, quam mundus nuncupat beatitatem, comperit eam omni infelicitate infeliciorem, cum in ea non adsit vera tranquillitas, sed quidam lateat cumulus ærumnæ. Audiendus est Pater pro Euangelico præconio de suggestu primarius, concione prima de Lazaro, loquens: *Antequam illic puniantur, iam nunc qui improbe agunt, atque in peccatis viuunt, puniuntur. Nec enim mihi dixeris illum mensa sumptuosa frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre, alios submouere in foro; sed explica mihi istius conscientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, ingem metum, tempestatem, turbationem: videbis velut in curia, mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, & tanquam iudicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, latera que conscientiæ rodentem, pro commissis vehementer inclamantem, cum nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre nouerit.* Et statim: *Neque enim vlla ratione iudicium illud potest corrumpi muneribus.* Hæc Chrysostomus perpulchre de conscientiæ seuerissimo, & integerrimo tribunali, & iudicio.

Hominum de Dei prouidentia querela repellitur.

Quæ sit vera felicitas, aut infelicitas?

D. Chrys.

Improbi in hac vita, ante iudicium puniuntur.

Inter mundi delicias improba conscientia cruciatus, & carnificina.

Agnitio vultus eorum respondit eis.

DISCVRSVS III.

Latentem, & dissimulatam nequitiam etiam per fictos, & simulatos vultus prodit conscientia; eamque in fronte, & oculis insinuari cogunt tristitia, & pauor.

1. IMPROBVS post delictum rusculum quærit caliginosum, & latibulum, vt culpam obueler, vt censor rigidus non comprehendat errantem, & commerita obiurgatione faciem suffundat pudore, est enim perfrictæ fronti sæpe flagro ipso crudelior sugillatio iniquitatis; vel vt animi terrorem diuertat, & mœstitudinem leniat, quam creare solet patrati impij facinoris memoria, & dissimulationem prætendit; sed fructus criminis, & inseparabiles socij metus, & horror oppressi in corde foras erumpunt, & in vultu resplendent, tanquam in animæ speculo, eiusque indices oculi delitescentem improbitatem, & latebras cordis quærentem propalant, & in aperta luce vultus constituunt. Ruit humani generis caput in præuaricationem, omnium seminarium, & fontem delictorum; venit Deus animarum pastor, vt ouem quærat errantem, & prolapsam in peccati voraginem valida manu extrahat. Inter paradisi nemora obambulat Dominus dulcis, dulcisque fistula vocis suæ plena clementiæ personat, vt præuaricatores primos ad cor reduceret & pœnitentiæ planctum: *Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Genes. cap. 3. v. 8. Prima mulier extitit in præuaricatione, & tanquam autrix erroris, sed Adam in quo abundauit flagitium, in fuga extitit princeps; humani generis caput, quod omnes adstrinxerat sceleris reatu, & quadam colluuione peccati natos inuoluerat, facinorosæ conscientiæ stimuli pungunt, & fugam meditari cogunt, vt sceleris consortem fœminam doceat aufugium. Iam enim mente lustrabat in casu suo rationalis generis ruinam, & humanæ naturæ massam morti damnatam. Ideo requisitus à Domino expauit, timor & tremor venerunt super eum, & inter virgulta, & condensa horti deliciarum miserabile latibulum tanquam latro in furto deprehensus inuestigat. Id compertum facit sacræ lectionis series. ibi v. 9. & 10. *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: vbi es? Qui ait: vocem tuam audiui in paradiso: Et timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Adami turbationem

Genes.

Turbatio, & metus Adami, à Domino requisiti.

Dominicæ percontationi Adamus genu ne non respondet.

verba à se prolata produnt; requisitus à Domino vbi sit? vbi lateat, & absconsionem in fuga inuenerit? Non respondet percunctationi diuinæ, sed per ambages, & circuitus excusationis metum suum annuntiat, dicens ad vocem Domini contremuisse, & ad præsentiam toto ore expauisse. Mirabiles lepores, & argutias continent hoc in loco Diui Ambrosij protheoriæ. Prima depromitur ex sermone. 48. feriæ tertiæ hebdomadæ maioris: *Velut enim latenti, & celanti se à diuinitate, Adæ dicitur: Adam vbi es? Non quod Adam conspectum Domini latere potuerit, sed quod peccatrici conscientia nullus locus tutus, vel certus, sit dum metuit deprehendi.* Non fugit Domini præsentiam, qui vbique adest; sed timet sceleratus comprehendi vindicis iustitiæ satellitio, & manu. Non curat de loco, qui vbicumque inhabitet secum defert conscientiam criminis arguentem; quo ibit à spiritu Domini, & quo à facie Domini fugiet? Si in cælum ascendat, illic est, si descenderit ad inferias vmbras, præsentiam Domini recognoscet; si pennas assumpserit, vt per maris extrema, aut terræ cardines volitet, illùc manus sua deducet, & tenebit dextera sua; si inuoluatur in tenebris culpæ, aut caligine noctis latitet, nox sicut dies illuminabitur, ab eo cuius natura lumen est sole lucidius; ideo metuisse respondet, vt timoris cruciatum exprimeret, quo angebatur conscientia transgressoris. Pulchre sanctus Ephrem de conscientiæ remorsu, & horrore, inquit sermone de pœnitentia: *Quando sæpe impudenter peccatum sese obtulerit: tunc temporis progressu conscientia superat. Siue enim in tenebris timore correptum reprehendit, quod propter peccatum ista sustineat (ait enim scriptura: fugit Impius nemine persequente: fugiet vero impius etiam vmbram suam. Et lex dixit: immittam pauorem in corda vestra, & fugietis nemine persequente: terrebitque vos sonitus folij, quod à vento rapitur.) Siue in naue, maris ventis, fluctibusque turbatum, sua admonet impietatis: siue in terra motu in memoriam reuocat violatas leges: siue in via dum solus est, reducit illi in mentem passiones ac vitia.* Secum enim defert delinquentis animus admonitorem indefessum, qui sui coarguat erroris, nec placide eum sinat perfrui suis deliciis, sed eas exasperet, & metu ineuitabilis calamitatis percellat, & exanimet.

D.Ambr.

Peccatrici conscientia nullus locus tutus, dum timet deprehendi.

D. Ephr.

Improbus à conscientia infestatus, fugit vmbrã suam, terrore perculsus.

2 Altera Ambrosij protheoria mutuatur ex libro de paradiso capite 14. ibi scribit: *Fugerat ergo peccator, non quo Dei posset latere conspectum, sed intra conscientiam suam latere cupiebat, opera sua lucere nolebat. Iusti est enim facie ad faciem videre, quia iusti mens non solum Deo præsens est, sed etiam cum Deo disputat.* Flagitij sui conscius latibulum intra conscientiam suam quærebat, in quo delitesceret. Hoc insipientis est consilium in ipso casu perquirere fastigium tecti ruinosum, & dominicarum alarum tegmine se subducere, in quo tutum homini præsidium; extra quod vastitas imminet, & maior in anima, quæ hostilibus armis aduersus Deum militat. Intra conscientiæ aulam non tutamen, sed serpentem inueniet, qui mordeat, & aduersarium, qui teneat, & prodat, & voce sua manifestet latitantem. Nam vt argute idem Ambrosius in Psal. 43. annotat: *Apud Deum conscientia vniuscuiusque se prodit.*

D.Amb.

Adamus intra conscientiam suam latere volebat, & abscondere faciem suam à Domino.

D. Ambr.

Et Hispanus Stoicus epist. 97. *Ideo nunquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostendit.* Nanciscitur quoque caueam plenam tumultu, cogitationibus belligerantibus; & quodam horrore mortis mentem percellentibus: ideo amicam antea Domini faciem, & iucundum conspectum, detrectat fugitiuus inspicere, in quo semper lumen affulget; ne tanti flagitij coarguatur à lumine, ne horrorem augeat, aut ampliorem pudorem iniiciat. Flagitiosa ergo conscientia pudibunda, ac mærens quærit latebras, & se virgultorum celat amictu: iustus ex Domini alloquio, & intuitu hilarescit, vultuque ostendit signa exultationis & gratiæ; facies delinquentis mœret, & conspecto iudice subito pallet metu: *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui.*

Conscientia prodit innocentes, & ostendit.

Facies delinquentis mœret, & conspecto iudice pallescit.

3 Fortis ille manu pastor Dauid dilectus Domino, ad Regalia paludamenta de pastoritia casula accitus, hostes vniuersos expugnans, cùm summa iam pace, & fortuna frueretur, intestinum bellum expertus est, & nocentius oppugnatus à cupiditate, deuictus de triumphatus; Bethsabee captus forma, irretitus blandimentis, Vriæ Hethæi copulatus est vxori; *Dormiuit cum ea. Et reuersa est in domum suam concepto fœtu. Mittensque nuntiauit Dauid, & ait: concepi* libro 2. Regum cap. 11. v. 4. & 5. Cerne pectus illud Dauidicum quadam semper æquabilitate, & mititudine plenum, nunc tanquam ventis agitatum, & turbatum pelagus, variis & iniquis cogitationum procellis exundans; militum fortissimo, & fidelissimo Vriæ parat insidias, mortem, & exitium architectatur, & peccata peccatis accumulat. Illius enim animum criminosæ conscientiæ horror inuaserat; sapientia, & consilio destitutus, vacuum se omni præsidio censet, qui tot armatorum militum manibus erat munitus; serui sui nomen, & vmbram pertimescit. Scena hæc insidiis, vastitate innocentis Vriæ, & Dauidis terrore plena proponitur à primore illo Ecclesiæ, ex quo effluere assolet aureum eloquij flumen, in Psalmum. 50. scribente: *Pregnans ergo fœtu mulier vadit ad Regem, & dicit ei: ô Rex, perij; & ille ait: quid habes? Pregnans, inquit, sum. Peccati mei pullulat fructus, accusatorem intrinsecus habeo, in ventre profero proditorem. Si venerit, & viderit vir meus, quid dicam? quid loquar? quam excusationem prætendam? Videte & admiramini, fratres, quantum mali sit delictis, & peccatis obnoxium fieri. Rex militem timet, & formidat subditum: imperator coronam capite gestabat, & confusionis opprobria metuebat.* Viden quanta mala accersat sibi flagitium? Crimen permiscet, & peruertit omnia, cor fœminæ in Dauidico lapsu consortis anxietate replet, nec eam, quæ regalibus amplexibus fuerat potita quiescere permittit; sed querelas, & eiulatus fundere cogit, reformidans in ædes suas inuexisse testem fidelem iniquitatis, in vtero portare accusatorem, zelum mariti prouocasse, vt iustam necem inferat sibi: & licet potentiori Imperatoris manu erepta, reddatur incolumis; non subterfugiet famæ, & honoris iacturam, impiorum oblatrantium morsus, vt tanquam impudica expudorata, & maritatis thalami contemplatrix traducatur ab omnibus. In Prophetæ

Lib. Reg.

Dauid in omni euentu semper æquabilis, commisso flagitio turbatur.

D. Chrys.

Conceptus fœtus Bethsabeæ Dauidem accusabat.

Sceleris fructus mœstitia, & pauor.

Rex Dauid militem timebat & imperator confusionis opprobria metuebat.

Prophetæ vero animo quos excitauit tumultus, quos terrores incussit? Ecce Dauidem ad omnia impauidum, ad memoriam delicti expauescentem. Non extimuit rabidos vrsorum morsus, dentes, & rugitus leonum, non est turbatus in stadio ad conspectum vastæ illius molis horribilisque monstri, non formidauit armorum tegmina, verborum fulmina Tyranni omnibus formidolosi, deiecit saxo fundæ, trucidauit gladio Gigantem imperturbato animo, omni metu expers, irruit in hostiles Philistinorum, & Gigantum acies, easque mirabiliter fudit. Nunc vero pudorata criminis conscientia turbulentus toto pectore tremit, ac mente conceptas militis insidias Imperator trepidat; vultus ille nec in aduersis nec in prosperis varius, sed semper stabilis, roseo, & candidulo colore in pallorem mutato, de conscientiæ timore liuescit.

David vultum tyranni formidauit, nec Gigantis; & ad flagitij memoriam turbatus pallet.

5. Inter alia diuini amoris insignia ab Euangelista Ioanne recensita, quæ manifestauit IESVS in charitatis symposio; cùm discipulorum pedibus abstersis, proditorem verbis suis indicauit; illud eximium est, & valde præclarum, quod idem Ioannes, & amoris Dominici interpres insinuat. capite 13. v. 21. *Cùm hac dixisset IESVS, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: amen amen dico vobis: quia vnus ex vobis tradet me.* Quis non miretur, & animo hæsitet cùm videt IESVM turbatum? Turbatur in carne Verbum, cuius imperturbabilis, & immutabilis est natura: turbatur Dei sapientia potestate, & infirmitate, non ex necessitate, aut coactione, vt homo solet subito casu aut improuiso tremiscere. Quis non libenter turbationis causas in amante IESV exploret? Eas argute rimatur sanctus Laurentius Iustinianus Protopatriarcha Venetiarum, libro de triumphali Christi agone cap. 5. vbi rationem assignat, cur hic & similes affectus non passiones, sed propassiones in Christo sint, cùm turbationis huius qualitatem describit, & naturam: *Cùm vult, quando vult, de quo vult turbatur sapientia, sine passione tamen, sine impetu, & absque redargutione aliqua.* Postremæ limitationis sensus patet, quia conscientiæ flagitiosæ redargutio efficaciori symmetria & influxu animi faciem immutat. In Christo autem nullum erat vel leuissimum culpæ testimonium, quod ipsum coargueret: audacter & veridice protulit illud effatum: *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Vbi sceleris non adest insimulatio, non resultat in vultu ex accusatrice conscientia verecundi ruboris suffusio. Deinde subiungit: *Audi turbationis eius causam, vt magis mireris illum turbatum, quàm quietum. Non vtique propter se turbatur charitas: non de sui dolebat iniuria, vt turbaretur veritas: sed alterius perditio eius turbationis erat efficiens causa. Nouerat furem in ouile suum esse ingressum, & vnam de collegio suo ouem (prædestinatam tamen ad interitum sempiternum) rapuisse, vt mactaret, & perderet.* Vt verum fatear, magis temporaneam turbationem, quàm illius quietem, & æternam tranquillitatem demiror; quid mirum si inuariata statione quiescat pacificum illud Deitatis mare, quod nullo flatu, & nimbo passionis, aut affectus concutitur, sed perenni felicitate stabilitur, & tranquillatur. Cùm cernis timore concussum, spontanea vultus immutatione turbulentum IESVM, vestigia perlegis in ore, præconia auscultas charitatis immensæ, qua afficitur erga proditorem; non ex sui ipsius ignominia, aut Magistri violata dignitate, iræ vindicis, aut liuoris indicia in faciem erumpebant; sed dolor & mœror compatientis animi, impendentis calamitatis instans periculum, ouis ex collegio suo à lupo raptæ strangulatio, & æterna ærumna, diuini vultus placidum, & serenum colorem caligine quadam turbationis obnubilant. Turbatur IESVS ex alieno crimine, vt impius Iudas ex proprio flagitio turbetur. Dolorem indicat in facie IESVS, & formidinem, quasi inhorrescens ad præsentiam proditoris, tam immane flagitium erga benemeritum pastorem, doctorem, & patrem animo voluentis, & architectantis; vt architectus ipse, & patrator salubri timore criminis, & horrore Deicidij expauescat. Idem Iustinianus egregie adiungit sequentia verba: *Quoniam vero proditoris animum inuaserat omnemque statum pristinæ gratiæ euerterat, merito turbabatur Dominus: suaque signa mœstitiæ portendebat in facie: nec quod turbaretur latere voluit, quia perditi salutem ardentissime cupiebat. Quamobrem tanquam verus pastor ouem perditam recuperare satagens, tacite illam admonere curauit: si quo modo rediret ad se: Reatum suum agnosceret: agnoscendo fleret; flendoque veniam salubriter impetraret.* Nec enim IESVS de Discipuli proditoris salute solicitus tristem celabat animum, sed in cœlo illo vultus sui, oculorumque sideribus expandi permisit timoris, & mœstitiæ nubila. Cordis IESV compatientem pietatem, ardentem charitatem erga proditorem vultus immutatio prodit: Improba conscientia scelerati tam prompta, & efficax ad incutiendum timorem, vt in animum IESV turbationem inuehat, & perturbati animi vestigia in ore diffundat. Vt his tacitè admoneret errantem; & turbationem, si forte inerat in Iudæ pectore, & eam non sentiebat, quia illud ferreum, & adamantinum fecerat crimen, & velut attonitum, & furore lymphatum reddiderant dæmon & auaritia, in facie IESV apparentem inspiciens, ad æquam turbationem erudiretur, ad horrorem in patrando scelere excitaretur. Reuerere Creatoris tui in amando peccatore prodigia: Tulit omnium delicta vt aboleret, compassus est vulneratis, vt sanaret vulnera; affectus pietatis, & compassionis humanæ calamitatis assumpsit. Sustulit quoque horrorem, quem flagitium in animis delinquentium ingenerare consueuit. Quid mirum si expertus est Dominus terrorem, & turbationem alienæ conscientiæ criminosæ, qui portauit aliena delicta: *Alterius perditio* (inquit Laurentius supra) *eius turbationis erat efficiens causa.* A vera IESV humanitate turbatio illa promanabat. Sed aliena calamitas turbationem adiuuabat, & vt in faciem exiliret permouebat.

D. Ioan.

Cur Iesus ex proditoris commemoratione in cœna turbatur?

D. Laur. Iust.

Iesu voluntaria turbatio.

D. Laur. Iust.

Perditio Iudæ turbationis Iesu efficiens causa exterior.

Spontanea vultus immutatione turbulentus apparet Iesus.

D. Laur. Iust.

Turbabatur Iesus, & signa mœstitiæ in facie prætendebat, ex Iudæ perditione.

Vultus Dominici immutatio tacite Iudam admonebat, vt ad se rediret, & veniam impetraret.

Improba conscientia scelerati discipuli turbationis, & timoris signa refundebat in faciem Iesu.

Expertus est Dominus terrorem alienæ conscientiæ criminosæ, qui portauit aliena delicta.

5. Metus, & horrores perturbatæ conscientiæ Iob commemorat cap. 15. v. 21. *Sonitus terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Semper impius expauescit ad imminens malum, & licet sit tempore, & loco dissitum, tanquam præsentissimum resonat in auribus suis, vt vnquam conquiescat; sed tremore concussus pauitet.

Iob.

Metus & horrores conscientiæ sceleratæ describuntur.

Scitissime

Seneca.

Prima sceleratis pœna est, peccasse; secunda, fiducia iacturam fecisse.

Scitissime Seneca epist. 97. primam esse sceleratis pœnam peccasse, secundam fiduciæ, & securitatis iacturam fecisse. *Sed nihilominus* (adiungit) *Hæc & illa secunda pœna premunt ac sequuntur, timere semper & expauescere, & securitati diffidere, quare ergo hoc supplicio nequitiam liberet? Quare non semper illam in suspenso relinquā?* Et statim: *Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Et proprium est nocentium trepidare.* Laudatque æquo iure numinis prouidentiam in plectendis nocentibus, ne euasionem animaduersionis nanciscerentur improbi inter beatitates præsentis vitæ, & fortunas innoxias, inter omnium deliciarum apparatum; auersationem criminis natura illis infixit, & vrgentem sollicitudinem verberantem pungentemque timorem, vt si à iudicibus absoluerentur in hac vita, subirent pœnam timoris: *Male de nobis actum erat, quod multa scelera legem & iudicem effugiunt, & scripta supplicia, nisi illa naturalia & grauia de præsentibus soluerent, & in locum pœnitentiæ timor cederet.* Euitabit quispiam magistratus sententiam aduersam, eam muneribus molliens, & pro piaculo commerita flagra auertet à tergore; horror inditus animo non pellitur donariis, sed intimus remanet generans continuos in pectore remorsus; qui non gazis, non facultatibus redimitur, ad redemptionem animi, ad resipiscentiam flagitij adiuuat.

Aliquis flagitiosus si à pœna liberatur, nullus tamen à metu.

Multa scelera iudicem & legem effugiunt, nulla tamen timorem.

Didym. Cat Græ.

Coincidit Didymus Senecæ in catena Græcorum Patrum prædictam Iobi sententiam pensitans animo; hæc verba scribit: *Impius quamuis in rerum videatur viuere abundantia, tamen vita securitate non fruitur; verum tum perturbatione, tum cura semper vexatur: caduca eius est dominatio, plena terroris, pauoremque habet perpetuum in auribus commorantem, semperque tinnientem. Nam qui peccat semper timet, accusationem contra eum conscientia ipsa falsitante: metumque semper habet ob oculos obuersantem, futuramque perniciem personantem.* Aures itaque improbi tinniunt duplici timore; primus præsenti calamitate & confusione diuexat, nec secure hac frui luce permittit, quidquid audit, quidquid cernit, de illius vita actum existimat; alius suspensum tenet animum, temporaneæ, & æternæ mortis animaduersione, quæ cor miserè distrahit, & ad oblectamenta sæculi inhians quietum esse non patitur.

In verum abundantia non est impio vita securitas, sed perturbationum angore vexatur.

Timor in auribus improbi semper tinnit, quem conscientia accusatrix format.

Sap.

Semper malum imminens præsumit conscientia perturbata.

Sapientiæ capite 17. *Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.* Animum ipsa exagitat angoribus molestissimisque suspicionibus perterret, & nihil nisi acerbum, & luctuosum cogitare sinit.

D.Gre Mag.

Nil simplici corde fœlicius.

Arx fortitudinis simplicitas, nec suspicatur pati, quod fecisse non meminit.

Mens praua semper est suspecta, & vndique trepida.

Describit sanctus Gregorius Magnus probæ conscientiæ fiduciam, eamque opponit iniquæ, lib. 12. moral. cap. 21. locum Iob superiorem illustrans: *Nil autem simplici corde felicius, quia qui innocentiam erga alios exhibet, nil est quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi arcem quamdam fortitudinis simplicitatem suam. Nec suspectus est pati, quod fecisse non meminit. At contra mens praua semper est in laboribus, &c. Fit vndique suspecta, vndique trepida. Cui ergo tranquillitas securitatis deest, huic proculdubio terroris sonitus semper in auribus est.* Hæc Magnus Antistes.

Philost.

6. In præsenti quoque opportune audiendus Philostratus Lemnius de vtraque conscientia disputans, illamque discernens libro. 7. de vita Apollonij cap. 7. *Si mens bona eligit facienda, conscientia virum mittit ad omnia sacra, per omnes vicos, per omnia deorum templa, ad omnes hominum species, & plaudens canensque, ipsum vbique laudat: dormienti quoque eidem assistens, præclarum chorum è somniorum domo illi circumponit.* Dixit de tranquillitate, & deliciis animi quasi iugi conuiuio, & festiuitate lætantis in securitate conscientiæ bonorum operatricis.

Bona conscientia fœlicitas.

7. Subiungit de conscientia crimine obnoxia: *Sin ad aliqua delicta seditiosa mens prolabitur, non sinit conscientia talem hominem rectis oculis quemquam aspicere: nec expedite verba proferre; à sacris quoque, & precibus votisque eumdem arcet: Neque manus ad simulacra Deorum attollere sinit, & attollentem increpat, ac reijcit, sicuti leges contra rebelles fieri iubent, ab omni etiam hominum cœtu eumdem exterminat, & dormientem terrefacit. Debiles autem visiones, & phantasticos terrores probabiles, & verè timendos ostendit. Hoc itaque pacto conscientia me redarguet, siue ad eos qui me agnoscunt, siue ad eos, qui non cognoscunt, accesserim.* Sic Philosophus in Gentilitate positus, & sculptilium veneratione immersus perbelle discernit (si demas cultum suorum numinum) inter tranquillitatem animi improbitate expertis, & perturbatam conscientiam turbidæ mentis, & ad omnia expauescentis.

Philost.

Conscientia improba vultum immutat, oculos contorquet, verba perturbat.

Mala conscientia à Deorum sodalitio, & hominum cœtu exterminat.

Quietem, & somnum terrificis speciebus interturbat.

8. Sed quia Beatus Iob vt adiiceret incrementa timoris male morato viro, atque tyranno, annectit in sequenti numero: *Circumspectans vndique gladium.* Et Seneca sacrorum codicum lectione imbutus prædixerat: *Quare non semper illam in suspenso relinquam?* Non erit abs re si cum metu & pauore Tantali apud Acherontem, & stygem flagitij sui pœnas luentis metum & pauorem tyrannicæ conscientiæ comparemus. Tantali non in eo solum stabat supplicium (vt interdum sacris prophana famulentur) quod in lacu inferni positus, eius labia fallax aqua gulosis titillamentis attingeret, poma quoque fugitiuis cinerescentia tactibus, desuper facie tenus apparerent pendula: & quod fallax lympha ita se illi præbeat, vt sitiat, ita se poma ingerant, vt esuriat; sed ingens saxum illius vertici imminens apparebat pendulum, vt casu & oppressu suo contereret. Id refert sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 4. *Saxum expauescens grande ceruici imminens, quod vt sursum semper impellitur, ita etiam semper deorsum labitur.* Quæ verba commentator Nazianzeni Theologi Elias Cretensis illustrat, dicens: *Tantalum quod Deorum arcana mortalibus enuntiasset, ac caeleste nectar, Deorum poculum, ipsis impertijsset, hanc eum sceleris pœnam luere, vt in aëre pendeat saxum capiti superiectum exhorrescens;* & recenset Euripidis carmina in Oreste.

Flagitiosus conspicit vndique gladium.

Iob.
Sen.

Tantali pœna improbo adaptatur.

Lympha & poma à Tantali ore fugitiua subductio.

D.Gre. Naz.

Saxum supra eius ceruici imminebat pendulum.

Elias Cret.

Tantali multa, quia Deorum arcana hominibus enuntiauit, & diuinum nectar propinauit.

Eurip.

Capiti imminens anxio perterritus
Timore saxi, pendet in cælo miser.

Quam narratiunculam, vel togatam fabellam erudite ad mores humanos adaptat Macrobius libro 1. de somnio Scipionis capite 10. dicens: *Atram silicem lapsuram semper, & cadenti similem, illorum capitibus imminere, qui arduas potestates, & infaustam ambiunt tyrannidem, nunquam sine timore victuri.* Et perpulchram, & veram narrationem subiungit ad probamentum tyrannici timoris: *Nam Dionysius aula Sicula*

Macrob.

Fabella aptatur Tyranno, qui nunquam sine timore viuunt.

Digitized by Google

Siculæ inclementissimus incubator, familiari quondam suo solam beatam existimanti vitam tyranni; volens, quàm perpetuo metu misera, quamque impendentium semper periculorum plena esset, ostendere; gladium vagina raptum, & à capulo de filo tenui pendentem, mucrone demisso, iussit familiaris illius capiti inter epulas imminere. Cumque ille & Siculas & tyrannicas copias præsentis mortis periculo aspernaretur: Talis est (inquit Dionysius) vita, quam beatam putabas, sic nobis semper mortem imminentem videmus. Existima ergo quando felix esse poterit, qui timere non desinit. Hæc Macrobius. Theodosius de hoc & similibus tyrannis, quibus conscientia mala bellum infert crudele, & metum incutit peracerbum apprime quadrant Iobi verba proposita: *Circumspectans vndique gladium.* A quo horrore gladij imminentis nulla huius vitæ iucunditas, aut felicitas improbum valet subducere. Sic viuens moritur, sic angitur sicut qui circumquaque perlustrat contra se irruentem districtum gladium, vibratum valida manu.

Tyranni. vita nequaquam beata sed metu misera. Nudatus gladius de filo tenui pendens tyranni capiti imminet. Semper mortem imminentem videt.

Felix esse nō potest, qui timere non desinit.

9. Denique cùm sacrificium, & sacrificulus Cain abrogatur à Domino, illico iniqui conscientia insinceræ oblationis, & liuoris erga fratrem coarguit, & crudele flagitium cædis, quod mente conceperat per tristitiam, & mœrorem vultus prodidit. Genes. cap. 4. v. 5. *Ad Cain & ad munera illius non respexit: iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* legunt LXX. *contristatus est Cain.* Cùm animus benefacti est conscius, abundat gaudio, illudque in exteriora corporis refundit, hilarescunt oculi. Conscientia vero intenta perpetrando flagitio, turbatione, & iracundia immutat vultum, & quodam mœstitiæ squalore infuscat. Argutè sanctus Ambrosius ait lib. 2. Abel. c. 6. *Condemnati oblator muneris Cain, quia pro conscientia insincera oblationis intellexit, Deo sacrificium suum non probatum, tristis est factus. Quando enim mens sibi recti est conscia, gratulatur, & infusione quadam spirituali repletur animus gaudio cùm alicuius vel opera vel studia Deo probantur. Tristitia igitur Cain, conscientiæ testimonium repulsæ indicium est.* Iucunditas illa, beneplacitum, & complacentia Dei sacrificium Abelis acceptantis, refusa est in pectus offerentis, vt gaudio gestiret cùm offerret, & in vultu signa lætitiæ ostenderet, cum suscepti holocausti indicia in flamma cælitus dilapsa cerneret. In Cain totus ille apparatus supernæ demonstrationis inhibetur, & stillicidia hilaritatis sequestrantur ab oblatione; considerat in suo sacrificio Dei vultum non placatum, non gratum & iucundum; sed toruum & infensum; Deus enim non arridet ingrato, nec probat in malitia positi cordis liuorem; ideo sequestratur ab improbo, ideo mœrore contractus, horrore, & iracundia percitus dimittitur: Inscriptus est in fronte protenui iracundiæ titulus, delineata non obscuris vmbris animi inhorrentis imago, cùm tristis est factus. Apposite Doctor Angelicus in Genesim perpendit tristitiam Cain: *Concidit vultus eius & intra, & extra. Intra, quasi per quamdam desperationem; extra, per faciei & oculorum depressionem, & pallorem, & immutationem, & hoc propter nimiam tristitiam.* Et statim: *Concidit autem vultus exterior, quia ab interiori consternatione mentis vel cordis, exterior aspectus faciei cadit. In vultu enim lucet communiter passio mentis.* Per ora namque & per vultus improba conscientia se insinuat; oris tristitia in corde flagitium architectatum, & delitescens, prodit. Vt animaduertas quàm sapienter ab Isaia prolata sententia est: *Agnitio vultus eorum respondit eis.*

Crudele Caini flagitium, per vultus tristitiam, proditur.

Genes.

Lect. LXX.

D. Amb.

Insincera oblationis conscientia tristem reddidit Caini vultum.

Conscientia benefacti, gratulationem, & gaudium in animum refundit.

Animi mœrentis, & horrentis imago in fronte describitur.

D. Thom.

Oculorum deiectio, faciei pallor ex tristitia. Ab interiori consternatione mentis, vultus mutatur.



Et peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.

DISCVRSVS IV.

Exosa nimis Deo delinquentis peruicacia, aut impudentia, & in ipso crimine gloriatio.

1. PROBI, & improbi aduersi mores, diuersa ingenia in ipsa criminis perpetrati recordatione refulgent. Nam vir timoratus si forte ex humana fragilitate; aut vehementioris tentamenti impulsu prolabitur, tristitiæ quodam remorsu percellitur, pudore suffunditur, & fluentis lacrymarum scissi pœnitentia cordis, indicibus, rigat genas. At iniquus ex commisso flagitio fit insolentior, & ad crimina deteriora assurgit audacter. Primum Petrus demonstrat exomologesim operatus, etenim, qui nimium loquax in tentatione fidei suæ erga Magistrum extiterat, & repetitis argumentis ancillæ respondens, illum pernegauerat: fulminibus oculorum Christi ictus, conscius criminis, & correctus ingemuit, vt restitueret sibi conticescens, quam loquendo amiserat sanitatem; vt suspiria vicem haberent sermonum, & lacrymarum fluentum suppleret alloquium; & totus confusione correptus, pudore suffusus, interpellaret Dominum, cui pudor antea fuerat confiteri; vt confusionem malam, & turpem pudorem, pœnitens verecundia aboleret, & pudorem propitio pudore redimeret. Pulchre sanctus Maximus serm. tertio inuestigans in amaritudine fletus causas taciturnitatis, hæc prædicat de Petro: *Inuenio autem & aliud, cur tacuerit Petrus; ne tam cita venia postulatio per impudentiam plus offenderet, quàm impetraret. Solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur.* Pectus sceleris conscium non defraudat à vultu pudicum ruborem, in quo inuenit certissimum clementiæ diuinæ suffragium, nec in pudibunda, & mœrente facie quærit latebras flagitij, aut excusationis argumenta prætendit; sed cordis purpurisso per faciem perfuso, Petrus fatetur crimen ingrati, silens promulgat errorem suum, & taciturnitate Creatorem deprecatur; Dominum profitetur, qui coram ancilla erubuerat Magistrum recognoscere. Itaque verecundia reconciliatrix est veniæ, felix absolutionis auspicium, in animo post scelus admissum ingenuæ verecundiæ indicium, argumentum probitatis. Impij vero laudi sibi ducunt peccata, quæ perpetrant, iisque se iactant execrabili quadam audacia Prouerbiorum

Vir cordatus ex commisso flagitio pudore suffunditur, improbus fit insolentior.

Petrus criminis conscius, ingemuit.

Petrus pudore & taciturnitate peccatum redimit.

D. Maxi.

Petrus tacitus deprecatur, ne cita veniæ postulatio per impudentiam offenderet.

Citius meretur indulgentiam, qui verecundius deprecatur.

Verecundia reconciliatrix est veniæ, & absolutionis auspicium.

Impij criminibus gloriātur, execrabili audacia.

Prou.

Cat. Græ.

rum capite 21. v. 4. *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis. Lucerna impiorum peccatum.* Aliter legitur in catena ex dictis Græcorum Patrum concinnata. *Superbus in irroganda iniuria temerarius, & audax est.* Et sequentia verba Græci primores annectunt: *Temeraria audaces de iis plerunque gloriari solent, de quibus rubore affici merito debebant. Impij enim ita comparati sunt, vt ipsa etiam peccata honori sibi ducant.* Infrunitus peccator post perpetratum improbum facinus, non resipiscentiam, sed gloriationem ostentat, qua impudentia auget crimen, non imminuit, sed peccata peccatis expudoratus coaceruat. Hominis est errasse, & labi, & in ipsa prolapsione animæ subire dispendia; sed hominis ingenui est eximium præconium, errorem agnoscere, surgere, & stabilitatem tenere post ruinam. At contumax; excusso semel de ceruice diuinæ legis iugo, impudentiæ calcaribus concitus præcipitia quærit & voragines vitæ, honori, animo. Nec inexaminatum relinquas comma illud: *Lucerna impiorum peccatum.* Nam crimen quod occultari amat, & inuestigare latebras excusationum, quibus se operiat, & fiat inaspectabile hominum notitiæ, sceleratus tanquam faculam accensam præfert, vt caliginem ipsam peccati, & atratum fuligine vultum non infuscet operimentis verecundiæ, sed in ipsa luce & in propatulo impudenter iactabundus exhibeat, vt in ipsa ignominia gloriationem requirat.

Impij crimen admissum in propatulo constituunt impudenter.

2. Irruit furor in Cainum primum humani sanguinis profusorem, & homicidij dedicatorem, nec furor, & liuor solùm arma ministrant, sed post admissum scelus immane, impudentiam adiungit. Redargutione necis ipsius, & conscientiæ improbæ requisitus, & verbis placatoriis ad indulgentiam allicientibus præuentus à Domino est. Genes. cap. 4. v. 9. *Et ait Dominus ad Cain: vbi est Abel frater tuus? Qui respondit nescio: Num custos fratris mei sum ego?* Quod responsum aliud ex pectore contumaci, rustico, inurbano, & perfrictæ frontis homicida expectare potuisses, nisi verba immodestissima, irreuerenti, & petulantissimo ore prolata? Quam procul à pudore, & timore diuino, qui existimauit procaciter Deo fore mentiendum, & pro compensatione delicti, & orbati hac luce germani, obliuionem internecionis, & ipsius Creatoris, & supremi iudicis despicientiam detulit. Graue onus homicidium est, illud aggrauat Cain irreuerentia, & audacia, cùm verba subdola aduersus Deum extento collo & petulanter effutiit. Intendendus animus in ea verba sancti Irenæi, quibus examinat procacitatem illius verbi, *nescio.* Qua stultus Cain, suæ salutis, & omnis probitatis nescius designatur: sic enim scribit: *Extendens & multiplicans malum per responsionem. Etenim si malum est occidere fratrem, multo peius sic audacter respondere omnia scienti Deo, quasi possit frustrari eum. Propter hoc & ipse maledictionem portauit, quoniam ad se peccatum attulit, non reueritus Deum, neque confusus in fratricidio.* Consonat Chrysostomus in eodem Genesis loco, dicens: *Vide responsi impudentiam.* Cerne in vno crimine quanta flagitia abundent, obliuio peccati, Occæcatio ne attendat numini diuino, intuitu superno perlustranti omnia; contumacia, & negatio delicti, vt mendacio suo Deum improuidum adstruat; in ipsa improbitate iniustus vult videri fratricida, cùm societatem communionis humanæ non tuetur, sed læsam Dei pietatem, discissam necessitudinem sanguinis, & generis vnitatem compaginare, & resarcire pœnitudine despicit. Quinimò sic redargutus & conuictus sceleris, diuinæ æquitati improperat: *Num custos fratris mei sum ego?* Illud argute dictum ab inclyto Martyre, & Lugdunensi Antistite Irenæo: *Quoniam ad se peccatum attulit non veritus Deum.* Numquid ad se peccatum non attulit, non attraxit, cùm in proposito voluntatis, aut nefanda operatione deliquit? Liberum arbitrium assensu suo vltro accersit crimen fortiori vinculo, quàm magnes ferrum. Id prolatum reor ab eximio Irenæo, vt idæam formet, & simulacrum effingat crudelissimæ improbitatis, & tanquam immane monstrum ante oculos constituit, quod ad præsentiam, & intuitum architecti sui velut inhorrescat, & fugam paret, tanquam suo semper inuisus auctori. Scio crimen valde amicum criminoso, & dum illud pœnitentia non expungit, tanquam indelebilem in corde inhærere maculam; id tamen per augesim dictum ab Irenæo, quia Cain per impudentiam nouum nexum attexuit, quo crimen retineret. Nisi mauis assertum illud vsurpare de sceleris pœna, cuius declinationem, cùm ea esset in eius potestate, quasi fugitiuam excusatione reuocauit, impudenter se se gerens, miseriarum conflatam tempestatem super caput suum refudit.

Genes.

In Caini flagitio despicientia creatoris præfertur.

D. Iren.

Malum fuit occidere fratrem, peius audacter respondere Deo omnia scienti.

D. Chrys.

Caini responsi impudentia.

Cur peccatũ ad se attulisse dicatur Cain?

Crudelis improbitatis monstrum immane artificis sui præsentiam refugit.

Cain per impudentiam nouum nexum attexuit, quo crimen arctius retineret.

3. Quàm diuersum ingenium protoparens ostendit in præuaricationis errorem lapsus, ex cuius cognitione natus erudiri potuisset, declinauit ad terrena mentem suam, & quadam voluptatis, & sensus illecebra transgressus est Domini imperium; verumtamen redargutus, & requisitus à Domino, ingenui viri timore correptus ingemuit, & verecundia concitatus non est ausus comparere coram iudice, & Creatore munifico, ex cuius conspectu amplius apparebat crimen ingrati: ideo inter paradisi condensa rusculum quærit solitarium, & latibulum, quod faueat pudori, & à conspectu perquirentis inhibeat. Genes. cap. 3. v. 8. *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* In excusatione criminis Adami fuga, & solicitudine latitandi benemoratum protoplasti animum recognoscunt Ecclesiæ proceres, cordatum virum iam de facto resipiscentem, pudoratæ & confusionis plenæ conscientiæ stimulis concitatum, aiunt, requisisse latebras. Primum totius Græciæ lumen Chrysostomus ait homilia in Genesim 17. de Adamo & Eua: *Eos incussit erubescentia;* & postea quod occultari studebant: *non ferentes confusionem.* Et sanctus Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 37. discrimen flagitij inter Adamum, & Cainum constituit: *Circa Adamum autem nihil tale factum est, sed omnia in contrarium. Ab altero enim seductus sub occasione immortalitatis, statim timore corripitur, & absconditur, non quasi posset effugere Deum, sed confusus, quoniam transgressus preceptum eius, indignus est venire in conspectum, & colloquium Dei.* Sed sanctus Ambrosius diuini verbi profunda rimatur solertius, & argutias mentis suæ prodit libro de paradiso capite 14. Trutina mentis librat illud sacræ litteraturæ effatum, quod deambulans

Recta Adami indoles, & verecundia post admissum peccatũ.

Genes.

Criminis erubescentia quærit latebras.

D. Chrys.

D. Iren.

Adamus post transgressionem timore corripitur & absconditur.

D. Ambr.

ad

ad auram post meridiem Deus delinquentem requisiturus, & inuestigaturus aduenerit,& ait: *Quid est ad vesperam, nisi quod culpam suam sero cognoscit, & sero venit quadam errorũ prateriti verecundia, qua errorem prauenire debuerat?* Et statim hæc attexit: *Ergo cùm in anima sensum potestatis redierit formido diuina, tunc erubescimus, tunc nos gestimus abscondere.* Cùm irrepsit in Adæ animum præuaricatio, Dei obliuionem induxit, & supremi iudicis rationem reddendam aboleuit ex corde: Vnde voce Domini resonante inter paradisi ligna, flagitium, quod tumulo quodam mortis consepultum,& sopitum iacebat, reuixit,& aduersus auctorem consurrexit, vt iudici reum plectendum sisteret.Hinc timor, horror, & suffusus ore pudor exoritur, qui infirmitatem labilis, & mutabilis, naturæ prætendit ad excusationem erroris Itaque vox Domini transgressionem in memoriam reuocauit, erubescentiam in Adamum inuexit: Rursus mens Ambrosiana extollitur ad conceptus propositi excelsa fastigia, subiungens ad illam Adami responsionem Genes.c.3.v.11. *Qui ait: vocem tuam audiui in paradiso: & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Sic scribit Mediolanensis Antistes: *Adhuc in his remedium sanitatis est, qui audiunt Dei verbum. Denique Iudai, qui sibi clauserunt aures, ne audirent: hodieque non merentur audire: Deinde habent remedium, qui se absconderunt. Nam qui absconditur erubescit: qui erubescit, conuertitur.* Est erubescentia quæ ingenerat mortem, cùm delictum pudor est fateri, Adam verò qui vocabatur ad vitam & resurrectionem, à pudore pœnitentiam auspicatur: ipsa immutatio vultus, immutationem animi portendebat; cùm perfricta fronte non denegat flagitium, sed rubore suffusus tacite fatetur errorem, cùm non fallacia, sed veridica signa ostendit confusio compuncti vera pœnitudine cordis. Fœlix pectus in quod blande demulcens alloquium Domini sese insinuauit,& omnia penetralia sua compleuit, vt expelleret virus, quod malesuada vox serpentis, & vxoris infuderat. Cùm loquelam Medici peritissimi auscultat, sanitati restitutum aspicio. Non sic Iudæi sepientes aures suas tribulis, sicut aspides surdæ non audientes sermonem incantantis sapienter, ideo iniquitatem suam impudenter iactant, nec se abscondunt: *Nam qui absconditur, erubescit.* Iure ergo Isaias de eis pronuntiat: *Et peccatum suum quasi Sodoma pradicauerunt, nec absconderunt.* Ideo nec erubescunt, nec confunduntur, nec conuertuntur. Denique ex Ambrosiaco ore alteram verbi gemmam non sinamus fluentem in terram, cadere. Percontatur ibidem argute, cur crimen auspicata fœmina, disquisitionis, & iudicij seueritas ab ipsa non sumit exordium, sed à viro, qui allectus ab vxore, peccauerat? Cerne scrutaminis principium: *Adam vbi es?* Cur Eua primò non perquiritur, & redarguitur? Proponit percontationem, eique occurrit Ambrosius: *Fortasse moueat, cur ante increpatur Adam, cùm mulier ante gustauerit? Sed à praeuaricatione sexus infirmior cœperit, à verecundia & excusatione fortior: Vt fœmina erroris causa fuerat, vir pudoris.* Initium omnis peccati à fœmina, exordium vniuersi pudoris peccati à viro. Est verecundiæ insigne quoddam innatum in fœminis, in quibus pudicitia, & honestas faciem rubore perfundit, & præualens metus, sanguine ex corde attracto, corporis speciem occupat. Pudor tamen ille sanctus argumentum inuisi peccati, & index animi ingenui perpetratum improbum facinus ex toto corde respuentis, sumit auspicium à viro; opus enim hoc arduum, & laboriosum, non fœminea mollicies, sed virile robur aptius perficit. Vt esset fortior sexus verecundantis sese in commissione delicti præclarum infirmiori exemplar. Et sicut fœmina in virum prima peccati semina iniecerat, ita Adamus in Euam, pœnitentiæ verecundiam, & veniam postulantem, pudorem refunderet. Iam fœmina non suppudescet de peccato confundi, cum cernit mœrentem, & verecundantem virum.

Ad vesperam transgressor quaritur, quia serò venit ad animum prateriti erroris verecundia.

Formido diuina potestatis erubescentiam, & latibulum infert homini.

D Ambr.

Remedium sanitatis adhibet, qui Dei verbum audit. Iudaorum aures clausa. Absconsio erubescentia, erubescentia conuersionis est signum.

Cur disquisitionis diuina exordiũ non sumitur à fœmina, qua prima peccauit.

D. Ambr.

Praeuaricatio à fœmina, verecundia verò à viro initium sumit.

4. Sed redeamus ad procacitatem, & impudentiam improborum sese efferentium in suis flagitiis, omni metu depulso. Occurrunt animo superbæ arcis architecti, qui nancisci æternum nomen, & perennem gloriam in ipsa superba molitione percupiunt. Genes. cap. 11. vers. 4. *Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras.* In quo facinore non excusant à crimine veteres Patres turris Babylonicæ extructores, (quidquid in oppositum contendat Abulensis.) Ductos, aiunt, ad huius structuræ molitionem ex affectibus superbiæ, ambitionis, & tyrannica cupiditate regnandi. Ita Chrysostomus, & communiter Ecclesiæ primores. Sanctus Thomas ait ad hoc opus permotos: *Ex ambitione nominis, & fama ex hoc apud omnes obtinenda.* Pulchrè Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 5. ait: *Hanc superbiam Deique contemptum excitauit in eis Nemrod vir audax, & manu promptus, subinde iactans non Deo, sed propria virtuti prasentem fœlicitatem eos debere.* Præterea Chrysostomus homilia 30. in Genesim, homines temerarios, & audaces nuncupat, qui sibi, non Deo arrogabant potentiam, non superno numini, sed suo fastui, & elationi iam iam diuinitatem ambienti, & affectanti. Hoc opus dedicabant, recenset Philo Iudæus, catalogum impietatum, quibus erant impliciti tyrannicæ cohortis duces: sed argute amplificat eorum petulantiam, in diuulgandis, & celebrandis suis criminibus. Cum etenim perpendit illam sententiam: *Faciamus nobis nomen.* Sic immutat Vulgatum legentem: *Et celebremus nomen nostrum.* Et libro de confusione linguarum ait: *O insignem impudentiam! Quid attinet cum de beatis tenebris vestras iniquitates abdere, & pratextum, si non verum, certe verisimilem quarere, vel ad ineundam apud honestiores gratiam, vel vt effugiatis pœnas confessorum criminum. Audetis tantum non in clarissima luce, vos ostentare contemptis & minis hominum, & supplicijs diuinitus infligendis sine clementia? Et insuper circumquaque rumores, nuntiosque iniquitatũ vestrarum dimittendos censetis, vt nemo non audiat vestra, ô miseri ac scelesti, facinora?* Statim eorũ scelera immania in faciem impingit, & grauiter opprobrat: *Inest enim vobis* (inquit) *petulantia cum impudentia, contemptus cũ violentia, vis cũ cade, stupra cũ adulterijs, cũ immoderatis cupiditatibus immẽsa concupiscentia, cũ temeritate insolentia, cum calliditate iniustitia, cum furacitate*

Genes.

Turris Babylonica architecti ex ambitione permoti, & superbia.

D Chrys.
D.Thom.

Ioseph.

Nemrod non Deo sed sibi arrogat fœlicitatem.

Architectorũ turris petulantia in diuulgandis suis criminibus.

Phi. Iud.

Non propalanda, sed abscondenda sunt crimina.

Structorum turris petulantia cum impudentia.

Cupiunt sua celebrari flagitia.

rapacitas, cum mendaciis periuria, cum iniquitatibus impietas. Hæc sunt illa nomina, & his similia. Bella verò gloriatio captare celebritatem nominis ex his, quæ celari debuerant. Prædicta scelera tyranni Babylonicæ machinæ structores non premunt silentio, nec in pectore tanquam in conditiuo sepeliunt, eorum nomine in æternum expuncto, aut eraso de hominum memoria. Nec in eo sistit iactantia, & insolentia, quod ea in propatulo constituant, & in luce ipsa solis promulgent, sed in ipsa insana molitione flagitiorum perennitatem, & famę celebritatem requirunt; vt lateres & bitumina, & indissolubilis ædificij compago contra edacis temporis iniurias, flagitiorum perpetui sint præcones. Quæ maior amentia, & audacia, quàm in ipsa ignominia quærere gloriam, in belluinis turpitudinibus iactantiam, in supremi numinis despicientia celebritatem, in perpetrandis omnibus flagitiis gloriationem? Malum maximum est peccasse, sed omnis improbitatis cumulus est post crimen procacitas, & impudentia, & in ipso scelere, sese efferre, & ostentare magnificè. Veridica namque est illa oris aurei sententia, tomo quinto, homilia 30. *Nihil enim ita facit impudentiam, quàm mala conscientia. Quare meretrices sunt impudentes? Quare virgines verecundæ? Nonne illa ex peccato? Nonne hæ ex modestia? Nihil enim tam impudentem facit, quàm peccatum. Immo in contrarium, inquit, confundit. Confundit eum quidem, qui se ipsum condemnauerit: at eum, qui frontem perfricuerit, efficit procaciorem. Qui namque de se ipso desperauit, efficitur audax: Dicitur enim* (Prouerbiorum cap. 13.) *impius cum in profundum malorum venerit, contemnit. Impudens autem etiam temerarius fuerit, temerarius autem, & audax.* Tales erant illi Tyranni, & Gigantes à sæculo famosi, & improbis facinoribus clari non tam vastæ molis corporeæ magnitudine, quàm impudentia, audacia, insolentia, temeritate horribilia monstra.

D. Chrysost.

Mala conscientia impudentem facit.

Meretrices impudentes, virgines verecundæ.

Qui perfricta fronte peccat, efficitur procacior.

5. Ad ea verba perdifficilia explicatu, & intellectu, quæ leguntur apud Vatem Amos c. 1. v. 3. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum.* Scripturarum phœnix Hieronymus excitat quæstionem, quod sit illud flagitium quartum, quod indulgentiam Domini non admittat, sed in ipso sceleratus inconuertibilis permaneat: Et sapienter respondet: *Primum peccatum est cogitasse, quæ mala sunt. Secundum, cogitationibus acquieuisse peruersis. Tertium, quod mente decreueris opere complesse. Quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, & in suo sibi complacere delicto.* Quid vero præseferat sententia illa Domini: *Non conuertam eum,* dilucidè subiungit: *Clementia mea vultum auersabor.* Nonne Deus fons gratiæ, origo clementiæ, quæ in omnes homines etiam grauiter delinquentes exuberat? Num non fert suppetias etiam in casu mortis periclitantibus, vt inuisa habeant delicta, & paterno sinu pioque amplexu insigniter sceleratos prouocat ad veniam. Cur ergo Amos pro foribus diuinæ pietatis hunc titulum affigit, & attribuit Deo: *Non conuertam, non parcam, non benignè respiciam.* Cum omnes Vates consona voce, & prædicatione clamitent quod non vult mortem peccatoris Deus, sed vt conuertatur & viuat. Quis vultum Dei auertit à peccatoribus benignum, & aduersariam constituit? Quis gratiarum latices iugi scaturigine de visceribus Domini profluentes inhibuit, vt eorum vnda sceleratos non proluat? Peruicacia, impudentia, & in ipso scelere gloriatio. Hæc obturat benignitatis tramites, fontis æterni patentis ad ablutionem peccatoris, & menstruatæ, siccescere facit vitæ diuites venas & gratiæ: vultumque Domini gratiosum, ex cuius aspectu hilarescit omnis anima, procacitatis, & insolentiæ fumus, & caligo obnubilant, ne radius liberalitatis serenitatem, & tranquillitatem inuehat in turbidum pectus elatione, & audacia. *Et super quartum non conuertam eum.* Hoc est, aiebat Hieronymus: *In suo sibi complacere delicto.* Non conuertit Deus nisi eum, cui exosum est crimen: non cui placet, & arridet delictum, sed cui displicet offensa; quo pacto conuertet Deus ad se peccantem, & contumacem, qui in ipsa auersione à Deo gloriatur, nec retractat, nec destruit pœnitudine flagitium, sed complacentia, & petulantia corroborat, & confirmat.

Amos.

Quod sit quartum flagitium quod indulgentiā non admittit?

D. Hieron.

Primum peccatum in cogitatu.

Secundum in consensu.

Tertium in opere.

Quartum, in delicto complacere.

Peruicacia, & impudentia, clementia Dei faciē auertit, & inhibet misericordiæ latices.

6. Formosæ illius meretricis Babylonis peruicaciam, & propudia describit pudicissimus & Virgineus Ioannis Euangelistæ calamus Apocalypseos cap. 17. eam ostentat inequitantem super bestiam coccineis operimentis ornatam, omni pompa mundi muliebris, & vitiorum omnium irritamento conspicuam, demumque adiicit versu 5. *Et in fronte eius nomen scriptum: mysterium.* Si arcanum est, si mysterium est omne quod operatur lasciua pellex, & operimenta tenebrarum luxus perquirit, cur in fronte describitur? Si in ipsa fronte exaratum portat omne flagitium, & in luce meridiana ostentat, cur procax fœmina appellitat secretum? Occurrit dubio subtilis Rupertus Abbas lib. 10. in Apocalypsim: *Quia ciues ciuitatis diaboli non saltem abscondunt opera suæ turpitudinis, imo lætantur, cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Denique in fronte nomen scriptum quod est Babylon, habere quid est nisi opera confusionis publica testari professione? Hinc prostituta Iudea per Prophetam exprobrando Deus dicit: frons mulieris meretricis facta est tibi, & erubescere noluisti. Rectè ergo mulier hæc in fronte sua nomen scriptum habere dicitur Babylon magna mater fornicationum, & abominationum terræ: quia ipsa est corpus siue vniuersitas impiorum, qui fornicationes, atque abominationes adinuenerunt, & frontosi in ipsis adinuentionibus suis incedunt. De quibus item scriptum est: peccatum suū sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* In quibus sententiis subtiliter annectit cum Apocalypsis verbis Isaiæ prædictum effatum in themate propositum. Sed quia in fronte meretricis magnæ non Babylonis nomen, sed *Mysterium* exaratum dicitur, mentem suam amplius explanat Tuitiensis Abbas, & lemma propositum amplificat: *Sed cùm ita sit & taliter habeat in fronte sua scriptum, seque in rebus pessimis magnificet,* &c. *Quomodo ipsum in propatulo scriptum, dicitur vel est mysterium? Idcirco quia omnem fornicationis actum, in quo meretrix ista gloriatur, ipsa natura vult esse mysterium, idest, secretum: Et licet meretricia procacitas prædicet, naturalis tamen pudor contendit fieri occultum.* Satis superque demonstrat Rupertus peruicaciam meretricis in sua fronte portantis impudentiæ suæ præconium, & in improbi

D. Apocal.

Quale sit mysterium quod in fronte meretricis inscriptum ostenditur?

Si ostentat flagitium fœmina, cur appellat secretum?

Rupert.

Diabolicæ vrbis incolæ exultant in rebus pessimis, & opera confusionis publica professione testantur.

Rupert.

Licet fornicationis opera meretrix in propatulo constituat, ipsa tamen naturæ verecundia vult esse in occulto.

Digitized by Google

improbitatibus gloriationem; non solum inexpudorata venditat luxum, excelsa prædicatione excitat fatuos ad carnis blanditias, sed titulum præfigit in fronte, vt dum ipsa subticet, characteres improbitatis vocem edant tuba clariorem, alumnosque suos sub vexillo turpitudinis adscriptos, non tergiuersantes, non timidos, non erubescentes; sed audaces, & insolescentes, vitiis turgidos, infames, flagitiosos, in omni obscœnitate gloriantes; itaque impudica, & procax fœmina pro gemmis in fronte pendentibus, ipsam in luxuria petulantiam ostentat, nec ea, quæ tot artibus occulere satagit ipsa hominum natura, non puduit in propatulo constituere. Verumtamen non erit veritati dissonum, si prædictis, aliam protheoriam adiungas; cùm enim protomeretrix profusionem libidinis suæ nuncupat mysterium, illud percupit auiditate fœminea ad omnem fallaciam, & illecebram comparata, vt obscœna opera gloriationem suam ambitiosius vocitet, sed tanquam quid diuinum proclamet, vt omnem conscientiæ formidinem pellat ex animo, libertatem adstruat, & genio suo profusius indulgeat. Sacrorum initiationes, mysteriorum celebritates appellitabant Ethnici festa omni turpitudini, & obscænitati dicata, vt annotat sanctus Gregorius Nazianzenus, oratione 39. vbi de rapta Proserpina, & Cerere vagabunda ait: *Pudet enim me nocturnum sacrum in lucem proferre, ac turpitudinem mysterium facere.* Et statim: *Nec meretricia Veneris mysteria, turpiter vt ipsi narrant & procreata, & culta.* Et de eodem argumento disputans summus Theologus oratione 3. aduersus Iulianum scribit: *Deos vitiosarum affectionum duces, & patronos habeant: vbi vitiosum esse non modo non turpe, sed honorificum etiam existimatur. (vt pote Deorum aliquem defensorem ac patronum assumens, qui vitiosa hac affectione laboret) atque aris, & sacrificiis ornatur, legitimamque libertatem nactum est, hoc enim omnium indignissimum est, quod quæ legibus vindicentur, ea illi vt diuina venerantur.* Nefandis facinoribus argumenta quædam probitatis adiungere procurauit diabolus, vt his illecebris & insidiosis cassiculis incautos, & miseros irretiret, impudicitiis, & turpitudinibus claros viros in Deorum catalogo adscribens, altaria dedicans delubra & suffitus, vt in impietate sua quisque criminosus assumeret sibi suum iniquitatis patronum, vt non illegitimum, aut sanctionibus legalibus aduersum appareret crimen, sed legitimum, in ipsis sceleribus insigniorum patrocinio, abolere enim videbatur dedecoris notam, & opprobrij infamiam cælestis, & diuina tutela. Vnde non solum ceremonias & cultus Diuorum, sed in ipsis conuenticulis fœminarum, & virorum propudia, obscænitates publice canina impudentia perpetratas nuncupabant mysteria. Ideo meretrix magistra errorum, princeps turpitudinis impudentiam suarum luxuriarum in fronte portat, vt in patrandis impudicitiis non solum exulet pudor, ostentetur procacitas, & gloriatio, vt illa turpificati animi, & corporis fœditas cælestis, & diuina censeatur.

Licet meretrix taceat, character improbitatis flagitium diuulgat.

Pro gemmis in fronte pendentibus, luxuria petulantia ornatur.

Vt genio suo indulgeat protomeretrix, obscœnum opus quid diuinum nuncupat.

D. Gre. Naz.

Turpitudini nocturna sacra & mysteriorum nuncupabant ethnici.

D. Gre. Naz.

Turpitudini dij & patroni aris, & sacrificijs ornantur.

Hominum pudorem in patrandis sceleribus, auferre conabatur diabolus deorum iniqua tutela.

7. Contentionem quamdam adstruit Diuus Ambrosius inter Iudæ, & Iudæorum flagitium, & dissimilibus argumentis in medium prolatis litem componit; ait etenim in animo proditoris affulsisse quamdam ingenuitatis scintillulam, post adstipulationem, & traditionem magistri, flabro quodam insufficientis condolentiæ consopitam reuixisse, quam desperatio postea extinxit: apud Iudæorum indurata pectora, nec exiguam flammulam retractati facinoris emicuisse. Traditor, comprehenso iam, & alligato IESV, & morti adiudicato omnium seniorum calculo, arcana sui pectoris prodidit: Matthæi c. 27. v. 3. & 4. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pænitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: peccaui tradens sanguinem iustum.* Non adeo induratum cor traditoris, quod tormenta conscientiæ compungunt, ore promulgat errorem, & sacrilegium confitetur. Pulchre S. Ambrosius in caput. 22. Lucæ libro. 10. in titulo de negatione Petri scribit: *Et si cassa est pænitentia proditoris, quia peccauit in spiritum sanctum: est tamen nonnullus in scelere pudor, culpam agnoscere. Et quamuis ille non absolvatur, Iudæorum tamen impudentia confutatur, quos cum professio redarguat venditoris, scelerati tamen sibi vendicant iure contractus, & exortes reatus esse se credunt dum dicunt: quid ad nos? tu videris.* Vel in hoc Iudę culpa minuitur, cùm Iesum prædicat, iustam suæ improbitatis, & furoris grauitatem agnoscit, & tam immanis flagitij pudore suffunditur; Iudæi verò eum iustum nuncupare recusant, sed appellitant malefactorem, & impudentiam ostentant in sacrilegio pertinaces, cùm non tantum retinent inique pignus, sed illius mercedem; nec solum in scelere gloriantur, sed se ipsos iustificant, & exortes prædicant reatus. Irruit timor, & pudor licet infructuosus in animum Iudæ, ipsumque dimouit à funesta sanguinis effusione, & qui erat traditor iusti, soluere eum cupit rescindens iura contractus; Iudæi verò in scelere peruicaces venditoris resipiscentiam impudenter irrident, & in sententia perdendi Christum immobiles permanent, & tenaces.

Qualis fuerit grauius crimen Iudæ an Iudæorum?

Iudas quadam peccati condolentia pungitur.

D. Mat.

D. Amb.

In scelere Iudæ pudor est, culpam agnoscere.

Ex Iudæ pœnitudine, Iudæorum impudentia confutatur.

8. Nec solus Iudas adiutorium præbere conatus est Iudæis, vt verecundarentur in Deicidio, sed Pilatus ipse omni nisu contendit perfrictas eorum frontes rubore perfundere. Vnde cum apud Matthæum c. 27 Barabbam expostulant libertati donandum: *Dicit illis Pilatus: quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes: crucifigatur.* Rite Origenes in catena aurea sancti Thomæ ait: *Voluit autem Pilatus pudorem tanta iniquitatis eis incutere.* Et statim: *Illi autem nec hoc erubescunt quod Pilatus Iesum Christum esse confitebatur.* Illi autem reclamantes: crucifigatur: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.*

Pilatus Iudæis infrunitis pudorē incutere satagebat.

D. Mat.

Orige.
D. Thom.
Cat. aur.

VERSICVLVS IX.

Væ animæ eorum quoniam reddita sunt eis mala.

VERSICVLVS X.

Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.

Versicvlvs XI.

Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.

COMMENTARIVS.

Nexus verborum, & sententiarũ cohærentia expenditur.

1. Difficiles solutu nexus, & Herculei nodi occurrunt in lectione Vulgati, quæ nam sint Vatis querelæ, & aduersus quos iactatæ; quis iustus, cui Isaias omne imprecatur bonum: quibus dicitur væ, & omne malum imminet? quæ verborum cohærentia, & quis Isaiæ scopus in his sententiis collimatus; ad quos dissoluendos, & explicandos non in Pythiæ specum penetrandum nobis, sed in diuinorum oraculorum adyta, præsertim L X X. interpretum, qui verba inuolucris obscuritatum occulta expandunt, & eorum sensum in clara luce constituunt. Quapropter horum commatum tela commentationis ab eorum translatione ordienda est.



Septuaginta Seniorum translatio illustratur, & illius nexus cum Vulgato proponitur, & statuitur.

Lect. LXX.

2. Lectio septuaginta duorum interpretum in Bibliis Sixti V. sic habet: *Væ animæ eorum, quoniam consiliati sunt consilium pessimum contra semetipsos dicentes: alligemus iustum, quoniam inutilis est nobis. Itaque fructus operum suorum comedent: Væ iniquo: mala secundum opera manuum eius accident ei.* Quæ translatio celebratissima est, magno plausu, & obuiis vlnis accepta à priscis Ecclesiæ primoribus ab exordio nascentis Ecclesiæ. Eam amplectuntur, & luculenter expendunt S. Iustinus Martyr in dialogo aduersus Tryphonem, Eusebius Cæsariensis lib. 2. demonstrat. Euangelicæ cap. 36. S. Cyprianus in explanatione Symboli Apostolorum, & præclara illa luminaria Ecclesiæ, & Doctorum senatus Hieronymus, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus, Procopius in Isaiæ commentariis. His adiunge sanctum Ambrosium lib. 2. de officiis cap. 6. & de benedictionibus Patriarcharum cap. 3. Athanasium quæstione 136. ad Antiochum, Ioannem Damascenum oratione de Sabbato sancto, Isychium lib. 7. in Leuiticum, Isidorum Hispalensem quæstionibus in Genesim cap. 31. Et quod mirum est diuinus Plato lib. 2. de Republica videtur Lectionem LXX. seniorum perlegisse, eamque æmulatus est, nam perquam similia narrat de iusto, & constanti viro, vt recensent Clemens Alexandrinus lib. 5. stromat. c. 6. & Eusebius Cæsariensis lib. 12. de præparatione Euangelica c. 2. Verba Platonis hæc sunt à Clemente relata: *Ad hunc modum animatus iustus ille flagris cædetur, excruciabitur, vincietur, oculis priuabitur, postremumque omnia mala perpessus in Crucem agetur.* Hæc de versionis auctoritate, & antiquitate.

S. Iust. Mar. Euf. Cæs. D. Cypr. Hiero. D. Basi. D. Chrys. D. Cyrill. Procop. D. Amb. D. Athan. D. Ioan. Damas. Isych. D. Isid. Plato. Euse. Cæs. Clement. Al.

Lxx. interpretum translatio illustratur Platonis sententia. Iusti tolerãtia in flagris & aduersis.

3. Nunc videamus qualis sit causa discriminis, & omnimodæ varietatis inter versionem Vulgati ex Hebraico fonte haustam, & LXX. seniorum. Ad duplex caput potest reduci: primum est Iudæorum impietas, cuius ex causa aliqua verba in Hebraico fonte expuncta, aut permutata sunt, vbi euidens Christi vaticinium, & suæ perfidiæ argumentum certissimum apparet. Id affirmat aliis in locis eximius sacræ sapientiæ Doctor Hieronymus, præsertim in Micheæ cap. 5. conferens versionem Vatis: *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es*, cum Lectione Matthæi c. 2. *Nequaquam minima es.* Annotat in Iosue c. 15. vbi ciuitates & oppida describuntur tribus Iudæ, quod ibi recensetur: *Ephrata hæc est Bethlehem iuxta L X X. duntaxat*; & addit: *Quod nec in Hebraico, nec apud alium inuenitur interpretem, & siue de veteribus libris erasum sit, malitia Iudæorum, ne Christus de tribu Iuda ortus videretur.* &c. Colligitur ex Psalmo 95. v. 10. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.* Ecclesia addit: *à Ligno.* Causamque assignans Lorinus cur non reperiatur in Vulgato, ait: *Propendeo magis in sententiam, quæ Iudæis adscribit malitiosam mutationem in Hebræo textu.* Nec sola litterarum permutatio subdole facta, sed integer textus aliquando expunctus. Ierem. cap. 11. *Mittamus, lignum in panem eius*, &c. ait sanctus Iustinus Martyr in dialogo cum Tryphone hunc textum fuisse à Iudæis maligne sublatum, & postea in peruetustis exemplaribus inuentum, & suo loco restitutum. Et subdit Iustinus: *Ex Hieremia similiter dictis ista resecuerunt: Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum Israel, qui obdormierunt in terra aggeris, in tumulis scilicet, & sepulchris, & descendit ad eos vt euangelizaret, & late eis significaret nuntio salutare suum.* Eadem fere verba recensentur à sancto Irenæo lib. 5. aduersus hæreses in fine: *Dominus è medio vmbræ mortis eo abiit, vbi animæ mortuorum erant, quemadmodum Propheta de eo ait: commemoratus est Dominus Sanctorum suorum, qui ante dormierant in terra stipulationis. Et descendit ad eos extrahere, & saluare eos. Deinde corporaliter resurrexit, & post resurrectionem suam assumptus est.* Et in eodem dialogo contra Tryphonem conqueritur sanctus Iustinus integrum locum & valde præclarum fuisse à Iudæis subdole expunctum ex libro 1. Esdræ, capite 6. v. 19. *Fecerunt autem filij Israel transmigrationis pascha, quarta decima die mensis primi.* Abolita autẽ sunt verba quamplurima, iuxta Iustinum, eaque ex S. Iustino in dialogo cum sunt Tryphone recenset Lactantius de vera sapientia lib. 4. c. 18. in hunc modum: *Apud Esdram ita scriptum est: Et dixit Esdras ad populum, hoc pascha Saluator noster est, & refugium nostrum, cogitate & ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in ligno: & post hæc sperabimus in eum, ne deseratur hic locus in æternum tempus, dicit Dominus Deus virtutum. Si non credideritis ei, neque exaudieritis annuntiationem eius, eritis derisio in Gentibus.* Hoc tam euidens testimonium passionis Iesv, & Iudaicæ perfidiæ, pertinaci illo odio, quo in Christum sunt debacchati, de libris sacris abraserunt. Addit sanctus Iustinus Martyr eorum interpretationem: *Iudæos consilium iniisse de ipso Christo; decreto, vt eũ in crucem suspensum, occiderent, facto.* Quæ omnia, ea propter in medium prolata sunt, vt cernat Lector non esse irrationalem, aut audacem suspicionem,

Discrimen sententiarũ Vulgati & LXX.

Aliqua verba in Hebraico fonte à Iudæis expuncta.

D. Hiero. Mich. D. Mat. Lect. Lxx. D. Hieron. Lorin. Ierem. D. Iust. Mar.

Descensus ad inferos, & resurrectionis Christi vaticinium apud Ieremiam, quod in Vulgato non extat.

D. Irenæ. D. Iust. Mar. Lib. Esd.

Apud Esdrã abolita à Iudæis verba.

Lactan.

Esdræ vaticinium de paschate & passione Christi illiusque crucifixione.

Annuntiatio repudij Iudæorum.

D. Iust. Mar.

Digitized by Google

suspicionem, sed verosimilem, si asseramus hunc Isaiæ locum, quem habemus pre manibus, eamdem subiisse iacturam, à Iudæisque vel obliteratum, vel omnimode permutatum, ne tam euidens de Christo testimonium sua in cæcitatem & incredulitatem reuinceret. Potuit enim id nullo negotio perfici ab ipsis Iudæis, vno charactere Hebraico permutato. Scilicet ס in ם qui characteres sunt valde similes. Vnde si legas אמרו cum Vulgato transferes: *Dicite*. Si verò legas אסרו, vertes: *Ligate iustum*, cum LXX. & formabis sensum omnimode diuersum. Quia verò huius permutationis mem, in Samech non admodum difficilis apud incredulos & peruicaces Iudæos, non habemus auctorem illam adstruentem, ideo ad secundum caput varietatem lectionum reducemus, affirmantes LXX. seniores à spiritu sancto afflatos arcanum illud, & mysterium Christi in verbis Hebraicis additum præsensisse, & Pontificum, Pharisæorumque consilium aduersus IESVM, Iustum antonomastice nuncupatum, & Domino vincula iniecta, quibus innexus, & alligatus ductus est ad Caipham, in vaticinio illo Isaiæ præclaro superno lumine illustratos agnouisse, & in Græcam linguam translatum Gentibus euulgasse. In quo oraculo Iudæorum concilium, & Christum à militibus vinctum ad litteram agnoscunt, & reuerentur Ecclesiæ Patres præallegati vnanimi consensu in hanc interpretationem coeuntes.

Litterarum immutatio facilis apud Iudæos.

Illustremus singula verba, tum Vulgati, tum etiam huius versionis antiquitate venerandæ. *Væ animæ eorum.* In hoc Vulgatus & LXX consentiunt. Est enim illud *Væ* interiectio condolentis animi, & pectoris præ mæstitia anhelantis, cum inter gemitus, & suspiria oculi in fluenta lacrymarum liquantur: Conspicatus enim est diuinus Vates ad exemplar impudentiæ Sodomorum, omni excusso pudore, ferri præcipitem ciuitatem Ierosolymam in Deicidij flagitium, & sine velamine, aut integumento verecundiæ, aut timoris Seruatorem ad necem expostulasse, laudemque & gloriam captasse ex tam immani scelere: omissis interdum verborum exhortationibus, criminum obiectione, & increpatione Ierosolymorum, prædicat lacrymis, & querulis lamentis, & singultibus tristissimis deplorans ait: *Væ animæ eorum.* In quo ploratu non tàm rerum familiarium, & temporaneæ felicitatis stragem, quàm animarum iacturam, quæ præ omni re aspectabili illi cariores erant, quarum quo incolumitatem omnibus exoptabat votis Isaias, lugubri fletu prosequitur. Quocirca æquo quidem iure asserunt Basilius, Chrysostomus, Procopius prædictam interiectionem Vatem profudisse non sine fletu, & lacrymis: verba sunt Procopij: *Ista Prophetam lugendo dixisse arbitramur.* Quid enim spectabilius, & efficacius ad inflectendos ciues suos ad clementiam & pudorem, quàm cernere venerabilem illum Isaiæ vultum immadentem fletuum irriguo, anhelans pectus trahensque ex præcordiis ignita Dei amore spiracula vehementiora, piaque lumina ad cælites erecta, margaritarum decore ornata: sed cernere iam licet quod sit threni huius & lamentationis exordium.

Væ, interiectio est condolentis animi.

Animarum iacturam Isaias luget.

B. f.
D. Chrysost.
Procop.

4. Vulgatus: *Quoniam reddita sunt eis mala*, LXX. *Quoniam consiliati sunt consilium pessimum.* Quæ verba de consilio inito aduersus IESVM, ad litteram sunt interpretanda, vt fatetur Hieronymus dicens: *Perspicue de Christi dicitur passione, quod inierint consilium pessimum, non tam contra iustum, quàm contra semetipsos, & animam suam.* Et S. Ambrosius lib. de benedict. Patriarch. cap. 3. de Principibus Sacerdotum, & scribis ait: *Ipsi consilium cogitauerunt aduersus Dominum Iesum, vt occiderent eum, sicut Isaias dicit: væ animæ ipsorum quia cogitauerunt consilium malum aduersum se*, &c. Cui sensui consonant Patres superius recensiti. Iucundum fuit Lectori audire vaticinium ab Isaia tot retro sæculis promulgatum: placitum quoque erit cernere adimpletum Matthæi. cap. 12. v. 13. *Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant aduersus eum.* Et cap. 26. v. 3. de principibus Sacerdotum, & senioribus ait: *Concilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent.* Et cap. 27. v. 1. *Consilium inierunt omnes Principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent, & vinctum adduxerunt eum.* Ioannes c. 11. v. 47. *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium.* Et Ecclesia de suo addit: *Aduersus Iesum.* Illud verò comma Isaiæ: *Dicentes alligemus iustum.* Vide adimpletum eodem Ioannis c. v. 56. *Dederunt autem Pontifices, & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.*

Lect. L X X.

De consilio inito aduersus Iesum prædicti mirabilia.

D. Hieron.
D. Ambr.

D. Matt.

5. In prædictam versionem licet coëant Ecclesiæ Patres, aliquantulum variant. Sanctus Cyrillus, Chrysostomus, Basilius legunt: *Consultauerunt consilium malignum.* Hieronymus, & Ambrosius supra relatus: *Quia cogitauerunt consilium.* Vt eorum cogitationes improbas, & architectatos mente dolos, Iudæorum senatusconsultum, Pontificum & Pharisæorum conspirationem in proferenda capitis sententia, consensum, & concordiam Vates prædicet. In quo sensu non erit difficile in consensionem adducere lectiones Vulgati, & L X X. Vulgatus dicens: *Quoniam reddita sunt eis mala*, velut summatim recolligit, & in vniuersum recenset mala & pœnas supra relatas. L X X. verò earum fontem indicant, earumque rationem reddunt. Quasi dicerent omnia bona ablata, omnia flagella inflicta, quia consultarunt, cogitauerunt, consiliati sunt consilium malignum, & pessimum contra Iesum. Hinc manifeste patet scopus huius capitis, & lemma à Vate propositum non esse pressuram captiuitatis Babylonicæ, sed Romanæ, quam subierunt Iudæi propter Christi necem, consuluerunt consilium iniquitatis vt Iesum tenerent, & occiderent; consultauit Dominus vt omnia amitterent, & eos incendio & vastitate perderet. Quare non est credendum Rabbinis, aut Hebraizantium rigidis sectatoribus, sed LXX. interpretibus huius loci primariis commentatoribus, & primoribus Ecclesiæ agnoscentibus Christi passionem in hoc vaticinio, propter quam ruina, vastitas, & omniũ donorũ iactura iudaicã in rempublicã inuecta est.

Lecti num varietas, & discordia concors.

D. Cyrill.
D. Chrys.
D. Basil.
D. Hieron.
D. Ambr.

Lect. L X X.

Bona ablata, flagella inflicta Iudæis, propter Deicidium.

6. Præsenserunt alij Vates diuinitus afflati hoc improbum concilium à Iudæis conflandũ, & scelus eorũ immane litteris mandatũ, & æternitati commendatum reliquerunt. In primis illud exhorruit iam terens limina mortis S. Iacob: cùm enim agnosceret Simeonem, & Leui adinteritum Hemor, & Sichem, Chananæorum & Pherezæorum stragem ambas iunxisse dextras, sacerdotum & scribarum, qui de tribu Simeonis

Iudæorum concilium aduersus Iesum ab aliis vatibus decantatum.

Geneſ.

Patriarcha Iacob illud annuntiauit.

Orige. Ruffin. D. Iſid. D. Hiero. D. Cyril. Tertul. Beda. Ruper. D. Ambr. D. Iſido.

Simeonis & Leui traxerunt originem, concilium aduerſus IESVM conflatum præcognouit, & quam exoſi eſſent parenti ſuo nati propter hoc impium facinus, aperte demonſtrauit Geneſ. cap. 49. verſ. 5. & 6. *Simeon & Leui fratres vaſa iniquitatis bellantia: in conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea.* Quæ verba de concilio inito aduerſus Seruatorem noſtrum, in quo eius decreta eſt mors, exponunt Origenes homilia 17 in Geneſim, quem ſequuti ſunt Ruffinus lib. 2. de benedict. Patriarch. Iſidorus quæſtionib. in Geneſim capite 31. Hieronymus quæſtionibus Hebraicis in Geneſim. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Glaphyrorum. Tertullianus lib. aduerſus Iudæos capite 10. Beda tomo 4. in exponit Geneſis. Rupertus lib. 9. in Geneſim cap. 27. Ambroſius lib. de benedict. cap. 3. Audiendus eſt ſanctus Iſidorus Hiſpalitanus Antiſtes; *Per Simeon & Leui ſcribæ & ſacerdotes Iudaici populi intelliguntur. De Simeone enim ſcribæ erant Iudæorum. De tribu vero Leui principes Sacerdotum, de quibus ſcriptum eſt; quia conſilium fecerant, vt IESVM morti traderent. De quo conſilio rite Patriarcha, qui in mente Deum videbat, dicit: in conſilium eorum non veniat anima mea. Horrebat enim iam illo tempore ſanctus iſte Patriarcha videre conſilia tantorum ſcelerum, quæ in nouiſſimis temporibus facturi erant Iudæi.* Hæc præuidens Iacob conteſtatur poſteris, qui patris non ſeruarunt affectum, dicens ſe à tanto ſcelere immunem, manuſque ſuas à iuſti ſanguine incontaminatas ſeruari, & ideo quia præuidit flagitium, perhorreſcit iniqui conſilij contagium: *In conſilium eorum non veniat anima mea.*

Per Simeonē & Leui ſcribæ, & Phariſæi Iudæorum intelliguntur.

Tantorum ſcelerum conſilium horret Iacob.

Iniqua conſiliatio fratrum aduerſus Ioſeph plena conuitijs.

Geneſ.

Lect. LXX.

D. Chryſoſ.

Schol. Samar.

D. Cyril.

7. Præterea eiuſdem Iacob verba in commendationem Ioſeph prolata, in eodem arcano ſenſu rurſus ſchola Patrum vſurpat de zelo & liuore Iudaico aduerſus Seruatorem, eodem capite v. 23. *Sed exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt, inuideruntque illi, habentes iacula.* Hoc aſſerit Iacob quia Ioſephum fratres ſui maledictis, & conuitiis onerarunt, cum Geneſis c. 37. v. 18. & 19. *Cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum.* Pulchre LXX. ſeniores, prima verba transferunt: *In quem conſilia conferentes maledicebant.* Et Chryſoſtomus id illuſtrat: *Ioſeph conſilio communicato conuitiis inceſſerunt.* Scholium Samariticum legit: *Et oderunt eum tenaces factionum.* De conſilio aduerſus IESVM inito ſanctus Cyrillus Alexandrinus vaticinium vſurpat: *Habitis enim conſilys acerba conſultabant Domini cogitationum, hoc eſt principes populorum, qui exacuebant aduerſus eum, qui eum vulnerarent.* Crudelius enim pungit, torquet, & vulnerat iaculum linguæ, ſagitta verbi, liuoris veneno illita, quàm omne ferreum telum, & hoſtilis armatura. Hæc tamen iacula de iuſti pectore patientiæ cote inſtructo reſilientia ſagittatores ſauciarunt.

Geneſ.

Abraham hoc iniquum conſilium prædixit, & præfigurauit.

Liran.

8. Sed multis retro ſæculis delineata eſt huius improbi conſilij vmbra Geneſ. cap. 18. verſ. 1. cum Abraham Angelos ipſumque Dominum ſuo ſuſcipit hoſpitio: *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo feruore diei.* Ipſius Patriarchæ ſeſſionem myſteriis fœcundam agnoſcit Nicolaus de Lira, eiuſque animus ad ea contemplanda aſſurgit, recenſens, & approbans ex Hebræorum Gloſſa verba ſequentia: *Hic dicit quædam Hebræorum gloſſa, quod Abraham voluit ſurgere ex reuerentia diuinæ apparitionis, ſed Dominus dixit ei: ſede: Tu es enim in ſignum filys tuis. Futurum eſt enim vt filij tui ſedeant, tanquam iudices in concilio, & ego ſtem.* Hancque commentationem confirmat ſubiungens: *Quæ gloſſa fidei noſtræ eſt conſona, quia hoc fuit adimpletum quando Saluator noſter verus Deus, & verus homo ſtetit coram principibus Sacerdotum ſedentibus in conſilio ad iudicandum ipſum, vt deſcribunt quatuor Euangeliſtæ, quod ſuſtinuit pro ſalute electorum, qui ſunt filij Abrahæ.* Iam enim Abraham in ipſo habitu ſeſſitantis, iudiciariæ poteſtatis in filiis ſuis præferebat inſignia, cùm comparente Domino, & ſtante tanquam reo coram eis, vniuerſi cœtus ex Pontificibus, & Phariſæis collecti, calculis adiudicatus eſt morti. Abraham in pectore reuerentiam, & cultum exhibebat Domino, in ſedendi habitu conſilium malignantium exprimebat. Ipſeque IESVS demoratus ad hoſpitalis viri caſulam, rei, damnatique formam in ſe ipſo prælùdebat ſtando; & ſententiæ mortis tanquam negotio ſæculorum à ſe ipſo votis omnibus valde exoptato, & concupito, ſtatione ipſa accingebatur, & comparabatur.

Gloſſa.

Abraham ſedens coram Domino principes Sacerdotum innuebat, ſedentes & iudicantes Dominum ſtantem.

Malitia aduerſus ſeipſā inſurgit.

Heſiod.

9. *Contra ſemetipſos.* Semper enim quod aliis iniquus perperam conſulit, in ſuum caput recidit, nam illud veriſſimum eſt prouerbiale effatum: *Malum conſilium conſultori peſſimum* Pertinet ad diuini, & ſupremi numinis prouidam curam pœnas repetere ab eo, qui rem ſacram, & diuinam qualis eſt conſilium, & arcanum perfidia violauerit, aut liuore confuderit. Deſumptum videtur celebratiſſimum alloquium ex Heſiodi carminibus.

Ipſe ſibi nocet is alium qui lædere quærit.
Conſultum male, conſultori peſſima res eſt.

Quem æmulatus eſt Virgilius Maro lib. 11. Æneid.

—— Cadit ipſe Tolumnius augur,
Primus in aduerſos telum, qui torſerat hoſtes.

Plato. Socrat.

Peius eſt iniuriam facere, quam pati.

Simile eſt Platonis dogma in Gorgia, ex Socrate referentis: *Peius iniuriam facere, quam iniuriam pati, & damnoſius eſſe malo afficere, quam affici.* Et axioma ab ore aureo ſæpiſſime decantatum, quod conuitium non tam afficit opprobrio attactum, quàm ipſum conuitiantem. Et quod malitia plus ſibi nocet, nec lædit iuſtum, ſed improbum ipſius nequitiæ auctorem.

D. Baſil.

Conſilia aduerſus iuſtos inita, in malignè conſultantes retorquentur.

D. Chryſoſt.

10. Quo circa Iſaiæ prædictam lectionem Patrum gloſſemata perpulchra exornant. S. Baſilius mentis trutina librans illud: *Aduerſum ſemetipſos*, ait: *Conſilia enim aduerſus iuſtos inita, in capita malignè conſultantium retorquentur. Quemadmodum & tela quæ ſemel inciderunt in corpus ſolidum, nec cedens, ſed repercuſſiuum, in ſuos iaculatores reſiliunt.* Et ſanctus Chryſoſtomus in Iſaiam: *Et ſi quæ facta ſunt in ſpeciem videantur aduerſus iuſtum temerario auſu aggreſſum: tamen ſi quis exitum accuratius excutiat, nimirum intelliget, rem totam non in patientem, ſed in conſultores eſſe detortam.* Idem accidit in vaniſſimis Iudæorum cogitationibus, & conſiliis aduerſus IESVM initis, quæ in caput omnia conſultantium reciderunt, vt apertius in ſubſequentibus demonſtrabitur.

11. *Dicentes: alligemus iuſtum, quoniam*

inutilis

inutilis est nobis. Sententia simillima reperitur apud Salomonis sapientiam, capite 2. v. 12. *Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis.* Salomonis, & vatis nostri parallelium celebrant in præsenti Patres. An septuaginta ex Salomonis sapientia sententiam transtulerint dubium est; potius dicendum superno Pneumate, quod cælesti vaticinij flamine eos tanquam Vates veridicos afflabat, infusam, & dictatam, vt ex sapientis Regis ore, & fidelium testium, veritas pssionis Christi, & perfidia Iudaïca constaret. Quare Lactantius Firmianus cùm locum Salomonis retulisset subiungit lib. 4. cap. 16. *Nonne ita descripsit nefarium illud concilium ab impijs initum contra Deum, vt planè interfuisse videatur.* (Quod de Isaia quoque dictum esse existima.) *Atqui à Salomone, qui hæc cecinit vsque ad id tempus, quo gesta res est, mille ac decem anni fuerunt.* Apertius tamen se se insinuat Isaiæ vaticinium; nec solum insidias, & captiosa verba proponit sycophantarum Iudæorum, quibus eum capere in sermone, & vita curabant, sed vincula, quibus captus est IESVS. Impletum est Vaticinium, cùm Ioannis cap. 18. *Cohors, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt IESVM, & ligauerunt eum.* Et Matthæi cap. 27. *Et vinctum adduxerunt.* De vinculis, quibus innexus est IESVS à militum cohorte, expendit locum Isaiæ Sanctus Basilius: *Alligemus iustum: eum enim loris districtum deduxerunt ad Caipham. Ligabant illi manus, per quas tot tantisque cumulati fuerant beneficijs.* Idem affirmat Procopius. Quibus annecte Sanctum Athanasium quæst. 136. ad Antiochum, vbi hunc Isaiæ locum cum Psalmographi carmine sociat, Psalmo 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus filium eius.* Additque eleganter: *Scilicet Annas, & Caiphas, & summi Sacerdotes & Scribæ, contra Dominum, & contra filium eius. Qui enim rebellis est in filium, contumelia afficit & Patrem. De vinculis autem, quibus constrinxerunt Christum, ait Esaias Propheta deplorans Iudæos: væ animæ eorum: quia cœperunt consilium malitiosum, de se ipsis dicentes: constringamus.* Deest *iustum.* Censeo incuria librarij omissum, nam verbum hoc immediatissimis verbis expendit, quæ postea dabimus, nomen & insigne illud iusti illustrantes.

Sap.

Consilium circumueniendi, & alligandi iusti, apud Salomonem, & Isaiam describitur.

Lactant.

D. Ioan.

Iesus comprehensus & ligatus adducitur ad Caipham.

D. Basil.

Procop.

D. Athanas.

12. *Iustum.* Aliqui censent per ironiam, aut per irrisionem ab improbis nuncupatum iustum Saluatorem nostrum. Est tamen propriissimum Christi epitheton; cùm sit ipse omnis iustitiæ fons, & Patri cumulatissimè satisfecerit pro nobis de rigore iustitiæ modo perfectissimo. Maximum tamen encomium Christi est, quod ab improbis, nugacibus, & aduersariis iusti titulis decoretur; vt à sibi semper aduersis, & exosis, eiusque sanguinem sitientibus iustus adstruatur. Illud tamen verbum ex eorum lingua decidit, ad firmissimum probamentum innocentiæ Seruatoris patientis, & exaggerationem malitiæ persequentium; eo enim deprædicant esse totius peccati expertem; quinimmo professio quædam est diuinitatis Christi, vt annotat Sanctus Athanasius supra relatus dicens: *Quæras amplius ex Iudæo, & dicas illi: quis hominum in terra sit peccati expers, constat autem quod nullus à labe purus sit, neque vllus dies vitæ illius super terra. Sic aperte docemur neminem esse peccati expertem præter solum Deū.* Ex Christi iustitia reuincitur, & consilij improbitas, quo statutum est, vt vir à peccato immunis vinciatur, & addicatur morti.

Cur Christus iustus nuncupatur.

Christi innocentia, & patientia ab ipsis aduersariis adstruuntur.

D. Athan.

13. *Quoniam inutilis est nobis.* Appellitant Christum nullo modo vitæ suæ vtilem fore; sed omnino infructuosum, ac veluti telluris inutile pondus. Quod dupliciter potest accipi. Primò, quia Scribarum, & Pharisæorum omnino contrariam viam, & rationem viuendi inibat, nec operibus suis conniuebat, aut eorum instituto se se accommodabat; sed iis semper erat aduersus: quam rationem assignant impij Sapientiæ cap. 2. v. 12. *Et contrarius est operibus nostris.* Sicut enim malo bonum opponitur, & & morti vita, lux tenebris, sic contrarius est iusto viro peccator. Pulchrè Sanctus Basilius in Isaiæ commentario ait hoc dixisse Iudæos: *præsentiam non ferentes iustitiæ, quòd malitiam omnem aboleat, & exterminet. Iniustis enim importuna videtur, & inutilis iustitia: quemadmodum oculis lippientibus Sol.*

Christus inutilis vocatur à Iudæis, duplici de causa.

Sap.

Peccatori contrarius videtur vir iustus in operibus.

D. Basil.

14. Secundò ex Diuo Ambrosio lib. 2. de officiis cap. 6. Inutilem vocant quia eos carpit, condemnat eorum vitia, & scelera corripit. Tertio argutè dicunt: *inutilis nobis.* Iustitia omnibus nata, non tam sibi, quàm aliis omnibus proficit. Erga alios fructuosum taciti fatentur, cùm emolumenta omnium sanitatum aliis abundè impertita animaduertunt. Nobis tamen, inquiunt, nullum emolumentum detulit: Expectabant Messiam Iudæi, errore occæcati & auaritia, diuitem, opulentum, splendida, & opipara mensa fruentem, qui ciuitatem conderet ex lapidibus pretiosis, regni trabea decorum, & humana terrenaque gloria diffluentem, qui riuos mellis, & lactis terrestrium voluptatum infunderet, & conciues suos auri, & argenti thesauris redderet in hac vita felices. Cernebant eum frugalem, omnium rerum abstemium, eius ex parua ciuitate ortum, fabrilis artis opificem patrem, cum abiectis piscatoribus, & flagitiosis hominibus facile, & iucundum commercium. Ideo aiunt: *quoniam inutilis est nobis.* Aut iuxta Sanctum Hieronymum in commentario legentem: *iniucundus.* Non placet improbis nisi improbus, qui suis vitiis & impietatibus obsecundat, & iuxta suum arbitrium, & beneplacitum se se versat.

D. Ambr.

Frugalitas Iesu infructuosa vitabatur Iudæis.

15. Sed refellendum in præsentiarum est temerarium & impudentissimum mendacium Iudæorum, depromptis telis ad configendas eorum linguas ex Euangelistarum pharethra, qui emolumenta ab Assertore nostro inuecta generi humano dilucidè proponunt. Et summatim colligit Ioannes Lorinus noster in omni litteratura ad miraculum doctus. Eius verba recenseo aliis additis, quibusdam immutatis. Enim verò Christo quid vtilius, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes, cuius oculi, saliua, digiti, tactus, fimbria, vestis, edebant mirifica beneficia: infirmos omni ægritudine oppressos curabat, dæmones eiiciebat, mortuos suscitabat, multitudines pascebat, procellas sedabat, vitam ponebat etiam pro inimicis, vsque ad sanguinis vltimam guttam; docebat, loquebatur, qualiter ante illum nemo;

Iesus emolumenta omnia humana naturæ detulit.

Summatim recensentur.

Digitized by Google

nemo; benigne recipiebat peccantes, eorum scelera soluebat. Denique Sol erat mundi, cui mundo nihil vtilius luce, & lignum vitæ afferens duodecim fructus, sub cuius vmbra viuimus; qui imperium mortis destruxit, & confregit feras inferni, & ianuas cœli aperuit, & suis humeris vectam ouem errantem humanam naturam in cœlum intulit, & Patri obtulit. Quid enim eo suauius, & benignius, cuius species supra filios hominum, cuius odor suauis, alloquium dulce. Non venit animas perdere, sed saluare, nec linum fumigans extinxit, nec contriuit arundinem quassatam; ministrauit, lauit pedes discipulorum: Non vllo vindicauit iniurias proprias supplicio, cùm posset. Cùm malediceretur, non comminabatur. Fleuit super Ierusalem, vt pauper & verè mansuetus, tametsi Rex, intrauit asino insidens in Ierusalem. Compescuit Petrum gladio ferientem aduersarios, abscissam ab eo Malchi aurem restituendo. Pro crucifixoribus orauit: proditorem se militibus tradentem ad osculum admisit, & amicum appellauit. Mysterium corporis, & sanguinis sui condidit, litandum & participandum hominibus dereliquit, in quo bene probati immortalitatis sibi consortium, & æterni regni hæreditatem vsurpant. Non ergo inutilis est Christus, sed omnibus commodus, iucundus, frugifer, & salutaris prædicatur. Sic violatam Christi æquitatem, & innocentiam vindicare licet.

Malitia, & improbitatis fructus, & partus, animaduersio, & supplicium.

16. *Itaque fructus operum suorum comedent.* Sicut enim à natura comparatum est quod seminibus, fructus & prouentus respondeant similes, nec enim ex spinis pomum, aut ex tribulis ficus pullulant; sic malitia, & improbitas partus edunt animaduersionum, & suppliciorum, quæ semper iniquitati tanquam fructus arbori cohærent. Ex perfricta verò fronte, & consummata iniquitate perfractorum hominum, qui omnia repagula pudoris perfregerunt in decernenda iusti morte, quis alius fructus emanare potuisset, nisi miseriarum profluuium, & certissima vastitas, quam semper sibi flagitium comparat. Eleganter Sanctus Basilius in huius loci commentario scribit: *Illorum autem operum fœtus sunt captiuitas, dispersio, templi euersio, delapsus à priori gloria, confusio vultus eorum non sustinens eos sustollere ad Deum aciem mentis ob impium facinus in vnigenitum Dei commissum.* Adde fructus operum suorum esse, quod abstulerit Dominus à Ierusalem omnes viros præclaros, & fœminas valentes, & reliqua vrbis decora, quæ superius Vates retulit, ab exordio huius capitis tertij.

D. Bas.

Iudaicarum operationum fœtus Captiuitas, & dispersio.

Versio vulgati, & LXX. seniorum in consensum vocantur.

17. Superest vt Vulgatum expendamus, & cum Septuaginta interpretum lectione proposita in concordiam reducamus. Versio ex Hebræo sic habet: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* Per omnem modum dissidere videtur, & contrariari lectioni LXX. apud quos dicitur de iusto: *quoniam inutilis.* Apud Vulgatum de eodem iusto asseritur *quoniam bene*, vel, *bonum.* Esse enim bonum, & frugiferum, est oppositum inutili. Et apud inutilem reperitur omnis imbonitas. Quomodo ergo esse iustum bonum, & inutilem, frugiferum & infrugiferum quadrant? Si de Seruatore nostro hæc commata accipias, & diuersos prolocutores introducas, mirificam consensionem reperies: Idem Dei Spiritus loquitur apud LXX. nomine impiorum, qui IESVM inutilem vocant, & iniucundum; & apud Vatem in persona iustorum, qui Christum nuncupant bonum & commodum: secundum diuersos & oppositos pietatis, & impietatis, odij & amoris affectus, aut inutilis opprobrio læditur, aut boni, & commodi decore ornatur. Secundo in hunc modum hos circulos aureos diuinorum oraculorum innectes, vt verba sint ipsius Dei in spem erigentis iustum, cùm ei scelesti omnia mala aduersa, & cruces minantur: cùm enim congregant cœtum iniquum, & peruersum consilium ineunt, vt dolo teneant virum sanctimonia, & iustitia decorum, illumque immaniter excrucient, aut in patibulo suspendant, apud Vulgatum interpretem ei solamen verborum infunditur, vt illum Deus spei anchora firmet inter has procellas, animum extollat, impauidumque reddat in conflictu, nec mentem decidere sinat impetiti conuitiis, lacessiti opprobriis; quasi dicat: quod alligetur, tanquam latro comprehendatur, omnium calculo adiudicetur morti, quod tāquam seditiosus, & Reipublicæ pestis æstimetur, perbelle, percommode ei hæc omnia stabunt, prospere, feliciter, faustè vniuersa peruersorum machinamenta euenient. Non enim iniucunde, incommode, infortunate, sicut factio sceleratorum censet, insectationes & flagra accidents, sed erunt iusto famæ, & celebritatis accessio, & immensæ gloriæ lucrum, & incrementum; iniustis verò infamiæ cumulus, infortuniorum aceruus erunt: *Dicite iusto quoniam bene.* Dicite improbis: *quoniam male.* Recte ergo ait: *Væ animæ eorum, non væ iusto.* Et subiungit: *Væ impio in malum. Dicite iusto quoniam bonum.*

Impij Iesum vocant inutilem; iusti vero vtilem, & commodum.

Iustum de impijs vexatum Deus spei anchora firmat.

Iusto omnia aduersa vertuntur in bonum.

18. Aliter, & sapienter quidem has lectiones conglutinat Leo de Castro in Isaiam asserens translationem LXX. interpretum suffragari versioni Hebraicæ, licet in ea nulla sit facta transmutatio litterarum, existimat enim sententiam illam: *Dicite iusto quoniam bene.* Non discrepare ab illo Vatidico effatu, quod ore Caiphæ prolatum est in cœtu seniorum contra IESVM collecto. Ioannis cap. 11. vers. 49. & 50. *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Ideoque subiungit: *Nam vinciamus iustum quoniam inutilis est nobis. Poterat esse explanatio litera Diui Hieronymi: Dicite iusto quoniam bene, id est dicite de iusto, quoniam bene, vt vnus moriatur pro populo; vel si ad verbum Hebræa verba reddas, dicite iusto, vel de iusto: quoniam bonum, vt vertit Vatablus, idest, quoniam bonum est, & expedit, vt vnus homo moriatur pro populo.* Pia conciliatio.

Leo de Cast.

Vates Isaias & Euangelista Ioannes concinunt.

D. Ioan.

Dicite iusto quoniam bene; expedit vt vnus homo moriatur pro populo, concinunt in sensu.

19. Sequitur in Vulgato: *quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* Promisit supra improbis quod comederent *fructus operum suorum.* Idem nunc promittit iusto. Tametsi fructus sit valde diuersus sicut & opus, à quo pullulat. Varietas quoque est in ipsis dictionibus, impij comedunt fructum operum; iustus *edit fructum adinuentionum suarum.* Si de Christo accipias pulcherrima sententia est, in qua docemur omnes Christi cruciatus, vincula, pugnos, alapas, conuicia,

Fructus operum iusti.

Digitized by Google

Charitas ad inuentiones passionum in Christo architectata est. conuicia, flagra, spinarum coronamen, arundineum sceptrum, vilem purpuram, insanorum togam candidam, Crucis baiulationem, clauorum fixuram, cuspide lanceæ apertum latus, & reliqua, ipsius Christi adinuenta extitisse, corũ namque omnium architectatrix & inuentrix in Christi pectore charitas fuit. Verbum Hebraicum מעלליס à radice עלל studia, adinuentiones, cogitationes, consilia denotat, idque quod meditato, & ex animi studio fit, comprehenditur hac dictione. Bonum cum Psalmicine asserere: *Et in adinuentionibus tuis exercebor.* Psal. 76. v. 13. vbi S. Augustinus legit: *in affectionibus tuis.* Symmachus nuncupat: *μηχανήματα, machinamenta, seu, molimina.* Vt omnia inuenta innuat Christi Domini in generis humani redemptione.

Lect. heb. *Psal. D. August. Symm.*

Christus impiorum consilia, inuenta sua nuncupat. 20. *Suarum.* Si ab iniquis architectata sunt consilia, & adinuentiones excogitatæ, vt iustum perderent, adinuẽtiones molimina impiorũ potius nuncuparet, quàm iusti ipsius patiẽtis. Studia, cogitatus, inuenta appellat merito *sua*, quia, quidquid furor dæmonis, malitia & liuor hominis excogitarunt ad necem iusti. Id iam præuisum ab ipso Seruatore, statutum, & decretum à Sanctissimæ Triados Senatu, annuente ipso verbo Dei, & acceptante prompte, & libenter statutis temporibus pati pro hominis salute. Sapienter Apostolorum apex & coriphæus in concione ad Iudæos habita Actorum cap. 2. v. 23. fatur: *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemistis.* Vel iuxta lectionem Græcã: *accipientes traditum definito consilio, & præscientia Dei per manus iniquas.* Itaque Iudæorum erãt illa architectata molimina crudelitatis ex animo iniquo prodeuntia ad opprimendum iustum; Saluatoris erant, quia illa ex nimia charitate tolerare decreuerat ad hominis salutem; manusque tortorum obsecundabant Domini voluntati, & amori diuino, omnium cruciamentorum architecto: *Et dum proprio incumbunt sceleri* (ait Sanctus Leo) *famulata sunt Redemptori.* Denique IESVS suas nuncupat adinuentiones passionum; quia pro dilecto pati & mori, & omnes subire contumelias, & corporei cruciatus ærumnas, tanquam sibi proprium vendicat, & tanquam singulare iustitiæ decus vsurpat.

Act. *Lect. Græc.* *D. Leo.*

Iesu adinuẽtio, abiectionis populi Iudaici permissio. 21. Aliter, & quidem congruenter adinuentiones IESV poteris interpretari, si dicas illius adinuentionem extitisse permissionem repudij Iudaici populi, hoc enim profundum, & arcanũ consilium nactus est IESVS in studiis insectantium Iudæorum, vt ipsis abiectis, & ablegatis à regno, & hæreditate Sanctorum, Gentes intrarent. Similis prædictio continẽtur apud Micheę cap. 2. v. 7. *Aut tales sunt cogitationes eius.* LXX. legunt: *Adinuentiones eius.* Et S. Hieronymus lectionem explanat: *Hæ adinuentiones eius sunt quod offendit Iudaicus populus, vt plenitudo Gentium subintraret.* Et statim: *Si ergo adinuentiones, & cogitationes Dei sunt frangi priores ramos oliuæ, & inseri alios de oleastro, non debes insultare, sed timere ne corruas.* Hæc Doctor Maximus: iuxta quæ, fructum adinuentionum suarum comedere, erit ablegato populo Iudæorũ, Gentes constituere cohæredes regni. Vt dum vnum animarum cibum, nempe Iudæos respuit, alterum Gentium eligat & comedat.

Mich. Lect. Lxx. D. Hieron.

Viro iusto annexa tribulatio. 22. Si vero illam Vulgati sententiam: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* de viro iusto in vniuersum accipias cum Diuo Chrysostomo, aut de pie viuentibus in Christo, eiusque sectatoribus, & passionum æmulis, quibus in hac vita data est stipulatio tribulationum; pulcherrimum theorema Christianæ Philosophiæ proponitur, bona indesinenter operantibus, & mala perpetientibus; iis, inquam, qui in virtutis stadio currunt, asceticisque exercitationibus insudantes, carnem macerantes, & excruciantes, coërcendis cupiditatibus, inhibendis animi motibus noua studia, inuenta, & cõsilia excogitant, illud effatum enuntiat reponendum in intimis præcordiis, & accuratè exarandum in tabulis cordis: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* Etenim bonorũ laborum gloriosus est fructus. Qualis autem sit ille fructus non aperit, quia omnis lingua per cameram palati sæpius volutata hæsitans balbutie, si aperire velit, qualis sit merces seruata iustis. Si verò legas iuxta Hebræum & Vatablum: *Dicite iusto quoniam bonum.* Immensum thesaurum in cælis repositum deprædicat decertantibus in iustitiæ agone. Bonum illud, in quo sunt omnia bona, & sine quo nihil est bonum; quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus timentibus se. Et in hac vita laborantibus bona est ærumna, vtilis aduersitas, bonorum fons persecutio. Optimum enim est pro Christo pati.

Noua inuenta patiendi magna mercede donantur. *Lect. Heb. Vatab.* *Bonum, & optimum, pro Iesu, & virtute amore pati.*

Cibi, & potus metaphora, iucunditas beata vita declaratur. 23. *Comedet.* Per cibi, & potus metaphoram, iucunditatem æternæ patriæ, & delicias aperit, quæ hominum auiditatem fortiter exacuunt ad fruitionem tanti boni. Quare nomine mensæ perpetua iustorum retributio denotatur. Et Apocalypsis cap. 2. vincentibus edere de ligno vitæ, repromittitur. Præterea in hac vita prouentus virtuosæ exercitationis est iucundissimus. De qua Vates alloquitur, nam sub amaro cortice, & austero integumento pœnitentiæ, certaminis, laboris, dulcissimus nucleus & medulla virtutis pretiosissima latitat, quem cibum suauissimum vescum animæ degustant, qui exantlatis laboribus ardua virtutis fastigia scandunt; nanciscuntur enim alimentum quoddam nectareum, quod omnes animæ appetentias compleat, & suos alumnos recreet inexhaustis deliciis. Ipsa denique virtus adeo hilaris & iucunda cum tenetur, vt ipsa suis amatoribus pro mercede laborum sufficiat.

Laborum, & virtutis in hac vita dulcissimus fructus.

Pro malorũ mensura pœnarum retributio respondet 24. *Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.* Repetitio est prioris sententiæ Vulgati. ex vers. 9. desumpta. Præsens comma transfert S. Cyrillus: *Mala pro operibus manuum ipsius euenient ei.* Et Sanctus Chrysostomus sententiam expendit luculenter: *Vides vt semper à nobis dimensiones proueniant pœnæ vindicis peccatorum & principes causæ.* Eadem mensura, qua malitiam suam erga IESVM mensurarunt Iudæi, eadem remetietur eis. Sapienter Cyrillus ait: *Nam vt Iesum Pilato, & indomitis militum furoribus abiecerunt, ita & ipsi, inquit, Romanis copiis tradentur.* Flagellauerunt Dominum, & ipsi flagellati: Christum tradiderunt Romanis, traditi sunt & ipsi Romanorum armis: Illusere Domino, ipsi facti sunt Romanorum opprobrium: Cruci affixerunt Dominum,

D. Cyr *D. Chrysost.* *D. Cyr.*

Digitized by Google

num, in crucem acti, & excarnificati sunt à Romanis. Secundum dimensiones iniquitatum, mensuræ factæ sunt pœnarum. Ipsis namque sceleribus iniqui suarum animaduersionum mensuram formant, & super se extendunt.

Aduersus Judam traditorem flebilis comminatio proponitur.

11. *Væ impio in malum.* Non iuxta numerum multitudinis, sed in singulari intonat illud lugubre væ: quare non erit dissonum veritati, si ad litteram vaticinetur Isaias Iudæ vecordiam, & insaniam, flebilique voce deploret illius improbitatem, & furorem in tradendo Magistro; ipse namque consilium initum contra IESVM promouit, addiditque calcaria Scribis, & Pharisæis, vt iudicium capitis aduersus Seruatorem proferrent, eique adiunxit suum suffragium. *Væ impio.* Respondet Euangelio Matthæi cap. 26. v. 24. In quo Iesus illacrymabiliter lamentatur Iudæ procacitatem: *Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur.* Hæc de litteræ commentario.



LITTERÆ SVPERIORIS ORNATVS I.

Quoniam consiliauerunt consilium pessimum.

DISCVRSVS I.

In concilijs Iudæorum, & causa mortis, IESVS quos habuerit iustitiæ suæ patronos, innocentiæ suffragatores?

1. IN illis iniquissimis cœtibus, quos odium, & inuidia Iudaïca conflauit aduersus IESVM, licet vniuersorum calculo addictus sit morti, adiectis impudentissimis probris, quæ diabolicus furor suggerebat identidè, & effutire cogebat per ora & guttura maleolentiora, quàm patula sepulchra, non defuerunt cordati viri, Senatores præclari, Magistratus integerrimi, qui tuitionem, & patrocinium susciperent IESV; ex quorum constantia, & probitate flecti nescia ad adulationem, & nequitiam, immane Iudæorum flagitium insolentius sese ostentat. Vtrorumque aduersa ingenia tanquam in vmbra quadã proponit liber Numer. cap. 16. vbi duos cœtus, & diuersa consilia è regione diffidentia institutis, & moribus, proponit ante oculos Moyses legislator, cum Core seditionis caput, & tumultus insurgit aduersus Aaron, ambitu quodam supremi apicis correptus, vt ab illius temporibus præripiat tiaram, sese ingerat in sancta, & Pontificalẽ functionẽ adolendi thymiamatis, insanis ausibus vsurpet. De hac improborum cõgregatione dicitur ibid. v. 2. *Surrexerunt contra Moysen, aliyque filiorum Isael ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore concily per nomina vocabantur.* Et v. 6. *Tollat vnusquisque thuribula sua, tu Core, & omne concilium tuum.* Rursus ibi globus & congregatio Leuitarum statuitur, quibus erat iniunctum Pontificium munus, & è thuribulo euaporare suffitum coram Domino. Improbitatis auctores pœnas subeunt, & quidem commeritas suis sceleribus: Terra enim dehiscente, viui absorpti sunt Core cum suæ factionis principibus, ipsaque thuribula in laminas ductiles conflata posita sunt in signum rebellionis sceleratorum, vt essent monimentum nulla temporis iniuria abolendum filiis, & posteris Israël. Quid præseferat illa rebellium manus insidias parans Leuiticis infulis? Quid Aaron ab improbis insectatus turgenti fastu ambitiosæ iniquitatis, præclarè proponit Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 9. de adoratione, scribens: *Illud culturæ legalis altare irritationis, atque contradictionis, conspirationis eius denique, vt ita dicam, quæ aduersus Sacerdotem summum facta est, veluti monimentum quoddam esse atque prædictionem in ipsa altaris constructione positam, mysticè, & dispensatiuè significatur. Non ne tibi figura perspicua est? Christi namque figuram tenet Aaron. Aduersus autem Christi gloriam, contentione summa Iudæi quoque certarunt.* Figura quidem perspicua est, illud altare conspirationis, thuribulaque ænea in laminas fusa tinnitum edunt, & admonitionem præclaram concitatæ cohortis aduersus Summum Sacerdotem IESVM, & conspirationum & cœtuum iniquorum, à primoribus Sacerdotum, & Scribarum coactorum, vt IESVM de medio tollerent. Sed tunc supremus iudex censoria virgula verum Sacerdotium superna electione firmatum ab affectato, & per vim intruso discreuit, sub alarum suarum velamento protegens Aaronem, & eius filium Eleazarum, addente tutamen in primis Moyse, & diuinam tutelam tum prodigiosis animaduersionibus prædicante, vt inter tot aduersantes, & irritantes non deforent suffragantes cælesti calculo, pontificio muneri. Sapienter ergo prædixerat idem Cyrillus: *Aaron enim virum illum admirabilem, cælesti suffragio sacerdotem ac principem electum fuisse, Sacræ literæ testantur. Core tamen, & Dathan eorumque sociorum effrenata illa multitudo contra supernum illud decretum petulantissimè obnixa,* &c. *Ac Sacerdoti principi ex vniuersis lecto, nimis præcipiti furore suam amentiam, atque audaciam opponerent. Designabatur autem hoc facto futura aduersus Christum Iudæorum audacia, ipse enim est noster summus Sacerdos, qui ad hoc dignitatis culmen Patris suffragio est prouectus: atque illi quidem conatuum adeo turpium pœnas dederunt, dabuntque etiam post eos Iudæi, cùm iisdem criminibus teneantur.* Habuit Aaron in illo seniorum improbo concilio supernum Dei calculum, qui tutoris & curatoris Aaronicæ iustitiæ, & gloriæ certamen, & munus suscepit: Moyse mediante, & patrocinij causam suscipiente. Habuit quoque IESVS noui Sacerdotij infulis decorus in Iudaicis conspirationibus, & iniquissimis senatusconsultis sceleratissimis, omnium ordinum ad defendendam suam libertatem, & dignitatem celebratissimos defensores, & patronos, quos iam subiicio.

Num.

Seditio filiorũ Core aduersus Aarõ conspirationem Iudæorũ aduersus Christum denotat.

D. Cyr. Alex.

D Cyr. Al.

Aaron cælesti calculo pontifex declaratur, & Iesus paterno suffragio summus pontifex proponitur.

Habuit Iesus in causa mortis celebratissimos patronos.

2. Primus ordine & pietate erga Iesum inter primarios viros computandus sit ille, qui ab vtero matris in hanc lucem egressus est orbus oculorum luminibus. Et egregius disceptator factus est innocentiæ. Cùm enim illiti essent oculi luto, & repletæ visus splendoribus caliginosæ & siccæ lacunæ, deductus est ad Pharisæo

Cæcus à natiuitate primus pro Iesu disceptator.

Pharisæorum cœtum, vt iis prodigij rationem malitiosè inculcantibus, & contradicentibus, Deitas sanatoris, & immensa potestas, reducti ad huius lucis vsuram argumentosa pietas, mirabilis fidei argutia, & in patrocinando Saluatore solertia, tum etiam iudaica cæcitas, & peruicacia Iudæorum panderetur. Semel & iterum repetitis percontationibus perscrutationes instituunt diuini miraculi, vt Seruatori detrahant. Ioann. cap. 9. vers. 26. *Dixerunt ergo illi quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi vobis iam & audistis: quid iterum vultis audire? Numquid & vos vultis discipuli eius fieri?* Vidisti exultantis antea inopis fiduciam, vidisti libertatem? Vnus, & solus, & mendicus, & pannosus cum Pharisæorum manu potentia, & dolo instructa, impauidus decertat, hamata verborum spicula retundit fidei clypeo, & in aduersarios resilire facit. Quam validus patronus veritatis, & diuinitatis Christi cæcus iam illuminatus testimonium perhibens de Sole ipsum clarificante, ipsiusque penetralia complente fidei, & sapientiæ candidis splendoribus, oculosque cæcorum cespitantium Pharisæorum perstringente. Placidissimè fluit in hoc euentu ex ore aureo dictionis aureum flumen tomo 6. homilia de cæco à natiuitate scribit perelaganter: *Ac vide pietatem patroni. Cum Iudæorum malitiam animaduertisset, eosque nihil non agere ac simulare, vt ei metum incuterent, ne Magistrum illum confiteretur, ait illis: Numquid & vos vultis discipuli eius fieri? Confiteri se discipulum esse indicauit.* Et statim: *Quasi diceret: tantum abest vt me de sententia dimouere possitis, vt ego vos sperem potius de sententia dimotos Christum ipsum confessuros.* O admirabilem patronum, & aduocatum in disceptatione Christianæ dignitatis! Non iura euoluerat, non leges audierat, cæcus, indisciplinatus, sed iam in disciplina æquitatis, & in diuina sapientia intus edoctus, mirabiliter instructus, omni sapienti, & prudenti sapientior in Pharisaica schola in controuersia diuinitatis, & Messiatus Domini IESV ab ipso eruditus tutelam suscipit. Cerne in argumentatiunculis improborum Sophistarum non tergiuersationem, sed eis intrepide occurrentem: perpende quo modo a captiosis, & subdolis propositionum callidibus sese subducat, obtenta semper palma victoriæ, tutoris, & suffragatoris Christi corona, & lauro cinctus. Et ibidem os aureum mille salibus plenum, & leporibus cæcum ipsum quasi acerrimum propugnatorem thesium fidei, & præsidem eius, ipsum Deum, tot aduersantium impiorum phalangas Diuini verbi gladio imperterritum profligantem, proponit: *Cogita quænam esset aduersariorum potentia, & quænam vnius potentia qui contradicebat. Neque siluit rursus patronus veritatis, sed inquit: Hoc enim mirabile est, quod vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam. Stabat decertans, & spectator erat, ac certaminis præses Deus: multi formidabiles aduersus vnum robustum, nubes infidelis aduersus vnam fidei guttam.* Iam cæcus fidei quàm oculi luminibus illustrior, instruebat Martyres in concilio tyrannorum impauide profiteri veritatem, non timere; & experimento compereret, quod dabatur in illa hora quid loqueretur; nec enim ille erat qui loquebatur, sed spiritus patris sui, qui habitat in cælis. Dignus plausu subselliorum, & ouatione cæcus, qui ineptas argutias vel leui flatu tanquam inflatas aquarum ampullas dissoluit, & dilemmatibus sacris Iudæorum sapientes comprehendit in eorum astutia, & cœlestium sententiarum nexibus illaqueat, & deuincit. Rursus Pharisæi cœtum congregant, se ipsos ad conciliabulum arcanum conuocant, foras expulso veritatis defensore. In eodem Ioannis capite versu 34. *Responderunt & dixerunt ei: in peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.* Risu, & sibilo dignissimus Magistrorum Senatus, qui irrefragabiles cæci argumentationes non valet effugere, neque enim euasioni vllus est locus, vbi fidei certat lumen, cuius iubar luscus Iudæorum obtutus sustinere non valet. Fugam, & latebras quærit perfidia, vt pudibundis ignorantiæ operimentis in æternum sepulta conticescat. Intuitus est cæcum Chrysostomus expulsum à contubernio malignantiū, lætissimo vultu, eumque amoris affectu amplexus, clamat: *Eiecerunt eum (inquit Euangelista) foras, beatus qui ablegatus est à consilio malignantium.* Hæc ille.

3. Sed iam instante Christi morte, & sententia capitis à præside Pilato decernenda, eius vxor protectrix innocentiæ Christi adstruitur. Cuius testimonium profert Sanctus Matthæus Euangelista cap. 27. vers. 19. *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Non solum viri, fœmina quoque patrocinatur Saluatori, vt ipsius integritas ab vtroque sexu testimonium acciperet; nec æquum erat quòd muliebris pietas, quæ ferociores ad clementiam solet inflectere, in Seruatoris patrocinio deforet; suauius enim vxor Pilatum ad sensum suum alliceret, & cohiberet à flagitio. Inconditis clamoribus Iudæi reum IESVM pronuntiant seditionis, & læsæ maiestatis; eo quod Deitatem affectaret, & sibi vsurparet imperium. Pilati vero fida iugalis iustum clamitat, vt rei, & vincti iustitia constaret ex nobilioris fœminæ præconio. Eam namque Sanctus Angelus, iuxta plurimorum Patrum sententiam, variis spectris, & visis formidandis territat, vt tuitionem susciperet IESV. Quare illud effatum muliebre: *Nihil tibi & iusto illi:* expendit Sanctus Thomas dicens: *Idest, non pertinet ad te iudicare, immo ipse debet esse iudex tuus. Actuum 10. qui constitutus est iudex viuorum, & mortuorum.* Ipse enim est qui stat, & præsidet in Synagoga Deorum, & ipsos Deos diiudicat. Vxor præsidis supremum Dominum, & iudicem agnoscit, & prædicat: Nec detrimentum honorificæ dignitatis Christi patitur, licet subeat mariti zelum, & inuidiam. Pulchrè Pater Barradas tom. 4. lib. 7. cap. 5. inquit: *Sed quorsum Deus per Angelum Pilati vxorem spectris vexauit: Respondetur, vt innocentiam Christi profiteretur, & Pilatum ad eamdem profitendam impelleret.* Vnde acclamantibus Iudæis contra IESVM: *Crucifigatur. Ait illis præses: quid enim mali fecit.* Matthæi cap. 27. quæ

D.Ioan.

D.Chrysos.

Cæcus suada la mirabili satagit Pharisæos ad Christum reducere.

Cæcus suscipit tutelam Deitatis Iesu.

D.Chrys.

In certamine pietatis cæcus luminibus restitutus, habet præsidem Deum.

A consilij arcano Pharisæi cæcum excludunt. D.Ioan.

Beatus cæcus cum ablegatur à consilio malignantium. Vxor Pilati innocentiæ Christi protectrix D.Matth.

Vxor præsidis latum Iudicem omnium agnoscit. D.Thom.

Barrad. *Spectris vexatur per Angelum, vt innocentiæ Iesu susciperet patrocinium.* D.Matth.

Digitized by Google

Pilatus iuxta suggestionem uxoris respondet erga Iesum placabilis.

quæ verba inculcans Hieronymus subiungit. *Iuxta suggestionem uxoris, quæ mandauerat: Nihil tibi & iusto illi. Ipse quoque respondit: quid enim mali fecit.* Vxorium monitum, & placitum altas fixerat radices in pectore mariti, vt ipsum retardaret à iusti damnatione, & omni nisu à iudicio capitis eripere cogitaret Saluatorem. Nec contemnenda est hoc in loco annotatio Caietani: *Vbi nota quod nullus, nullave expendit minimum verbum in fauorem IESV toto tempore Passionis, nisi vxor Pilati, & ipse Pilatus. Quorum neuter credebat in IESVM, sed ambo erant Gentiles. Et neuter incitatus fuit ab aliquo, aut aliqua pro IESV: sed vxor a somnio, Pilatus ab ipsa iustitia, & nota inuidia primatum.* Nec inhonoratam aut mercede orbatam reliquit Deus hanc profusam vxoris pietatem, eam conuersione, & fide in IESVM abunde remunerat; ipsa enim testificatione integritatis in vita, & moribus Christi morituri, vitam sibi consciuit æternam, & ex ipso innocentiæ fonte, & puritatis fulgor emicuit gratiæ in pectus fœmineum, qui tenebras dispelleret errorum, & associaret Christo. Audiendus est Theophylactus in Matthæum rationes assignans cur huiuscemodi terriculamenta obuersata sint animo non viri sed fœminæ: *O miraculum (inquit) qui iudicatur, vxorem eius terret! Ipse autem non videt somnium, sed vxor, vel quod ipse indignus erat, vel quod fides ei non fuisset habita, sed visus esset ad gratiam loqui: Fortassis etiam tacuisset talia, cum esset iudex. Prouidentia autem opus somnium factum, non vt absoluatur Christus, sed vt seruetur vxor.* Speciosam excusationem, & ridiculum commentum existimarent Iudæi timorem iudicis à similibus visis somno correpti prodeuntem, nec facile crederent illius somniis, sed vana insomnia aut phantasmata dicerent. Ideo metus iniicitur fœminæ, cuius pectori pauor strictius hæret, vt virum metu percelleret, & à præcipiti iudicio hoc forti retinaculo compesceret. Salus ergo propria inchoatur à fœmina eamdem exoptante viro. *Sed vt seruetur vxor.* Vt quæ crimen, & pœnarum reatum in mundum inuexerat, iam Christo patiente virorum incolumitatem, & salutem inchoaret. In postremis verbis Bulgariæ Antistes seruatam à damnatione vxorem Pilati indicat. Transcribam fideliter quid de ea recenseat Iulianus Petrus Archipresbyter Sanctæ Iustæ in aduersariis, numeris 303. & 310. *Claudiam Proculam vxorem Pontij Pilati domo Lugdunensem, post obitum viri secutam discipulos Sancti Petri prædicantes in Paphlagonia iam senem, & ætate confectam anno LXXIV. 10. Martij passam cum aliis mulieribus illustre pro Christo Martyrium, sicut & Christus in somniis per Angelorum ministeria prædixerat, testantur annales veteres.*

Caietan.

Nullus expendit minimū verbum tēpore passionis pro tuitione Iesu nisi Pilatus, & illius uxor. Testes fideles à nullo incitati.

Theoph.

Cur Pilatus non videt somniū, sed eius uxor?

Somnium factum, vt seruetur vxor. Salus à fœmina inchoatur.

Iulia. Petr.

Claudia Pilati vxor sancti Petri discipulas sectatur. Illustre pro Christo martyrium patitur.

4. *Hanc ab Apostolis baptizatam, & dum Spiritus sanctus venit, cum aliis mulieribus illum accepisse, & Beatæ Virgini charam fuisse, cum illaque conuersatam, nonnulli dicunt.* Hæc Iulianus & quidem eruditus antiquitatum peruestigator, penes quem prædictorum stabit auctoritas. Cui suffragari videtur Flauius Lucius Dexter anno Christi 34. num. 2. dicens: *Claudia Procula vxor Pilati admonita per somnium, in Christum credit, & salutem consequitur.* Vt remaneret honorum, & remuneratum gloriæ æternitate, Proclæ in asserenda Christi innocentia suffragium.

Beatæ Virginis familiaritatem promeruit.

Flau. Dex.

Claudia patrociniū pro Christo susceptum gloria remuneratur.

5. Vxori Proclæ copulemus in adstruenda Seruatoris innocentia suum maritum, Pilatum nempe, qui in iudicio publico aduersus Iudæos accusantes, & contradicentes, integritatem Saluatoris totius criminis expertis, non semel testatus est: Et licet morti eius conniuentem se præstiterit, mollemque Magistratum, & timore perculsum, accusationem illorum refutauit, & Christum innocuum à flagitio palam ostendit: iccirco manus lauit. Matthæi cap. 27. *Accepta aqua, manus lauit coram populo, dicens: innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Fecit hæc iuxta priscum morem, nam vt testatur Clemens Romanus lib. 2. constitutionum Apostolicarum cap. 52. *Qui sententiam mortis in reum pronuntiaturus est, sublatis manibus aduersus solem, se innocentem ab illius sanguine contestatur.* Habebant quoque lustrationem suam inuoluntariæ cædes, vt refert Dionysius Halicarnasseus lib. 3. *Iussit Horatium expiari ijs lustrationibus, quas inuoluntaria cædi præscripserunt leges.* Quare Pilatus damnaturus non aliquem nocentem, & criminosum, sed quem ipse insontem putabat prospexit innocentiæ tam suæ, quàm Christi, & aquæ lauacro innocentem & iustum Christum publicè professus est. Sapienter Sanctus Hieronymus in catena Sancti Thomæ citatus, scribit de lotione manuum Pilati. *Quodammodo in hoc contestans, & dicens: Ego quidem innocentem volui liberare, sed quoniam seditio oritur, & rebellionis mihi contra Cæsarem crimen impingitur, innocens sum à sanguine iusti huius. Iudex ergo qui cogitur contra Dominum ferre sententiam, non damnat oblatum, sed arguit offerentes: iustum esse pronuntians eum, qui crucifigendus est.* Habemus itaque iudicem in vna eademque sententia quod insontem damnat inique, & iniustè, & ipsum prædicat innoxium. Adhuc tamen de pietate & timore, quem de consorte sua hauserat, non exuitur post interitum Christi, nec scintillulam compassionis extinxit; sed eam iterum reaccendit, & testimonium præclarum vitæ Christi ab omni piaculo immunis, & actorum eius humanum captum superantium, ad Tiberium Cæsarem transmisit, vt testis est Eusebius Cæsariensis lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. cuius verba refert Haymo Episcopus Halberstattensis lib. 2. rerum memorabilium cap. 9. *Interea cum de Domino IESV Christo circumquaque fieret rumor, Pilatus de mirabilibus eius, & Resurrectione Tiberio Principi refert, & quod beatus à plurimis crederetur. Mos quippe erat apud Romanos, vt si quid noui Prouincijs accidisset, Imperatori, vel senatui nunciaretur.* Eadem recenset Tertullianus in Apologetico, Et Nicephorus lib. 2. historiæ cap. 8. Baronius anno Christi 34. & Tertullianus ipse in Apologetico cap. 21. Relatis omnibus Christi prodigiis, & facinoribus prælatis: *Ea omnia super Christo, Pilatus & ipse iam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tum Tiberio nuntiauit.* Augustinus quoque sermone 3. de Epiphania indicare videtur Pilatum salutem adeptum. Id tamen expressè affirmat Iulianus Petrus in aduersariis num. 312. sed caute in hoc legendus. Quare ex dictis non eximimus Pilatum à crudelitate, & impiissima

Pilati in adstruenda Iesu innocentia, nobile suffragium.

D. Matth.

Clem. Rom.

Iudices pronuntiaturi sententiam mortis, aduersus solem lauabant manus.

Dion. Hali.

Inuoluntariæ cædis expiatio.

Pilatus aquæ lauacro, innocentiam Christi profitetur.

D. Hieron.

Euseb. Cæs.

Haym.

Pilatus ad Tiberium imperatorem mirabilia Iesu transcripsit.

Romani si quid noui in prouinciis accidisset imperatori, vel senatui renūtiabāt.

Tertul.

Niceph.

Baron.

D. August.

Iuli. Petr.

Pilatus non est saluatus.

Digitized by Google

sima nequitia in traditione Christi ad necem; imò asserimus omnino temerarium, & iniquum erga virum, quem iustum compererat extitisse; nec calculum adiicimus album suæ saluti; potius nigrum in vrnam suæ sortis coniicimus; iniquorum, & impiorum morte miserabiliter periisse asserentes. Etenim relegatus exilio inter laborum, & calamitatum procellas iactatus, nullam tenuit spei anchoram, sed potius coarctatus angustiis in desperationis barathrum incidit, pugione in visceraadacto, impiam efflauit animam. Testes sunt Eusebius Cæsariensis, & Cassiodorus in Chronicis. Ado Viennæ Episcopus in Chronico ait: *Pilatus qui sententiam damnationis in Christum dixerat, & ipse perpetuo exilio Vienna recluditur: tantisque ibi, irrogante Caio, languoribus coarctatus est, vt sua se transuerberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæsierit.* Idem recenset Orosius libro 7. capite 5. & approbat Cardinalis Cæsar Baronius tomo 1. anno Christi. 41. numero 10. Et eruditus Biuarius Cisterciensis in commentariis apodicticis ad Flauium Dextrum anno Christi. 38. ad numerum 2. vt prædictum Isaiæ vaticinium, & effatum comminatorium Pilato consonet, & veridicum adstruamus experimento miserandæ necis. Illud enim iaculum minis exacuminatum: *Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.* Pilati pectus transfodit insanabili vulnere. Et vaticinium tot ante retro sæculis fulminatum, in eius interitu accepit complementum. Manus iniqua, quæ furentium Iudæorum consilio de nece Christo inferenda subscripserat retributionem accepit, vt aduersus semetipsum, & animam suam proferret iudicium, sententiam, & decretum mortis suæ exararet non atramento, sed sanguine, pro calamo cultrum sufficeret, quo impiissima victima litaretur orco. Sic improbitas semper ad interemptionem sui auctoris armatur, ipsa eius testis, & incorruptus iudex, & mortis crudelis exactrix.

Improbus, & temerarius extitit in damnatione iusti.

Pilatus pugione pectus suum confodiens, mi. periit.

Euseb. Cæs. Cassiod. Ado.

Perpetuo exilio ante mortem mulctatur Vienna.

Oros. Baron. Biuar.

Pilati manus, quæ iudicio mortis Iesu subscripserat; aduersus corpus & animam suam sententiam protulit suo sanguine.

6. Sed redeamus ad pensum: Inter defensores integritatis Christi numerauimus Pilatum, cùm apertam, & publicam professionem eius indemnitatis vulgauit coram Iudæis, & manus lauit; Hac tamen protestatione non se exuit criminis reatu, sed fortius obstrinxit, nec lauit manus, sed inquinauit. Audiendus est Sanctus Maximus hom. 1. *De accusato, & iudicato Domino apud Pilatum.* Vbi iniquum iudicem improbitatis suæ manifestis argumentis conuincit. *Hic autem iustum sanguinem & confitetur, & tradit. Quid enim profuit, testimonium perhibuisse innocentiæ, & velut reum addixisse nequitiæ, nisi quod grauius peccatum est, vnum eumdemque, & pronuntiare iustum, & tradere criminosum? Ipse enim iniquitatis suæ testis est, qui ore absoluit, & ore condemnat. Lauerit licet manus suas Pilatus, tamen sua facta non diluet: Et quamuis abstergere se putauerit iusti sanguinem de suis membris, eius tamen sanguine mens eius tenetur infecta; ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Iudex enim constans, & bonus, ne sanguinem innocentis addiceret, nec inuidiæ cedere debuit, nec timori.* Poterat Pilatus assentire Iudæis accusantibus Christum, & confictis criminationibus tacendo conuiuere, vt iuxta allegationes hostium sententiam mortis decerneret, & iuxta normam forensium iudiciorum, ex accusatione criminum proferens iudicium, integrum iudicem, reuera personatum, hominibus se ostenderet; nec postea refutationem, aut vituperationem humanam Cæsaris sententia pateretur. In hoc tamen vis diuinæ veritatis eminuit, quæ ab iniquissimo iudice, à cuius pectore exularat veritas, mollicie quadam vani timoris eneruato, vel vltroneo, vel inuito, testimonium sanctimoniæ Christi extorsit. Cùm iustum fatetur, ex ore turpissimo præconium Christi intonat, hoc tamen non alleuiat, & imminuit crimen, sed auget, & aggrauat; fauorabilius apud homines esset ei, pronuntiare reum, & inferre supplicium, quàm pro tribunali pronuntiare insontem, & infamis necis præscribere damnationem. Si flagitiosus est, iuxta legum tuarum præscripta moriatur; si insons, & totius immunis delicti inuentus, post malitiosum, & exactum scrutamen vitæ, cur damnas morte turpissima, qua facinorosi, fures, & vitiorum omnium colluuiones solent plecti? O iustitiæ laruam! ô hypocritam clementiæ! ô subdolam scorpionis mentem! ore approbat, factis reprobat. Vultu blanditur, cùm commiserationem prætendit, sed omni fera truculentior rabiem exacuit perfidorum, & crudelissimæ necis inferendæ tota in ipsum refunditur auctoritas. Sed relinquamus Pilatum, cuius manus licet ablutæ aqua, inquinatæ sunt Christi cruore, & inexpiabilibus Deicidij fæcibus sordescunt.

D.Maxim.

Pilatus testimonium protulit Christi innocentiæ, & tanquam reum addixit pœnæ.

Quì ore absoluit, & ore condemnat, improbitatis suæ testis est.

Aqua se proluit, sed profusione sanguinis Christi inquinatur.

Constans iudex nec inuidiæ debet cedere, nec timori.

Si Pilatus iuxta allegata à Iudæis, Christum damnaret, apud homines, personatus iudex melius audiret.

Veritas ab inuito pectore testimonium sanctitatis extorsit.

Pilatus iustitiæ larua, & hypocrita clementiæ.

7. Prodeat in medium vt suffragetur Christo patronus quidam valdè eximius, & celeberrimus, qui Deitatem innocentiam, & Regiam Christi dignitatem de Crucis solio, & suggestu prædicauit. Sanctus nimirum latro, qui principibus Sacerdotum, & scribis circum gyrantibus Crucem, & IESVM in ea suffixum blasphemantibus, & exsibilantibus, & sententiam damnationis gestibus inconditis approbantibus; Sanctus Latro compassione affectus, timore correptus, pœnitentiæ stimulis magis quàm clauis compunctus, Saluatoris patrocinium suscipit, & contra turbam impiorum impudentissimè deblaterantium aduersus vitam, facta, verbaque Saluatoris, in patibuli stadio præclarè decertat. Audi quæ ex ore illo olim fœtido turpes eructante cantilenas, ad omne flagitium & furtum admonitorio; omni plectro suauius resonent verba, omni dulcedine, & sapientia plenissima. Lucæ capite 23. versu 40. *Respondens autem alter increpabat eum, dicens: neque tu times Deum quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: Hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad IESVM: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* In celebrando huius latronis suffragio, quo Christi probatur Deitas, & puritas, non calculo, aut tabella, sed voce, & sanguine dato, totam suam delinificam,

Sanctus Latro de crucis subsellio Deitatis, & innocentiæ Christi patronus extitit.

D.Lucas.

D. Chryſ.

cam, & ſuadam facundiam Sanctus Chryſoſtomus expromit, tomo. 6. homilia de cæco à natiuitate, fatus: *Principes Sacerdotum, & ſcribæ, qui Prophetarum lectione commoniti, Chriſtum debuerant confiteri, confeſſi non erant, inexpectatum os aperuit Deus in Cruce, quod veritati patrocinaretur. Ac vide quid faciat: vbi primum Chriſti vocem audiuit, patrocinatur, ac deinde coronatur.* Et recenſitis Euangelicis verbis ſuperius allegatis ſubiungit: *Quid ais? qui foris furabaris, hic condemnas? Qui foris occidebas, hic timorem doces? Cognoſce Chriſti Crucem, vt vox iſta te doceat pietatem. Vide namque rem miram, latro ſocio latroni dicit: neque tu times Deum? Deum ipſum prædicauit, qui cum illis vltro crucifixus erat, ac toleranter pro humano genere patiebatur.* Et ſtatim ait: *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum. Vidiſti verum patrocinium? Vidiſti, vt verum Chriſtum ſit ipſum confeſſus? Memento mei cùm veneris in regnum tuum. Mala propria, confitetur, & Domino patrocinatur.* Iuxta Chryſoſtomum, ſublimem aduocati functionem, ſubit latro de Crucis ſubſellio; oréque Iudaico impactum Chriſto auertit omne flagitium, lepido eloquio, mirabili dexteritate, & ſapientia. Quæ teſtes falſitatis in concilio iniquitatis concinnarunt maledicta, & ſychophantias, eaſdémque IESV in Cruce pendente, poſtrema accuſatione redintegrant, latro diſpulit. Earum ſummam Euangeliſtæ recenſent: quod filium Dei ſe fecit, & ambitu quodam imperitandi correptus dominationem affectauit, temporale regnum Iudæorum vſurpans. Audi quid effutiant linguæ impudentiſſimæ à dæmone actæ. Matthæi cap. 27. verſ. 40. *Si filius Dei es, deſcende de Cruce. Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum ſcribis, & ſenioribus dicebant: alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si Rex Iſraël eſt deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei.* Itaque tota IESV cauſa verſatur in præclaris inſignibus Regis æterni, & filij Dei; à Iudæis verò nec filius aſſeritur, neque Imperator creditur, nec omnipotens, ſed inualidus, & à Deo deſtitutus prædicatur. Hanc calumniarum telam à Sacerdotibus, & ſcribis confectam latro retexit, eorúmque ineptias inſanas reſpuens, validiſſimis argumentis refellit. De Crucis cathedra inauguratus Theologiæ laurea, & diſciplina, diuinitatis Chriſti præclarus aſſertor eſt: *Deum ipſum prædicauit.* extollit quoque mirificis præconiis illius imperium, & regnum, & à ligno regnantem recognoſcit cuius morti compatiuntur, cuius nutui parent omnia elementa, & lucernæ viſibilis machinæ. Hac fidei profeſſione mirabili, impudentium phariſæorum ora conſuit, & legis doctores confundit. *Inexpectatum os aperuit Deus in Cruce quod veritati patrocinaretur.* Et: *vidiſti verum patrocinium.* Caligine impietatis obducta Iudæorum congregatione, patrocinium quærit veritas à latrone. Solutis, & impulſis à dæmone ſcribarum, & Sacerdotum linguis ad conuiciandum, & blaſphemandum, illigatis verò nexu validiſſimo, & mutis ad profeſſionem Deitatis Chriſti; ipſe IESVS exſoluit furis linguam, redditque diſertam ad fidei profeſſionem, iſque aſſociatus ſupremis cœlorum poteſtatibus proclamat, Chriſtum Regem Regum, & Dominum dominantium. Quam validum verò teſtimonium in illis verbis profertur: *Et nos quidem iuſte: nam digna factis recipimus. Hic verò nihil mali geſſit.* Quod Chriſtus purus ſit & innocens, quod neminem læſit, qui totius expers delicti, nec affinis eſt culpæ, ſed inculpatus, incontaminatus. Nec præiudicium patitur à latrone præconium, cùm non iam latro ſed præco; cum nullius hortatu, ſed ipſius veritatis impulſu, & fidei diuinæ auctoritate, ipſius IESV, quem habemus apud Patrem patronum, factus eſt aduocatus. Quid? In ipſo Crucis tribunali innocentiæ Chriſti factus eſt iudex. Pulchrè Chryſoſtomus in catena ſancti Thomæ ſubiungit: *Hic fungitur vice Iudicis condemnatus, & incipit de veritate cenſere, &c. Sed & Chriſtum pronuntiat innocentem cùm ſubdit: Hic verò nihil mali fecit. Quaſi diceret, nouam vide iniuriam honeſtatem damnari cùm ſcelere.* Hæc ille.

Inexpectatum os latronis in Cruce Deus aperuit, vt Chriſto patrocinetur.

Dominum Ieſum Deum prædicat.

Mirabile latronis patrocinium.

Scribarum maledicta omnia aduerſus ſeruatorem iactata, validè refutat.

Latro de Crucis cathedra, Theologiæ laurea inauguratus.

Apud Patrē patroni, latro factus eſt patronum.

D. Chryſ. *Latro Iudex integer, innocentia defenſor.*

8. Prædictis omnibus alium fideliſſimum teſtem diuinæ veritatis adiungo, celebratiſſimum Ioſephum Abarimathæum, cuius extat præclara commendatio apud Sanctum Lucam capite 23. verſu 50. *Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio vir bonus, & iuſtus: Hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat ipſe regnum Dei.* In cuius encomiis profuſus eſt Sanctus Ioannes Damaſcenus oratione de Sabbatho ſancto, inquiens: *O beatum meritóque celebrandum virum; verè nimirum Dominus ait: omnem arborem ex ſuis cognoſci fructibus. Bonus enim iuſtúſque cùm eſſet, non ſubſcripſerat conſilio, facinorique illorum. Reuera beatus ille vir fuit vt diuiniloquus Dauid ait: non enim abiit in conſilio impiorum, nec in via peccatorum ſtans fremuit, neque in cathedra peſtilentiarum ſedit, contra Dominum, contra Chriſtum eius, cum populis iniquis vana conſultans. Non dixit tolle, tolle crucifige eum. non erupit in verba ſceleratorum iſtorum, innocentis diuinique ſanguinis vltionem in ſe ſuámque progeniem accerſens.* Hæc Damaſcenus de inclyto illo viro Ioſeph non tam nobilitatis, quàm fidei, & pietatis inſignibus præclaro. Cui ſuum quoque teſtimonium adiungit ſanctus Hieronymus in catena aurea: *In alio autem Euangelio Ioſeph iſte Bulites appellatur, id eſt conſiliarius, & de ipſo quidam putant primum Pſalmum fuiſſe compoſitum: beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum.* Talis enim integritas animi, Iudaici cœtus reſpuens impietatem, protegens innocentiam Chriſti aduerſus mendaces calumniantium Iudæorum linguas, ſingularem Spiritus Sancti afflatum, & Regij Pſaltis diuinum melos promeruit.

Ioſeph Abarimathæus fideliſſimus teſtis paſſionis Ieſu. D. Lucas.

D. Ioan. Damaſc.

Ioſeph Iuſtus non conſenſit facinori Iudæorum, nec eorum conſilio ſubſcripſit.

D. Hieron. *Ioſeph inclytus conſiliarius.*

9. In quo catalogo ſuffragatorum Chriſti, & teſtium veritatis, meritò adſcribendus Sanctus Martyr Longinus Decurio nobilis, quem Metaphraſtes apud Surium ſubſequentibus encomiis celebrat. *Admirandus*

Sanctus Longinus in catalogo ſuffragatorū Chriſti recenſetur.

Metaph.

Digitized by Google

randus hic Longinus habebat Crucis custodiam sibi commissam cum suis militibus, signis autem, & prodigiis, quæ circa Crucem facta sunt, ad veritatem deductus, omni excusso metu, libere Christum ipsum, & Deum confessus est in medio synagogæ Iudæorum, verè dicens filius Dei est hic.

10. Addit postea à Pontio Pilato demandatam Longino cum suis commilitonibus custodiam sepulchri Saluatoris, & Resurrectione diuinitus peracta, visisque illius prodigiis, nec muneribus, & amplis promissis corruptum, impauide confutasse Iudæorum subdolas mentes pertinaciter obsistentes Resurrectionis Christi rediuiui gloriæ. Adiungit sequentia Surius ex Metaphraste: *Illi igitur ad Pilatum accedentes falsam dixerunt esse Resurrectionem. Verum non sic Longinus; sed mendacij quidem fuit præclarus confutator, verax autem testis veritatis, vt qui non sustinuerit calumniari Christum tanquam furto subreptum: sed lingua, & mente libera eum verum esse Deum prædicarit, & è mortuis esse excitatum affirmauerit.* Ibidem describitur furor, quo Pilatus, & Iudæi in Beatum Longinum debacchati sunt, itaut fuerit coactus exuere militarem togam, & cingulum dignitatis, abiicere, & voluntario multatum exilio longè à Ierosolymis peregrinatione suscepta laboriosam vitam ducere; quem subsequuta est Iudæorum inuidia; quorum industria, & insidiis Pilatus latitantem in rure paterno comprehendit, & capite obtruncat testis factus Euangelicæ prædicationis, suo sanguine veritatem signans.

Longino demandata custodia sepulchri, post resurrectionem Christi in audacia Iudæorum confutauit.

Surius Metaph.

Non sustinuit calumniari Christum tanquam furto sublatum.

Liberè Deum esse prædicauit, & à mortuis excitatum.

Longinus voluntario multatur exilio, & capite plectitur.

11. Verisimile est, vt censent Metaphrastes, & Baronius anno Christi 34. hunc esse centurionem, qui in Euangelica Sancti Lucæ enarratione promeruit illustre suæ fidei, & animositatis præconium capite 23. versu 47. *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens: verè hic homo iustus erat.* In qua sententia adducit Hugo Cardinalis illud axioma Chrysostomi: *Veritas à contrariis diuulgata magis effulget.* Erat enim vnus ex iis, qui assistebant IESV supplicio, & militibus Christum crucifigentibus imperitabat. Iraque viri illustres ex Iudæis, ex omni ordine, & gradu vel Christum Deum recognoscunt, aut consilio necis inferendæ suffragari recusant, aut illius innocentiæ se exhibent fautores: ex ærumnosis, & pannosis sapiens cæcus: ex facinorosis è sentina Reipublicæ latro: ex magistratibus, senatoribus, & Palatinis Pilatus: ex nobilibus, & curialibus, & consiliariis Iosephus ab Arimathæa: ex militari disciplina Longinus.

D. Lucas. *Quis fuerit Centurio?*

Hugo Card. *Veritas ab aduersariis promulgata, magis effulget.*


Viri illustres ex omni ordine, & gradu, Christum Deum prædicant.

***

Illius versionis, & litteræ ornatus secundus: *Quoniam consiliati sunt consilium pessimum contra semetipsos.*

DISCVRSVS II.

Cùm Pontifices, & Pharisæi colligunt concilium, cœtum congregant ad Iesu interitum; proprium excidium, & incendium vrbis statuisse immutabili decreto; veridica vatum prædicant oracula.



1. QVAM cæca, quàm insana flagitiosorum improbitas est. Eodem gladio, quo innocuo parat cædem, suis auctoribus comparat exitium; vnum telum malitiæ, vnusque ictus, quam plurimos prosternit, & iustum ad gloriam, & exaltationem; & iniquos ad opprobrium, & ruinam. Manus instructa liuore, & exasperatione aduersus iracundum, & conuiciatorem militat. Aduersus sua capita malignantium consilia Dei potestas, & prouidentia retorquet, & cum ex occasu iusti nancisci sibi videntur Reipublicæ tutelam, eodem ordine, & immutata dispositione stragem comparant. Coactis in consilium sacerdotibus, & scribis iustum conuiciantibus, & aduersus illum inique sæuientibus, & blasphemantibus, omnem comprehensionis, & necis paraturam decernentibus, quos fructus colligerent comedendos, nisi templi euersionem, ruinam Ierosolymæ, & à Domino repulsam, omnis gloriosi decoris iacturam? Hoc Vates prædicarunt futurum, & experimento proprij capitis comperiunt Iudæi, euentus ipsos vatidicis sermonibus mirabili consonantia respondisse.

Improbitas sibi parat exitium, & ruinam.

2. Prodeat in medium sanctissimus Vates Zacharias, qui inuolutis sermonibus ingratitudinem synagogæ prædicat, & illius repudium; sic enim ait c. 11 v. 8. *Et succidi tres pastores in mense vno, & contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me.* Apponit perelegantem similitudinem pastoris, qui diu noctuque inuigilat curando gregi, duabusque virgis clementiæ, & rigoris oues inhibet à noxiis pascuis, & pascuis, & ad ouile apricumque sinum, aut fontes aquarum reducit. Postea tanquam ab immansuetis animantibus sibilum, & ductum opilionis detrectantibus, remouetur, ouesque palabundas per campestria derelinquit expositas incursibus, & morsibus bestiarum. Illa verò sententia: *Anima eorum variauit in me.* Fontem indicat, & principium derelictionis gregis, vt qui antea erat dilectus pastori; nunc factus sit exosus, & inuisus. Explanant sensum LXX. interpretes: *Etenim animæ eorum rugierunt super me* Symmachus verò legit: *Et anima eorum inualuit in me.* Sanctes Pagninus ex Hebræo; *Anima eorum*

Zach.

Pastor Deus oues [illegible] in immanes belluas, & rugientes, commutatas, iuste derelinquit.

Lect. Lxx. Symmach. *Scribarum ferini rugitus aduersus Iesum.* Paguin.

eorum abhorruit à me. vel : *delectata est me.* Immanes belluas nuncupat scribas, & Pharisæos tanquam carniuoras feras in Christum irruentes; auaritia enim, & liuor in siluam frementium bestiarum immutauerat Ierosolymam. Apprime Sanctus Cyrillus Alexandrinus inquit : *Nihil enim ab immanibus belluis differentes, sæpissime in Christum irruebant, tandémque Pilato eum sistebant, vociferantes tolle, tolle crucifige eum.* Sicut enim feræ rabida fame concitæ pulmentum inuadunt frementes, & rugientes, sic in Iesvm irruebat factio illa impudentium scribarum, & deperditus grex Pharisæorum Iesvm de viuis tollere cupientium : apud Ioannem Euangelistam cap. 11. auscultabis eorum fremitus, & rugitus velut indomitarum Tigridum, & ferocientium Leonum : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si relinquimus eum sic,* &c. Sic enim instar belluarum feroces infremunt, & furiosi meditati sunt inania aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Nec solum infremuerunt horrisono clamore, sed præualuerunt inconditis vocibus clamantes crucifige : *Et anima eorum inualuit in me.* Exosus valdè, (inquit,) factus sum hostibus meis : *Anima eorum abhorruit à me.* Méque tanquam inimicum euersorem gentis suæ, proditorem patriæ, rebellionis concitatorem, detestati sunt. Quid mirum si Isaias colludens in verborum vatidicorum serie cum Zacharia, audiens animas eorum rugientes : *Anima eorum rugierunt super me.* iterum in luctus, & lamenta erumpat seséque excruciet, ac pertundat dicens : *Væ animæ eorum, quoniam consiliati sunt consilium pessimum contra semetipsos.* Cernebat enim Prophetali intuitu suammet salutem atrocius omni hoste, hoc inito consilio, ad perniciem deducturos. Quod & Zacharias consona voce minatur : *Et succidi tres pastores in mense vno.* Ecce germina pessimi consilij, en prouentus aduersus innocuum Saluatorem conciliantium. Quod mors tres principes de vita succidat, & velut comantes arbores, quæ suarum frondium ambitu gloriosè inumbrabant opulentam, & gloriosam Dei vrbem, crudele vastitatis Romanæ fatum eas amputet, & penitus excindat. Nomine trium pastorum primarios illius Reipublicæ viros, quibus demandata erat honorifica functio, accipit Eusebius Cæsariensis lib. 10. demonstrat. Euangelicæ capite 4. *Arbitror sic tres ordines eorum significari, qui olim populo Dei præerant, Regum, Pontificum, & Prophetarum: quoniam ab his tribus quasi pastoribus, omnia quæ ad illos veteres olim pertinebant, gubernabantur.* Et statim : *Merito tria illa dona, quæ quondam supra omne ornamentum ac decus, totam illam gentem ornabant, sublaturum se vno tempore minatur dicens, & auferam tres pastores in mense vno.* Cerne quàm vana, quàm infida, quàm dissona votis eueniant consilia iniquorum; qui omnem lapidem mouent, vt ambitioni, & auaritiæ suæ prouideant; cùm in obsistentem suis conatibus Christum offendunt, electum angularem reprobarunt lapidem, qui super eos cadens, eos opprimens iure disperdidit omnia gloriæ Iudaicæ decora. Formidabant principes Sacerdotum amittere honorificos apices, & dominatus infulas, & ideò consilium inierunt contra Iesvm vt ipsum interimerent; ipsum in ligno suspenderunt ne imperium perderent, sed ideò perdiderunt, quia occiderunt. Cœtum congregauerunt aduersus Saluatorem, ne venirent Romani, & locum, & gentem tollerent, sed ideò tulerunt, quia pessimum consilium aduersus iustum consuluerunt. Ne traderentur vrsis, & leonibus Romanorum dilacerandi, distrahendi, immanissimæ scribarum, & Pharisæorum belluæ contra Christum Domini, animæ eorum rugierunt; sed ideò venerunt Romani, & locum, & gentem tulerunt, quia contra Iesvm infremuerunt. *Anima eorum rugierunt in me, & succidi tres pastores in mense vno.*

D. Cyr. Alex.

D. Ioan.

Scribarum anima abhorruit à Iesu.

Consilij Iudæorum fructus, ablatio regia, pontificia, & prophetalis dignitatis.

Euseb. Cæsar. *Tres pastores tres Iudæorũ ordines.*

Suspenderũt in ligno Iudæi Iesum, ne imperium perderent, sed ideò perdiderunt, quia occiderunt.

3. Eamdem stragem lugubri nænia cantitat Vates ille ad fletum, & planctum natus Ieremias, qui capite 12. recenset Iudæorum flagitia, & iactatas à Domino minas vastitatis vers. 6. ait : *Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce.* De clamoribus Iudæorum apud Pilatum ad necem Christum Dominum adiudicantium, accipit Hieronymus. *Potest & hoc,* (inquit,) *de Saluatore accipi, quod fratres eius, & domus patris eius pugnauerint contra eum, & clamauerint plena voce dicentes : Crucifige crucifige eum : non habemus Regem nisi Cæsarem.* Et sequentia Vatis Ieremiæ verba ex versu 7. *Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius.* De concilio aduersus Iesvm conflato Origenes vsurpat homilia 8. in Ieremiam dicens : *Tradidit animam suam in manus inimicorum suorum, in manus Iudæorum interficientium eum, in manus principum congregatorum aduersum se, in manus regum : quoniam astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Versiculum verò octauum : *Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silua : dedit contra me vocem, ideò odiui eam.* Eundem arcanum sensum sub verborum inuolucro latentem continet, eúmque in apertam lucem enuntiat Sanctus Hieronymus : *Facta est autem hæreditas quondam Domini populus Iudæorum contra eum quasi leo in silua, quando pari aduersus illum in passione voce clamauit. Et quia dedit contra eum vocem suam ideo eam odio habuit, & abiecit.* Hæc Hieronymus.

Ierem.

Clamores Iudæorum, vt Christũ neci adiudicarẽt. D. Hieron.

Orig. *Tradidit Iesus animam suam in manus iniquorũ consiliantiũ.*

D. Hieron. *Iudæi aduersus Iesum clamauerũt, quasi leo in silua.*

4. Sequitur apud Vatem horrore plenum iudicium de repudiando populo, & enumerat sub metaphora discoloris auis omnia honoris insignia, & amplissima dignitatum decora, quæ abiectus Israël perdidit, ibid. versu 9. *Numquid auis discolor hereditas mea mihi : numquid auis tincta per totum? Venite congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum.* Discolorem autem, & fulgentibus splendoribus radiantem pauum intelligit S. Hieronymus cuius gemmantes colores aduerso maxime sole micantes, & conchatæ caudæ ocellatæ pennæ, & auri viridis nitor, & solaris ictus emicans in gutture; omnem opulentam gloriam, & eximium illius populi

Ierosolyma cum paui pulchritudine comparata.

D. Hieron.

populi splendorem denotat, quo emicabat inter omnes orbis nationes. Nec discordat Sanctus Hieronymus scribens: *Auem discolorem tinctámque per totum iuxta litteram pauum vocat. Tantam inquit, habuit pulchritudinem Israel, & tantis suis Ierusalem distincta virtutibus, vt nihil esset bonorum, quod non cerneretur in ea, quia igitur mihi facta est quasi leo in silua, & dedit contra me vocem suam, & eam omni odio detestatus sum. Idcirco venite, & congregamini contra eam omnes bestiæ terræ diuersarum gentium multitudo, & deuorate eam, quæ suum Dominum non cognouit.* Theodoretus verò pressius accommodat litteralem verborum sensum: *Nam Romani*, (inquit,) *suscepto orbis imperio, coacto ex variis nationibus exercitu, alios interfecerunt, alios deduxerunt captiuos.* Quasi ad cœnam splendidam, & opiparum epulum inuitat Dominus omnes nationes, vt Ierosolymam expugnent, & dissipent; vt cadaueribus mortuorum repleant, & dirutis arcibus, & mœnibus, solóque æquatis pergamis, non relinquant lapidem, super lapidem; hanc omnium calamitatum maximam cœtus sibi iniquorum conflat cùm insectatur iustum, vt vindicem tam grandis piaculi omnipotentis Dei dexteram experiatur populus rebellis. Sed pensiculationem altiorem promerentur culpæ, & pœnæ exitus per omnia consonantes. Nam Ierosolymam cristatam auem regio diademate decoram, hyacinthinis plumis, & versicoloribus indutam, & ornatam, aduersum Dominum crocitantem, cassidibus Romanorum implicitam tradit, vt omni decore exuant, reddantque implumem, omnique honorificentia orbatam relinquant. Cœtus ille improborum ad internecionem insontis congregatur, maleuolentiæ, & conuicij clamores effundit, vt obruatur innocentis æquitas, & præualeat flagitiosorum iniquitas. Hic quoque Dominus apud Ieremiam intonat validissima contentione velut tubæ horrisono clangore; Romanorum cohortes ex variis nationibus accitas in vnum locum compellit, & aggregat ad excidium vrbis, & ciuium lanienam, vt cadauerum congestæ moles in vnum contractas Iudæorum factiones vindicent, vt vox respondeat voci, clamor clamori, cœtus cœtui.

Iudæi congregati aduersus Iesum, iat omnes gentes congregãtur ad eorum excidium.

5. Illud restat inculcandum, cur in præcedentibus vaticiniis Iudæi nuncupantur belluæ gentésque conflatæ ad eorum dilacerationem eâdem dedecoris nota inuruntur? Occurret eruditissimè soluturus hoc dubium Maximus Hieronymus Psalmo 81. vbi ait Psalmicen: *Deus stetit in Synagoga deorum in medio autem Deos diiudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis.* Vt timore corripiat iudices terræ, & coerceat à flagitio acceptionis personarum hanc instituit cantilenam diuiniloquus Dauid; Deos nuncupat, vt eos sui muneris admoneat, vt non solum cognomina diuorum, sed opera fidelia, non dedeceant tam eximiam deitatis dignitatem, vt ritè iudicando, & ius suum vnicuique tribuendo vices Dei suppleant, & Deorum nomen obtineant. Obiurgatorius tamen est sermo, & aculeatus in corda Iudæorum directus, vt ea compungat, cùm cerneit IESVM ante præsides, & iudices stantem iudicem vniuersorum. Placidè fluit commentatio Euthymij aientis: *Christus stetit in medio synagogæ scribarum, Pharisæorum, & seniorum populi, quos Propheta hic Deos appellat, quia aliis præerant, & inter inferiores iudicabant.* Stetit IESVS in consilio seniorum iudicandus, & damnandus, qui tanquam supremus Iudex iudicaturus est sæculum. Stetit in synagoga Deus, cùm accumberent in subselliis homines, vt eorum inurbanitatem, & impudentiam redarguat. Statimque Rex in discernendis iudiciis, & obseruatione æquitatis præclarus, flagitium iniquitatis, & iniustitiæ in eorum faciem impingit. Chaldæus legit: *Vsquequo impÿ iudicabitis falsitatem?* Ex Hebræo alij legunt: *Vsquequo iudicabitis iudicium iniquitatis. Pronuntiatis iniquam sententiam.* Et Tigurina legit: *iudicabitis inique?* Et Euthymius: *Iniustitiam hoc in loco ponit pro iniustè. Vel vsquequo iudicatis iniustitiam? Pro vsquequo iustificatis peccatores? Per peccatores autem iniustos omnes intelligit.* Iustificarunt impium, & iniquum, cùm Barabbam seditiosum, & furem, & noxium, tanquam innoxium absoluunt, & impunem abire permittunt; iustum verò, & omnibus proficuum, tanquam damnosum perdunt; nec mirum si conqueratur Propheta de improbo iudicio; eósque carpat iudicantes falsitatem, iudicantes iudicium iniquitatis, proferentes iniquam sententiam: quid enim procacius, & iniquius in iustum, quàm iustum iniustè iudicare, splendore bonorum operum eximium, & conspicuum virum, omnibúsque admirandum, opprimere violento iudicio, & caligine improbitatis, & iniustitiæ velle inuoluere, & obscurare solem? Illud verò quod Regius Psaltes adiicit: *Et facies peccatorum sumitis,* Continet mirabiles argutias Dauidica mente dignas, Prophetali plectro, & Regia cantilena modulandas. Seniores Iudæorum in synagoga assidentes vt Saluatoris vitam discernant, personatos iudices vocitat, qui iustitiæ laruam ostentant, reuera rapaces lupi, & leones rugientes, qui per flagitiorum omnium insolentiam, sicut & vitiorum, ita & animantium imagines figurant. Audiendus est Diuus Hieronymus: *Cæterum est, & alia interpretatio sacratior: solet in theatris vnus homo frequenter diuersas habere personas: Nunc ingreditur in mulierem, nunc in virum, nunc in Regem: & qui in Regem processerat, rursum in seruum procedit. Et nos diuersas personas accipimus. Quando enim irascor, personam leonis assumo. Quando res alienas rapio, lupi personam assumo. Quando verò crudelis sum, & interficio, assumo personam crudelis.* Adiungit prædictis sententias alias non incongruas Hugo Purpuratus; censet Dauidem loqui; non solum de imaginibus ipsorum criminum quæ assumuntur à criminosis; sed de simulacris, & similitudinibus ipsorum peccantium. *Vel facies ipsorum hominum peccatorum. Facies verò Luciferi primi peccatoris superbia. Hanc sumit qui eum in superbia imitatur. Facies Adæ libido sciendi: facies Cain inuidia: Lamech crudelitas: Nemrod, ambitio: Pharaonis, oppressio subditorum.* In hoc etenim amphiteatro impietatis, & spectaculo iniquitatis, in quo fama Christi proscinditur, &

Cur Iudæi, & gentes ad eorum exterminium conflata appellantur belluæ.
Psal.

Euthym.
Seniores, & Iudices Iudæorum Dÿ nuncupati.

Arguit Iudices Dauid inique iudicantes, & pronuntiantes iniquam sententiam.
Lect. Hebr.
Chald.
Tigur.
Euthym.
Improbi iudices, qui iustificant peccatores.

Personati iudices, qui facies, & larvas peccatorum sumũt.

D Hieron.
In theatro idem homo diuersas assumit personas.

Homo iudex, quo varias personas ferarũ induit.

Hug Card.
Improbus diuersa peccãtium simulacra suscipit.

Varia criminum facies, & species.

Scribæ, & Pharisæi in Christi morte tanquam in scena iniquitatis, varias scelerum imagines regerunt.

& facinora eius traducuntur omnia, propria Iudæorum tragædia exprimitur, in qua depicta eorum calamitas, habens adiunctum exitium tristissimum; Sacerdotum principes scribæ, & Pharisæi laruati introducuntur, varias animantium species induti, vt maledico dente de Christi vita immurmurent, cúmque adiudicent morti, & proprium exitium celebrent tragicis cothurnis. Animo perlustra eorum cœtum, & comperies ferarum rugientium foueam, & lustrum; cùm ira perciti IESVM expostulant ad mortem diuinis prodigiis illustrem, cinctum confluentiuum populorum corona, & mandatum eorum nominibus subscriptum promulgant, ad illius comprehensionem, cernes in theatro leones rugientes. Cum pauperi parant insidias, innocentem innocuum inexaminatum, taciturnum, inaudita illius causa, nec admisso adito, quo deuiet onera falsitatis, & ab imposturarum maculis in hominum conspectu, & tribunali se purget; intueberis rapaces lupos de antris exilientes aperto ore, exacuminatis dentibus, & hianti rictu in agniculum irruentes. Cum primarij viri turgido fastu, superbo boatu, & Rhinocerotico naso irrident Saluatorem, eiusque facinora tanquam meras nugas exsibilant, & ludibrio exponunt, militari cohorti muneribus corruptæ, & incitatæ ad conuicia, & irrisiones aduertes haud dubio vafriciem, & calliditatem serpentis, & auscultabis dracones exsibillantes, & genimina viperarum lethale virus conspuentium, cùm exitialia verba in seruatorem effutiunt. Et vt constat ex Psalmo 21. & aliis locis, IESVM Iudæi circumdederunt vt vituli; obsederunt vt tauri pingues, aperuerunt super illum os suum sicut leo rapiens, & rugiens, circumdederunt, & oblatrarunt, vt canes. Et iuxta Hugonis prædictam mentem, cerne de luciferi superbia dæmoniacos, nam illi ex patre Diabolo erant desideria parentis perficere volentes; de Adami curiositate hominibus exitiosa excæcatos, tormentis probantes, & morte turpissima an verus filius Dei sit. De inuidentia Cainos; de crudelitate Lamechos; de ambitione Nemrodos; de oppressione iustitiæ Pharaones. Has formas, & imagines animantium, & peccantium induerant iniqui, & malitiosi in scena illa improbitatis; vnde non mirum si feræ à Vatibus nuncupentur, & exacuat Dominus cateruas bestiarum ad Iudæorum dilacerationem, & deuorationem.

Æmulantur Iudæi animantium saeuitiam, & furorem. Lupi. Rinocer. Serpentis. Vituli, & Tauri Leonisque.

Regerunt Luciferi superbiam. Adami insipientiam. Caini inuidiam. Lamechi crudelitatẽ. Ambitionem Nemrod. Iniustitiam Pharaonis.

Oseas.

6. Nec in his testificationibus veritatis omittendus Oseas, qui Prophetalis muneris tenuit primordia. Is enim capite 7. mendacia refutat aduersus iustum concinnata, & calumnias dissipat aduersariorum splendido sermone, ibi ait vers. 2. & 3. *Nunc circumdederunt eos adinuentiones suæ, coram facie mea factæ sunt. In malitia sua, lætificauerunt Regem: & in mendaciis suis principes.* Iuxta litteram Ephraimitis, & Samaritis improperat, vt qui Ieroboamo adulati sunt, & principes eius, prophanum vitulorum aureorum cultum excogitantes, suo suffragio, & annutu adiuuerint; assensúmque præbuerint ad impiam religionem Israelitas traducentibus. Nec ierint obuiam stolidissimis ausibus impiorum. Iuxta mysticam explanationem congruenter aptatam proposito themati, Sanctus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha scribit: *Verus est autem sermo, quamuis etiam de crucifixoribus Emmanuelis intellectus. Mentientes namque, & calumniantes eum, gaudium Herodi, & Pontio Pilato, & præsidibus synagogæ dederunt. Ait enim alicubi, & diuinus Petrus* (Actorum cap. 4.) *conuenerunt enim verè in ciuitate hac aduersus sanctum puerum tuum IESVM, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentilibus, & populis Israel.* Quem sensum sacratiorem fuse, & ingeniose prosecutus est Rupertus. Quæ autem sint adinuentiones, quæ eos inuenerunt, eleganter expendit de extenso peccatorum funiculo, quem Pharisæi traxerunt: *Tales sunt*, (inquit,) *adinuentiones eorum, quæ illos circumuenerunt, taliter causas mortis in vno homine inuenerunt, vt merito dictum sit, & merito fieri debuerit illud dictum: Venient hæc omnia super generationem istam.* Nec minus aptè comma illud Oseæ vsurpabis de flagris inflictis Iudaico populo: illæ enim adinuentiones, consilia, cogitationes, & studia, quæ eorum malitia excogitauit, adinuenit, vt IESVM perderent, in caput eorum reciderunt. LXX. legunt: *Nunc circundederunt eos cogitationes eorum.* à cogitationibns suis veluti ab hostili manu obuallati, aggeribus circumdati, & quasi à proditoribus circumuenti, vt traderentur Romanis. Circumdederunt IESVM vt absque aufugij spe eum caperent; circumdati sunt à consiliis suis, & vndique clausi, vt subeant miserrimam captiuitatis ærumnam, tanquam vallo, & munimento firmissimo, & inaccesso, vbi nulla adesse potest spes fugæ sese subducendi. Sic iuxta Isaiæ oraculum ore LXX. seniorum enuntiatum: *Quoniam consiliati sunt consilium pessimum, fructum adinuentionum, & operum suorum comedunt, & mala secundum opera manuum eorum euenient eis.* Sapienter, & argutè Sanctus Augustinus perpendens Regij psaltis sententiam, ex hymno 65. mutuatam: *Terribilis in consiliis super filios hominum.* Aurea verba subiungit: *Machinati sunt filij hominum consilium ad crucifigendum Christum, Crucifixus excæcauit crucifigentes: quid ergo fecistis ô filij hominum machinando acuta consilia, aduersus Dominum vestrum, in quo latebat maiestas, & apparebat infirmitas? Vos machinati estis consilia perdendi; ille excæcandi, & saluandi: Excæcandi superbos, saluandi humiles.* Rectè ergo circumdederunt eos adinuentiones, & studia sua, cùm consilium à Iudæis initum ad Christum occidendum, ab ipso Deo statutum est ad perdendum, & excæcandum consiliatores.

Samaritæ adulati sunt perfidiæ Ierobeami in vitulorum cultu.

D. Cyr. Alex. Iudæi adulatores mendaces Pilati, & Herodis, ad Christi interitum.

Rupert.

Iudæi adinuentionibus suis aduersus Iesum concinnatis, vastitatis funiculum texũt.

Lect. LXX.

Adinuentionum suarũ fructum comedunt Iudæi.

D. August. Crucifixus Iesus Iudæos excæcat crucifigentes.

Ad



Ad ea verba: *Dicite iusto quoniam bene, vel quoniam bonum.*

DISCVRSVS III.

Nulla aduersitas, nulla calamitas iusto viro inflicta serenum suæ beatitatis obnubilat, aut splendidum suæ felicitatis infuscat.

1. Quod maius spei oblectamentum potest occurrere gradientibus inter commoda, & incommoda in huius sæculi salebrosa conualle, quo virtus sopita conniueat, aut incitata suscipiat incrementum, quàm propria beatitas, & incontaminata pectoris felicitas, quàm nulla aduersitas imminuit, aut auferre nulla potest ærumna.

Qui aduersus huius sæculi ærumnas inuictus, vniformem seruat constantiam, beatus. D Ambr.

Quæ autem sit forma vitæ beatæ, quam iustus obtinet adhuc in ergastulo corporis corruptibilis militans, definit sapienter S. Ambros. lib. 1. de Iacob cap. 7. dicens: *Aduersus delicias corporis, fragilitatemque ipsam naturæ, orbitatis dispendia, contumelias, inuictus animus vniformem debeat seruare constantiam, vt corpus ipsum scindat, sensusque exuat carnis, qui beatitudinis palmam habere desiderat.* Et statim subiungit: *Non enim vita perfectior si his careat definitur, sed si ista contemnat. Nam si ita definiretur, vt ea esset beata vita, quæ ab huiusmodi casibus expers vacuaque reperiri posset: vtique his accidentibus non posset beatus aliquis definiri.* Accurate sapientissimus Doctor definitionem statuit beatæ vitæ, nec eam constituit in diuitiarum affluentia, humorum symmetria, & temperatura corporeæ sanitatis, in eo quod corpus oblectamentis abundet voluptatum, quæ sensus demulceant, & affectum impinguent; nec in orbitate aduersantium afflictionum, ægritudinum, laborum, famis, & sitis, egestatis; quæ debilem corporis nostri substantiam vehementius exacerbant: non enim felix adstruitur, qui caret doloribus, & aduersis; sed qui ea constanter sustinet. Non de indolentia, sed de sustinentia beatus prædicaberis; quis enim homo in hanc lucem fusus, quem aliquando aduersa fortuna non lædat, aut turbulentum afflictionum mare non vexet. Si in carentia calamitatis beatam vitam poneres, nullum beatum, omnes assereres infelices: Beatitas apud te est, si luxuriantes motiones animi magna æquanimitate demutiles, si mores iuxta arbitrium mentis, & legis diuinæ componas: si titillantes carnis motus coërceas, si variantes fortunæ lusus irrideas.

Non est vita perfectior, & beata, quæ calamitatibus caret, sed quæ eas contemnit.

2. Quis maiores cruciatus, & tormenta sustinuit sacris Apostolis, ij etenim inter calamitatum, & laborum irruentium acies constituti continuo inter esuriem, sitim, nuditatem, inter colaphos, & pugnos, labores manuum, maledictiones, & conuicia, tolerantiæ munimine instructi, tyrannos detriumpharunt. Recenset Paulus Apostolus aduersantium rerum catalogum, quas Apostolica sustinentia experta est 1. Cor. cap. 4. & v. 12. ait: *Persecutionem patimur, & sustinemus.* Miseros, & calamitosos existimabat mundus, cùm de patientia probarentur: tanquam purgamenta, & quisquilias humanæ fęcis eos respuebant satrapæ: ij tamen vere beati, quorum statum felicem nulla labefactare potuit aduersitas. Recenset hunc Pauli locum Clemens Alexandrinus lib. 4. stromatum, & ex Diuino Platone scholium perillustre subiungit: *Talia sunt etiam quæ dicit Plato in republica: etiam si torqueatur iustus, etiam si ei effodiantur oculi, eum futurum esse beatum. Is ergo qui est cognitione præditus, nunquam finem habebit positum in anima, sed in eo quod sit semper felix & beatus, & Regius Dei amicus. Et licet quis ei inurat ignominiam, eumque exilio & publicatione facultatum, & postremo morte afficiat, nunquam auelletur à libertate, & præcipua in Deum charitate.* Hic veræ beatitudinis status à quo dimoueri nullis potest aduersis iustus; non beatitudo opulentia est, quæ furum, & hominum infidorum direptioni exposita est; Non voluptas, quæ non implet animi appetentiam, & fugax gaudium, tanquam fluminis torrens dilabitur; non iucundæ species gloriæ, quæ oculos insipientium perstringit, ad tempus inflat, & tanquam bulla à vento distenta dispergitur. Non enim verum bonum, & beatum, quod potest auferri. At animi integritas, & sacrata virtus, in cruciatibus tolerantia, quæ nec cædit flagris, nec tunsionibus emollitur, suffossioni oculorū parcit, vnguibus ferreis arridet latera exarantibus, vt latex sanguinis per carnis sulcos erumpat; conuiciis non irritatur, maledicentibus non comminatur; exilio, & traductione facultatum non frangitur; mortem ipsam, & lanienam impauide expectare edocta: Virum beatum & vere felicem format, cuius hilaritatem, & supernæ vitæ prælibationem, omnis generis, omnis tyranni aduersitas turbare nequit.

Apostoli, quos miseros censebat mundus in aduersis felices.

Clem Alex.

Iustus in tortura beatus, in exilio, & morte felix, si ab amicitia Dei non recedat.

Nil humanū in hoc sæculi beare potest hominum animum.

3. Placet cernere Iacobum exulem patriæ sequestratum à paterna domo, & blandimentis matris, induratum laboribus, maceratum ærumnis, fame, siti vexatum, per campestria errantem, minas euitantem, & insidias ferocientis fratris Esau. Quis virum solitarium destitutum humano subsidio, super stramentum, & puluinar saxorum, & lapideam spondam cubantem, non calamitosum, infortunatum nuncuparet? Is quicumque foret, talis denominationis insolentis, & tituli inglorij correptionē acciperet peracerbam à sapiente Ecclesiæ Doctore Ambrosio, qui in his ærumnis Iacobum infulis beati ornat lib. 2. de Iacob cap. 1. *An non beatus Iacob, etiam cum patriam relinqueret? immo plane beatus, qui dura exilij suscepit, vt fratris mitigaret iracundiam, nam si beatus est qui peccatum declinat, vtique negari beatus esse non potest, qui alterius culpam leuat, crimen auertit. Paratum itaque parricidium declinauit exilio voluntario, eoque facto sibi salutem quæsiuit, fratri innocentiam donauit. Merito itaque, cum diuina vbique comitata est gratia, vt & cum dormiret, beatæ vitæ munus acquireret.* Cum enim Iacob frater minor ætate, primogeniti Esau primordialem benedictionem vsurparet fraudulenter, in indignationem alta mente repositam incidit;

Iacob in exilio, & aduersis beatus.

D. Ambr.

Beatus est qui peccatū declinat, & alterius culpam leuat. Iacobum sibi salutem quærentem, & fratri innocentiam donantem, gratia, & beata vita munus comitatur.

cidit;

cidit; Non patris benedicentis, sed fratris orbati prærogatiua primogeniti. Ideo sacræ paginæ series subiunxit, Genes. cap. 27. v. 41. *Oderat ergo semper Esau Iacob, pro benedictione, qua benedixerat ei pater. Dixitque in corde suo: venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Sapiens, & solers Rebecca, quæ artifex fuerat Iacobo hæreditandæ benedictionis, quæ ad incolumitatem, & vitam dilecti nati continuo perlustrabat omnia, prouidæ circumspectionis intuitu; dum Esau vultum furore percitum diras mortis eructantem animaduertit, à propriis laribus amandauit Iacob, & à sodalitio germani; ne furens audacia quidquam intentaret aduersum vitæ suæ delicium Iacob: sapiens Rebecca per relegationem sui pignoris, eius consuluit indemnitati, credens fraternis conuiciis insectato non defutura diuina solatia. Illum ergo erronem, salebrosæ viæ labores sustinentem, & squalorem vastæ solitudinis beatum prædicat os Ambrosium; & iure quidem optimo, nam pro virtute decertabat propria, & pro salute germani; si beatitudo est integro, & constanti animo sustinere laborum conflictus, quanto beatius dura exilij sustinere, vt furentis iracundiam leniret, liuorem abstergeret: laurea hæc virtutis præclara, & regia trabea sustinentiæ est, alienæ sospitatis lucro incumbere sudore proprio. Inuenit itaque famelicus exul mensam in deserto refertam supernis dapibus, quas non seruuli, sed Angeli subministrant, ipseque Deus virtutis Iacobeæ patronus, & clientis sui altor, ambrosiam, & nectareum poculum diuinæ dulcedinis propinat. Beatus itaque de animositate relinquendi patrem, & matrem; de Dei ductu, & præsidio; beatus de libatione cælestium gaudiorum; adeo felix vt de mensæ suæ analectis quamdam deriuaret beatitudinis micam, & stillicidium in inuidum pectus fratris, quo saxeum, & ferreum cor Esau emolliit: Redux ad patriam, & ferocientem leonem in agnum immutauit, mellitis alloquiis, gratissimisque muneribus. *Vtique negari beatus esse non potest, qui alterius culpam leuat, crimen auertit.* Huic viro Isaiæ plectrum canorum, imo & Angelorum iucunde cantitare poterat illud alloquium iustis dicatum in medio afflictionum anhelantibus: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.*

Genes.

Qui à propriis laribus amandatur, vt alterius iracundiam leniat, beatus.

4. In commendationem præclaram, & eximium decus Saluatoris, litteris tradidere optimæ notæ auctores, testimonium probitatis vitæ Iesu, à Pilato subscriptum, & ad Tiberium Cæsarem transmissum, in quo celebrat profusis encomiis virtutum insignia, & stupore plena prodigia à Domino patrata. Huius præclari asserti patronos habeo Eusebium Cæsariensem lib. 2. Historiæ cap. 2. Tertullianum in Apologetico, Haymonem Episcopum Alberstatensem de Christianarum rerum memoria lib. 2. cap. 9. Chrysostomum tom. 5. homil. 66. Orosium lib. 7. cap. 4. Gregorium Turonensem Hist. lib. 1. c. 24. Nicephorum lib. 2. Hist. cap. 8. Cardinalem Baronium tom. 1. anno Christi 34. num. 228. verba sunt Eusebij Cæsariensis supra relati: *interim cum de Domino Iesu Christo circumquaque fieret rumor, Pilatus de mirabilibus eius, & Resurrectione Tiberio Principi refert, & quod beatus à plurimis crederetur. Mos quippe erat apud Romanos, vt si quid noui prouinciis accidisset, Imperatori vel Senatui nuntiaretur.* Et Tertulliani in Apologetico cap. 4. *Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in sæculum introiuit, annuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quod illic veritatem illius diuinitatis reuelauerat, detulit ad senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus quia non in se probauerat, respuit, Cæsar in sententia mansit.* In quo facto Cæsaris, mirifica Dei prouidentia resplendet, ostendentis illum insectatum maledictis, opprobratum strophis, liuidum vulneribus, cruciamentis sauciatum, sputaminibus, & cruore turpatum, appensum in latronum patibulo, vt per omne conuicium, & dehonestamentum fama Christi transiret; esse vere felicem, & beatum, vt Deum acclamatum Imperatoris Romanorum, imo totius orbis præconio; nec flagra, nec conuicia, nec mortem turpissimam, vel quidquam de illius gloria, & beatitudine detrahere potuisse. Quid? Si Cæsaris decreto Romanorum Senatus subscribere noluit; non rodit apicem gloriæ abrogata ab insanis & cæcis, Cæsaris sententia. Audiamus Chrysostomum hanc rem totam præclare enarrantem, homilia 66. ad populum: *Romanorum Senatus hanc habebat potestatem Deos creandi, & decernendi. Cum igitur ei omnia Christi opera renuntiata fuissent, misit gentis princeps interrogatum, an eis videretur, & ipse Deus decernendus. Illi vero non annuerunt, indignantes, & agrè ferentes, quod ante decretum, & sententiam suam, effulgens Crucifixi virtus omnem terrarum orbem in sui traxisset venerationem. Hoc autem, & ipsis nolentibus dispensatum est, ne mortali decreto Christi prædicaretur diuinitas, nec vnus de multis esse putaretur, qui ab eis fuerant instituti.* Ecce Senatorum principis vrbis cœtum, & decretum aduersus Iesum iam regnantem, in cælis ad dexteram Patris sedentem, vt illius amplitudinem respuant, splendorem gloriæ obscurent. Sed vanissimi suffragatores cæcutientes in veritate, iactabundi de suprema constituendorum numinum potestate, aduersus solem certabant, vt emicantes radios absconderent; non indigebat humano calculo beatitudo, & Deitas Christi, quæ ex propria virtute constabat: Non donaret, sed imminueret decus Christi Conscriptorum Patrum censura; eiusdem namque farinæ numē putaretur cum iis, quos amplissimus, & summus ordo, non eorum merito, sed suo arbitrio ad apicem diuinitatis euexerant: Deitatem Christi non adstruit senatusconsulti auctoritas; sed probitas vitæ, morum integritas, patratorum facinorum magnitudo, & gloria, ex his beatus censetur, diuinus decernitur: *Ne mortali decreto Christi prædicaretur diuinitas.*

Pilatus profusis encomiis celebrat, Iesu facinora, & prodigia.
Euseb. Cæs.
Tertul.
Haymon.
D. Chrysost.
Oros.
Greg. Turo
Niceph.
Baron.
Euseb. Cæs.
Iesu resurrectionem & beatitudinē Pilatus Tiberio principi refert.
Tertull.
Tiberius Iesu diuinitatem retulit ad senatum, cū prærogatiua suffragij.
Probra nil Christo de felicitate detrahunt.
D. Chrysost.
Romanorum senatus habebat potestatem Deos creandi.
Romanorum senatus Deū nuncupare Iesum interdixit.
Ante, illius decretum Iesus per totum orbem Deus acclamatur.
Non indiget mortali decreto Christi diuinitas, ne vnus de diis, ab hominibus factus, crederetur.
Non ex calculo hominū, sed ex integritate morum, Christus censetur beatus.

5. Ioannem pro suggestu obiurgantem Herodis turpitudinem, & incestum; cruentas epulas, choreas saltatricis infelices, & ferale conuiuium permixtum cruore Martyris, & apicis sanctitatis, sæpe perlegimus. Merces psaltriæ caput est Ioannis; cum enim circum gyrationibus, & rotatibus impudicis Herodi temulento placuisset, & optio postulandi daretur, ab expudorata Herodiade suggeritur nex iusti, & obiurgatoris criminum suorum interitus. Marci cap. 6. vers. 21. *Cumque introisset, statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens: volo vt protinus, des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Nec obest ferali crudelitati, quod Rex promissum

Merces psaltria caput Ioannis.
D. Marc.

promissum remordeat; ne contristaret delicias suas, aut iusiurandum iniquum violaret tyrannus, obsequitur iussioni Herodiadis impudicæ, cui se totum deuouerat: *Sed misso speculatore præcepit afferri caput eius in disco. Et decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.* Herodias omni lupa voracior sanguinis, truculentior tigride & omni leæna immanior, iusti insidiabatur sanguini, vitæ, gloriæ; auebat anxia lucernam extinguere, virtutum omnium obscurare clarum iubar, antelucanum sidus, quod ante faciem solis præcurrebat, caliginosa mortis vmbra obscurare satagebat; tanquam reum læsæ maiestatis addicit neruo, vt improbum carcere, & vinculis claudit, & tota incumbit in opprimenda, & infuscanda Ioannis gloria. Sed præcursor tot modis insectatus felix, in ipsa morte felicior. Hic locum habent argutiæ sancti Petri Chrysologi; perquirit cur in disco deprecatur & imperat Herodias deportandum caput Ioannis? Et respondet sermone 174. his verbis: *Cur in disco? Cur pretiose gestas, quem viliter occidis? Nisi quia pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius? Hoc ipsum quod vis non agis, quomodo ipsa vis: Quia agit te superna ratio aliter quàm vis: in illo quidem tunc ferali antro non aula regis, rabies tunc fera pastum suum credidit, cùm caput martyris vidit: totum suum sensit, cùm liquorem sacri sanguinis sitiens, aspexit: ferculum crudelitatis suæ toto ore, totis faucibus contendit, & conatur absorbere. Sed Ioannes venit in sublimi positus, vt lucerna super candelabrum, tenebras vt fugaret, dicente Domino: ille erat lucerna ardens & lucens. Venit Ioannes vt index in tribunali resplendens, vt qui arguit adulterum, exponeret, & damnaret homicidam.* Poterat Herodias architectatrix huius feralis scenæ debacchari pro libito in sacrum illud caput à corpore dissectum, & tanti vatis per os, & linguam oracula fundentis violare & dehonestare dignitatem; si illud lanio in vili sporta, aut pera deferret, aut si filia Herodiadis sacras capillitij Ioannis exuuias manu apprehendens suspenderet, & ostentaret conuiuis in modum triumphatricis, aduersam linguam traducentis. Portatur in disco caput. Nihil profecisti ô mulieris, & cæca sæuitia: omnes conatus extenti ad ignominiam occisi, eius redundant in gloriam. Cernis carnificem eximium decus Ioanni præbuisse post mortem? Non iam officium lanionis, sed portitoris, & gloriosa iusta iusto soluentis manibus suis in vase pretioso, tanquam in nobili ferculo, triumphale deportat caput: acceperunt lancem cælesti ornatum pignore in vlnas suas Herodias cum filia. Ne insiliatis in caput ô immanes belluæ, nec insulteris perempto adhuc mœrenti, & illacrymanti stillicidiis cruoris vestrum flagitium turpitudinis: apud Deum pretiosa hæc mors, nobile caput, gemma in concha, cæli pomum in canistro; sidus in firmamento; fasciculus florum in calatho; lucerna in candelabro; victima Domini in phiala; ferculum in patera aurea dignum mensa sapientiæ; iudex in aureo subsellio sessitans vt arguat adulteram, damnet homicidam. Manebat in aula Herodiades sicut leæna in spelæo, vrsa in cauea, lupa in fouea, harpia, & siren in scopulis maris, vt diffluente de ceruicibus adhuc calente cruore satiaretur crudelitas sitibunda sanguinis; sed ratio superna disposuit, vt illum susciperet positum in sublimi, non vt cadauer in pheretro, sed vt simulacrum iustitiæ, imaginem sanctitatis in nobili ferculo, vt triumphatorem luxuriæ, & crudelitatis in reuerendo carpento in aulam regis inuectum. Sic Herodias suam auxit ignominiam, à iusto non abstulit gloriam, sed potius inuita cumulauit.

Herodias tota incumbit in opprimenda, & obscuranda Ioannis gloria.

Cur caput Ioannis portatur in disco.

D. Chrysol.

Vt ostendatur, iustorum mortem in conspectu Domini pretiosam esse.

Herodiadis in Ioannem ferina crudelitas nocendi, irrita. Caput Ioannis ponitur in sublimi, vt lucerna super candelabrum, vt iudex in tribunali conspicuus.

Conatus muliebris sæuitiæ ad Ioannis ignominiam, redundant in gloriam.

Abscissi capitis Ioannis decora.

6. Quis Iobum beatum non prædicet in sterquilinio iacentem, vibicibus plectum, diffluentem sanie, excruciatum doloribus, orbatum charissimis pignoribus ad inopiam, & miseriam redactum, infidæ vxoris, & amicorum insectatum maledictis? Si mundano oculo aspicias illud amphiteatrum dolorum, ærumnarum pelagus, vniuersæ calamitatis simulacrum; si suspiria, gemitus, eiulatus, threnos patientis, fluenta lacrymarum, in specubus, & pastubus perforati corporis ebullientes vermes irrigantium: infelicissimum omnium mortalium decernes; si superno, & fide illuminato intuitu lustres, felicem apud te statues: perlege quanta gloriæ, & quam magnifica decora, & beatitatis insignia describat Os aureum homilia 5. ad populum tom. 5. *Fimus omni tribunali regio venerabilior.* Et statim: *Itaque multi nunc longam, & transmarinam peregrinationem à terræ finibus in Arabiam abeunt, vt fimum illum cernant, & conspicati terram deosculentur, quæ illius victoris certamina, & cruorem omni auro pretiosiorem suscepit. Neque enim tantum radiaret prætexta, quanto illud corpus tunc resplendebat, non alieno, sed proprio lotum sanguine: vlcera vero illa gemmis omnibus erant clariora. Margaritarum enim natura nihil vitæ nostræ prodest: vlcera vero illa sunt omnis tristitiæ consolatio, &c. Beatus autem ille*, &c. Et Homilia 4. in Iob tom. 1. adiungit sequentia encomiorum insignia: vbi Deus cum Iobo fatur: *ante passionem vnus te terræ angulus nouerat; post passionem omnis te sub cælo regio cognoscet. Sterquilinium tuum omni regali diademate illustrius. qui diademata ferunt videre cupient: & agonem tuum, & laborem certaminis paradisum feci, sterquilinium tuum colui, ad pietatem plantam cælestem ostendi: suscepisti cælestia, accipe & æterna, suscipe omnia duplicia.* Perpulchra Chrysostomi schemata, quibus tanquam luminibus ornat Iobi virtutem in stadio decertantem. Et licet aduersantium regum suffragio, qui spectatores, & exaggeratores tantæ calamitatis extiterunt, infortunatus adstruatur, & miser, quorum iudicio commeritas flagitiis rependebat pœnas; at censoria virgula Dei, qui falli nequit, & iusti viri scrutatur interna, felix celebratur, qui profligatis omnibus naturæ bonis, inuicti pectoris robur, & tolerantiam non amisit. Æquo iure fimum nuncupat Ecclesiasticæ eloquentiæ parens tribunal regium, in quo causam innocentiæ suæ discernit; hostis inaspectabilis liuorem, & imbecillitatem prodit. Paradisus est, & locus deliciarum Dei, in quo non supplantatur Adam tot tentamẽtorum incursibus impulsus ad ruinam, sed tanquam ærea, & adamantina columna stat inuictus. Solium regium despicies, si Iobum inspicias suarum domitorem passionum, & monstrorum Erebi subiugatorem; hiantia vulnera sunt ora perpulchra, quæ cùm tabo diffluunt, fundunt

Iob in fimo sedens, miser mundanis oculis; at diuinis beatus apparet.

D. Chrysost.

Iobi fimus omni tribunali regio venerabilior. Transmarina peregrinatio à terræ finibus, vt sterquiliniũ Iobi, & stadium veneretur; à multis facta.

Corpus lacerum omni prætexta pretiosius radiabat; vlcera omnibus gemmis erãt clariora.

Iob in plagis beatus.

D. Chrysost.

Iobi passiones vniuersum orbem fama complent.

Iobi agonem, & laborem certaminis Deus paradisum fecit.

Iob terrestria, & cælestia accipit omnia duplicia.

Iob aduersantium regum suffragio miser, censoria virgula regis æterni, beatus censetur.

Iobi corpus pustulis distinctum, cælum vulneribus stellatum.

fundunt patientiæ eximiæ præconium; suppuratam cutem distinctam, pustulis cælum æstima stellatum, stillas cruoris gemmas, aut rubentes pretiosos lapillos, qui coronam virtutis exornent. Nec mirum quòd suscepta peregrinatione,& exantlatis horridæ, & squalentis solitudinis Arabicæ laboribus,& dimenso salebroso,& torrido solis ardoribus cespite, ad fimum illum confluunt viri infulis nobilitatis clari,& diademate cincti, vt pulUerem putredine sordentem suauient, & in illo præclarum pugilem mente amplectantur, putrida vulnera pro Dei,& virtutis honore suscepta venerentur. Piis namque cultoribus non pædorem ingratum languoris, non fœtorem horridum putredinis, sed fasciculum florum, areolam aromatum, & cælestia spiramenta omni pretioso suffitu suaueolentiora redolebant. Merito prædicatur in nuditate, in filiorum orbitate, in iactura copiarum, in pessima plaga beatus, qui tot mala peracerba inculpatè sustinuit. Quare quod de viro iusto Ambrosius protulit, de Iobo primitiua prædicatione dictum æstima: *Qui cum grauissimo licet dolore luctetur, nec se miserabilem prebeat, sed ostendat tanquam in laterna lumen, etiam inter asperas procellas, & grauissimos, flatus suam lucere, nec extingui posse animi virtutem.* lib. 1. de Iacob cap. 8. Bene ergo accidit iusto tolerantia laborum, cùm inter corporis infirmitates, & dehonestamenta vitæ bonum virtutis obtineat, qua instructus & ornatus, nullus ab eo tollet esse felicem. Quid ergo mirum si Vates hoc verborum blandimento dolores eius leniat: *Dicite iusto quoniam bene.*


D. Ambr. In aduersis tanquam in laterna lumen, iusti virtus lucet inextinguibilis.

Dicite iusto quoniam bene. vel, *quoniam bonum.*

DISCVRSVS IV.

Virtus adeo hilaris & proficua, vt ipsa sibi, & suis sectatoribus pro corona & mercede sufficiat.

Psalm.



1. AD ea verba Psalmi 124. *Benefac Domine bonis, & rectis corde.* Christianæ Philosophiæ in titulo discursus præfixum axioma, proponit sanctus Chrysostomus scribens: *Vnde clarum est, quod etiam ante supplicium, vitium supplicium infligit, & ante remunerationem virtus remuneratur. Quemadmodum enim illa habet in se ipsa premium, etiam ante coronas; ita etiam hoc pœnam in se continet, antequam puniatur.* Sapienter os aureum inter virtutem vitiumque discernit, habet crimen in ipsa perpetratione flagra, & animaduersiones, crudeles conscientiæ morsus,& pœnæ impendentis horrorem, quo continuò animus sauciatur, & tanquam ad vibratum super caput gladium, aut fulmen tremiscit. Virtus verò per se grata, iucunda, tanquam emanatio quædam, & splendor solis æterni, animam complet diuinis fulgoribus, reddit hilarescentem, & exultantem dulcedine sua, & stillicidio quodam de torrente voluptatis compluto, & irorato in pectus iusti, Dei habitaculum.

D. Chrysost. Vitium ante punitionem, habet pœnam; virtus ante remunerationem, coronam.

2. Hortatur Iesus Apostolorum coryphæū Petrum ad sui sequelam, mortem subeundam, & tollendam crucem continuo. Matthæi cap. 16. v. 24. *Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Rem arduam expostulat à Discipulis, humanæ naturæ captum superantem; quis enim humerus præualere poterit ad sustinendum grauissimum crucis pondus? Et si superno stabilitus præsidio illam exportet; quo præmio, qua mercede allicit animos discipulorum cælestis Magister, vt in proposito vehendæ crucis confirmet? Amanti sat est laborum tolerantia, & passionis consortium, & communicatio plagarum Christi, vt omne gaudium existimet, & in ipsis exultet. Quid enim iucundius, quid tam de compensatæ remunerationis munere veniens placidissimè, quàm cum dilecto patiente pati, & Christo confixum esse Cruci? Rite dictum à Chrysostomo est, quem refert Cardinalis Hugo: *Nullus verecundetur crucem. Circumferamus eam vt coronam.* Qui Crucem non vt probrum, & ignominiam, sed velut regale coronamen & gloriam vsurpat; competentem dolorum vsuram nanciscitur, in ipsa passionum societate, & crucis vectatione: Illud quoque argutum effatum ab Ambrosio lib. 1. de Iacob cap. 7. his adiunge: *Habet ergo in se remunerationem suam qui sequitur Iesum, & in suo affectu premium, etiam si dura sustineat: Beatus tamen est suis moribus, beatus ipsis periculis.* Non expectat hominis amator postremum remunerationis tempus, vt iuxta diuersitatem meritorum pœnas discernat, aut premia; in ipso certamine antequam iustus obtineat brauium vocationis supernæ, pensum accipit laborum, & virtutis prouentus colligit; Ipsa Iesu æmulatio, & sequela, dura laboris tolerantia pro eo, qui adeo acerba sustinuit, oblectationem secum affert omni terrena mercede pretiosiorem. Ipsum pati, & cupiditas duriora perpetiendi, pro præmio compensatur; quid honorificentius, quid diuinius, quàm pro Deo perferre cruciatus? Qui ipsum Deum reddiderunt venerabiliorem.

D. Matt.

Qua mercede allicit animos discipulorum Iesu, vt crucem tollant.

Amanti sat est, laborum tolerantia, & passionum consortium, cum Iesu, pro omni gaudio.

D. Chrysost. Hugo. *Crux circumferenda tanquam corona.*

D. Ambr. *Sequela Iesu habet in se remunerationem suam. Qui ipsum sequitur, in periculis ipsis beatus.*

3. Ad examen vocat Clemens Alexandrinus illam Pauli sententiam 2. Cor. cap. 10. vers. 4. *Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* Et ait hæc armorum tegmina, quibus fidelis quisque munitur aduersus acies vitiorum, esse charitatem, & virtutum reliquarum cohortem, qua inuictus redditur Christianus pugil, idque armamentum, cælestemque panopliam adeo esse præclaram, vt animum,& corpus dimicantis loco cidaris, & mercedis exornent. Libro etenim 4. stromatum cap. 4. affert hæc vetustissima carmina ignoti cuiusdam vatis, eaque annectit suis verbis, vt propositum institutum confirment: *His armis munitus is qui est cognitione praditus, ô Domine, inquit, da causam & afflictionem, & accipe ostensionem, accedat quod est graue, & formidabile, pericula ego despicio propter meam in te dilectionem.*

D. Paul. Clem. Alex. *Arma spiritualis militiæ charitas, & virtutum cohors.*

Dilectio in Deum omnia pericula despicit.

Nam sola virtus, in rebus mortalium,
Non pramia ex clypeis capit militia,
Sed ipsa se ipsam habet laborum pramium.

Virtus se ipsam habet laborum præmium.

Huc

Gentia.

Lorin.

Scuto militari honorario coronabantur milites in triumpho.

Sanctorũ capita scuto rotundo, seu radiorũ diademate coronantur, in signum triumphi.

Huc vsque Clemens. Hos versus intactos, & inexaminatos reliquit Gentianus Heruetus nobilis Alexandrini Scholiastes, quorum intelligentia pendet ex eo quod militaris clypeus militibus loco mercedis donatus, vt annotat sapientissimus Lorinus in Psalmum 5. vers. 13. vbi ait: *Erat etiam scutum militare honorarium, & præmij datum loco, sicut id quod Niso Æneas dedit.* (ex Virgilio Æneid. 5.) *quia vero non solum in bello Romani scutum gestabant, sed etiam in triumpho, quo etiam ante vsum coronarum coronabantur, inde Thomas, & ex eo credo mutuatus incognitus, natum putat, vt sancti pingantur cum scuto rotundo in capite (quod vocamus diadema) quia de hostibus adepti sunt triumphum.* Ex quibus facile stabit mens illius cantilenæ, quod virtus non præmia ex clypeis capit militiæ, nimirum vt scuto militari coronetur; sed ipsa clypeus & corona & merces, & præmium laborum. Non ergo tantummodo iustus caput in regno diademate luminum, & splendorum ambitu coronari expectat; sed dum certat, & superat, virtus *ipsa seipsam habet laborum præmium.* Quid mirum si Clemens, omnia dura, & laboriosa ad certamen lacessat, omnia enim virtute munitus formidanda facilè despicit; adeo causas nouas discriminum expostulat, vt charitatis eximiæ præbeat ostensionem, ipsiusque affectus pro retributione suscipiat, & amore Dei incedat coronatus.

Psalm.

D. Chrysost.

Iusti parentes dicuntur in terra, quia virtus in operatione habet remunerationẽ ante præmia.

4. Excitat iustos timentes Dominum dulciloqua lyra Dauid Psalmo 111. vt in decursu stadij virtutis confirmet, & proposita in hac mortali vita remuneratione eos allectet. v. 2. *Potens in terra erit semen eius.* Quod comma, indicato quæstionis nodo, & soluto; S. Chrysostomus illustrat: *Tales sunt enim, qui sunt virtute prediti, & filij eorum qui Deum timent. Potens erit in terra semen eius. Quare dixit in terra? vt ostenderet id esse etiam antequam hinc excedant, & antequam bonorum quæ illic sunt, faciant periculum. Quemadmodum enim dixi antea: virtus in ipsa operatione habet remunerationem, etiam ante præmia.* Fons enim bonorum omnium, de cuius vbertate in æternum potaturi sumus, virtute media interdum diffunditur, vt ascetici labores pro pietate hausti suam habeant ex virtute remunerationem. Antequam penetres cœlorum atria in palæstra constitutus loco mercedis æternæ virtus ipsa donatur, quæ æmulos æternæ vitæ fructus parit. Concinit Chrysostomo eius alumnus sapientia & sanctimonia mirabilis Sanctus Isidorus Pelusiota, à Theonio namque Episcopo requisitus de mercede virtutis, percontationi respondet argutè, & eleganter. lib. 2. epistol. 184. scribens: *Habet quidem virtus non modo præmium, vt ais, sed etiam coronam, ac celebrem ac luculentam gloriam. Tu vero minime facere debes, vt in vnaquaque ipsius specie, an mercedem habeat, curiosius inquiras. Maior enim merces ei constituta erit, qui non mercedis causa, boni aliquid efficit. Nam si vere studio virtutis, atque amore tenereris, scires profecto, etiam submota mercede, virtutem ipsam mercedem, & coronam, ac decus & ornamentum esse, ac mercedem in se ipsa habere.* Ipsa virtus gloriosis splendoribus accincta, & ambitu omnis decoris ornata, & coronata est, vt honorabiles, & gloriosos

Isid. Pelus.

Habet virtus præmium coronam, & celebrem gloriam.

Maior merces promittitur ei, qui non mercedis causa aliquid efficit.

Virtus, submota mercede, merces, & corona est.

efficiat contubernales, & suos amantes; nec enim obliuiosa est exantlati pro ea laboris, sed perpulchrè, & gratissimè arridet suis sodalibus, suæ similitudinis imaginem præferentibus, eos iucunde amplectitur, & ad æternum remuneratorem placide deducit: si gratifica est simul tamen seria, nec adeo libens mercenarios clientes requirit, aut operarios mercede conductos, sed spontaneos, sed liberales, nequaquam sui ipsorum amantes, nec proprio lucro, & emolumento inhiantes, sed eos qui virtutem ipsam propter illius decorem, & dignitatem exambiant, nec mercede caret, qui in virtutis exercitatione mercedem non cupit; dum minus de mercede cogitas, virtuti Regiæ & Dominæ obsecundans, plus retributionis accipies; purus amator est, qui in virtutis obsequio, non de quæstu cogitat, sed de famulatu. Postrema Isidori clausula, aurea quædam catenula est ornata pretiosis gemmis, vt virtutis pectus illuminet: *Etiam submota mercede, virtutem ipsam mercedem & coronam, ac decus & ornamentum esse, ac mercedem in se ipsa habere.* Quid, ô Antistes Theoni (ait Isidorus) quid animum occupas, mercedis & retributionis memoria? Ipsa virtus merces est, ipsa decus, & sectatoribus suis coronamen. Ipsa tibi pro præmio sufficit, cuius species, maiestas, ornatus, & gratia incredibili voluptate demulcet animum, ipsa forma & venustas per se placet, & qui eam amplexatur beatus.

Oseas.

Certaminũ, & luctæ Iacob præmiũ, quod Deus memoriale illius sit, & Iacob memoriale Dei.

5. Iacobeam luctam, & victoriam de Domino Deo exercituum reportatam refert Oseas cap. 12. thecnasque amoris recenset, quibus imbellis, & mortalis homo Deum fugacem tenuit; fletibus, lacrymis, & lamentis benedictionem extorsit. Clauditque Iacobi triumphum hac sententia Vates vers. 5. *Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale eius.* Adeo miratus est Dominus strenuissimi pugilis habitum, in conflictu stationem, inuictum robur, flecti nescios brachiorum lacertos, quibus omnipotens ad arripiendam fugam paratus, velut coactus retinebatur clausus; vt victoris gloria, & decus in memoria manserit æterna, dignusque factus Iacob, vt sit memoriale Domini. Sic verba Vatis enucleat Sanctus Cyrillus Alexandrinus dicens: *Manet enim saluus in memoria Dei, & floret gloria immortali, glorificat quippe Deus diligentes se.* Præualet Iacob aduersus Agonothetam cælestem, qui se deuictum mortali manu recognoscit, & tanquam seruus subactus in prælio, & præda hostis factus, manibus apprehensus, & tanquam loris constrictus; qua via glorificatur victus à victore, cùm in palæstra superatus maneat semper inglorius? Gloria Domini est amore detriumphari, & vinculis charitatis retineri. Hac ergo dilectionis lucta apud Dominum Iacob gloriosa recordatione celebratur. Sed nõ ineptè alteram protheoriam verbis Oseæ aptabis consonam, Dominum exercituũ esse memoriale Iacob, vt monimentum beneficij sibi præstiti in pectore construat, quo iugis, perpetua Domini recordatio vigeat, & laudibus celebret eximiis clementissimi Domini erga se munificam manum. Erat Dominus exercituum memoriale Iacob. Cui in corde suo actionis gratiarum, & glorificationis thymiama

D. Cyr. Alex.

Floret Iacob gloria immortali cum Deus diligẽtes se glorificat.

Digitized by Google

miama litabat, & continuas euaporationes festiui gaudij, cum dispositione mirabili de hostilis, & insidiosi germani militari satellitio ereptus, incolumis propriis laribus donatur. De quo trophæo multiplices exuuias adeptus non terrenas, sed supernas, & cælitum largitione dispersas; quod in viuis positus viderit Domini faciem, quod ortus ei sit sol terrenus, in cuius typo reuelatus in mente eius exoritur Iesus natus ex Virgine: Has aliasque splendidas coronas manus Angelicæ Iacobo subministrant. Sed qua mercede donatur ex recordatione, & glorificatione Domini, nullum aliud profectò coronamen vel de cælitibus venit, aut illius tempora cingit, nisi quod Domini memor sit, & ipsum glorificet. Quippe Deus amantes se, glorificantes se, ipso amore, ipsa glorificatione glorificat. Pulchre sanctus Chrysostomus homil. 8. in caput 4. ad Romanos in morali scribit: *Igitur & nos quoque illum glorificemus, tum per ipsam fidem, tum per ipsa opera, vt mercedem hanc accipiamus; ab illo scilicet vt glorificemur. Eos enim qui me glorificant, ait, glorificabo. Quamquam si nulla etiam proposita esset merces, vel hoc ipsum gloria fuerit, nempe quod digni habiti fuerimus, qui Deum glorificemus.* Alludunt S. Cyrillus supra, & S. Chrysostomus hic, ad illam lib. 1. Regum cap. 2. vers. 30. sententiam: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* Sed quomodo glorificat? ipsamet glorificatione: quod dignus quis sit habitus Deum collaudare, & benedicere, omni alio præmio sequestrato; sibi merces & remuneratio est ipsa laudatio. Et confirmat à simili: *Nam si qui Regum laudes decantant, celebrantque, ij ob hoc tantummodo magnopere sibi placent, vt nullus inde alius fructus existat: Considera quanta demum gloria fuerit, si Dominus noster per nos glorificetur.* Si citharædus nullam aliam voluptatem expectat ex bene compacta, & dulciter resonante cheli, vocisque amœnitate, & harmonico concentu, nisi Regis terreni celebrare encomia; quid mirum si Dei hymnodia, & doxologia nullam aliam præter se ipsam mercedem exambiat.

Quod Domini memor sit, & ipsum glorificet, Iacob accipit pro coronamine.

D. Chrysost.

Quod digni habiti simus, vt Deum glorificemus, hoc ipsum gloria est, etiam si alia non esset proposita merces.

D. Chrysost. *Qui regum laudes celebrant ipsam laudationem pro mercede vsurpant.*

6. Datus est in prædam inimicis regibus Lot cum omni substantia sua; Abraham vero subactis hostibus, & vsque ad internecionem deletis victoriam peperit valde præclaram, & ex eorum tyrannico dominatu captiuos abripuit, & inter illos ipsum fratris filium Lot. Occurrit Imperatori, & militibus victricibus palmis laureatis Rex Sodomorum, & Melchisedech Rex Salem, & sacerdos Dei altissimi, triumphum celebrant, & epinicion cantitant. De Antistite vero Melchisedecho illud sacra scriptura litteris prodidit. Genes. cap. 14. à vers. 18. *Benedixit ei, & ait: benedictus Abraham, Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* In quo facinore Abraham vir inuictus, & totus cælestis ostenditur, quem cupiditas non labefactauit; adeò ab spoliis abstemius, & hostium exuuiis, vt ab omni opulentiæ retinaculo exuerit animum, vt liber terrenis, sequestratus à mundo, inuolaret ad superos. Quis grato intuitu non conniueret opulentis spoliis, mirando, & æquo prælio partis; quis aureis redimiculis non ornaret pectus, direpto auro, & argento, non augeret diuitiarum pensum? à minimo abstinuit spolio, à calceamenti fibula inuictus Abrahami animus. Illud ponderat sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 3. *Quantum autem illud quod de præda victoria nihil voluit contingere, nec oblatum sumere? Minuit, enim fructum triumphi, mercedis susceptio, & beneficij arrodit gratiam. Plurimum enim refert, vtrum pecunia, an gloria dimicaueris. Alter mercenarij loco ducitur, alter dignus habetur conseruatoris gloria.* Liberalis, & constantis animi prodigium apparet in Abraham, cùm terrena omnia emolumenta respuit; fortitudinis namque virtus nullum aliud epulum, aut lucrum requirit, quàm epulari, & deliciari in laborum suorum fructibus: Sat est vicisse victori; nec vlla alia merces fortitudini iucundior, & aptior, quàm non cessisse hostibus, sed potentiores profligasse, hac corona ornatur, hac gloria abundat sibi, nec exteriorem remunerationem exigit; cùm innatum, & congenitum virtuti possidet præmium, quod exteriorum acceptio munerum infuscat, & sordidat, & victricem manum contaminat, quæ cædis hostilis decoratur insignibus: Noluit Abraham obnubilare diuitiis alienis fortitudinis gloriam, quæ portione, & patrimonio victoriæ ditior, omnibus coronis & fortunis antefertur. Maiori pensiculatione dignior ornatus ille laudationis, qui à sacerdote summo imperatori militum Abrahamo confertur: *Benedictus Abraham Deo, excelso, & benedictus Deus excelsus.* In quibus pretium prælij, victoriæ fructum subliminiorem donauit. Quod inquies? Illud profectò quod argute consignat sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 4. de adoratione, vbi de Melchisedech ait: *Et benedixit Abraham, & sacras illi voces præmij loco tribuit.* Abrahamæa, & sublimior mens non capitur terrenarum opulentiarum visco, nec in terreno spolio splendorem nanciscitur, ideo ei loco præmij laus diuina donatur, digna tali animo merces, vt mutuo sibi vires rependant glorificatio Dei, & celebrata fama pugilis: vt dum encomiis celebrat Dominum, de munere victricis dextræ, ipse commendetur à Domino æterni præconij ornatu. Celebrant Dei omnipotentiam Rex, & Dux, Sacerdos, & Abraham, eamque vsque ad sidera extollunt præclaris commendationibus, ex ore vtriusque resonat canticum, & gratiarum actio: Huius laudationis præmium, nec vberius, nec ornatius, nec diuinius nactus est summus Antistes præter se ipsam: merces laudis ipsa laudatio: *& sacras illi voces præmij loco tribuit.*

Genes.

Abraham mercedis loco accipit ipsum de aduersariis regibus triumphum.

D. Ambr. *Minuit fructum triumphi mercedis susceptio.*

Qui dimicat miles pecunia, mercenarius est; qui dimicat gloria, conseruator populi.

D. Cyr. Alex. *Sacerdos Melchisedech præmij loco Dei laudationẽ Abraham donat.*

Dicite

Dicite iusto quoniam bene, vel, quoniam bonum.

DISCVRSVS V.

Externis opibus labentibusque fortunis infida probitas inest: pulchra dos animæ, & stabile ornamentum integritas; verum, firmum, immortaleque bonum honestas, & virtus.

1. HAc perpulchra cautione, & admonitorio sermone, eleuat Vates iustorum animos, inter aduersa,& prospera sæculi gradientium, vt non extollantur secundis, nec turbentur temporibus turbidis, illud certo statuens exteriorem ambitum gloriæ, & affluentium copiarum, quæ sensus humanos demulcent, non esse possessionem mentis, quæ ad maiora creata est; sed illius perpulchrum & opulentum patrimonium, verumque bonum esse virtutem, & in tolerandis aduersis constantiam: collocabant Stoïci, & cum iis barbararum gentium turba probitatem in robore corporis, lacertis inuictis, & indomitis; si quis taurum discerperet, leonem strangularet, draconem perimeret, monstri capita imperterritus exscinderet. Ideo homines his facinoribus claros, vita functos Deos consecrant, & mortuorum Sacra suscipiunt, vt inexpiabili se scelere contaminantes, dum mortales euehunt ad Deos, veri Dei hostes & contemptores fiant: Irridet vtrorumque insaniam Lactantius Firmianus libro 1. de falsa religione cap. 18. scribens: *Virtutem esse dicunt, quæ hominem tollat in cælum, non illam de qua Philosophi dixerunt, quæ posita est in bonis animi, sed hanc corporalem, quæ dicitur fortitudo, quæ quoniam præcipua in Hercule fuit, immortalitatem meruisse creditur. Quis tam stultè ineptus est, vt corporis vires diuinum vel etiam humanum bonum iudicet: Cum sint & maiores pecudibus attributa, & vno morbo sæpe frangantur, vel ipsa senectute minuantur, & corruant? Itaque idem ille cùm deformari vlceribus toros suos cerneret, nec sanari se voluit, nec senem fieri, nequando se ipso minor, aut deformior videretur.* Non ex fortitudine animi, qua quis vitam tuetur, iusto bello hostes frangit, & improbos compescit, affectus passionum; sed ex torosis viribus robusti, & vasti corporis credebant homines Deos, & immortales fieri; has ineptias eruditè redarguit Firmianus illud pro comperto statuens, & definiens: *corporis vires diuinum vel etiam humanum bonum non esse.* Cùm in pecudibus maiores vires emineant, quàm in celebratissimis toto orbe pugilibus? Quis lanista cum leone comparatus, tam generosus, & impauidus; cum equo, & ceruo tam velox cursu? Cum boue tam fortiter tellurem rostro, & aratro proscindet? Cum asino, mulo, camelo, dromedario adeo grauia, & immensa onera super dorsum, & scapulas portet? Hominis rationalis singularia bona non sunt quæ habet cum belluis communia. Vnde Hercules inclytus ille Heros ætate confectus, vulneribus sauciatus, cùm torpentes cerneret torosos lacertos, medicari noluit, ne dehonestaret decus eminentium musculorum: sed robur illud cum morte elanguit, nec firma virtus ostensa est, quæ mori potuit: insulsè, & stultè ex mortali robore immortalem Deum deprædicant Herculem; ex mortalitate enim non adstruitur nisi laruata deitas, immortalitas personata.

Lact. Firm.

Virtus est, quæ hominẽ in cælum tollit.

Ex fortitudine Herculis immortalitatem meruisse, creditur.

Hercules vlceratum se cernens, nec sanari se voluit ne seipso minor, aut deformior videretur.

Corporis vires nec diuinum nec humanum bonũ esse sine pietate hominis specialis.

2. His nugatoriis hominibus, cum suis placitis & enuntiationibus explosis, videamus quæ sit definitio veræ virtutis animæ, & veri boni. Haurienda est ex Seneca libro de vita beata cap. 4. dicente: *Summum bonum est animus fortuita despiciens: virtute lætus.* Et statim: *libet & ita definire, vt beatum dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque sit, nisi bonus, malusque animus: Honesti cultor, virtute contentus, quem nec extollant fortuita, nec frangant, qui nullum maius bonum eo, quod sibi ipse dare potest, nouerit, cui vera voluptas erit voluptatum contemptio. Quid enim prohibet nos beatam vitam dicere liberum animum, & erectum, & interritum, ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum? Cui vnum bonum honestas, vnum malum turpitudo.* Cernis quod sit verum bonum animi, in quo beatam vitam collocat? Non florida iuuenta diuitiarum affluentia, gloriosi nominis decus, & fama, non orbis imperium, deliciarum, & voluptatum vbertas; sed animus excelsus terrena omnia despiciens, imperterritus ad flagra, conuicia, cruces; quem si fractus dilabatur orbis impauidum ferient ruinæ; quem nec frangit metus, nec illecebra cupiditatis emollit, nec insatiabilis auri fames solicitat, nec aura ridentis fortunæ impellit; nec ad sublimis, & adulantis apicis gloriam conniuet; sed apud se decreuit bonum permanens esse mundanorum omnium despicientiam; veram voluptatem, liquidumque gaudium à turpitudinibus, & voluptatibus carnis sequestrari: *Cui nullum bonum malumque sit, nisi bonus malusque animus: Honesti cultor, virtute contentus. Cui vnum bonum honestas, vnum malum turpitudo.*

Seneca.

Summum bonum est aduersa despicere, virtute lætari.

Beatus homo, cui bonus animus inest, virtute contentus.

Beata vita liber animus est, cui vnum bonum honestas, vnum malum turpitudo.

3. Eximet nos ab huius lemmatis compromisso Pater is in cuius ore omnes sapientiæ, & suadæ facundiæ insunt lepores. Examinat diuini citharædi mellitum hymnum nonum; & versum 10. in quo ad modulos sacræ lyræ superno pulsatæ spiritu, humilitatem suam recognoscit, & abiectionem cantitat: *Et factus est Dominus refugium pauperi.* Et has versiones Chrysostomus recenset: *Alius attrito*: *Alius confracto.* Hieronymus: *oppresso.* Caietanus: *contrito.* Pagninus: *tenui*, Felix: *inopi.* Occulta quadam sententia hauddubio hic locus prægnans est. Hostes in bello frangis, ô bone, diuina quadam potestate, & atteris vastitate, semper

Psalm.

D. Chrysost.

Cur Dauid pugil inuictus pauperẽ inopem, attritum, & confractum se nuncupat.

D. Hieron.

Sanctes.

Caietan.

Felix.

per imperterritus, semper infractus; & attritus, oppressus, confractus nuncupatus? Deus fortunarum, & diuitiarum vbertatem opulento cornu super te effudit, constituens te excelsum, & famosum super omnes Reges terræ; & pauperis, tenuis, inopis te probro dehonestas? Quid portenti est hoc, quod latet in Dauidico alloquio? Aperit mentem Regij Vatis os aureum, & humilitatis prodit affectum: *Vocat assidue se ipsum & pauperem, & mendicum, licet regiam teneret. Ita etiam alibi: Ego autem mendicus sum, & pauper. Sciebat enim, clare sciebat omnia humana esse vmbra imbecilliora, & nihil esse nobis virtute magis proprium: reliqua autem omnia esse similia folijs extrinsecus appositis. Quod enim virtus sit nobis propria, ex hoc clarum est, quò quoque recesserimus, eam circumferimus: illa autem non itidem, Hoc est ergo nobis magis proprium, alia autem sunt remotiora. Quemadmodum ergo cum dicimus proprium, ac necessarium, qui est nobis propinquior: ita etiam hanc pecunijs dicimus magis propriam, quoniam nobis semper est propinquior.* Sacram, & Christianam philosophiam de subsellio suo, & throno docet Dauid, pauperem, & inopem vocitans fortunis, & prouentibus abundantem; sciebat enim virtutem esse bonum animo proprium, & quamdam opulentiam stabilem, quæ nec temporibus minuitur, nec furum incursus, aut direptiones patitur. Prouentuum vero, & vbertas copiarum, licet bona sit cùm à Deo donatur, sicut folia arborem, hæc exteriora hominem, & terrena circumdat; quare præda sunt, & spolia mortis, iisque nos exuit cum migramus, & in tempore grauioris ærumnæ copiæ infidæ nos deserunt, nec quidquam proficit in extremo halitu regibus hastatorum, & scutatorum militum satellitium, gloriæ fugacis festiua pompa, aut innumerabilium famulorum obsequium. Virtutem vero tanquam fidam amicam, & sociam semper circumferimus,& cum fores tenebrosas mortis ingredimur,semper inuigilans, & protegens nostro adhæret lateri; cum anima falce mortis à corpore seiungitur, ipsa permanet inconuulsa: Rite Chrysostomus eam appellat homini proximam, & propinquam, indiuiso nexu coniunctam, nam cùm omnia separat amara mors, in discessu, non abalienatur à virtute animus; hæc verum bonum, fidum, & firmum, cuius possessione opulentum se Dauid, reliqua mendicitatem, & penuriam in cogitatione sua pensat.

D. Chrysost.

Sciebat Dauid humana omnia transire velut vmbram, solam virtutē homini esse propriam, & stabilem.

Virtus homini rebus omnibus.

Humana omnia mortis sunt spolia quæ in tempore necessitatis nos deserunt.

Virtus fidelis socia, quam semper circūferimus.

4. Perscrutatur Sanctus Ambrosius an Iustus oblectetur sanitate corporis, abundantia diuitiarum, fœcunditate filiorum? Et respondet hæc omnia ei arridere secundum affectionem naturæ: ita verò paratum habere animum, vt cum omnia illa deficiant, vel cum hostis abripiat, vel captiuitas opprimat, interitus natos demetat, aut in iacturam sanitatis incurrat, similibus ærumnis non frangitur, cum virtutem obtineat, quæ in his casibus perfectum solamen infundit. Sic ergo scribit Mediolanensis Antistes lib. de Iacob. 1. cap. 8. *Verum hæc specie æstimantur, non pondere. Illud profundum puto, virum iustum nihil velle, nisi illud solum & præclarum bonum, huic soli intendere, hoc vnum in bonis ducere, non aliud cum illo, sed solum ipsum semper desiderare, hoc delectari: cui si aliud adiungatur, quod delectet eum, vt est filiorum suauitas, non illud amittitur, sed istud adiungitur. Non enim minuunt beatitudinem, quæ augere non possunt, quia plenum illud, & inuiolabile manet, in quod anima sese induit, & cui se inseruit, & infudit. Manet semper inter aduersa, & delectabilia perfecta virtus, neque aduersa de perfectione eius quidquam minuunt, neque delectabilia adiungunt perfectioni.* Hæc pulchrè & præclarè Ambrosius. Asserit enim omnia huius mundi oblectamenta speciem, & figuram continere iucunditatis, non soliditatem profundam, cui inniti possit iusti firma expectatio, quæ nullis labentibus fidit, ideo virtutem tanquam verum, & præclarum bonum exambit, & præter ipsam nullum bonum discernit;itaque illud obtinet,vt cui nulla fiat accessio, vel descessio, ex iactura vel emolumento cæterorum:nequaquam virtutem imminuit, nec illius felicitatem, quæ illi nullum valeat incrementum afferre; propterea virtutem amplexatur, & animi inuariabilem in aduersis, & prosperis affectum, qui ipsum solus felicitat, eique veram tranquillitatem inducit: deperit enim illam formositatem, illud decus, illam gloriam, illud bonum sine quo nihil est in pectore humano pulchrum, cuius gratiosis fulgoribus pulcrescunt omnia, illud ex quo bona veniunt omnia, sine quo nihil est perfecte bonum: *iustum nihil velle, nisi illud solum & præclarum bonum.*

Iustus à terrenis omnibus expeditus.

Vir iustus nil aliud amat, nisi solum & præclarum virtutis bonum.

Terrena non imminuunt iusti beatitudinem, quæ auferre non possunt.

5. Adstipulatur Ambrosio Seneca epist. 74. ad Lucillum in qua extollit virtutis decora, & ad verum bonum sectandum consiliosissimus est. Sic enim scribit: *Vna hæc via est, ad tuta vadenti, & externa despicere, & honesto contentum esse. Nam qui aliquid virtute melius putat, aut vllum præter illam bonum, ad hæc quæ à fortuna sparguntur, sinum expandit, solicitus missilia eius expectat. Hanc imaginem animo tuo propone; Ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum, honores, diuitias, gratiam excutere,* &c. Et addit: *Secedamus itaque ab istis ludis, & demus raptoribus. Illi expectent bona ista pendentia, & ipsi magis pendeant. Quicumque beatus esse constituit, vnum esse bonum putet, quod honestum est.* Postea verò verum virtutis bonum ab aliis discernit, dicens: *Summum bonum in animo constituamus. Obsolescit, si ab optima nostri parte, ad pessima transit, & transfertur ad sensus, qui agiliores sunt animalibus mutis. Bona illa sunt vera, quæ ratio dat: solida ac sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrescere quidem ac minui. Cætera opinione bona sunt: & nomen quidem habent commune cum veris: proprietas in illis boni non est.* In quibus Seneca aptum discrimen constituit inter huius sæculi copias, & fortunas,quas Deus velut ludens inter mortales accipiendas, & capiendas spargit, & inter virtutem verum hominis bonum, & rationalis naturæ, quod non vulgi opinione sed reapse possidet probitatis naturam.

Seneca.

Tuta ad beatam vitam via, externa despicere, honesta amplecti.

Qui aliquid virtute melius putat, ad fortunæ bona sinum expandit.

Ludos fortuna facit, cum in mortaliū cœtum honores, & diuitias excutit.

Qui beatus esse cōstituit, vnū bonum expectet, quod honestum est.

Senec.

Vera bona non quæ sensus, sed quæ ratio dat.

6. Luget Vates Ioël populi sui infortunia, sumpta metaphora ab agricolis, & messoribus, qui cum fruges ex agris, & areis comportant, & frumento stipant horrea, & ingemiscere cogunt pondere graui trabes domus, cantilenas messorias accinunt, gaudio exultantes de copiosis

Digitized by Google

piosis segetum prouentibus; cùm vero tellus sterilitate languescit, nec post sudores longos laboribus suis terra respondet, dolorem,& eiulatum ostendunt cassæ defatigationis in glebæ cultura. Sic diuinus Vates mœret, tristique nænia, & gemitu sese pertundit, cùm cernit principum, & Sacerdotum Iuda ceruicibus imminere exitium, & perniciem. cap. 1. v. 11. & 12. *Confusi sunt agricolæ, vlulauerunt vinitores super frumento, & hordeo, quia periit messis agri. Vinea confusa est, & ficus elanguit: malogranatum, & palma, & malum & omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium à filiis hominum.* Quæ verba ad moralem protheoriam transfert Sanctus Cyrillus Alexandrinus aiens his signis varias species virtutum indigitari, quæ animum exornant, & constituunt in eo hortum, & paradisum deliciarum, quibus marcescentibus, aut siccescentibus, saltus procreatur, dumetis aut vepribus inhorrescens: *Conferendæ enim sunt virtutes,* (inquit) *& præclaræ actiones animi cum vinea, ficubus, & arboribus, quæ fructibus pulcherrimis decorantur: quod si quis sapiens, & solers, & probatæ gloriæ studiosus fuerit, hortum belle florentem, & felicibus refertum arboribus in corde, & animo suo excitabit, multa virtutum genera, & omnis bonitatis modos in eo educans.* Quid verius quàm quod virtus hortum in animo ædificat,& plantas omnes, népe virtutes excolit ad immortalitatem; in eo est cælestis paradisus,& pulchrè vernans topiarium, quod ad oblectamentum fructuum,& delicias capiendas Deum excitat: & velut areola consita pigmentariis odores gratos bonarum actionum inhalat, quibus cælicolas oblectet. Loco postremam, dignitate primam sententiam Cyrilli ad præsens institutum vsurpa: *Multa virtutum genera, & omnis bonitatis modos in eo educans.* Agnoscit sapientissimus Antistes bona præclara esse virtutes, quæ Deum oblectant,& homines iucundant, & beant.

D. Cyr. Alc.

Virtutes animũ exornãt, eumque deliciarum paradisum constituunt.

Iustus in corde suo omnis bonitatis modos virtutis educat.

7. In hoc horto Domini omnia virtutis, & bonitatis germina indigent irriguo; quod aptius, & fœcundius quàm limpidissimum illud flumen, quod irrigabat paradisum. Genes. cap. 2. v. 10. *Et fluuius egrediebatur, de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Decertant ingeniis suis sapientes in diiudicanda natura fontis paradisiaci, auidéque hauriunt mentium toreumatibus allegoriarum limpidissima fluenta, eaque deriuant ad potum, & emolumentum discipulorum. Philo verò Iudæus disertus, & argutus apprimè est in vrinando flumine; & rimando profundum speculationum, quæ in ipso latitant. Ait enim fluuium magnum aliorum originem fluentorum esse virtutum scaturiginem, quæ tanquam primaria, & principalis est virtus, à qua reliquæ profluunt; quatuor vero capita tramitum, quæ exinde originem pertrahunt, esse prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam. De originario tamen flumine hæc asserit lib. 1. allegoriarum sacræ legis: *Cæterum maximus ille fluuius, à quo deriuantur alij quatuor, generalis est virtus, quam quidam bonitatem nominant. Quatuor autem deriuationes virtutes totidem. Sumit igitur initia generalis virtus ab Edem, nempe à Dei sapientia: ab ea inquam, quæ gaudet deliciaturque solius Dei Patris maiestate se se oblectando.* Celat inuolutis

Genes.

Phil Iud.

Fluuius magnus paradisi virtutum est scaturigo.

Generalis virtus bonitas nuncupatur.

Virtus Dei Patris maiestate se oblectat.

sermonibus suis Philo arcana quædam digna diligenti scrutamine: nam licet in media luce orientalis paradisi cæcultet, & in planissima sacræ paginæ enarratione cespitet, denegans terrestrem, & materialem hortum, omniaque paradisi decora ad allegorica acroamata traducens, ex quo forsan ansas errorum Origenes sumpsit; supposita catholica veritate horti corporei, & paradisiacæ habitationis terrenæ, Philonianæ argutiæ attentum pensiculatorem requirunt. In iis apertè adstruit Hebræus symmista, qui quandoque penè superno correptus flamine oracula fundit, sanctissimæ Triados mysterium; Dei verbum recognoscens nuncupansque Patris sapientiam, quæ in solius Dei Patris maiestate sese oblectat: originarium fluuium reliquorum appellitat bonitatem, in qua forsan diuinum Pneuma intelligit, quod est fons & scaturigo omnium bonorum, omnium gratiarum, & charismatum. Præterea à diuinis vatibus, & sacris Ecclesiæ primoribus potestas attribuitur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto. Vnde luculenter aperit mentem suam Philo paulo inferius: *Fluuius exit ex Edem ad irrigandum paradisum. Fluuius est illa generalis bonitas, exit hæc ex Dei sapientia: hoc est ex Verbo Dei.* In quo etiam indicare videtur Spiritus sancti processionem à Filio. Hæc rationabiliter dubitando, & disputando dicta, ne in examinata abirent Philonis sapientissimi acumina. In iis tamen quocumque modo se habeant propositum thema venamur; nam perennis illa virtutum scaturigo, quæ vniuersalis est virtus, *quam quidem bonitatem nominant,* vt ait Philo, quia non solum bonitas ipsa sit, sed bonorum omnium fons, apertè ostendit omne bonum suaue, pulchrum, proficuum in virtute reconditum.

Phil. Iud.

Ex Dei sapientia, & Verbo generalis bonitas profluit.

8. Arguit Chrysostomus mundialium omnium vanitatem, quæ animum rationis participem complere non possunt, nec in mortis discrimine afferre solatium nec præsidium; potius acutiori, & illustriori obtutu, qualem habere solet mens proximior Deo, & cælo, graue pondus existimat; & pudorem iniiciunt, quæ cum hostibus suis ad perniciem animi sæpe commilitant; at si migraturus à sæculo rectè facta commemoret, exultat præ gaudio, & virtutis exercitatione animus gestire liquidis, & cælestibus voluptatibus apparet. Lemma hoc proponit & adstruit os aureum homilia 54. in Matthæum scribens: *Quid enim tibi videtur in præsenti vita iucundum atque suaue? Mensa ne deliciosa, bona valetudo corporis, ingens gloria, diuitiarum copia? Sed hæc illi voluptati, quæ virtutem consequitur collata, amara & mæstitia plena videbuntur. Nihil enim iucundius est quàm conscientia proba, & spes futurorum certior.* Et statim proponit ante mentis oculos hominem aut senio confectum, aut iam iam moriturum, cuius memoriæ occurrant aut prædicta oblectamenta, aut rerum gestarum series, quas ex officio virtutis operatus est: *Tunc demum interrogemus quibus maxime gaudet, & videbimus non mediocri pudore ipsum propter illa commoneri: propter hæc autem, quæ rectè fecit, tanta lætitia gestientem vt salire, & volare videatur.* Et vt reddat planissimum suum assertum,& in animis audientium illud profundius inserat,

D Chrysost.

Omne gaudium, omnis sæculi suauitas, virtutis voluptati, & iucunditati comparata, amara est, & iniucunda. Nihil est delectabilius quam conscientia proba, & spes futurorum certior. Mundi gaudium tollere ingenerat, virtutis opus lætitia complet, & salire facit animum.

inserat, regem opulentissimum, felicissimum & pientissimum Ezechiam producit in medium, iam Dei virgula, & Isaiæ enunciatione morti destinatum, totumque perfusum lacrymis, & clementiam precibus postulantem: *Sic & Ezechias cùm ægrotaret, non mensæ deliciarum plena recordabatur, non eximiæ gloriæ, non regni, aut imperij, sed iustitiæ ac rectæ conscientiæ: Memento enim, inquit, Domine qualiter ambulauerim in conspectu tuo in via recta.* Postrema verba recenset Chrysostomus ex lib. 4. Regum cap. 20. maiorem tamen leporem continent in textu Isaiæ cap. 38. v. 3. *Et orauit ad Dominum, & dixit: obsecro Domine memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis, fecerim.* Inclytus erat Ezechias copiarum affluentia, seruorum, & militum satellitio, dominici populi clarus imperio, rerum omnium copia abundans: quæ omnia in memoriam non reducit, nec ab iis opem expostulat in extremi fati angustia; sciebat enim esse labentia, & peritura, nec gradientibus ad tenebricosam mortis regionem firmum præstare subsidium; abiicit enim terrenorum fulcrum, & arripit bonæ spei anchoram, & recte factorum in Domino fiduciam, quæ ipsum suffulciat dum ægritudinis, & mortis tempestate iactatur. Bonarum actionum ab ipso gestarum catalogum texit recensens fidem, legum obseruantiam, idolorum excidium, iam penè obsoletum Domini cultum à se denuo excitatum, & propagatum: *Et quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Quàm pulchra, & efficax allegatio, vt Deus deprecanti respondeat, ore regio irrefragabilis profertur sententia, expers omnis doli, nec enim fallacia inuenire valet aditum in cordati viri affatu; vbi is extremam vitæ subit aleam. De lectulo tanquam de suggestu pronuntiat quæ in conspectu Domini bona sint; ideo obliuione sepultis, silentio expunctis insulis imperij, decoribus gloriæ, bellicæ amplitudinis insignibus, coagmentatis ferè in immensum opibus, refricat memoriam piis operationibus, egregiis virtutum factis, iisque oblectatur, & in spem erigitur diuinæ clementiæ propitiandæ: *Et quod bonum est in oculis tuis.* Hæc enim in conspectu Domini recensentur bona, reliqua vero digna penè non sunt diuino conspectu, vt iis rememoratis mors inhibeatur, vita protelctur. *Sic Ezechias cùm ægrotaret non recordabatur eximiæ gloriæ, aut imperij, sed iustitiæ, ac rectæ conscientiæ.* Aiebat Chrysostomus. Hæc enim in illa mœroris tempestate iustum virum iucundare consueuit, & in salo mortis inter ærumnas fluctuanti manum porrigit, ne diffidentiæ obruatur procellis. O felix & fidum bonum conscientia iusti plena probitatis, quæ tempore turbido instar fallacis, & laruati amici non euanescit, sed vehementius auxilium impendit, vbi animaduertit superesse maius periculum! Recte ergo Isaias Ezechiæ, aliorumque iustorum animos erigit, cum affatur: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam bonum.*

D. Chrysost.

Ezechias in mortis discrimine non deliciarum, sed rectæ cōscientiæ recordabatur.

Lib. reg. Isai.

D. Chrysost.

Dicite iusto quoniam bene. aut: *quoniam bonum.* Lxx. *alligemus iustum.*

DISCVRSVS VI.

Quiddam humano maius cæleste, & diuinum, omnium bonorum optimum est pro tuitione virtutis, & pro Christo pati.

1. Illustre vaticinium protulit Oseas cap. 3. in quo deprædicat sui populi repudium, & amissa omnia gloriæ decora: Et hac coronide verborum capitulum claudit v. 5. *Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum suum, & Dauid Regem suum: & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* Quam sententiam de abiecti populi Israelitici reductione post necem Christi, propter quam reiecti sunt; nobiles interpretes vsurpant: In explanando tamen quod sit bonum, ex cuius conspectu stupent & pauent velut attoniti, non consentiunt. Alij referunt ad bona Domini, quæ in terra viuentium demonstrantur: Hi ad spiritus sancti charisma: illi ad Eucharisticum epulum: sic enim variant apud Castro in cōmentatione Vatum minorū. Contemplatio Cyrilli in hoc loco est prorsus admiranda: sequitur enim lectionē Lxx. *Stupebunt in Domino, & in bonis eius.* Aut iuxta lectionem Hieronymi, & Theodoreti: *& stupebunt ad Dominum, & super bonis eius.* Et ita scribit: *Tunc beneficentiæ magnitudinem, & mansuetudinis immensam gratiā obstupescent. Participes enim erunt spei sanctis preparatæ, sanctorumque agminibus admixti, in pascuis bonis, & in loco pingui pascentur.* Ij enim, qui in agminibus Sanctorum in hac vita pro virtute decertarunt, in gaudium Domini intrabunt, deliciisque paradisi perfruentur æternis, quales nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderūt. Ad hæc oblectamenta tanquā insolita stupebunt, omnipotentiam, & clementiā Domini collaudantes, qui tali gaudio labores compensat, & bene facta tam eximia mercede remunerat. Verumtamen nullum obstaculum inuenio si hanc sententiam non tam de ea, quam expectamus, sed de præsenti vita vsurpes, ibi enim non timor, & pauor, sed amor, & gaudium; non stupor, & metus, sed dulcis fruitionis affectus, & vera tranquillitas Sanctos occupat. In hoc sæculo stupent, & pauent Israelitæ ad bona Domini, cum cernunt cælestis sapientiæ Magistrum ad laborum tolerantiam, & perpessionem contumeliæ discipulos erudire, & acerbitatem dolorum, & pressuram malorum omne gaudium, omne bonum esse existimandum, prædicare. Stupent, & reuerentur Dominū propter insuetā Philosophiam, cum eos instruat diuina in carne sapientia, non in regio stemmate, filiorū copia, fortunarum abundantia, sed in ærumnis, in carceribus, in passionibus & Cruce esse bonum Domini, & in iis inueniri felicem &

Quod sit bonum Domini, ad quod pauebunt filij Israel.

Clem. Alex. Lect. Lxx.

D. Hieron. Theodor.

Qui in hac vita pro virtute decertant, deliciis perfruentur æternis.

Stupent discipuli, cum in hac vita pressurā malorum, omne gaudium esse Iesus prædicat.

Digitized by Google

& beatam vitam. Vt apertior fiat commentatio hæc, videtur alludere Vates, iuxta litteram, ad timorem, & pauorem, quo correpti sunt tres discipuli in IESV transfiguratione, cùm personuit vox Patris: *Audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Matth.cap.17.v.6. & Marci cap. 4. v. 5. *Erant enim timore exterriti.* Quamobrem timore, & pauore sunt consternati, & animosus Petrus pauitet? An ex visu magnificæ gloriæ, & mirifici splendoris, qui vultum vestemque IESV candidante nitore illuminabat? An lex splendentis nubis ambitu, & conspectu regiæ maiestatis, quæ IESV refulgebat in vultu? Dices tremore consternatos, & ad terram procidentes ex vocis sonitu, quæ de nube fulminata est: non eo inficias, sed in ipsa voce paterna de nube delapsa, quæ causæ sunt pauoris, & formidinis? In illa gloriæ scena imprudenter affatus est Apostolorum apex. Matthæi cap. 17. v. 4. *Respondens autem Petrus dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hic esse.* Quid in verbis suis Petrus adstruit? Totam humanæ salutis rationem destruit. Mens verborum eius talis est ex Theophylacto: *Petrus ob multam dilectionem, Christum pati nolens, dicit: bonum est hoc loco manere, & non descendere, & occidi.* Ideo statim paterna voce corripitur intonante: *ipsum audite.* Et vt scribit Titus Bostrorum Episcopus in catena Sancti Lucæ: *Ipsum audite quoniam oportet eum pati, & crucifigi, & contumelia affici, & morte.* Voces IESV, & Petri valde dissonæ, decretum Dei, & humanus sensus valde discordant. Dicit Petrus bonum est quod IESVS non subeat crudeles passionis cruciatus, & quod in cruce suffixus occumbat. At IESus à Patre magisterij gloria laureatus contrarium edocet. Bonum est pati, sustinere flagra, passionum acerbitates, crudeles plagas, & vitæ subire dispendia. Petrus hic exosus cruci, aduersus flagellis, recusat Saluatoris opprobria, à præceptore omnia dehonestamenta cruciatuum, tanquam detrimenta respuit; at IESVS cum assidentibus sibi Moyse, & Elia clamat: bonum est pati, flagellari, saturari opprobriis, tanquam agnum ductari ad Crucis aram, & victimam. Non solum est bonum pati, & mori, sed hoc mea gloria est, meum decus, & bonorum omnium cumulus. Quid mirum si Apostoli ad huius vocis auditum timore perculsi ad terram decidant. Et vt scribit Chrysostomus homilia 57. *Et ceciderunt trementes simulque adorantes.* Etenim vox illa, & eruditio IESV demonstrantis omne gaudium, omne bonum situm esse in perpessione malorum, pauenda, admiranda, & veneratione dignissima est; quod enim imbonitas, & incommodum ante iudicabatur homini ex terreno iudicio, id perpulchrum, & optimum decernitur diuina censura. Nec solum admirabilitatem plenam tremore ingenerat animis audientium illa noua Gymnasiarchæ IESV philosophia, sed cultum & reuerentiam: *Simulque adorantes.* Vt iam acerba mortis cruciamenta non respuant, sed ambiant, & ad terram non solum cernui, sed prostrati, tanquam diuinum bonum passiones, & crucis patibulum venerentur.

Ad confessū Iesu in trāsfiguratione gloriosæ, exterriti sunt discipuli.
D Matth.
Qua ex causa timore consternati ceciderunt.
D Matth.
Theoph.
Bonum esse, Iesum non occidi, Petrus asseruit.
Titus.
Cat. Græc.
Oportere, eū pati, & occidi, a Patre audis.
Iesus docet, bonum esse pati.
D Chrysost.
Bonum esse pati audiētes stupent, & venerantur adorantes.

2. Hinc non inepta solutio exoritur illius disquisitionis, quæ à quibusdam Ecclesiæ primoribus, & singulatim à Chrysostomo excitatur, cur Christo in lymphis Iordanis intincto, personante voce Patris, nemo ex turba, qui aderat, expauit; & quando tonitruum factum esse dicebant, Ioannis cap. 12. nullus est timore perculsus, nec ad terram prolapsus? Quia necdum reboabat de nube aut æthere Crucis magisterium, & passionis gloria, quæ maiorem sibi vendicabat tremorem, & cultum: expauescit, & tremit omnis humana virtus cum resciscit ex ore diuino in morte positam esse vitam, & in maximo probrosi patibuli dehonestamento, omnium bonorum fontem. Iam denique me ad propositum reduco, & consilium, & scopum Oseæ Prophetæ in verbis recitati teneo: *& pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius.* vel: *stupebunt ad Dominum, & in bonis eius.* Non enim in hoc Dauide, sic eum nuncupat Vates, sicut in illo manu forti demirantur Israëlitæ cohortium præsidia, bellicam fortitudinem, & gloriam ornatam varietate, & multitudine triumphorum; nec sicut in eius filio Salomone, stupent cùm Saba Regina illius sapientiam, domum, cibaria, vestes, victimas: de qua dicitur 2. Paralip.cap.9. vers. 4. *Non erat præ stupore vltra in ea spiritus.* Alia sunt bona Domini, ad quæ stupet & pauet Ecclesia Christi, quod digna sit habita pro nomine IESV contumeliam pati, vinciri, ad mortem raptari, in patibulo suffigi, aut busto deuoueri, aut salo, anchora ad collum suspensa, iactari. *Stupebunt in bonis eius.* Illa sunt Dauidis, & Salomonis commoda, hæc bona IESV.

Cur in Christi baptismo, voce resonāte, nullus de turba expauit?
Non personuit tūc vox passionis, quā tanquam bonum optimū homines venerarentur.
Oseas.
Lib. Par.

3. Domini familiaritas cum Moyse, & gratiosus aspectus, quo eum semper tuebatur, impulit in mirabilem audaciam, vt postulata omnem hominis captum superantia, corrogет; nec animosus ausus se exerit ad terrena deprecanda, qui superior erat mundo; sed verborum blandimentis, humilique obsequio procurat vlteriorem Domini gratiam, vt faciem suam, vt cernat, quem amat, eius contempletur speciem, & vultum veneretur Domini oracula loquentis, mirabilia facientis. Respondet serui sui votis Dominus Deus. Exodi cap. 33. vers. 18. & 19. *Qui ait ostende mihi gloriam tuam. Respondit: ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te.* Mentes Sanctorum semper Deus dirigit, & nouis virtutum institutis, & incrementis informat, oblectamenta quærit Moyses discriminum, & lenimen dulce laborum faciem & gloriam Domini, vt in eius intuitu feriatus populi contumacis vexationibus, pausationem quamdam inueniat; vt inoffensam stationem à tumultu, & absconsionem à molesto negotiorum turbine nanciscatur. Sed Dei oraculum, quod Mosaïcam mentem ad diuiniora auocabat, omnis boni ostensionem promittit. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Suspensos tenet, & quidem merito, animos interpretum tantum bonum, eiusque ampla promissio, & in diuersas commentationes distrahit. Illud verò in præsenti, si lectori non displicet, mihi valde arridet; omne bonum Domini, Moysi manifestatum, esse IESV passiones, & cruciatus. Hoc lemma indicat versio Hebraïca Sanctis Pagnini: *Ego transire faciam omne bonum meum super faciem tuam.* Quam sequuntur Tigurina apud

Exod.
Deus omne bonum ostēdere, promisit Moysi.
Omne bonum ostensum Moysi, Iesu passiones, & cruciatus.
Lect. Heb.
Sanctes.

Varab. Glossa. D. August.

Dei transitus in conspectu Moysi, eius est passio, & mors.

apud Vatablum, glossa Exodi & viri doctissimi. Quodque caput est Sanctus Augustinus in Exod. quæst. 154. ibi legit: *Ego transibo ante te in gloria mea.* Et arcanorum sapientissimus scrutator mysterium versionis propalat dicens: *Ille quippe intelligitur loqui, & dicere, transibo ante te, de quo dicit Euangelium* (Ioan. cap. 13.) *cùm veniret hora, vt transiret IESVS de hoc mundo ad Patrem, qui transitus etiam pascha interpretari perhibetur. Hæc itaque magna omnino prophetia est.* Transitum prædicit IESV ex hac vita ad Patrem, & pascha nostrum quando immolatus est Christus; obiecit itaque Mosaicis obtutibus Dominus quamdam imaginem passionis Christi, vt omnibus opprobriis, & sputamentis deturpatus, vulneribus liuidus, sanguinéque percussionum madens, spinis caput inhorrescens, Crucem baiulans, in qua suffigatur, in Moysi conspectu compareret. Hæ sunt diuitiæ, & gloria, & omne bonum Domini, quod ostenditur Moysi? Vir dolorum sciens ferre infirmitates, & languores malis nostris circumdatus, peccata nostra portans, turpissima morte damnatus, blasphemiis impetitus, opprobrium hominum factus, & maledictum? Intende: si malis nostris, probris & maledictis aggrauatus coram Moyse transibat, non adstipulatio fiat omnis boni, sed omnis mali. Nec Moysi hæc promissio fiat: *Transire faciam coram te omne bonum; & decus meum.* Sed: *transire faciam coram te omne malum, & dedecus.* Quando traducitur Crucem baiulans, & suspensus patibulo, factus pro nobis peccatum, & maledictum. His Dominus arguit Moysen, instruit mentem, inflammat affectum, vt non tantum Dominum hanc orbis molem architectantem, miracula facientem, & in habitu regnantis apparentem, pio amoris prosequatur affectu; sed ad immanes cruciatus, vilissimam mortem crucis sustinentem suspiret, & anhelet. Auebat cernere illum candorem lucis æternæ, & vultum in quem desiderant Angeli prospicere; sed denigrata facies ei obiicitur, obscurata in passione, turpata in cruce, pallescens in morte, in qua non est species, neque decor, nec reputata est inter filios hominum; ab hac prospectanda non inhibetur Mosaicus intuitus; nam qui hunc vultum morientis, & liuidam faciem mortui prospectat, non moritur, sed viuit: Passio, & mors omne bonum IESV est, à qua vita promanat æterna; omne bonum est, per quam omnium criminum malum dissoluitur, & mors ipsa disperiit. Bonum, in quo omnia bona naturæ, & gratiæ, Angelis, & hominibus donare disposuit Deus. Iam ergo palinodiam cantitet humana mens, quæ bonum æstimat quod suaue, quod iucundum, & impinguans affectum, quod muneribus opulentiæ, & gloriæ locupletat; & quod aduersum sensibus tanquam malum respuebat. Erudit Moysen Dominus in hoc transitu, migrationeque IESV de vita ad mortem, in hac solemnitate Paschali in typicis vmbris celebrata, quiddam volupe, & iucundum cælesti suauitate refertum, omnium bonorum cumulum esse pro amore Creatoris pati, & mori. Nec relinquas intactam postremam clausulam diuinæ locutionis: *Et vocabo in nomine Domini coram te.* Vbi ponderat Sanctus Au-

Moysi desideranti cernere candorē lucis æternæ, Iesu facies in morte obscurata obijcitur.

Passio, & mors omne bonum Iesu.

gustinus supra relatus: *Vocabo autem dixit, non vocabor, actiuum verbum pro passiuo ponens, genere locutionis insusitato, in quo nimirum magnus sensus latet.* Illumque argutè aperit, contemplationem duplicem proponens, & quod nomen Domini IESV vbique gentium inuocetur; & quod gratia sua nationes omnes vocet, & excitet ad suum regnum. Quæ quidem sapienter enuntiata sunt. Illud quoque arcanum delituisse in illo inuoluto sermone, non erit incongruum, existimare, iuxta superiorem Aurelij conceptum: quod excelsa prædicatione IESV in paschate, & transitu suo conuocet Moysen, & in eo omnes Martyres, & IESV æmulatores ad ipsius IESV crucem portantis, & in Cruce occumbentis imitamentum, & sequelam; vt sicut ipse per Crucis lignum, & mare rubrum sui sanguinis transiuit ad regnum; per tolerantiam passionum, profusionem sanguinis, & vitæ dicantur transitores, & IESV sectatores. Denique Moysen ante hunc transitum Domini iucundissimis alloquiis, placidissimis visionibus tanquam puerulum crepundiis allectabat; nunc prouehit ad maiora virtutum incrementa, & ad Euangelicæ sanctimoniæ fastigium euehit, cùm perfectionis apicem non in fruitione diuinorum, & aspectu Dominici vultus iucundo, sed in passionum tolerantia, in hac vita constituit? eumque imbuit in sacræ doctrinæ lycæo suprema eruditione Sanctorum, & Apostolicis institutis informat, dum omne bonum suum ostendit esse constitutum in carceribus, conuiciis, maledictis, damnatione mortis turpissimæ sustinendæ.

D. August.

Sectatores sunt comparat Iesu ad tolerantiam passionum.

4. His adiunge omne bonum extitisse IESV suam passionem, & mortem; nam si non patienter sustinuisset mortis ærumnas, aditum prælusisset gentium crudelitati, nec enim iustus prædicaretur, nec Deus veneraretur mortem probrosam recusans. Vnde quod Gentes à vera Dei fide extorres nobis obiiciunt tanquam probrum Christianæ religionis, & infamiam nostræ credulitatis, quod hominem damnatum morti inter sontes, & nocentes in patibulo suspensum, veneremur, tantum abest, vt suppudescamus, aut conturbemur aut confundamur hoc conuicio, quin potius gloriamur, cum in eo omne decus Domini, & omnis gloriatio, & beatitudo nostra posita sit. Vrget eleganter hoc argumentum Lactantius Firmianus lib. 4. de vera sapientia cap. 16. dicens: *Venio nunc ad ipsam passionem, quæ velut opprobrium nobis obiectari solet, quod & hominem, & ab hominibus insigni supplicio affectum, & excruciatum colamus; vt doceam eam ipsam passionem ab eo cum magna, & diuina ratione susceptam, & in ea sola & virtutem, & veritatem, & sapientiam contineri. Neque enim si beatissimus in terra fuisset, & per omnem vitam in summa felicitate regnasset, quisquam illum sapiens, aut Deum credidisset; aut honore diuino dignum indicasset.* Nec mirum si omnem veritatem, virtutem, & gloriam vniuersasque Deitatis gazas absconditas in patibulo suspenso IESV prædicet; illud tamen ad supremam speculationem attinet, quod argute adiungit Firmianus opprobrium ipsum passionis, & turpissimæ mortis contumeliam, veri Dei supremique Domini cultum certissimum conciliasse. Si enim

Tanquā probrum obijcitur Christianis, quod hominem contumelijs affectum venerémur.

Lact. Firm.

In passione Iesu virtus, & veritas, & sapientia continentur. Si Iesus beatissimus in terris fuiss, & in summa felicitate regnasset, aut Deus crederetur, aut honore digmus indicaretur.

iuxta

iuxta expectationem fallacem Iudæorum, & Gentium, satellitio militum, aut famulantium turbis præcinctus, vbertate diuitiarum diffluens, & insignibus gloriæ cumulatus Christus regnasset, ita vt felicissimus,& beatissimus in hoc sæculo proclamaretur ab omnibus, à nullo cordato & sapiente viro iustus, sanctus, innocens, Rex æternus, Deus verus IESVS approbaretur: *Neque enim si beatissimus in terra fuisset, & per omnem vitam in omni felicitate regnasset,quisquam illum sapiens,aut Deum credidisset: aut honore diuino dignum iudicasset.* O præclaram, sed veridicam Lactantij sententiam! Vbi sæcularis felicitas supremi numinis felicitati, & beatitas temporanea veræ Deitatis beatitudini detrahit: per amplissima creaturarum decora in huius mundialis machinæ molitione sapientiæ, bonitatis, & potestatis indicia præclara ostentauit Deus,vel cum illas de thesauro diuinitatis eduxit, aut prouida gubernatione firmauit:Quæ tamen natio ex omnibus quæ sub cælo sunt, si vnam demas & ex ea pauciores vel digito demonstrabiles, quæ verum cultum & obsequium supremo, & vero numini præstaret. Cùm in splendore creaturarum caligantes, & vera luce aspectabilis formæ cæcutientes, soli, lunæ, stellis, elementis diuinitatem amentes impertirentur, & in vanissimis simulacris, heroibus, improbis facinoribus claris, & in iis ipsis apostatis Angelis, ambitiosis diuinitatis æmulatoribus, supremum cultum exhiberent. Iam ergo diuinitas, adueniente Domino, ex humana forma clarescit, gloria ex improperio resultat,veræ Deitatis agnitio ex Crucis abiectione efflorescit, credulitas gentium & æterna vita ex morte turpissima coagmentatur, veri adoratores fallacissima figmenta respuunt, cùm cernunt iustum pro sontibus in Cruce occumbentem. Exinde Gentium credulitas, fidei splendor, ipsius Christi felicitas à Crucis ignominia, & probrosæ necis vmbra fortunatum sumit auspicium.Si enim instar humanorum heroum,quos superstitiosa Gentium vetustas diuorum albo asciuit, aut IESVS vitam instituerет, aut extremum halitum funderet, nullus vir cordatus honore Deifico dignum, nec æternitatis Regem, sed immortalitatis falsidicum affectatorem cum deorum turba iudicasset; illud tamen rectè discernit;gloria, & honore non coronari caput, nisi quod inhorrentis plexus sentibus terebratur;nec dignam imperio,& sceptro manum, nisi quam ornauit in militum ludicro, contemptibilis canna. Nec piis pedes signari, osculis, & prehendi amplexibus venerandis, nisi quos ferreus clauus perfodit.Per hæc enim ludibria, & vulnera vera tolerantia, & virtus emicuit, in qua verum bonum collocatum est. Eleganter subiungit Lactantius: *Nec enim potest aliquid in rebus terrenis esse venerabile, caloque dignum: sed sola est virtus, sola iustitia, quæ potest verum bonum, & caleste, & perpetuum iudicari.* Hæc ille.

A Creatoris magnitudine,& gloria, perpauci allecti ad illius cultum.

Passio Christi & illius opprobrium, vniuersum hominum genus attraxit.

Lactan.

Nil venerabile caloque dignum, nisi sola virtus & iustitia, qua verum bonum, & caleste possunt indicari.

5. Clamores diuitis epulonis inferno sepulti, scribit Sanctus Lucas Euangelista c. 16. v.24.*Et ipse clamans dixit: pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquã, vt refrigeret linguam meã, quia crucior in hac flamma.* Stoliditate, & confusione plenissima verba extorquet ab opulento cruciatus immanis; misericordiam expostulat in Tartaro, vbi pietas exulat, & omnis aditus præclusus est veniæ; vt eius misereatur lacrymabili voce congeminat mortuus, qui nec pauperis, nec sui ipsius misertus est viuus; nec remissionis aqua aspergi solicitus est, quæ de diuinæ indulgentiæ fluentis abundat apud cælestem mansionem; quâ si viuus in domo,& pœnitens intingeretur, scelus crudelitatis abstergeret,& immisericordis expiaret flagitium; deprecatur, vt descendat Lazarus de Abrahami sinu ad lethæum amnem, vt de cœnoso & pestifero latice ingurgitaret sitibundam oris voraginem; tabe antea inhorrescens, & liuida manus,nunc albida, & limpida sordidari recusat de lutulento gurgite damnatorum; qui in auro,& ostro biberat defœcata, & odorata vina,& ærumnoso aquæ poculum in vase fictili pernegarat,aqueæ guttulæ refrigerium & stillicidium de digito Lazari velut de aureo siphunculo exiliens, anhelat. Sed cur Lazarum pocillatorem, & suæ sitis refrigeratorem constituit epulo, & non Abrahamum deprecatur vt ad ipsum veniat sitibundum, & qui in sua casula subueniebat pauperibus, daret misero aquæ stillæ solatium? Abrahamum exorat, non vt ipse, sed vt mendicus Lazarus veniat. Hanc percunctationem proponit Chrysostomus concione 2.de Lazaro,& inter alia multa respõdet: *Atque illius digitum nunc implorat, quem crebro passus fuerat exponi canum linguis.* Non habuit Abraham sed solus Lazarus manum vlcerosam digitosque tabificis pustulis scatentes; illius manus implorat auxilium, quæ illustris fuerat de tolerantia passionum, cuius attactus, diuitis in inferni busto ardentis, daret linguæ refrigerium. Non manus, nec digitus Abrahæ, qui tolerantia dolorum, & vulnerum non fuerat decorata, postulatur ad oblectamentum; sciebat enim tormentis addictus quantum bonum esset, in hac mortalitate toleranter duros cruciatus perpeti: Ille qui manum, & digitos pauperis ringentibus canibus offerebat ad prædam,& succum suppurati cruoris porrigebat ad poculum, & tumentibus, & hiantibus plagis inhorrentem non dignabatur aspicere; nunc tanquam regalis thesauri thecam,& pretiosissimas gemmas ad tactum, & osculum perrequirit. Adeoproficuum cruciatus & vulnera pro amore Creatoris pati, vt illos etiam in tormentis damnatorum positus tanquam quid cæleste & diuinum veneretur.

D Lucas.

Cur epulo Lazari digitum expostulat, ad refrigerium?

D Chrys.

Illius digitũ implorat, quem crebro passus fuerat, exponi canum linguis.

Non manus nec digitus Abrahæ qua fuerat passionis expers, sed digitus illustris de passione postulatur ad refrigerium.

Manus patientis & vulnerata Lazari,tactum, & osculum perrequirit Epulo.

6. Ad tactum Mosaicæ manus Erythræum pelagus scinditur, hinc inde bifidatæ vndæ gelido stupore frenantur. Exodi cap. 14. v. 21. *Diuisaque est aqua: Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus à dextera eorum, & læua.* Quis inhibuit fluentorum reciprocantium motus,& influxus, aut quis libratos tenuit, & quietos suspensione mirabili vortices vndarum?Quis maria segregauit, vt inoffensum, & stabilem transitum præberent Hebræis? Respondet sanctus Ambrosius lib. 2. *de Iacob & vita beata* cap. 9. *Sed illud opprobrium Christi thesauris Ægypti pretiosius æstimatum est. Et ideo Moyses Pharaonis regis aulam reliquit, & fidei elegit opprobrium, cui se opprobrio maria diuidebant.* Erat Moyses opprobrio Christi insignis, cum illud prætulit thesauris Ægyptiis, & totius orbis gazis regiis,

Exod.

D.Amb.

Christi opprobrium, rubrum mare diuisit.

sciebat enim omnibus bonis, & thesauris abundare diuinis; ideo aulica oblectamenta, & irritamenta vitiorum, & fortunarum pompam spreuit, & amplexus est dedecus Crucis, & ignominiam Christi patientis; qua instructus fugabat acies hostiles, & maria diuidebat: vnde Regio præcentori suauiloquo hymno percunctanti: *Quid est tibi mare quod fugisti?* Cur in altum elati fluctus celeri cursu gradientes, & fugientes? Occurrit Ambrosianum responsum. Expauescebant Christi opprobrium, quod fulgebat in Moyse, illud enim tegmen armorum, nitentem & splendescentem clypeum, quo Dux Israelitici populi tegebatur, mare exhorruit, ab ipso refugit; opprobrium Christi venerati sunt fluctus, antea instructi colere potentiam creantis, denuo edocti gestire, & exilire in clementia redimentis: mare rubrum purpureos Christi latices probroso ligno expressos recognoscit: gloriosa creatoris manus in vnum locum coire faciens congregationes aquarum appellauit maria; nunc Mosaica manus decora Crucis opprobrio, maria diuisit; In coitione fluidi elementi erga Deum obsequium nitet; in segregatione horror, & reuerentia eminet, ad intuitum enim opprobrij Saluatoris trepidantes, bonitatis eius, & sapientiæ Dei altitudinem colentes Lymphæ tremiscunt. *Cui se opprobrio maria diuidebant.*

7. Congesta sunt in Beatum Iob tanquam in dolorum, & ærumnarum amphiteatrum omnia mala, & aduersa naturæ. Fortunarum spolium, pecorum incendium, filiorum conuiuantium sepulchrum, vxoris ad blasphemiam excitantis propudium, omnium denique languorum, & plagarū in vnum corpus mortale concursus. Iob. c. 1. v. 20. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit.* Surrexit vt Gigas hostiles acies dæmonum debellaturus; surrexit vt ostenderet, quod in fortunarum & natorum casu iusti animus stabat erectus, excelsiorque rebus humanis; sed quid adorauit in terram corruens hic cultor pietatis, & tolerantiæ prodigium? Deum vtique veneratus est, à quo donata, & ablata sunt omnia Sic censet Olympiodorus in catena Græcorum Patrum: *Ob virtutem ad Deum confugit, inflexisque genibus eum adorat legitimè.* Et statim mentem suam vberius aperit: *Et quamuis acerbitatum illarum auctorem Deum esse cognoscat, nihilominus veneratur, grataque ei voluntate depositum reddit:* Excelsior virtus iusti est non tantum in beneficiis & prosperis, sed etiam in plagis, & aduersis, Deum agnoscere, veneratione, & cultu prosequi in flagellis, & cruciatibus; flagellantis, excruciantis exosculari manum altioris virtutis, & sustinentiæ portio est. Corona tamen probitatis, & feruentioris charitatis fastigium eminet si non solam manum percutientis, sed si flagra, & plagas ipsas veneretur, & adoret. Id perfecisse Iobum indicat Chrysostomus homilia 3. de Iob tomo 1. *Bonum verbum surrexit, non enim decidit de plaga, sed surrexit pietatis virtute. Surrexit, & adorauit. Merces calamitatum adoratio.* ô eximium & singularem adoratorem! In ipsa plagarum acerbitate Deum auguste, sanctèque veneratus est, plectentem dexteram pie osculatus est; adhuc tamen se ipso maior percussiones, dolores, vulnera religiose colit, & venerabundus adorat, pessimi vlceris, percussuræ, aduersitatis mercedem exambit, nimirum calamitates ipsas venerari. *Merces calamitatum adoratio.* Sciebat enim omnia peracerba de Dei manu tanquam de bonorum fonte promanare, quæ secum omnia commoda, & emolumenta pertrahit, & effundit in patientis animum. Non ergo calamitates, & plagas vt malum recusat, sed vt optimum in terram corruens veneratur.

Iob.

Deum veneratur in cruciatibus, & aduersis, excelsior est animi virtus.

Olymp. Cat Græ.

Iob calamitates, & plagas tanquam quid celsie, & diuinum adorat


D. Chrysost.



Nouum decus adiungit Versioni LXX. Interpretum: *Quoniam consiliati sunt consilium pessimum contra semetipsos.*

DISCVRSVS VII.

Sibi ipsi improbitate sua nocentior est improbus; & quod aduersus iustum parat exitium, in suū caput refundit.

1. 

QVos nectit dolos, quas fraudes iniquus vt de medio tollat innoxium, tot aduersus se parat insidias, & iacula exacuit, quibus semetipsum confodiat. De medio sustulit Lamech virum quendam, & adolescentulum; & homicidiorum reus, & dolore compunctus coram vxoribus suis Ada, & Sella fatetur errorem. Genes. c. 4. v. 23. *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum.* Lectio LXX. seniorum eximium continet leporem: *Quia virum occidi in vulnus mihi, & adolescentulum in cicatricem mihi.* In oratione sua, & confessione bigamus, & sanguinarius Lamech malitiæ naturam ostendit, quæ artifici suo, & architecto exitium accersit. Virum occidit sibi & adolescentulum vir crudelis; dum innoxios vulnerat, se ipsum sauciat, dum perimit amicos, aut proximos, se ipsū interimit. Eadem manus, idemque gladius, qui vulneribus conficit extraneos, mortis auctorem trucidat. Ritè S. Chrysostomus inquit homilia 20. in Genesim: *Virum occidi in vulnus mihi. Non tantum, inquit, nocui illis, quos occidi, quantum mihi ipsi.* Maius enim nocumentum intulit animæ suæ Lamech occisionis flagitio, quàm sanguinem fundens, & vitam auferens innocentium, gladio. Cum eos communi naturæ vita exuit, necem animæ suæ intulit, & vitam ei eripuit nobiliorem. Nocentior gladius, & percussura immanior, quæ animam homicidæ pertransit. Prius enim malitia armatur ad sui auctoris spiritalem interitum, quàm miserorum corpora mucrone confodiat: *In vulnus mihi in cicatricem mihi.* Vulnera, cicatrices, liuores, plagas, inquit, aduersum me armatas inspicio. Dūque in cadauere muto, & insensibili hiant, earum doloré persentisco, & clamores in auribus meis tinnientes ausculto, è vocalissimis oribus erumpentes, qui indesinenter exaggerant flagitium crudele, vindictam à superno numine expostulant, & persimilé occasum intentant. Quocirca aptissime celebrat S. Ambrosius cælestis fidicinis

Lamech adolescentulum perimens, se vulnerat, & mactat. Genes.

Lect. LXX.

D. Chrysost.

Lamech sibi nocentior extitit, quam innocenti occisi.

D. Amb.

Digitized by Google

fidicinis canticum ex Psal. 35. v. 1. mutuatum: *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso.* Legitque sapientissimus Antistes: *Dixit iniustus vt delinquat sibi.* Et perbelle subiungit: *Quidquid ergo loquitur iniustus iniquitas est, quæ in suum refertur auctorem: sicut viperæ partus, qui primo suam scindit parentem, vt frequens sermo est. Sibi ergo delinquit. Nihil hac sententia sublimius dictum arbitror in illis qui sibi sapientiam sæculi vendicarunt, nihil tale legi, nihil tale cognoui. Nec mirum quando quidem illi humano ingenio locuti sunt; Hoc infudit spiritus Dei, spiritus veritatis, quia iniustus sibi delinquat, sibi generet vulnera, se ipse confodiat.* Itaque iniustus sibi delinquit, sibi mala architectatur, calamitatem conflat, quid mirum ergo si Lamech illud veridicum effatum pronuntiet: quod virum occiderit in vulnus sibi, & iuuenem in cicatricē sibi; iam denique à temporis exordio, & genesi mundi, malitia sibi perniciem comparat.

Improbus sibi ipsi delinquit.

Iniquitas est vipera partus, quæ suum perimit auctorem.

2. Inter alia dehonestamenta, & probra, quibus affectus est IESVS in Pilati aula à militibus sannionibus, illud famosum ad violandā Domini dignitatem, quod ludicra quædam scena confecti, & personati imperij instituta ad irrisionē, & ludibrium Saluatoris, corona ex rigidis compacta sentibus, & capiti aptata, & arundineum sceptrum insertum manui dextræ. Matthæi c. 27. v. 29. *Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius.* Quæ omnia molitus est diabolus, vt Dominum irritaret, & dolorum impatientia, & conuiciorum violentia à fortitudinis, & animositatis virtute excideret; quod contra accidit, nam in ipso ludicro sceptro, & contemptibili canna, sibi ipsi conflauit Diabolus exitium. Pulchre S. Athanasius libro de passione, & Cruce Domini ait: *Atq; hinc rursum est, quod arundinē accepit, quum illi à diabolo porrigeretur ignaro, quod contra se ipsum gladium acueret. Dicitur enim arundo serpentibus lethalis esse, atque inde potissimū interfici. Quum igitur ipse Dominus Sabaoth, vt Esaias dicit,* (cap 27. iuxta LXX.) *fugientem draconem, & magnum illū serpentem diabolum persequi statuisset, tum eius rei causa id, quod illi exitiale erat, ab eis accepit, vt suis proprijsque rebus debilitatiore reddito diabolo, ij, qui Christi erant, homines fortiores redderentur.* Et allato Dauidis simili, qui Goliathum suo ipsius gladio trucidauit, adiungit: *Idem quoque Seruator fecit, sumens arundinem ab illis, vt nos non solum liberaret à versutia serpentis, sed & illum serpentē tolleret, & mortuum exhiberet.* Irrita nequissimarum potestatum consilia prorsus euanescunt: Nihil proficit insana crudelitas tortorū, & furor dæmonum aduersus patientē iustū; artifex subsannationis Archidæmon cum spirituū improborū cohorte nefaria excinditur: arūdo porrecta Seruatoris dextræ in limatum, & exacutum gladiū immutata est, quo colubri fugientis, & tortuosi serpentis caput amputatum; sceptrum Regale à ludibundis militibus non compactum de virga, sed de canna, quæ exitialis solet esse serpētibus, vt suæ vastitatis paraturam in calamo cerneret. Tenebat diabolus ditionem orbis, & hominum imperium in arundine adumbratum, dum instar cannæ vento agitatæ, omni falsidicæ doctrinæ, & errorum flatu inflectabantur; & in idolis, in quibus impendendū expectabant stabile patrocinium in aduersis, inueniebant baculum arundineum, & conquassatum, qui manum læderet, & traiiceret. Sed ecce ab ignorante dæmone, cùm arundo dextræ Christi aptatur, hominum regnū

D. Mat.

Diabolus Christum ludificans spinea corona, & sceptro arundineo, sibi ipsi conflauit exitium.

D. Athan.

Diabolus cū arundinem Christo porrigit, contra se gladium exacuit.

Arundo serpentibus lethalis.

D. Athan.

ab iniquo possessore ereptum, Domino restituitur, vt labefactum redintegret, & debilitatæ tot criminibus & variabili naturæ æternā præstet stabilitatem. Adhuc in maiorem acerbitatem, & irritamentum exacuebat diabolus milites, vt Iesum exacerbarent; dum sanctum, & sublime caput Angelorum, & hominū aculeatis cuspidibus punctum, & terebratū arundinis ictibus, & tunsionibus feriunt. Matth. cap. 27. vers. 30. *Acceperunt arundinem & percutiebant caput eius.* Sceptra huius mundi, & imperia, quæ respuunt pietatem, vehementioribus sunt addicta flagitiis, dolores Christi patientis accumulant, ictus acerbiores, & dolores capiti Saluatoris à manu, quam sceptrum ornat, proueniunt. Non innocens, non iustus, sed nocentes, & tortores arundine vehementius verberantur, & feriuntur. Quapropter Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex, & acerrimus fidei propugnator, aliquibus interiectis, æquo iure subiungit: *Illi, qui persequebantur Dominum, semetipsos non sentientes verberabant, nō Domino interim sed sibi noxij: vt enim si quis lapidem manu secare velit, lapidem quidem non scindit, sed manum vulnerat: eadem ratione contra Dominum agentes, vtpote contra incorruptibilem, perniciē suam moliebantur, & immortali mortem intentantes ipsi in mortem rapiebantur.* Quàm cæca malitia, & insana crudelitas, durum saxum pugnis tundere, cum, saxo innoxio permanente, sola lædatur, & laceretur manus: in lapidem viuum angularem à Deo electum, ab hominibus reprobatum, Iudaica improbitas rostratas suas impulit, sed lapidis duritie, & tolerantia confractę, ipse infrangibilis, & incorruptibilis permanet, ipsæ verò parabant sibi perniciē; si enim arundo crebrioribus ictibus discissa è capite Saluatoris dissilit, haud dubio portendebat Iudæorum sceptrum, & imperium dissipatum; & cùm à Domino pertentant imperij insulas auferre, confractum, & abolitum ostentant Iudæi suum dominatum.

D. Mat.

Tortores arūdine caput Christi percutientes, semetipsos verberant.

D. Athanas.

Qui lapidem manu secare contendit, manum vulnerat.

Lapis infrangibilis Christus aduersarios destruit.

3. In dedicatione statuæ aureæ, & superbiæ simulacri Nabuchodonosoris, inuenti sunt tres pueri decretum impium Regis de statuæ veneratione constanter respuētes. Qua de causa proiecti sunt in pyram igne voraci accensam, vt eos crepitans flamma consumeret, & redigeret in fauillas; sed contra accidit, nam ipsis intactis & illæsis ab igne, ministri, qui eos camino ignis deuouerant, ab incendio deuorati sunt. Danielis c. 3. à v. 46. *Et non cessabant, qui miserant eos ministri Regis succēdere fornacem naphta, & stupa, & pice, & malleolis. Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem: Et erupit, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.* Ecce ignis fugit à damnatis, vt perquirat tortores, & eos consumat; in illis veneratur innocentiam, in his plectit malitiam; illos charitate, & pietate conspicuos vt aurum perpurgatum in conflatorio, reddidit illustres; hos tanquam ligna arida, & palearum congeriem in momento dissoluit. Pulchre in hoc prodigio diuino perpendendo philosophatur Chrysostomus tomo. 1. homilia de tribus pueris, dicens: *Furatur pastus alienos incendium, nam consumpsit quos propè inuenit, quia ieiunat in suis. Custodiam, suam vehementer horrescens, ne iam faciat vel ipso fumo sanctis, quos tuetur iniuriam, foris tantum ducit vrere. Bene constanti vindicta innocentia defenditur, liberantur inclusi, & pereunt spectatores.* Qui spectatores? Haud dubio illos primo loco deuorax flamma consumpsit, qui sanctos adolescentulos vinculis constrictos

Dan.

Ignis Babylonicus pueros indemnes seruat, tortores exurit.

D. Chrys.

Flamma vorax ieiunat in sanctis, & pastus alienos perquirit. Primos spectatores, qui ligatos pueros in incendiū coniecerant, igne exurit.

Digitized by Google

ctos proiecerant in bustum.ibi.v.20.de iis dicitur: *Et viru fortissimus de exercitu suo iussit vt ligatu pedibus Sidrach, Misach,& Abdenago,mitterẽt eos in fornacem ignis ardentis.* Ii quoque irritabant igneos globulos, addentes continuo noua combustibilium fomenta. Ii viri fortissimi primi erant fornacis spectatores. Quibus cur demandata sanctorum proiectio in medios ignes? Respondet Hugo Cardinalis. *Vt eos vsque ad intima ignis proijcere possent; vel ideo vt si aliquod auxiliũ a Deo suo illis mitteretur, illi resisterent. Vel vt facile ligarent, si illi forte vellent resistere. Vel etiam vt acrius ligarent,& plus læderent.* Statim ac tota illa ignea flammarũ crepitantium vorago infantes sacros assumpsit, spiritus diuini sacella torrido charitatis flatu inflãmata recognouit; ideo vincula dissoluit corporum, in quibus habitabant animi, ab omni flagitij nexu expediti; manus,& puros pedes adlãbunt, & poplites, qui ad superstitiosum cultum non sunt inflexi, & tanquam amicis,& sodalibus Dei, flammę linguę velut figunt oscula; at contra aduersarios exardescunt, & tanquã fluuius igneus rapido cursu cõcitatus eos vorticibus ignitis inuoluit. Sic perniciosa missilia,& ignita fulmina, non contra innocentiã, sed aduersus malitiam carnifices parant; aduersus se ipsos rhomphæas ignitas exacuunt; Concitatus furor tortorũ igneos globos,& malleolos accensos aduersus insontes pueros exufflat, sed fornax aduersus puerorũ colligatores, Sanctorum corporum in medium bustũ propulsatores, indignabunda fumos,& ignes vomit, deserit inclusos, perquirit vinculatores, & ictu oculi in fauillas soluit. Quàm rationalis ignis extitit, non solũ ardentes flammas, sed fumeos vortices à contubernio Sanctorũ propellit, vt si flamma non lædit, maleolentis nidoris, & fumi halitus non excruciet. De Chaldæis verò, quos flamma non vssit, fumosa nubes inuoluit, vt eorum naribus fumiferus flatus inderet molestiã, capitibus vertiginem: non tantum ignis, fumus quoque contra barbaros militat. Quadrat prædictis illa sancti Athanasij sententia pensitantis dissolutam in morte Christi diaboli machinationem, cum aduersus seruatorem Iudæorũ primores concitat, lib. de passione fatur: *Cæca enim malitia est,& incircũspecta animi prauitas, vt quæ non intelligat, ipsam suas contra manus acuere, veluti si quis serpentem manu apprehendat vt alteri iniiciat, quod fieri non potest, quin ipse prius mordeatur; aut si quis ignem manu sumat vt hostem lædat, interim non animaduertat, se ipsum comburi. Ita ipsa malitia contra sui vsurpatores militat, eosque, qui ipsam tenent, magis quàm illos, in quos noxam parant, consauciat.* Hæc eleganter Athanasius, quæ omnia videre est non solum in Christi tortoribus, sed ad amussim exacta in trium puerorum persecutoribus.

Hugo Card.

Primi interguntur flammis, qui ligatos iuuenes ad interiora busti proijciunt, vt plus læderent.

D. Athan.

Cæca malitia est, sibique perniciẽ parat.

Qui serpentẽ apprehendit, vt alteri iniciat, prior à serpente mordetur.

Qui prunam accipit, vt hostem lædat prius ipse comburitur.

Habac.

4. Habacuc Propheta vaticinatur aduersus Regem Babylonis, & intonat lugubre carmen, & væ c. 2. v. 6. *Væ ei, qui multiplicat non sua: vsquequo & aggrauat contra se densum lutũ.* Regis auaritiam, & inexplebilem cupiditatem aliena rapiendi obiurgat Vates; erat enim plusquã infelix, qui incendiis quibusdam facultates alienas possidendi flagrabat,& his compendiis iniquis, & mammona iniquitatis rem propriam augere studebat. Perpulchrè,& genuine Regis cupiditatem describit Theodoretus: *Omnis sapiens eius inexhaustã auiditatem inferno & morti comparabit,& cum lamentabitur ex alienis bonis suas opes augentem,& satietate affici nõ valentẽ, sed tributis,& vectigalibus subditos onerantẽ; ac dicet: quo vsque non satias voraginem tuam?* Quàm apposite ad mores regis, ad sensum Vatis: neque pensiculationem Hieronymi hic inexaminatã relinquas, dicẽtis: *Simulque cõsidera quã eleganter multiplicatas diuitias densum appellauerit lutum.* Et quia contemplationi nostræ perpẽdenda verba prophetæ relinquit, illud in primis asserendum, & pensiculandũ diuitias ex iniquitate congestas densum lutum nuncupari, quia vehementer aggrauant possessorem, mentem ad terrena inflectunt, nec cor sursum eleuari ad sidera prospectanda,& cęlestia sinũt; sed ad caduca,& peritura semper incuruant: nec terrã appellitat sed lutũ quia homines inquinant,& iis quasi in cęnoso gurgite, & loco palustri infixi sunt in limo profundi. Maior tamen lepor inest in illa Vatis diuini aduersatiua: *Aggrauat contra se.* Quã non oportet pertransire inexquisite. Quis nõ expectaret possessionũ abundantiam, auri aceruos, argenti cumulos, thesaurorum copiam allaturam commodũ, & emolumentum Babylonico Regi? Ecce copias in malũ Domini congregatas, aduersum possessorẽ militantes, & intentantes certissimum exitium: consilium regium diuitandi, immutatum est in sententiam destruendi Babylonicum regnũ. Scite,& argute comparat Chrysostomus opulentos cum puerulis ludẽtibus, tabernacula & casas ex luto molientibus in c. 7. Matthæi homilia 24. *Nam & testas & lutũ sæpius aggerentes, non minus gloriabamur, quàm ij, qui certatim amplas porticus & triclinia gaudent superba construere: sed tamen peribant illa,& cõtinuo corruebant.* Itaque palatiola, & domunculas quasdam pueruli ex luto architectãtur, cumque perueniunt ad superiora tecti fastigia adstruenda, male compacta, & lubrica molimina super caput artificum non sine risu dilabũtur. Sic Rex Babylonicus sicut in instabili structura nullo vinculo compaginata, densum diuitiarum lutum contra se aggrauabat, nõ structuram regiæ,& imperij, sed ruinã moliebatur. Versio tamen LXX seniorum hoc in loco perelegans est,& valde proficua moribus: ita legunt: *Vsque quo aggrauas torquem suam grauiter.* Theophilactus verò vertit: *Quousque, & solide ponderosum reddens colli sui ornamentũ.* Et ingenij solita argutia hoc collare Babylonij Regis exornat ad mores: *Væ qui nihil se decentibus manum inijcit, & colli sui ornamentum, siue onus imperij sui grauius constituit subditis suis, quod grauia tributa & vectigalia imponat.* Et statim: *Graue autem,& onerosum reddit collare suum eo quod grauius supplicium ex Deo ipse parauit.* Tot vectigalibus, & nouis impositionum,& tributorum adinuentionibus iniquis aggrauabat in subditorum collo imperij sui iugum. Veruntamen hoc onus grauius & ponderosius erat sibi, quàm subiecto populo: *Solide põderosum reddens colli sui ornamentum.* Sunt etenim moderatæ regnorum pensiones quasi speciosum Regis monile, quod pectus Regis exornat, tot distinctum lapidibus pretiosis, & illuminatum, quot sunt tributa iuxta pietatis, & æquitatis modum adhibita,& ad rectam rationem,& iuris normam reuocata; Si verò numerum,& facultatem subditorum excedant stipẽdia, non alleuiat Regem sed onere nimis ponderoso deprimit, nec finit ad cælum liberam eleuare ceruicem. Nec decorat pectus, sed dehonestat, & pro gemmis fulgentibus conuicia, & maledicentias inserit, nec torquem aureum vocitabis, sed vinculum

Regis Babylonij inexplebilis cupiditas obiurgatur.

Theodor.

Inexhausta auiditas & vorago æterna inferno, morti & inferno comparantur.

D. Hieron.

Multiplicatas diuitias, densum lutũ appellitat vates.

Diuitiæ mentem ad terrena inflectunt.

Copiæ aduersus possessorẽ militant, & certum parant exitiũ.

D. Chrys.

Opulenti cũ pueris ludentibus, & lutea casas, & lubricas cõstruentibus, comparantur.

Lect. LXX.

Theoph.

Rex Babylonius ex alieno dat stipendia, & vectigalium iniquis, collo suo parauit torquem, & funiculum.

Graue supplicium ex tributorum onere sibi parat.

Moderatæ regnum pensiones, speciosum regni monile.

Indictio immoderati stipendij, verum ferreus est regis.

ferreum

ferreum ex quamplurimis nexibus flagitiorum connexum, quibus miser, & infelix adstringitur. Et sub inexhausta cupiditate aliena retinendi tanquam tyranna dominatrice miseram subit captiuitatis ærumnam.

D. Hiero. 5. Non est deuius Doctor Maximus ab huius loci scopo, & discursus propositi Lemmate; illũ amplificat repetitis sententiis, suggillans Babylonici Imperatoris improbum ingenium alienas fortunas expilantis, & ad vlteriora inexplebili auiditate inhiantis, verbaque Vatis altius recolligens, hæc fundit sapientiæ oracula, & monitoria axiomata: *Nabuchodonosor rex Babylonius decipietur superbia sua, & quomodo vinum contra potantem facit; & postquam surrexerit, neque pes, neque mens suum officium tenet, omnisque lætitia, & mentis exhilaratio vertitur in ruinam: sic vir superbus non decorabitur, nec voluntatem suam perducet ad finem. Et iuxta Symmachi versionem in rerum omnium erit penuria.* Sic enim superbus dum aliis improperat, sibi dedecus parat, & sicut temulentus debilis, & fractus viribus ad inferendã noxam extraneis, sibi prolapsionem, præcipitiũ, & ruinam accersit, & aduersus se ipsum debacchatur, & furit; nimiique poculi iucunditatem, & exhilarationem in nutantis capitis conquassationem vertit, sic Nabuchodonosoris malitia, & auiditas deuastandi, sibi regnoque suo conflat exitium.

Inexplebili auiditate aliena rapiendi, Babylonico Regi non lætitiam, sed ruinam; non abundantiã, sed penuriã inuexit.

D. Hieron. 6. Subiungit Hieronymus iuxta veridicum effatum Prophetæ, omnes nationes super eum hoc problema, seu næniam tristissimam cantitare: *Væ ei, qui totum orbem vastans non saturatur rapinis, nec desinit expoliare iam nudos: & ad hoc tantum sanit, vt deuoret, & iniquitatis, & prædarum onere quasi grauissima torque se deprimat.* Itaque in tortura, & cruciamentis immanibus, quæ artifici elatione, & feritate molitus est aliis, lanienam sibi construxit, qua impius dilaceretur: *Numquid non repente consurgent Medi, atque Persæ, qui Babylo norum imperium destruentes, mordeant eum primum, & postea lacerent?* In quibus omnibus illud prouerbium adstruitur verosimilibus rationibus: malum consilium consultori pessimũ. Dum ex insidiis, quas prætendit innocuis, certissimam sibi perniciem molitus est.

Qui rapinis vastat subditos, grauissima torque se deprimit.

Ab alienis regibus deuastatur, qui eum mordeant, à lacerent.

D. Chrysos. 7. Probat idem argumentum Chrysostomus pulcherrimis theorematibus ex sacra pagina mutuatis, & in compendium redactis, in iisque pensitandis omnes argutias, & sales facundiæ profert in illa percelebri homilia, cui titulus infixus est: *Quod nemo læditur nisi à semetipso.* ibi fatur: *Illi soli læduntur, qui lædunt, & nulli alij nocet noxa, quam cæteris inferunt, nisi ipsis qui inferunt. Quid enim dic mihi infelicius erit, quàm Cain? Mors enim illa quæ eius fratri illata est, illum quidem iustum reddidit per sæcula: ipsum verò, qui intulit, haberi fecit per sæcula parricidam. Quid etiã Herodiade miserius, quæ caput Ioannis exhiberi sibi desiderauit in disco, vt suum caput perpetuis gehennæ ignibus flammisque demergeret? Quid etiam ipso diabolo deterius, qui nequitia sua ita clarum reddidit Iob, vt quanto illi gloria, tanto huic cresceret pœna?* Addere potuisset: quid Iuda infelicius, qui comprehensionem, & nexus parans Redemptori, à suo crimine comprehensus, & laqueo suspensus est? Et colophonem imponit os aureum discursui: *Claruit enim non solum neminem lædi ab his, qui iniurias inferunt, sed & illos tantummodo lædi, & male pati, à quibus irrogantur iniuriæ.* Hæc Chrysostomus.

Nemo læditur nisi à se ipso.

Cain Abelẽ mactans, iustum fecit, se ipsum reddidi parricidam.

Herodias caput Ioannis expetens, proprium caput perpetuis inferni flammis addixit.

Ex Iobi aduersis, maior pœna diabolo accrescit.

Non iniuriati, sed iniurias irrogantes læduntur.

8. Sed ne longum trahamus funem discursus, illum exornemus coronide ex Exodo c. 14. mutuata. Vbi quàm rabido furore Pharao insectatus est Israelitas ex Ægypto fugientes; cumque appellerent ad maris ripas, & dextra, læuaque vndæ se scinderent, & in altissimos cumulos exporrecti vortices venerarentur magnum Dei nomen, & ducem populi peregrinantis, & permeabilem præberent semitam in maris profundo, tanquam pisciculos adoriuntur Ægyptij Iudæos rete fluctuum intercipiendos manu. ibi v. 22 & 23. *Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læua. Persequentesque Ægyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis currus eius, & equites per medium maris.* Et v. 28. *Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis.* In vulgatissimo hoc prodigio, & decantatissimo vnam vel alteram singularem contemplationem adscribam, primam ex Eusebio Emiseno homilia 3. de pascha dicente: *Et ideo filij Israel securi inter vndas transeunt, vel sub vndas: cum super eos prærupta vastorum gurgitum moles pendentibus dextra læuaque fluctibus imminerent, cum creatura insensibilis elementi factorem suum sentiens transmeantibus circumfusa præberet viam, & in persequentes pararet refusa vindictam.* Alteram vero ex Diuo Athanasio sermone de passione. ibi ait: *Persequentes Israelem, quum ad riparum margines processerant, in sese manus vertebant, seque inuicem capiebant.* Quæ verba Alexandrini Antistitis sic accipe, vt non aduersentur scripturæ diuinitus inspiratæ, in qua dicitur: quod vnus non superfuit ex eis. Cum esset exercitus innumerabilis adhuc in submersione fatali supererant milites, qui necdum penetrassent maris fundum, sed in ipsis littoribus opperiebantur ingressum; hi prospectata sociorum ineuitabili ruina perterriti, confusi, & consternati sese mutuis cædibus trucidabant, & tanquam in aduersos & incognitos, gladios, & furorem conuertebant, & tanquam hostes capiebant. Iam enim prauitas iniquorum omni ratione, & consilio destituta contra ipsos decertabat, gladiusque, quem expolierat, & eduxerat Ægyptus aduersus Iudæos, aduersus Ægyptios sæuiens, & suorum cruore ebrius, illos immaniter trucidabat: *In sese manus vertebãt.* Compedes, & nexus, quos detulerant ad illigandos, & vinciẽdos in prælio subactos, iniiciuntur Ægyptiis, ab omni vinculo expeditis Hebræis. Vincula enim nectebat sibi turbata nequitia. Et cerne, iuxta mentem Emiseni, quàm audax, quàm insana Ægyptiorum proteruia est. Qui ad insuetatã apertionem vndarum nõ sistunt, non pedem referunt, sed impudenter, & impauide irruunt in semitas maris validiori manu constratas, & solidatas; non montes aquarum & cumulos pertimescunt dilapsuros, nec reformidant amicis, & Dei seruis præbere maria obsequiũ, hostibus, & inuisis sepulchrum. Sed statim fluctus Ægyptiorum vindicant audaciam, Iudæorum coronant fiduciam: *Transmeantibus circumfusa præberet viã, & in persequentes pararet refusa vindictam.* Quas Ægyptius Dei populo in fluctibus parabat insidias, & interitum, in caput suum retorsit; innocens, & insectatus à fluctibus ipsis eripitur.

Mare rubrũ Israelitis parat transitũ, persequentibus exitium.

Exod.

Euse. Emis.

Athan.

Persecutores Israelitici populi in ipsos capiũt, & contra se manus iniiciunt.

Vincula nectebat sibi Ægyptiorum turbata nequitia.

9. Ex quibus luce clarius perspicuum fit Isaiæ assertum iuxta LXX. seniores; Iudæos & iniquos non aduersus IESVM, vel iustum, sed aduersus

aduersus semetipsos consilium malum iniisse: *Consiliati sunt consilium pessimum aduersus semetipsos.* Perbelle Chrysostomus in commentario huius loci ait: *Hic docemur quidem, quia bonus innumeris licet affligatur malis, nihil noxij, aut detrimenti ab inferentibus accipit: sed contra qui iusto nectunt insidias, hi aduersus se potius exerunt ensem.* Hæc ille.

D. Chrysost. *Iustus malis affectus redditur innoxius; qui vero nectit insidias, aduersus se gladium exerit.*




Ad ea verba:

Dicentes: alligemus iustum.

DISCVRSVS VIII.

Iustus insectatus ab improbis, innocentia sua & conscientiæ probitate se ipsum tuetur; defensionem, & excusationem firmissimam aduersus calumnias taciturnitatem prætendit.



1. HVIVS Thematis præclarum exemplar habemus in Christo, quem Psalmo 54. à persecutoribus obuallatum, & excruciatum Regius Psaltes introducit: ibi v. 6. *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Quæ verba de duabus aciebus hostium, qui Seruatorem insectabantur tempore passionis, accipit Eusebius Cæsariensis l. 10. demonstrationis Euangelicę c. 2. altera principum Iudæorum, qui hostili, insidiosoque animo circumuenire illum conabantur; alia verò de potestatibus inuisibilibus, & principibus tenebrarū, qui illum extrinsecus oppugnabant hominum machinatione, & intrinsecus voluntaria formidine, & perturbatione. Et singillatim ait, impetitum Dominum ab spiritu improbo, qui nuncupatur spiritus formidinis, & turbationis. Ait itaque Eusebius: *Quare sic etiam dicatur spiritus timoris, ac tremoris, & rursus alius præter hos spiritus timoris, & confusionis, qui quidem pene vt ita dixerim, omnes mortem pro vera religione testimonij gratia subeuntes inuadere consueuerunt, ac multo etiam magis multoque vehementius illum aggressi sunt, qui pro omnibus mortem sustinuit.* Sunt enim spiritus improbi, quorum munus est pectoris labefactare constantiā, & in agone virtutis, & mortis metum incutere certatoribus: Hi parant insidias, & omnem lapidem mouent, vt tormentorum immanitate proposita, & mortis acerbitate robur imminuant animorum, qui parati sunt integritatem fidei Christi proprio sanguine signare; & turpem ingenerent confusionem, & fugam ad conspectum tyrannorum. Hæ aduersæ potestates irruerunt in Christum passionis tempore, & Domini permissu contristarunt animam suam vsque ad mortem, in qua pauore & tædio correptus est: At quibus armis se muniit mortis Dominus in mortis conflictu, formidine, & pauore affectus? Subiungit ibidem Eusebius: *Verumtamen siue spiritus formidinis, & mortis, siue timoris, & tremoris, siue alia quæpiam eiusdem generis potestas illum adorta est, ea illum non confregit, propterea quod tanquam generosus certator, formidinem quidem mortis, confidentia vitæ (ipse enim vita) procul deturbatam abiecit. Sic porro etiam spiritum tenebrarum proprij luminis vi dissipauit, propterea quod lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ecce Christi munimentum validissimum in aduersis, in improperiis, & Iudæorum maledictis, in irruptione dæmonum, armata formidine & timore manu irruentium, in Redemptionem: *Confidentia vitæ.* Quod se senserit immaculatum ab omni noxa, & crimine immunem, quod nulla vel labecula imperfectionis leuissima eius animum infuscauerit; hæc in certamine peccatorum, & iniquarum potestatum eum reddebant inuictum; metuebat mori dispēsatione mirabili, & voluntaria pietate, vt veritatem humanæ carnis adstrueret, sed in ipsa morte non formidabat vinci; quo pacto ambigeret de triumpho, qui mortem moriens superabat, & formidinem in se vincebat, vt ex capite Ecclesiæ abolitio timoris, & pauoris in ipsam resultaret. Itaque timendo mortem martyres suos docuit non timere. Pauere, & tædere ad mortem quid humanum est; in transitu suo nullum agnoscere, quod reformidet crimen, diuinum est. Euacuatio timoris delicti alias omnes formidines hominum; & dæmonum terriculamenta profligabat. Christi ergo anima immensa quadam probitate vitæ, nullius flagitij conscia se ipsam tuebatur, & velut validissimam panopliam aduersus hostium insidias opponebat: Etenim innocentiæ lumen, & virtutis fulgor tenebras trepidationum, & calumniarum caligines dissipat. qui nulli nocet; in neminem peccat, sine peccato, sine dolo est. Non solum vincit quæcumque ingruant aduersa, sed in ipsis superno quodam gaudio delibutus exultat.

Psal.

Tamē Christum appetit voluntaria formidine, & turbatione.

Euse. Cæs.

Spiritus malus timoris, & confusionis, omnes pro pietate mortem obeuntes, inuadit.

Vehementius aggressus est Dominum pro omnibus mortem sustinentem.

Euseb.

Spiritum formidinis, & tremoris Iesus confidentia vitæ deturbatum abiecit.

Iesus timoris improb. in potestatum vincens, formidinem mortis de martyrum pectoribus aboleuit.

2. Staturam, & generositatem Ecclesiæ comparat Salomon palmæ. Cant. c. 7. v. 7. *Statura tua assimilata est palmæ.* Vt semper triumphatricem asserat contrariarum potestatum; palma enim victrices manus ornare consueuit. Palmæ comparatur, quia in trunco aspera, in apicibus tenera, pulchra, fructifera, sic enim in agone pietatis decertantibus virtus initio aspera, austera videtur; sed ij decursu temporis ex ea colligunt fructus suaues, & pro laboribus mercedem gratissimam expectant in cælis. Mentem cantici exprimit sanctus Beda Venerabilis lib. 6. in Cant. *Aspera est palma iuxta terram, quia persecutionem patiuntur propter iustitiam electi. Pulchra est, & dulcis in summo, quia gaudent in pressuris, & exultant, scientes quoniam merces eorum copiosa est in cælis.* Adhuc in aspero trunco horridisque crustis contemplari licet aculeata improborum conuicia, & maledicta, quæ iustus in hoc sæculo sustinet; sicut in nucleo palmæ suaui, quem palma seruat in fastigio, gaudium animi probitatis suæ conscij, quo velut oleo inungitur in aduersis, & ad maiorem tolerantiam, & cruciatuum despicientiam. Cui conceptui consonat quod refert Plutarchus in libello de oraculorum silētio: *Inter templi cuiusdam à Cypselo consecrati; donaria extitisse palmam æneam, ad cuius radices insculptæ visebantur plurimæ ranæ, & natrices, quos hydros nominat.* Cuius palmæ apodosim perleges in hunc modum apud Causinum nostrum l. 10. electorū symbolorū c. 56. *Virtus maledicorū infestis clamoribus lacessita, eos ex eminenti loco deridet, ad calū velut palma luxuriosa ramorum propagine assurgens.*

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

Etenim maledicorum loquacitas, & garrulitas in conscientia iusti criminis experte, nihil aliud nisi contemptum, & derisum promeretur, cum perpendit maledicētię, & confictę criminationis attactu, & impetu non infici; sed his conuiciorū sordibus,

Cant.

Palma asperitatem virtutis, & dulcis premium adumbrat.

Beda.

Palma imo in aspera, & in summo dulcis, quia iusti exultant in pressuris, & in cælo palmam mercedis obtinent.

Plutar.

Apud Ægyptios ænea palma symbolum præclarum.

Causin.

Obtrectantium linguas virtus de alto despicit, & ridet.

Digitized by Google

fordibus, & stercoribus virtutem fœcundari, & instar durioris, & erectioris palmæ frondescere nouis sustinentiæ fœtibus, æthera inuestigare suis apicibus libentius, & inferiora despicere; rectè facta probique mores instar spatularum palmam ornant, & quoddam spatharum, seu ensium tutamen exhibent, quibus se protegit aduersus iniquos, de iisque triumphat.

Coram iudice Pilato Christi taciturnitas mira.

D. Matt.

3. Valdè sapienter amplificat Sanctus Maximus Christi taciturnitatem coram iudice Pilato comparentis, cùm obiectatas à Iudæis calumnias non refellit, sed eas auscultat tacitus; maledictis, & falsis criminibus obiectis conticescit. Matthæi cap. 27. à v. 12. *Et cùm accusaretur à principibus Sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer.* In hoc profundo silentio causæ allegationem, & Christi patrocinium suscepit Episcopus Taurinẽsis amplissima oratione, maximisque sententiis Maximus in prætorio iudicis munus suscipit aduocati, hanc percontationem proponens suis auditoribus homilia: *De accusato, & iudicato Domino apud Pilatum*, sic enim perquirit: *Mirum inquam sit fratres, quod arguatur Saluator, & taceat. Taciturnitas enim interdum pro consensu habetur. Videtur namque confirmare quod obiicitur, cum non vult respondere quod quæritur. Accusationem ergo suam Dominus tacendo confirmat?* Et respondet argutè: *Non plane accusationem suam tacendo confirmat, sed despicit non refellendo. Benè enim tacet, qui defensione non indiget. Ambiat defendi, qui metuit superari. Festinet loqui, qui timet vinci. Christus autem cùm condemnatur, & superat: cùm iudicatur & vincit, sicut ait Propheta: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris: Quid ergo opus erat ei loqui ante iudicium, cui ipsum iudicium, erat plena victoria? Vincit enim cùm iudicatur Christus, quia sic innocens approbatur: vnde ait Pilatus: innocens ego sum à sanguine huius iusti. Melius est igitur causa, quæ non defenditur, & probatur: plenior iustitia est, quæ non verbis adstruitur, sed veritate fulcitur. Taceat lingua necesse est, vbi ipsa æquitas sibi adest.* Quid illustrius? Congestis accusationibus, & criminosis conuiciis, quanta argumenta occurrerent diuinæ sapientiæ, vt aduersarios refelleret, & confunderet, sed allegationum, & tuitionum suæ famæ compendiariam rationem, & irrefragabilem, silentium inuenit; sciebat enim malitiam liuore associatam esse valdè argumentosam, & calumnias calumniis concinnare; per fractam, & peruicacem linguam non permittere conquiescere; rationalibus, & veridicis euasionibus, & aufugiis hominis innoxij, mendacia, maledicentia, & sycophantias accumulare, quæ veritatem infuscent, confusis vociferationibus, & nugis quasi lumini solis obscurum, & nebulosum velamentũ prætendant. Itaque IESVS ad iudicium vocatus, & adductus siluit, insimulatus criminis obticuit, à Præside obiurgatus, & redargutus sicut mutus non aperuit os suum. O beatum Domini silentium, quod Euæ loquacitatem insimulat, & emendat, vt reticentia soluat IESVS, quæ primus homo multiloquio peccauit! Plus silẽtium Verbi Dei, quàm illius eloquium demiror; cùm lucem creat, accensasque lampades solis, & Lunæ diebus noctibusque distribuit, & firmamentum luminibus stellatum reddit; cùm tellus, & pelagus iussu Domini varios effunduntur in partus; cùm hominem plasmat manibus suis, verba fundit Dominus, & ad nobile figmentum construendum, & animandum tres Personæ Diuinæ sese mutuò verbis hortantur: *Faciamus hominem*, &c. Cùm format loquitur, cùm hominem reformat tacet; Dei alloquium me creauit, silentium me redemit. Sapienter ergo Ambrosius ait libr. 1. officiorum capite 3. *Ipse Dominus in Euangelio tacens operabatur salutem hominum.* Sed in taciturnitate sua potentior, & gloriosior ostenditur, de calumniarum, & confictorum criminum tolerantia; non respondet criminationibus IESVS, cum eas vitæ puritas immaculata, & perspicua morum innocentia valenter refutabat. Hac mutitate suâ instruebat IESVS alumnos suos, in falsam delationem, aut improbum iudicium falsidicorum accersitos insimulata flagitia refellere, non tàm sermonibus, quàm moribus; à se depellere obiecta crimina, non loquacitate, sed animi nullius delicti conscij, humili tacurnitate, quæ solet esse vocalissima, & maledicta immutat in præconia, & oppansam super Iustos confusionis, & probri caliginem breui temporis interstitio instar exorientis Solis lumine suo pellit, & dissipat.

D. Maxim.

Cur Saluator cùm coarguitur silet. Taciturnitas assensum solet præbere oblatis criminibus. Iesus accusationem suam despicit, non refellendo. Bene tacet, qui defẽsione non indiget.

Vincit silẽtio Iesus Iudicium iniquum.

Taciturnitas, & veritas Christo patrocinantur.

Reticentia soluit Iesus, quæ primus homo multiloquio peccauit. Mirabilius Dei silentiũ quam alloquium.

Deus cum mundum creat, hominémque format, loquitur, cum reformat, tacet.

Falsidicorum delatio non sermonibus, sed moribus dissipanda.

4. Non solùm constans, & euidens argumentum probitatis elicitur de IESV silentio, sed probamentum firmissimum suæ diuinitatis, itaque reticentia magniloqua, & sapiens aduocatrix facta est, & patrona in seruatoris Iudicio; vt accusatus tanquàm reus Deus crederetur conticescens. Id probat S. Athanasius examinans Matthæi sententiam ex capite 27. præallatam in libro de passione fatus: *Qui si respondisset Pilato, poterat ille suspicari formidine eum mortis ad loquendum inductum fuisse: iam quum taceat quid admireris nisi illius robur, fortitudinémque in contemnenda morte. Quumque eum de innocentia ita excusat Pilatus, quid aliud in mentem venire potest, nisi illum ipsum, qui ibi iudicio subiectus stabat, Deum esse? Qui interim dum à Pilato iudicabatur, eius vxori oracula edebat, quo simul Pilatus ex silentio eius fortitudinem stuperet, & ex oraculis cognosceret, eum in quem sententiam daret, non hominem, sed Deum esse* Silentium Christi innocentiæ, & potissimum eius diuinitati suffragatur. ex eo enim arguitur inuariabilis animi constantia, & fortitudo inuicta omni humana habilitate maior, quæ cruciatus sustineat, probra respuat, ad mortem immanissimam, & turpissimam non abhorrescat: Si enim compactas tricas, & subdolos nexus maleuolorum verbis suis IESVS solueret in pectore iudicis illam opinionem insereret, tanquam merum hominem horrore mortis turbatum, in eius discrimine euasionem concinnare speciosam; cum verò eum cernit vultu hilari, & imperturbabili, & pectus impauidum, ex eius silentio hausit quoddam humano maius in eo delitescere. Denique taciturnitas Christi non solum Præsidis animum, sed illius vxoris conciliat ad suffragium, & iudicium Deitatis; silet Christus in prætorio, ad Iudæorum accusationes, & iudicis interrogatorium non respondet. Ipse hic reticens Pilati vxori affatur, & oracula fundit, vt in publico foro, & iudiciario subsellio, ex silentio Christi eius diuinitas adstruatur: conticescens

Diuinitatis Christi aduocata taciturnitas est. D.Athan.

Silentium Christi robur, & fortitudinem indicat in cõtemptu mortis.

Iesus coram iudice præstans silentium, vxori Pilati innocentia sua edit oraculum.

Christus damnatur vt reus, & agnoscitur Deus, morti adiudicatur vt nocens, & innocens acclamatur, & Dominus.

5. In hoc taciturnitatis profundo piaculum ducerem si in commendando, & prædicando Iesv silentio os aureum subduceretur. Sic enim loquitur hom. 87 in Matthæum de Pilati admiratione in silentio Christi: *Erat quippe admiratione dignissimum tanta cum humilitate, ac taciturnitate videre adstantem illum, qui innumera, & ea quidem manifestissima haberet argumenta; cum sanè nec ipsi accusatores vllius criminis conscij fuerint, sed inuidia sola mouerentur.* Et paucis additis subiungit: *Nihil enim habebant prorsus quod etiam aduersus silentium obiicerent: sed cumulo iustitiæ illius etiam silentis redarguebantur, ita & tacendo dicacitatem, atque furorem illorum superabat.* Multa mirabilia operatus est Dominus, cùm frueretur huius lucis vsura, & sicut viator cum hominibus conuersatus, declinaret admanendum, vel cùm lãguidos sanat, cæcos luci restituit, debilia membra redeintegrat, dæmones ex obsessis corporibus pellit, mortuos ad vitam reuocat. Sed nihil mirabilius est silentio suo. Cum verbum ora reserans Prophetarũ, ex cuius appulsu, & eloquio veridica fundebant oracula; coram iudice, & calumniantibus silet; sapientia Patris, in qua ipse omnia loquitur, coram loquacibus, & garrulis Sacerdotum principibus apparet muta. Quis ad imposturas iniquorum, ad redargutionem criminum, ad ingruentes calumnias: quis ad inuidorum latratus, & virulenti anguis horrisonos sibilos, quibus ij aduersus iustos immurmurant, comminationes furoris iaculabitur, aut nimia excusationis anxietate correptus relaxabit obiurgantes, & vt propria flagitia aggrauet non alleuiet, pariles defectus in eorum faciem impinget? quin potius obiurgatus, opprobatus, falsò redargutus, & calumniatus non obmutescet ad tempus, & os suum non claudet, ne loquatur, & taciturnitatis, & sustinentiæ Christi quasi tumulo quodam obstruet, ne impatientis doloris vocem emittat. Hoc cumulo etiam iustitiæ silentis redarguuntur improbi taciturnitas hæc dicacitatem, & furorem blaterantium superat. Sicut in Saluatore perfectum est, de quo Chrysostomus aiebat: *Tacendo dicacitatem illorum superabat: cumulo iustitia illius etiam silentis redarguebantur.*

D. Chrys. Mirabile Seruatoris silentium cum ei argumenta iusta defensionis abundarent.

Loquacitati aduersariorum Iesus silentio suo obstitit, cum aduersum taciturnitatem nil haberent, quod obiicerent.

6. Susanna sanctissima inuiolati pudoris, & innoxij thori fidelitate celebris, solicitata in pomario ab inueteratis dierum malorum senibus, turpitudinem exhorruit, & carnale iniquorum commercium propter concinnatum, & confictum ab ipsis presbyteris crimen adulteræ, falsis testimonis obruta pudicæ matronæ innocentia adiudicatur morti: ritum damnationis sacra pagina constituit, & affectum castitatis inoffensæ in pectore Susannæ innocuæ. Danielis c. 3. v. 33. & 34. *Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi posuerunt manus suas super caput eius: quæ flens suspexit ad cœlum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Oculos in cœlum eleuauit, vt deficiente hominum præsidio, & solatio, de superna manu præsentissimum auxilium impẽderetur. Silet voce, clamat suspiriis, & gemitu casta columba coram iustitiæ Dei throno, & cõscientiæ probitate pro seipsa interpellat. De hac argumentosa, & patrocinante Susannæ taciturnitate scribit S. Ambrosius lib. 1. Officiorum. c. 3. *Est enim magnum, & negotiosum silentium: vt erat Susanna, quæ plus egit tacendo, quàm si esset loquuta tacendo. Tacendo ea apud homines, locuta est Deo: nec vllum maius indicium suæ castitatis inuenit, quàm silentium. Conscientia loquebatur, vbi vox non audiebatur: nec quærebat pro se hominum iudicium, quæ habebat testimonium Domini.* Audiendus quoque est huius columbæ mutæ alter præclarus encomiastes. S. Maximus homil. 1. de accusato Domino, dicens: *Susanna mulier inimicos suas tacuit, & vicit. Non enim apud Danielem iudicem verborum se ratione defendit, non patrocinij sermone tutata est: sed in sancta fœmina tacente lingua, pro ea castitatis loquebatur. Castitas enim Susannæ adfuit in iudicio, quæ eam defendit, & in paradiso. ibi enim pudori eius consuluit, hîc saluti. ibi ne macularetur pudicitia, hîc ne innocentia damnaretur.* Quam benè auspicatum patrocinium Susannæ suscepit silentis in flagitij accusatione linguæ, & clamantis affectus pudicitiæ, & castitatis; timorata conscientia improbæ delationis, & insimulati flagitij immunis, verborum ambitum non requisiuit in fœmina, quæ ad tuitionem sui decoris solet esse eloquentior, & duriora pectora ad commiserationem inflectit. Confugit in hac procella honoris, & vitæ ad Domini fiduciam, velut ad sacram anchoram, & securum in afflictione portum, & in interiori mentis arcano innocentiam suam Domino demonstrabat; ex cuius testimonio absoluebatur, cum ab improbis damnabatur; ibi enim iustus dulce decus nanciscitur, & solatium in protectione Dei cœli commoratus, & dum insolentiùs vrget insectatio iniquorum, vberiora experitur diuina subsidia, quæ cœlestia menti gaudia infundunt, & in brachiis Domini susceptus, pro cuius amore patitur, velut in quadam sponda fiduciæ roboratus recumbit; itaque sanctimonia, & pudicitia inculpatæ matronæ in accusatione reticentis; aduocatricis, & patronæ munere perfunctæ sunt, refellentes crimen, iudicum perfidorum, impudicorum mendacia, & imposturas traducentes: *Castitas enim Susannæ adfuit in iudicio, quæ eam defendit, & in paradiso.* Apposite Taurinensis Episcopus nuncupat pomarium paradisum, in quo noua Eua reperta, quæ à senibus tanquam à serpentibus, & draconibus solicitata, non est seducta, nec sponsi fidem violauit turpi trangressione, nec seduxit Adamum, nec ab Adamo, & serpente seducta: Habebat enim secum contubernalem, & defensatricem pudicitiam, quæ etiam in iudicio eam eripuit à falsitate, & discrimine mortis. Nec miror silentem fœminam in cuius accusatione ei assidebat omni specie vernans pudicitia, cui inest vbertas orationis singularis, & ad agnitionem veritatis facile animos impellit: *Nec vllum maius indicium suæ castitatis inuenit, quàm silentium.* Silens hominibus castitas, Domino loquebatur, taciturnitate se defensabat, in eàque, & spe Domini ponens fortitudinem suam aduersarios refutans, castimonia tacens loquaces impudicos reuincebat.

Dan.

Magnum, & negotiosum Susannæ silentium.

D. Ambr.

Conscientia loquitur Deo, cum lingua hominibus silet.

D. Maxim. Susanna hostes tacendo vicit.

Tacente lingua, castitas in iudicio loquebatur ad defensionem.

Noua Eua Susanna in pomario tanquam in paradiso erat.

A draconibus non est seducta.

Maximum castitatis indicium silentium.

7. Hac cœlesti Philosophia me instruit Sanctus ille Latro socius Passionis Christi, qui Iudæis deblaterantibus, & sacerdotũ Principibus Christũ blasphemantibus, dũ Regẽ irrisoriè vocitãt in patibuli throno suffixũ, & sẽtibus coronatũ, omni præsidio destitutum subdolè deprecantur,

cantar, vt se eximat à cruce, & morte; caput indecore motitātibus, sibilis, & sannis exprobrantibus Saluatoré, clamantibúsq; vah qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud, salua temetipsum. alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Hæc, & alia similia probra ex ore suo impius alter latro fundebat, ad quæ pius, & sapiens latro conticuit, vt annotat sanctus Chrysostomus tom. 6. homilia de cæco scribens: *Alter vero latronum nihil dicebat, & alios obnoxios suo silentio castigabat.* Vidistin mirabilem, & Christianam philosophiam in fure! qui conuicia, & criminationes suas etiam cruciatibus adductus refutabat in vinculis, nunc ad Christi probra obmutuit, cùm ea posset nullo negotio de crucis solio refellere, vt erat præditus, animositate, & facili suadela, valeret in Iudæorum faciem impingere, & falsidicos, & impudentes, accusatores nuncupare. Veruntamen silentio suo castigabat. Cùm non suffragatur impiis effatis, & tutamentum Christi silentio suscipit suo; sciebat enim innocentiam, & sanctimoniam humano non indigere præsidio, cùm pro seipsa etiam conticescens loquebatur, omnésque condemnabat improbos. Hocque intendit diuinus Vates Isaias cùm cernit Saluatorem, & illius sectatores contumeliis, & maledictis fixos, vinculis adstrictos, & adiudicatos morti; cùm nocentes dicunt: *Alligemus iustum*, eum affatur diuinus Vates consolationem infundens: *Dicite iusto quoniam bene.* iusto nunquam male, semper bene accidunt opprobria, cùm se propria iustitia, & innocentia defendit, & silens aduersarios offendit.

D. Chrys. Loquacitatē Pharisæorū sāctus Latro silentio suo castigabat.


Qui criminationes suas refutabat in vinculis, ad Christi probra obmutuit.



Quoniam consiliati sunt consilium pessimum aduersus semetipsos, dicentes: alligemus iustum.

Discursus IX.

Vile flagitium pessimorum, & Diabolicæ mentis partus inuidentia est, quæ de aliorum felicitate immensas ærumnas, de aliena probitate lethale virus conflat.

1. CERRIMVS motus inuidiæ excitatus ex odio Christi Iudæorum pectora commouebat, & lacerabat, vt benefactori suo machinarentur excidium. Hæc primores illius gentis moribus, & affectibus distractos colligauit ad consultandum consilium pessimum; vt Ierosolymæ decus, & lumen, immò & totius orbis solem necis turpissimæ nubilo obscurarent. Suffragabantur iniquissimis mentibus consiliantium ambitionis, & auaritiæ passiones, inuidia tamen tanquam vitiorum antesignana caput efferebat, & facile se ostentabat incompositis illis, & inconditis clamoribus: *Quid facimus quia hic homo multa signa facit.* Ioannis c. 11. v. 47. accensus in eorum pectoribus caminus inuidiæ, has furoris, & iracundiæ flammas, per ora, per linguas eructabat. Probrosum, & infame flagitium inuidentia est, à qua Deicidium exorsum, & consummatum, vel ipso iudice causæ Christi adstipulante. Matth. c. 27. vers. 18. *Sciebat enim quod propter inuidiam tradidissent eum.* Summus ille Moyses legislator, qui ad intimam Domini familiaritatem, & sanctimoniæ apicem erat euectus, post inaudita prodigia, & facinora perpetrata, non euasit inuidiæ telum, vt constat Numeror. cap. 12. Idque perpendens sanctus Gregorius Nyssenus huic crimini suggillat, omniáque illius mala coacervat, & recenset libro de vita Moysis dicens: *Inuidia post hæc fraterna ipsum inuadit; inuidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientia causa, ignominiæ principium. Inuidia enim nos longe exterminauit à paradiso, versa in serpentem aduersus Euam; inuidia repulit à ligno vitæ, sacrisque impassibilitatis vestibus detractis, ficulnis ignominiose foliis induit: Inuidia enim aduersus fratrem armauit, mortem, quæ septuplum punita est, induxit. Inuidia Ioseph in seruitutem detrusit, inuidia dico mortifer stimulus, mucro reconditus, natura morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum, figens animam clauus, flamma cordis, intestinorum ignis. Hanc qui habet non suis malis, sed alienis bonis infelix est, & contra non suo bono, sed malis proximi felix est. Inuidus enim felicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet.* Pulcherrimum inuidiæ schema à Nysseno propositum, in quo altius habitum, ingenium naturam, & mala illi cohærentia sapienter nuntiat. Quid miserabilius, inquit, quàm de alienæ calamitatis gaudio infeliciter esse felicem, & de alienis bonis torqueri, & aliorum gloria, & beatitate ignominiosum, & miserum prædicari. Inuidus de alienis vitiorum morbis conualescit, de malitiæ veneno viuit, de antidoto virtutis extraneæ moritur. Et statim idem Nyssenus eleganti similitudine tabificum liuidorum venenum amplificat dicens: *Miluos cadaueribus pasci, & pretiosis vnguentis emori aiunt: videtur enim natura sua ad putridum, ac purulentum esse affinis.* Idem de vulturibus, & scarabeo profertur ab optimæ notæ auctoribus, Clemente præsertim Alexandrino lib. 2. pædagogi cap. 8. *Cæterum ne fortè si ut vultures vnguenta abhorreamus, aut sicut scarabei, (hos enim rosaceo vnguento delibutos mori inquiunt.)* Vbi Gentianus Heruetus in commentario ait: *Vultures bonis resistis odoribus, cadauera solum persequi, quæ male oleant.* Et de scarabeis recenset illud Plutarchi: *Dicuntur scarabei vnguenta quidem fugere, quæ sunt autem fœtida, & malè olentia persequi.* Et illud Pierij in Hieroglyphicis lib. 60. titulo *gratia dicentis: Rosa fordidissimum animal scarabeum cui res plurimum est cum stercore, odore enecat suo.* Quæ recensita sunt quàm mirificè cohærent verbis, sensuique Sancti Gregorij Nysseni inuidum vituperantis, in cuius vituperatione subsequentia annectit: *Quando verò huic morbo subiectus est aliquis, amicorum commodis quasi vnguento tabescit: etsi quid calamitosum incidisse proximo intellexerit, illico aduolat, posito inuadit adunco, quo si qua lateat, distrahit atque dissipat, & in medium proponit omnibus.* Pulcherrimis, eruditissimisque comparationibus delinearum

D. Ioan.

Ab inuidentiæ flagitio Deicidium exorsum, & consummatum.

D. Matth.

D. Gregor. Nyssen.

Inuidia quot mala in mūdum inuexerit.

Inuidentia opprobria.

Inuidus alienis malis felix, alienis bonis infelix

D. Gregor. Nyssen.

Miluus cadaueribus, & fœtoribus pascitur, pretiosis odoribus moritur.

Clem. Alex.

Scarabeus rosaceo vnguento delibutus moritur.

Gentia.

Plutarch.

Pier.

Rosa scarabeum sordidissimum odore enecat suo.

D. Gregor. Nyssen.

Inuidus amicorum commodis quasi vnguento tabescit.

Inuidus si quid mali acciderit amico, distrahit dēte maledico, & in medium promulgat omnibus.

delineatum liuidorum ingenium, nam ij instar miluorum, & vulturum maleolentium corporum nidore alliciuntur, pascunturque tabe, & purulentia, rostrúmque aduncum figunt tabifico corpori vermibus scaturienti, iisque pascuntur, & deliciantur tanquam in sapidissimis obsoniis. Scarabeósque æmulantur, quorum deliciæ stercus, & sordes, ex iisque pilulas, aut globulos reptantes compingunt, eásque prouoluunt, pessimóque corruptionis odore fouentur, & nutriuntur; at rosæ halitu, & vnguentariis odoribus immoriuntur. Sic inuidus de alienorũ criminum sordibus gaudet, & pastum quærit suum in pure defectus alieni, & odore pestifero sinistræ opinionis, & indecoræ famæ; at iucundo halitu, & floribus, suaueolentiori suffitu virtutis, & felicitatis alienæ, tanquã rosaceo odore, & vnguento inunctus moritur, aliorũque emolumentis tabescit. Nónne vultures, miluos, scarabeos appellitabis Iudæorum primores, furum, homicidarum putridos, & corruptissimos mores iucundè odorantes, naréſque complentes suas velut suauissimo odore, ad putidos affectus, & corruptioni obnoxios inhiantes tanquam ad epulum iucundum; at IESV rosa, quæ halitum vitæ spirabat æternæ, quæ attactu, & visu oleum & succum pietatis, odoramenta infundebat omnibus sanitatis, & gratiæ; hæc tamen exosa valdè, & ingrata scribis, & Sacerdotum principibus, ad omnia IESV rectè facta stomachantibus, & extabescentibus.

Rosa Iesus omnibus odorem vitæ infundens, exosa pharisæis & inimicũda.

2. Coierunt Angeli Dei, vt starent coram Domino Iob cap. 1. huicque sanctissimo cœtui Satan bonorum insidiator sese ingessit. ibi. v. 1. *Factum est autẽ vt quadam die venissent filij Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu eius.* Aliqui existimant Dæmonem inuitum, coactum, & pudibundum veluti fugam parantem captum à Sanctis Angelis, & velut raptatum, vt compareret coram Deo. Sic censet Iulianus in catena Græca. Arridet tamen Origenis placitum litteræ congruentius; non coactum, sed spontaneum se inseruisse sanctis Angelis. Cum enim cælestes spiritus Domino adstantes diuinis encomiis celebrarent Iobi constantiam, & animi magnanimitatem in fortunarum omnium, & natorum iactura, & interitu; Satan liuoris furore correptus, & inuidiæ flamma exardescens, vltroneus prosilit in medium Angelorum, vt petulanter contrairet beati viri commendationibus. Mali spiritus & bonorum Angelorum officium præclarè describit Origenes lib. 1. in Iob: *Secundum historiam steterunt ante Deum tunc Angeli confitentes, & gratias ei agentes propter sanctitatem Iob; ac meritum iustitiam quoque atque integritatem, maximam sibi gloriam reputantes ante Deum beati Iobi innocentiam, atque sanctitatem; sed quod pro gaudio, atque gloria sanctis Angelis, hoc nihilominus ad inflammationem, atque zelum profuit maligno, & aduersario Diabolo.* Et statim: *Angeli venerunt vt gratias agerent, & confiterentur, & laudarent, Diabolus verò venit, vt mentiretur, & accusaret, atque culparet.* Sicut enim sanctis Angelis Iobi prædicatio, & illius innocentiæ, & tolerantiæ commendatio redundat in gloriam, Satanæ vertitur in ignominiam; iusti in aduersis constantia, Angeli cumulat gaudiũ spiritus improbi auget supplicium. Scitè S. Prosper lib. 3. de vita cõtemplatiua c. 5. ait: *Tantos inuidus habet pœna iusta tortores, quãtos inuidiosus habuerit laudatores.* Non tolerat, non patitur quod iustus suis improbis artibus impetitus, & inuictus Angelica laudationum panegyri coronetur; cùm ille de triumpho clarior apparet, ipse victus, & inhonorus suffunditur pudore. Iob glorificatio, illius innocentiæ celebris demonstratio plus quodãmodo Diabolum cruciat, quàm gehenna; flãmas flammis addit inuidia, & nouos tartareæ pressuræ liuor cruciatus. Ideò furiosus, impudẽs, audax, temerarius, Angelorũ sodalitium inuadit, vt clamoribus, & criminationibus suis, cælitum confundat elogia, & Iobi innocentiã imposturis suis calũnietur, & conficta labecula eius gloriam infuscet; quis hostem antiquum mendacij genitorem non conuocatum, non citatum, in filiorum Dei iubilantium, exultantium in inclytis Iobi facinoribus conciliũ inuexit? quæ societas lucis, & principis tenebrarum? quæ participatio iustitiæ cum iniquitate: autquæ conuentio filiorum Dei, &. Belial? Cum audit Angelicũ melos, & Iobi opinionem cãtitari supernis lyris, totus, conturbatus cõtabuit, irrugiens quasi draco irruit in cælitum chorum disturbare cantilenam, semper importunus iustorũ elogio, opportunus maledicto. Fugit Diabolus à conspectu Dei cõtinuo, sicut à sole noctis caligo; & cum creatorẽ suũ adeò exosum, adeò sentiat inuisum, vlulans, & fremens liuoris rugitu, præsentiã Domini, & iusti iudicis semper illum punientis, non reformidat, vt inuidentiæ virus expuat, & præclaris iustorum actionibus petulanter insultet. Idẽ prorsus Iudæis accidit, qui ex Satana indolẽ, & liuidum ingenium mutuarũt. Etenim præclara Christi facinora, quæ pro gaudio, & gloria erãt sanctis Angelis, piisque turbis, hæc nihilominus Pharisæis, & Sacerdotũ principibus ad inflammationem, & zelum profecerunt. Vnde sicut dæmones, & à parente dæmone instructi ad consilium venerunt, vt mentirentur, vt IESVM accusarent, atque culparent.

Satan, vt contrairet beati Iobi commẽdationibus, in medium Angelorum chorum vltroneus prosilit.

Orig. Sãcti Angeli steterũt ante Deum, vt ei gratias agerent propter Iobi sanctitatẽ, ac meritum.

Ex Angelorũ gaudio dæmon zelo corripitur.

Angeli venerũt, vt Iob laudarent, Diabolus venit, vt mẽtiendo accusaret.

D. Prosp.

Tantos habet inuidus tortores, quot inuidiosus habuerit laudatores. Angelica Iobi glorificatio Diabolum cruciat.

Cum Diabolus audit Angelico plausu celebrari Iobi cõstantiam, disturbare conatur laudũ cantilenam. Diabolus semper à Dei facie fugiens, coram Deo sistitur à liuore, & inuidia attractus. Iudæi inuidi dæmonem æmulantur.

3. Teneræ ætatis adolescens Dauid Domini præsidio munitus truculentam illã bestiam Goliath, & communem populi Dei hostem deiecit funda, trucidauit gladio; quo facinore præclaro auertit perfidorum populorum inuidiam, abstulit gladium hostilẽ, Saülis Regis, & populi imminẽtem iugulo, ignominiæ flagitiũ deleuit, Israëliticũ decus gloriosè cumulauit. Ex hac populi redemptione, & salute, & cælesti antidoto, necis, & ærumnæ, procreatum est nocentissimũ virus in Saülis pectore, quod per vitalia omnia, & viscera quotidie serpebat. Cum enim tympanistriæ, & psaltriæ virgineæ choris, & tripudiis ludentes tympanis, & sistris concrepantes, illud repente à S. Spiritu dictatum acroama canere parent: *Percussit Saül mille, & Dauid decẽ millia.* 1. Reg. c. 18. v. 7. iracundia percitus Saül, & inuidentiæ furore repletus benefactori, & Saluatori suo ignominiosam machinatus est mortẽ. Vnius benefacti, alterius ingratitudinis, & liuoris egregius pensiculator est os illud, ex quo emanat aureum Euangelicæ orationis flumen homilia 46. in Genesim ait: *Victus inuidia benefactori malum rependit. Et quem oportebat vt Saluatorem, & benefactorem agnoscere, eum interficere quærebat. O excellentem insaniam! ô stuporis magnitudinem! eum qui vitam sibi seruarat, & omnem suum exercitum ab alienigenæ Goliath furore liberauerat, vt hostem suspectum habuit,*

Lib Reg. *Saülis erga Dauidem liuor.*

D. Chrys. *Benefactorem præclarum tanquam hostem suspectũ habuit inuidia.*

Digitized by Google

habuit,& immemor beneficij, ab affectione vincebatur: sed mente sua obtenebratus ab inuidia, perinde ac ab ebrietate quadam benefactorem vt hostem spectabat. Si sanus esset Saul,puellis exeuntibus obuiam cum tripudio,agentibúsque triumphalem choræam potius arrideret, & plauderet ad commerita carmina epicinia excitaret cantatrices, quo facto omnium sibi conciliaret animos, suo bono prospiceret,& ouationi adolescentis adiiceret incrementum laudationis. Sed animum Saülis,cui erat ingrata Dauidis virtus, alienus cantus, non demulcebat nec auditum. Quinimò œstro stimulatus inuidiæ,benefactori insidias parat.Quid?Sibi ipsi mala concinnabat omnia, hæc est enim inuidiæ innata conditio, vt inuidum laceret,& destruat, & extollat. Sapienter subiungit Chrysostomus:*Sicut enim vermis,qui à ligno producitur, lignum primo consumit: ita,& inuidia illam primo animam corrumpit à qua nata est,& ei,cui inuidetur planè diuersa quàm vult affert. Malitia inuidentium eos,quibus inuidet clariores efficit. nam is,cui inuidetur,subsidiarium habet Dei auxilium,& gratia fruitur: qui autem inuidet, gratia spoliatur, & facile vincitur ab omnibus.* Consonat Chrysostomus S. Antiochus hom.55. *Dicto ocyus parens ille inuidiæ omnis in Saulis corde sibi delegit vitæ domicilium, eique insusurrauit, vt diceret; Dauid dederunt decem millia, mihi autem mille? Et quidem domus Dauid, cui sic inuidebatur quotidiana accessione crescebat, & confortabatur.* Maiora dispendia honoris, & vitæ sibi conflat inuidus;quàm inuidioso parat;nam maleuolentiæ affectus corrodit viscera, & exitiali iaculo vulnerat, cùmque animus mœret de extraneo decore, & incremento gloriæ cor exeditur, & velut tabifico morbo sauciatur. Nec imminuit ampla decora liuor, sed auget, & dum crescit crimen inuidiæ gloriosiores dignitatis infulæ ampliantur; Ecce Dauidis gloriationem inuidia prouexit, & omnia ornamenta Saülis, in cuius pectore morabatur inuidentia ad domum Dauidis transtulit;inuidiæ camino Saül inflammato,ipse Rex exurebatur, & consumebatur;at Dauidicæ virtutis exploratorius erat, cúmque in dies puriorem, & illustriorem reddebat omnibus. Non benè coctum,nec perpurgatum vitiorum sordibus charitatis aurum, quòd per hunc examinatorium ignem, & conflatorium non transit.Poterat Deus sine aduersantium oppugnatione rerum,& conflictu, delegare Dauidi regnum, illius tamen paraturam sapienti consilio inuidentiæ commendauit, quæ inuisum Sauli caput regni trabea cingeret,& sui genitorem liuor deserẽs, & in vmbra mortis insidiatore relicto,ad partes illius,cui inuidebat,se inclinaret,& ad gloriæ apicem proueheret. Eodem conceptu insistẽs S.Antiochus illud confirmat quoque Iosephi exemplo,dicens: *Quo enim faces fraternæ inuidiæ in illum exarserunt acrius: hoc ille sublimius à Deo prouehebatur,quousque tandem ad regni gubernacula promotus est.* Habent enim hanc naturam inuidiæ flammæ, inuidum dissipant, eum verò,cui inuidetur,innato motu ad æthera anhelantes velut præpeti pennarum rutilantium volatu ad superna sustollunt.

D.Chrys. Inuidentia vermis animæ,qui ipsã lacerat. Inuidus,quibus inuidet, gloriam parat,sibique contumeliã.

D.Antioc. Fraterna inuidia Iosephum promouit ad sceptrum.

4 Cùm assideret cælitum consilio aduersarius hominis,& insidiator Satan Iobi calumniator, iucundum, & acutum acroama huic loco pensitandum reiecimus,in quo malitia,& inuidentia maior dæmonis adstruitur, improbæ taciturnitatis velamento occulere conantis Iobi iusti gloriam.Sacræ paginæ tenor est c.2.v.2.*Vt diceret Dominus ad Satan: Vnde venis? qui respondens ait: circuiui terrã,& perambulaui eam.* Ex percontatione Domini mira clemẽtia, & in decertatorẽ suũ prouida cura patet; ex dæmonis responso penè immẽsa malitia, & versutissimũ ingenium innotescit.Conspicatus fuerat aduersarius illud tolerantiæ prodigiũ,inuictúmque pugilem in aduersis de terra sese erigentem,& manu constantiæ,& æquanimitatis penè tangentẽ sidera, aufugerat pudibundus à palæstrita Iob, mille diadematibus in pietatis pugilatu circũdato,& requisitus à Domino vnde veniat?Malitiosè silet pugnam Iobi,& gloriosum triumphũ. Iam Diabolus tabescebat inuidia,cuius ingeniũ est reticere alterius ampla decora. Ea verò Deus in propatulo constituit.ibidem.v.3. *Et dixit Dominus ad Satan: nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus,timens innocentiam.* Cùm callide obmutuit dæmon ad Iobi laudationem, nactus est iustus gloriosius virtutum suarum præconium diuino ore prolatũ,& diuina æquitas promulgat,quod celat dæmonis inuidia. Pulchrè Chrysostomus scribit in catena Græcorum patrum: *Cum acceptam cladem Diabolus vellet occulere primum illũ reuocat sermonem,& cum peragrauerim terram,adsum.Contra verò Deus,quod inuidiosè ille tegit,retegit. Et quoniam interrogando accepta cladis, ab aduersario non elicit confessionem,idcirco eã Deus quasi in columna incidit, iustique victoriam propalam collocat. Cum ambulauerim vniuersum,adsum. Cur igitur occultes certamen? Nempe vt eius laureæ splẽdorem obscures.* Gloriosa Iobi facinora premere taciturnitate profunda satagit liuidus dæmon, ne quidquam testificatione, aut commendatione sua Iobo accrescat gloriæ; iudicat sibi nouũ & immanem cruciatum,si se fateatur victum,& deprædicet ore suo victorem;patitur maledicũ, fraudulentum,mendacissimum coargui à supremo iudice coram cælitũ senatu, ne cælesti pancratiastæ in omnibus certandi generibus vincẽti,verbo suo vel minimum splẽdorem adiungat. Apparet in Diabolo malemoratum inuidorum, & maledicorum ingenium expressum;si in circulis nugaciũ vellicetur iustus, & canino dente carpatur,sicut feræ assiliunt, malas exacuunt ad criminandum, & dedecora sæpè confingunt;at rectè facta, & operationes præclaras vel luce ipsa splendidiores, in latibulo cordis occultant, & tumulo quodam taciturnitatis obruũt, ne ex incremento alterius gloriæ, propria accrescat pœna. Inuidus ad alienas labes propalãdas garrulus, ad præclara facinora celebranda mutus. De probitatis cõmendatione contabescit,de illius silentio conualescit, in quo miser naneisci indicat suæ ærũnæ solatium. Sed reticentiæ inuolucra,& simulationis integumẽta, quibus tegere auet dæmon Iobi integritatem,& tolerantiæ ampla decora,ore Dominico dissipata sunt, cum eum ornamentis laudationum post conflictũ,& victoriam circũdat. *Cur igitur occultas certamen? Vt eius laureæ splendorem obscures.* Tenebrę tenebrioni sint, & caligo ei, qui in vmbra, & horrore mortis inhabitat. Iobo verò lux, & splendor, cum eum Deus in Angelorum curia gloria, & honore ostentat laureatum.

Iob.

Diabolus requisitus à Domino malitiosè silet Iobi triumphum.

Diuina æquitas promulgat, quod celat dæmonis inuidia.
D.Chrys. Cat. Græc.

Mirũ dæmonis,& inuidi silentium, in occultandis, aut obscurãdis alienis facinoribus.

Inuidus ad aliena crimina propalanda garrulus,ad virtutes prædicandas mutus.

5. De Polypi natura recenter Conradus Gesnerus, ex Æliano, hæc mira: *Polypus cum aliis*

Gesner. Mira Polypi ingluuies, & edacitas.

Si esuriat, deficiente præda, brachia sua deuorat.

aliis cibis pascitur, (est enim edacissimus, ad fraudémque, & insidias callidissimus, tum verò sua ipse brachia conficit. Nam si præda eum deficiat, brachia sua deuorat. Ac ventre sic saturato, inopiam venationis leuat. Deinde renascitur ei, quod deest: Hoc tanquam promptum ad famem restinguendam comparante ei ipsa natura. Polypus sub brumam seipsum vorans corrodénsque desidet. In quibus verbis perelegans descriptio delineata est inuidi, qui instar polypi, virulentis cogitationibus pascitur, quæ sibi ingenerent horribilem perniciem, nam eum primo inuidia afficit, & absumit, à quo concepta, & educata. Pulchrè S. Prosper lib. 3. de vita contemplatiua cap. 10. ait: *Inuidi suos animos laniando conficiunt.* Et statim: *Omnia suis æmulis fingunt, eorum profectu deficiunt, odia intra se abscendunt, & in suos cruciatus enutriunt.* Contabescunt inuidi aliena felicitate, & vesano furore correpti, lethali Erinnys iaculo stimulati mœrent, & tristantur grauissimè ob prosperos alterius successus, cor suum dilaniant, corrodunt, & deuorant, cùm alienis curis animum excruciant, aliena prosperitate infelices. Ouidius in descriptione inuidiæ lib. 2. Metamor.

In Polypo describitur inuidi ingenium seipsũ arrodentis, & cõsumentis ex felicitate aliena.

D. Prosp.

Ouid.

Inuidia suũ genitorem consumentis descriptio elegans.

——————Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum.

Virg.

Similes versus sunt Maronis:

Vesanos tacite mouet furores
Intentans animo faces Erinnys
Lethalis, Tityique vultur intus
Qui semper lacerat, coméstque mentem.

Inuidi tristis halitus miserabilisque vultus.

Adiicit idem Maro Lucini tristem halitum, miserabilémque vultum, & squalorem:

Testatur gemitu graues dolores,
Suspirat, gemit, incutitque dentes,
Sudat frigidus intuens, quod odit.

D. Antioch.

Inuidia Diaboli germen.

In Caino inuidia suspiria crebra, artuúmque tremorem, & mortẽ amaram induxit.

Qualem cernere est interdum in Caino, proponitque S. Antiochus hom. 55. cui titulus præfixus: *Ne cuipiam inuideris*, ibi ait: *Ab hac igitur, fratres, pestilenti lue inuidia quàm ocyssime defugiamus, quæ Diaboli germen est: vt ne compari mulcta damnationis cum Caino inuoluamur, qui quidem per suspiria crebra, artuúmque mirabilẽ tremorem, vitam cum exegisset, amara morte functus est.* Talia enim germina nocentia, & fructus miserabiles, anhelitus crebrique suspirij, & artuum omnium horridæ quassationis, in Caino inuidia protulit; Nec desinit intacta prædicta omnia probra linoris, ab humanis vatibus indicata carminibus suis, & in improbo Polypi genio superius expressa, cum scribit post homiliæ exordium: *Planè inuidia vehemens, atque atrox malum, ac modis omnibus crudele est. Qui enim cuipiam inuidet, animi angore discruciatur, contabescit misere, eliquatur totus. Inuidia enim quasi vermis in ligno, & in vestimento tinea: ita cor denique, & faciem eius conficit, ac macerat hebeti pallore, qui simul in ipsius manus incidit, contra vero is, cui inuidetur in hominum prospectu miris modis promouetur, ac proficit à Domino protectus.* Qualia omnia prospectare licèt in Iudæis, ad quos ex Diabolo inuidia deriuata, & è vestigio in fratricidam Cainum transiliens, atque procursu deinceps in Dominicidas Iudæos deuoluta est. Hi enim furore insanientes aduersus IESVM omni probro, & maledicentia in ipsum debacchantes, squalidi, trementes, tinea improbæ conscientiæ corrosi, cor suum exedentes, & dilaniantes rabidis inuidiæ *Furiis suos animos laniando conficiunt.* Et inuidiam: *in suos cruciatus enutriunt.* Contra verò IESVS à Domino protectus miris modis prouectus ad sempiternam gloriam.

D. Antioch.

Inuidia sanitia, & crudeles cruciatus.

Inuidiosus semper proficit, à Domino protectus.

Iudæi crudeles laniatus inuidia excepti.

6. Colophonem imponam discursui sententiis valdè præclaris ex S. Prospero Aquitano, & Episcopo Regiensi lib. 3. de vita contemplatiua c. 9. mutuatis: *Hæc & his similia sunt quæ omnes inuidos bonis voto, siue animo inimicos ostẽdunt. In hæc mala deueniunt, qui insectãdo sectandos, & diligendos abominando, feraliter à communione bonorũ omnium se ipsos excludunt, vt illud bonum iure non sit in eis, quod persequũtur in bonis. Considerate obsecro, qualiter inuidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniunt aliena. Vbi isti fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali: aut quando benè malis vsuri sunt, qui malè bonis vti non desinunt.* Quæ omnia mirificè quadrant Isaiæ commati proposito: *Dicite iusto quoniam benè.* aut: *quoniam bonum:* &: *alligemus iustum.* Nam qui ex aliena bonitate nocentiores fiunt, exosam habent probitatem, quam debebant amplecti. Hoc bonum exitiosum est liuidis, cum in ipso bono vnde iustus proficit, improbus deficit, & interit.

D. Prosp.

Inuidi illud bonum quod non obtinent persequuntur in bonis.

Inuidos acrius puniunt mala sua, quos tona cruciant aliena.

Inuidi in bono mali.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Dicentes alligemus iustum.

DISCVRSVS X.

Saluatoris vinculis dicatus.

Crudeles, & dulces manuum, & colli nexus, alligantium nequitiam, colligati IESV charitatem, & innocentiam testificantur, & Iudæorum stragem portendunt.

1. ALLIGATVRAS Saluatoris, & salutis, quibus manus eius charitas innexuit, vt vincula nostræ prauitatis absolueret, celebrat illustri vaticinio Oseas Vates c. 7. cum enim coargueret Iudæos scelestæ idololatriæ vitulorum ex auro conflatorum, ab improbo Hieroboam adinuentæ, hæc verba subiungit v. 5. *Extendit manum suam cum illusoribus.* Quæ verba tametsi iuxta tenorem litteræ de Rege ad cultum dæmonum conuocante vsurpentur, in arcano tamen sensu, de Pilato Christum damnante, argute accipit Rupertus, & expendit perspicuè, quid sit extendere cum illusoribus manum. Sic enim inquit lib. 3. in Oseam: *Quis enim extendit manum suam cum illis illusoribus? Nimirum Pilatus iam dictus. Quomodo extendit manum suam? Profectò cohortem mittendo ad capiendum Dominum: sicut testatur Euangelista cum dicit: Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis. Nam cũ sic distinguit, cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, palam dat intelligi, quia ministros quidem à põtificibus, & pharisæis accepit. Cohortem verò à præside, per quem ei cohortes, & cæteri militaris imperij erant ordines. Itaque manum suã extendit cum illusoribus, manũ vtique militarem, id est, cohortem misit.* Nimirum vt caperẽt Dominum, & vincirent. Iam enim Pilatus simul cum improbissimis Iudæorum primoribus consona voce resonabat, & dicebat: *alligemus iustum.* Cum

Oseas.

De Pilato Christum damnante præclarum vaticinium.

Rupert.

Extendit Pilatus manũ suam cũ illusoribus, quando cohortem misit ad capiendũ Dominum.

Digitized by Google

Cum manum robustorum,& impudentissimorũ militum transmisit cum ante signano latronum Iuda,vt Dominus comprehenderetur: illud tamen comma:*extendit manum suam.*Cum horrore,& admiratione ab Osea prolatũ;ad Deũ ipsũ, & seruatorem omnium Pilatus extendit manum,ad incomprehẽsum numen, & inaccessum manus extendere tentauit, & præsumpsit. Qui enim tenebat iustitiam clausam, & ad munera manum apertam,ad comprehendendum, & alligandum Iesum sine formidine extẽdit manus. Quas quidem licet omnibus vndis maris,& terræ fluentis abluat,iniquitatem non eluet,nec se à Deicidij purgabit crimine, nec notas abradet quibus infectus est, sanguine iusti.Addit luculenter Rupertus, Iudæos nuncupari illusores: *quia nocte illa cùm tenuissent Dominum,illuserunt eum,expuendo in faciem eius,colaphis cædendo, & palmas dando in faciem eius.* Nec minus argute, & eleganter iuxta propositum theorema sequentia vatis verba explanat ex vers.6.*quia applicuerunt quasi clibanum cor suum cum insidiaretur eis: tota nocte dormiuit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flamma.*De liuoris incendio, quo inardescebat Pilatus, & de inuidiæ flãmis, quas homo nequissimus,mendacissimus,& insidiator callidissimus in pectoribus Iudæorum accendebat:*qua nocte tota illa dormiuit? Nimirũ eâdem nocte,qua manum suam extendit, id est, cohortem misit, &c. inter hæc intus continuit se vsque mane, & tunc apparuit ipse succensus quasi ignis flamma:siquidem mane facto (inquit Euangelista) vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi,videlicet concilium ineuntes, vt eum morti traderent. In illo consilio, is, qui tota nocte dormierat Pilatus quasi ignis flamma succensus, in verba prorupit ardens pariter,& succendens,& ardentes instigans, ne ab illo, quo ardebant, inuidiæ incendio refrigescerent.* Vaferrimus enim Pilatus singulari simulandi arte præditus, ipse velut æthna succensus ambitionis,& inuidiæ ignibus, callidas eructabat flammas, quibus fornacem iudaicam liuore, & furore succensam augeret; oleum adiiciens igni, vt limatos, & flammeos gladios, & versatiles verborum exacueret, & criminosas ex iis scintillas accusationum excuteret;vt accito consilio iniquitatis, vinctum Iesum adiudicaret morti. Alius ignis ardentior, & voracior ex camino pectoris Iesu eructabat, ignis nimirum pietatis, & charitatis, quo erga insidiatores suos inflammabatur, eosque deperibat;sustinebat tota nocte ictus,& impetus impudentium persecutorum;sed ex eo tanquam ex silice ignes ad percussuram ferri euomente, scintillulæ,& missilia exiliebant,quibus peccata nostra tanquam fœnum,& paleas exureret,& inflammatura hostes resultabant, nisi duriora saxis,& adamante pectora vstionem inhiberẽt; itaque vinculorum Iesu auctrix, & architectatrix inuidia penes Pilatum, & Iudæos extitit, ipsa comprehendit,ipsa ligauit, & innexum loris, & manibus reuinctis ad Pilatum adduxit. Apud Iesum ligaturæ causa amor extitit.

Pilatus ad Deum ipsum extendit manum, vt caperet & vinciret.

Rupert. Iudæi illusores, quia ligato Iesu tota nocte illudunt.

Pilatus in Iudæorum cordibus flammas liuoris succendit.

Pilatus inuidia accensus, quasi ignis flamma.

Pilatus dormiuit in consilio iniquitatis tota nocte.

Iesu pectus flammis amoris succensum erga insidiatores.

Charitas Iesum ligat.

2. Differit S. Bernardus de vinculis Iesu,& ea septenario numero adæquat. Primo nexu ligatur obedientiæ. Secundum fuit vterus Virginis,quo Verbum coarctatum. Tertium in præsepio, in quo membra pannis inuoluta Virgo Mater alligat,pedes,manus, atque crura stricta cingit fascia. Quartum vinculum funis, quo ligabatur cum caperetur. quintum, quo ligatus est ad columnam ad flagella.Sextum corona ex spinis compacta,qua accinctum est caput. Septimum vinculum nexus clauorum ferreus, quo cruci affixus. De quarto verò vinculo Bernardus mellita verba fundit lib. de passione Domini cap.4.*Tunc iecerunt manus in Iesum, & vinxerunt eum. O Rex Regum, & Domine dominantium, quid tibi, & vinculis? Quare ergo ligatur? Bene quidam Rex cum percussus humana sagitta,peteretur, vt se ligari permitteret, donec excinderetur,quia leuissimo motu mortem posset incurrere. Non decet,inquit, vinciri Regem. Libera sit Regis, & semper salua potestas. O Deus Deorum quantum ergo derogatum fuit libertati, & potentiæ tuæ! tot adeo ligaris vinculis, qui solus ligandi & soluendi potestatem habes? Sed propter misericordiam tuam ligatus es, vt nos à miseriis nostris faceres absolutos.*

Diuersa & varia Iesu vincula.

D.Bern.

Non decet vinciri regem.

Iesus ligatur vt homines à vinculis peccatorum absoluat.

3. *O quàm immitia fuerunt illorum immitissimorum vincula, quibus agnum mitissimum vinciebant! Video oculis mentis te Domine Iesu tam duris nexibus adstrictum, tanquam latronem trahi ad iudicium principis Sacerdotum, & inde ad Pilatum: video, & perhorresco, & admiror, & admirando deficerem, nisi quod liquide cognosco, te prius in corde charitatis nexibus fuisse constrictum, qui ad deteriora vincula sufferenda te leuiter attrahere potuerunt.* Hunc melleum verborum, & sententiarum succum mellifluus Bernardus nobis propinat. Non decet vinciri terrenum Regem acuto adactum telo,vt illud extrahatur, ne ligatura potestatem regiam imminuat, aut leuia exhibeat signa seruitutis, indicia timoris; Decet innecti Regem cælestem, non vt euellatur iaculum amoris, sed vt interiora pectoris penetret,& cordis rimetur arcana, vt dilatet & amplificet charitatis vulnus, & ipso iaculatus immoriatur suauius. Non suorum sed alienorum peccatorum funibus Iesus constringitur, vt ea fortis Samson tanquam leuissimam stupam, aut licium soluat; quanto æquiùs manus Adæ vinciretur,quæ tetigerat vetita,Inconcessa præsumpserat, cum se ad arborem sciendi bonum,& malum extenderat.Manet libera manus trãsgressoris,& innectitur manus creatoris. Fur absoluitur, Dominus ligatur, vt vinculis suis criminis reatus dissoluat. Iesus alligatur, vt sit homini alligatura salutis,& hominis natura tot adstricta flagitiorum compedibus, ab omnibus maneat expedita. Non ligaretur Iesus loris, & funibus Iudaicæ impietatis, & crudelitatis indicibus, nisi amor ei prius iniiceret manus, & nexibus suis fortiter alligasset. Potentiora sunt charitatis vincula, quæ irretitum ad insidiatorum manus,& nexus,non violenter,sed placide trahunt.

Iesus deteriores alligaturas sufferre, quia in corde charitatis nexibus erat constrictus.

4. Reconditum mysterium continent verba Oseæ c.10.v.6. *Siquidem ipse in Assur delatus est munus Regi vltori.* Loquitur de vitulo aureo, quem conflauit Hieroboam, & misit Israel ad Regem Phul Assyriorum,vt populo Rex suppetias ferret,aduersus hostium oppugnantium incursus. In arcano tamen sensu continent theoriam subtilem admodum, & purissimam,quam indicant Lxx.interpretes legentes apud S. Cyrillum:*& ipsum ligatum adduxerunt munera Regi Iarim.* Quod vaticinium de Christo ligato, & tanquam munus,& xenium transmisso,à Pilato ad Herodem, explanant Tertullianus lib.4. contra

Osea.
Iesu vincti loris & tanquam xenium à Pilato ad Herodem transmissi illustre vaticinium.
Lect. Lxx.

Tertul.

D. Cypr.

contra Marcionem cap.42. & S. Cyprianus in expositione symboli, scribens: *Scribitur etiam illud inter cæteras passiones eius, quod alligantes eum duxerunt ad Pilatum. Præsignauit etiam hoc Propheta vbi dicit: & alligantes adduxerunt eum xenium Regi Iarim.* Et si quis obiiceret Pilatum non esse Regem, occurrit Cyprianus, quod Pilatus transmisit Iesum ad Herodem, qui in Ierosolyma tenebat regni clauum, & appellatur Iarim, id est siluester, quia non erat de genere Israel, nec Iuda, sed violenter intrusus, & insertus de condensa, & inculta silua alienigenarum.

Herodes vocatus rex Iarim id est siluester.

D. Cypr.

Et subiungit Cyprianus: *Sed & quod ait Propheta xenium, conuenienter aptauit. Tunc enim Herodes, & Pilatus (vt Euangelium testatur) ex inimicis in concordiam reuocati sunt: & velut reconciliationis suæ xenium, vinctum sibi inuicem mittebant Iesum.* Xenium, & munusculum concordiæ inter Pilatum, & Herodem vinctus Iesus est, qui dissidentes primorum animos pacis glutino coadunaret. Et ligatus ipse, monilibus beneuolentiæ discordes alligaret. Vincula charitatis Christi, etiam hostes suos amicitiæ nexu constringit. Quid enim amoris alligatura ingeneraret in iudicibus iniquis, & insidiatoribus, nisi cordium placabilitatem? Ipsi illusores Dei, & irrisores veritatis tanquam xeniolum, & donariolum nugacium cogitationum suarum Iesum ad se inuicem transferebant; sed ipse iam damnatus, & vinculatus tanquam Dominus omnium, & humanæ charitatis assertor, eam insidiosis pectoribus, & lusitantibus lucrionibus serioso iudicio efficaciter inserebat. Quid prodest inter se coire animos iniquorum, & à Iesu esse disiunctos, & à præconio veritatis extorres. quò magis eos nectit amicitia subdola, & fallax suis intenta commodis, eò magis distractos reddit à pacis principe, & diuinæ charitatis auctore; gluten conflat inter eos vnanimitas perdendi iustum; & magnum chaos, & voraginem interiacentem constituit, quæ eos disgregat à summo bono. Felix qui hoc munus & xenium Iesum vinculis constrictum offert Deo Patri *Regi vltori*, qui Deus vltionum nũcupatur in litteris sacris, vt retardet illius minas nostris sceleribus intentatas, & cohibeat manum ad flagra, & interitum extentam. *Et ipsum ligatum adduxerunt munera Regi Iarim*, hoc est, *præsuli, & defensori*, vt expendit Hieronym. iuxta translationem Symmachi; ipse enim Pater, propter filium colligatum, nostræ salutis præsul, & patronus extitit, & ab æternæ mortis nexibus immunes, & expeditos reddidit, & eorum patrocinium suscepit, quos ante damnauerat, ex prospectu agni immaculati, funibus colligati, & ad mortem destinati.

Herodes, & Pilatus Iesum vinctũ, velut reconciliationis xenium, sibi inuicem transmittunt.

Iesus ligatus vinculũ est discordantium animorum.

Iesus vinculis constrictus, tanquã eximium donum, & reconciliationis obses, Deo Patri offerendus.

Oseas.

5. Mentiar nisi consimili vaticinio idem Vates non prædicet his loris salutis, & gratiæ alliciendum suauiter, vinculandum fortiter omnium hominum genus c.11.vers.4.de Dominico amore clamitat: *in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Hæc vincula sunt amoris Iesu, quibus nexibus traxit, & tenuit errantes, nec mirum ligatam tenere creaturam nexibus, qui creatorem illigarunt. Quare LXX. legũt: *extendi eos vinculis charitatis meæ.* Quam sententiam pensitat Theophylactus dicens: *Ligaturus alicuius manus extendit eas, vt vincire queat. Idem hoc in loco dicit extendi eos, pro eo quod est, paraui eos, idoneosque feci vt ligarentur dilectione mea.*

Iesus in vinculis Charitatis genus humanum attraxit.

Lect. LXX.
Theoph.

Iesus manũ extendit, vt homines dilectione illigaret.

Parasti nos Domine ad vincula, dum vincireris, & traxisti nos ad te validissimis nexibus amoris, qui sunt adamante fortiores. Quis non dabit collum neruo, pedes vinculis, & manus ferratis nexibus, cùm cernit manus Domini Iesu subligatas funibus. Vix traxisti ad te populum tuum præclaris facinoribus, prodigiosis muneribus; vel cum mare diffinditur, vel nubes arcet Solis æstus, aut noctu de columna Angelus illuminat noctis tenebras, de nubium cellariis mellitos, & nectareos panes influit; & eructatum de silice aquarum fluentum, per conualles, & montium iuga ad poculum, ad solatium insectatur criminosos. Ad has & similes operationes mirabiles aperiebantur, extendebantur manus Domini profusiori clementia, vt impleret omne animal benedictione. Sed quale populus præstauit obsequium, & venerationis cultum? Potius tanquam iuuenculus indomitus recalcitrans, & exiliens excussit obtemperantiæ iugum, fidelitatis vincula soluit. Manus illæ beneficæ coërcentur loris, adstringuntur subligaculis amoris, & vniuersæ nationes dant manus Domino vinciendas: *extendi eos vinculis charitatis meæ.* Non inficiabor huic themati, & vaticinio catenam supremi numinis congruenter adaptare, de qua Homerus Illiade 8. vbi Iupiter Diuos introducitur alloquutus. Homer.

Eia quid valeam, diui facitote periclum
Aurea sublimi cælo demissa catena,
Pendeat, hanc omnes diui versate, Deæque
Nec tamen ex cælo terram deducere ad imam
Possitis Iouem augustum, & ter nobile numen.
Sæpius hac quamuis vos cura laborque fatiget;
At quoties hanc ipse velam tractare, trahendo
Ad me subducam, pariter terramque fretumque
Deinde catena grauis ligetur vertice Olympi
Omniaque subnexa simul sublimia fient.
Tãto homines superosq; omnes supero interuallo.

Iesu vincula Iouis catena fortius, & illustrius vt totum orbem ad cælum leuet.

Coloratum specie veritatis figmentum libens vsurpo de Iesu ligatura, & vinculis; etenim catenam Iouis dij, Deæque contrectant, si forte violenter queant Iouem de cælo deturbare, & solo sternere; quòd contra accidit, nam potentiam suam mirificam ostendit, quam nullus possit labefactare; cum Deas, Deosque catena illigatos, pariter terram, & mare, & vniuersi naturam attraxit insertam, & in altum rapuit, vt cũcta pro arbitrio moderari, & summum penes se imperium esse demonstraret. Sic in Iudæa Sacerdotum principes Herodes, & Pilatus & synagoga illa Deorum, in cuius medio Iesus stetit, diuinitatem Christi explorarunt, & illius potentiam, an numen diuinum, vel humano augustius esset, qui à morte eripere se posset; ideo ei vincula iniiciunt, & ligatum tenent ante iudicum Senatum; sed potentiam suam, & imperium illabefactatum ostendit, tùm nugaces eorum cogitationes, & inania consilia; quin potius hac amoris catena, & charitatis torque vniuersum terrarum orbem, & omnium nationum quæ sub cælo sunt dynastas nobiliores obseruantiæ legis Euangelicæ manicis iniectis attraxit, & in cælorum atria sustulit, & inuexit.

6. Nec sola potestas in vinculis, sed innocentiæ Christi perspicua demonstratio fit, vt ponderat Chrysostomus tom.3. *de mysteriis cœna Dominica* serm.3. *Condemnatur ecce in concilio Iudæorum Dominus, Pilato traditur alligatus, & sacras manus sacrilega catena vinxerunt. Ad tribunal*

D. Chrysost.

Manibus catena illigatis ante iudicem Iesus sistitur, vt illius innocentia pandatur.

Digitized by Google

bunal dehinc Præsidis sistitur: non vt reatus in illo, sed vt innocentia ponderetur: vt reportaret testimonium iudicis, qui sub crudelibus vinculis meritum non amiserit innocentis. Non ligatur loris probitas, nec vinculis adstringitur innocentia, in carcere, & neruo expedita manet, & libera, & in ipsis nexibus triumphat, inter squalorem carceris, & tenebras horrore plenas clarissimum iubar diffundit: Ecce Dominum vinctum coram Pilato comparentem tanquam reum, & ab ipso iudice iustus, & innocens in ipso tribunali censorio acclamatur. Nec mirum homines ratione vtentes simile testimonium protulisse, cum ipsæ statuæ mutæ & insensiles alligato Christo dederint innocentiæ præconium. Sanctus Vincentius Ferrerius sermone in die Parasceues hæc recenset: *Dicunt aliqui quod quando Christus captus intrauit per portam ciuitatis Hierusalem, imagines lapideæ, Imperatorum Romanorum, quæ erant ibi sculptæ inclinauerunt se Christo: quasi dicerent: Domine, homines rationales vos ligauerunt, & nos irrationales vos adoramus.* Columnæ marmoreæ superno motu actæ venerationis ergò procumbunt, & caput inclinant Iesu vincto, vt iam terrena orbis imperia adorationis, & cultus auspicium in imperatorum simulacris exhiberent; & pedibus Christi colligatis Romana potentia se subiiceret, comprehenso, & alligato Regi manus daret.

Statuæ mutæ & insensibiles exhibent ligato Iesu innocentiæ testimonium. D. Vincen.

Intranti Iesu ligato per portam Ierosolyma, statuæ imperatorum Romanorum venerationẽ exhibent.

7. Ad ea verba Canticorum c. 1. v. 13. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* iuxta corticẽ literæ, vt assolet, explanat paraphrasis Chaldaica, de illa synagoga adorationis vituli labe infecta, quòd propter merita Isaac sacræ victimæ colligatæ, & in strue lignorum litatæ à Patre, misertus sit Dominus populi sui, vindices iras retinens. Sic enim ait: *Tunc reuersus est Moyses, & quæsiuit misericordiam à facie Domini, & recordatus est Dominus inclinationis Isaac, qui ligatus fuerat à Patre suo in monte Moriah super altare. Et conuersus est Dominus ab ira sua.* Sed quanto pretiosiorem, & dulciorem nucleũ inueniet interpres sacer in his asperis verborũ crustis, si de Iesu vero Isaac, qui est risus & lætitia hominum, & iubilus Angelorum, si canticum sponsæ, & iuxta propositam Thargum Ierosolymitani theoriam vsurpet. Is enim est colligatus à Patre, per omnia subiectus vinculis passionum. Cernere est huius imaginis vmbras, vt eas Euangelicis splendoribus coloremus. Genes. c. 22. vers. 5. *Cumque alligasset Isaac filium suum.* Iam enim victima pietatis, quæ mortalitatis, & resurrectionis speciem præferebat, religata funiculis; vt officiosa patris vota vbere vnguento pietatis delibuta filius nuncupet, Angelica quadam alacritate ad lanienam properans quasi ad nuptialem thalamum; Deo consecratis viris, fæminisque formam dabat obtemperandi annutui cælestis patris, vt spontaneè permittant religari votorum funiculis, amoris inquam Deifici strictioribus lacertis, nulla irruenti calamitate, aut tentatione dissoluendis. Hic enim funiculus triplex, & totius Trinitatis inuentũ, quod Pater approbat, Filius exequitur, & exemplari exercitatione commendat, Spiritus sanctus afflatibus suis compingit, & nectit, difficile rumpitur; si existimes ornamentum esse, non onus, nec ferratum collare, aut ligneos compedes, sed torquem aureum, & salutis alligaturam; felix qui his manicis, & catenis pedes lubens, & spontaneus iniicit manus. Ligatur itaque Isaac, & ligatur à Patre; mysterium in hoc sacrificio inuestigat Rupertus, & comperit lib. 6. in Gen. cap. 31. dicens: *Mira videlicet patientia subiectum, & pro voluntate patris sustinentem intentata mortis tormentum. Ergone & Deus Pater suum colligauit Filium? Colligauit plane, verum non imbecillitatis vinculo, sed magna charitatis imperio.* Voluntarias iniicit nexibus manus Iesus, sed eas Pater vincire decreuit, vt hominum genus à reatu criminis soluat; ô quanta in Patre & Filio vis amoris! Hic nec proprio pepercit nato, sed pro nobis omnibus tradidit vinctum improbis lanionibus; filius vinciri non recusat, sed vincula suscipit, & amplectitur; Pater quoque Iesum ligat, dum nodosis loris implicari iubet, & catulum leonis de tribu Iuda oriundum mortis victorem, catenis, & retibus amoris compeditum ostendit, vt iam non immani rugitu territantem, sed commiserantem, & exuberantem affectu clementiæ, mitificata omni ira sua peccatores prospectet. Iam non mihi ostendes Adam contumacem & fugacem, pudore, & mœrore correptum, quærentem latebras; quis tergora dabit colligato Deo, & non potius genuum curuaturam, & osculum suaue nexibus? Eosque non perfundet lacrymarum stillicidio? Vicit Iesus vinctus asperum, & belluinum hominis ingenium, & his vinculis tanquam validissimis lupatis indociles eius motus compescuit, & mortales omnes coërcere docuit iræ furentis vesanias, & continere se ab omni flagitio.

Cant. Chald.

Misertus est Dominus populi sui, propter Isaac à Patre ad sacrificium ligatum.

Isaac colligatus, Religiosi sese Deo vouentis, & trino voto religantis, typus.

Votorum nexus torques aureus, & salutis alligatura.

Rupert.

Deus Pater filium colligauit magna charitatis imperio.

Iesu ligatus simulacrum pietatis, & clementiæ.

8. Hoc piis, & fidelibus Iesu annuntiant vincula; impiis vero Iudæis inhibitionem gratiæ, denegationem veniæ, & dominicidij indissolubilem reatum tinniunt. De Ioannis Præcursoris carcere ait S. Matthæus c. 14. vers. 3. *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum.* Argute Sanctus Chrysologus inquit serm. 127. *qui vincula soluerat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur, vt vincta venia, locum veniæ non relinquat.* Quæ effata Christo, eiusque comprehensoribus congruenter aptabis; etenim Iesus, qui vincula soluerat criminum, peccatoris vinculis alligatur, vt vincta venia, & ipsa pietate, commeritam miserationem & veniam improbis apprehensoribus, & vincula illius intentantibus non relinquat. Etenim cursus Solis æterni citato motu anhelantis ad mortalium salutem, his nexibus improbi remoliuntur, ne radios salubris splendoris infundat, sed cæca noctis caligine permaneant consepulti. Denique improbitas hæc ferratis nexibus vectes, & seras construit, & pietatis foribus infigit, vt claustra miserationis non sint patula impiis, sed reclusa, & procacitate signata.

Iudæi vincla veniæ, & criminis absolutione, locum veniæ non relinquunt. D. Matth. D. Chrysol.

9. Nec obliuione prætereundum est arcanum, quod D. Ambrosius meditatur in instrumentis armorum, quibus ad Iesum circumueniendum, & capiendum, militum satellitium, & Iudæorum ministri veniunt. Ioannis c. 18. v. 3. *Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.* Proponit ergo Mediolanensis Antistes contemplationem iucundam. *Venit ergo persecutorum turba cum laternis: & ideo inclusam in eis lucem videre eorum oculi nequiuerunt. Venit cum facibus, quæ plus habent in fumo caliginis, quàm splendoris in lumine. Denique facibus*

Iudæorum satellites comprehendere Iesum veniunt cum laternis, vt lucem non videant. D. Ioan. D. Amb. *Faces plus habent in fumo caliginis, quàm splendoris in flamma.*

Digitized by Google

Facibus mortuorum cadauera comburuntur. *tibus mortuorum cadauera ardere consueuerunt. Sibi ergo Iudæi iam ferebant incendia, qui persequebantur salutis autorem. Venere cum armis significantes armis se perituros esse Romanis, vsque ad excidium totius ciuitatis, & templi, qui pacem Domini recusarunt.* Instrumenta comprehensionis Iesu omnia infausta Iudæis portendunt, dum enim satagunt quasi in laterna iustitiæ solem, & Dei lumen occludere, expansa est super eorum corda perpetua infidelitatis caligo, vt Dei lucem videre non possint, nec eis gratiæ iubar affulgeat; iam in lampadibus, & facibus funebris pompa, & parentalis vmbra synagogæ parabatur, vt mortua sic iaceret in conditiuo perfidiæ; iam in fumanti, & ardente teda fumus, & incendium vrbis, & templi signabatur; gladios & tela portabant miseri, quibus à Romanis cohortibus vsque ad internecionem deleti; vincula, & nexus, quibus, amissa libertate, mancipati sunt æternæ captiuitatis ærumnæ. Itaque iuxta Isaiæ diuinum oraculum acclamantes Iudæi *& dicentes alligemus iustum* consilium improbum, & valde inauspicatum, non aduersus Iesum, sed aduersus semetipsos consiliati sunt; cùm captiuantes, & comprehendentes seruatorem, ipsi captiui Romanorum facti sunt, iustus autem inter vincula & nexus, quos pro hominis amore sufferre dignatus est, liber remansit.

Iudæi contra se deferunt incendij auspicium.

Veniunt cum armis, vt portendant armis Romanorum perituros.

Alligantes Iesum Iudæi, se ipsos captiuant.

Dicentes: alligemus, iustum.

DISCVRSVS XI.

Quam iucundum, quàm pretiosum loris adstringi, ferratis nexibus pro Iesu amore vinciri.

1. DA amantem busto quodam charitatis conflagrantem, & vincula, carcerem, neruum, compedes pro Domino toleratos habebit pro gratissimis deliciis. Compeditorum gloriosum agmé constituit in propatulo Isaias sectantium vinctum Iesum, & tanquam ornamenta quædam triumphorum ostentantium funes, & nexus, quos donauit improbitas, & patienter sustinuit pietas cap. 45. v. 14. *Hæc dicit Dominus, labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt. Post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt: teque deprecabuntur.* Sabæi, Æthiopes, qui ad orientem, & occiduum solem inhabitant, & Indi abdicatis vanissimis simulacrorum erroribus, quibus ante seruiebant, nomen dederunt Christo, primariique viri, Regni quoque trabea inclyti, amplexati sunt humillimam Christi seruitutem, quæ autem sint vincula, & nexus, quibus implicati veniunt veneraturi Deum absconditum, non est adeo perspicuum S. Cyrillus charitatis catenulas existimat esse, quibus allecti, & attracti suauiter, & antiqua feritate exuti, fidei propugnatores facti; qui erant persecutores, in agniculorum sinceritatem immutarunt leoninam sæuitiam: *vincti manicis, id est, charitatis nexibus, & compedibus inexplicabilis in Deum pietatis.* Hugo Cardinalis de tribulationum nexibus accipit, quibus ligatur homo strictissimè, vt ad Christum citato cursu properet: *Vincti tribulationibus ad Christum transeunt.* Labores etenim & ærumnæ sunt compedes verbi, quibus homo præpeditur, ne ad illicita currat, & expeditus cassiculis mundialis illecebræ ad Saluatorem conuolet, sub cuius alarum velamento inoffensum comperit præsidium: Hoc tribulationis vinculum præcauet à sæculo, transmittit ad cælum. At sapientissimus Pictauorum Præsul Hilarius lib. 4. de Trinitate, postrema verba Vatis genuinè vsurpat de iis Heroibus, qui in carcere, & vinculis clausi, facti sunt strenuissimi Iesu sectatores. Sic enim legit: *Viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt serui, & post te sequentur alligati vinculis.* Et sic fatur: *Excelsi autem viri, qui ad eum transituri sunt, atque eum vincti sequentur: qui tandem isti sunt, non in obscuro est. Respice ad Euangelia. Petrus Dominum suum secuturus, præcingitur. Intuere Apostolos. Seruus Christi Paulus in vinculis gloriatur vinctus Christi Iesu,* &c. Cum cernis Apostolorum coriphæum vinctum catenis duabus, Paulum Gentium Doctorem inter catenas, & compedes exultantem, & reliquos Discipulos Domini, agmenque testium Fidei compeditorum, inter stridulos catenarum inhorrētium nexus, ore fundentium gratissimum actionis gratiarum melos, complemētum suum accepisse Isaiæ vaticinium, intelliges. Cum raptati funibus, reuinctis post terga brachiis, trahūtur ad lanienam, ad patibulum, ad bustum. Hi agni, hi vituli adstricti pastorem suum alligatum sequuntur. Hi milites in compedibus, & manicis ferreis liberi, & potentissimi sui Imperatoris funibus innexi vestigia lingunt. *Viri sublimes.* Tigurina legit: *viri magni.* Vatablus: *staturæ magnæ.* Nec de terrigenis sermonem esse censeas, qui vastæ molis magnitudine, & corpulentæ substantiæ proceritate conspicui, erant gentibus terrori: quia sæpe in pusillo corpore, & exili forma emicat augustus animus, sublimis, & excelsus; sed de iis, qui de carceris pressura, & ignominia vinculorum, gloriosum nomen adepti, magnanimorum decora, & maximorum titulos ex magnitudine agonis, & triūphi, per totum terrarum orbem diuinis præconiis eorum vinculorum celebrata est gloria.

Isa.

Mundi potestates alligatæ veniunt nexibus charitatis, vt seruatori præstent obsequium.

D. Cyr. Alex.

Tribulationum nexu ligatur strictè homo, vt ad Christum transeat.

D. Hilar.

Viri excelsi alligati vinculis, Christum sectantes, Apostoli sunt in vinculis glorantes.

Tigur. Vatabl.

Viri magnæ, & proceræ staturæ, in virtutis stadio efficit carcer, aut neruus pro Iesu toleratus.

Dissertissimum, & ornatissimum in dicendo semper est os aureum, in exaltandis vero, & celebrandis vinculis, omnes facundiæ lepores illigatos in verbis suis ostentat. De Pauli catena sermonem texit homil. 10. in c. 4. ad Colossenses vers. 2. *vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum.)* Aperit Chrysostomus fontem vbertatis suæ, & fundit orationis aureum flumen. *Ego vero vinctus sum. Rursus vincula in medium adducit, quæ vehementer amo, quæ cor meũ excitant, & semper desiderium incutiunt videndi Paulum vinctum, & in vinculis scribentem, & prædicantem, & baptizantem, & instruentem. Emergebat illi vincto omnium vndique Ecclesiarum cura. Vinciebat & Paulus aliquando, & in carcerem coniiciebat. Verum postea quàm Christi factus erat seruus, non faciendo, sed patiendo honoratus est. Per vincula progressa est Euangelij prædicatio. Etenim cogita mihi, vniuersus orbis relictis illis, qui soluti erant, & liberi, ad vinctos concessit, auersatus eos, qui in vincula coniiciebant, illos honorauit, qui catenis erant circumdati.*

D. Chrysost.

Eximius Chrysostomi amor erga Pauli vincula.

Paulus non faciendo, sed patiendo honoratus est.

Ad catenæ circumdatos, relictis liberis, totus conuolauit orbis.

2 *Vinctus.*

Digitized by Google

D. Chrysost. *à Socrate vincto discipuli fugiunt. Paulus vinctus suis desiderabilis, alienis venerabilis. Paulus catena coronatur.*

2. *Vinctus erat & Socrates à Græcis, quid igitur? An non mox fugiebant illius discipuli? Admodum. Non enim de immortalitate sermonem acceperant. Sed vide hoc, vinctus erat Paulus, & confidentiores redduntur discipuli, & suis enim reddebatur desiderabilior, & inimicis venerabilior, tanquam virilis animi ac strenui ferens præmia vinculum. Et corona caput vincit, sed non deturpat, verum illustre facit; inuiti illum catena coronabant.* Hæc ex Chrysostomo conuulsim deprompta, ex quibus catenulas, & murenulas vere aureas tanquam argentarius Ecclesiæ fidelis conflat, & nectit; & mirabilium sententiarum, & laudationum notis, & stigmatibus distinctas, Paulino pectori appendit, ipsumque ornat. Itaque per vincula, & carcerem, tanquam per spiritalem matricem, & vuluam fideles procreabat, & parturiebat Paulus; non dehonestat vinculum, sed illustrat iustum, redditque venerabiliorem hominibus, & Angelis honoris, & gloriæ coronamento conspicuum: *inuiti illum catena coronabant.*

Genes. *Ioseph catena ferrea vinctus.* Psal. Chald. Sap. *Cur Moyses in Iosepho catenam, & compedes prætermisit.*

3. Placet nunc descendere in foueam cum Iosepho, in qua Deus iuuenem, & delicium suũ non dereliquit, sed sub alarum suarum velamento amplexu quodam paterno tutatus est. Repetitis in sacra pagina præconiis Iosephi celebrata sunt vincula. Genes. cap. 39. v. 20. carcerem proponit, vincula non exprimit: *Tradiditque Ioseph in carcerem, vbi vincti Regis custodiebantur, & erat ibi clausus.* At Psalmicen hymno 104. v. 18. ferreos nexus, quibus ligatus est in propatulo constituit: *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransit animam eius.* Chaldæus legit: *in catenam ferream intrauit anima eius.* Meminit quoque vinculorum Salomon Sapientiæ cap. 10. v. 14. *& in vinculis non dereliquit illum.* Cur vero Moyses catenam, & compedes prætermiserit in præallegato Genesis loco? incertum: Illud quispiam suspicari posset. Putipharem delinitum iuuentutis formosæ Iosephi compassionis quodam blandimento, & officioso seruitutis obsequio, sui honoris indemnitati consuluisse si fontium clauderet fouea, nec teneris, & tenuibus membris adolescentis crudele ferrum adiiceret; vxorem tamen ferino quodam furore percitam, catenarum pœnam addidisse suo flagitio, illosque pedes à lasciuiæ incendio resilientes, ferale scelus refugientes adulteræ, ferreis compedibus adstringi imperitasse, easque manus, quibus expudoratæ retia scidit, & dissecuit omnia, ne illis inuolueretur pudicitiæ candidatus, manicis alligari, collum & pectus innocentiæ sacrarium, quod complicari non permiserat concupitis fœminæ Ægyptiæ amplexibus, ferrea catena circumdari, vt in animaduersione, & pœna innocentis satiaret furorem, quæ libidinem non expleuerat; ne denegata corpori voluptate, animum suum defraudaret à vindicta.

Artificium & vindicta fœminea crudelitatis Iosephi catena.

D. Amb. *Rei à catena absoluuntur, vt fidelibus imponatur.*

Pulchre S. Ambros. lib. de Ioseph cap. 5. vinculis adstrictum Iosephum nuntiat. *En propter quod aperiatur carcer, vt suscipiat innocentes: soluantur catenæ reis, vt imponantur fidelibus: dimittantur veritatis adulteri, vt includatur qui fidei adulterium recusauit.* Veruntamen quanti Deus æstimet, quanti pendat hos ferreos nexus, ostendit Iosephi parens Iacob, Genes. cap. 49. v. 24. *Dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob.* Catenas illas Dominus manibus suis dignatus est tangere, & sua virtute confringere; nec dedignatus est socium se adiungere passionis in carcere clauso; lubenter Iosephi vincti caput suo reclinare gremio; & vt dissoluat nexus ferreos, amplexu fouere suo, & religare dilectum charitatis suæ lacertis.

Genes.

Lect. Hebr. loco dissoluta vincula aurum lapidibus pretiosis ornatum. Abul.

Pro *dissoluta sunt*, Hebraice est Paz quod denotat: *aurum optimum, & obryzum, lapidem pretiosum, & topazium*, vt ex quamplurimis constat Scripturæ locis, docte Abulensis ait: *in Hebræo dicitur: deaurata sunt brachia eius; vel topazion constitutus est super brachia eius, quod Iudæi referunt ad ornamenta, quæ fuerunt posita in brachiis eius quando constitutus fuit præpositus Ægypti.* Quando nimirum Genes. cap. 41. dedit annulum Pharao in manu Ioseph, & collo torquem auream circumposuit. Sed necessum non est in sacræ Scripturæ sensibus cum Iudæis repere, cum argutior, & lepidior protheoria occurrat; nempe, vincula illa, & catenæ, quas pro Dei amore, & tuitione pudicitiæ sustinuit, beatum reddebant, iuxta veridicam Ambrosij sententiam lib. de Ioseph cap. 5. *illum ergo beatiorem dixerim cùm in carcerem mitteretur, quia subibat pro castitate martyrium.*

D. Ambr. *Ioseph in carcere beatus, subiens pro castitate martyrium.*

Sacram illam victimam carceri destinatam, subeuntem pro defensione castitatis præsentissimum vitæ discrimẽ, martyrem nuncupat castitatis, imo & pudicitiæ protomartyrem, qui primus in flore iuuentutis decoræ, & stadio, & dimicatione illecebrosæ voluptatis, alienæ vxoris commercium respuit, amplexum & leuissimum attactum recusauit. Huic primo abdicatori, & refugæ petulantis fœminæ, & blande demulcentis libidinis, qui omnia adiuit honoris, & vitæ dispendia, vt vas in sanctificatione Domini impollutum seruaret, & in voluntatis proposito maluit mori, quàm fœdari, amplissima aureola castitatis defertur dominico imperio. In quo viro, iuxta Dei iudicium, vincula non erunt ferrea in conspectu Domini, sed aurea monilia, brachialia, armillæ, alligatura salutis & murenulæ Indicis lapidibus collucentes, quibus Deus Iosephi animam sibi in carcere despondit. Etenim ferrei nexus, quos quis pro pietate, & amore diuino sustinet in aurea monilia, in lapides prasinos, pyropos, & topazios, aurumque obryzum Dei charitas immutat: *aurum & topazion constitutus est super brachia eius.*

Dei amor vincula ferrea in aurea monilia immutat.

Has cæli gazas, & inæstimabiles diuitias in ferreis nexibus seruorum Christi, Aurelius Augustinus agnouit ad ea verba Psalmographi. Psal. 149. *ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis:* sic scribit: *quare ergo vincula ferrea, & non aurea? ferrea sunt quando timent, ament & aurea erunt. Incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de sapientia: & torquem auream circa tuam ceruicem: non tibi imponeret torquem auream, nisi prius in compedibus ferreis te alligasset.*

D. August. *Vincula timentium ferrea, amantium aurea.*

De ferreis nexibus transit iustus ad torquem aureum.

Pulcherrimus ergo vinculorum ornatus, quos Dei amor in torquem auream & monilia conflat. Enim verò Ioseph in vinculis constitutus, & neruo ferreo oppressus, pulchrior mihi, & splendidior apparet, quàm cùm in regium carpentum reuerendus, & venerandus ascendit; illum hic adolescentularum discurrentium super murum auidè turba prospectat; in carcere constituto cælestium spirituum acies cum Imperatore suo plaudunt. Hæ reuerentur prouidum famis, & egestatis curatorem; hi

petulcæ

petulcæ libidinis triumphatorem, cui incoinquinatorum certaminum merces gloriosa defertur.

Babylas Martyr simul cum corpore vincula sua humari præcipit.

D. Chrysost.

4. Talis erat æstimator vinculorum sanctus Martyr Babylas, qui cum vinctus ad mortis supplicium abduceretur, ferreos nexus, quibus erat implicitus ad passionem, simul cum cadauere suo humari præcipit. Testor Sanctum Chrysostomum tom. 5. libro contra Gentiles dicentem: *Sanctus igitur Babylas morti se propinquum cùm videret, corpus suum vna cum ferreis illis catenis sepeliendum mandauit, planum faciens, quæ ignominiosa videntur, ea quoties propter Christum fiant, honorifica esse, ac splendida.* Et paucis interpositis: *ipsa certaminum symbola iubet Babylas vna cum cadauere suo inhumari, ostendens sibi illa pergrata, & peramica esse, pro ea quidem charitate, qua totus in Christum appensus erat.* Indubitata, & irrefragabilis æstimatio vinculorum, quæ in ipsa morte profertur; etenim Babylas ferreos nexus non abiectæ seruitutis stigmata censebat, sed cælestis, & christianæ libertatis præconia, eaque vt amplissima decora, & totius honoris insignia amplectebatur. Extinxit vitam Martyris lanista, sed non expunxit cupiditatem patiendi, amoris nexum inter corpus Martyris, & vincula, non dissoluit. Etiam cadaueri associat vincula concupita post mortem, vt vsque ad extremum sæculi diem nexibus irretitum permaneret, vt compedes, & vincula valde sibi dilecta, perpetuo ambiat amplexu. Sic quoque fideles viui repebant ad carceres, vt vinculis Martyrum infigerent suauia, recenset Tertullianus lib. 2. ad vxorem cap. 4. *quis in carcerem ad osculanda vincula Martyris reptare patietur?* Apud Surium Septembris die octauo in martyrio sancti Adriani cap. 6. refertur sanctæ Nataliæ pietas, & fidei ardor erga beatos Christi martyres: *Illa surgens a pedibus eius, omnes sanctos accedebat, & illorum vincula osculabatur*, &c. & Chrysostomus post profusissimam, & clarissimam catenarum Pauli commendationem hom. 5. de Iob circa finem subiungit: *O beata vincula, ó beatas manus, quas ornauit catena illa Paulo circumdata? Si per illa tempora ipse fuissem, tunc potissimum fouissem eas, & ante meas oculorum pupillas ponens, nunquam destitissem deosculari. Manus dignas effectas pro Domino meo vinciri.* Et ne quispiam tanti miretur affectus, paulo ante prædixerat: *Si quis amat Christum, nouit quod dicitur: si quis insanit, atque aduritur Domini amore vincit potentiam vinculorum.* Quis tali insania, & furore diuino corripi non patiatur, vt pensiculare sciat quanta sit dignitas vinciri pro Christo.

Honorifica & splendida vincula pro Christo tolerata.

Lanista cum corpus martyris extinxit, cupiditatem patiendi non expunxit.

Tertull.

Pia oscula martyrum vinculis à fidelibus propinata.

Surius.

D. Chrysost.

Chrysostomus Pauli vinculorum venerator addictissimus.

Cant.

5. Illa verba Cantici Canticorum cap. 7. v. 5. *Comæ capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.* De Beatis Ecclesiæ Martyribus vsurpant Beda, Iustus Orgelitanus, Aponius, ac sacris purpuratis sanguinis coccino. Illud tamen in præsenti perpendendum venit. Cur: *purpura vincta*, Christi testes vocitentur in hoc amoris epithalamio? Solutus est enim sanguinis riuus in Martyre, & sine remora, aut obicibus interiectis, decurrit, secumque defert testis fidei in conflictu Regiæ libertatis insigne: *Color nimio lepore vernans, obscuritas rubens, nigredo sanguinea regnantem discernit, dum conspicuum facit, & præstat humano generi, ne de aspectu principis possit errari.* Ait Cassiodorus lib. 1. variar. epist. 2.

Purpura splendor, & color regnantem discernit.

Cassiod.

Martyres cruoris effusio, & sacra intinctio Principes purpuratos constituit, quid enim magis insolitum Regibus, quàm ferreus nexus, dedecet enim vinciri Regem, omni est enim ligatura superior, & compedibus expeditus. Cur ergo Salomon in Martyrum præconiis Ecclesiæ purpuram vinctam, & ligatam prædicat? Si inficiendæ sacro murice purpuræ, artem intendas, non erit admodum difficilis solutu verborum nexus, aut ligatura purpuræ, nam, vt ait Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 346. *quemadmodum lana, ad excipiendam purpuræ tincturam, ob vestimenti excellentiam, rigide admodum prius adstringuntur.* Consentit quoque Venerabilis Beda in Cantica: *Misso in canalibus sanguine muricis, lana ipsa fucanda est, ibidem per partes distincta, & singillatim vincta tingatur.* Et statim: *lana quæ ob id accipiendum colorem purpureum in canalibus vincta mittitur, vt post tincturam in ornamentum Regis assumatur.* Vt in illis rubicundis fontibus albentes comas lanæ, aut serici doctus moderator intingat; vt nulla ars, nulla vetustas floridum illum colorem possit eluere, rigidis funibus & lacertis adstringit, vt multo saturetur conchylio, & phæniceus ille fucus penitius imbibatur. Itaque nec perfecte sanguineus ille muricis fucus lanam inficit, nec ad Regium ornamentum proficit, si non ligetur. Superno flamine afflatus sacri dialogi auctor, perlustrauit animo in passionibus Martyrum eorum nexus, & vincula, quorum vestimenta fidei, puritatis, & innocentiæ candore albicantia, religantur funibus, vinciuntur catenis, vt martyrij purpurisso colorentur. Cerne Ioannem in vinculis, Petrum vinctum catenis duabus, Paulum compeditum nexibus ferreis, Cæciliam, Agnetem, Catharinam, heroum, & viraginum cohortes innumeras, reuinctis post terga brachiis, loris, & catenis adstrictas, vt efficiantur Regis æterni purpura effusione sacri cruoris felix ligatura, quæ migrare facit Martyres in purpureum indumentum Imperatoris æterni; omnibus enim his tanquam diploide vestiuntur, & circumdantur quasi sponsa. Et bene iuxta LXX. dicitur: *Rex ligatus in transcursibus, seu canalibus.* Quia in pressuris, in tormentis, & vinculis, in ipsa sanguinis effusione, in prospectu fidei habeat Regem illum, qui vt lauaret in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum, funibus & clauis passus est ligari; omnis enim Martyr de sanguineo Christi merito, & fuco, in patibulo, & torculari Crucis expresso, purpuræ colore rubescit. Talia ligamina ad conficiendum vestium ruborem milites Christi osculis & amplexibus ambiunt, cùm cernunt suum Imperatorem loris adstrictum. In riuulis, & stillicidiis sui cruoris de corporibus decurrentis Rex ligatus est, cum in ipsa perpessione carnificum cor Martyris vinculis charitatis adhæret Christo; corpus conuelli, & dilaniari patitur, ne animus à creatore diuellatur.

Cur martyres vincta purpura dicuntur.

D. Isid. Pelus.

Lana ad recipiendam purpuræ tincturam, rigide adstringuntur.

Martyres vt regia Christi purpura fiant, vinciuntur.

Lect. LXX.

Martyres in pressuris, & effusione sanguinis, lesum sibi ligatum proponunt.

Dicentes.

Digitized by Google



Dicentes alligemus iustum quoniam inutilis est nobis.

DISCVRSVS XII.

Omne emolumentum humani generis iusti recludunt, vt ex ijs commodum, vtilitas animi, & corporis, probis, & improbis abundet.

1. DISCVRSVS hic patrocinium suscipit iustorum, apologeticúsque est, vt maculas in eos impactas expurget, mendacésque ostendat eos, qui illos maculauerūt. Nil salubrius, & vtilius iusto, qui totius mundi vniuersale bonum est, & profectu suo, cælum, terram, pios viros, imò & ipsos sectatores suos iuuat. Sententia hæc verissima iuxta aureæ, & diuinæ virgulæ iudicium & decretum; tametsi iuxta censoriam, & mali affectus caligine obscuratam animaduersionem iniquorum, iustus sit in hoc sæculo ponderosa nimis, & intoleranda sarcina. Producam in mediū Philonicas argutias ad Exod. c. 17. in quo Iosue pugnat in Raphidim contra Amalec, & dum vtrimque digladiatur ancipiti Marte, ad verticem montis Moyses Deum deprecaturus ascendit, cuius manus cum contemplationis pennis ad cælum volitant, Israëli victoria defertur; cùm pondere suo depressæ iacent, ad Amalec inclinatur triumphus. Abiectionis Mosaicarum manuum ratio ibidem redditur, vers. 12. *Manus autem Moysi erant graues.* Quid in hac grauedine, & inflexione manuum latitet mysterij, eximio acumine prodit Philo in libro, cui titulus præfixus *quod omnis probus sit liber.* In quo illabefactam animi constantiam iusti inter aduersa, & flagra graphicè depingit, similitudine ducta à pugilibus in conflictu gymnico decertantibus. Sic enim scribit: *Spectaui aliquando certantes in Pancratio, alterum obtundentem pugnis & calcibus, totisque viribus contendentem ad victoriam, tandem lassum & in coronatum è stadio discedere; alterū carnosum, neruosum, musculosum, refertúmque spiritu verè athletico, tanquam saxeum, ferreumve, nihil plagis cedere, sólaque patiētia superare aduersarium, & ad extremū adipisci victoriam; huic similē bonum virum censeo, qui validè confirmatus certo animi proposito, efficit vt aduersarius prius delassetur inferendo iniurias, quam ipse quidquā agat præter animi sui sententiam.* Aitque licet id quibusdam malemorati animi, & ingenij torui videatur incredibile, esse tamen verissimum, & quotidiana experiētia compertum. Et subiungit statim: *Vnde profectum & Antisthenis dicterium, virum bonum esse molestam sarcinam: Nam sicut insipiētia benè fertur, & leuiter; sic prudentia grauiter incūbens premit vehementer suopte pondere, nec facile potest excuti. Proinde Iudæorum legislator ait: sapientem graues manus habere.* Moysē preces ad Dominū fundentem in discrimine prælij, & eleuationem manuum suarum tāquam sacrificiū offerētē proponit Philo veluti præclarum iusti viri exēplar, in plagis, & conuitiis, & pietatis certamine constantē, cuiúsque animi propositū ad improbitatē, aut maledicentiā flecti nesciū. Cuius animositas

Exod. *Quid grauedo manuum Moysi præseferat.* Phil. Iud.

In stadio lassescens in coronatus abit.

Qui plagis cedere nescit, patientia hostem vincit, & victoriam adipiscitur. Vir bonus in iniuriis inuictus.

Phil. Iud. *Virum bonū nuncupant impij molestā sarcinam.*

Prudens verbis & factis, non leuis sed ponderosus, & grauis.

inuicta, ferreū, & adamātinum pectus ad tunsiones, plagas, & verbera inuisum valde, & exosum iniquis, cum feriri, & sauciari se sentiunt ictibus suis, de patiētiæ silice, & cote resiliētibus in suum vultum, & caput. Itaque grauis illa manuū declinatio, iuxta Philonis mentē, improbis molestum, & grauē esse sēper sapientem, & iustum portendebat: Lepidéque adducit Anthistenis dicteriū: *Virum bonum esse molestam sarcinam* Improbis nēpe; moribus enim sibi aduersis semper iniucūdus, insuauis apparet, & tāquam molestissimum pódus, quod bonarū actionum, & verborum grauitate, à quibus exulat leuitas, & vtilitas, hostes suos opprimit. Nec miraberis modo Iudæos de Christo, iniquos de viro iusto, illud maledicū eloquium protulisse: *Quoniam inutilis est nobis.* Molestissimus est sceleratis vir bonus, qui etiam conticescens eos ingenti benefactorum suorum clamore coarguit hæc nequissimorum sententia est, cōspicuis sacræ paginæ testimoniis refellēda.

Improbis molestus, & grauis solet esse sapiens.

2. Vt minas iactaret Deus aduersus Israëlis idololatricum cultum, hæc verba posuit in ore Micheæ Vatis c. 6. v. 1. & 2. *audite quæ Dominus loquitur: surge contende iudicio aduersum montes, & audiant colles vocem suam. Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamēta terræ.* Cum iudiciale Deus instituat tribunal, vt vocet in periculum Israëlem, cur montes & colles, basésque terrarum, quibus solidatus est orbis, ad iudicium conuocat? Irati Dei fulmina verborum perstringant peccantium oculos, percellant aures: quid peccarunt montes, iuga terrarum, & decliues conualles, vt aduersus eos instituatur forma iudicij, & animaduersionis discrimen? occurrit sapienter Cyrillus Alexandrinus: *Quia Israelitæ montes, & colles petentes, ibi mysterijs fungebantur, & dæmonibus sacrificia sub quercu, & picea offerebant, ideirco deinceps iudicia contra montes & colles fiunt, in quibus erant manifesta peccata eorum, quæ antiqua sunt.* In siluis, nemoribus, & conuallibus erant spelæa tenebrarū, in quibus simulacris Dæmonum litabant popilmata & suffitus, ipsáque tellus, saxa, lapides, & frōdes contaminatæ expiationibus impiis, tótque infādis carminibus lacessitæ, sacrificulos coarguerent, & sicut testes fideles, & incorrupti veridicam accusationem prætenderent. Apposite dictū iuxta Cyrilli placitum; adhuc tamen animus inculcare auet, cur etiam ad iudicium prouocentur *fortia fundamenta terræ?* Haud dubio vt Domini clementiam propalarent, & in ipsis minacibus verbis plenis formidine, & vastitate, immensam Dei pietatem ostenderēt. Properent ad iudicium montes, collésque, accedant quoque fundamēta terrarū, & bases, quibus ipsæ solidatæ sunt, vt rigidum subitur iudicium secum patronos adferāt, & aduocatos, qui eos in conquassationis, & ruinæ sententia sustentent. Sic Deus permiscet amaritudinem iudicij, & illius horrorem, pietatis dulcedine, & adhuc in foribus adstantis propitiationis, blandimēto temperat. Huic protheoriæ adstipulatur expresse Doctor ille, qui in schola sacræ sapiētiæ primatū tenet, Hieronym. exponens quid præseferāt fundamenta terrarum, *fortia, & antiqua fundamenta terræ, quorum causa hucusque terra non præterit: & super inane pendens librata consistit, iustorum merita sunt, de quibus Apostolus loquitur: ædificauit super fundamenta Apostolorum, & Prophetarū. Sicut igitur Apostoli, & Prophetæ, & vniuersus Martyrū chorus*

Mich.

Cur fundamenta terrarum, montésque ad iudicium vocet. Micheas.

D. Cyr. Alex. *Quia Israelitæ in montibus, & collibus peccabant, ideo contra montes, & colles testes iudicij adstruuntur.*

Fundamēta terrarum iudicij rigorem temperant.

D. Hieron. *Fundamēta, & bases quibus terra cōsistit, iustorū merita sunt.*

Apostoli, prophetæ, martyresque fortia fundamenta sunt terræ.
Lect. L X X.

rus fortia fundamenta sunt terra; sic secundum L X X. valles & prærrupta, qua significantius Gracè φάραγγας *appellantur, eorum sunt fundamenta, qui* χοϊκὴν (hoc est terreni) *imaginem receperunt.* Fundamenta terrarum Apostoli sunt, & Euangelistæ, Martyres, & viri sanctitate conspicui, propter quorum merita hæc totius orbis moles solidata, & nutibus suis conglobata consistit; tot enim criminibus impiorum agitata, & impulsa corrueret, nisi eam iustorum virtutes & recte facta solidarent; iusti totius visibilis machinæ firmissima fulcra, meritis suis portant, & sustentant orbem, tot muneribus tenent adstrictum mundiale commercium, vt omnem creaturam sub aspectum cadentem, habeant debitricem. Et scite iuxta LXX. Seniores, & Doctoris Maximi placitum, valles & infima terræ sunt iniqui, qui portant terrenum simulacrum, nec depositis vetustatis exuviis Adami criminosi, induunt aut portant imaginem hominis de cælo cælestis; & significantius φάραγγας nuncupauit, terræ fauces, barathrum vt voraginem vitiorum insinuet, quę iniquos inuoluit, & ad Tartari rictus inducit, & minatur hiatum terrę profundum, qui impios absorbeat; nisi eos iam iam ruituros detineat valida iustorum ad Deum deprecantium manus quæ vitam protelet, & ad pœnitentiam reducat. Itaque improbi ruinosa tellus, & vorago, & pernicies terrarum; iusti totius orbis fulcrum firmissimum, quod eum retinet inconcussum, & illabefactum.

Iusti viri orbis fulcra. Improbi ruinosa & pernicies terrarum.

Improbus malitia suæ pœnas subit. Sapiens sibi & proximis proficuus.

3. Inter probum & iniquum elegans discrimen constituit Sapiens, Prouerb. cap. 9. v. 12. *Si sapiens fueris tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum* Vbi lectio LXX. addit nouum leporem in Bibliis Sixtianis. *Filij si sapiens fueris tibi, eris & proximis: Si autem malus euaseris, solus vtique hauries mala* improbitas sterilis est aliis, sibi solis iura animaduersionis, & calamitatis vsurpat; sapientia verò, & iustitia emolumentorum omnium scaturigo est, aliisque permittit hos vtilitatis effluere fontes. Probat hoc eleganter sanctus Ambrosius, locúmque Prouerbiorum illustrat in Psal. 37. v. 1. *Iniustus igitur & aliis inutilis, & sibi noxius: iusti autem vita fructuosa aliis, sibi dulcis. dicit enim Salomon* (loco præallegato) *fili si sapiens eris, tibi sapiens eris, & proximis; si autem malus euaseris, solus hauries mala. Aduertimus ergo, quia iustitia aliis est potius nata, quam sibi. Commune commodum, non suum expectat, & alienum bonum pro suo ducit emolumento. Beata, & præclara iustitia, cuius bonum omnibus proficit. Ex vno proficiscitur, atque ad omnes peruenit.* Nihil in hoc mundo inutilius insipientia, & iniquitate est; quæ sibi officit, nec alijs proficit, nec vllos addit humanæ naturæ prouentus. Talis est malitia, autori suo exitiosa, aliis iniucunda; sicut spina quæ portantem pungit, & cruentat, sterilis proximis, quæ nullum florem aut fructum commoditatis germinat. At iustus sibi proficuus, & aliis fœcundus ager est commodorum omnium fundens quotidianos prouentus. Nec sibi soli natus, sed mundo, terræ, mari, ætheri, cælicolis, Deo; nulli se coarctat, sed omnibus studio pietatis, & virtutis abundat. Aliorúmque commoda pro suo computat lucro. Constat ergo quam iniqua sit, & corrupta prauis moribus sententia pessimorum, iuxta suæ nequitiæ normam iustos iudicantium, qui in tam impudentes, & stolidos de venere ausus, vt ore impio effutirent illud effatum: *Alligemus iustum, quia inutilis est nobis.* Non solum audax, temerarius cœco impetu ductus, sed mendacissimus quoque iniquus est. Ore tuo mendaci & dentato iudicatus es vt stultus, stolidus, & insipiens; si iustum vocitas, cur inutilem nuncupas? Nam iuxta Ambrosianum theorema, & iustitiæ quidditatem: *Beata & præclara iustitia cuius bonum omnibus proficit. Aliis est potius nata, quàm sibi.* Vidistin iniquos in ipsis primordialibus naturalis luminis principiis cæcutientes, & à veritatis fonte toto cælo aberrantes? Aut silentio preme cognomen iusti, vt inutilem prædices; aut si iustum proclamas, eum ornasti vniuersæ vtilitatis præconio. Illud potius eloquium veritate cumulatum effluere permitteres: *iniustus inutilis est nobis.* Vt cum Ambrosiana argutia consentias: *iniustus igitur & aliis inutilis.*

Iniustus aliis inutilis, & sibi noxius. Iusti vita fructuosa aliis, sibique dulcis.

Iustitia aliis potius nata, quam sibi. Alienū bonū pro suo ducit emolumento. Iustitia bonū omnibus proficit.

4. Astipulatio quædam fidelissima proposita est ab Osea vate cap. 1. de Israelitico genere multiplicando v. 10. *& erit numerus filiorum. Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur* Si de filijs Abrahæ, & Iacob ex eorum genere oriundis secundum carnem, aut secundum fidem natis, sermo sit, maximopere amplificare videtur promissio, cum respectu aliarum gentium, quæ sub cælo sunt, exigua, & exilis admodum fuerit verorum Israelitarum cognitio, Christique sectatorum, qui sub eius vexillo stipendium, & mercedem æternitatis promerentur, exiguus est numerus signatorum in libro vitæ, si cum damnatorum numero computetur; cur ergo filios Israelis videntes Deum, innumerabiles, immensurabiles nuncupat sicut litoris marini arenam & puluerem minutissimum, qui omni arithmetica calculatione caret? Quia singuli iusti sensu humilitatis suæ exigui, & tenues, sæcularium fluctuum tunsionibus impetiti, in quos aduersitas, persecutio, rostratas suas impulit, & tyrannica ira persequentium hostium insano furore efferuescens, conuicia, & probra spumat; pedibúsque iniquorum veluti frementium bestiarum tanquam vilissimus puluis conculcantur, proteruntur; at sicut innumerabiles exercitus sunt in conspectu, & calculatione Domini ad protectionem impiorum, & tutamen vrbium. Ideo immensurabili arenæ dicuntur similes. Paulò aliter verba vatis expendit sanctus Cyrillus Alexandrinus in commentario scribens: *Quamuis multus, & innumerabilis sit Israel, & arenis littoralibus comparandus, non tamen Deo admodum curæ sunt, quandoquidem impietati se dederunt: contra vnum iustum ac pium charitate sua, & indulgentia eximie dignatur. Respicit igitur etiam super vnum humilem, & quietum & trementem sermonem eius. Nec istud bonis, & mitibus, & timentibus eum, & sincere ipsi seruientibus sufficit: sed aliis etiam prodesse, & peccatis in Deū reos, impendente nonunquā supplicio liberare possunt.* Non adeo curat Deus multitudinem promiscuam populorum, licet innumerabiles sint instar littoralis arenę, si pietati non sunt addicti, sed à vero cultu, & veneratione diuina extranei. potius sicut stilla situlæ computantur; vnū vero iustum inter tot criminum tenebras solē, & solū exambit, & amplectitur, qui possit deprecationibus, & meritis suis impēdētia auertere flagella.

Cur filios Israel nūcupat Oseas innumerabiles sicut arenam maris.

Iusti in cōspectu suo paruuli, ad aliorū auxilium sunt exercitus innumerus militum.

D. Cyr. Al.

Multitudinē improborum despicit Deus; vnum iustū, ac pium magni pendit.

Vnus iustus valde prodest qui solus impendens Dei supplicium potest auertere.

Vnum iustū Deus innumerabilibus improbis præfert. flagella, & patriam seruare incolumen. In hoc deliciatur Deus, & proprium agnoscit peculium, & vnum solum innumerabilibus iniquis præfert; *Immēsurabili arenæ cōparatur, quia innumeros à discrimine mortis eripit.* immensurabili arenæ comparatur, quia ille solus innumeros à discrimine mortis eripit. In quo non tantummodo piorum, sed iniquorū quoque fulcitur salus, qui sit omnium cōmunis portus, & vniuersis calamitatibus asylum. Ad cuius rei probamentum libens vsurpo commendationem præclaram de sancto Simeone Stylita editam apud *Rader.* Raderum part. 3. viridarij sanctorum cap. 4. de Stylitis. Ibi recenset epistolam Antiochenæ vrbis ad Leonem Imperatorem inter alia scribentis, vt refert Euagrius: *Quoniam ciuitas nostra muros non habet, sunt enim illi per indignationē deiecti, Sacrosanctissimū hoc corpus adduximus, vt nobis murus sit & munitio.* *Cadauer viri iusti ciuitatū murus & munitio.* Iustus viuus & mortuus murus est patriæ, vrbium munimentum, quod arcet imminentes calamitates, & conciues suos seruat incolumes; quis virum talem nuncupare audeat inutilem, iniucundum, cuius ossa arida, puluis, & cinis contubernalibus suis impertitur priuilegium immunitatis.

5. Mirabilem illam transmigrationem Henoch legimus Genes. cap. 5. cùm relicta posteritate filiorum, & filiarum, trecentorum sexaginta annorum numerum impleuit. v. 24. *Ambulauítque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus* *Genes.* Cuius translationis causam accuratus indagator, & Sacræ Fidei Quæsitor Oleaster proponit, moribúsque aptat. *Oleast.* Primo documento vxoratos instruit *Audis ad quem perfectionis gradum ascendere possit homo coniugatus: vt Dominus eum è medio tollat: & apud se condat.* *Henoch non obstitit cōiugiū, vt illum Deus è medio tolleret, & apud se conderet.* Non est præpeditus Henoch carnis commercio, & procreatione liberorum, quin ad Deum euolaret, & in eius sinu quiesceret. Alterum admonitorium proposito themati conuenientius adiungit: *Esse scilicet euidentissimum signum punitionis mundi, iustorum ablationem, neque mundus hoc cogitat, sed putat eos casu esse sublatos.* *Euidēs signū punitionis mundi iustorum ablatio.* *Similiter quid iusti mundo valeant, nam sicut nihil est patriæ & mundo perniciosius impijs, ita nihil vtilius iustis.* *Nil mundo, & patriæ cōmodius viro iusto.* Nullus pretiosior thesaurus iusto, in quo est vniuersarum virtutum, quæ sunt veræ Dei gazæ, promus, omni vnguento suauior, & omni penuaria cella vberior ad sustentaculum, fœcundior ad subsidium impendentis calamitatis; quem Deus vt à discrimine spiritalis interitus eximat, eripiat à lapsibus huius illecebrosæ, & lubricæ conuallis, suo fouet gremio, & in pectore suo recondit, tanquam in tabernaculo malis, & flagellis inaccesso. Decreuerat Dominus carnalis, & luxuriosæ vitæ propudia, post mundi genesim in hominibus plectere, & vniuersali cataclysmo, & lauacro, impudicitiæ sordes, & libidinis maculas abstergere, omnis enim caro corruperat viam suam; ideo iustum Enoch ad se transtulit, ne videret mala nationis suæ; tùm etiam ne tam validus patronus, & interpellator adesset in mundo, qui deprecationibus, & fletibus retardaret punitionem aut lacrymarum riuulis aquarum inundationem inhiberet. *Deus Henoch ad se transtulit, vt deesset mundo interpellator qui iram domini indilunio auerteret.* Ille ambulabat cum Deo tanquam patronus, & aduocatus orbis tot impiis facinoribus immersi, & in protectionis, & amicitiæ suæ regali aula incedebat securus, vt pro eo interpellaret: Quid enim Dominus denegaret preces, & lacrymas fundenti dilecto, socio, & contubernali suo, qui diu, noctúque ab illius non discedebat latere? Ideo ipsum eripuit à sæculo, & insolito cursu migrare fecit ad superos, ne homines, Domini oculos execrandis facinoribus prouocantes, de manu castigatoris eriperet. Cernis quanta emolumenta exuberent mundo de vnius iusti præsentia, quot mala de fuga, & absentia? *Nihil patriæ, & mundo perniciosius impiis; ita nihil vtilius iustis.*


6. Imminentes clades, & bello accipiendas calamitates reuelat Deus Prophetæ Amos, eiúsque arti, & ingenio pastoritio sese commodat petitis similitudinibus ab agricolarum luibus, & pestibus. *Amos.* cap. 7. v. 1. *Hæc ostendit mihi Dominus Deus: Et ecce furor locustæ in principio germinantium serotini imbris, & ecce serotinus post tonsionem regis.* Postrema verba aperiunt septuaginta: *Ecce bruchus erat Gog rex.* *Lect. LXX.* Per speciem locustæ, bruchi, quæ solent esse lues pastoribus molestissima cum detonsa ab ipsis herba, & exeso fœno, de cætero greges fame perire faciant, intelligit Assyrium, Gogque Regem nuncupat Sennacheribum, Iudæam, & Samariam infestantem. *Rex Assyrius lues populi molestissima.* Hunc appellat *tonsorem, siue tonsuram regis* iuxta sanctum Hieronymum. *D. Hieron.* Qui semel, & iterum renascentes virides herbas attondet, & carpit, vt insatiabilem eius cupiditatem insinuet, & alienas diuitias tanquam prati ridentis, & viridantis ornatum ad suum commodum demetat, & excindat. *Vt insatiabilitatē illius cupiditatē insinuet Amos eū nuncupat tōsorē aut regis tonsuram.* Nisi forte sacratiorem intelligentiam in his exemplis latitantem velis eruere. Vastitas, & aduersitas, tonsor, & tonsura regis vocitatur à vate diuino, quia superflua luxuriantis affectus rescindit, vt vberiori prouentu virtutes germinet anima, & sese in formam speciosiorem virtutis effingat. Sicut enim in viridarijs regijs artifici manu effictæ apparent formæ ferarum, Aquilarum, Leonum, Nympharum cum calathis plenissimis omnis generis florum, & rosarum; frondentes & germinantes quotidie myrtos, ex quibus effictæ sunt figuræ, tonsor, & artifex topiarij continuo resecat, vt politissimi artus, & membra constanti & æquabili statione dirigantur, ne per incuriam luxuriantes frondes architectatum labore, & solicitudine simulacrum deforment; *Aduersitas dicitur tonsura, quia superflua demetit vt anima vberiores virtutis prouentus germinet.* sic in animæ viridario labor, & dolor tonsor est, & ærumna tonsura, quæ lasciuientes affectus passionum, quæ feris truculentiores habitant in anima, disciplinæ cœlestis magisterio circumscindat, & tanquam lasciuientes frondes, & cacumina virgarum erumpentes motus demutilet, vt pulchras virtutum imagines efformet. *A topiarij simulacbris ex myrto effictis similitudo sumitur.* Hic fructus tonsuræ regiæ, vt de abscissis palmitibus vineæ feracior vuarum prouentus repullulet. Itaque Israeli tonsor, & tonsura Regis Assyrij fuit valde proficua; adhuc tamen Vates impendentis discriminis compassione, & affectu pietatis correptus, illud eleuare satagit, & coram Domino deprecatorium munus suscipit, ideóque subiungit: *Domine Deus propitius esto, obsecro: quis suscitabit Iacob quia paruulus est? Misertus est Dominus super hoc: non erit, dixit Dominus.* *In impendēti calamitate Deus precibus vatis ad cōmiserationem inflectitur.* Vide Domini clementiam, Magna supplicia aduentura promiserat, & precibus vatis ad commiserationem inflectitur & iam promissum remordet. Virtutem interpellationis Amos, & Domini pietatem pensitat arguto

Digitized by Google

D. Hieron.

argute S. Hieronymus dicens: *Cum propheta intelligeret quod videbat, ad preces vertitur & ait: Domine Deus propitius esto obsecro. Nolo in subuersione populi mei verba compleri: Nolo me ad hoc electum de pastorum numero, vt ruinam decem tribuum nuntiem. Quis enim poterit suscitare Iacob, nisi tu solus? Quo allidente, nullus est qui suscitet. Paruulus est Iacob, & crebra hostium incursione delectus. Cumque ille precaretur, & interioris hominis lacrymas funderet, misertus est Dominus super hoc, & respondit: non perdam omne genus Israel, reliquiæ salua erunt.* Opilio erat Amos, aut armentarius pauper, nulla ingenitæ nobilitatis dignitate sublimis, & tantum apud Deum illius præualet virtus, vt omnem impendentium calamitatum procellam, deprecatione fideli tanquam leuissimo flatu dissipet. Pulchra, & beata lamentatio iusti, & felix lacrymarum riuulus, qui Dominicæ iracundiæ flammas extinxit; vnius viri iusti gemitus, & suspirium validissimam hostium manum dispersit, & Israëlem ab interitu, & excidio eripuit. Quis inutilem, & iniucundum deprædicet Amos in medio nationis prauæ, & idololatrico cultui mancipatæ, & non murum patriæ, gentis suæ præsidium, aram iustitiæ, & pietatis, quam impius insectatus commeritis flagris, & ruinis impune possit arripere? Pastori varidico Deus in punitione populi, pectoris sui aperuit arcanum, vt de eius consilio, & iudicio, aut inhiberet flagellum, aut plecteret errantes.

Vnius viri iusti gemitus, & suspirium validissimam hostium manum dissipat.




Ea verba vulgati: Dicite iusto quoniam bene: quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.

Et LXX. alligemus iustum. *de Beato Joseph Christum parentante expenduntur.*

DISCVRSVS XIII.

Stabilis, & infracta virtus iusti terror est impiorum: inter dedecora, & turpißimæ mortis minas non retardatur à suscepto munere pietatis.

1.  N hoc discursu, & commentationis coronide merito celebratur vir inclytus à sacris scriptoribus cómendatus iusti preconio, Ierosolymitani decus senatus, & Curiæ, qui inter aduersa, & prospera propositum à Cassiod. magistratibus institutum constanter retinuit: *Esto innocentiæ templum tẽperantiæ sacrarium, ara iustitiæ.* ex lib. 1. variar. epist. 12. sciebat enim consiliarij censorium, & iudiciale munus obire, vt decoraretur iusti iudicis ornatu: *Tandiu enim iudex dicitur, quandiu & iustus putatur: quia nomen, quod ab æquitate sumitur, per superbiam non tenetur.* Vt idem Aurelius subiungit lib. 3. epist. 27. amplissima tamẽ Iosephi decora à Sancto Luca recensentur c. 23. v. 55. *Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat Decurio, vir bonus, & iustus: Hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa, ciuitate Iudeæ, qui expectabat & ipse regnum Dei.* Sequestratus est à concilio, & operibus malignantium, qui tanquam sol lucidissimus inter ambitionis, & inuidiæ Iudaïcæ tenebras refulsit. Hic iustus prouentus accepit, fructus comedit adinuentionum suarum. Cerne quantas, & quales Iosephi amor, & fides adinuenit: cùm coercere tentauit consiliosissimus senator à flagitio Dominicidij rebelles, & effrænes Pharisæorum, & sacerdotum animos, cum patienti creatori condoluit, cùm sacro funeri Deifici cadaueris iusta soluens discusso metu, Iudaïcæ inuidentiæ probra, & propriæ vitæ aleam subiens, audacter à Præside Iesum cũ furibus, & perduellionibus computatum expostulat ad tumulum; cùm exanime corpus de Cruce refixit, cùm humeris suis baiulat sacrum onus Deitatis depositum, cùm reuerenter exanguia claudit lumina, cùm os, adhuc patulum ad preces pro hostibus fundendas, & exorandam clementiam Patris, decenter premit; corpus velat linteis, sudariis, & institis ligat, & polinctoris munere functus, cæli delicias, Patris gazas funerat, & in suo sepulchro condit. Hæc omnia Iosephi adinuenta, corúmque feraces fructus prædicare instituit discursus hic, orsus ab animi constantia spei anchora suffulta, in turbidis adeò rebus fauetis indefessa pietate pauperi, & desolato Iesu, à notis suis derelicto. Cui Propheticè consonant Isaiæ verba: *Dicite iusto quoniam bene quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.*

Cassiod.

Senator iustus innocẽtiæ templum est, temperãtiæ sacrariũ, iusti ia delubrum.

Tandiu quis iudex dicitur, quandiu iustus putatur.

D. Lucas.

Iosephi decurionis virtutũ decora.

Munia pietatis Ioseph in parentando Iesu.

2. Spei diuini huius viri præconium primario statuit Sanctus Lucas Euangelista: *expectabat & ipse regnum Dei.* Quæ quidem auspicium quoddam præfiguratiuum sumpsit in spe sancti viri Enos, de qua testimonium protulit Moyses Genesis c. 4. ver. 26. *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini.* iuxta Lectionem L x x. seniorum laus prima viri sperantis in Domino prædicatur: sic enim legunt: *Ille sperauit inuocare nomen Domini.* Sperauerat in Domino Deo Adam, sperauit Abel, sperauit Enosi genitor Seth; qui omnes testimonio fidei probati sunt, iocundati, & stabiliti benefactis spes suas collocarunt in Dono, & allecti diuinis promissis. Enos tamen spei vexillum erexit, ductauitque manum validissimam filiorum Dei, qui in medio nationis prauæ initiatæ, & consecratæ vanissimo, & superstitioso simulacrorum cultui; exteriori ritu, & pio ceremoniarum apparatu, & deprecatione veri numinis, illud venerati sunt sperantes præmium laborum, retributionem æternitatis. De expectatione Enos scribit Sanctus Antiochus homilia 2. *Primus Enos filius Seth, iustus ex iusto, sperauit inuocare nomen Domini Dei. Quicumque præsidio spei in Deum constantis nixi velut manu ducuntur: mirè hos Deus ad sublimem, & theoricam anagogem subuehit, ac propriæ lucis splendore corusco irradiat.* Et paulo ante prædixerat vberrimos spei fructus: *Quæ sane fides roscida aspergine perfusa fructum adfert, vnum quidem trigesimum, alterum sexagesimum, alium rursus centesimum.* Nutabat orbis quadam infidelitatis vertigine, in circuitu iniquitatum suarum ambulantibus impiis, & rotantibus se; fidus municeps cælestis patriæ firmissimum spei fulcrum arripuit, quo se se stabiliret in flexili motu, & gressu ad semitas impiorum, quo subnixus criminum euitabat ærumnas;

Ioseph iusti spes. D. Lucas.

Genes.

Sacræ spei auspicium in Enos præfulget.

Lect. Lxx.

Enos spei vexillum erexit in medio nationis prauæ.

D. Antio.

Primus Enos inuocauit nomen Domini.

Constantis spei præsidio ad Deum subuectus, & diuina lucis splendore corusco irradiatus.

Spei fructus pulcherrimi.

Digitized by Google

ærumnas. Et segregatus à lasciuientium factione, æthereas regiones scandebat animo illuminatus splendoribus Solis æterni, dignitatis deificæ ornatus est infulis: vt tum ipse, tum posteri patriæ virtutis non degeneres æmulatores, filiorum Dei insignibus ornarentur. Fœcunda arua animorum fidei, & spei viuæ irrigata fluentis, irrigua stillicidiis gratiarum centesimos fructus honoris, & gloriæ germinarunt. Tales fructus piis, & religiosis Enos adinuentionibus congruebant: Quales autem sint textus sacer exprimit: *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* Vbi purpuratus Hugo Carensis ait: *Ideò dicitur primus inuocasse; quia inuenit verba deprecatoria ad Deum. Vnde interlinealis dicit: inuocare, id est colere, & deprecari: vel ideo, quia primus inuenit imagines quasdam per quas excitaretur deuotio orationum.* Et in eodem loco Oleaster: *Quemadmodum si ij Cain musica instrumenta, quibus delectarentur; & artem alendorum gregum, qua opes augerent; & arma quibus inter se dimicarent, inuenerunt: ita filij Seth modum inuocandi Deum. Nam sicut filiorum huius sæculi est inuenire modos, quibus ditescant, & delicientur: ita filiorum Dei est inuenire modos, quibus Deum suum colant.* Itaque Enos diuinum cultum ampliauit modos inueniens deprecandi, & venerandi supremum Numen, aras erigens, imagines formans, quæ religiosam pietatem augerent, deuotionem excitarent. Enos religio segetem copiosam decoris parturiit, quod ab illius genere humana natura nobilitaretur, & nuncupatione virorum iustorum, & filiorum Dei sumeret exordium. Id quod annotat Philo Iudæus in libro: *Quod deterior potiori insidiari soleat.* Ibi fatur: *Nomen Enos quod interpretatur spes: hic primus sperauit inuocare nomen Domini Dei rectè. Vero enim homini quid magis potest esse proprium quàm spes, & expectatio possessionis bonorum accipiendorum à solo munificentissimo Deo: quod genus solum, si vera fateri volumus, propriè hominum est: tanquam hi, qui non sperant in Deum, extra naturam rationalem censeantur. Ideò cùm dixisset de Enos: hic sperauit inuocare nomen Domini Dei, disertè infert* (nimirum capite sequenti Genes. 5. initio.) *Hic est liber generationis hominum proborum* Vulgatus verò legit: *Hic est liber generationis Adam* Genes. cap. 5. vers. 1. Noluit Deus mentionem fieri de filiis Cain, vt annotat Oleaster: *Sed librum fieri generationis iustorum.*

Hugo Card. Primus Enos precationes, & preces, & sacras imagines Deum inuocauit, deuotionem excitauit.

Olcast. Filij Cain musicorum, agricolarum, & armorum instrumenta inuenerunt. Filij Seth adinuenerunt Dei colendi modos.

Phil. Iud. Enos interpretatur spes.

Nil magis proprium homini quam expectatio æterni boni. Qui non sperant in Deum, extra naturam rationalem censentur.

Liber generationis iustorum ab spe sumit exordium.

3. Subiungit Philo: *Scriptum est enim in Dei libro solum benè sperantem esse hominem itaque per contrarium, qui desperat non est homo.* Et argute perpendis in Philosophorum schola hominem definiri: quod sit: *Animal rationale mortale.* In aula vero diuinæ Sapientiæ aliter hominis natura declaratur, docente Moyse: *Hominem esse cuius affectiones animæ sperant in eum qui est verum Deum. Proinde boni viri felicem sortem nacti spem, atque gaudium aut habeant, aut certè expectent bona. Mali vero, quorum Cain est sodalis, in mœrore, timoreque degentes, præsentia imminentiave mala miserrimam portionem possideant, gementes ob molestias, quas habent præ manibus præ metu autem ingruentium trementes horrentésque.* Liquet ex his verbis Philonianis, & argutis sententiis, adinuentionum suarum summam pietatem præ se ferentium Enos mercedem accepisse, quod nuncupatione veri hominis, probi, & iusti ditaretur, nec esse hominem fictum, & personatum instar posteritatis Cain, & filiorum eius, laruam hominis præ se ferentium, belluinis affectionibus per mentis ignauiam, & nequitiam præditorum, declinantium prorsus ad intemperantiam, & perfidiam, & subseruire facientium improbis passionibus rationem. Adiungit his Theodoretus aliud decus Enos sublimius, & illustrem spei prouentum, quod à cognatis suis, & notis filij Dei insignibus ornaretur. Pensitans versionem Aquilæ: *Tunc cœptum est vocari in nomine Domini.* Si scribit, quæst. 47. in Genesim: *Subindicat autem sermo ille, quod propter pietatem primus hic diuinam appellationem sortitus est, & à cognatis vocatus est Deus, vnde & qui ex eo nati sunt filij Dei: quemadmodum & nos à cognomine Christi Domini Nostri nuncupamur Christiani.* Ad cuius confirmationem placidè doducit verba Psalm. 81. *Ego dixi: Dij estis, & Deus stetit in Synagoga Deorum.* Et adiungit: *Illi igitur tanquam pij, & boni cognominati sunt filij Dei.* Hæc Theodoretus.

Phil. Iud. Benè sperans homo dicitur, desperans hominis nomenclatione caret.

Deus sũmũque gaudium sors est sperãtium.

Mali imminentium malorum miserrimã portionem possident.

Theodor. Lect. Aquil. Enos propter pietatem nuncupatur Deus, & Deorum nũcupationem in posteros transfundit.

4. Quæ omnia in commendationem spei, pietatísque Enos in ordinem redacta sunt, vt in eo tanquam in vmbra delineatam cerneres iusti Iosephi expectationem, in Euangelio Christi cruore coloratam, eiúsque funerario munere imaginem viuam & expressam probitatis, & fidei, corporis Christi venerationem, & primarium cultum spirantem. Recensere libet Enos magnalia in Iosepho nouis, & maioribus virtutum accessionibus cumulata. De Enos dicitur: *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* Et de Ioseph scribitur quod ipse primus cœpit inuocare nomen Domini Iesu iam mortui. Audi S. Marcum Euangelistam cap. 15. vers. 4. *& audacter introiuit ad Pilatum & petiit corpus Iesu.* Eximiis præconiis illustrat postulationem Iosephi, & Domini Iesu inuocationẽ ab ipso prolatam, S. Epiphanius oratione de sepultura Domini: *Ingressus mortalis ad mortalem, petens vt accipiat Deum, Deum mortalium. Poscit lutum à luto accipere plastem omnium: fœnum à fœno recipere cælestem ignem: gutta misella à gutta misella accipit.* Est postea subiungit: *Ioseph verò ob audaciam aduersus Pilatum, & confidentiam dignus laude: Hic enim metu omni abiecto, sumpta fiducia, ingressus est ad Pilatum petens corpus Iesu, ingressus prudentissimè se gessit, vt desiderato proposito potiretur. Idcirco non est vsus iactabunda aliqua ad Pilatũ, atque elata oratione: ne si eum ad iram inflammasset, excideret petitione: neque sic cõpellanda mihi corpus Iesu, qui nuper Solem obscurauit, qui petras disrupit, terram concussit, monumenta aperuit, Velum templi discidit. Nihil tale ad Pilatum loquitur. Quid ergo? Petitionem quandam miserabilem, & apud omnes exilem, ò Iudex, veni petens à te petitionẽ quandam valde paruam! atque ita da mortuum ad sepulturam corpus illius à te condemnati Iesu Nazareni, Iesu pauperis, Iesu domum non habentis, Iesu suspensi, nudi, vilis, Iesu fabri filij, Iesu vincti, subdialis, hospitis, & peregrini, incogniti, despecti, & supra omnes suspensi.* Et post multa supplicationem claudit disertissimus Ioseph Senator, & pro sepultura Iesu aduocatus hac verborum coronide.

Ioseph Iesum funeralis, spei, & pietatis imago.

D. Marc. Ioseph primus post mortem Domini, Iesum inuocauit audacter.

D. Epiph. Mirifica contemplatio Epiphanij in postulatu Ioseph.

Pietas & prudentia Iosephi in Iesu postulando, emicat.

Silet Christi morientis prodigia. Humili commiseratione pectus Pilati curat emollire.

Cum Iesũ nuncupat illius humilitatem paupertatem, & probrosam mortem indicat.

Digitized by Google

D.Epiph. Coram Pilato Ioseph profitetur Christi diuinitatem.

coronide. *Pro mortuo ô præses supplico, qui est in ligno suspensus, domo carens; non enim adest huic, non Pater in terra, non amicus, non discipulus, non cognati, non vespillo, verum ipse vnus vnigenitus, in mundo Deus, & non alius.* Hæc ex pientissimo Epiphanio mellita verba mutuaui, quibus nectareum pietatis succum exprimit, & legentibus propinat. In iis haud dubio auscultasti totes repetitis Christi insignibus, & eloquiorum circuitionibus, Iesu inuocationem, & ipsius Deitatis tanquam vnigenæ Patris audacem, & constantem omni metu depulso professionem. Propterea non inficiabor ipsum Iosephum pleno ore deprædicare primum post Christi obitum Theologiæ sacræ apicem, fidei antesignanum, & inuocantium Iesum, illius diuinitatem deprædicantium coriphæum; ipse enim dum tremebundo rugitu totus reboat, & conquassatur orbis, dum Petrus infido metu fugit, & grex Apostolorum terrore inusitatæ crudelitatis, & truculentæ mortis Christi spectaculo dispergitur, dum ætherem, omnia sidera, diei noctisque lampades caligo tenebrosa obnubilat, & in omnium discipulorum animos infidelitatis torpor obrepserat; fidei, & inuocationis Iesu vexillum erexit, & orbem totum in tenebris sic iacentem, & consepultum pietatis suæ fulgoribus illuminauit. *Hic vir iustus* (vtor verbis superioribus sancti Antiochi spei iustorum commendatoriis) *præsidio spei in Deum constantis nixus velut manu ducitur: mirè hanc Deus ad sublimem & theoricam anagogem subuehit, ac propriæ lucis splendore corrusco irradiat.*

Ioseph, post Christi obitũ, Theologiæ apex, fidei antesignanum, Deitatẽ prædicãtium, coryphæum.

D.Antioch. Ioseph iustum manu spei suffultus, ad sublimẽ Deitatis agnitionem euectus.

5. Nec acumen Philonis superius relatum ab hoc Beato viro dissonat, nam illum spes in Deum à Iudaïca fæce discreuit, sicut disgregauit Enos eiúsque posteros ab impia Caini prosapia. Verè vir bonus, & iustus, verusque homo Ioseph Abarimathæa propter spem in Deum nuncupandus, quia inter inconditas voces Iudæorum blasphemantium, & exprobrantium maledictis, & conuiciis Christi diuinitatem, & decidentium à beata spe Redemptoris, inter Apostolorum chorum, & mulierum Christi sectatricum lubrico vestigio timoris titubantium, firmissimo spei præsidio erectus & inuictus stetit. *In Dei libro solum benè sperantem esse hominem*, inquit Philo, ideo Lucas Euangelista repetita voce semel, & iterum virum nuncupat: *Et ecce vir nomine Ioseph, vir bonus, & iustus.* Et rationem honorificæ appellationis subiungit: *expectabat & ipse regnum Dei.* Ideo in illo generatio hominum proborum sumit exordium: liber, & series generationis iustorum in Christi Passione à Ioseph iusto texitur: *Hic est liber generationis hominum proborum*, vt legit Philo: *Liber generationis iustorum.* Iuxta Oleastrum. Ipse primus à Christi occasu viri iusti insignia retulit. *Vir bonus, & iustus. Proinde vir bonus* (aiebat Philo) *felicem sortem nactus spem atque gaudium. Mali verò* (nimirum Iudæi, spem suam suspendentes in ligno, & ipsam crucifigentes) *præsentia, imminentiaque mala miserrimam portionem possident, gementes ob molestias, quas habent præ manibus, præ metu autem ingruentium* (calamitatum excidij vrbis, conflagrationis templi, & iusti Iudaïcæ gentis repudij) *trementes, horrentésque.* Demum iuxta Theodoreti mentem hic primus Iudex, & Senatoriis infulis clarus Ioseph, qui iusti iudicis, boni viri, & filij

Ioseph ab spe vir nuncupatur verus.
Phil. Iud.
D.Lucas.

Phil. Iud.
Oleast.

Felicem sortẽ nactus Deũ.

Iudæorum sors calamitas, & excidium.

Dei decora ex Euangelistarum præconio promeruit.

6. Sed iam tempus instat vt Iosephum prospectemus, non vt vespillonem, aut vilem cadauerum funeratorem, sed funebri; & illustri pompa Iesum parentantem, vt illius eximia fides effulgeat. Cùm scandit per artifices scalarum gradus, Crucis ardua victricémque palmam, & apprehendit vitæ fructum æternæ, & de ligno vitæ quod est in paradiso pomum suaue pignus futuræ gloriæ, florémque rubentem, qui fusi cruoris specie vernauit, vuámque de palmite, torculari, Crucis expressam, fundentem de latere aquam ad lauacrum, sanguinem ad pretium, & poculum, verus explorator cælestis Ierosolymæ suis humeris portat. Ad amussim ei competunt verba sancti Antiochi homil. 1. de fide, scribentis: *Quisquis perfectè credit*, (fide nempe viua, quæ per dilectionem operatur.) *Lapis est templi Dei, lapis est solerti apparatu leuigatus, & exæquatus in substructionem Dei Patris, lapis in sublime euectus machina quapiam admirabili Iesu Christi, quæ Crux eius est, præsidio adiutus. Funiculi, qui Spiritus sanctus est.* Cùm Ioseph Crucem ascendit sacrum illud & Deificum onus depositurus, lapis ipse factus est, quodammodo primarius cælestis Ierosolymæ; in quo complementum suum accepisse videntur verba Zachariæ cap. 9. vers. 16. *quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius.* Eleuantur enim artifici fidei, & charitatis manu, vt suis coaptentur locis lapides viui, de quibus Hieronymus vaticinium expendit: *Qui tantum erunt leues & in sublime nitentes, vt non præstolentur ædificantium manus, sed ipsi festinent imponi supra fundamentum Christi, & contineri angulari lapide. De quibus & Petrus Apostolus loquitur*, (1. Petri cap. 2.) *sicut lapides viui superædificamini in domum spiritualem*, &c. *isti sunt lapides qui clamabunt si tacuerit populus Iudæorum.* Postremis verbis alludit ad locum Habacuc cap. 2. vers. 11. *quia lapis de pariete clamabit.* Cum Ioseph sacrum cadauer festinauit attingere, leuitate fidei, & amoris, qui ei alas indidit ad volatum, vt nidificaret in foraminibus petræ, & cauerna maceriæ, sugeret mel de petra, oleúmque dulcedinis, & pietatis de saxo durissimo, vt domum spiritualem sapiens architectus construeret, non in salebroso, aut arenoso littore Iudaïcæ perfidiæ, quæ flatibus & nimbis impietatis quassata corrueret; sed stabili fundamento, quod est Christus Iesus inconcussa permaneret; per magnificos ausus extendebat seipsum in angulari lapide contineri firmissimo amoris glutino. Lapis hic, Iudæis æterno silentio fidei multis, quinimo Christo subsannantibus, segregatis, & reiectis ab structura fidei; operibus clamitabat suis innocentiæ Christi, & Deitatis præco. Si vere perquiras quibus rotis, funiculis, & machinis seipsum leuauit ad tam sublime fastigium? vt sibi sententiam Zachariæ vatis vsurpet: *Quia lapides sancti eleuabuntur.* In promptu est sancti Antiochi responsio: *Lapis in sublime euectus machina quapiam admirabili Iesu Christi, quæ Crux eius est. Præsidio adiutus funiculi, qui Spiritus sanctus est.* Ioseph cùm scalas adhibuit & sacrum Christi corpus fasciis, & funiculis illigauit, vt illud ad terram placidè deduceret ipsius Crucis machina, & præsidio funiculi charitatis

D.Antioch.
Qui perfectè credit, lapis est leuigatus in substructionem Dei Patris.

Crucis machina in sublime euehitur.

Ioseph lapis in sublime eleuatus.
Zachar.

D.Hieron.

Lapides clamãt Iesum angularem, cũ Iudæi tacent.

Habac.

Vt ædificium pietatis construeret, & ad cælũ scanderet, vsus est crucis machina.

Præsidio adiutus funiculi, qui Spiritus sanctus est.

ritatis

Digitized by Google

ritatis euectus est ad Christum, vt diuino quodã nexu,& glutino amoris Dei, & sancti Spiritus copularetur. Quapropter idem sanctus Antiochus verba statim subiungit, & quidem aptissima: *Qui eiusmodi est Theophorus fit, siue Christophorus, templum insuper Dei, & Sanctorum sedulus lustrator locorum.* Hæc ille. *Theophorus* autem idem est ac: *vir diuinus*, aut *Deum deferens.* Christophorus: *Christum portans.* Ioseph verò Deum ipsum suis vlnis portauit, vniuersos sapientiæ, & scientiæ Dei thesauros suis humeris extulit. Audi Sanctum Epiphanium de sepultura Domini cum Iosepho fantem: *Beatos tuos humeros qui portauerunt omnia portantem! beatum iudico tuum caput, cui appropinquauit Iesus omnium caput! Beatas tuas manus, in queis portasti portantem omnia! Beatum iudico Iosephum & Nicodemum: nam ante Cherubim Deum in suos armos sustulerunt, & extulerunt. Quem Chrerubim tremunt hunc in humeris Ioseph, & Nicodemus ferunt, & omnes incorporeorum Spirituum ordines obstupescunt.* Cernis quanto iure Iosephus, & Nicodemus diuini cadaueris portitores, & polinctores theophori, & christofori nuncupantur? subscribit quoque huic decori Iosephi amplissimo Theophilactus in Bibliotheca homiliarum priscorum Patrum tom. 2. parte. 2. dicens: Erat ipse (Ioseph nimirum) *Discipulus Iesu, sciens dignum honore Dominum. Et honestus, hoc est pius, irreprehensibilis. Senator autem, quæ dignitas quædam erat, qua præditi cogebantur intendere ijs, quæ foris erant, & multa sæpe inde oriebantur pericula, propter fori militiam. Audiant diuites, & publicis muneribus fungentes, quo modo Iosepho nihil obsistat ad virtutem Senatoriæ dignitæ. Ioseph interpretari possumus augmentum: Arimathæus verò tollens hoc. Concedat autem Deus, vt etiam nos sicut Ioseph ille fiamus semper aucti, & adiicientes incursus virtutis, ac tollentes hoc, id est, bonum* Commendat Iosephum Senatoriis infulis clarum, ac pietate, & vitæ innocentia; erat enim vir iustus, & irreprehensibilis, & inter forenses tumultus, & litigia causarum, ab omni sorde & crimine animum seruabat immunem; huic se contradidit baiulandum Dominicum cadauer, vt ex ipsa vectione secundum nomen suum acciperet iuramentum meritorum, cui enim amplexui, & sinui iusti magistratus, & æquitatis patroni se se adiungeret, & insereret fons iustitiæ, innocentiæ vniuersæ caput, vt in eo tanquam in placidissimo portu passionum, & mortis tempestate iactatum requiesceret. Et rite Arimathæus vocatur. *tollens hoc, id est bonum.* Sibi enim vir probus vendicat onus immensum, humeris suis, tametsi Angelicis formidandum, & cum à Iudæis reiicitur inhonora impietatis Repulsa, despectam cœlorum gazam sibi dynasta pius vsurpat, amplexu ambit fidei & in pectore tanquam in arcano promo recondit, & custodit. Pulchre S. Ioannes Damascenus de Ioseph ait, homilia de sabbato sancto: *O laudabile viri diuitis consilium! O vere prudentem & cordatum mercatorem! qui pro terrestribus hisce cœlestes diuitias rapuit vitaeque thesaurum in se ipso recondit.* Addit præterea Theophylactus: *tollens bonum.* ostendit Deus omne bonum Moysi, cum IESV quoddam obscurum simulachrum, & suæ passionis imaginem vibicibus, & vulneribus liuidam ostendit in monte celeri cursu, & transitu; Iosepho non tantum obiicitur veritas Christi mortui, & corpus vita functum in patibulo suspensum, sed amplectendum, & baiulandum donatur, in quo sunt omnia bona, & vniuersi thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, plus æstimanti thesauro Ægyptiorum, & Iudæorum, & vniuersi orbis aggeribus auri & argẽti, improperium Christi quadrat, itaque cœlestis promissio ore Isaiæ adstipulata iusto: *dicite iusto quoniam bene, quoniam bonum.* Bonum enim & optimum iusto viro est habere Iesum, scapulis & pectori, non tam brachiorum, quàm fidei & amoris lacertis tenere inhærentem.

[Margin notes, left column: D. Antio. — Ioseph Theophorus, Christophorus, sanctorũ sedulus lustrator locorum. — Ioseph Deum defert, Christum portat. — D. Epiph. — Beati humeri qui portant omnia portãtẽ, manus & caput Ioseph beatificantur. — Quẽ tremunt Cherubim supra armos suos portat Ioseph & Nicodemus. — Theophi. — Ioseph discipulus Iesu, & Senatoriis infulis clarus. — Nil obstitit ad virtutem Iosepho senatoria dignitas. Ioseph dicitur augmẽtũ. Arimathæus: tollens hoc. — Ioseph omne bonum portauit. — D.Ioan.Dam. — Ioseph prudẽs & cordatus mercator, qui pro terrenis cœlestes diuitias rapuit.]

[Margin notes, right column: Ioseph nõ tãtũ videt vt Moyses, sed amplectitur & baiulat omne bonum. — Ioseph iusto dicitur; quoniam bene, quoniam bonum.]

VERSICVLVS XII.

Populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.

COMMENTARIVS.

1. POPVLVM *meum exactores sui spoliauerunt.* Adhuc Vates flebili voce congeminat ruinam populi, & aduersus Ierosolymæ primores iustas fundit querelas. Prædixerat omnia decora auferenda à Ierusalem & à Iuda, quia de medio sustulerunt iustum, nunc alteram rationem adiungit iusti repudij, & vastitatis, nimirum quod exactione crudeli diriperent pauperes; nam qui diripit, diripietur, & qui spoliat egenum fortunis, rebus suis familiaribus, & valde pretiosis spoliabitur: præda & spolium facti sunt Romanorũ Iudæi, qui deprędati sunt ærumnosos: & populum suum per appropriationem nuncupat Isaias, vt affectus teneritudinem, & compassionem erga populum ostendat.

Exactores verbum hebræum נגש nagas, vim quandam, & coactionem denotat: adigere, & compellere ad retribuendum debitum, ad solutionem æris alieni, vel ad aliud quippiam operis faciendum. Admittit etiam prope alios sensus: nimirum idem est ac *repetere, exigere, affligere, angustiare.* Semper enim exactionem afflictio, & angustia sequuntur populi diuexati; non incongrue vates supra v. 5. *corruet populus.* Pro corruere eodem verbo *Nagas* vsus est, vt indicaret nimiam, & iniquam exactionem præsentissimam esse vastitatem populorum, regni iudaici depopulationem. Verbum Græcum ἀπαιτοῦντες, transtulit. S. Chrysostomus in cap. 3. Isaiæ: *repetentes. collectores.* vt inexplebilem cupiditatem eorum indicet.

Spoliauerunt verbum aalal עלל pulcherrima admittit in sacra litteratura significata, nempe *spoliare, deuastare, deprædari, occidere, vindemiare, reliquias ex vindemia remanentes colligere*: Ad locum exornandum ad amussim respondentia; & colliguntur ex Deuteronomij cap. 24. & Ieremiæ cap 6. & aliis locis. Verbum Græcum ἀπεκαλάμησαν, pro quo videtur corruptè legi in textu Græco Bibl. LXX. καλαμῶνται, proprie

[Margin notes: Direptio pauperũ origo Ierosolymitani supplicij. — Exactor violentus coarguitur. — Leth heb. — Exactor est qui repetit, affligit, & angustiat. — Exactorũ præda cum reliquiarum vindemia collectoribus comparatur.]

Digitized by Google

Exactores spicilegium facientes. Plutar.

proprie denotat *colligere spicas post messores*, aut *spicilegium facere* apte Antigonus apud Plutarchum acerbitatem suam in tributis exigendis excusans, comparatione facta cum Alexandro, inquit, *ille messem fecit, ego stipulam, vel spicas colligo.* vtens eodem verbo Græco. Secundo significat *vindemiare* cap. 6. Ieremiæ, seu: *remanentes botros racemare.* Chaldæus quoque apud Isaiam transtulit: *vindemiantes vindemiam.* Dilucide expendit hanc dictionem Græcam, Græcæ Ecclesiæ lumen Chrysostomus dicens: *Dictionem proinde hanc dixit, ducta metaphora ab his, qui remanentes spicas, & culmos in agro colligebant.* Et adiungit verbum hocce denotare: *collectionem facere spicarum, nempe post messorum terga spicas decerpere, quæ metentium manus fugerint, ita vt in agro prorsus nihil supersit residui, quod equidem tunc exactores isti faciebant, fortunulas omnes per rapinam extorquebant, sinentes nudos abire ipsos.* Quibus verbis mirifice locum illustrat, & totum illius significatum comprehendit, & exprimit. & S. Cyrillus in secundo verbi significato locum Isaiæ exornat scribens: *cum vero exactores racemare ait: immensæ cupiditatis, & auaritiæ magnitudinem indicat: siquidem metentium alij resecant ferro spicam, alij resecatas manu decidentes colligunt, nihilque faciunt in agris residuum. Idemque faciunt qui vites vindemiant. Vindemiarunt vestras copias. Neque ibi inexplebilis eorum sistit cupiditas, sed etiam iam racemos decerpunt, idest, manus in ea, quæ adhuc relicta sunt, iniiciunt.* Quapropter apud Patres mira est versionum varietas, eundem vatis scopum collimans, illiusque sententiam dilucidam reddens. L X X. interpretes in Bibliis Sixtianis legunt: *Exactores vestri spoliant vos.* sanctus Basilius: *deuorant vos.* Et in commentario Isaiæ: *exactores vestri ad culmum vsque demetunt vos.* sanctus Chrysostomus: *Exactores vestri concerpunt, ac demetunt vos.* S. Cyrillus: *expilatores tui quasi racemant te.*

Vindemiare & racemare. Chald.

D. Chrys.

Exactores fortunulas per rapinas extorquebãt, & nudos abire cogebant homines.

D. Cyr. Al. *Exactores nũcupat racematores, vt immẽsã cupiditatẽ, & auaritiæ magnitudinem indicet vates.*

Exactorum immanitas & tyrannis.

Lect. L X X. D. Bas. D. Chrys. D. Cyr.

3. Quo in loco sapienter admonet Sanctus Chrysostomus, vatis inuectiuam non procedere contra tributorum exactionem moderatam, ex ratione & iustitia bene ordinata procedentem, ex Regis necessitate, quæ vniuersali commodo prospiciat, aut hostium iniurias & inuasiones propulset, ad debitum, & moderatum Regiæ dignitatis splendorem destinetur. *Non enim* (inquit) *rem ipsam ablegat, sed redundantem mensuram excludit.* In multis enim Ierosolymitani tributorum exactores peccabant. Primò, iuxta sanctum Chrysostomum, quia per vim pecunias extorquebant, rapientes, & diripientes alienas pauperum facultates. Vnde perpensitans verbum πράκτορες exactores, ait: *ego ea dictione omni raptores existimo, & eos, qui per immodicam cupiditatem aliena extorquent.* Chrysostomo consentit Hieronymus: *Exactores appellat, vt ab inuitis pecuniam videantur exigere.* Secundo quia hirudinum modo, omnium sugebant sanguinem, laborum mercedes exhauriebant, substantias, & patrimonia ferina crudelitate deuorantes. *Non enim dixit* (adiungit Chrysostomus) ἀπαιτοῦσι *repetunt, exigunt; sed* καλαμῶνται *nudant, spolient, ac priuant vos facultatibus vniuersis obtentu exactionis tributorum.* Tertio, ex sancto Cyrillo, quia supra facultates dare cogebant, & repugnantes variis

Moderatam exactionẽ non excludit vates.

Exactorũ Ierosol. flagitia. Violẽta extorsio, & direptio pecuniarum.

D. Hieron.

Omnẽ sugebant pinguedinẽ, & patrimonia deuorabant. D. Chrys.

D. Cyr. Al.

oppressionibus, suppliciis, & ærumnis territabant, & compellebant ad donatiua: *erant itaque lucro dediti, & amantes ei pecuniaria: & si qui forte offenderent, acres his multas infixerunt, vt eos quocumque crimine postulatos territarent, & nonnunquam etiam vltra facultates offerre persuaderent.* Vnde vates vt pudore, & opprobrio exactores suffundat, & dehonestet, probrosis eos nominibus vocitat, iuxta horũ patrum sententiam: *expilatores, racematores, vindemiatores, extortores, raptores, direptores, collectores, repetentes, pauperum excoriatores, & deglubitores.* Et est sensus genuinus vatis iuxta dicta, Ierosolymitani principes, & magistratus, non prætores nuncupandi, sed prædones, non protectores populi, sed depopulatores, non pastores, sed lupi rapaces; non patres, sed hostes patriæ, & vniuersalis lues, quæ omnia deuastat, ac perdit, de Scribis, & Pharisæis verba commentatus sanctus Cyrillus rectè ait: *Bellissimè verò & apte non præceptores, non magistros, non aliquid aliud eiusmodi esse dicit, sed exactores, sed extortores nominat docetque illos dominari illi, non vt doctores discipulos leniter tractantes, sed vt rigidi, & saui Domini, quod ipsi velint sentire cogentes, & ad quiduis nonnunquam impellentes.* Hæc Cyrillus.

Variis oppressionibus & suppliciis, supra facultatẽ pendere tributa cogebãt.

Exactorum probrosa nomenclatio.

Prætores Ierosolymitani nõ pastores, sed lupi, & prædones.

4. Et mulieres dominatæ sunt eis. Principes Ierosolymitanos non tantum exactores nuncupat, sed mulieres, duplici de causa. Prima quia effœminati, libidine eneruati, & mollitie Sodomitica. Vnde quos supra effœminatos vocauerat, nunc ignominioso nomine mulierum, & fœminarum inurit. Ritè Rupertus lib. 1. commentariorum in Isaiam cap. 12. ait: *qui exactores ipsi & mulieres. Exactores propter rapacitatem, mulieres propter passiuam & Sodomiticam libidinem.* Vide quæ diximus supra ad ea verba versiculi. 4. *& effœminati dominabuntur eis.* Vbi Romanorum primores Iudæis tunc imperantes appellitat effœminatos, vel scribas & Pharisæos iuxta Hieronymum, Cyrillum, & Rupertum hic. Alibi quoque populus iudaicus maximum probrum accipit fœmineæ nuncupationis apud Oseam cap. 1. in filia illa Oseæ adumbratus, de qua ait Vates *Et peperit filiam & dixit ei: voca nomen eius absque misericordia.* Vbi sanctus Cyrillus infert: *appositissimè autem increculum & effrenem, & Domini interfectorem populum Iudæorum mulieri comparauit, illi inquam, quæ dicta est absque misericordia. Indicium enim imbecillitatis est mulier: vt animi haud virilis, atque fracti symbolum aptissime intelligi queat.* Et Amos cap. 4. vaccas nuncupat. v. 1. *audite verbum hoc vaccæ pingues.* Vbi Hieronymus subscribit: *Loquitur autem ad principes Israel, & optimates quoque decem tribuum, qui delictis, ac rapinis vacabant. Non boues, sed vaccas pingues in pascuis deliciarum enutritas appellitat, quia propter nummum, & luxum omnia faciant, pauperculos opprimant, & iustitiam venditent.* Hi primores Ierusalem nihil virile operibus ostendentes, sed emolliti, & euirati infanda turpitudine, indulgentes rapinis miseræ plebeculæ, vocantur mulieres.

Principes Ierosolẽ mulieres nuncupati.

Mollitie Sodomitica eneruati & effœminati.

Rup.

D. Hier. D. Cyr. Ruper.

Oseas.

Populus Iudaicus fœminea nũcupatione deturpatur.

D. Cyr. Al.

Amos. D. Hieron.

Optimates. Israel vaccæ appellitãtur propter nũmũ & luxũ omnia facientes, iustitiam venditantes.

5. Secundò mulieres vocat Principes quia valde mulierosi, nutibus vxorum aut pellicum per omnia obsecundantes: eos enim fœminea voluptas & amor mulierauerat. Vnde relatiuum

Principes dicũtur mulieres, quia nutibus vxorũ, aut pellicum obsecundant in causis dirimẽdis.

eis,

Digitized by Google

eis, non solum referendum ad populum, sed ad dynastas, & primarios Ierosolymæ viros: & erit sensus: populo principe tanquam tyranni,& exactores crudeles imperitabant, Principibus verò, & satrapis, crudeliori tyrannide, & impiissimo dominatu mulieres dominabantur. Est, enim immane, & plusquam tyrannicum mulierum in amasios suos imperium: cùm irretitos teneant voluptatis nexibus, sicut, viles seruos, & abiecta mancipia ad multiuolæ cupiditatis & auiditatis fœmineę arbitrium huc, illuc impellunt. Vnde non incongrue LXX. seniores vbi Vulgatus habet: *& mulieres dominatæ sunt eis*, vertunt: *exactores*. Vt rapacitatem,& direptionem scribarum, pharisæorum aut magistratuum Ierusalem, quam exercebant in pauperes, cum immani fœminarum exactione erga amatores suos, comparet.

Plusquam tyrannicum est fœminarũ in amasios imperium.


Lect. LXX.



Et mulieres dominatæ sunt eis.

DISCVRSVS. I.

Mulier ingeniosa affectatrix, & vsurpatrix dominatus, & imperij in fortes viros, vt eos sibi abiectissima, & vilissima seruitute subiiciat.

1. OEMINARVM astum subtilissimum,& callidissimum, prodit Vates in affixo commate: *& mulieres dominatæ sunt eis.* auiditas fœminæ, quæ se cernit abiectam viri potestati, exambit dominationem, & excellentiorē gloriā, eamque per blanditias vsurpat, vt excusso iugo principatus virilis, prælaturā sibi præripiat, aut excludat à viro. Cõcitata enim fœmina glorię cupidine, semper anhelat ad imperium, quod in peccati pœnam amisit. Habebat enim fœmina cum viro quamdam imperii parilitatem,& dominationis consortium. Sic expendit verba illa Genesis cap. 3. v. 16. *Sub viri potestate eris & ipse dominabitur tui.* S. Chrysostomus homilia 17. in Genesim, cum Eua affatus. *Ego inquit* (Deus) *ab initio honore parem te formaui, & eiusdem dignitatis in omnibus participem, & sicut viro, ita, & tibi omnium principatum concredidi: cæterum quia abusa es honoris dignitate, subiicio te viro: & ad virum tuum conuersio tua.* Et statim: *& quia nesciuisti imperare, disce bene regi.* In quo autem sita sit isthæc dominationis,& principatus parilitas, nec Chrysostomus aperit, & difficilis est explicatu. Nec enim denegat sanctissimus Antistes apud Adamum tanquā humani generis caput, & arcem, maiorem fuisse principandi potestatem, cùm in eo statu vir maiori sapientia, & prudentia præpolleret, cuius libera,& suaui directione ad commune bonum generis humani, fœmina dirigeretur, esset tamen aliqualiter œconomici regiminis socia,& adiutrix, eiusque consilium non infuscatum ambitionis, superbiæ crimine, aut appetitu dominandi, sed amore concordiæ & coitionis voluntatum, nec deuians à diuinis iussionibus, vir libens & spōtaneus audiret,& perficeret. Vnde ante transgressionem subiecta erat fœmina viro libens spōtanea, mira suauitate,& concordia experti à subiugatione seruili; Nunc vero in pœnam peccati inuita cum summa molestia, repugnantia,& violenta castigat one subiicitur.

Gloria cupidine fœmina sēper ad dominatum anhelat.

Genes.

D. Chrys.

Fœmina à Deo condita parilitatem dignitatis, & imperij cũ viro obtinuit.

Viri regimini subiecta post transgressionē.

In quo staret imperij æqualitas fœminæ.

Consiliũ fœmina vir voluntarius sectaretur.

Fœmina foret tunc viro subiecta sine coactione seruili.

Sed iam ab exordio artifici manu hostis antiqui, & dolo, ambitionis virus & gloriolæ appetentia in fœmineum pectus irrepsit,& quæ data erat in regiminis sociam, noluit esse subiectam, sed dominam, & primas imperij à viro præripere contendit. Argute id annotat Rupertus lib. 3. in Genesim cap. 9. ad ea verba de ligni vetiti fructu, quæ habentur Genesis cap. 3. v. 6. *Deditque viro suo, qui comedit.* In quibus mulieris animus dominationem vsurpans, ostenditur. Sic enim ait: *Quomodo autem dedit nisi iam abusiuo imperio, vel importunitate muliebri. Qualis autem vel quanta sit muliebris importunitas, passim non solum diuina, sed etiam humana testantur exemplaria. Ergo cogendo potius quam seducendo, imperando magis quam aliquid fingendo, hoc effecit, vt obediret vir suæ voci, plusquam Dei.* Cerne quot mala in hominem fœmina diabolico astu infecta,& corrupta, architectata est. Ipsa primā Deo dicatam, & debitam obtemperationem sibi vendicauit, liberi arbitrij hominis exordia,& primitias subiectionis prima delibauit, & postposita, & abiecta supremi numinis obedientia, hominis potestas, & voluntas primitus fœminæ obsecundant; ipsa subtiliter,& procaciter orsa est tyrannidis in hominem imperium, & dominatus infulas ab eo præripuit; honorem, & dignitatem pro voto suo imminuit, & viro anticipata potestate imperitat, antequam experiatur viri dominatum, & vocem potestatis eius auscultet. Iam ergo ab exordio fæmina sublimioris potestatis ambitiosior, & appetitus in ea dominandi vehemétior *Hoc effecit vt obediret vir suæ voci.* Quapropter æquo iure geminata animaduersione plectitur à Deo mulier, in signum vsurpatæ ab ea principalitatis. Prima, vt inuita,& nolens obtemperet viro, cui procaciter imperare voluit. Subiungit Rupertus lib. 3. in Genes. cap. 21. *Quia viro suo dedit, & eum ad comedendum illexit, importunitate muliebri, idcirco sub viri potestate erit.* Et statim: *Pro temerario imperio seruitutis illa pœna ei reddita est.* & loco præallegato lib. 3. in Genes. cap. 9. aliud supplicium infert, quod fœminæ caput sit à natura imminutum, & velamento occultatum, ita vt caput non velare, sit turpe. *Itaque iam non quæstione opus est, vtrum vir mulieri, an viro mulier debeat principari: quia videlicet ipsa natura docet, adeo minoris capitis esse mulierem quam virum, vt hic velando, illa non velando, deturpet caput suum. Igitur quod imperiosa temeritate mulier viro vetiti ligni fructum dederit, ipsa docet diminutio capitis muliebris.* Hæc ille. Et iuste diminutione capitis plectitur, quæ sui capitis dominatum imminuit,& auiditate fœminea dominatum,& primatum sibi vsurpare præsumpsit.

Primas imperij à viro præripere gestiebat.

Ruper. Genes.

Pomum edēdũ dedit viro abusiuo imperio, & muliebri importunitate Eua vt obediret vir suæ voci plusquā Dei.

Imperitat viro, antequam experiatur viri dominatum.

Rup.

Pro temerario imperio, seruitutis pœna multatur, & caput fœminæ imminuitur.

Rup.

Minoris capitis mulier est quam vir.

2. Cùm reducit ad calculum scriptura diuinitus inspirata vxores, concubinas, natos Roboam; inter tres iugales Regis Dauidis proneptes prælaturam dilectionis,& hæreditandæ Regiæ potestatis in filio Abia, defert Maachæ ex Absalone progenitæ, quæ nō fuerat vxor prima, sed postrema: fit hoc perspicuum ex lib. 2. Paralip. c. 15. v. 21 *Amauit autem Roboam Maacha filiam super omnes vxores suas, & concubinas: nam vxores decem & octo duxerat, concubinas autem sexaginta: &*

Postrema vxori Maachæ amoris prælatura defertur à rege Roboā.

Lib. Par.

Digitized by Google

Abiæ filio Maacha prærogatiuã regiæ dignitatis detulit Roboam.

& genuit viginti octo filios, & sexaginta filias. Constituit verò in capite Abiam filium Maacha ducem super omnes fratres suos: ipsum enim Regem facere cogitabat. Quis priuilegiũ dilectionis Maachæ vxori, prærogatiuam dignitatis Regiæ filio Abiæ detulit? Quæstiunculam hanc proponit, & dissoluit sapientissimus Abulensis hic quæstione 23.

Abul.

Pulchritudo Maacha in seruitutẽ redegit regis animum.

Dicendum, ergo quod forte factum est hoc propter pulchritudinem, quia ista est, quæ in fœminis valde afficere solet, & illaqueare, imo in seruitutẽ redigere animos viriles. Præferebat Maacha iucundissimam venustatem in vultu, cuius decore, & blandimentis delinitus, captúsque Roboamus felicem se putabat, si iuxta illius arbitrium, & nutum, ad speculum tam eximiæ venustatis mores suos fingeret, & imperialia decora deferret, nec inhonorum nec vile censet amor, vt concupitæ voluptatis fiat compos, inseruire, & obtemperare fœminæ & habenas regni à primogenito ereptas, ad filiũ Abiam inflectere:

Roboã illecebris Maacha captus habenas regni à primogenito ereptas, ad filiũ Abiam inflectit.

Si enim mulier voluntatis teneat arcem deliciis expugnatam, & obtentam, imperiosissima est imperatoribus, & regibus, eósque tanquam contemptibilia Mancipia tractat. Perspicuum hoc facit idem Abulensis, Herculis exemplo, de quo ibidem subiungit:

Abul.

Hercules captus à Iolis specie, ad illius imperiũ ancillaria ministeria subiit.

Sicut Hercules tantum à Iolis pulchritudine illectus est, vt ad eius imperium ancillaria ministeria subierit. Qui orbis imperium tenuit, cuius potestate Orientis, & occidentis plagæ subiugatæ, & vnius ditionis nexu copulatæ, ad cuius aspectum, & validissimos artus ferociores belluæ horrescunt, aut mansuescunt; ad vilissima ancillarum obsequia nendi fila, coli pensa, & rotundi fusi abiicitur ex fœminæ imperio. Illustrat Abulensis suum assertum, & Herculis opprobrium ex Seneca in Hippolyto.

Seneca.

Manus quæ ornabatur claua, ad rotandi fusi munus abiicitur.

Crura distincto religauit auro.
Luteo plantas cohibente socco:
Et manu clauam modo qua gerebat
Fila deduxit properante fuso.

D. Fulg.

Libidinis tyrannica potestas.

Muliebris illecebra maior est mundo.

Ex quo fœminæ facinore prodigioso hanc admonitionem eruit sanctus Fulgentius lib. 2. mythologiæ; *Parcite quæso iudices humanis ardoribus quid enim puerilis aut muliebris sensus in amore efficiat, ex quo in libidinis pugna Herculea desudauit virtus. Mulieris enim illecebra maior est mundo, quia quem mundi magnitudo vincere non potuit, libido compressit. Inuasit ergo virtutem de crimine fœmina, quam mereri non potuit de natura. Hercules enim amauit Omphalen, quæ eum persuasit & coli delicatos eneruare contactus, & lasciuienti pollice fusi teretem rotare vertiginem*

Mulier de crimine virtutẽ vsurpat quam mereri nõ potuit de natura.

Subiugauit orbem Hercules, & inauditis repleuit facinoribus, sed insanos libidinis affectus non domuit; parauit voluntarius pectus adamantinum emolliendum, sauciandũ cupidinis sagittis, & indomitũ collum subiecit loris fœminæ salacis Quot labores ab Hercule exantlati quot monstra domita? Leonem strangulat, geryones obtruncat, Draconem Hesperidum occidit, lucta superauit Antæum, Gigantes vicit, vulnerauit Plutonem, Theseo ab inferis reducto; sed vtinam sic prudens lacertosus, & insuperabilis Heros, sicut in subiugandis monstris, in comprimendis animi corruptis affectibus: qui pro Atlante cælum humeris, & ceruice tulit, iugo seruitutis inhonoro Omphalę humeros, & ceruicem subiecit:

Herculẽ post tot facinora & prostrata monstra, Omphales domuit.

Qui pro Atlante cælũ humeris & ceruice sustinuit, humeros & ceruicẽ Omphalæ subiecit.

Manus ornata totius orbis sceptro, dehonestatur fuso, & subiugatur fœmina imperio.

manus ornata totius orbis sceptro dehonestatur fuso, totius orbis declamatus princeps, cuius manu pax data Orienti, Occidenti, Meridiei, internum bellum non præcauet, sed fœmineo subiugatur imperio: *inuasit ergo* (inquiebat Fulgentius.) *virtutem de crimine fœmina, quam mereri non potuit de natura.* Industria, & virtus Omphalæ pellicis minor Hercule, sed calliditas & fallacia maior; muliebri decore, & blandiciis armata, & teneritudine fœminea robustior, quo ariete arcem Herculei pectoris quatit & possidet, monstrorum domitorem vna fœmina vincit. Eę vnius victoria, tot Herculeis potitur trophæis. Orbis domino dominatur, vt imperium quod natura & fœminea imbecillitas à se excluserat, muliebris illecebra & mollities, quæ maior est mundo, illud mulieri donaret, nec his facinoribus imperiosa pellex se continet, nisi Herculem ad turpissimam seruitutem abiiciat nendi inter ancillulas, meretricio ornatu, & habitu fœmineo excoli patientem; vt omnibus viris robustior in semiuirum, effæminatum, & in mulierem migret.

Monstrorũ domitorem vna fœmina vincit.

Lib. Esd.

Apemẽ concubina Darij regis, de illius capite aufert diadema, sibi imponit & regis vultum palmis cædit.

5. Aliud spectaculum fœminæ pellacis suæ dominationi subiugantis regem, proponit liber tertius Esdræ cap. 4. v. 28. vbi vnus ex custodibus Darij Regis ita fatur *magnus est Rex in potestate sua: quoniam omnes regiones verentur tangere eum. Videbam tamen Apemen filiam Rezacis mirifici concubinam regis sedentem iuxta Regem ad dextram, & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cædebat regem de sinistra manu. Et super hæc aperto ore intuebatur eam & si arriserit ei, ridet. Nam si indignata ei fuerit, blanditur donec reconcilietur in gratiam* locus licet non sit in canone, à Diuo Ambrosio recensetur in psalmum 104. de vera libertate & seruitute eleganter disputante, vbi postrema verba sic effert. *quam Rex* (Darius nempe) *aperto ore intuebatur, gaudens si quãdo arrideret ei mulier: quod si ea indignaretur, miserum se atque afflictum putaret, vt potestate submissa blanditias obtexeret, & conciliari sibi eam deprecaretur.*

Rex ridenti fœminæ arridet indignanti blanditur.

D. Ambros.

Rex iratæ fœminæ potestate submissa, blanditias prætexit.

Rex erat Darius, sed non liber, sed emptitio mancipio vilior, qui fœmineo famulatui subiacebat; Hic imperterritus hostibus tyrannorum minas, & manus respuens, indignantis fœminæ vultum reformidat, & tanquam venundatus voluptati, & libidini, omnia imperatoria paludamenta concubinæ subiiciebat; quàm peruicax, quàm audax mulieris procacis imperiositas, quæ regium coronamen de imperatoris capite eripit, & suo vsurpat vertici; ad hoc anhelat fœmina, & suspirat, non tam vt Darij Regis deliciis, & voluptatibus obsecundet, quam vt diadema & dominationem arripiat; ille lubens patitur latrocinium, suúmque regnum fieri mulieris spolium, quando eius speciem contemplabatur attonitus, & lymphatus, & tanquam incantatus voluptatis dulcedine, illius dolosę Sirenæ dulciloquo cantu. Si fœmina imperitat, Rex seruitutis iugo premitur, non tyranni, non hostis, sed amasiæ. Seruitus hæc experta primoribus, nec repulsam patitur sed ambitum affectat. Rite Seneca epistola 47. *alius libidini seruit,*

Rex hostibus & tyrãnis terribilis, vultũ fœminæ reformidat.

Audax fœminæ imperiositas, quæ regiũ coronamẽ suo vertici vsurpat.

Darij regnũ mulieris spolium.

Varia, & turpis seruitus magnatũ

Digitized by Google

seruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes timori, Dabo consularem anniculæ sermientem. Dabo ancillulæ diuitem: nulla seruitus turpior est, quàm voluntaria. Hæc Stoicus.

Consularis anicula, diuites ancillulæ seruiunt.

4. Fæmineus astus proditur in nece præcursoris, cùm expudorata saltatrix, vt regale conuiuium vertat in tumulum, & gaudium syrmatis in scenam crudelitatis, choreæ mercedem expostulat caput Ioannis, & contumeliosa cæde truncatur in puellæ salticæ lucar. Marci. cap. 6. ver. 25. *Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis.* alia huius scelestæ, & cruculentæ feræ Herodiadis propudia, ad flagitia de industria prætermitto, vt examinandum veniat tyrannicum pellicatus imperium. Omnia Regis interna, & externa decora ad arbitrium meretricis, & tripudiantis filiæ obsecundant. Orationis lumina ad miraculum splendentia ex magno illo luminari Chrysostomo mutuo, quæ funus Ioannis præcursoris exornent, Herodis immane flagitium prodant, Herodiadis furentem auiditatem dominandi in propatulo constituant. Cerne ad quantas adegerit insanias animum Regis fœmineæ voluptatis illecebra. Marci cap. 6. à ver. 22. *Rex ait puellæ: pete à me quodvis, & dabo tibi, & iurauit illi: quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Totum, & integrum regnum daret exoratus à fœmina, qui non rogatus, non requisitus dimidium donat. Quid non tribueret mimica voluptas, & liberalitas impudica, quæ omni regno pretiosiùs illud cæleste, & diuinum caput Ioannis largitur psaltriæ? *Vides* (inquit os aureum homilia. 49. in 14. caput Matthæi) *quàm atrox, quàm insensatus, quàm vecors est, qui iurando se obnoxium facit, & illi petendi potestatem concedit.* Et oratione in decollationem Sancti Ioannis Baptistæ apud Photium in Bibliotheca fol. 523. inquit idem Chrysostomus: *Regalem auctoritatem puellæ pedibus stultus subiecit: permisit regiam dignitatem conculcari, sub qua se iuramento constrinxit, qui cupiditate cæca captus erat.* Et in homilia in Matth. proximè allegata subiungit: *Tanti scilicèt principatum suum faciebat, adeo voluptate captus erat, vt tripudiis regna concederet:* Quàm leuis, & futilis æstimatio regni, quod bacchanti Mænadi pro mercede saltationis delegatur. Insatiabilis cupiditas fœminæ, quæ etiam regnum expostulatura præstolatur; sciebat Rex quanta esset voluptuosæ fœminæ arrogantia, quæ inaccessum diadema, & sceptrum præsumeret, fœmineis respondet votis meretricij pectoris interpres, & explorator arcani, & anticipata munificentia vesani amoris regalia ei detulit insignia, quid mirum si ei concedat regnum, quando Rex præstiterat sui pectoris, & cordis dominatum. Rite Chrysostomus intulit: *Illam furore, & temulentia concitatam adeo, vt nihil mali prætermittendum duceret, dominam fecit.* Et periodum declamationis ibidem claudit: *Licet illa atrocissimi animi animi fuerit, non tamen ita facilè ille decipi debebat, vt in tyrannico imperio mulieris omnia subire vellet.* Ideo Herodias imperium affectabat Herodis per blanditias suas capere, vt non tantum cordis regij domina foret, sed omnium affectuum, & publicarum actionum ditionem obtineret, omniàque regia pacis, & belli decora

D. Marc.

Tyrannicum in Herodiade pellicatus imperium.

D. Marc.

Totum regnū daret exoratus à fœmina, qui non rogatus dimidium donat.

D. Chrysost. Rex insensatus petendi facultatem largitur fœminæ.

D. Chrys. Rex stultus regalem auctoritatem conculcandā puellæ pedibus substernit.

D. Chrys. Tanti principatum faciebat, vt tripudiis regna concederet.

D. Chrys. Rex fœminā sui dominam facit, & tyrānico imperio mulieris omnia subiicit.

Herodias imperium affectabat Herodis, vt regij pectoris, & rerum publicarum dominatum obtineret.

ex arbitrio mulieris, & eius tyrannico dominatu penderent. Quid? ad extremum malum progressæ sunt insolentis fœminæ dolosæ captiones, & argutiæ, ipsum caput Christi in ceruice Præcursoris ad iugulum postulata gestiebat rapere, & contradere morti. Acumen hoc est Sancti Archiepiscopi Rauēnatis Chrysologi sermone 174. *de decollatione Sancti Ioannis Baptistæ* scribentis: *Volo vt des mihi in disco caput Ioannis. Si caput viri est iuxta Apostolum Christus, iam tunc nouello ore antiquissimus serpens Christi Domini tendebat ad mortem. Iam tunc auidus draco in serui capite, Domini degustabat sitiens passionem.* Si Ioannis caput est Christus, non solum caput serui, sed Domini vna cæde exambit, vt teneat verticem, & possideat in manu sua Angelorum & hominum caput. Exsibilabat identidem fœmineo ore, & viperæ Herodiadis lingua annosus draco, inueteratam cupidinem imperitandi cælicolis, & terrigenis affectabat, & antiquum virus subdolæ dominationis effutiebat; vt quod dolosa solicitatione, & rebellione Angelorum obtinere non valuit, pellacis fœminæ solicitudine raperet.

D. Chrysol.

Ambiebat fœmina in Ioannis capite obtinere angelorū & hominū caput Christū.

5. Cùm Deus Euam ædificat, & mirabilis pulchritudinis simulacrum, gratiæ compendium, & leporis humani, de latere viri condit, percontantur Ecclesiæ primores: cur de costa, non de altera corporis parte eductum, in lucis vsuram amicum Adamo adiutorium? à diuersis commentationibus referendis supersedeo, illúdque theorema ad præsens vsurpo quod refert catena Lipomani ex Ricardo Victorino, quod recenset Abulensis ex Petro Lombardo sententiarum Magistro. Genes. cap. 2. ver. 22. *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Ait enim in libro 1. sententiarum Magister distinctione 18 *de latere eius formata est, ne forte si fuisset de capite viri facta, viro ad dominationem videretur præferenda, aut si de pedibus ad seruitutem subiicièda. Quia ergo viro nec domina, nec ancilla parabatur, sed socia, nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda.* Iam extunc præcauebat Deus fœminarum insidias, quæ se se insinuant in sublimiorem potestatem; vt formationis, & originis suæ memores, se continerent in humilitate sociarum, & gratioso erga viros obsequio, & retunderent pruritentem appetentiam dominarum. Quamobrem sapienter refutat Abulensis in cap. 13. Genes. quæstione 370. cum Aristotele lib. 8. Ethic. & lib. 6. Politic. inordinatam eorum oligarchiam: *in qua fœminæ præsunt viris. Nam apud aliquas gentes constitutum erat, vt si quando fœminæ, quæ ducuntur in vxores, essent ditiores viris, aut succederent parentibus in bonis, dominarentur vxores viris.* Ab hac tamen regula excipienda est vnica & singularis fœmina Mater Creatoris, quæ iuxta illius nomen Mariæ Domina est Angelorum, & hominum. De qua Sanctus Bernardinus Senensis tom. 3. serm. 3. art. 3. cap. 3. scribit: *Tertio dominatur filiis, id est Angelis. Et in hoc est electa vt sol, scilicet ad irradiandum totam multitudinem spirituum beatorum. Cum autem Beata Virgo Regina sit cæli, & Mater filij Dei, tantum habet seruorum numerum quot filij sui implent ministerium.* Et paucis interiectis: *Omnes igitur Angelici spiritus sunt huius gloriosæ Virginis ministri atque serui. Verè igitur Domina dici potest, atque merito habent de illa omnes cælestes spiritus confiteri, & dicere illud* 4. Reg.

Cur Eua de latere viri, non de altera corporis parte formatur.

Ricar. Vict.

L. pom.

Thu.

Petr. Lomb.

Non construitur de capite, ne velit esse domina, & principatum vsurpet.

Eua formatur, & datur viro non tā quam domina, nec ancilla, sed socia.

Abul.

Aristo.

Inordinatum regimen, viros subiectos esse vxoribus.

Vnica fœmina & singularis Maria omnium Domina.

D. Bernard.

Omnes Angeli & homines Deiparæ ministri & serui.

Digitized by Google

Maria Domini Empyreali præest.

Reg. 10. ſerui tui ſumus, quæque iuſſeris faciemus merito ergo competit ei nominis etymologia: quia *ſecundum Papiam, Dominus; vel Domina dicitur eo quod domui præſit. Ipſa quippe præeſt domui Dei, id eſt Empyreo cælo.* Magna hominum felicitas ſi talis, & tanta mulier ſuper omnes benedicta eis dominetur, ſuis affectibus, & operationibus aſſideat.



Et mulieres dominatæ ſunt eis.

DISCVRSVS II.

Fœmina, Diaboli organum, & armamentum validiſſimum ad perdendos viros, omnis doli, omnis mali atque decipulæ artifex mirabilis.

Mulieris natura & malitia deſcribitur. D. Chryſ.

1. NON lædimus opprobrio ſanctas, & pudicas fœminas, quæ in ſexu infirmitatis virile poſſederunt robur, ad exantlandos virtutis labores, ſectandam iuſtitiam, & comprimendas noxias voluptates; ſed de improbis, & malemoratis loquimur, in quibus emicat ſubdola conditio, & fallacia, quã trahunt de prima fœminæ transgreſſione, & originarij ſceleris reatu. *Quid eſt autem mulier* (inquit Chryſoſtomus homilia 32. in cap. 19. Matthæi) *niſi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta.* Quæ omnia veroſimilia eſſe demonſtrabunt de ſacræ litteraturæ promptuario, & primorum Eccleſiæ penu eruta exempla; vt ea viris ſapientibus prudentem ingenerent cautionem, ne inuolui ſe ſinant fœmineis implicamentis, & retibus, quæ corpora animóſque capiunt ad mortem: Ioſephi pudiciſſimi, in iuuentutis flore, pulchritudinis nitore, caſtitatis celebratur omniũ ore triũphus, victoriæ decus accumulant vxoris Putiphari præſtigiæ, & irritatoria delinimẽta, quibus pectoris arcem omniúmque ſenſuum propugnacula diruere, & emollire aggreſſa eſt. Theatrinas proponit pulcherrimè & male ſuadentis Ægyptiæ blanditias, Sanctus Iſidorus Pelusiota, & rei geſtæ compertiſſimæ noua adiungit decora, ad ea verba, quæ habemus ex Geneſ. cap. 39. ver. 7 *Poſt multos itaque dies iniecit domina ſua oculos ſuos in Ioſeph, & ait: dormi mecum.* Et ver. 10. *huiuſmodi verbis per ſingulos dies, & mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum.* Sic ſcribit lib. 2. epiſt. 236. ad Herminum Comitem. *Callide ac ſingulari artificio Ægyptia mulier cupiditatis ac libidinis vela expanderat, laqueumque, vt adoleſcentem caperet, ſtatuerat; atque & per oculos eum velut præſtigiis quibuſdam lædebat (tragicum enim in modum corpus adornabat) & per aures eum delinibat, nam ei per aures quoque nullum non tentationis genus admouebat, & per odoratum ſtimulabat (veriſimile enim eſt eam prius etiam quàm retia ſua explicaret, luxum ei habuiſſe, & ſi non vt amaſio indulgentem, at certe vt hoſpitem ac peregrinum miſerantem) ac denique per promiſſa demulcebat. ac velut quibuſdam veneficiis inficiebat.* Quæ omnia ex ſapientiſſimo ſuo Doctore, ore nempe aureo videtur Iſidorus mutuaſſe: Chryſoſtomus enim epiſt. Pauli 1. ad Theſſalon. cap. 3. homilia 4. ſic de Ioſepho fatur: *illum tunc non demulſit facies venuſta, dignitatis ſublimitas, veſtium pretioſitas, aromatum fragrantia. Solent enim & iſta animum emollire: deinde verba omnium molliſſima. Adeo quippe erat animo fracto mulier auro conſpicua, & in dignitate Regia conſtituta, vt forte & ad genua pueri captiui ſe ipſam abiecerit, forſan & lacrymabunda, genibuſque illius prehenſis obſecrauerit, idque non ſemel atque iterum, ſed ſæpius tentauerit. Videre licebat & oculos tum maximè ſplendentes. Neque enim dubitandum, quin non temere ac negligenter, ſed magna ſe curioſitate, ac ſedulitate adornauerit, tanquam quæ multis retibus cupiebat agnum Chriſti attrahere, & capere. Adde mihi hic & multas incantationes.* Hæc aurea orationis flumina e beato illo fonte manarunt. Ægyptia fœmina in malis, & nocumentis innutrita, petulantiæ ac laſciuiæ argumenta requirit, vt innectat animum florentis ac nitentis iuuenis: retia omnia, & decipulas expandit, & inſidioſa omnia prætendit, vt ſimplicem columbam capiet; ſed irrito conatu, nam erepta de harpyæ vnguibus, & laniena conuolauit ad Dominum, & in eius ſinu ſecura requieuit. Omnia ſenſuum Ioſephi propugnacula timore Domini muniſſima, & caſtitatis amore præcluſas fores, circumuallauit aggeribus libidinis, impetu & furore correpta mulier, vt ſacrum cor innocentis iuuenis fœmineis blandimentis arietaret. Omnia laſciuientis audaciæ irritamenta congerit; ſtibium oculis, nitorem in facie, purpuriſſum in genis, margaritas in fronte pendentes, labris fucatum adiicit ruborem, glorioſis veſtimentis accingitur, optimis vnguentis delibuta, mirificos ſpargit naribus odores; adiungit delinifica verba, teneram, & ſuauem vocem, lacrymarum fluenta, gemitus, anhelitus, ſuſpiria, quibus omnibus expudorata Circe iuuentutis florem nitentem, & exilientem incantaret, & extra ſe raperet, ad muliebrem congreſſum alliceret. Itaque Diabolus, qui contra Ioſeph fratres ſuos armauerat, pudibundus, ac mœrens, & deiectus aufugit de paleſtra: Poſtremo inſtruxit manum validiſſimam, elegantem fœminam, non armis inſtructam, ſed ornatam, & excultam, quæ aduerſus caſtum Ioſephum, & pudicitiæ aſylum non armis velitabatur, ſed gladio ancipiti, & machæra validiſſima; formæ elegantiam, ornatum, mellita verba, ampla promiſſa, bellicarum omnium machinarum inſtar obiiciebat. Vidiſti technas, & impoſturas percitæ libidinis rabie ſerpentis muliebris ad nefarium ſcelus cogentis, prouocantis? Quibus maiora annectit Sanctus Ephræm Syrus oratione de laudibus Ioſeph Patriarchæ, nam vt Ioſephum mulier à propoſito caſtitatis auerteret, & timore Domini exueret, horrendum facinus perpetrare promiſerat, nempe de medio tollere Putipharem virum ſuum. Sic enim confabulabatur fœmina cum Ioſepho: *quod ſi virum meum times, ego illum, dato veneno, perimam.* Hæc Sanctus Ephræmus. Audacia hæc maior Diabolica caliditate eſt, dum lethale poculum propinare parata eſt marito; iugalis ſui vitæ non parcit, vt voluptatibus obſecundet.

Aſtus Ægyptiæ fœminæ vt Ioſephum perdat.

D. Iſid. Pel. Geneſ.

Tendicula & decipula mulieris, vt Ioſephum irretiat.

Senſibus vniuerſis arma libidinis miniſtrat.

D. Chryſ.

Venuſtas, dignitas, veſtium pretioſitas, aromatum fragrãtia animum emolliunt.

Mulieris ſubmiſſio, & ſupplicatio facta captiuo puero Ioſeph.

Magna ſedulitate adornata, vt retibus ſuis caperet agnum Chriſti.

Mulier fallaciis ſuis animum incantare ſatagit.

Inſana libidinis furore de medio tollere maritum cogit virulento poculo.

2. Pergamus ad alia, & in hoc theatro propudioſarum

Dalila improbitas.

pudicorum mulierum producamus in medium Dalilam inuicti Samsonis pellicem. Munerum promissis à satrapis Philistinorum corrupta, internecionem probrosam, & crudelem marito conflabat. Astum fœmineum, & in nocendo calliditatem bene percallebant Philisthæi Principes, cùm auribus Dalilæ suggerunt bene sibi arridentia verba. Iudicum capite 16. ver. 5. *Decipe eum, & disce ab illo in quo habeat tantam fortitudinem, & quo modo eum superare valeamus, & vinctum affligere; quod si feceris, dabimus tibi singuli mille & centum argenteos.* Sciebant enim Optimates Philistinorum mulierem per munera reddi præuaricatricem, & infidam amasio; Facile Adamum per Euam ludificari. Quod exprimunt lectiones huius loci; Tigurina legit ex Hebræo: *Illecta eum verbis.* Et Vatablus vertit: *Decipe illum blanditiis.* Præclarè sapientissimus Salianus tom. 2. anno mundi 289. n. 8. inquit: *Ad hanc mulierem venerunt Principes Philistinorum, vt Samsoni eius opera insidias struerent, & quod aperte marte non poterant, per fraudem assequerentur.* Compertum habebant in fraudulentiis pangendis, dolisque nectendis felicissimum esse muliebre ingenium: Vnde cum Dalila semel & iterum expilcari conaretur arcanum pectoris robur irrito conatu, & sentiret se delusam, omnes vires iniquitatis exerit, nouàque lenocinia & blanditias congerit; cõfinxit animi deliquium corporisque languorem, & roseo vultus colore, in pallidum, & liuidũ mutato corruens languidulum anhelantis, & animã agentis instar, reclinauit caput: *Cúmque molesta esset, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est.* Eodem Iudicum cap. ver. 16. quo in languore non amoris sed furoris, exitium & opprobrium Samsonis portendente, hanc proposuit quæstiunculam Abulensis num. 17. *Quare Dalila elanguerat, nolente Samsone dicere veritatem?* Cuius resolutio pendet ex postremis verbis: *Dalila peribat, quæ iuxta modum fœminarum tam laudis, quam pecuniæ cupida valde erat, & nunc videns sibi vtrumque ademptum, inconsolabiliter mærens deficiebat toto corpore, & extenuabatur.* Affectat morientis laruam Dalila fabricatrix doli, & mortis amasij artifex crudelis, vt in totum emasculet robustissimum Heroëm teneritudine, & compassione dilectæ emollitus sacramentum prodat. Non emolumenta, & delicias rimatur audax lupa amasij, vt concupitis amplexibus obsecundet, sed lucellũ miserum, & gloriolam exambit suam, vt inglorium reddat lanistam tot facinoribus decorum; fœmina cum dilectionem affectat, interitum parat, cum lenocinatur, & suauius blanditur, satellitum Philistinorum in conclaui cubiculi excubantium, manum exacuit ad Samsonis ludibrium, & interitum; omnibus monstris à Samsone deuictis, portentosior est fœminæ malitia; paratur ergo postremum Samsonis, & ferale ludibrium in scelerato conuiuio, vt saturitas, & libido suffragentur iniquitati. Illa (inquit Salianus supra num. 14.) *blandissime venientem excipiet, tota corollis florens, vnguentisque delibuta meretriciis: toto vultu ad hilaritatem, toto corpore ad delicias, toto ore ad mellea dicta composito.* Latet in his floribus anguis, præsentissimum virus illico euomitura; blanditur, vt fallat, sed in postremis mordebit vt coluber; persentiet Samson rubi huius, & rhamni sentes, & spicula occultata rosis, quæ robustum pectus sancient, persentiet felleam mortis, & absynthiam amaritudinem sub mellitis alloquiis latitantem, & horrendam vastitatem sub dolosa Dalilæ forma. Audiendus est Sanctus Chrysostomus huius mulierculæ malitiam ponderans, tomo 1. ex variis in Matth. locis, ait enim, quod mulieres improbæ deperire soleant ad cupidinem suã pulchriores, & speciosiores viros militaribus triumphis strenuos, viribusque lacertosos, quos bonitas, & virtus ornet. Miratur ergo & meritò quidem, quo animo Dalila Samsonem his insignibus vsque ad miraculum illustrem infami repulsa à se abiecerit, ludificandum, & occidendum contradiderit Philisthæis; sic enim scribit: *Et hunc tantum & talem virum, & pulchritudine, & virtute, & sanctitate, vxor sua sicut inimicum decipiens, alligans allophylis tradidit. Vnde illa mulier illi tam forti viro præualuit? Vnde nisi ingenita illi simplicitate bonitatis, & sua malitiæ calliditate? Non solum enim curiosa sed & subdola irrepsit in præcordia mariti simplicis, & importunis obsecrationibus, atque illecebrosis blanditiis fatigatum, arcano illo virtutis suæ martyrio spoliauit; atque ita derasis crinibus virtute nudatum funditus euertit: vt quem multa millia hostium armata non vicerant, & ab inermi prostrata corruerãt, hunc vna muliercula sine armis, dolo malitia armata conuicerit.* Fœminæ petulantiam, & infrunitum ingenium in Dalila Chrysostomus proposuit, quæ nec amore iugalis præclaris facinoribus conspicui, prodigioso Spiritus Sancti robore ornati, & flore iuuentutis, & gratiæ, non est reuocata à truculento flagitio: Feralem scenam commenta est in amasium, dignam mercedem fœmineæ fidelitatis, cui tormentis reconditum propalauit arcanum Samson. Cernis in quantas improbitates cogunt fœminæ, subdoli earum mores? Fugauit acies hostiles innumeras vel solo aspectu suo, animi corporisque robore vinci nescio, gloria Heroüm, iuuenum flos, mirmillonum apex, fortis ille Gigas; hunc tantum virum inermis fœmina dolo, & malitia instructa, & munita deiicit, triumphauit, infami repulsa delusit. *Hunc vna muliercula sine armis, dolo malitia armata conuicerit.* Et argutè annotat Chrysostomus, vt adegerit Dalila Samsonem ad tyrannicæ captiuitatis, & mortis ærũnas, pretiosius illecebrosis blandiciis suffurasse pignus, & spolium prodigiosæ virtutis, felicitatum Samsonicarum fontem: *Arcano illo virtutis suæ martyrio spoliauit.* Quod os aureum appellitat *martyrium* S. Ephræm oratione aduersus improbas mulieres nuncupat: *mysterium fortitudinis*, vel sacramentum; & aptissimè idem Ephræmus infert: *Quæ enim vnquam bestia, dic mihi in maritũ suum talia exercuit? quæ dracena cõiugem proprium interimere voluit? quæ vnquam leæna suum maritum ad cædem tradidit? Verè sic se res habet. Non est malitia super malitiam mulieris. Qui igitur vxorem improbam nactus est, inte ligat se suorum delictorum tulisse mercedem.* Vtinam ex his experimentũ caperent, amasij, vt à fœminis caueant, nec fidant meretricibus, & ab vxore improba reformident fraudulentiam; laqueus enim est comptus, & adornatus

Marginalia (left): *Iud.* — *Mulier per munera præuaricatrix redditur.* — *Lect. Heb.* — *Vatabl.* — *Salian.* — *Philistini per fraudem fœmina Samsoni insidias struunt.* — *Abul.* — *Cur Dalila languore corripitur?* — *Mulier tam laudis, quam pecuniæ cupida, vbi se frustratam languescit.* — *Omnibus monstris à Samsone deuictis, portentosior est fœmina malitia.* — *Salian.* — *Versipellis fœmina contendit ad retexendos dolos, & adulatoriis sermonibus.*

Marginalia (right): *Chrysost.* — *Cur hominem lacertosum tot facinoribus famosũ, improba mulier à se repulit.* — *Aduersus bonitatem & synceritatem Samsonis fœminea malitiæ calliditas præualuit.* — *Arcano virtutis martyrio spoliauit.* — *Pugil exercitibus hostium inuictus, à muliere dolo malitiæ armata superatur.* — *Martyrium suæ virtutis mysterium est fortitudinis.* — *D. Ephr.* — *Fœmina omni bestia, & leæna immanior. Non est malitia super malitiam mulieris. Qui fœminã improbam nanciscitur, suorum delictorum mercedẽ defert.*

natus improba mulier, fucata, & colorata decipula, quæ illice voluptatis inescat, & irretit funibus mortis, venenum melle illitum, quod sensim per vitalia serpit, & obscura morte interimit.

Artifici fœminarum industria Israëlitici populus Ægyptios spoliat. *Exo.*

3. Cùm Dominus imperat Israëlitis exire de Pharaonis neruo, & ergastulo, vt excusso iugo miserrimæ captiuitatis liberi, & expediti sacrificent Domino in deserto, illud quoque iniungit: vt Ægyptios deprædentur. Exodi cap. 3. ver. 21. & 22. *Cum egrediemini non exibitis vacui: sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea, & aurea, ac vestes.* Postea refertur Dominicæ iussioni obtemperasse fideliter, variamque supellectilem ex argento, auro, vestimentis congessisse cap. 12. ver. 35. *Feceruntque filij Israel sicut præceperat Moyses: & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis: & spoliauerunt Ægyptios.* Non immoror in honestando spolio, vt merces tyrannicæ seruituti respondeat, quod enim Deus præcipit, præfert speciem iustitiæ, & probitatis. Illud tamen inculcandum, cur huius expilationis autores Moyses fœminas constituit. *Postulabit mulier à vicina sua,* &c. argutè respondet S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de adoratione propè finem, dicens: *Dei namque iussu Ægyptios spoliare, aureaque, & argentea vasa à contubernali simul, & vicino mutuo accipere, oportere dixit; quod ipsum per mulieres perfectum est: suffurationi namque is sexus est, & loquacitati aptissimus, & ad struendas fraudes felicissimus.* Sunt enim fœminæ ad nectendas fraudes, parandas decipulas promptissimæ, ad persuadendum vocalissimæ, præsertim illæ quæ Ægyptiarum argutias mulierum, & verborum lenimenta per tot annorum contubernium, & conuictum ab iis hauserant. Itaque ad opulentum spolium diripiendum mulieres eliguntur, & earum subtilitate, & dissimulatione deprædantur latenter thesaurum Ægyptiacum, & in suum lucrum, & emolumentum vertunt.

Cur huius expilationis artifices fœminæ constituuntur. D. Cyr. Al.

Sexus fœmineus loquacitati, & suffurationi aptissimus, ad nectēdos dolos & fraudes felicissimus.

4. Stabat inuictus Heros Iob adamante fortior, æreaque columna immobilior in fimi stadio, & tolerantiæ suæ palæstra, fidei clypeo valide retundens omnia tartarei monstri spicula, iamque euacuata pharetra, defatigata cacodæmonis improbitate; validissimum, & postremum iaculum intorsit, quo labefactaret mirifici luctatoris constantiam. De inueterata sua malitia eduxit machinam vincì nesciam, præclaris trophæis decoram, & celebratissimam, nimirum fœminam; vt quæ vicerat Adamum in paradiso, prosterneret Iobum in sterquilinio. Cerne Satanam pietatis, & sustinentiæ murum arietantem hac machina Iob. cap. 2. ver. 9. *Dixit autem illi vxor sua: adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* In catena Græcorum Patrum alloquium fœmineum ampliatur, & nimis exaggerata commata perfidiæ proferuntur ab vxore, vt ea obtrudat iusti viri præcordiis; & validissimis naturæ humanæ irritamentis animum in percusso corpore latitantem sauciet, & ad diffidentiam inducat. Sic enim legunt Græci Patres: *Cum autem multum tempus processisset, dixit ei vxor sua; quousque sustinebis dicens: ecce expecto tempus adhuc pusillum, præstolans spem salutis meæ? Ecce enim deleta est memoria tui à terra: filij, & filiæ vteri mei labores, & dolores, quos frustra sustinui cum gemitibus. Tu autem ipse in putredine vermium sedes, pernoctans sub dio, & ego oberrans quædam & ancilla de loco ad locum circumiens, & de domo ad domum, expectans solem quando occidat, & requiescam à laboribus, & doloribus, qui me vrgent. Dic verbum contra Deum, & morere.* Hunc in versione Græca Patres scribunt sermonem, vt serie verborum exprimeret fœmina crudelitatem, impudentiam, vecordiam, & impietatem; cum enim prospectaret maritum vlceribus scatentem, eiusque carnem cum qua consuetudinem habuerat, tot vermium, & putredinum fontibus scatentem, non est inflexa ad commiserationem. Vidistin truculentam fœminæ iugalis malitiam, & pertinaciam? quod enim aliud malagma leniendis cruciatibus accommodum ab improba muliere expectare potuisset, nisi subdola verba, & fallacissima, quæ corrosione vermium & tabe diffluenti vehementius Iobum lancinarent, cùm exaudit se ad blasphemiam concitatum? Huius mulieris calliditatem celebrant Ecclesiæ primores in eâdem catena. Malitiæ fœmineæ sentes annecto, & pango ex verbis Patrum, vt inter eas emicent, & extollant caput virtutum iusti viri flores, ex iisque victoriarum corollas attexam. Sanctus Basilius, & Didymus fantur: *Tot incursionibus ac pugnis fractus diabolus, cùm quò se vertere non haberet, in antiqua fraudis memoriam redit; menteque muliercula circumuenta, illius opera conuellere adoritur grauiter dimicantem, & vxoris consuetudinem tanquam tertium certamen comparat contra Iobum, ratus, patrocinante vxore, non secus in fraudem à se inductum iri Iobum, quàm per Euam Adamum induxerat.* Et Olympiodorus ibidem: *Verum cùm iam vxor in calamitatibus animum contraxisset, ad munitissimum murum exturbandum tanquam postrema machina est à diabolo reseruata.* Et eodem loco os aureū argutè percontatur cur vxor vna cū natis in domus ruina non est simul interempta, & tumulata? Et respondet solerter: *Ex illa rerum omnium, fortunarum, liberorum, & corporis ruina vxor ei sola relicta est, atque hæc ipsa ad oppugnandum, atque insidiandum, eaque de causa, illam vna cum filiis diabolus non extinxit, neque eiusdem interitum poposcit. Ad iusto enim parandas insidias haud ab ea auxilium expectabat, idcirco eam tanquam certissimum telum reseruauit.* Itaque fœminam tanquam certissimum telum, & postremam machinam ad diruendam arcem fortitudinis Iob, reseruauit diabolus; vt quem iactura familiarium rerum, dilectissimorum pignorum ruina, languorum omnium colluuies in carnem suam irruens, à proposito virtutis non deiecerant, vna muliercula conuelleret & ad iracundiam vehementius commoueret. Omnes pereant, ait diabolus, sed sola vxor reseruetur, quæ est validissima machina ad labefactandam iusti viri constantiam. Quapropter illud quod postremo loco substituit Chrysostomus in apice huius conceptus collocandū, nimirū: *Tu verò cùm dicitur mulierem hoc consilium meditatā esse, adde: quæ præstigiis eloquentia ad fallendum eos, qui sibi non cauent, valet plurimum,* &c. *vtinam aut eā, ô scelestè, submonisses, aut vna cum filiis euertisses.* Et verbis suis Chrysost. coronidem adiungit: *Aiunt nonnulli non vxoris ea verba fuisse, sed*

Postremum telū diabolus aduersus Iob, malitiā vxoris reseruauit.

Iob.

Alloquium fœmineum improbitate, & diffidētiā adornatum.

Græci patres in Catena.

Vxor Iob quasi ancillam oberrantem se ipsam prædicat, vt mariti pectus emolliat. Ad desperationem prouocat virum.

Vxor Iob expers commiserationis, subdolis verbis plenissima.

D. Basil. Didym. *Antiquæ fraudis artificiū fœmina.*

Diabolus de victoria securus, fœminæ patrociniū ad Iobi interitū vsurpat.

Olymp.

Fœmina postrema & valentior diaboli machina.

D. Chrys. *Cur vxor Iob non est oppressa communi filiorū ruina?* *Vxorem cum filiis diabolus non extinxit sed seruauit incolumem vt iusto pararet insidias.*

D. Chrys.

Fœmina eloquentia præstigiis ad fallendum valet plurimum.

D. Chrys.

Digitized by Google

Diabolus imaginem vxoris induit, vt Iobū perderet.

sed diabolum eius similitudinem imaginemque exprimentem eadem loquutum esse: quod credibile non sit, Iobi vxorem eiusmodi extitisse. Nec displicet ei hoc assertum: arduum enim videtur vna cum natis conuiuantibus genitricem non fuisse simul ruina oppressam, & extinctam; sed si superstes fuit, vt tacet textus insinuat, eam satanas de industria reseruauit, vt per dolosas machinationes vxoris perficeret, quod per reliquas calamitates non est adeptus. Vehementius enim se se insinuant in pectus virile dolosæ fœminæ blandimenta amoris, & confictæ miserationis, quam exasperatio cruciatus & doloris: prædictis omnibus diabolus aperto marte pugnabat, & euidenter apparebat hostis humani generis ingenium, cùm deprædabatur terrenæ felicitatis decora; cum vero mulier superinducta larua pietatis adulatur blande per verba mollia, eiulans, & lacrymabunda, decipulam abscondit prætextu compassionis, vt aliena & validiori manu à dæmone erudita, suffuretur patientiæ thesaurum. Si tam exorbitans malitia cadere non valuit in coniugem, dilectionis, & antiquæ beatitatis sociam; eius speciem, & formam diabolus assumpsit, vt quod tartarea malitia, & potestas, quæ summa est ad prosternendum hominem, nequaquam nanciscebatur; per simulacrum mulieris subito comparentis, & Iobum demulcentis, indubitatum trophæum sibi promitteret. Adeo valida est ad decipiendum veræ fœminæ imago, & forma blande loquentis, aut illius similitudo, & larua à dæmone conficta, per quam velut antiquum, & bene sibi notum organum, virum iustum incantabat.

Plus diabolus fidit de fallacia fœmina, quam de tartarea malitia.

5. Generi humano ampla promissa enuntiat Oseas Vates in Christi aduentu cap. 13. v. 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Quorum verborum sensus primarius perspicuus est: etenim IESVS in Cruce moriens, & ad inferiores terræ partes descendens, humanum genus morti damnatum, de æterna morte eripuit, & in semper duraturam vitam, & verè beatam inuexit. Altiori tamen intelligentia Sanctus Hieronymus locum expendit iuxta LXX. seniorum translationem: *De manu inferni liberabo eos.* Et arguté satis tartarum, & infernum nuncupat improbam fœminam, simulque mortem, quam incurrunt pro libito, & in quem recluduntur incauti, & insipientes. Sic enim scribit: *Ipse inquit infernus inter fratres diuidit. Quidquid igitur separat fratres, infernus est appellãdus: & maximè mulier meretrix.* Et statim assignato discrimine mortis, & inferni, subiungit: *Hoc diximus vt ostẽderemus id mortem facere, quod meretricem mulierem. Mors enim diuidit fratres, hoc & mulier facit.* Sapienter Oseas, & Doctor Maximus mulierem improbam, aut pellicem æquiparant morti, & inferno, quia cruenta bella infert paci, & consensui animorum; ipsa enim charitatem dirimit; & morte ipsa amarior, & truculentior est. Mors enim animum à corpore dissoluit: at mulier mortalitatis origo, & humanarum mortium capitale compendium. Minus est quod homo nesciret interitum, nec destinatus æternis deliciis ad terrena deflecteret, nec experiretur tartareos cruciatus, nisi fœmina transgressionem principiaret; quot acies fortissimorum prostratæ, quot imperatores interempti, quot valentissimi viri cadentes gladio, miseram animam euomentes fœmineç voluptatis, & venustatis illecebra? Ipsa mortem

D. Hieró. Lect. Lxx.

Tartarus & infernus improba fœmina nuncupatur

Quidquid separat fratres & diuidit, infernus est. Id quod mors facit, mulier meretrix perficit.

originariam inuexit, & violentam adauxit, ipsa sepulchrorum conditiua cadauerum congerie cumulauit: quantos mulieris species suppliciis nullo tempore terminandis addixit? Nec dulce vinculum dirimit tantummodo corporum, & animorum; sed animas segregat à Christo, & adiudicat mortis auctori. Pulchrè Sanctus Fulgentius lib. 1. mytholog. ait de proba, & improba vxore: *Sicut nihil benigna superius coniuge, ita nihil infesta crudelius muliere. Quanto enim sapiens pro viri sui salute suam opponit animam pignori, tanto maligna ad mariti mortem, etiam suam reputat nihili. Ergo coniux quantum iure coniunctior, tantum est aut morum dulcedine mellea, aut felle malitia toxica. Est quippe aut perpetuale refugium, aut perenne tormentum.* Hæc ille. Nec dissimilis est Sanctus Maximus Taurinensis Ecclesiæ Episcopus, de ancilla ostiaria homilia 5. *Diximus fratres quod ad similitudinem Eua, Petrum ostiaria mulier quoque deceperit: & sicut Adam fœmina circumscripserit, ita & Apostolum fœmina circumuenerit. Vsitatus enim ad decipiendum sexus est: fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus recognouit, quia fideles viros, non nisi per mulierem oppugnare consueuit. Ibi Adam per Euam superat, hic Petrum vincit per ostiariam.* Et homilia 2. eiusdem argumenti, circa finem prædixerat: *Magis præualeret ostiaria ad perfidiam, quàm Apostolus ad cautelam. Non bona ostiaria, quæ Petrum ideo in domum sacerdotis includit, vt à fide Saluatoris excludat. Male Adam induxit Eua: male Petrum introduxit ancilla. Illa exclusit à Paradiso, hæc exclusit è Christo. Illa persuasione sua virum decepit: hæc interrogatione sua Apostolum circumscripsit. Illa ad præuaricandum Adam impulit: Hæc Petrum compulit ad negandum. Et idem sexus in vtraque ostiaria officium gerens, aut excludit à vita, aut includit ad mortem.* Quid pulchrius? Apostolorum apex, & firmissima fidei columna nutat, & corruit ad alloquium vilissimæ mulierculæ, labefactata est Petri constantia, & emollita alloquentis fœminæ malitia. Orsus est diabolus repulsam hominis de paradiso, nec cessat per muliebres blãditias a paradiso religioso excludere; ipsa fœminea voluptas, mulieris dicacitas, & improbitas perfidiã hominum animis inuexit; per vas fœmineum diabolus Ecclesiæ conquassauit caput, & celebratissimã Petri professionẽ fidei diremit. Et Dominum Iesum, quem seruatorem, & filium Dei viui corã Apostolorũ cœtu intrepide attestatur, ad interrogatiunculam ostiariæ in prætorio denegat, & iure iurando detestatur. Sic prouidus, & cautus licèt Petrus esset, & saxeus robore, firmitate, ad anathematizandum inducitur fœminæ malitia. *Idem sexus aut excludit à vita, aut includit ad mortem.* Non mirum ergo si mulierem nuncupat Oseas mortem; quæ primum Ecclesiæ caput in paradiso ab immortalitate ad mortalitatem deiecit, & secundum apud Pilati tribunal nutare fecit vertigine timoris, & fidei solem trina negatione obscurauit, & vergere coëgit ad occasum exterioris perfidiæ. Gratias fœminæ inter omnes benedictæ Deiparæ, quæ mala omnia, & incredulitatem, quam mulier induxerat expunxit, & hominem ad vitam reuocauit. Perbellè Chrysostomus homilia 22. ex variis in Matth. locis scribit, *Quis putabat, mulierem, quæ clausit paradisum, vt nemo in eum intraret, vt ipsa fieret prima porta paradisi, vt lux per illam*

D. Fulg.

Infesta coniuge nihil crudelius.

Vxor aut est perpetuale refugium, aut perenne tormentum.

D. Maxi.

Ad similitudinem Eua ostiaria mulier Petrum circumuenit.

Fraudis suæ vas in ostiaria diabolus recognouit.

Maior ancilla erga Petrũ, quam Eua erga Adamũ malitia, & ... fraus comparatur.

Non cessat diabolus per fœminam hominem à paradiso expellere.

Mulier aut excludit à vita, aut includit ad mortem.

Vna mulier Deipara mala omnia expunxit, quæ fœmineus sexus inuexerat.

D. Chrys.

Maria prima paradisi porta.

Digitized by Google


procederet per quam tenebra intrauerunt. Hæc os aureum.



Et mulieres dominatæ sunt eis.

Discvrsvs. III.

Muliebris illecebra, & fæmineum peccati blandimentum, constantiam & generositatem rationalis naturæ labefactat, & robustiores viros effæminat.

1. 
Mundi exordio infirmatum est, & eneruatum virile robur per fœminā, cuius debilitatis schema in formatione Euæ demonstratū, cùm de latere viri educitur, & effingitur. Genes. cap. 2. ver. 21. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Mirabilis Deus cum hanc mundi machinam de nihilo educit, sed mirabilior cum Euam format, in cuius structura Adamus Dominica præueniens est gratia, totúmque virile figmentum ex corpore & animo coalescens superna diuinorum contemplatione solidatur, firmiorique fulcro charitatis deificæ stabilitur; quia illa creabatur per quam virilis sexus redderetur infirmior. Abstulit Deus lateris costam ad opificium consortis, & pro costa mollem carnem substituit; vt minus osseus, & robustus, emergente de latere fœmina, protoplastus crederetur imminuta est Adami virtus, cùm ei alter sexus adiungitur. Argutè Sanctus Bruno Carthusianorum protoparens apud Tilmanum in allegoriis, inquit: *Subtracta quoque costa, locus eius non osse, sed carne repletur, vt ex eo etiam nos infirmiores, & molliores esse sciamus, quod mulieribus adhæremus.* Vix Adamus accepit huius lucis vsuram, & ad ædificandum simile adiutorium, ossis, & carnis pensum exigitur. Mirificum, pulcherrimum, gratiosúmque figmentum compari suo adstruitur; sed non sine viri impendio, adiumentum ad procreandos viros, & perennandam hominis mortiferam naturam construitur, sed impensa, & tributo virilis ossis, & carnis splendidius, & sumptuosius adornatur. Tantillum firmitatis ereptum, & debilior substituitur portio. Exilis pars adimitur, sed ingens & fortis infirmitas in muliere conflatur; & adstruitur. Iam vir per vxorem emollescit. Et si verum est singulare, & insolitum Oleastri assertum, quod de vtroque latere costam vnam Deus abstulerit, mens in eo proposita dilucidius patet; ait enim Oleaster: *Accepit vnam costam de lateribus eius, & quia non poterat vnam ab vtroque latere accipere, intelligo quod ab vtroque latere alteram accepit, ne etiam homo plures costas in vno, quàm in altero latere haberet: Tum quia experrectus à somno Adam vocat fœminam os ex ossibus suis, quod duo ossa ab eo ad formandam fœminam sint ablata.* Cui placito, cùm à communi Patrum consensu deuiet,

Gen.

Cùm Eua de costa Adami formatur, & caro pro osse subiici ur, vir ex fœmina infirmatur, & emollitur.

D. Bruno. Tilman.

Oleast.

De vtroque latere viri os Deus abstulit ad Euæ formationem, ex Oleastri placito.

adstruentium iuxta Scripturæ Sacræ seriem vnam costam ablatam, non facile assentiar; si tamen præseferret veritatis speciem, propositum theorema comprobat; quia per mulieris formam ex vtroque latere vir infirmatus, & emollitus est. Vtriusque lateris infirmitas extat cùm vxoris gratia vehementius insectatur terrena, & languidius diuina, cùm voluptatum illecebris irretitus hæret animus, & corpus gurgite vitiorum profundo. Verum redeamus ad conceptum priorem, in quo subscribit Brunoni Gillebertus Abbas Cisterciensis in Cantica, relatus à Tilmano. *Denique dum dormit Adam, virilis costa in inferiorem nollescit sexum: & propter socialem copulam de latere viri formata est mulier. Imo in sociam mulierem Adam ipse conuertitur, & conformatione quadam transit in coniugem.* Vt prouideat natis Adamus, & vniuersi orbis emolumento iam vir in fœmineam molliciem migrat, & ex conformatione fœminæ sentit, robustiorem naturam in deteriorem statum infirmioris sexus vergere. Bona tamen infirmitas quæ non à passione animi, nec à crimine procedebat, sed ab honorabili connubio amore prolis, & honestissima pietate, qua ad compingendum illud mirabile opificium contubernalis, & sociæ, dimidium inquam cordis sui, viscera misericordiæ per spōtaneam carnis, & costæ largitionem velut effuderat. Ad mollitiem declinat, sed non inhonoram, sed virilis ornatum naturæ, [illegible]um ex Adami latere tanquam ex arbore pull[illegible] germen delectabile, iucundus ille flos, & fructus speciosa virago. Adhuc tamen quadam permissione mirabili, atque iucunda, caro viri superni artificis manu migrat in fœminam, vt Adamus se sentiat emollitum, & fragilem cum ei variabilis muliebris species, & ingenium adiungitur: *In sociam mulierem Adam ipse conuertitur.*

2. Alia tamen est indecora viri effœminatio promanans ex flagitio, quo eneruata est hominis natura. Auscultanda est illa flebilis nænia, & miserandum Iobi lamentum, quo vir sanctus in exordio sermonis sui, diem suæ natiuitatis execratur cap. 3. ver. 1. & 2. *Posthæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: conceptus est homo.* De sterquilinij toro orsus est alloquium, quo diris deuouet ortum suum, & multat maledictione diem, qua accepit communem aërem. Discriminata est valde oris humani, & Dominici apertio. Iob aperit ad maledictionem, & execrationem, Iesus aperuit os suum ad benedictionem, & gratiam. Iob humanæ naturæ exordium onerat maledictis, Iesus ornat beatitudinis decore, & regni cælestis promissis coronat. Itaque Iesus inueteratum maledictum, beatitudinis largitione super ærumnosos pauperes, & lacrymantes diffusa reuocauit. Maledixit diem, & horam Iob, qua primum animum suum à virtute ad vitium, & transgressionem inflexit, redditque natos obnoxios maledictioni, cùm originariam ad eos labem, condemnationem, & pœnæ reatum hæreditaria successione transfudit. Illud tamen annotandum, postrema isthæc verba: *Conceptus est homo.* LXX. seniores transtulisse in hunc modum: *Et nox, in qua dictum est: ecce masculus.* Sic legūt Sanctus Ambr. lib. 1. de interpellatione Iob, & Græci Patres, in qua translatione mentem Iobi argute expendit, & exprimit Seuerianus

Per mulieris formam ex vtroque latere vir infirmatur.

Gilleb.

In sociam mulierem Adam ipse conuertitur, & conformatione natura transit in coniugem.

Adam per commiserationem ad formandam Euā viscera misericordiæ effudit.

Adam emollitur in fragilis mulieris contubernio.

Indecora viri effœminatio ex flagitio.

Iob.

Iob os aperit ad maledictionem, Iesus, ad benedictionem.

Iob maledixit diei, & horæ qua primus homo peccauit.

Lect. LXX.

Seuerianus in catena Græcorum Patrum scribens: *Detestatur & alia quadam ratione eos, qui marem illum nuncuparunt; quod crederet eiusmodi, Dominum solum fuisse, eique Maris nomen propriè conuenire. Cùm hominum genus vnius Adami contumacia effœminatum sit, vt non amplius potioribus nominibus appellari queat.* Non tam sexus, inquit sapiens Seuerianus, sed scelus, aut virtus, tribuit, vel tollit nomenclationem maris, & viri. Solus IESVS in hac ratione, quem nulla euirantis criminis concupiscentia, aut corruptela effœminauit, viri decorandus insignibus; ipse solus robur masculum tenuit, qui non est emollitus ex Adami flagitio. Reliquum hominum vulgus cum primitiuum innocentis vitæ robur amisit, ex illecebra concupiti ab Adamo pomi, effœminatum est. Ideo vir Sanctus Iob non patitur quod homo, masculus nuncupetur. *Ecce masculus.* Cùm degeneri mollitudine per originariam culpam declinauerit ad muliebrem debilitatem. Nō appellitetur homo glorioso cognomine *masculus*, qui sic infirmatus in naturalibus, sic debilitatus in gratuitis, sic pronus, & procliuis ad carnis oblectamenta, sic eneruatus, & emasculatus est ex primitiuo flagitio: *Cùm hominum genus, vnius Adami contumacia, effœminatum sit.*

Seuerian. Cat. Græc. Detestatur hic eos, qui hominē masculum nuncuparunt. Hominū genus Adami contumacia effœminatū.

3. Cùm enixe deprecaretur à Domino Abraham filiorum progeniem, vt tolleret à domo sua orbitatem natorum, & Saræ sterilitatem; illud adiungit, minus esse felicem œconomo domus suæ, cui Dominus Deus filium donauerat, & parentis decus. Genes. cap. 15. ver. 2. *Ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.* Dúmque Deus Abrahæ solamen infundit promissione cælestium, & terrestrium, & benedictionis semine in Isaac ex emortua Saræ vulua oriundo; genus Damasci examinandum est, quod Eliezer traxit ex matre, cuius nomen recensent LXX. interpretes: *Filius autem Masec vernaculæ meæ, iste Damascus Eliezer,* Quam lectionem sequutus Philo Hebræus Libro, *quis rerum diuinarum heres?* Percontatur cur genus maternum Damasci in eius genealogia refertur, suppressa stirpe patris, contra priscum Sacræ Scripturæ morem? & argute respondet. *Rectè autem in stemmate Damasci non patrem, sed matrem Masec memorat, vt ostendat, quod anima sanguinea, qua bruta viuunt, ad mulierum maternum genus propriè pertinet, expers masculini generis.* Alludit Philo disertissimus ad nomenclaturam Damasci; interpretatur enim *sanguineus*, vel: *sanguinis saccus.* Ille enim, qui effusione cruoris humani, & sacrilegis cædibus inficit animum, & corpus; muliebris affectus denominatione turpatur, illúmque genus virile, & masculum stemma non ornat, sed fœmineum, & muliebre. Nónne masculosos artus, virile robur & animositatem ostentat heros, qui interimit gladio homines robustos? ita prorsus est; sed si valentiam comitatur improbitas, & iniustitia, per nefas, & dolum de medio tollens insontes, non ad genus masculum, iuxta sacræ paginæ seriem, sed ad muliebre & effœminatum obiicitur.

Genes. Filius procuratoris Abraham Damascus Eliezer nuncupatur.

Lect. LXX.

Phil. Iud.

Cur genus maternum Eliezer recensetur?

Qui iuxta carnem, & sanguinem viuit, expers est masculæ nomenclationis. Damascus interpretatur sanguineus vel sanguinis saccus.

4. Sobnæ Præposito templi Hierosolymitani, & sacri ærarij custodi, sacerdotalibus infulis claro, minatur Isaias exilium, & excidium cap. 22. ibique catalogum texit scelerum, quibus iram Domini promeruit: *magno, elatoque erat animo* (ait Sanctus Cyrill. Alexand.) *& superciliosus admodum, ac sæuus in eos, qui offenderant, rapinis exultans, sordido quæstui mancipatus, ostentabundus, & honores semper ab hominibus venans.* Præter hæc, illustre monumentum, & opulentum tabernaculum sibi apparauerat, superba & sumptuosa structura conspicuū, vt sui nominis memoriale perenne in omnem pietatem redundaret. Illius superbiam retundit Isaias, & cristas elationis deprimit his verbis, versu 17. *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus.* Ad demonstrandam illius ignominiam in captiuitate Babyloniorum subeundam, eiusque effœminatum animum, non comparat, ex Hieronymi, Cyrilli, Hugonis Cardinalis, Lyrani placito, cum gallo masculo, qui superbus graditur, ardua ceruice cristis celsa, cælum solus ex volucribus aspiciens crebrò, in sublime caudam falcatam erigens, gallinarum turbæ imperitans, diei exortum annuntians cantu, somnum mortalium rumpens, eósque excitans ad vigilias, ad labores reuocat. Sed cum gallo exciso, & emasculato, qui molliciem, & infirmitatem gallinæ gerens, rauco murmure crocitat, infracta & emollita voce pipilans, instar gallinæ pullos ad se reuocat, & sub alis fouet. Non cum generoso gallo, sed cum capo, & execto, & diu in auiario farto, & impinguato ad opiparum conuiuium, principem templi comparat; quibus omnibus exprimit illius muliebre ingenium, ad quod per improbitates suas fuerat delapsus. Pulchrè Lyranus ait: *Sicut asportatur gallus gallinaceus, id est per castrationem in pusillanimitatem gallinæ reductus* Et ibidem Glossa: *qui non facit opera galli, sed gallinæ: sic malus prælatus non facit opera prælati, scilicet verbo, & exemplo docere; sed magis opus muliebre viuendo deliciosè.* Itaque per vitia, & flagitia princeps templi ad fœmineam blandiciam declinauerat, & quia virile robur per improbitatem exuerat, turpi semiuiri inuritur opprobrio; non enim qui barbam nutrit prolixam, & comit, masculis ornatus insignibus, si ad blandimenta muliebria passionum, animum inflectit, & masculinam virtutem, & sacerdotale munus effœminat, vestium luxu, & turpis intemperantia voluptatis; quæ in senioribus solet esse fœdissima, qui nec albenti erubuere canicie, sed vsque ad senectutis ætatem vitam produxere maculosam. Argutè LXX. seniores Ierosolymitani antistitis euiratum ingenium exprimunt, ad ea verba: *Sicut asportatur gallus gallinaceus,* legentes: *Ecce Dominus Sabaoth eiiciet, & conteret virum.* Si effœminatus est, quomodo virum nuncupant? Nunquid per irrisionem prolatum illud verbi iaculum: *Et conteret virum?* Intende: cum mulierascit per nimiam molliciem, infractósque mores, à viri statu quodammodo dimouetur, & ad fœmineam teneritudinem migrat; sacerdotalis habitus mirabili ornatu conspicuus commorantis in pastophorio, sedētis in primo subsellio, & tabernaculo deprędicat officiū viri, & pastoris, muneris ignauia, crudelitas in suppliciis, & exactionibus paruulorum, sumptuositas in luxuria, mores referebant mulieris; specie induebat personatum sacerdotis,

Sobnæ præposito templi

Hierosolymitan. flagitia. D. Cyr. Al.

Isai.

Gallus gallinaceus nūcupatur.

Principem templi comparat Isaias cum gallo exsecto.

Lyran.

Glossa. Prælatus deliciose viuēs effœminatus, & feminis dicitur.

Lect. LXX.

Si effœminatus est, cur vir nuncupatur?

Habitus ostendit virum, mollities refert fœminam.

dotis, & hominis decus, sed illud deturpabant instituta fœminea. Solo aspectu sacerdos apparebat, sed reuera humanæ naturæ portentum. Quid simile ponderat Chrysostomus in prodigo, de quo dicitur Lucæ cap. 15. ver. 13. *Adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam.* Quis, qualis ve fuerit iste recessus à paterna domo, expendit os aureum in Lucam, homilia de duobus filiis: *quod autem longe, non locorum intercapedinem, sed declinationem mentis expressit.* De virili ad statum fœmineum per meretricum voluptates, & luxus. Rite de iis infert: *Dulces quidem egenti bonorum, quia suane peruersis videtur omne opus carnea voluptatis, quod seductio desiderij, & corruptio vitæ est, quæ virtutem, & fortitudinem animæ, non modo nullam præstat, sed totam penitus eneruat, & premit.* Non tantum à paternis laribus, & moribus, sed à se ipso fuerat sequestratus adolescens, cùm in immensam vitiorum turpitudinúmque omnium voraginem prolapsus est; luto luxuriæ adolescentiæ florem inquinauerat, meretriciis blandimentis innexus, ad pellicum mores degenerauerat, & à virilitatis statu dimotus ad mollissimam fœminarum transmigrauerat naturam, in se ipso exprimens euirati speciem, & fœmineæ molliciei simulacrum turpissimum.

D. Lucas. Prodigi recessus, & declinatio mentis à Deo.
D. Chrys.

Voluptuaria mollities virtutem & fortitudinem animæ eneruat.

5. Aduocatur à Domino Sanctus Ezechiel, vt perpetrata in templo Domini à sacerdotibus populoque flagitia contempletur, & execretur; cumque cerneret omnium scelerum colluuionem in adyta irrupisse, hæc verba Dominus adiungit. Ezech. cap. 8. ver. 13. 14. *Et dixit ad me: adhuc conuersus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt. Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem: Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* De Adonidis planctu, & ritu celebrandi illius festiuitatem hæc habet Hieronymus: *Quia iuxta gentilem fabulam in mense Iunio Amasius Veneris, & pulcherrimus iuuenis occisus, & deinceps reuixisse narratur: Eumdem Iunium mensem eodem appellant nomine: & anniuersariam ei celebrant solemnitatem, in qua plangitur à mulieribus, quasi mortuus: & postea reuiuiscens canitur, atque laudatur.* His adstipulatur glossa Lyræ, adiicitque, nec reprobat aliud Hebræorum commentum in Adonidis exequiis, & celebritate famosum: sequitur cum Sancto Hieronymo Hebraïcam translationem pro *Adonide* legentē *Thammur.* Et sequentia adiungit: *Iste Adonis dicebatur Amasius Veneris, cuius mortem mulieres plangebant, ita quod ritus illius idoli erat in planctu, & fletu mulierum: in Hebræo habetur: plangentes Thamuur, quod significat incensionem, eo quod sicut dicit Rabbi Salomon, idolum illud erat concauum, & fiebat ignis intra, cuius calor sursum ascendens, faciebat liquefieri oculos illius idoli, qui erant plumbei, & sic videbatur plorare: propter quod mulieres in eius cultu flebant.* Hæc Lyranus, penes quem sit huius idololatriei cultus auctoritas. Nec mirū videri debet in Israëliticas fœminas huiusmodi præstigias dæmonis irrepsisse, & inualuisse, cùm alia similia portenta venerari ab parentibus apud Ægyptios diu commorantibus & doctæ sint. Compatiebantur itaque superstitiosæ fœminæ ad idoli illacrymantis intuitum, confictasque lacrymulas per faciem simulacri æstuantis diffusas, vero fletu, & tristi lamentatione comitabantur

Ezech.

Mulieres sedentes, & plangentes Adonidem.

D. Hiero.

Adonis amasius Veneris mense Iunio occisus, & rediuiuus, celebratur.

Glossa.

D. Hiero.
Lect. Heb.

Cur Adonis nuncupetur Thammur? Thammur denotat incensionem. In Idolo Thāmur, incendio ignis oculi plūbri liquefacti in lacrymas, ploratum prætendebant.

Mulieres cōfictas lacrymulas idoli æstuantis, vero fletu comitabantur.

& luxuriæ facibus ardentes in amasiorum suorum turpem amorem à dæmone stimulabantur. Quid vero muliebris planctus innuat, & cur mulieres appellitet immundæ huius festiuitatis antistas, diuinus Vates? Expendit Sanctus Hieronymus: *Nos quoque eos, qui ad sæculi mala & bona, vel contristantur, vel exultant, mulieres appellemus, molli & effaminato animo, dicamusque plangere eos Thammur: ea videlicet, quæ in rebus mundi putantur esse pulcherrima.* Nec discrepat ab hac mente glossa in morali expositione: *per istas mulieres significantur molles, & effeminati luxuria dediti, ideo dicitur quod illæ mulieres sedebant. Per quod significatur otiositas vitæ, quæ nutrit vitium luxuriæ. Vnde poëta: otia si tollas, periere cupidinis arcus.* Colluditque proposito Rupertus lib. 1. in Ezechiel cap. 29. *Quid est mulieres in planctu Adonidis sedere, nisi effeminatas animas in consuetudine peccati computruisse?* Et mox subiungit complacentiam delicti, & in eo procacitatem, & perseuerantiam, in sessione mulierum demonstrari: *Quid erat mulieres sedere, & Adonidem plangere: quia profecto velut mulieres illecebrosis gestibus, & plangentes canunt, & canendo plangunt inquam Adonidem mortuum, & canunt quasi rediuiuum, & amissis merent, & recuperatis voluptatibus gaudent.* Denique purpuratus Hugo de malis Prælatis accipit Ezechielis verba, eáque cum proposito Isaiæ themate connectit. *Mulieres sedebant plangentes Adonidem. In atrio interiori sunt mulieres, idest prælati effæminati, de quibus dicitur Isaiæ tertio: mulieres dominatæ sunt eis. Effeminati dominabuntur eis.* Quot fœmineos affectus cernes in sæculi huius barbatis viris, mulierum & effœminatorum probro indecoris, vel cùm in rebus pessimis exultant, cum volatica voluptatis breuissimæ gaudia venantur, cum propriæ vitæ tam rerum familiarium dispendio, & perpetuæ ignominiæ discrimine volupiam nanciscuntur? cum cœnoso gurgite vitiorum volutatos, & ruentes flagitiorum antesignanus perducit ad tartara; Hos mollicie eneruatos, anhelantes masculorum, aut fœminarum cupidine, quibus vnica felicitas optatis votis deliciarum perfrui, hærentes diu in luxuriæ limo profundo, nec reuulsos laboribus, nec emergentes diuini verbi præconio; ereptam de manibus pene consolantem opportunitatem potiundæ diu optatæ voluptatis, deplorantes; Hos similesque alios merito nuncupabis *Mulieres sedentes plangentes Adonidem,* deliciis eneruatos, libidinis turpitudine emasculatos, non virorum decorandos insignibus, sed multandos mulierum opprobrio.

D. Hieron.

Qui ad sæculi prospera, & aduersa tristātur, aut exultat, mulieres dicuntur plangētes Thammur.

Glossa.

Animi lucturia effœminati, mulieres dicuntur.

Rup.

Mulieres sedentes sunt, qui amissis mærent, & recuperatis voluptatibus, gaudent.

Hugo Card.

Mulieres illæ prælati effœminati.

6. Describit nobis Diuinus Vates Zacharias impietatis, & iniquitatis imaginem floridis verborum pigmentis, & sententiarum præclaris luminibus. cap. 5. ver. 7. *Et ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Et dixit: hæc est impietas.* LXX. legunt: *hæc est iniquitas.* Et versu 9. subiungit: *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes. & spiritus in alis earum, & habebant alas, quasi alas milui.* Forma iniquitatis in mulieris habitu, & specie describitur, quia in Babylonica captiuitate omnis declinatio Israëlitarum ad insectandum idolorum cultum à mulieribus exorsa est, implicatis enim, vetitis à Deo nuptiis peregrinarum fœminarum,

Zachar.

Iniquitas muliebri forma Zachariæ ostenditur.
Lect. LXX.

Digitized by Google

fœminarum, ad voluptates suas explendas toto impetu ruerant, & metas diuinæ legis transilierant, idolis initiati, obsecundantes vxoribus in ritu nefario, ne contra starent delicias suas. Ideo Vates hoc ostenso mulieris in amphora sedentis flagitia Iudæorum in faciem impingit, fœminæ simulacro ostendens quod impiè à Deo declinauerant, amisso veræ fidei & pietatis robore, in fœmineam molliciem migrauerat. Quod pulchre ponderat sanctus Cyrillus Alexandrinus: *Describit autem nobis* (inquit) *iniquitatem visio in habitu muliercula: typus enim voluptatis, atque etiam infirmitatis est mulier: & omnis iniquitas non aliter committitur, nisi voluptate aliqua ad malum inescante, & infirmitate mentis ad hoc consentiente. Nam si mens in se firma, & virilis fuerit, nunquam se ad vitium deflecti patietur. Si autem emollita, & incantata ad voluptatem molestiam sentiet. Pingitur ergo, & congruenter valde, mulieris specie iniquitas.* Simulacrorum latriam in iudaica pectora inuexit fœminea voluptas, vt emollitis sacrilega libidine cordibus, de fidelitatis erga Deum fulcro deturbati animi, amisságue fortitudine religiosæ obseruantiæ, in omne scelus impietatis prolaberentur. Lena est itáque infidelitatis voluptas, apostasiæ prodroma libido, vitiorum antesignana, carnis illecebra, quæ speciosa adulatione mentem demulcet, & incantat, in arce animi vexillum erigit triumphale, & in probrosam valde redigit captiuitatem. Et quia mulier auctrix fuit sceleris, & omnium in ferreo neruo Babylonis patratorum scelerum, muliebrem figuram præfefert iniquitas, vt ostendat à mascula fortitudine Israelitas per vitium esse dimotos, teneritudinis & molliciei habitudinem suscepisse fœmineæ. Vnde in Leuitici cap. 15. in muliere sanguinis profluuio laborante, de qua scribitur: *mulier, quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis* Idololatriæ forma adumbrata est vt annotat. Ierosolymitanus Antistes Isychius scribens: *Cur autem mulieris introduxit personam benè nouimus: Diximus enim, quia pro eo quod cogitationum veritatem, & diuina scientia fortitudinem, hi qui in idololatria inciderunt errorem, prouiderunt animáque suas effœminauerunt, rectè in his, quæ agunt, & docent quæcumque cultui idolorum impenduntur, figuram mulieris insinuasse.* Homo recedens à Deo per apostasiam, qui firmitatem, & robur præstat, infirmatæ, & debili naturæ, & accedens ad vana, & futilia figmenta, quæ nullum amatoribus indulgere tribulationis possunt munimen, infirmior redditur, & imbecillior; & mulierculæ vilis assumit personam, quia virilitatem diabolo prodidit, animarum effæminationem mutuauit, fœmineæ denominationis multatus opprobrio. Cur vero apud Zachariam mulieri; nempe iniquitati, suppetias ferunt mulieres, eleuántque amphoram cui insidet impietas? In promptu est ratio, quia improbitati, & hæresi præstant mulieres suffragium, & apostatarum inuenta, impióſque cogitatus fouent, & nutriunt, & eleuãt, & extollunt. Tolle voluptatis illecebram, & blandimenta fœminea, & omnis impietas labefactata corruet. Nec inexaminatum illud comma: *habebant alas, quasi alias milui.* Miluum, seu Hasidam iuxta Hebræum, nuncupat Hieronymus. *Auem rapacissimam, & semper domesticis auibus insidiantem.* Quia mulieres improbæ semper viuunt ex raptu, habent in votis thesauros animi, & terrenas facultates diripere, absorbere, aduncísque manibus aliena præhensare spolia, iisque propria cumulare habitacula. Demum cum impietas in amphora velut in sella curuli inequitat, & triumphat, & quasi quodam regali subsellio præsidet, fœmineus dominatus præclarè ostenditur, & sceptrũ, quod possidet in improbitatis domo, & voluptatis delubro, vt iuxta suum arbitrium effœminatis viris, & veritatis clientibus iniqua imperia discernat. Iure ergo Isaias clamitat: *& mulieres dominatæ sunt eis.*

Israelita amisso fidei robore in fœmineã mollitiem migrauerant.

D. Cyr. Al.

Voluptatis & infirmitatis Symbolum mulier.

Leuit.

Isych.

Per mulierẽ effœminatus idololatria animus, innuitur.

Cur impietati suppetias ferunt mulieres.

Hæresibus præstant mulieres suffragium.

Milui rapacitas & insidia.

Lect. Heb.

D. Hieron.

Mulieri improba in. ũdũ est ex raptu viuere.

In voluptatis delubro sceptrũ, & imperium obtinet mulier.



Et mulieres dominatæ sunt eis.

DISCVRSVS. IV.

Voluptatis & libidinis difficilior &, maior hominis pugna; rarior, & gloriosior victoria.

1\. Occursant sæpissimè homini in huius vitæ palestra hostes infensi in quorum triumpho humana desudat industria, totos artus virtutis ostentat, & masculum robur, ille tamen aduersarius nocentior, qui non eminus pugnat, sed à domesticis pectoris viribus armaturam instruit, gladium exacuit, vt eius arcem diruat. Aduersarius contubernalis, & intimus, qui cordis explorat arcana, eiusque lenocinatur affectibus, subdole & blande adulatur, vt aduersariis potestatibus prodat animum, vtriúsque substantiæ spiritalis & terrenæ solerter querens exitiũ. In hoc pugile cõprimendo, illiúsque insidiis propalandis, solertis cautionis studium impendendũ est, hæc arena certaminis salebrosior, & operosior est. Etenim indociles concupiscentiæ motus compescere, libidinis igniculos, quos natura ipsa parturit, è vitalibus ipsis erumpentes, quos refouet carnis appetentia, iuuenilis ætas, aut blanda mundi irritamenta inflammant, statim sopire; stimulos corporis ad malum pronos, ad blanditias incitatos infringere Domini timore, aut seuerioris disciplinæ austeritate; hoc graue certamen est, hoc pancratium sublimius, in quo inuictorum agonothetarum virtus emicat, sublimiori plausu, & honoratiori lauro digna Pulchrè sanctus Antiochus homilia. 74. scribit: *Est enim isthæc maligna concupiscentia mire agrestis, ac praferox, nec citra negotium cicuratur, aut mansuefit. Supra modum enim formidabilis est, quandoquidem cunctos prope absumit, ac deuorat.* Est enim voluptas, & concupiscentia Leone robustior, lupo voracior, Dracone callidior, Tigride insolentior. Has belluas industria interceptas, blanditiis, & epulis si demulceas, blandísque sibilis, ad tempus cicuratas dabis, obtemperantes nutibus, adulantes curatoribus, & bubulcis; at libido indocilis, & intractabilis fera lupatum respuit, iugum excutit diuinæ legis, pedicas omnes prouidæ cautionis rumpit, & proterit, & velut leæna, aut panthera rabie percita, & furens, blanditias quærit, & voluptates, vt iis dilaniet, & absorbeat corda mortalium

D. Antio.

Maligna concupiscẽtia tyrannis indocilis & formidabilis.

Digitized by Google

Goliathi per Dauidem deiectio celebratur.

lium. Lanista celebratus omnium ore Dauid cum Goliathum deiecit funda & lapide, & antesignanum hostilis allophylorum manus gladio interemit alieno. Cuius præconia æternitati commendauit Iesus Sirach Ecclesiastici cap. 47. v. 3 *Cum leonibus lusit quasi cum agnis: & in vrsis similiter fecit sicut in agnis ouium in iuuentute sua. Nunquid non occidit Gigantem, & abstulit opprobrium de gente? in tollendo manum, saxo fundæ deiecit exultationem Goliæ.* Recenset huius fortis viri rerum gestarum catalogum Sanctus Ambrosius, & in apologia Dauid. 2. cap. 3. ita subiungit. *Vir quidem magnus, & qui allophylum immanem corpore, armisque bellicis inhorrentem fide vicerit: sed vtinam se ipse vicisset, vtinam sicut illum aduersarium strauit, sic interiorem aduersarium suum sternere, ac superare potuisset. Grauior est pugna eius qui intus, quam illius qui foris dimicat.* Feram illam Goliathi immanem (humanæ naturæ monstrum) squamata & ærea lorica vastaque mole horridum, elatione insolescens, Regi Sauli, & cuncto populo formidandum, cum quo insana temeritas existimata est, aliquem mortalium posse conserere manum, aut descendere ad singulare certamen; clypeo fidei armatus Dauid, lapide instructus, saxeo ictu nullo negotio deiecit, & hostis gladio eius amputauit caput. Qui alienæ carnis portentum detriumphauit, propriæ carnis non deuicit passionem; qui leonem & vrsum strangulans dilacerauit; feram, & immanem libidinis belluam non domuit, qui discusso metu insequebatur leonem, & vrsum fugientem, raptatamque ouiculam ab eorum rapiebat rictubus, ipse insectatus ab appetitus rugiente leone, & concupiscentiæ vrsa captus, ad alienam ouem rapiendam concitatus est, vt lautum epulum præberet appetentiæ corporis, ad alienam vxorem peregrinanti. Fudit in circuitu omnium regum acies hostiles, & præclara de iis trophæa reuexit, sed domestici, & interni aduersarij, corporeæ nimirum passionis non retulit trophæum. In valle Raphaim Enacim monstra trucidauit, & terram Gigantum detraxit in ruinam. in carnalis concupiscentiæ giganthomachia prostratus est. In omni aduersantium prælio laureatus, & coronatus celeberrimus pugil, in libidinis pugna, & fœminei amoris certamine, nec brauium pudicitiæ coniugalis tenuit, nec illibatæ castitatis, & innocentiæ palmam obtinuit; sed abiecto clypeo, interno, hosti dans manus inhonorus, & pudibundus de temperantiæ palestra egressus, factusque finitimarum gentium, & maledictum & ludibrium. Veruntamen si lapsus est vt homo, surrexit vt iustus, continuis lacrymarum fluentis lauit flagitium, & exomologesis operandæ supremis, infimis clarissimum exemplum præbuit.

Eccles.

D. Ambro

Dauid immanem Allophylum superauit, sed seipsum non vicit.

Grauior pugna hostis interimi, dimicantis.

Dauid, in omni aduersantium prælio laureatus, in libidinis pugna superatur.

2. Rursus nos vocat architectatio Euæ ex latere Adami, vt ædificemus, & instruamus, animi virtutes sacramento cælesti, quod operabatur plastes Deus in fœminæ opificio. De quo sacer textus illud enuntiat Genes. cap. 2. v. 21. *Tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.* Et contemplationem, quam, feriatus sensibus Adamus migrans animo in cælestia atria, ruminauerat, euigilans eructauit ibi v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Quod Apostolus Paulus ad Ecclesiam refert, & ad indiuiduum, & indiuisum coniugatorum amorem. Ex hac tamen formatione viraginis ex costa, & carne protoplasti, & carnis vnitate exoritur ille consensus mirabilis, & symmetria inter marem & fœminam, & mutua amoris conuersio, & innata propensio, & cohærentia sexuum. De qua Sanctus Basilius sic fatur in constit. monast. c. 1. *neque vehementior vlla, violentior ve hominum corporibus insita reperiri libido potest, quam maris cum fœmina, & fœminæ vicissim cum mari coniunctionis appetitus.* Hinc ortum habet intestinum illud bellum, discriminosum, continua carnis, & spiritus contentio, & rixa, præsertim in iis, qui se adscripserunt in continentium cathalogo, & castrantium se propter regnum cælorum sacra disciplina. Examinat Sanctus Bruno cur non de aliena materia, aut eodem terræ luto corpus Euæ compactum, sed de Adami carne. Et conceptum suum exprimit apud Tilmanum in allegoriis cap. 2. Genes. dicens: *Vt maior inter hominem, & mulierem dilectio foret, non aliunde, sed de viri costa facta est. Vnde fit vt naturali quodam amore viri insectantes costam suam, mulieri adhærere cupiant, quasi carni suæ. Cuius amoris appetitum, qui diuinitus in se adinuenit, vincere queunt, quasi propriam naturam dimicando vicerunt, & merito cæteris hominibus præferuntur.* Innatus homini libidinis appetitus ad emolumentum naturæ, & speciei propaginem, vt quæ fuerat morte multata, ad quandam immortalitatis speciem per generationum successionem reduceretur. Hanc tamen semper luxuriantem appetentiam, ex visceribus humanis pullulantem, & renascentem, demetunt iusti velut falce inuiolabilis continentiæ proposito, & quod impertitum est à natura ad ipsius oblectamentum, conuertunt in virtutis exercitamentum; graue, arduum, & molestum certamen confligere nullis deditis induciis cum hoste, qui ab ipso propugnatore arma, & victoriæ suffragia requirit, vbi vt legitime pugnet, sibi repugnat, vt vincat educit spiritus gladium, se ipsum iugulat, & mactat trucidatis affectibus passionum. Hoc tamen ponderosum prælium carni, & sanguini adeò violentum, alleuiat cælestis gratia, quæ in hac carnis, & spiritus palæstra decertantibus, & in agone luctantibus vbertim infunditur, & stimulos libidinis compressæ vertit in coronaminis flores, laborem, mœrorem, & timorem prolapsionis, in firmiorem habitum pudicitiæ, & in paradisi delicias, quibus affluit anima post conflictum & triumphum. Rite supra homines æstimati, qui à carnalibus illecebris expediti, & sequestrati, se inferunt cælitum choris puritatis æmulatione, *merito cæteri hominibus præferuntur.*

Genes.

D. Basi.

Vehementior passio libido, & carnis appetentia.

D. Bruno.

Cur non de luto, sed de carne Adami Eua formata?

Vt maior esset amoris conciliatio.

Viri sectantur costam suam, & mulieri adhærere cupiunt.

Qui propriam naturam dimicando vincunt, cæteris hominibus præferuntur.

3. Inter alia Herculis certamina illud valde præclarum celebratur cum gigāte Lybico conflictus, cui nomen Antæus palæstritæ artis doctissimus; hic cum in lucta ex terræ matris attactu robustior insurgeret, è terra in altum sublatus ab Hercule, cessantibus eius suffragiis, occiditur. Totam hanc luctam ad morum normam compactam proponit S Fulgentius lib. 2. mythologiæ, & quid Hercules & Antæus præseferant, his verbis exprimit: *Anthæus in modum libidinis ponitur. Ideo & de terra natus, quia sola libido de carne concipitur. Denique tacta terra validior exurgebat. Libido enim quanto carni consenserit, tanto surgit iniquior. Denique à virtute gloriæ quasi ab Hercule superatur; nam denegato sibi terræ tactu moritur, altiusque eleuatus materna non potuit mutuari suffragia, quo euidentem suæ*

Herculis cum Antæo pugna.

D. Fulgen.

Antæus de terra natus, & terra contactu validior exurgens, libidinem exprimit.

rei

Antæo denegato terræ tactu, vt menteman potens eleuatur, monitari suffragia, moritur. Mens à virtute in altum sublata, & carnalibus denegatis aspectibus, vincit.

Concupiscentia, & vitiorum pugna difficilior.

rei fabulam demonstrasset. Omnem enim mentem dum virtus in altum sustulerit, & carnalibus eam etiam denegauerit aspectibus; victrix statim exurgit, ideo etiam diu in certamine dicitur desudasse, quia rara est pugna quæ cum concupiscentia, vitiisque congreditur, sicut Plato in moralibus ait: sapientes viri maiorem cum vitiis, quam cum inimicis pugnam gerunt. In hoc schemate proposito, Hercules mentem innuit cum carne pugnantem, nam sicut Anthæus concupiscentiam carnis, & libidinem exprimit, sic Hercules athletam pudicitiæ in stadio strenue dimicantem; nec aliter hoc monstrum de terra ortum, de carne progenitum, quod de ipso corpore irritamenta vitiorum & suppetitias perrequirit, mascula virtus trucidabit, nisi mentem, & vota sua in altum extollat, & carnem à blandimentis inhonestis, & noxiis deliciis sequestret, nec carnis appetitum palpet, sed cupidinis consortium respuat, noxialibus oblectamentis denegato conspectu, & attactu. Quid est Antæum ex terræ contactu resumere in lucta animum, & vires, in maioremque assurgere audaciam aduersus Herculem? Nisi quod libido consensu fit robustior, & insolentior, omni bellua furenti immanior, & ferocior.

Libido consensu fit robustior, & insolentior.

Illudque non immerito Fulgentius subiecit: *Diu in certamine dicitur desudasse, quia rara est pugna* (imo rara victoria) *quæ cum concupiscentia vitiisque congreditur.* Dabo tibi sacrum Herculem Sansonem (ex quo forsan Herculis prophani exorta prodigia à poetis decantata) in omni cercertamine fortissimum & victum, in omni palæstra victorem & coronatum; in concupiscentiæ lucta eneruatum, mollem, infelicem. De quo pulcherrime Sanctus Ambrosius scribit in apologia Dauid. 2. cap. 3. *Sanson validus, & fortis leonem suffocauit; sed amorem suum suffocare non potuit. Vincula soluit hostium, sed suarum non soluit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas: & vnius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit.* Ignem alienigenarum messibus inuexit, sed pectori suo amoris incendium intulit, tanto periculosius, quanto ille aristas & paleas; hicce vero pectoris segetes depascebatur. Fores, & postes domus custodiæ humeris sustulit à fundamentis reuulsas; sed vtinam portas animi sensusque corporis vigili custodia clausisset, ne intraret mors per fenestras suas. Soluit allophylorum nexus, recentesque funes, & lora validissima; sed amoris vnius scorti vilissimi implicatus est funiculis. Et qui sacri verticis exuuiis, & cincinnulis terrificus, & inuictus apparebat hostibus; detonsus à pellice, & exutus diuinæ virtutis spolio, crinicul is lasciuiæ implicatus, risus, & sibilum factus est philisthæis. Illud annectit Sanctus Paulinus epistola 4. *vtinam tam prudens ad cauendam mulierem, quàm fortis ad strangulandum leonem; sed carnali victus illecebra, qui gratia spiritali vicerat, cum præualuisset forti, ab infirmitate superatus est.* Rugientem leonem discerpsit, hostes omnes feliciter vicit, sed in vnum aduersarium truculentiorem offendit, fœmineam voluptatem in ipsa infirmitate fortiorem; vtinam hic heros veri Herculis schema in se ipso ostenderet, & à terrena cupiditatis labe, & carnis illecebra se ipsum subduceret, & ad cælestia atria dirigeret oculorum lumina & puritatis fontem spiritum Sanctum, qui virtute ex alto demissa induerat Samsonem, vt qui in sæcularibus præliis reddiderat animosum, & insuperabilem; in sacratiori, & difficiliori castimoniæ conflictu seruaret incontaminatum & victorem; nec enim solitarios deserit pro virtute decertantes diuinum Pneuma, sed paratum est iuuare præliatores, & opportunum eis suffragium impendit. Quod non obscure indicat Philostratus iunior lib. 2. iconum, cum in oculorum theatrum constituit formam, & speciem Herculis cum Antæo luctantis, vbi cælestium numinum senatum introducit prospectantium ex nube, & montis vertice agonizantem & desudantem Herculem, plaudentium, coronantium eius inuiolabile robur. Philostrati verba sunt: *montis verticem ne temere suspicias: sed Deos inde certamen spectare arbitreris: aurea enim picta est nubes, sub qua (puto) habitant. Et Mercurius hic ad Herculem propterea coronaturus accedit, quod sibi in palæstra respondeat.* Nonne quid simile contingit, non adumbratum, aut confictum ambitiosi schematis obscuris lineis; sed expressum viuidis coloribus in carnis pugna, cum pugilem Dei tota cælestium potestatum turba prospectat, ne insolentiori hosti det manus, aut turpibus cogitationibus succumbat? Sanctus Ephræm Syrus huic instituto accommodatissimam paræmiam proponit in sermone ascetico in illud: *attende tibi ipsi*. càpite 3. *de pugna carnis*, his verbis fatus cum virtutis pugile: *expecta modo, & ne laxeris cogitationibus, neque defatigeris sentinam exhauriendo, in propinquo quippe est portus vitæ: nam te adhuc loquente dicet: ecce adsum. Cæterum aspicere tuum certamen expectat, an reuera ad mortem vsque, aduersus peccatum sis decertaturus. Ne ergo defeceris animam, non enim te relinquit. Etenim tuum certamen cernit: & sanctorum Angelorum chorus, & dæmonum turba assistentes videbuntur. Angeli coronas vincenti præbent: dæmones victo dedecus afferunt, infamiam præferunt.* Hæc Sanctus Ephræm. Licet operosum, sit & ponderosum hoc prælium, non tamen intolerandum, quod tam valida subsidia, & mercedis decora expectat de supernis.

D. Ambro. Samson leonem & hostes domuit, ab amore domitus.

Qui messes incendit alienas vnius muliercula igniculis exarsit.

D. Paulin. Samson ad strangulandum leonem fortis, ad cauendam mulierem improuidens, ab infirmitate superatus est.

Numinum senatus Herculem cum Antæo luctantem prospectabat, vt ipsum coronaret. Philost.

D. Ephr.

Decertantibus in carnis luctu adest Deus, eosque prospectat.

Angeli coronas vincentibus præparant, dæmones victis deferunt opprobrium.

4. Tegmen armorum, quo satellites Salamonis, qui lectulum eius ambiunt, proteguntur valde mirabile est. Accinguntur rhomphæis ex vtraque parte acutis, limitatis, & splendidis, vt arceant hostes, & quietis locus prophanis sit inaccessus. Cantic. cap. 3. v. 8. *omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Percontabitur quispiam qui penitiori perscrutatione diuinæ sapientiæ complacet: cur spatha lateri adhærescat, & velut percutiendo fœmori immineat? obuiamque concinne ibis percunctationi dicens quod sacri præliatores, qui militiæ cælestis stipendia demerentur, aduersus vitia omnia passionesque animi continuo decertant; tamen aduersus carnis insultus, voluptatis impetus, & improbos motus comprimendos, qui denotantur in femore, eximiam cautionem, maiores vires exerunt, totumque animi robur parant. Argute Vatablus hæc verba commentatus legit: *omnes habentes gladium apprehensum. gladius verbum Dei, nam perpetua lucta est Christianis cum carne, & Satana.* Conceptum ornat Philo Carpatius Episcopus: *gladius* (inquit) *legem significat, & Dei verbum: quo per temperantia, & prudentia officia, carnis opera, & terrena cupiditates omnes præciduntur.* Est statim. *Hi sunt qui diligenti*

Cant.

Cur ambientes milites Salomonis lectulum, ensibus accinguntur super fœmur?

Spiritales decertatores petulca carnis, motus comprimere satagunt, continuè. Vatab.

Phi. Carpa.

Digitized by Google

Carnis concupiscentias vincunt, & mactant gladio spiritus.

diligenti obseruatione mandatorum se se ab impietatis operibus abducunt, carnemque suam cum vitiis omnibus, & concupiscentiis vincunt, ac mactant: ob idque ensem super femur suum tenere dicuntur: Nam femur carnis illecebras, & voluptates, vt dictum est significat, ne cupiditatibus victi serui Dei pracipites ruant. Sacri pugiles in omni certamine, & pugna exercitatissimi cum vniuersa passionum acie congrediuntur; iam concitatas, & gliscentes iracundiæ flammas sopiunt, vindictæ furorem reprimunt, splendidioris, aut lautioris cibi auiditatem compescunt; fortunas omnes, & affluentem diuitiarum copiam respuunt, & in vilitatis suæ profundo abiecti facile disturbant splendentem ambitum honoris: at vero aduersus carnis blanditias, & voluptatis illecebras vehementiori cura, & solicitudine animus euigilat, nec de manibus elabi sinunt gladium, aut exuunt munimen armorum, sed super custodiam suam, atriumque animi diu noctuque consistentes, parati sunt irruentes blandientis, & adulationibus inescantis hostis intimi impetus constanter retundere; dum enim vsura lucis fruimur, semisopito hoste, iterum eius pugna recrudescit, & ex necessariis ad vitam suffragiis copias auxiliares comparat ad ruinam benefactoris, beneficiis inuisus, & ingratus, nouaque missilia, & exitiosa congerit, quæ aut labefactent pectoris robur, aut virtutum flores exurant. Ideo iusti comparati ad prælium, accincti gladio fortitudinis, & prudentis cautionis anteuertunt semper aduersantis, & rixantis aduersarij irruptiones, & ictus, ne hostis natura infirmior, ex incuria nostra, & contemptu reddatur robustior, fiat insolentior. Cur vero sapientissimus Ecclesiastes salomon illud subiungat: *propter timores nocturnos?* auet mens scire; dispelletque ignorantiæ caliginem si animaduertat Hugonis Cardinalis argutias his verbis: *propter timores nocturnos, idest, propter tentationes occultas, & latentia pericula. Vel timores nocturnos vocat dæmones, & satellites eius, qui in nocte huius mundi, quem possunt necare conantur. Item timores nocturnos dicit tentationes carnis, quæ in nocte maxime impugnant: & noctem in nobis faciunt, quia mentis pacem perturbant, & serenitatem offuscant.* Etenim satan impiique satellites tenebriones, & tenebrarum potestates auersantur lumen, caliginem amant, noctisque tristes vmbras expectant, caliginosi fures, vt gazas animi deprædentur, & insidiarum intercapedine irretiant incautos animos; ideo phantasmata quędam apparentis voluptatis, & simulacra adulantis pulchritudinis fingunt, & delineant in animis correptis somno, vt eos viscosis vmbris, & occursaculis deliniant, & expiscentur, vt cum à sopore excitantur, eos anteuertant his insomniorum phantasmatibus, & turpibus spectris præoccupent, nec spiritum, & anhelitum ad Deum recolligere sinant, sed hac fallaci spiritus, & carnis supplantatione Christianos milites prosternant. Sed frustra iaciuntur hæc retia ante oculos diligentium Deum, etenim amoris diuini affulgente radio in animi penetralibus, phantastica, & vmbratilis caligo dissipatur; omnesque illas obnoxiæ, & sordidæ cupiditatis laruas, quæ membra carnis excitant ad rebellium aduersus animum imperantem, tanquam prædonum turmas noctu insidiantes, & irruentes, amor Iesu facile disturbat; ignita, & veneno infecta hostium iacula, hac impermeabili parma mirabili sospitate, & animositate retundit: Gratissima sunt Sancti Gregorij Nysseni & ad propositum theorema confirmandum aptissima, quæ perleguntur in Cantic. homilia sexta, sacrorum præliatorum armaturam aperientis: *Prudentia carnis Deo est inimica: propterea est consequens vt diuinus amor fiat ex iis, quæ sunt contraria corporali cupiditati. Quo fit vt si huius dux fuerit dissolutio, remissio, mollisque & eneruata diffusio, illic vehemens, & quæ perturbari non potest animi magnitudo, sit materia diuini amoris. Cum enim ira fortis, ac virilis insidiantes voluptatis turmas perterruerit, & in fugam verterit, tunc extitit pura animi pulchritudo, nullo motu maculata corporalis cupiditatis.* Quibus congruunt Ricardi Victorini sententiæ, quibus instruit decertantes in castimoniæ palæstra. *Super femur delectationum siue voluptatum carnalium, habeat gladium amoris propter timores nocturnos, idest propter occultos peccandi lapsus: amor enim notitiam generat, & peccata abscindit, vt eum offendere caueas, quem amas.* Denique cùm Sanctus Antonius apud Sanctum Athanasium, in eius vita turrem armorum construit, vt eis instruat monachos præliari bella Domini, admonet pertimescere Satanam omnia genera spiritualium munimentorum: *& præcipuè purum cor erga Christi amorem.* Hæc enim potentissima ratio est vincendi aduersarium, animæ Dominum semper cogitantis, & amantis iugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellit. Et si interdiu, aut expergiscenti à somno pectori cogitationes sordidas conetur inserere, aut sensum humanum naturali carnis ardore titillet, aut per noctes luridus, & lubricus anguis in pulchræ & comptæ mulieris vertatur ornatum, redintegrans prælia, multiplicans, & simulans terrores, & quasi theatrali mutatione formarum, quasi rudem infantiam scenica nititur simulatione deludere, extraneæ fallaciæ argumenta conquirens; hoc vnico amoris diuini telo sauciatus hostis, prostratur mœrens, & tabescens ad pedes seruorum Dei. Non ergo adeò pertimescenda, sed contemnenda hostilis, & violenta congressio, cum Christi pugil diuini amoris opitulationem validissimam secum defert.


Quinam sint timores nocturni apud Salomonis satellites.
Hugo. Card.
Tentationes occulta, dæmones.
Tentationes carnales timores nocturni, quia in nocte impugnant, & tenebras animæ offundunt.
Spectris carnalis illecebræ præoccupare satagit nos diabolus, cum a somno euigilamus.
Amor Iesu facile distur-
bat vana voluptatis simulacra.
D. Greg. Nys.
Amor Iesu insidiātes voluptatis manus perterrefacit, & fugat.
Ric. Vict.
Amoris diuini gladius præcauet à lapsu.
Amor curat non offendere, quem amat.
D. Athan.
D. Anton.
Purum, cor erga Christi amorem maximè pertimescit diabolus.



Et mulieres dominatæ sunt eis.

DISCVRSVS V.

Eximia iustorum, & prudentium circumspectio, & prouidentissima cautio est, in congressu, confabulatione, & aspectu fæminarum.

1. SANCTI Dei viri in Domini famulatu, & palestra virtutis exercitatissimi agnoscentes libidinis tyrannidem, & carnis infirmitatem, mirum est quàm vigili cura se sequestrauerint à contubernio fœminarum; & in earum congressu, & afflatu quantam adhibuerint cautionem. Id nos edocebit clarissimum

Solertissima Iosephi cautela in confabulatione heræ impudicæ, & impudentis.

rissimum pudicitiæ exemplar Ioseph, qui ante procacis, & impudicæ Ægyptiæ violentum incursum, omnes suos obuallauerat sensus timoris Domini aggeribus, & sanctarum meditationum præsidio; postquam vero expudorata manifestis indiciis proruit in nefarium opus, & tanquam serpens venenum pectoris ore expuens blandi sermonis sibilo solicitabat ad stuprum; solertiorem prouidentiam adhibuit, vt euitaret furentis mulieris blanditias, & auerteret Domini offensam. Audiendus est sacer textus Genes. cap. 39. v. 10. *Huiuscemodi verbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* Lectio Hebraica textum Vulgati amplificat, & magnum continet leporem, sic enim habet apud Tigurinam, Sanctispagninum, & Oleastrum: *ipse tamen eam non audit, nec dormire vult cum ea, imò nec cum ea esse*, & argute expendit postremam huius versionis particulam Oleaster in annotatione iuxta litteram dicens: *Duo dicit textus, quod scilicet Ioseph noluit cum ea accumbere: & quod noluit cum ea esse. Vitabat enim quantum poterat, esse in loco, in quo illa erat: vt illi auferret peccandi occasionem.* Vt animaduertit Ioseph heram suam libidinis furore percitam, & impudici amoris œstro concitatam; cauebat vigili custodia ne copiam, aut locum daret præcipiti mulieris amentiæ, aut maioris ei esset occasio ruinæ. Ipsa operis nefarij votis sæpissime frustrata, blande eum hortabatur, vt ei assideret prope, & confabularetur secum, vt dum compos non fieret concupitæ voluptatis; adolescentis, quem misera deperibat, perfrueretur alloquio, satiaretur conspectu. Ipse vero non solum recusauit concubitum, sed sub eiusdem tecti mansitare contubernio: *imò nec cum ea esse*. Ne verba amatricis mollia, crebra suspiria, erumpentes per speciosum, & fucatum vultum lacrymulæ emollirent casti iuuenis pectus, labefactarent constantiam. Refugiebat prudenter furore satanico, & vehementi cupidine inardescens fœmininæ incendium; ne illius vestimenti ad luxuriam compositi, & odoribus medicati laciniam obiter tangeret, ne lethale amoris virus sensim ad cor suum serperet, aut busto turpitudinis appropians noxiis flammis corriperetur, & deflagraret; sciebat enim à Deo instructus quantum inesset periculi in huiuscemodi congressu, & confabulatione. Pulchrè Sanctus Antiochus homilia. 17. fatur: *Quemadmodum splendorem lucernæ alit oleum, sic & colloquium mulieris ignem reaccendit voluptatis. Vtique scintilla diutius si immoretur adhærescens paleis, erumpit in flammam: Sic memoria cuiuspiam muliercula, si vel tantillum duret, incendium excitat concupiscentiæ.* Et confirmat altera homœosi: *Sicut item lapides illi in monte Æoam plagam respiciente è venulis suis attritu, aut contiguitate excitantur ignem: ita mas, & fœmina si ab inuicem semotius disparentur, neutiquam exardescet ignis. Sin mari fœmina se propius admouerit, ignes conflagrabit, atque vniuersa depascet incendio.* Libido omni scintilla, & flamma velocior corpus occupat, animum corripit, nec silex ferri percussu ictus venis suis abstrusum ignem adeò velociter excutit, aut prosilientes scintillas euomit, sicut animus mulieribus se insinuans familiari colloquio mutua amatoriaque confabulatione; per quam ignis concupiscentiæ exardescit, & velut caminus ignis omnes fructus operum perdit; ex hoc fluuius igneus, & rapidus in pectus eructat, qui animum, & corpus inuoluit, & omnia hominis decora exurit. Quare cauebat sibi posthæc Ioseph à procacibus verbis adulteræ, nutibus impudicis, à subrisionibus turpibus, ab oculorum, & palpebrarum lepidè, & pulchrè renidentium illecebris, quæ solent iuuenes abripere, & faciunt eorum auolare corda. Huiuscemodi cautelam Iosephi celebrat Sanctus Ephræm oratione de laudibus ipsius scribens: *cæterum Ioseph timore Dei vndique munitus ne simplici quidem aspectu intuebatur in illam.* Vt cor suum illibatum custodiret, & expeditum à criminis contagio mentis affectum, refugit fœminæ conspectum, ne per imaginem obiectæ pulchritudinis ad arcem animæ libidinis incentiua transirent. Etenim alienæ formæ species adhærescens oculis similitudinem in corde sculpit interpretem cupiditatis, cupidinis adulatorium lenocinium, vitiorum irritamentum: Inuenit enim Ioseph compendiariam viam detriumphandæ voluptatis, oculorum custodiam, & clausuram, ne irretiretur pedicis formositatis alienæ, quando fœmina ex prospectu perierat suæ. Etenim prudentiæ munus est ex alieno damno, & periculo ad sobrietatem, & pudicitiam sapere.

Genes.

Lect. Hæb. Tigur. Sanctispa. Oleast.

Solus esse cum sola, omni cura refugit.

Oleast.

Prope eam assidere, vitabat.

D. Antio.

Fœminei alloquij blandimentum vero virus nocentissimum.

Mulieris memoria excitat in pectore concupiscentiæ incendium.

Lapides attritu, ignem excutiunt.

Fœmineum ignem non sentiet, qui ab ea semotius disparatur.

D. Ephr.

Oculos suos Ioseph à fœmina aspectu inhibet.

2 Misero & funesto cataclysmo totus orbis obruitur, in quo percontari licet quale fuerit in tam vehementi animaduersione criminis exordium? Et attente perscrutanti illud occurrit, homines curæ ac cautionis in comprimendis sensibus oblitos, effrenes irruisse in omne nefas, & oculos Domini prouocasse, vt aquarum inundatione mergeret, & subrueret genus humanum. Illud aperte indicat Genesis cap. 6. à v. 1. *Cumque cepissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Hinc exorsa orbis ruina, & vniuersæ prauitatis fons, ex oculorum incuria; nam viri præclari ex Setho originem trahentes, & ab Enos oriundi, qui propter ingenitæ virtutis exercitationem, & in Deum pietatem, cognomento filiorum Dei erant insigniti, filias assumpserunt ex Caini genere prognatas, à pietatis semita deuiantes, quorum specie, & eleganti forma allecti, & inescati, famæ, & gloriæ suæ intulerunt maculam ignominiæ, & in omne flagitium carnalis corruptionis, & turpitudinis barathrum ruentes, promeruerunt eodem capite à Deo decretam diluuij aquarum sententiam. Aduerte cælestis oraculi sapientiam cùm improbitatum filiorum Dei catalogum texit eum orditur ab oculorum intemperantia. *Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ.* Pulchrè id annotat horum lemmatum perscrutator assiduus Chrysostomus homilia 22. in Genesim, cuius verba sunt: *Magnam illorum intemperantiam insinuat, quod à pulchritudine victi sunt, & frenum imponere inordinatæ concupiscentiæ suæ non valuerunt: sed spectando capti, submersique sunt, & ob impium hoc opus indignos se fecere, quorum superne Deus curam ageret.* Et statim. *Igitur & hi visæ pulchritudinis spectaculo capti sunt.* Nec solum ex oculorum, & sensuum intemperie turpitudo emersit, sed etiam impietas emanauit teste Vatablo, cuius scholium est: *non tantum hic taxatur libido, sed etiam impietas, & religio*

Pœnalis diluuij exordium extitit hominum incuria, in comprimendis sensibus.

Genes.

D. Chrys.

Ex oculorum licentia, & intemperie filij Dei à pulchritudine deuicti.

Visa forma spectaculo irretiti, & capti.

Vatab.

Digitized by Google

Pulchritudinem corporis, animi formosis ne præferebant.

A patria religione defectio, ex prospectu speciei fœminæ initiatur.

eorum qui defecerant à moribus patrum, qui præponebant pulchritudinem corporis pulchritudini animi. Viderunt filij Dei filias hominum, idest filias Cain, & posteritatis eius, mulieres à religione abhorrentes. Iam ab exordio temporis multi propter mulieres perierunt, & genus electum filiorum Dei, gentem sanctam, & populum acquisitionis, fœminæ non solum degenerare coegerunt à patriis moribus, sed ad apostasiam impulerunt. Tantum malum adauxit intuitus pulchritudinis immodestus, inuerecundus, nec cohibitus freno timoris, & prudentis cautionis, quo inhiberetur oculus, decus prospectare fœmineum; ex his luminibus incautis adeo vehemens concupiscentiæ caminus accensus est, quod non nisi aquarum diluuio extingueretur. Sors felicior eis obtingeret si corporeo visu orbarentur, quam si mentis cæcitate præcipites prolaberentur in omnium turpitudinum voraginem, & famoso supplicio punirentur. Melius sibi consulendum putarunt clari principes à fide & pietate extorres, humanæ naturæ imbecillitatem agnoscentes, maiori quadam cura, & sublimiori prouidentia vsi in continentia oculorum, rabidum concupiscentiæ affectum superantes. Quæ ab exteris præstita sunt exempla continentiæ proponit Sanctus Isidorus Pelusiota in hoc laudabili continendorum sensuum proposito insistens lib. 2. epist. 62. ad Paulum presbyterum scribens: *Lectione igitur didici, Regem quemdam cum Ephesiam Sacerdotem, cuius incredibilis quædam ac singularis pulchritudo erat, conspexisset, statim ex Ephesina vrbe digressum esse, illud videlicet metuentem, ne præter voluntatem, nefarij aliquid admittere cogeretur.*

Sensuum, visusque continentia in ethnicis mira.

D. Isid. Pel.

Rex quidam Ephesiam sacerdotissam mira pulchritudinis intuitus, statim ex vrbe, sibi metuens, discessit.

3 *Atque item Persarum Regem Cyrum, Pantheam, quæ admiranda quadam, & incomparabili forma elegantia esse ferebatur, ne videre quidem sustinuisse.* Eadem testimonia fortan ex Pelusiota mutuata, in medium producit sanctus Antiochus homilia. 10. eaque amplificata reddit. *Audiuis enim de Rege quopiam à fide alieno. Is Ephesi cum vidisset sacrificulam quamdam decore admirabili præcellentem, ex Epheso eam confestim emisit, veritus ne quis illam, violenta impressione subigeret, & indecori in illam quidpiam admitteretur. Cyrus proinde Persarum Rex Tympanistriam (cui omnium testimonio admirabilis, & supra quàm credi posset, tribuebatur elegantia corporis) ne videre quidem sustinuit.* Hæc eadem recenset Xenophon in pædia Cyri, & Plutarchus. Sapienter præcauebant huiusmodi Imperatores, ne immorantes in contuenda eximia venustate puellarum, ad stupri flagitium violentia amoris raperentur, sibi accersentes incontinentiæ dedecus, adderent militibus ansam erroris, & ad similes improbitates perpetrandas viam sternerent. Quam præclarum, & peropportunum Regibus consilium auertere oculos ab eximio adolescentularum decore, & ab earum conspectu fuga se subducere; ne libidinis appetentia, quæ in magnatibus solet esse robustior, ex maioris potestatis, cuius, omnia substernuntur, suffragio; velut inuitos raptaret animos, & qui innumeras deuicerant acies bellatorum, à puellarum specie detriumpharentur. Ex quo facinore valde proficuum admonitorium elicit sanctus Antiochus, hæc præcedentibus verbis annectens: *Quod si talia suo asseuerant testimonio à fide exotici, & à salutari vnctione alieni, quid nos non conueniat præ illis tanto efficere, qui Christi ex professo discipuli sumus? Necesse igitur sit, temperemus modo non à collocutione modò, sed & ab aspectu, qui quidem via est recta deducens ad operationem flagitij. Esto ad opus vsque non progrediatur, aliquo vsque tamen defœdat cogitationem, ac mœchum efficit talem captiuum. Quis quæso eo vsque temeritatis prouectus est, qui cum in alienam pulchritudinem continenter & pressius defigat oculos, dicere ausit, nulla hinc se ex parte lædi? Hoc perquam difficile sit. Maxime quidem omnium vitandi sunt mulierum congressus assidui. Quod si necesse fuerit, oculi quoque dispalantes ac vagi, velut iniecto freno coercendi sunt.* Hæc sanctus Antiochus. Similiaque scribit sanctus Isidorus Pelusiota epistola superius prællegata.

Rex Cyrus Pantheam incomparabili forma elegãtia præditam, nec videre sustinuit.

D. Antio.

Xenoph.

Plutar.

Barbarorum exempla continentiæ, Christiana fidei professores coarguunt.

D. Antio.

Temperandum nobis, non solum à collocutione, sed ab aspectu fœminæ.

Qui in aliena pulchritudine oculos figit, mirum si non lædatur.

Mulierum congressus assiduè vitandi.

Vagantes oculi freno coercendi.

D. Isid. Pel.

4. Prædicta omnia discrimina in relaxatione sensuum, & prospectu impudico alienæ formæ animaduertit sapiens Prouerb. cap. 6. à v. 25. *Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius.* Et v. 27. *numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius.* Varietas versionum huius loci, quasi præsidiaris copiis, animum ad cautelam, & timorem sanctum muniunt. LXX. legunt: *non te vincat formæ concupiscentia: neque capiaris tuis oculis, neque abripiaris ab eius palpebris.* Sanctus Hieronymus in cap. 27. Ezechiel: *Non te decipiat pulchritudinis desiderium.* Græci Patres in catena vertunt: *fili caue pulchritudinis amor te vincat: tum ne tui te oculi capiant.* Scholium Georgij in eâdem catena huiusmodi est: *Fili ne attendas ad mulierem nuptam: neque intendas rursum illius cultui, aut eiusdem quoque vultui, ne in sui amorem te pelliciat.* Vnde quoque sapientissimus Salomon à fragili, & infirma hominis natura ad malum procliui, omnem flagitij copiam & ansam abscindit gladio verbi, apponens oculis proficuum tegmen, & satellitium cautionis, compingens seras firmissimas periculosiori animæ portæ, ne petulca, subdola concupiscentia pectus occupet, & gazas animæ deprædetur. Si versiones prædictas in concordiam coire facias, animaduertes, ex curioso venustæ formæ aspectu quanta excitentur discrimina, quot acies hostiles insurgant, & quantus instruatur aduersus animam apparatus armorum fortium ad hominis prospectantis excidium. Ipse sibi ex defixis, & immissis in fœmineã speciem luminibus exitiosa missilia parat, & ex repercussu formosi vultus in suum caput refundit; iam sibi aliena forma ouationem adstruit, si immoraris in ea contuenda, detriumpharis, & deuictus proclamaris, decipulas, & insidias ad captiuitatem tuam nectit, retia, compedes, & nexus seruitutis abiectæ. Ipsi oculi retia prætendunt, vt animus adstringatur, & addictus sit flagitio. Ideo prouide admonet Salomon tuam exoptans sanis consiliis præoccupare mentem: *Fili caue pulchritudinis amor te vincat, ne tui te oculi capiant.* Oculi enim exitiales sunt prædones, qui thesauros incautæ animæ hostibus produnt, & arcem mentis turpi deditione contradunt. Vt vnusquisque postea à malo resipiscens, & illacrymans dicat: oculus meus deprædatus est animam meam. Illud in præsenti auctoritate

Prouerb.

Forma aliena pulchritudo illecebrosa & deceptoria.

Lect. LXX.

Vnusquisque proprijs oculis capitur.

D. Hieron.

Cat. Græ.

Georgi.

Ex prospectu formæ formæ, quot pericula ingruant.

Digitized by Google

Non tam damnatur inopinatus intuitus, sed curiosus, & morosus.

D. Chrysost.

auctoritate librat mentis trutina, eloquentiæ parens Chrysostomus, non damnari subitum, & inopinatum intuitum, sed curiosum, & morosum conspectum, cumque Vulgati verba sic legat: *Ne cognoscas pulchritudinem alienam.* Argutè subiungit homilia 3. de verbis Isaiæ: *Non dixit ne videas, id enim nonnunquam fit vltro, sed ne cognoscas inquit, illud tollens ne studio animaduertamus, ne curiose intueare, ne vitiose contemplationi immoreris, quæ ab animo corrupto, & concupiscentia proficiscitur.* In eamdem incidit mentem Chrysostomi discipulus sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 278. ad Nilum scribens: *Non idem est, optime vir, repente videre, ac sauciari, & consulto ac de industria pulchritudines alienas aucupantem, in eamdem fraudem labi. Nam qui repente conspexit, ac vulnus accepit, is prudenti ratione potest & telum extrahere, & vulneri mederi.* Eidémque

D Isid.Pel.

vlceri præsentissimam, ac præstantissimam medelam apponit idem Isidorus vt medicus medicans salutem. *Præstantissimum porro huic morbo remedium in ieiunio situm est, atque in eo, quod posthac eam, quæ vulnus ipsi inflixit, minime prospiciat, aut etiam, si necessitas hoc feret, oculis habenas iniiciat, eosque in terram, (ex qua flos ille manauit, & in quam, haud multo post marcore affectus dilabetur) conuertat.* Etenim nitor vultus, & elegantia formæ cum fugitiuo tempore dilabitur, & infirmitate languescit, aut velut vmbra fugit, & pulcherrimus flos, qui in sæculo vernabat, falce mortis abscissus perit, & cadit orbatus omni venustatis decore. Satius tamen erit, & cordatius viris probis ab omni pulchra specie sic inhibere prospectum, vt fœminarum non agnoscat, aut discernat vultus, iuxta translationem Chrysostomi: *Ne cognoscas pulchritudinem.* Qui enim peruigili circumspectione se ipsum munit, & præcauet intuitum, ab habitu fœminę, & vmbra fugit, ne subita & inopinata inspectio visum emaculet, aut venustis simulacris sensum excitet ad luxum. Hæc tamen visus angelica puritas apud quem virum comperies, nisi apud illum, qui ad Seraphicum amorem, & decus euectus est, nimirum Sanctum Franciscum, de quo in legenda cap. 5. recenset Sanctus Bonauentura verba sequentia: *Mulielierum familiaritates, colloquia, & aspectus, quæ multis sunt occasio ruinæ, solicitius euitari iubebat, asserens per huiusmodi debilem frangi, & fortem sæpe spiritum infirmari. Harum contagionem euadere conuersantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam difficile dixit, quàm iuxta scriptum* (recenset præallegatum locum cap. 6. Prouerb.) *in igne ambulare, & non comburere plantas. Siquidem ipse adeò auerterat oculos suos, ne huiusmodi vanitatem viderent, quod sicut aliquando socio dixit, quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem.* Hæc eximium Ecclesiæ lumen, & purpuratorum Patrum columen Bonauentura.

Qui repente prospicit, & vulnus accipit, facile medelã suscipit.

D. Isid.Pel.

In fœminarũ alloquiis oculi in terram demittendi.

Pulchritudinis flos marcore affectus in terram dilabitur.

S. Franciscus aspectus fœminarum solicitius vitare docet.

D. Bonau.

Fœminam aspicere, & non lædi adeo difficile, sicut in igne ambulare, & nõ exuri.

Franciscus Seraphicus nullam fœminam de facie cognoscebat.

Prou.

5. Sententiam præcedentis capitis Prouerbiorum secundam reuocare ad calculum expedit; *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo vt vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Legunt LXX. *Alligabit ignem in sinu.* Aquila, Symmachus, & Theodotio: *Numquid subagitabit ignem:* Iuxta mores sapienter adaptat verba Hugo Cardinalis: *Ignem in sinu abscondit, qui mulieri libenter loquitur: super prunas ambulat, qui affectus suos in speciem mulieris figit. Ad has prunas multi se calefaciunt, cum Petro Christum negantes Matthæi 26 has prunas accendit diabolus suggestionibus prauis. Iob 41. halitus eius prunas ardere facit.* Ritè vocitabis pectus delinitum alloquiorum muliebrium blandimentis, emollitum repetitis, & assiduis aspectibus vultus decori, libidinis & voluptatis prunarium, plenum carbonibus ignitis à concupiscentiæ flamma, quos fœmineus afflatus fouet, oculorum lumina adaugent, satanici suggestionum halitus inflammant, reddúntque scintillantes, & crepitantes in miserandi incendij, & busti formam. His flammis non inardescere animum, his ignitis flatibus non euaporari corpus, prodigij instar habendum est. Denique iuxta translationes alias: *Ille alligat ignem in sinu, & subagitando confouet,* qui secum portat pignus amoris, pretiosum nempe amasiæ, spolium, prospectatæ, aut concupitæ pulchritudinis depictum simulacrum, vt iugis recordatio flammas cupidinis excitet, illigatúmque teneat ferreo nexu, resti longa animum diligentis. Quis non inardescat his flammis, hoc amoris philtro non reddatur lymphatus. Iaculum hoc ignitum quod per aures, aut oculos penetrans vitalia transfixit, sauciat animum. Quare Chrysostomus hunc locum illustrat eleganti homæosi de verbis Isaiæ homilia 5. *Ex hoc enim inquit amor velut ignis excitatur. Vt enim ignis vbi fœnum aliquid, aut culmum arripuerit, nihil moratur, sed simul vt attigit materiam, lucidam accendit flammam: itidem & ignis concupiscentiæ, quæ est in nobis, simul atque per oculorum intuitum, elegantem ac venustam attigerit formam protinus exurit animum.* Et confirmat altero simili. *Quemadmodum cerua confixa iaculo in vitali corporis parte, etiam si venatorum effugiat manus, nihil inde fert lucri: sic & anima accepto concupiscentiæ iaculo, & lasciuo curiosoque aspectu, etiam si cum iaculo permittatur abire, tamen ipsa per se corrumpitur, ac perit, vbique videns hostem, & insequentem habens.* Hæc vlcera sanat exomologesis diligenter operata, hæc putrida, & indurata vulnera lenit, & mollit pœnitentiæ oleum, & vinum, sicque facile superna manus cor sagittans ad amorem diuinum, extrahit iaculum prophanæ dilectionis hi ignei globi, & volitantes flammæ gehennalis pyræ prodomæ, & æmulæ, lacrymarum riuis extinguntur; vt oculos, quos concupiscentiæ ardores infuscarunt, & emacularunt, lacrymæ abstergant, & emundent. Super has aquas volitans Spiritus Sancti columba, easque fouens cor nouum & limpidum creat. His aquarum riuulis, & sacris fluentis Dauid, & Magdalena expiarunt carnis delicta, restinxerunt noxij ignis incendia, illius oculi deducebant exitus aquarum, vt iis lippitudinem concupiscentiæ, quam contraxerant, abstergerent; illa cœpit flere, sed non finiuit fletum, lego suspirij exordium, quo euaporarentur inflammationes carnis internæ, & initium planctus, & piæ lamentatationis, scaturiginem lacrymarum cerno,

Lect. Lxx. Aqui. Sym. Theodo.

Hugo Card.

Ignem in sinu abscondit, qui mulieri libẽter loquitur, super prunas ambulat, qui affectus suos in speciem mulieris figit.

Qui amasiæ spolium secũ defert, aut illius simulacrum, noxiũ ignem confouet.

D. Chrys.

Homo ex curioso prospectu, infixum concupiscẽtiæ iaculum secũ portat.

Diuinus amor amorẽ noxium expellit.

Lacryma, cõcupiscentiæ flammas extinguunt.

Magdalena lacrymarum riuulis ignis æterni flãmas sopiuit.

Digitized by Google

terminum & finem non video, vt perenni lacrymarum irriguo sopiret æterni ignis flammas, quas contraxerant impudice prospectantes oculi, & vehementer ab amatoribus concupiti. Orsa est supplicium vnde habuit originem flagitiũ.

6. Ideo sancti viri perpendentes tacite, & profundius rimantes huius ærumnosæ vitæ discrimina, non tantum inter viua corpora, sed etiam inter cadauera maris, & fœminæ refugiunt, & auertunt contactum. Quis non demiretur in Iob inuictum animi robur inter domus stragem, & ruinam, quæ facta est, dæmonis appulsu, ex ferali conuiuio natorum tumulus; cùm cernit in mortuorum congesta mole dilacerata, & distracta corporum membra, puluere, lapidibus, & lignis cooperta, & consepulta, solerter discernit quæ maris, quæ fœminæ sint cadauera, eáque segregat, & separato loco constituit, ne se mutuo contingat. Contemplatio hæc est Sancti Chrysostomi homilia 1. de Iob aientis: *Sedit itaque verus fortisque adamas Beatus Iob, discernens liberorum suorum membra, cauensque ne forte in masculinis membris fœminea coniungat.* Omne inhonestum, & indecens, quod aspernabatur in viuis corporibus, in mortuis quoque prouide respuebat; quo pacto dissimularet in cadaueribus vtriusque sexus contactum, qui serio sibi inhibuerat fœminarum conspectum? Hæc, & similis cautio Deo, & cælicolis grata, confirmata est stupendo prodigio, quod accidit in translatione sacrorum pignorum Sancti Benedicti, & Sanctæ Scholasticæ eius sororis; compertis etenim sanctorum cadauerum loculis, cùm omnes ambigerent quæ ossa Benedicti, quæ verò Scholasticæ forent, nec ea inter assignari posset certa discretio, Religiosus cœtus in eam mentem, & consilium incidit, quod refert Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus in catalogo sanctorum lib. 6. cap. 81. his verbis: *Corpus defuncti viri super ossa, quæ putabantur esse Scholasticæ; corpus autem defunctæ fœminæ super ossa, quæ putabantur esse Benedicti, posuerunt, & neutrum eorum vitam recepit. Cum autem è conuerso corpus viri super ossa maris; corpusque fœminæ super ossa mulieris collocassent, & orationem præmisissent, vterque mortuorum continuo viuus surrexit.* Quanta pudicitia resplendet in corporibus Sanctorum, etiam vita defunctis? Quantus virginitatis splendor emicat in mortis vmbra, & caliginosa regione tumulatis? Manifesto indicio demonstrant ossa illa sacra disparilis sexus, & corporis attactum iis esse prorsus inuisum, cùm vir fœminæ, fœmina viro consepultis denegant vitam, prorogant mortem. Timor castus, & cautio circumspecta in aridis ossibus, & cineribus vigilat ad depellendam omnem labis, & criminis vmbram; & de conditiuo velut de subsellio admonet, operatorium esse mortis, viri & fœminæ consortium; cùm adiunctos in corruptione relinquunt, segregatos reuocant ad vitam. Quantum auersarentur animata illa corpora omnis corruptelæ, & alienæ carnis contagium, quæ sic exanima insoliti cadaueris contubernium refugiebant.

Pudicus Iob in cadaueribus filiorum, ruina distractis, viri & fœminæ contactũ vitat.

D. Chrys.

Sancta Scholastica in suo cadauere contactum hominis mortui respuit.

Petr. de Natal.

7. Denique præmuniendus est virtutis athleta iis decretis, & disciplinis ad mores animi, & motus corporis componendos aptissimis, & vberrimis, quæ prodit Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 284. *Palladio Episcopo.* Quæ eximiis documentis, & institutis prouidæ cautionis refertissima sunt. Epistolam totam ad verbum transfero, & suis numeris & articulis disertissimis distinctam lectoribus exhibeo.

Prudentis cautela decreta ex S. Isidoro Pelusiota monstrata.

D. Isid. Pel.

8. 1. *Mulierum congressum, vir optime quantum fieri potest fuge. Nam eos, qui sacerdotum munere funguntur, sanctiores, ac puriores illis esse oportet, qui ad montem se contulerunt. Siquidem illi, & sui & plebis, hi autem sui dumtaxat curam gerunt. Atque illi in huiusmodi dignitatis fastigio collocati sunt, omnesque vitam eorum perscrutantur, & explorant: Hi autem in spelunca sedent, aut sua vulnera curantes, aut vitia obtegentes, aut etiam coronas sibi ipsis texentes.*

Sacerdoti quantum fieri possit, congressus fœminæ fugiendus.

9. 2. *Quod si etiam, vt cum ipsis congrediaris necessitas aliqua te obstringat, oculos humi deiectos habe, atque ipsas quoque quonam pacto spectandum sit, doce, (non enim dumtaxat docendum est, quonammodo cernere oporteat, sed etiam vt oportet, cernere.) Cumque pauca quæ ipsarum animos adstringere, atque illustrare queãt, locutus fueris, statim auola: ne forte diuturna consuetudo vires tuas emolliat, & infringat atque velut horrendum quendam, & elatum leonem vacca, comam quidem, quæ leonem vere leonem efficit, regiamque dignitatem ipsi conseruat, amputet: dentes autem eripiat, atque vngues, quorum adminiculo robustissimas etiam feras vincit, euellat; ac deinde deformatum ac ridiculum redditum (animal inquam illud horrendum & intolerandum, ac vel solo rugitu montem percellens) pueris etiam illudendum præbeat.*

Cum fœminis confabulandum, oculis humi deiectis.

Sermo cum fœminis de rebus sit diuinis & breuis.

10. 3. *Quod si à mulieribus honore affici cupis, maximè quidem hoc spiritualem virum haudquaquam decet. Vt vt autem se res habeat, nihil tibi cum fœminis commercij sit, ac tum ab illis honorem consequeris. Tum enim hoc præsertim nobis aderit, cum à nobis minimè quæretur. Solet enim quivis eos quidem à quibus colitur, ac delinitur, aspernari: eos autem à quibus assentatione minimè demulcetur, admiratione prosequi. Ac mulicbris natura huic potissimum affectui obnoxia est. Intolerandum enim se præbet, cum quis ipsi blanditur: at contra eos omnium maxime suspicit, & admiratur, qui maiori libertate præditi sunt, amplioreque auctoritate apud eas vtuntur.*

Sequestratio virum à congressu fœminarũ, maiori honore & veneratione fœminæ prosequuntur.

11. 4. *Quid si te frequenter cum ipsis versari, nec vllo inde detrimento affici dixeris, id quidem fortasse mihi persuaderi sinam: at illud item velim omnibus fidem adhiberi, à quibus lapides extenuari, ac rupem aquæ guttis continenter cadentibus excauari dicunt. Quorum verborum huiusmodi sensus est: quid rupe durius fingi queat? Quid item aqua mollius? Et quidem aqua guttula, & tamen assiduitas naturam vincit. Quod si natura, quæ ægre dimoueri potest, dimouetur, idque quod minimè debebat, perpetitur, quã tandem arte, ac ratione voluntas, quæ facilè mouetur à consuetudine, non vincatur, & euertatur.* Hæc Pelusij decus Isidorus.

Frequenter cum fœminis versari, & nullo detrimento affici, incredibile videtur.

Aquarum stillicidiis rupes cauantur, & duritia pectoris consuetudine fœminea emolliuntur.

D. Basil.

12. Ipsissima habet Sanctus Basilius Magnus in constitut. Monasticis c. 4. & hunc postremum numerũ Isidori vrget: *Quod si quis dicat ex assiduo se cum mulieribus colloquio, congressuque, & cõnictu non admodũ lædi; hic sine dubio aut maris naturæ particeps non est, & portentum est quoddam insolentissimum, & præter omnium opinionẽ admirabile,*

Qui mulierũ alloquio, & congressu dicit se non cadi, aut masculi naturã excedit, aut portentum quoddã est.

admirabile, & in vtriusque sexus(vt ita dicam) confinio positum. Postea subiungit hæc monita dare non propter sexus, aut mulieris odium: *Apage, sed propter infirmitatem naturæ fragilis, & periculum.* Eadem quoque sapienter inculcat Sanctus Antiochus homilia 20. de castitate & homilia 17. *Quod abstinendum sit à familiari colloquio mulierum.* Et homilia 18. *Quod minimè conueniat crebro assidere cantatriculis.* Vbi inter alia scribit: *Nihil non audent impudenter imperiosæ.* Vt in iis ipsis veridicus demonstretur Isaiæ sermo: *Et mulieres dominatæ sunt eis.* Felix qui hoc tyrannicū imperiū fugit, & auersatur.

Prædicta monita data nō propter odiū fœminarum, sed propter naturæ fragilitatem, & periculum. D. Vido. *Fœminæ impudenter imperiosæ.*



Et mulieres dominatæ sunt eis.

D I S C V R S V S VI.

Mortales insidiæ, graues ærumnæ quas mulierum dolus, & ingenium machinantur, sanctitatis apices, & Ecclesiæ primores diuexarunt.

1. VIx inuenies viros sanctitate conspicuos, qui minas aut decipulas mulierum euaserint, quæ eos in discrimina vitæ, animi corporisque impellere nituntur, sublimiorem emaculare gloriam, nota turpitudinis, aut dedecoris aspergere; quarum artes, & dolos expertus Salomon, quæ eum ad errorem, & impietatem, impulerint, quid de iis sentiat exprimit Ecclesiastæ cap. 7. ver. 17. *Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est.* Cùm lustrasset vniuersa animo, & omnium impietatum, & errorum scaturiginem attentius explorasset in mulierem offendit horum omnium causam. Pulchrè Hieronymus inquit de Salomone: *Illud in sua se quæsisse sapientia quod in rebus humanis malum vniuersa antecedat mala, & quæ res impietatis, stultitiæ, erroris, vecordiæ teneat principatum. Et dicit se omnium malorum caput mulierem reperisse.* Postea verò vt grano salis condiat Salomonis vniuersale decretum, nec mulieres sanctas, & pudicas exacerbet, statim subiungit: *Non putemus temere hanc Salomonem de omni genere mulierum protulisse sententiam, quod expertus est loquitur.* Cur verò improbæ mulieris acerbitatem, & acorem morte amariorem esse pronuntiet, promptissimam causam assignat Glossa Lyræ: *Quia separat animam à suo creatore. Mors autem à solo corpore. Prima autem separatio amarior est, quia separat à bono infinito.* Eamdem rationem adstruit, & illustrat Hugo Cardinalis. *Et inueni amariorem morte corporali mulierem, quia cum mors tantùm separet animam à corpore: mulier separat Deum ab anima. Et ita aufert ab anima dulcedinem vitæ spiritualis, quæ in infinitum maior dulcedine corporali, quæ per mortem aufertur. Præterea amaritudo mortis momentanea est: amaritudo mulieris æterna, & ideo maior.* Credendum est fideli sapientissimi Regis testimonio, qui immersus vitiorum profluuio, omnibúsque cupediis voluptatum, & mulierum deliciis perfructus, postquam emersit de limosa, & viscosa criminum voragine, ad contemplandas animi corporisque ærumnas leuauit caput, afflatus aura spiritus cælesti, superni luminis correptus flamine, ad cordatam vanitatis contemplationem excitatus est; iudicium protulit de Regio subsellio adulatione vacuum, & veridicam sententiam ad carnalis illecebræ contemptum protulit: amariorem morte mulierem comperit, quia priuat superna Deitatis dulcedine, & absinthiam, & plusquam felleam amaritudinem inserit animæ. Mors namque sæpissimè temperatur, quia meta, & finis est malorum, & ærumnarum huius sæculi; mitificatur ex bonis operibus, quæ lætitia inenarrabili omnia cordis penetralia complent; dulcescit spe mercedis æternæ, & repulsa agonis acerbitate, immutat mortem in pacatissimum somnum, & placidissimam quietem mulier ad exitium parat subsidia, pro volatica voluptatis dulcedine accersit cruciatum nunquam moriturum, ab incommutabili bono disgregat animum, & malorum omnium colluuie, & voragine immergit.

Ecclef. Salomō amariorem morte, & omnium malorum caput, mulierem reperit. D. Hieron.

Glossa. *Mulier morte infœlicior, quia separat animam a suo creatore.* Hugo Card. *Aufert ab anima dulcedinem spiritualis vitæ. Amaritudo mortis momentanea amaritudo mulieris.*

2. Apposite Salomon præcedentibus annectit hæc v. 29. *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Exacerbatus flagitiis Rex sapiens, hominis naturam insimulat, in quo rara sit virtus, sed fœminas ad malum procliuiores, & earum peregrinam pudicitiam decernit. Nec telo obiurgationis, & ictu ferit cœtum omnium fœminarum, in quibus sæpesæpius emicat virtutis exercitatio; sed eas quibus cum fœdus amicitiæ iniit, cum eas nactus sit aduersas pietati, animæ insidiatrices, fidei gazas deprædantes, voluptatis, & blandimenti decipulis, cogentes ad simulacrorum cultum. Tenuit Salomonis mentem Hieronymus inquiens: *Cùm vix paucos de viris bonos inuenerim, ita vt de mille vnum potuerim inuenire: mulierem bonam omnino inuenire non potui. Omnes me enim ad luxuriam, & non ad virtutem deduxerunt.* Cernebat Rex sapiens se ad fastigium honoris, & felicitatis euectum, pacatis prælis & subactis hostibus, velut amentem, & infatuatum per blandicias muliebris amoris, cum iumentis stolidissimis comparatum, & omnium hominum insipientissimum factum portentosis alienigenarum pellicum figmentis, tanquam veris numinibus cultum & venerationem exhibuisse, & genu flexo coram eis exhalasse thuribulorum suffitum; fœminasque ad tam immane flagitium, & opprobrium tyrannico fastu, & blandiloquio velut raptatum impulisse. Quid mirum si genus fœmineum carpat, & insimulet acribus verborum aculeis, cuius decipulis validioribus, idolorum fabricæ, & cultui cesserit velut obstrictus, & diaboli laqueis fuerit implicatus. Sapienter Sanctus Augustinus lib. 14. de ciuitate Dei cap. 11. de Salomone scribit. *Nec Salomonem credibile est, errore putasse idolis esse seruiendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum.* Et eleganter idem repetit libro 11. de Genesi ad litteram cap. 42. *Salomon vir tantæ sapientiæ, numquid nam credendum est, quod in simulacrorum cultu crediderit esse aliquid vtilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat, atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret.* Cernis quantas tetenderit insidias, quot clades instruxerit, quot mortes intulerit pacifico Regi

Salomonis tristis aduersus mulieres quod bonam vnam non inuenerit.

D. Hieron. *Omnes pellicebant ad luxuriam sapientem regem.*

D. Aug. *Non errore Salomon, sed blanditiis fœminis seruiebat idolis.* D. Aug. *Salomon sculptilibus immolat ne suas, quibus deperibat, delicias contristaret.*

Regi turpis amoris improbitas, & lenocinium blandientis, & fœmineæ voluptatis? Cor Salomonicum abundans diuina quadam sapientia à fide diremit, à spe deturbauit, à Charitate Dei seiunxit, tot mortes, & sacrilegia operata est impudica, & impudens mulierum impietas; quot lucos, & fana erexerat, dominantibus voluntati,& voluptati suæ fœminis, quas habebat cupidinis administras? Sciebat futilia, & vana figmenta nihil emolumenti inferre posse mortalibus adoratoribus. In iis tantummodo nomen, nihil diuinitatis inesse substantiæ, & adhuc fœminis obsecundat, adorat falsa numina, in genua procumbit, & suffire thura non deuitat, & adhuc reluctante interius mente, contempto vero Deo, eius fidem & amicitiam respuit, ne contristaret delicias suas, aut repudiandæ senescentis ætatis, speciosis iuuenculis periculum inferret.

Vt adiudicet morti Iosephi salax Ægyptia, & adultera, callide concinnat verba mendacij.

3. Ex Salomone gradum faciamus ad Ioseph, & ad excitatam ei ab Ægyptia muliere tragœdiam. Cum aggreditur flagitium, & Iosepho elabenti, & fugaci de vnguibus suis pallium eripit; repudiata, & contempta, omni tigride truculentior, proterua lingua texit dolos, concinnat verba mendacij, exitium, carcerem, nexus, compedes, mortem inhonoram pudico & innocenti iuueni machinatur: ad coarguendum, infamandum, & adiudicandum neci, salax Ægyptia, & adultera callide verba composuit. Turbato vultu, confictisque lacrymis perfuso, & roseo colore in pallorem mutato, affatur marito; Genesis capite 39 ver. 17. *Ingressus est ad me seruus Hebræus, quem adduxisti, vt illuderet mihi: cumque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras. His auditis Dominus, & nimium credulus verbis coniugis, iratus est valde: tradiditque Ioseph in carcerem, vbi vincti Regis custodiebantur, & erat ibi clausus.* Clamabat Ægyptia sed iustus reticebat; pallium tamen suum, & innocentiæ ornamentum ostentatum, & erectum manibus impudicis, quauis tuba vocem & clangorem productiorem edebat, ad iusti adolescentis præconium & immunitatem. Non enim erat vim inferre conantis ostentum, sed violentiam intentatam, & irritam sustinentis iudicium; si aggressus est, ô expudorata Circe, iugalis tui violare torum, quomodo diploidem Iosephi violenter sustulisti? anaboladio serui in manibus tuis relicto fugientis compertum est argumentum, stuprum, & seruitutem criminis recusantis; redde viro ornamentum pudoris, quo tu exuta despicetis; interdum pudicus iuuenis secum tacitus, & attonitus perpēdebat petulantis fœminę ingenium nefariū, quòd à se intentatum nefas mulier serpentino astu in alienum caput renuentis, refunderet; diurna sagacitate, & molestia ad crimen cogere festinans, à dæmone corrupta solicitatæ laruam assumeret; comperit enim Ioseph fœminam non solum impudentem, impudicam, sed proteruam, & mendacem, quæ excusatione sua, & incusatione aliena famam innocentis læderet, & crimina criminibus satisfactione iniqua, & simulatione funesta cumularet. Et vt cernas quantas tragœdias excitarit, & in quot discrimina inuoluerit iuuenis pudorati animum, ne existimes Iosephum frigidioris, aut emortuæ fuisse naturæ, vt pote quem species aliena non mouerit, aut sensum non titillarit fœmineus & blandiloquus affatus. Pulchrè Chrysostomus lib. 2. de prouidentia tomo 5. annotat tentamenti periculum his verbis: *Si igitur beato illi adolescenti eiusmodi ignis nihil molestus fuit; quid est quod illius castitatem ita admiramur? quod si eo tempore, quo vehementius eiusmodi flamma succenditur (agebat quippe iam ferme vigesimum ætatis annum) & cùm nullis amoris aliis fomentis incendij, intolerabilis per se est ista vis, tunc maximè impudica mulier castissimo adolescenti insidiata est, tantum huic flammæ virium ex suis illecebris, & ornamentis adiiciens, quantum illi erat per naturam: quis iam tum illius fluctus, tumultus, & anxietatem enarrare sufficiat, cùm intrinsecus quidem & natura illum, & ætas perturbarent, arsque & decor Ægyptiæ extrinsecus pellicerent.* Vndique tempestates in pectus Iosephi ingruunt, intus à flore ætatis, & blandimento naturæ; foris à fœminæ insidiis, quibus omnibus gratia Dei, quæ Ioseph adstitit, expeditus est. Nec prætereunda silentio argutia Ruperti tribulationem iusti huius pensitantis, in Genesim lib. 8. cap. 33. *Tantarum virtutum virum mente inuictum, corpore mulieres captauerunt, &c. Itaque liber peccati, seruus autem iustitiæ cum esset vir, per mulierem compeditus est, sed corpore tantum, non mente & ita humiliauerunt in compedibus pedes eius* (Psalmi 104. verba recenset) *& ferrum pertransiuit animam eius. Deum iudicem, & conscium suum sustinentis, donec veniret verbum eius.* Postea accommodat illa verba Genesis cap. 37. v. 33. *Fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* Et subiungit Rupertus: *Reuera, nam bestia, vel fera pessima fuit ei mulier illa, libidine saucia, suique contemptus dolore exasperata, quæ & si non deuorauit animam eius consensu peccati, momordit tamen, & acri dolore tanquam ferreo dente transuerberauit.* Consentit his Sanctus Antiochus homilia 17. de Ioseph scribens: *Cum annuisset adultera explere concupiscentiam, tribulatione ac multiuga necessitate, per delationem mendacio adumbratam, pium illum ea transfixit, & velut insibulauit, plane vsque ad mortem. Num vides vt vaga illa, nec secum consistens motio carnis Ægyptiæ quantam peperit iusto tribulationem? Vel ob hoc sane, modis omnibus profuerit, ab eiusmodi vt abstineamus.* Ex quibus omnibus fit perspicuum fœminę ingenium, si eius nutibus annuis, cupidinibus, & voluptatibus obsecundas, aliena improbitate exultat; si renuis, redditur insolentior, mobilitatem suam, & impudens flagitium in alienam calamitatem excusando deriuat; cuius irritamenta cum cernit irrita, cōfractámque vim, & coactionem virilis pudicitiæ, & virtutis cote; violare satagit repudiantis gloriam cuius non valuit fortitudinem emollire; vt de manibus eius exeat vir, aut deuictus, & prostratus ad scelus, ad voluptatem effœminatus; aut ignominiæ, & dedecoris labe aspersus, vel attratus fuligine suspectæ prauitatis; vt qui non est passus retibus manuum suarum, aut libidinis illecebris implicari, exilium, custodiam, & morte amariorem boni nominis iacturam sustineat.

Gene∫.

Pallium violentiam à fœmina intentatam, & irritam prodit.

Fœmina solicitans adolescentem, solicitatæ laruam sumit.

Periculosa Iosephi tentatio.

D. Chrys.

In iuuenta concupiscentiæ flamma vehementior, & nocentior.

Natura & ætas intus Iosephi animum perturbabant, impetus & vestitus decor fœminæ pelliciebat exterius.

Rupert.

Ioseph à fœmina corpore, non mente compeditus.

Rupert. Fera pessima mulier, Iosephum exasperauit.

D. Antio.

Castissimum per delationē mendacio adumbratā, transfixit.

Maximam peperit iusto tribulationē.

Mulier satagit obscurare Iosephi gloriam, qua non valuit fortitudinem.

4. In hac scena mulieris Iosephum depereuntis, & angelici iuuenis de pyra turpitudinis resilientis, & ad asylū Domini conuolantis, illud curiosius perscrutaberis, quid actū sit de impudica, & eius iugali Putiphare, cùm ad Regale carpētum

tum

Digitized by Google

Cũ Ioseph ad regales infulis accitur, quid actum est de muliere Ægyptia?

tum & palatinas infulas euectus est Ioseph pudicus? Votis tuis faciat satis Sanctus Ephrem Syrus in oratione de laudibus Ioseph Patriarchæ, ait enim Pentephem, seu Putipharem, cùm inopinato cerneret Iosephum ad Regiæ dignitatis fastigium euectum, & quem in domo carceris iniecerat tanquam seruum, vniuerso Ægypto dominantem, timore correptum, mœrentem, & pudibundum clanculum se subduxisse, & quæsiisse domus suæ latebras, ne in faciem infensi proregis incurreret, & commeritas pœnas subiret; domi deterritum maritum, & gloriam Iosephi annuntiantem metu releuat vxor, remque totam, vt gesta erat, narrat, impacti in Iosephum flagitij palinodiam cantitat, totiusque confictæ scenæ ad ignominiam, & exitium iusti compositæ, se fatetur artificem. Sic enim alloquebatur maritum: *Ego enim eram, quæ vim illi inferre cogitaueram, quando tibi pallium eius ostendi. Ecce igitur ego sum, quæ regnum ipsi, maximamque gloriam acquisiui; nam si non ita ego Ioseph adamassem, in domum carceris coniectus non fuisset: quia & gratias habere mihi debet, quæ gloriæ ipsius causa fui. Iustus, & pius, ac sanctus est Ioseph, qui etiam calumniam immeritò passus nemini patefecit. Exurge igitur ac vade gaudens, eumque vna cum aliis magnatibus securus adora. Surgens itaque Putiphar, studiosè abiit, & sanctum Ioseph reuerenter cum omnibus primatibus adorauit.* Hæc Sanctus Ephrem. In hoc commendanda fœmina; quod proprium fatetur errorem, ad se reuocat imposturam criminis, & retecta malè palliolata mendacio animi sui malignitate, & leuitate, Iosephum prædicat immunem à scelere, & cum suæ turpitudinis nota, & propriæ famæ dispendio, pudicitiæ ei decus, & gloriam in propulsandis suis insidiis restituit; illud quoque præsefert speciem veritatis, causam magnificæ Iosephi gloriæ extitisse. Diabolus fœminam instruxit aduersùs Ioseph, vt caderet; sed Deus vsus est iniquitate Dæmonis, & calliditate fœminea ad iusti felicitatem, vt ipsum exaltaret. Si enim Ioseph iniquissimis conatibus Ægyptiæ paruisset, inglorius remaneret, & abiectus; duplicis seruitutis corporis, & animæ notatus probro. Ideo libertate donatur, quia inseruire voluptatibus noluit, ideo per manus potentis Dei Iacob dissoluti sunt compedes, confracta vincula, quia fœmineis lacertis implicari, aut turpis amoris nexibus ferreis vinciri renuit. Iusto æquitatis iudicio factum, vt carpentum Regium reuerendus ascenderet, & totius Ægypti teneret imperium, omnesque ante eum genuflecterent qui enim corporis sui quadrigam, & ferocientes equos passionum habenis rationis, & timoris Domini à lapsu reuocauit, & ad callem pudicitiæ inflexit, inclytæ curulis gloriam castitatis ambitu requisiuit. Tenet regium Ægypti clauum, quia heræ suæ recusauit imperium. Omnis ei Ægyptiorum regio tanquam Domino præbet obsequium, quia dominæ suæ non obtemperauit; ad nutum eius parent, quia fœmineis nutibus non assentit. Ideoque Satrapis Ægyptiorum, & omnibus viris imperitat, quia non est ei dominata Ægyptiaca fœmina. Vidisti in castitatis pugile malemoratum ingenium fœminarum, sed repurgatum confessione delicti, quæ profluit ex ore Ægyptiæ, de quo fuerant iactata verba turpitudinis, & maledicentiæ. Igitur æquo iure ab illo Isaiæ conuicio excluditur Ioseph: *Et mulieres dominatæ sunt eis.*

Putiphar cũ cerneret Iosephum Ægypto dominãtẽ ad domus latebras, se recepit pudibũdus.

Vxor confictæ scenæ se fatetur artificem, & infimulatũ flagitium retractat.

D. Ephr.

Fœmina ex occasione à se datæ ignominiæ ausã creuisse ad Iosephi exaltationẽ gloriatur. Virtutem & castimoniam Iosephi palã prædicat.

Illius prudẽtẽ clemẽtiam laudat quod fœminæ leuitatem patefecit nemini.

Ad adorationem Iosephi, maritus hortatur.

Iosephi gloriã amissam resarcit.

Quia passionẽ tenuit imperium Ægypti obtinuit dominatum Ioseph.

5. Adhuc maiores fœminarum propalabo insidias, non in primitiua iuuenta, sed in ætate canitie venerabili, & in virtutis palæstra exercitatissima. Prodeat in medium Elias ille magnus quidam in terris Angelus, monasticæ, & asceticæ exercitationis clarissimum, & antelucanum sidus, prodigiis diuinis celebratissimus, cælis ipsis, & elementis ad nutum imperans. Hic talis ac tantus vir audiens verba minis, ac diris plenissima à Iezabelis ore prolata, furentis propter occisionem Sacerdotum Baal, timore correptus expauit. Lib. 3. Regum cap. 19. v. 2. *Misitque Iezabel nuntium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis. Timuit ergo Elias, & surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas.* LXX. seniores post illa verba: *ad Eliam dicens*: hæc adiiciunt, quæ continent maximum leporem, & Iezabelis exprimunt fastum: *Si tu es Elia, & ego Iezabel.* Quasi diceret, experieris quis præualeat potestate, cum tuam ceruicem primum ferreo neruo subigam, & postremùm tradidero lanioni trucidandam. Cernes an Deus tuus, quem prædicas robustissimum, te de manu mea eripiat; clausisti cælum, ne implueret imbrem terræ, præ nimia ariditate dehiscenti; ego tuis faucibus intercludam spiritum vitæ, & prophetam tot facinorum fama celebrem, in meam redigam potestatem: *Si tu es Elia, & ego Iezabel.* Quid deblateras, & effutis ore peruerso, ô impudens, & insana mulier! Agnoscis Eliam? tenes mentem, spiritum, robur? Elias enim idem est ac: *Dominus Deus.* Cum Eliæ improperas, ignominia tentas afficere Deum. In similes ausus erumpes, vt cum Deo ipso decertes, & extento collo erigaris aduersus cæli dominatorem? Tu verò quæ, & qualis es mulier? *Iezabel*: annuo, sed Iezabel iuxta Hebræum, & Syrum sermonem, idem denotat ac: *Insula sterquilinij*, aut: *Væ sterquilinio.* Quid es? nisi stercorum aceruus, opertus ascititio candore, aut coloratus floridis pigmentis? Quæ turpi ornatu, & mundo muliebri fucata, & compta intolerandum turpitudinis, & impietatis fœtorem exhalas. Nec mirum si vir sanctus, & pudicus assumpta peregrinatione longinqua, & interposita magna terrarũ intercapedine, à tuo conspectu se elõget, ne flagitiorũ tuorũ fæces, & morum tuorũ impuritas, omni fimeto, & putredine teterrimum odorem afflantes, pudicissimi vatis odoratum inquinarent: fugit pessimum odoramen perfidiæ, qui suauem Christi halitum, & bonum odorem redolebat. Sed mirum valde est quod in adeo constantem virum, ad omnes sæculi euentus, & fortunæ incursus impauidum, cadat metus, & formidine concussus fugam meditetur, quærat latebras. Ritè Glossa ait: *Timuit verbum mulieris, qui non timuerat offensam Regis.* Et appositè S. Ambrosius lib. 2. epistola 13. *Namque asperiores tentationes has esse cognouimus, quæ fiunt per mulieres.* Et statim: *Quid dicam quod etiam Eliam Iezabel cruenta persecuta est?* &c. *virtus infirmior, sed plus periculi.* At Sanctus Petrus Damianus abundantior est in pensiculando pauore Eliæ à facie Iezabelis fugientæ. Sic enim fatur sermo

Elias talis ac tantus vir fœminæ minas timore correptus, fugit.

Lib. reg.

Lect. LXX.

Impia Iezabelis verba elatione, & tumore plenissima.

Elias idẽ est ac Dominus Deus.

Lect. heb.

Lect. Syr.

Iezabel interpretatur Insula sterquilinij.

Iezabel fimi aceruus, turpitudinis, & impietatis intolerandum fœtorem exhalans.

Glossa.

Elias timuit verbũ mulieris, qui nõ timuerat offensam Regis.

D. Amb.

Asperiores tẽtationes veniũt per mulieres.

In infirmiori virtute plus adest periculi.

Sermone. 18. de sancto Vitali, Martyre: *Perpendo quippe hunc mira virtutis virum, ignem de cælo trahere, & secundò quinquagenarios viros cum suis sequacibus, petitione subita concremare; verbo cælos ad pluuiam aperire; mortuos suscitantem, ventura quoque prophetia spiritu prævidentem. Sed rursus animo occurrit, quia postquam hæc omnia mirabiliter fecit, muliebri pauore perterritus, ante vnam mulierculam fugit. Considero virum timore perculsum, de manu Domini mortem petere, nec accipere, de manu mulieris mortem timendo vitare,* Et recensitis Iezabel minacibus verbis supra prællegatis: *Hæc faciant mihi Dij*, &c. aptè subiungit. *O violentiam verbi! ò formidinis eminentium: audito mulieris verbo, fugit Elias: & fugit non vno, non duobus, non tribus diebus, sed potius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ingressus enim sermo mulieris in cor eius, quasi quidam gladius fuerat, & amisso rationis consilio, quid ageret nesciebat.* Non formidabat Elias faciem tyranni, sed eius impiis conatibus sine terguersatione immobilis resistebat; solo verbo imperterritus, acies fugabat hostiles, & humanas potestates redigebat in cineres; eorum cataphractos currus, & acies armatorum tanquam araneæ telas dissoluebat; & sola minaci mulierculæ increpatione per planicies camporum, iuga montium, fugam citissimam parat, per longa itineris spatia, metu exagitante iactatus. Quis non demiretur. Etiam in omnibus victorem, solo metu deuictum; quem dederat Dominus aduersus Principes, & sacrificulos Baal in ciuitatem munitam, columnam ferream, & murum æneum, vt improborum violentias retunderet; nunc pudore, confusione, & timore correptum, clanculum se subducere, nec mutire ausum aduersus insolentem, & impiam fœminam? Scio quid de hoc facto ex primoribus Ecclesiæ quidam censeant, hoc à Domino prouide permissum, vt Elias virtutibus magnus, naturæ infirmitatem, pauore humiliatus, agnosceret. Sed si tanti Vatis prospicere velis indemnitati, omnia hæc virtutis eximiæ sunt decora, quæ de timore Domini, & amore pudicitiæ veniunt. Pie exhorruit necem, quam fœminea machinabatur manus. Si ore Regis Achab iactarentur minæ funestæ, & promulgaretur sententia capitis, audeo dicere quod Elias mortem non timeret; reformidabat non interitum, sed necem, quæ per fœminam venit, adeo vitabat impiæ fœminæ consortium: qui Iezabelis omnia auersabatur ex animo, nec eius internecionis artificem esse volebat; de phanatica illa, & furiarum tædis ardentibus incitata, omne malum, omne dedecus iure formidaret, quæ diuini viri sanctimoniam fœdaret. Iure pertimuit, ne si vinculatus obiiceretur Iezabelis conspectui, illa omni fera truculentior in prædam insiliret & manibus omnem luxuriam, omnem impietatem exhalantibus corpori ieiuniis arido, virginei decoris amatori, melotæ venerabili squalore pretiosæ, vel leuissimum halitum impuritatis afflaret. Præbuit exemplar à Iezabel longo itinere sequestratus, tentationem fœmineam esse maiorem, in qua licet sit virtus infirmior, nocendi ars est, & fallacia robustior. Edocet mulieris insidias plusquam tyrannos, immanes feras, insultantes laniones esse pertimescendas, neque per vnum aut alterum diem, sed quadraginta dierum & noctium dimenso spatio terrarum esse refugiendas. *Et fugit* (inquiebat Damianus Cardinalis) *non vno, non duobus, non tribus diebus, sed potius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Fuga hæc non turpis, sed prudens, sed prouida, sed honora, quæ turpitudinis fuga est, & insidiosæ fœminæ.

Elias patrãdis facinoribus, & prodigiis clarus, muliebri timore territus, ante vnam mulierculam fugit.

De manu domini mortem petit, de manu mulieris mortem timendo, vitat.

Audito verbo mulieris fugit quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

Elias in omnibus victor, solo metu fœminæ vincitur.

Fugit vt naturæ infirmitatem pauore humiliatus agnosceret.

Elianus metus de amore pudicitiæ venit.

Formidabat interitum, qui accideret per fœminã.

Timuit, ne ad præsentiã furentis Iezabelis, virginitas, virgineum corpus, aut melota venerabilis fœdaretur attactu impudica.

Tentationem fœmineam tanquam periculosiorem fugit.

Fœminarum insidiæ, præ immanibus feris, tyrannis, & laniatoribus pertimescendæ. Petr. Dam.

6 Inuidebant Danieli Satrapæ, & optimates Darij Regis, penes quos erat summa potestas, eique clanculum insidiabantur, & mores sancti adolescentis attentius scrutabantur, vt aperto crimine, aut aliqua suspicionis labe comperta, depellerent à regis familiaritate. Danielis capite 6. v. 4. *Porro Rex cogitabat constituere eum super omne regnum: vnde principes, & satrapæ quærebant occasionem, vt inuenirent Danieli ex latere Regis.* Quid præseferat sententia illa *inuenirent ex latere Regis*? audies scire; aliqui censent quod magnates habebant in votis Danieli crimen lesæ maiestatis impingere, si Regi, aut regno machinaretur excidium, sibique vellet aucupari imperium, aut ambiret Regiæ dignitatis parilitatem. Argutior tamen est ille cogitatus, quem profert Hieronymus ex Hebræis: *latus Regis esse Reginam, vel concubinas, quæ ex latere dormiunt; quærebant occasionem in sermone, tactu, nutu, internuntio.* Approbat conceptum hunc Hugo Cardinalis cum Glossa dicente: *à latere, ex vxore Regis, quæ dormiunt ad latus eius, imponendo Danieli quod haberet familiaritatem suspectam cum ea.* Et licet perspicaciori intuitu collustrantes Danielis vitam, & mores, ab omni criminis, & suspicionis labe immunem nacti sint, vt textus sacer exprimit eodem capite & numero: *Nullamque causam, & suspicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, & omnis culpa, & suspicio non inueniretur in eo.* Instruit nos tamen propositam à prædictis auctoribus theorema, nullam opportuniorem ansam arripere potuisse primarios viros ad excidium Danielis, quàm Reginæ, aut regiæ amasiæ verum, aut suspectum amorem; non enim tam eximij vatis virtus alter supplantaretur, nisi ex viri latere, nempe fœmina; hoc enim telum validissimum erat ad labefactandam eius constantiam; ex hoc enim latere quod in fraudem induxit Adamum, & fortiores quosque deiecit, præstantiora instrumenta hostis vsurpat, vt celebrem sanctimoniam commaculet, aut sinistræ suspicionis, & ignominiæ labe aspergat. Verum itaque est illud sancti Chrysostomi pronuntiatum homilia 15. ex variis in Matthæum locis: *Per mulierem* diabolus) *Angelos è cælo deposuit, id est, homines sanctos, qui ad cælum pergebant: per mulierem cuncta omnino prosternit, & iugulat, omnes interficit, omnes elidit repletos ignominia, & honore vacuatos. Mulier enim impudens nemini parcit, non Leuitam honorat, non Sacerdotem veneretur, non Prophetæ defert.* Et Salomonis veridica semper est illa sententia. Prouer. cap. 7. v. 16. de muliere improba: *& fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Et eam illustrat sanctus Hieronymus. *Vt ipse Salomon sapientissimus vincerem, vt Samson fortissimus, vt Dauid mansuetissimus à muliebri decipula, vt Origenes ab hæretica, quem, post Apostolos, Ecclesia magistrum fuisse, quandiu recte sapuit, qui negauerit, errat.* Si Heroes robore, & gigantes

Qualis esset calumnia, quam satrapæ cupiebant in Daniele captare ex latere regis Daniel.

Aliqui censent crimen esse læsæ maiestatis.

D. Hiero. *Latus regis regina & concubinæ.*

Quærebant occasionem in Daniele perpetrati, ex fœminarum tactu, nutu, internuntio, Hugo Card. Glossa.

Ex suspecta familiaritate cum regina.

Daniel ab omni labe, & suspicione criminis liberi.

Ex viri latere nempe fœmina, & Heroum & diuitum ignominia labe aspergitur.

D. Chrys. *Per mulierem homines cælo deiiciuntur.*

Prouer.

D. Hieron.

Mulier fortissimos viros deiicit, & interficit.

tes in palæstra pietatis exercitatissimi muliebri infirmitate, & calliditate deiecti & eneruati sunt, experti mala, & probra fœminei genij, sanctorum pietati insidias parantis; non mirum si Regis Cyri satrapæ inuidiosa expectatione alerentur deturbandi Danielem a Regiæ dignitatis culmine per coniugis Cyri, aut pellicum illecebras, deuenustandi Danielis trabeam, vt aliqua viscosi affectus lue gloriam adolescentis inficererent. Hæc intentata, sed irrito conatu. Felix qui in medio nationis prauæ, in ipsa fæce vitiorum, & turpitudinis colluuie, quæ in aulam illam Regiam exundauerat, integer vitæ, scelerisque purus ab ipsis æmulis proclamatus est.

Diabolus vt redemptionē hominum impediat, & saluatoris offundat gloriam, per fœminam procurat.

7. Eadem arte fœminei doli Archidæmon adoritur seruatorem nostrum, vt eius offundat gloriam, & negotium omnium sæculorum remoueat. Assidebat IESVS coram præside, & concilio malignantium, vt capitalem sententiam subiret, & nuntium Pilato coniux sua remisit, vt eum coerceret à proferendo iudicio. Matthæi capite 27. ver. 19. *Sedente illo pro tribunali misit ad eum vxor eius dicens: nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Quo in loco singularis est contemplatio Rabbani Mauri Archipræsulis Moguntiæ, cuius verba annectuntur in catena aurea Sancti Thomæ: *Nunc demum diabolus intelligens per Christum se spolia sua amissurum, sicut primum per mulierem mortem intulerat: ita per mulierem vult Christum de manibus Iudæorum liberare, ne per eius mortem, mortis amittat imperium.* Ad nouelli erroris facinus, antiqui sceleris organum fœminam mutuat diabolus, sed è regione opposito conamine, vt qui per fœminam mortem inuexerat, vitam abstulerat, per eamdem vitæ afferret mortē, & homo in interitu sēpiterno permaneat, vitę æternæ orbatus decore; studiis suis se diabolus prodit, dum ibi hominis interitum anhelat, hic obstacula prætendit, ne moriatur. Non est amor erga Christum vt viuat, sed odium, vt mortalium natura pereat. Quis diabolum semper Seruatori ab incunabulis inuisum, omnem lapidem mouentem per humanas potestates, vt eius vitam in teneris annis abrumpat, nunc cernit Christianæ vitæ patronum? Sic spiris suæ nequitiæ circumuoluebatur serpens antiquus sapientia destitutus, astutia comprehensus sua; sciebat quod vnius mors vita foret omnium; timet *ne per eius mortem, mortis amittat imperium*, Et mortuorum omnium amittat spolia. Ad hoc facinus, vt insidietur Deo, vt humano generi paret exitium; bene sibi notum, & operi suo congruum instrumentum, fœminam, per quam loqueretur, elegit, vt suggereret marito, quod IESVM à morte vindicaret. Itaque dæmon dum terret spectris Pilati vxorem, eique fallax, & subdolum sermocinatur verbum, insidiatus est omnium hominum saluti. Denique cum cerneret Sanctus Chrysologus Herodiadis adulteræ malitia Ioannem Christi Præcursorem vitæ subiisse dispendia, sic claudit sermonem 174. *Et si Ioannes tantus, Ioannes talis, tanta eremo separatus à fœmin[is], fœminarum pericula non euasit; quis est qui inter fœminas viuens euasurum se sine labore maximo, maxima sine cautione confidit, nisi is qui Sancto alitur Spiritu.* Hæc ille.

D.Mat.

Rabban.

D.Thom.

Diabolus per mulierē mortem intulit, & per mulierem ambit nō amittere mortis imperium.

Diabolus qui in vita Christi semper inuisus eius sanguinē sitiens, nunc vitæ Christi fit patronus.

Diabolus per fœminam insidiatur omnium saluti.

D.Chrysol.

Nec Ioannes à mulieribus separatus in eremo à fœmineis insidiis tutus.



Et mulieres dominatæ sunt eis.

DISCVRSVS VII.

Consilij tui arcanum ne fidas fœminæ.

1. INSTRVIT Vates primarios viros in præcedenti commate, & iuxta Hieronymi placitum magistratus, ne mulieres sint eorum senatus, & iuxta earum sensum, & arbitrium cuncta decernant; admonendi quoque ne recondita pectoris, aut sacramenta consilij iis suggerant, ne secretum, tanquam aqua per rimosam, & fatiscentem lagenam effluat, & in aures vulgi veniat. Sapiens, & salubre monitorium est pronuntiatum vatidico ore Micheæ cap. 7. ver. 5. *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Scite transferunt LXX. *ab ea quæ tecum cubat, caue ne credas ei.* Et Hebraïca versio continet suum leporem: *Fores oris tui obserua, quasi dicat*, ait Vatablus; *ne vxori quidem tuæ arcana tua committe.* Est enim natura fœminæ procliuior ad garrulitatem, vt arcana diuulget, secreti commissi impatiens, nescit tenere modum taciturnitatis, tanquam vas sine operculo mobilitate quadam nutans, pretiosum secreti vnguentum fundit. Hæc verba profert Vates edoctus alieno periculo. *Ne* (inquit Hieronymus) *patiaris, quod Samson à Dalila perpessus est.* Quia secretum amicæ prodidit, vires amisit; abrasis enim capillitij sacri septem crinibus, in quibus arcanum robur inesse nuntiauerat, superno destitutus auxilio, opprobrium factus est hostium. Iudic. cap. 16. v. 19. Cum enim Samsoni Dalila in gremio suo accubanti fallacissime blandiretur: *vocauitque tonsorem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.* Quam mercedem libido amasij abiectissimè famulantis pellici obseruare potuisset, nisi inhonoram repulsam? vtinam tempestiue callidissimam, & fallidicam fœminam repulisset, sicut ipse repulsus à fœmina est; nec subiisset vitæ dispendia, nec inhonoræ passionis ærumnas. Examinat doctissimus Abulensis, quæ operatio à Samsone sequestrarit ingentium robur, & superni numinis suppetias, impudicæ reiectio, an abrasio, & tonsio sacrati velleris? Et respondet quæst. 13. *Non intelligitur vt mox eum abiecit à se, sed mox vt tonsus est, quia Deus noluit, quod vires supernaturaliter suffragarentur ei, eo quod erat in culpa declarando Dalilæ modum, quo ipsa faceret in eo contra regulam Nazaræorum.* Despectus est à fœmina cum cernit inualidum, & virtute vacuum superna; in quo apparet versipelle pellicis ingenium; in rebus secundis obsecundat, & blanditur amasio, in aduersis expudorata reiicit lenocinantem. Sed quid repulsa fœminea Samsoni nocuisset? Repudiatio à Deo, & illius consortio pertimescenda, hæc malorum

Nec vxori in sinu cubanti fidat maritus secretum.

Mich.

Lect. Lxx.

Lect. Heb.

Vatab.

D Hieron.

Cum Samson propalauit Dalilæ sui pectoris arcanum, statim robur amisit, & remansit inglorius.

Iud.

Abul.

Digitized by Google

omnium compendium. Creaturæ quoque inuiuilius quem Deus despicit. Geminam abrenuntiationem constauit, & Creatoris, & creaturæ insida secreti custodia. Si tam constans ad premendum silentio sui pectoris arcanum foret, sicut animosus ad opprimendos Philisthæos extitit, nec despectus à Deo, nec occumberet inglorius. Cernis in quot barathra prolapsus magnanimus, & inuictus pugil, emollitus & eneruatus consuetudine fœminea? Nazareatus instituta de non resecandis capillamenti exuuiis neglexit; in cordis penetralibus, & recessibus tandiu abditum fortitudinis arcanum prodidit; cùm ore patulo, & loquaci effluit roboris mysterium, spiritum fortitudinis fugacem reddidit, qui secreti claustro, & taciturnitatis quibusdam seris obstrictus tenebatur. Cum molesta Dalilæ suadela, & blandiloquio silentij sibi commissi repagula fregit, ab eo Spiritus Sanctus aufugit; dolosa, & acuta nouacula resecuit cincinnulorum nodos, fortissimi spiritus & charitatis oraculum soluit.

2. Rursus exitiosa extitit Achab Regi Samariæ Iezabel, cùm Naboth eius imperio lapidibus obruitur, vt innocentis vineam ad hortum olerum & regales delicias violenter, & inique sibi rapiat lib. 3. Regum cap. 21. propalauerat enim impiæ fœminæ, mœroris, & tristitiæ causam Rex iniquus, vt furoris, & vindictæ incendium, quod in Regio pectore premebatur, fomenta maiora reciperet ibi. ver. 5. *Quid est hoc vnde anima tua contristata est? Et quare non comedis panem.* Cúmque indicaret causam; ira exæstuanti, & furenti Regi vindictæ fomitem ministrauit ibi. ver. 7. *Dixit ergo ad eum Iezabel vxor eius: grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Israel. Surge, & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ.* Vbi non solum in Reginæ impietatem, & crudelitatem tam feralis flagitij originem reiicit Rupertus, sed in imprudentissimam Regis Achab temeritatem, qui dominam fecerat, & custodem Iezabel sui pectoris, & ei omnia arcana secretorum iuxta Iezabelis libitum, & arbitrium exequenda commiserat. Sic enim scribit Tuitiensis Abbas in Micheæ caput 7. *Aperuerat enim ei claustra oris sui, narrando pro qua causa esset tristis, & omnino commiserat ei claues vniuersas animi sui, tam in illa re, quàm in cæteris.* Improuidus Rex Iezabeli reuelat tristitiæ arcanum, & infidam custodem sui pectoris constituit, vt pro arbitrio referet, aut aperiat; Achab Samariæ tenebat clauum, Iezabel secretorum omnium Regis possidebat imperium: quid decerneret fœminea impietas nisi necem iusti, & effusionem sanguinis? Si sapienter tristem celaret animum vxori, & ab ea, quæ dormiebat in sinu suo, vt ex Regij cordis latebris secretiora erueret, claustra custodiret oris sui; Nec vastitatem sibi, nec iugali suæ horrendum exitium inferret.

Iud. Reg. Ruina Regis Achab ex Iezabel orta, cui omnia sui pectoris arcana cõmiserat.

Ruper. Vniuersas claues pectoris sui Achab Iezabeli tradidit.

3. Durum præceptum de immolando filio Abrahæ imponitur, cúmque facilis ad obsequium auscultasset seriem diuini sermonis Genes. cap. 22. ver. 3. *Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum.* In quo facinore inaudito cælum virtutum luminibus velut sideribus micans in Abrahæ pectore resplendet, obtemperantia iussis Dominicis adstricta luminare maius; nec minus luminare prudentia, qua summa taciturnitate premit in animo mactandi filij arcanum, nec aperuit contubernalibus, aut clientibus, nec ipsi victimæ sacræ secretum fidit, donec altari mactandam, & cremandam imponat. Quid plura à consorte Sara, & Isaaci matre potissimum inhibuit arcani consortium; id singulari argutia annotat Sanctus Pater Ephræm Syrus oratione in Abraham, & Isaac scribens: *Et mandatum quidem acceperat de mactando filio: verum ne vxori quidem de hac re quippiam dixit: neque cum ea rem communicauit, valde vtiliter agens: neque enim tutum, neque vtile esse putauit fœminam in consilium adhibere. Nihil enim Adæ profuit, imo obfuit consilium ab Eua susceptum.* Quas enim tragœdias, quæ lamenta, & eiulatus non excitaret Sara, si cerneret filium ad internecionem, & lanienam trahi, baculum senectutis infringi, & vnicam lucernam sui generis crudeli nece extingui; ideo secretum mactationis propriam celauit vxorem, ne vim inferret Dominico præcepto, aut sinceritatem dilectionis erga Deum infringeret; nec minori robore indiguit Abrahameus animus vt in pectore reconderet secretum, quàm vt iugulo applicaret gladium. Pulcherrimum illud enuntiatum Ephræm verbis suis intersit: *neque enim tutùm, neque vtile esse putauit, fœminam in consilium adhibere.* In exequendo superno decreto de mactatione Isaac, non adducatur in consultationem fœmina, nec expectetur matris suffragium, sed sit cælestis ignara consilij, ne præpediatur inclytum facinus, & humanæ obedientiæ prodigium, in quo Deus præludebat filij sui obsequium, & adumbrabat cruentæ passionis imaginem, in qua factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Ablegetur fœmina ab illo superno senatu, in ea namque plus forsan præualeret amor nati, quàm diuina voluntas, & suffragaretur naturæ, non gratiæ. Matris affectus, & innata erga filium pietas, litantis, & litandi sincerissimum obsequium dirimeret à Dei conspectu, & angelorum spectantium, & plaudentium theatro sacram, & singularem hostiam, & immolationem auferret. Hoc eximiæ obedientiæ prodigium, & exemplar fortè non haberet orbis, si Abrahamus Saram consuleret.

In Abrahami sacrificio prudentia, & silentium eminent.
Genes.

Mandatum dominicum de sacrificãdo filio cũ Sara eius matre nõ cõmunicauit.
D. Ephr.

Neque vtile neque tutum, fœminam in consilium adhibere.

4. Voluit Deus Abraham & omnes æmulatores suos diuinam imitari sapientiam, & Sanctissimæ Triados senatum, in quo Pater vt proferret Verbum, & arcanum sui pectoris consilium, fœminam non requisiuit. Id annotat vir immensæ subtilitatis Augustinus Psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Quæ verba de æterno generante vsurpans, hæc annectit. *Ne igitur putares aliquo coniugio indiguisse Deum, vnde filium generaret: eructauit, inquit, cor meum verbum bonum. Hodie cor tuum, ô homo, generat consilium, nec quærit vxorem.* Beata Verbi æterna generatio, in qua Pater fœminam nescit, natus oritur sine matre, ablegatur ab illa purissima, & immaculata natiuitate nuptialis fœminę torus, & iugale consortium, in qua fœcunda deitas, & animalis, & rationalis fœcunditatis origo, ab omni materialitate, & corpulentę substantiæ illecebra, & contagio

Pater arcanũ sui pectoris consiliũ absque fœmina profert.

Psal.
D. Aug.

Cor hominis generat consilium nec quærit vxorẽ.

Digitized by Google

contagio immunis fœcundum reddit spiritalem velut vterum, hoc est pectus Patris, vt gignat, & parturiat vnigenitum sibi æqualem. Si ad verbum, & conceptum, & consilium, ô homo, quod mens tua parturit fœminam non requiris, Deus ad consilium æternum, in quo omnia disposuit, quo pacto exegisset fœminam? Vt in secretis suis homo Deum æmuletur, mentisque suæ verba absque fœminæ consilio proferat.

5. Vnicam tamen fœminam singularem, & singulariter benedictam ab hoc theoremate, & erga mulieres cautione, excipies, nimirum Deiparam, cui Deus arcani sui consilij secreta confidit omnia, illa enim in sanctissimæ Trinitatis Senatum conclaueque admittitur consiliatrix, auditur sententia, approbatur suffragium, pro hominis reparatione; nil sine Maria decernit Deus, in ipsa enim, & per ipsam restaurare omnia, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt statuit æternum consilium Dei; æternus Pater summusque iudex decreta à constitutione mundi & ante luciferum, in Mariani pectoris fida custodia recondit: nec sine Matre temporanea Verbi generatio adstruitur, nec sine Maria humani generis reparatio decernitur, ideo Deipara à filio suo Christo Domino nuncupatur *amica*. Cantic. cap. 2. v. 11. *surge amica mea*. iuxta pientissimi, & acutissimi Guilhelmi parui, seu Neoburgensis mentem, qui ante quingentos fere annos floruit, & ita scribit: *Ad hanc propera amica mea, cui iam pridem æternum meum de reparatione humani generis consilium credidi, cui Sacramentum à sæculis absconditum reuelaui*. Nec timet effluere secretum per os ad loquacitatem patulum sicut in Eua, per rimas improuidæ garrulitatis; sed in promo sacrati pectoris reconditum, & obseratum profunda taciturnitate, & mirabili cautione custodit, nec minori solertia fortis hæc mulier, in qua confidit cor Domini sui, claustra pudoris, quam reticentiæ fores obseruat, vt consilij, & secreti Dominici conscia, Deitatis gazas omnes, inexplicabiles diuitias Christi, sapientiæ, & scientiæ Dei thesaurum in sacrario pectoris reticentia profunda premat, & reuereatur. Aliis fœminis arcanum pectoris ne prodito, sed ab iis custodi claustra oris tui. Mariæ tamen Deiparæ fidenter committe cordis tui arcanum. Caue ne vxor, ne procax mulier dominetur tibi; Deiparæ tamen super te exambi dominatum. Felix animus in quo Regina Angelorum regnat, super cuius alloquia, & opera non minus potens quam suaue exeret imperium.

Vnicam & singularẽ fœminam Deiparam tutũ est in consilij consortium vocare.

Consiliũ reparationis humanæ sine Maria non decernitur à Deo.

Cant.

Guilhel.

Maria à Deo vocatur amica, quia ei Sacramentũ à sæculis absconditum reuelatur.

VESICVLVS XIII.

Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos.


VERSICVLVS XIV.

Dominus ad iudicandum veniet cum senibus populi sui, & principibus eius: vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra.

VERSICVLVS XV.

Quare atteritis populum meum & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum.

COMMENTARIVS.

1. ERGA hæc mirifice cohærent cum antecedentibus. Cum enim populi Iudaici primarios viros violentos exactores, & iniquos Isaias nuncupasset, & propter inexplebilem auaritiam, & repetitionem munerum, turpi effœminatorum, & mulierum cognomine & opprobrio inussisset; nunc tribunal, & iudicium instituit aduersus senes & principes populi, vt redarguti, & conuicti impiis facinoribus cernant apertissime quam iuste iudicet Dominus, & sententiam repudij gentis Iudaicæ, & vastitatis Ierosolymæ statuat, & pronuntiet.

Aduersum principes populi Deus iudicium instituit.

2. *Senes & principes* vocat magistratus, satrapas, & rerum publicarum moderatores, qui variis muneribus functi tenent vrbis clauum, & gubernaculum, hos enim omnes denotat verbum זקנים zechenim, & præsertim consiliarios in aulis Regum commorantes, ad quos sermonem suum deflectit vates, & Deum introducit iudicio disceptantem, simulque condemnantem propter peccata in pauperculos commissa. Legit Chrysostomus: *Nunc considebit, sine constituetur ad iudicium Dominus*. vt indicet sessio, non leuiter, aut obiter, sed serio, & ex instituto Deum pauperum patrocinium suscepisse, & obiurgationem, disceptationem seniorum, vt eos pudore suffundat, & propria conscientia aduersus eos clamitante, damnet. Pulchre legit Forerius: *stat ad litigandum Iehoua*. vt aduersus improbos senatores munus litigatoris, accusatoris & iudicis obeat. Docet hoc in loco Vates atrociores pœnas principibus imminere quam subditis, & quod potentes potenter tormenta patientur, & quod durissimũ iudiciũ iis, qui præsunt fiet. *Subditus enim* (ait Chrysostomus in cõmentario) *pro se, & solo; princeps autem pro se, & pro populo sua fideicommisso repositurus est rationem*. Sic prædicta verba expendunt Basilius, Cyrillus, Chrysostomus, Hieronymus, Procopius.

Consiliarij dicuntur senes.

D Chrysost.

Foret.

Malis principibus maiora, tormenta imminẽt, quam subditis.

D.Chrys.

3. *Vos enim*. Mirabilem suam sapientiam his verbis perspicuè ostendit vates, sciebat enim in prætoriis, & iudicum subselliis, propter reuerentiam Regiæ maiestatis, cuius personam, & munus regerunt Magistratus, omnes inferioris, & abiectæ notæ nuncupatione vocatos adstare, nec vocem dominationis audire, sed seruilem & abiectam, quemdam fastum præseferentem in Regiis tribunalibus declamatissimam illam aurésque percellentem vocem, nimirum

Eadem abiecta nomẽclatione qua princeps vocat subditos, princeps nũcupatur à Deo.

vos.

vos. Sic enim increpantur de restituta claudo sanitate Petrus, & Ioannes adstantes in consilio coram Principibus, & senioribus interrogantibus: *in qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Actor. cap. 4. ver. 7. similem loquendi, & obiurgandi formulam abiectam, & inhonoram, cum consiliariis, Magistratibus, & principibus obseruat in iudicio Deus, vt par pari rependat, & vili abiectione sermonis suffundat, inquiens: *vos enim.* &c. quo etiam instruuntur principes talem inuenturos Deum in supremo examine, in quo æterna felicitas, aut infelicitas agitur, quales pauper hic ipsos inuenerit, eaque tractationis moderatione, aut rigore, qua pauperes in iudicio susceperint, à supremo Iudice aut benigne suscipiendos, aut repellendos.

Mali principes vinea vastitas, & incendium.
Lect. heb.
Lect. LXX.

4. *Depasti estis vineam meam.* Verbum Hebraicum בער *Baar*, propriè denotat *ardere, comburere, succendere, depasci*, iuxta vim verbi L X X. transtulerunt: *Vos autem quare incendistis vineam meam.* Quibus adstipulantur Chrysostomus, Basilius, Cyrillus, Procopius. Populi principes, & magistratus paulo ante. ver. 12. nuncupauerat exactores, collectores, repetentes, vindemiatores; nunc vocat populi, seu vineæ, & peculij Domini pestem, vastitatem, & depopulationem. Non vineæ sunt custodes, & muri, quod denotat verbum שור *sur*, & respondet *Principibus*, quibus munus incumbit esse murum patriæ, populi, & vrbis præsidium sed deuastatores, & depeculatores, qui acerba, & hostili manu nequitiæ, & rapacitatis afferunt præsentissimum excidium. Cum vulgatus legit *de pasti* seniores, & principes comparat vates siluestribus, & immanissimis feris, qui rabida fame in vineta irruentes absumunt, & linguriunt omnia vineæ decora, claniculos, pampinos, palmites, vites deglabrant, arrodunt, & excindunt. De horum singulis dictum existima illud Dauidici carminis. 79. ver. 14. *& singularis ferus depastus est eam.* Si vero cum L X X. & Græcis patribus legas: *incendistis vineam meam.* Non solum æquiparat hoc comparate eos turbini super vineas implenti duram grandinem, aut pruinam, quæ gemmantes botros, & primitiuos flores decoquit, sed voraci incendio, quod gliscentibus flammis depascit vineam, & exurit, vites omnes vsque ad radicem carpit, princeps, & magistratus, qui sub regali trabea, & senatorio paludamento ferinam auaritiæ crudelitatem, pauperum dissimulat, omni hoste nocentior est, omni incendio ignis voracior, quod res familiares absumit: iure ergo vates eos appellitat vastatores, direptores populi, vrbium incendiarios. Rite Chrysostomus iuxta priorem comparationem pruinæ vineam decoquentis, inquit. *Neque enim tanta calamitate euertere vineas consueuit grando, vt animam pauperis mendici, & inopis vrere solet iniustitia.*

Magistratus cōparat immanissimis feris vineam corrodentibus.
Psal.
Lect. Græ.
D. Chrys.

Violenta extorsio facta pauperibus, regni, & vrbis vastitas.

5. *Et rapina pauperis.* גזלת *gezelath* rapina, cuius radix גזל *prædari*, vi auferre, aut extorquere violenter, & inuite rapere denotat, vt cernere est Genes. cap. 21. Leuitic. cap. 6. lib 2. Reg. cap. 23. ad hanc causam improbitatis, & iniustitiæ tota ratio diuini iudicij, redargutionis seniorum, & principum deuoluitur; non eos arguit quod vectigalia, & donatiua toties repetita & libenter oblata ad eorum emolumenta; & subsidia ad regnorum incolumitatem, & tuitionem expostulent, & accipiant; sed quod vim inferant, & cogant dare subiectos, pauperculorum facultates diripiant; & violenter extorqueant, quando supra facultatum vires reddere compellunt, arbitriis, & exactionibus iniquis quod adhuc rei familiaris superest, emungunt. Genus quoque extorsionis est minis territare paruos, & magnos, quod indignationem & iram principis incurrent, si non fuerint suffragati iniquis expostulantium votis, reipublicæ gubernaculis spoliandos, aut non obtenturos ampla decora. Rursus hæc verba: *Et rapina pauperis in domo vestra*, & emphasim habent, & indicant vatem loquentem cum Magnatibus: vos incendium vrbis, vastitas regnorum, depeculatio copiarum, vinearum turbo, & grando, vinetorum rursus germinantium, & germinantium locusta, bruchus, gurgulio; rapina tamen pauperis, & munus iniustum violenter extortum, domuum vestrarum, generis, prosapiæ, filiorum, mors est, vastitas, & præsentissimum exitium, & flamma depopulans. Tantum malum est infimæ plebis, & egeni omni ope destituti patrimonium dilacerare, fortunas diripere; flagitium Deo valde exosum, quod ad diruendam vrbem Ierosolymam, Templum sanctissimum incendio absumendum, Iudaicam gentem repudiandam compulit. Pulchrè Chrysostomus inquit: *Equidem per rapinam extorqueri aliena, nullo non tempore malum est. Maximè verò tum, quando is, qui incessitur iniuria, ad extremam fuerit deuolutus paupertatem.*

D. Chrys.

6. *Quare atteritis populum meum?* L X X. legunt: *Quare vos iniuriis afficitis populum meum?* Adhuc amplificat eximius vates Dei patrocinium pro tuitione pusillorum, & pauperum susceptum: semper enim Deus pro glorioso insigni habet esse patrem pauperum, iudicem & vindicem egenorum, & orphanorum; pudore afficiebant pauperculos, contumeliis onerabant, nec enim solum ab iis diripiebant bona, sed reddebant pro bonis verba mala. Si enim à paupere ad iustam defensionem facultatis, quæ dabatur in rapinam, & ab iniquis extorquebatur, aliquod excidebat verbum, vel si mutire audebant, eos insectabantur probris, & maledictis, conuitiis lacerantes, & conscindentes. Et hoc propriè est *atterere populum, & facies pauperum commolire & confundere.* Non solum quia eorum bona compilant, & interuertunt fraude. Aut quia ipsa violentia extorquent, & dilacerant eorum facultates, vel iuxta Sanctum Basilium, *Si contumeliis ac probris puderem iis ingerant, ipsos vilipendentes, intentantes plagas.* Hebræa tamen versio sententiam amplificat, non solum spoliationis superbæ; & contumeliosæ loquacitatis, sed pessimam indicat tractationem vsque ad infligendos colaphos, & pugnos. Sic legit Hebræus apud Vatablum, & Forerium: *contunditis facies pauperum.* Et pulcherrimum adiungit scholium: *Vos socij estis latronum. Quid vobis est quod audeatis contundere, vel studeatis conterere. Quæ furia vos agitat, quod audeatis contundere, & velut confringere ictibus grauibus pauperes meos, qui me solo fidunt, non in diuitiis, & amicis, quos nullos habent? Facies pauperum*

Lect. LXX. iniuriis afficiunt populum Dei.
D. Basi.
Lect. heb.
Vatab.
Forer.
Pauperes inhonorare, aut male tractare iniquissimum.


Facies pauperum commolere est, colaphis cædere.

rum commolere est colaphis cædere. Grauissimè erant iniuria, quibus à diuitibus afficiebantur pauperes. Consonat Forerius. *Contunditis ipsos, & facies eorum pugnis & alapis commolitis, seu attenuatis.*

Ecclesiæ prælati qui muneri suo non respondent, vineam depascunt.

8. Iuxta mores prædicta commata transferunt Hieronymus, & Basilius ad Ecclesiæ Principes, & Episcopos, qui muneri suo, aut fide, aut operibus non respondent. Hos enim aiunt depasci vineam, & incendere, quando impietatis doctrinam catholicæ Religioni aduersam per subditos, & populos serpentem, & grassantem, sollicita cautione, & vigilantia non extinguunt. Quando deliciis affluentes, & voluptatibus dediti solutiori vita exemplar præbent iniquitatis, vt permulta admittat populus præter decorum. Quando immodicæ cupiditate multos inuitant ad concupiscendum quæ alieni sunt iuris. Denique ait Sanctus Basilius: *Iure quidem optimo audiemus & illud in nos intendi: rapinam pauperis in domibus vestris: quæ enim collata sunt refocillandis pauperibus, & sublenandæ eorum inopiæ, si in ædibus penes nos retinuerimus, vtique inopes suis spoliamus bonis.* Sed iam ad litteralem commentationem amplificandam de more annectamus discursum ornatum.

D. Basil.



Stat ad iudicandum Dominus, Dominus ad iudicandum veniet.

Discursus I.

Apud Christi iudicis tribunal omni tribulatione & supplicio maius erit, placidissimum Dei vultum sontibus inuisum, iratum, & aspectu terribilem cernere.

1. CVM aduocat Iesvs primarios viros ad iudiciaria subsellia, vt redargutionem patratorum scelerum, vt postremi examinis formam, & rationem instituant; iudicis vultus terrentis minaciter improbos; percellit timore Christianum pectus, vt omnem solicitet pœnitentiæ paraturam, & Deo irato occurrat, præoccuperque illius faciem in confessione. Ita percitum, & inflammatum iudicem in peccatores sæuientem statuit Amos Vates cap. 5. ver. 18. & 19. *Væ desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus.* De postrema vastitate orbis, & secundo Dei aduentu aliqui Patres vsurpant præsens vaticinium, in quo duorum animantium leonis, & viri comparatio epithasim habet ad demonstrandum quo pacto morem gerat, clementiam, aut iram ostendat Dominus erga sceleratos in primo, & secundo aduentu. Iesvs pœnitentibus leo, impœnitentibus vrsus est. Notissimam harum ferarum similitudinem argutè expendit Rupertus: *In*

Amos. Deus iratus tum leone, & vrso comparatur.

Iesus pœnitentibus leo, impœnitentibus vrsus est.

Rup.

vtraque similitudine (inquit) *diem intelligimus Domini, primum, & secundum aduentum Domini: à facie leonis huius fugere volentibus occurret vrsus, id est inenitabilis terror secundi aduentus; & meritò talis vrsus illis occurret, quoniam fugerunt à facie leonis. Debuerant namque potius coram illo leone prosterni, idest, agere pœnitentiam ad prædicationem Euangelij Christi. Sicut enim leo prostrato parcere dicitur homini, sic parcit Christus peccatori pœnitentiam agenti.* Æmulator extitit Ruperti Ribera noster in tropologica commentatione, similitudinem in compedium reducit, & exornat. *Parcit leo homini prostrato, & iram suam cohibet: at fugienti à facie leonis vrsus occurrit, qui neque prostratis parcit, idest, Christus in secundo aduentu, quo inimicos suos æterni ignis pœna puniet, & quasi vrsus lacerabit.* Et cum Nasone apprimè occinit lib. 3. de tristibus elegia 5.

Primus, & secundus aduentus Domini.

Leo prostrato homini parcit.

Ribera.

Christus in secundo aduentu nec prostratis parcit.

Naso.

Corpora magnanimo satis est prostrare leoni,
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.
At lupus & turpes instant morientibus vrsi,
Et quæcumque minor nobilitate fera est.

Leonis in hostes, & venatores sæua seueritas, rugitu terrifico, & truculento intuitu perterrefacit fortiores, & euaginatis vnguibus minatur carnificinam; cæco, & præcipiti impetu hominem lacessentem dilaniat. At iuxta Plinium lib. 8. Historiæ cap. 16. *Leoni tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcit.* Abiecto hosti non insultat iratus, sed misericordia correptus cohibet iram, & gaudet se aliena summissione; sine pugna, & sanguine victorem; alienum generositate sua regia iudicat insilire prostrato & trementi. Vrsum non mitigat aliena submissio sed ferina rabie, & truculenta dilaceratione abiecta quoque præda potitur. In primo aduentu Iesus leo aduersus peccatum, & mortis auctorem terrificus, & immanis infremuit, totus imbutus sanguine calcauit hostes Crucis pressura, & ira sua subuertit; at erga peccatores pius, & clemens, prostratæ, & lacrymabundæ Magdalenæ, Petro gemebundo parcit, latronem supplicem de Cruce absoluit, erga criminosos exomologesim in ieiunio, fletu, & planctu operantes clementiam, & misericordiæ viscera ostendit; in secundo aduentu, & post hanc vitam, cùm clausa est pœnitentiæ ianua, Impœnitentibus instar vrsi occurrit, totam iram, & vindictam effundit, vt experiantur terrificum vultum, iudicis irati, qui regis, & Domini clementiam despiciunt.

Plin.

Leonis clementia in supplices.

In secundo aduentu Christus improbis tanquam vrsus occurret.

2. Post conflatum, & consecratum vitulum festiuis plausibus, & choreis à populo Israëlitico, irruit in Moysen terrifica vindicandi sceleris audacia, vt aboleret, & expiaret Iudaïcum genus à tam nefario scelere per gladium, & sanguinem; asciuit ad se Leuitas, magnanimis ausibus instruxit, ad internecionem populi animauit. Exodi cap. 32. ver. 26. Leuitici generis viros fortes sic hortatur: *Ponat vir gladium super femur suum: ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque*

Exod.

vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum, feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. Nec minoris animositatis insigne eodem capite recensetur, cum ad conspectum vituli conflatilis ira excandescens, & superni numinis zelo correptus, & contabescens, vitulum contriuit vsque ad puluerem, ibidem. ver. 20. *arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam & dedit ex eo potum filiis Israël.* In his egregiis facinoribus non tam demiror Moysen hominem mitissimum super terram ira excandescentem, & diuino quodam furore exæstuantem vt Domini offensam, flagitiumque maximum vindicaret; quam populum terrore perculsum, & attonitum, Mosaica voce quasi ictu quodam terrifici fulminis exanimatum. Vnde pauor, vnde formido ingruit in populum castris militum potentissimorum cinctum, & armatorum manibus inuictis munitum? Cur aliarum tribuum præliares copiæ non cohibent Leuitarum cohortem, non adeo in bellis exercitatam, compescunt iram, auertunt exitium? Cur Moysi imperatori, aciei vindicis ductatori, & exhortatori non obsistunt, & minas intentant mortis, nisi cohibeat manum ab effusione sanguinis cognatorum? Argute respondet sapientissimus Abulensis quæst. 30. *Licet Deum illum diligerent quem colebant, pro quo fabricando spoliauerunt se auro suo, tamen ad præsentiam Moysi vitulum illum conculcantis, & in eorum confusionem maximam turpiter destruentis, nullus aliquid faciebat, quia inuaserat eos timor, & tremor, & occupauerant eos tenebræ.* Et apte subiungit: *Moyses in reditu suo fuit in vultu terribilis emittens aliquos radios de vultu suo ad terrorem malorum, vt non auderent ei repugnare.* Idemque in internecione idololatrarum accidisse. Tenaciter tuetur homo ampla decora honoris, vitæ, diuitiarum, & constanter auertit horum omnium dispendia; eaque in contritione vituli, & populi ruina apertum periculum subibant; cum disperditur veneratum, & dilectum numen, spolia auri in pulueres, & fauillas abeunt, in vxores, & natos desæuit mucro, & necis calamitas: in his procellis nullus mutire ausus est, nec repellere impendentes ceruicibus gladios; inuaserat eos timiditas, & horror; ex prospectu Mosaici vultus terrifici iaculantis flammas furoris, fulgura iracundiæ minitantis mortem sceleratis, omnes consternati sunt. Si animo linquunt, & inualidi redduntur armati ex vultu Moysi indignatione sceleris inflammato; quis pauor insurget in cordibus delinquentium ex immutato in vindices iras vultu Dei, & creatoris? Angore animi vitalia omnia depascente absorbebuntur iniqui, & horrore mirabili, morte ipsa, & quouis cruciamento crudeliori dilaniabuntur; malorum omnium compendium est irato, & offenso Deo occurrere, & facile placabilem antea vultum terrificum & formidandum cernere.

Cur populus terrore perculsus, & attonitus, cum cernit socios gladio Moysi, & Leuitarũ perire?

Terrificus Moysi vultus & radij ex ipso iaculati, inualidos, & timore consternatos reddiderunt hebraeos.

3. Prælusit quodam IESVS inter peccatores commoratus huic terrori mirificis signis, cum adiens templum sacrum, nundinatores, & nummulatores expulit, & violatum locum iniquis commerciis mirabili animaduersione sacerdotum, abactis inde pecoribus, & sordibus perpurgauit. Ioannis cap. 2. ver. 14. *& inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.* Magnum spectaculum, sed horrore plenum cernere IESV dextram ad benefaciendum semper extentam, quæ cæcis oculis indidit lumen, surdis auribus auditum, febricitantes, & languentes sanitati restituit, ad vitam reuocabat vita defunctos; nunc scuticis, ex horridis loris compactis, armatam, in improbos irruentem, & desæuientem. Quam terrificus apparet IESVS cum ostentat vultum irati, & post tot tantaque munificentiæ opera minatur flagella? eiecit turbam sacerdotum, & confluentis ad mercimonia populi, eorumque lucra dissoluit: *omnes eiecit*: sed quid est quod in aliis Christi egregiis factis, & primorum obiurgationibus, armantur omnes ad contumelias, maledicta, & dolosam vel apertam IESV captionem, hic verò verberibus lacessens turbas, & flagris cædens sacerdotes, eosque aculeatis latrocinantium iaculis figens, ab iniquis non impetitur, ab execrationibus abstinét, & citato cursu fugam capessunt? ostendit IESVS in hoc facinore iustæ animaduersionis quædam insignia formidandæ potestatis, eaque recenset purpuratus Hugo in cap. 2. Ioannis: (*Dicitur autem quod quidam radij claritatis exibant à facie eius, quibus exterriti illi homines fugiebant à conspectu eius non valentes ei resistere.* Et sapientissimus Abulensis in Matth. cap. 21. quæst. 79. inculcat quo modo tanta multitudo IESV non restitit? Et respondet. *Secundo modo poterat fieri per solã ostensionẽ terroris in facie, poterat enim aliquid ita terribile videri in vultu Christi, quo conspecto, omnes qui respicerent, timerent, & cauerent ab eo.* Et in conclusione quæstionis prædictæ subiungit: *De secundo dicendum, quod etiam ostendit in vultu suo Christus aliquid terribile, scilicet fulgoris radios procedentes, quibus hostes exterriti, resistere saltem in verbo non auderent.* Emicabat in seruatoris vultu augusta quædam, & diuina maiestas imperantis, formidandis fulgoribus temperata, quæ territabat incredulos, & potentiores quosque pauitantes consternabat: quid auderet homo contra iratum Deum in humana forma, & minacem illius vultum, qui solo aspectu gentes dissoluit, sæculi montes conterit, & ab obsequium imperij sui complanat. Hic tamen diuino mysterio factum, vt IESVS præluderet in hac animaduersione comminationi terroris sui in secundo aduentu; non enim vt patronus mercimonij causam agebat, sed vt iratus, & lacessitus iudex punitionem decernebat; vt animaduerterent Iudæi omnipotentem, cuius iræ resistere nemo potest, qui horrendo intuitu talia minabatur. Componit Rupertus lib. 3. in Ioannem geminam Christi vocem in templo editam, primam in teneris, & duodecim annis; secundam in adulta ætate grandiorem, productiorem, terrore plenam inquit ille: *Si agni mansueti mitem balatum non audierunt dicentis: quid est quod me quærebatis, nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt oportet*

D. Ioan.

Manus Iesu, ex qua fons salutis promanaurat, armatur ad vindictam flagellis.

Cur sacerdotes, & populus à Christo flagris cæsi ab iniuriis abstinuit, & citato cursu fugam capessunt?

Hugo Card.

Mirifici sui vultus splendoribus Iesus templi nundinatores exterruit.

Abul.

Rupert.

Iesus duodecim annorum edidit in templo balatum agni.

Cum sacerdotes expulit, dedit rugitum leonis. Terrore aspectus sui omnia subuertit.

oportet me esse? Quomodo saltem hunc rugitum Leonis non audierunt, in tempestate, & turbine vias suas agentis, & omnia terrore aspectus sui subuertentis, ac dicentis, domum Patris mei nolite facere domum negotiationis? Balabat agnus coram matre, adimplens munus, quod ei imposuerat Pater, tenera & dulci voce satisfaciens parentum querelis; in repulsa nummulariorum irrugit quasi leo, omnia terrore aspectus sui, & terrifico sermone subuertens. Quanta erit comminatio furoris de cælo in sua maiestate venientis, in excelso throno coram Angelis iudicantis, qui in terris positus in abiecta humanitatis forma sic apparebat formidabilis? Si tanto timore percellit iniquos ostentans flagella, quem horrorem non ingenerabit, eos cædens scorpionibus? Si illud non tam flagellum, *sed quasi flagellum*, deterruit hostes, quid facient illa flagra, & verbera crudelia cruciatus æterni, quæ non habent quasi? Si horrendus extitit balatus agni, cum pro vindicandæ domus paternæ iniuria incitatur ad iram, quàm terrificus erit rugitus leonis toto orbe resonantis, omnia horribilia minantis? Si siderum nitore, qui ad tempus emicabat in vultu deterret, & conturbat iniquos, quàm minaciter terrebit facies in cælo regnantis, tanquam sol fulgurantis? Et audire amarissimum illud verbum *non noui vos, & ite maledicti in ignem æternum*? Pulchrè Sanctus Chrysostomus perpendens quantum sit malum pacatissimum IESV vultum iratum intueri, scribit homilia 24. in Matthæum: *Si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est, à beata illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, & audire ab illo: non noui vos, atque argui quod esurienti, & sitienti negauerimus cibum & potum. Est enim satius mille fulmina sustinere, quàm vultum illum mansuetudinis pietatisque plenum, nos tamen auersantem videre, & illos placidissimos oculos nequaquam nos aspicere sustinentes.* Hæc os aureum.

Si quasi flagellū Christi, hostes deterruit, quid facient flagra cruciatus æterni.

Quam minaciter deterrebit iniquos facies Christi in cælo regnantis.

D. Chrys.

Durius est quam gehenna ab honore beata vita repelli, & audire à Christo: non noui vos.

Satius est, mille fulmina sustinere, quam iratū Dei vultum cernere.

4. Multatur maledictione iustissima impietas Cain à Domino propter horrendum occisionis facinus aduersus fratrem perpetratum, pessimúmque Caini ingenium fit patulum post Domini seueram obiurgationem, & maledicentiam; incidit Cain in desperationis barathrum, & oblitus exorandi clementiam, & veniam postulandi, & remissionem offensæ, deuorandis omnibus contumeliis, & subeundis creaturarum periculis se tradidit: ausculta quale verbum ex impudenti ore decidat: *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra.* Genes. cap. 4. vers. 14. LXX. legunt cum Græcis Patribus: *Gemens & tremens.* Quod repellatur miserabili repulsa Domino attribuit; quod se abscondat à facie Dei, sibi imputat. Cur à vultu Dominico latitare satagit, & à vultu Deifico Domini solatium solicitus refugit? Quid

Cain gemitibus, & tremoribus traditur.

Genes. Lect. LXX.

pauitat, & horrescit Cain tremiscens, & gemebundus? Quid non timeat conscientia criminosa diuino gubernaculo destituta, circumspectans vndique gladium, & manum creaturarum armatam ad vindictam malefactorum? Terrorum Caïni exordia percenset in Glossa ordinaria Procopius: *Primo quidem animum miserum terrebat futuri cogitatio. Huc accedebat metus virtutum cælestium, quas nefandi sceleris vltrices fauas fore præsagiebat animus. Si quidem verisimile est cælestes virtutes à Caino visas. Præterea. Timebat, vt inquiunt, insidias ex mundi partibus, quæ quamuis admodum vtiles sint mortalibus, & in hunc finem sint extructa, attamen malos quoque lædere norunt. Metuebat quoque insidias ferarum, quas Deus ad vindictam impiorum creauit.* Hoc singulare Caïni examen, & iudicium vniuersale omnium hominum delineauit, & improborum terrores astantium supremo iudici, horribilem sententiam expectantium virtutésque cælestes accusatrices criminum, vindices sæuas dæmonum manus, truces & formidandos vultus; creaturas ex quatuor mundi plagis armatas ad vindictam impiorum; rugitus, & insidias ferarum aduersus iniquos vindictam expostulantium. Erat timoris caput in Caino: *Animum miserum terrebat futuri cogitatio.* Non tam quod de propinquo impendebat malum, quàm quod in mortis limine expectabat extremum, & ineuitabile iudicium: scitè ergo scribit Diodorus in catena Græca Genesis, septem animaduersionibus punitum Cain: *quinta,* ait, *omnium grauissima à Dei scilicet familiaritate esse alienatum.* Et apud Chrysostomum homilia 19. in Genesim, Cain affatur Deo: *Maledictum me fecisti, & ipse me auersaris.* At, vt verum fatear, sententia illa Caini: *Et à facie tua abscondar,* maiores continet argutias, & vehementioris terroris principium, & causam indicat; absconditur à facie Dei ne illius vultum cernat iratum: Cum enim clementissimum Deum ad flagitij confessionem excitantem, inuitantem ad veniam, & misericordiæ viscera paratum effundere super ipsum interfectorem antea persensisset; nunc ex impudentia, & impœnitentia iratum, & irritatum, excandescentem, & maledictione configentem intuens, horrore terribili perculsus pauitat, & tremiscit, perpetua & miserabili conquassatione artuum clamitans quantum horrorem incusserit animo scelerati rigidum Domini alloquium, eiúsque horrificus aspectus: *à facie tua abscondar*, petam profunda terrarum, penetrabo voragines saxorum, rimabor gehennæ barathra, & profundum, ne iterum auscultem horrisonum minacis alloquij tui tonitruum; ne me inimicum feriat luminum tuorum fulmen; ne prospectem horrificum iraque inflammatum vultum: contemnam facilè gladiorum impendentium carnificinam, incursúsque bestiarum, ne mihi terribilis irati Dei vultus occurrat.

Quam plurimi terrores Caino imminentes.

Glossa. Procop.

Miserum terrebat cogitatio futuri.

Pertimescebat cælestes virtutes nefandi sceleris vltrices.

Timebat insidias ex mūdi partibus. Metuebat insidias ferarum.

Diodor. Cat. Græ.

Grauissima punitio Caïno infliēta esse alienatū à familiaritate Dei.

Cain absconditur à facie Dei, ne illius vultum cernat iratum.

occurrat. Mœrebat, & gemebat miser conſcientia delicti, cruciabatur continuis angoribus imminentium ærumnarum, de faciei Dominicæ acerbitate, & indignatione erat tremor cruciatuſque vehementior, & pœna productior: *Et à facie tua abſcondar.* Si hoc tam acerbum malum eſt in Caïni iudicio, quantum erit in iudicio extremo? Pulchrè Sanctus Chryſoſtomus homilia 5. ad Romanos, ait: *Qui ſenſu ac mente preditus ſit, is certè gehenna pœnam tolerare malit, quàm aduerſo Deo ſtare.*

D.Chryſ. *Quam intolerandum ſupplicium, aduerſo Deo ſtare.*

5. Cùm ex Apoſtolorum ſodalitio Petrus, Iacobus, & Ioannes ſpeculatores fierent magnificæ gloriæ IESV in transfiguratione, recenſet Matthæus ad vocem Patris de cœlo, & nube delapſam horrore quodam conſternatos in faciem cecidiſſe cap. 17. verſ. 6. *Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.* Quid pauitant Diſcipuli ex tanti ſpectaculi intuitu, cùm in eo nulla ſit materia formidinis, ſed totius voluptatis, & exultationis ſcaturigo; quid ni diffluant deliciis animi, & corpora ineffabili gaudio delibuta geſtiant, cùm placidè allectentur ad beatæ vitæ, & cæleſtis regni conſortium? ceſſet pauor, exulet horror, vbi nullum humanæ vitæ detrimentum imminet, ſed ex transformatione mirabili, corruptibili corpori noua perennis gloriæ promittuntur decora. Magni timoris, & conſternationis cauſam aſſignat Albertus Magnus ex Sancto Chryſoſtomo hæc transferens, cum ſcribit: *Timuerunt valde, non aliquid mali, quod ibi non erat, ſed terribili inſolita maieſtate, & coruſcatione, qua humana infirmitas ſuſtinere non poterat, licet ad ipſam primitus facta ſit.* Humana infirmitas ſuſtinere non valuit illud eximiæ gloriæ pondus, ex IESV facie emicantem ſplendorem, & iaculationem cæleſtium radiorum, ideò horrore perculſi, conſtrictis fulgore luminibus, & cæcutientibus In terram pronunt; vt montis pauimentum aduerſus nitentes, & verberantes radios ſit tutamentum. Ad rem Magni Alberti prolata ſententia eſt. Sed cùm Euangeliſta narret ad paternæ vocis auditum Apoſtolis incuſſum terrorem, altera metus origo inueſtiganda eſt. Tenor verborum Matthæi hic eſt cap. 17. verſ. 5. *Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.* Reſonante voce Patris in eorum auditu, inſolito metu, & horrore correpti in terram cadunt. Placidiſſima, & iucundiſſima vox Patris omni plectro, & canoro concentu, & cantilena ſuauior ipſos erectos, arrectis auribus adſtantes tenere debuiſſet; cur ipſa reſultante in auribus, in terram corruunt? An quia velut tonitruum reboans ex nube diſcuſſum Apoſtolos tremefactos deiecit, in terram ſtrauit? Non eo inficias. Alteram contemplationem non diſſonam poterit lector, ſi ei arriſerit, prædictis annectere. Si vox Patris ſolummodo enuntiaret illa duo commata: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Et non adiiceret ſequentem: *Ipſum audite.* Sicut in eodem Matthæo ſupra cap. 3. verſ. 17. pronuntiauerat; forſan non inhorreſcerent, aut conterriti in faciem caderent; cùm verò adiungitur: *ipſum audite.* expaueſcunt, & tremiſcunt. Quam ob rem? Quia IESV tanquam legiſlatori, & iudici obſequium ab Apoſtolis præſtandum à Patre iniungitur, & intimatur. Ritè Albertus Magnus ait: *ipſum audite quaſi legiſlatorem.* Legiſlatori autem incumbit ſuarum ſanctionum obſeruantiam à ſubditis exigere, nec earum contemptum impunitum abire permittere; mercede propoſita allicere obſeruatores; at refractarios, & transgreſſores ſuppliciis coërcere. Cùm ergo IESVS legis Euangelicæ lator, noui inſtituti Doctor, viuorum mortuorúmque iudex conſtituitur à Patre, qui condemnatoriæ vocis fulmine, & terrifico aſpectu, metum æternæ mortis inferat delinquentibus, eos à ſe repellat iratus, & cæleſtis regni conſortio excludat; expaueſcentes tremunt Apoſtoli: *Et timuerunt valde.* Hinc difficilioris nodi ſolutio patet, qui conſtringere poſſet ingenia doctiorum, cur ad ſimilem vocem, & approbationem Patris, cùm IESVS Iordanis lymphis intingitur, Matth. cap. 3. verſ. 17. *Et ecce vox de cœlis dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Nec horror nec metus iniicitur audientibus, nullum conturbatum, patentibus cælorum ianuis, voce Paterna de cælis dilapſa, & columba ſuper caput IESV inſidente, apud ſcriptores ſacros lego. Cur ita? Diſcrimen vtriuſque, literaturæ maximum eſt. Quia non in baptiſmate IESV, ſed in transfiguratione poſtrema clauſula iudicialis vocis, & poteſtatis adiicitur: *ipſum audite.* Arguté id indicat Cardinalis Caietanus: *In Baptiſmo paterna vox non dixit ipſum audite: ſed modo hoc addidit propter myſterium. Tunc enim regeneratio, modo doctrina ſignificatur. Et propterea tunc ſatis fuit teſtificari quod eſt filius: modo oportuit teſtificari quod eſt Doctor audiendus à mundo, præſertim de futuris in alia vita, quæ IESVS prædicabat, propter quæ transfiguratio iſta patrata eſt.* Erat abſcondita à mortalium cordibus notitia futuræ, & æternæ felicitatis, aut pœnæ; quare paſſim IESVS eam auditoribus inſerit, & parabolarum inuolutos ſermones cæleſtis patriæ, & gehennæ, placidiſſimo eloquio aperit; ideo ſe ipſum introducit aut diſtribuentem palmas, & coronas ſectatoribus, & Crucis ſuæ baiulis; vel trudentem in vincula, exteriores tenebras, cruciatus crudeles, & ſupplicia ignis æterni, incredulos & improbos; hæc ſecum tacitus perpendentes ſuperno afflati lumine Apoſtoli, æquitatis diuinæ decreta venerantur cernui, & filiali timore contremiſcentes

D.Mat.

Pauor diſcipulorum in Chriſti tráſfiguratione vnde extitit.

Alber. Mag. D.Chryſ.

Deterriti ſũt inſolita maieſtate, & coruſcatione.

D.Mat.

Cur reſonãte gratiſſima voce Patris, Apoſtoli in terram corruunt.

Ad verbum illud ipſum audite conterriti expauerſcunt.

Alber. Mag.

Ipſum tanquã legiſlator, & Iudex à Patre proclamatur.

Iudicem ipſum terrifico aſpectu metũ æternæ mortis iniicientem, pauent.

D.Mat.

Baptizato Ieſu & voce Patris cœlo ad ipſum delapſa, nullus conturbatus legitur.

Caiet.

In baptiſmo vox non dixit ipſum audite.

In transfiguratione, declaratur Ieſus doctor de futuris in alia vita.

miscentes exhorrescunt, mente agitantes, quam horrificum foret IESV vultum sontes damnantem cernere, qui nunc prospectabant instar solis placidissimè fulgentem. Initiauit IESVS hunc timorem in transfiguratione, solidauit in prædicatione, consummauit in triumphali ad cœlos ascensione; cùm enim Discipuli intuerentur in cælum gradientem, super aëra se se librantem, velut attonitos, & stupentes solatur Angelus alloquio, Actor. cap 1. vers. 11. *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? Hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, queadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Examinat Sanctus Augustinus parilitatem abeuntis, & redeuntis IESV sermone 6. de Ascensione his verbis: *Sic veniet. Vna erit euectio, vna lætitia nubifera, vna species mansueta, sed iustis clarifica, & peccatoribus metuenda. Non vos terrebit aduentus, quos consolatur eius ascensus.* Et sermone 7. scribit idem Aurelius: *Profectus est desiderabilis, non veniet vobis terribilis. Sic veniet ipso corpore, in ipsa nube, in ipsa veritate, vobis in amore, impiis in tremore. Beati quibus vere dicitur: sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Nunquid sic veniet oculis peccatorum? Ipsa erit veritas, sed non erit ipsa securitas. Dies erit tremendi iudicij*, &c. Hæc ille.

Iesu in cælos ascendente, discipulorum stupor. Act.

D. Aug. *Species Christi in secūdo aduentu iustis clarifica, peccatoribus metuenda.*

Veniet Apostolis, & iustis in amore, impiis in tremore.



Dominus ad iudicandum veniet. Quare atteritis populum meum, &c.

DISCVRSVS II.

Finali Dei iudicio prima venit examinanda causa pauperum, egenorum oppressio, & à potentioribus continnata vexatio.

1. NON est oblitus pauperum suorum IESVS Patri conregnans, sedénsque Regio throno ad eius dextram, eos tutatur ab improborum thecnis; & cum orbis totus scelerum suorum districtè coarguetur, liber in quo exaratæ sunt maledictiones, vexationes, conuicia in pauperes iactata primus proferetur. Id non obscurè attestatur Psalmographus Psalm. 74. vers. 3. *Cum accepero tempus, ego iustitias indicabo.* Quo in carmine communi plausu circumfertur illa commentatio Sancti Bernardi sermone 55. in Cantica, & Hugonis Cardinalis ex ipso fere mutuata verba promentis. *Iustitias indicabo. Terribile verbum, quod non tantum peccata iudicabit: sed & iustitias: scilicet bona opera examinabit.*

Psalm. *In secundo aduentu Dominus non solum peccata, sed opera bona iudicabit.* D. Bern.

Quid mirum si primores sanctitate Heroës ad iudicij memoriam expaueicant, in quo non tantum scelera districta, & iusta animaduersione punienda, sed rectè facta subtili discussione & trutina diuini iudicij libranda, & clarissimis lucernis diuinæ sapientiæ perscrutanda. Nihil tamen obest si verbum illud *iustitias* simpliciter vsurpes pro forensibus iudiciis, & magistratibus penes quos est summa iudicandi potestas, & Hispane dicimus: *Las Iusticias.* Iudicabit Deus iustitias an alicui vim iniquam intulerint, an protulerint iudicium iniquum contra inualidos, an cum iudicialis potestatis insignibus iustitiæ laruam præferentes, iniustitiam operibus ostendentes, iniuriam pauperibus irrogarint. Pulchrè ait Euthymius verba Psalmi ex persona Christi accipienda, dicentis: *Nolite esse pusillanimes, quia cum iudicij tempus accepero, iuste omnes iudicabo, tam eos, qui intulerunt, quàm eos, quibus illata est iniuria.* Argutè quoque Sanctus Bernardus epistola 1. aiebat: *Quid faciet de iniustis iudiciis, qui ipsas quoque iustitias iudicabit?* Additque epistola 37. *Ego iustitias iudicabo. Quod si iustitias, quanto magis iniurias?* Iniurias vexatorum pauperum per manus robustorum perpessas iudicabit Deus: aduersus iniquos in iudicio primum patrocinium egenorum suscipiet, vt eos ab illata vi soluat, ab immani exactione Dynastarum vindicet. Pulchrum spectaculum cernere ærumnosum, & pannosum fortunis suis spoliatum, sub vmbra culminis Domini susceptum, diploide iustitiæ, & corona perennis gloriæ ornatum manu Deifica, ductatum, introductum in cæli atria, & satrapam opulentum, & deprædatorem nudatum copiis, vestitum ærumnis, circundatum flammis, æternis vinculis trusum.

Iustitias, hoc est iudices, & magistratus Dominus iudicabit.

Euthym.

Iudicij tempore Dominus, tam iniurias sustinentes, quam inferentes iudicabit. D Bern.

Qui iustitias, quantò magis iudicabit iniurias?

2. Tanti iudicij seueritas delineata, & adumbrata est Iudæis in bifidatione Erythræi maris, & summersione Ægyptiorum in relabentibus vndis. Exod. cap. 14. vers. 24. *Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum super columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Placabilis vnda bonis, implacabilis, & irata proteruis: æquoris concitati ventorum flamine profundum populo Dei portus pacatissimus, & vita, falcatis curribus, & instructis Pharaonis aciebus naufragium, & mors extitit: cùm enim gens impia liuoris, & vindictæ rabie percita insectatur Israëlem ad internecionem; persecutus inuenit in mari semitam florigeram, & germinans pratum de profundo nimio; persequens nactus est sepulchrum, & inundatis lymphæ operimentum: ille enim aspectus Domini in columna, tanquam in throno præsidentis iudicialis seueritatis, & potestatis indicia exhibuit. Opportune Glossa interlinealis hoc in loco ait: *Qui fulsit piis, obruit impios. Quia terribilis impiis, blandus suis.* Sic enim nubis, & ignis symbola, ex quibus compacta columna, & Domini subsellium expendit

Exod.

Rubri maris vnda bonis placabilis, irata proteruis.

Glossa.

Deus protector depressorum, & vltor contumaciū.

Orosius. *Deus protector depressorum, & vltor contumaciam.*

pendit. Et Paulus Orosius accurate enumerans Ægyptiacam cladem lib. 1. cap. 10. scribit: *Protector depressorum, & vltor contumacium Deus.* Nubes, & ignis columnæ Dominici throni, vtrorumque merita, & flagitia discernit, ærumnosos, oppressos nubes protegit; ignis impios, & contumaces exurit; iam de columna prædicebat iudex supernus quo pacto discriminabit probos ab impiis in extremi examinis articulo; quod ostendet vultum gratiosum iucundum pulchrè arridentem electis terrificum & minacem damnatis. Quam horribiles iras, & flammas iactauerit vultus Domini, & illius aspectus edocet Hugo Cardinalis. *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, id est, intolerabiles imbres, & graues tonitruos, & coruscantes lampades iniecit in eos.* Quæ verba desumpta videntur ex Iosepho libro 2. cap 7. qui ait: *Accesserunt & imbres de cœlo, & aspera tonitrua fulgoribus simul intermicantibus: fulmina quoque deferebantur, & nihil omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent.* Quæ omnia accidisse cecinit Psalmicen Psalmo 76. vers. 18. & 19. vt omnia irati Domini perspicuam exhiberent formam.

Hugo Card. *De ignis columna in Ægyptios intolerabiles imbres, tonitrui, & fulmina iactata.*

Irati Dei signa.

3. Illud tamen superest hoc in loco accuratius expendendum. Cum orbis totus aduersus Ægyptios emicare cernitur, telis de nube fulgurantibus, & mugire fulminibus; horrisonisque tonitruis terra, concutitur, & quassatur, illiúsque solidata compago insolito tremore videtur dissolui; cur omnia hæc armatorum missilia de columna, nube, & cælo pugnantium; non tantum aduersus Ægyptios, sed potissimum in currus eorum, & rotas fuerint directa, & iactata? Id fatetur Regius pastor Psalmo 76. vers. 19. *Vox tonitrui tui in rota.* Addit paraphrastes: *Audita est.* Et Lorinus ibidem ait: *Quæ versio innuit fragorem tonitrui in rotis ipsis curruum subuersorum: quibus vt dixi vehebantur Ægyptij.* Hæc tamen omnia (vt percontationi eamus obuiam) non sine speciali prouidi numinis nutu patrata, vt paria paribus referret Ægyptiacis hostibus: Iudæi enim grauioribus ærumnis vexati, attriti, & pene consumpti sunt crudeli exactione fabrilis operæ laterum; & collectionis palearum, vinculis onusti, flagellati scorpionibus. Plaustra, corbes, trahas, & carpenta calce, luto, lapidibus onusta trahentes, ad vrbium, murorum, & munitionum structuram. Hebræorum calamitatem recenset Philo Hebræus apud Pererium disputatione 5. *Rex indigna seruitute subiugabat quasi iure belli captiuos aut emptos de lapide: cogebatque ad opera seruilia homines non solum ingenuos, verum etiam hospites, supplices inquilinos: Nihil veritus numen, cui exosa sunt id genus iniuria. Operibus præerat immitissimus quisque, atque crudelissimus, quos exactores operum appellabant ab hoc officio: & ad publica ædificia, & propugnacula extruenda: dies noctesque conuehendo materiam sine intermissione.* Et Iosephus apud eumdem ait: *Inhumane tractabant Hebræos, & variis laboribus conterebant.* Has omnes ærumnas Hebræorum mirabiliter refusas inuenies in punitione Ægyptiorum, nimirum oppressionem, violentiam, contritionem, vincula, flagra, vulnera, omnium malorum pondera. Quare in iis verbis: *Interfecit exercitum eorum*, Hebraïce habetur: *contriuit.* L X X. & Chaldæus: *Conturbauit:* Abulensis: *Vulnerauit.* Et ex illis: *Subuertit rotas curruum.* L X X. vertunt: *Colligasse.* Vatablus: *Constrinxisse.* Et poëta Ezechielus apud Eusebium Cæsariensem: *Curruum autem rota non vertebantur, tanquam vinculis alligata.* In hac postrema clade Ægyptiaca omniúmque grauissima perspicue demonstratur, quàm violentum sit brachium supremi iudicis pugnantis aduersus inimicos principes. In hac funestissima catastrophe Ægyptiacæ tragædiæ sole clarius innotescit agere Deum in illo columnæ solio munus patroni egenorum, seuerissimi iudicis, & animaduersoris impiorum, quos subire cogit omnia dispendia honoris, & vitæ, & graues ærumnas illas, quibus abiectos inquilinos Hebræos subiugauerant. In qua congerie ingruentium malorum illud exacte curabat Deus, ne vllum in Israëliticum populum commissum piaculum, abiret impunitum. Itaque dum mare rubrum bifidat Deus vtrinque marginibus rigentium vndarum, & in montium facies latera erecta suspendit; inoffensi limitis spe lubrica prouocati, foueam insperatæ mortis intrant Ægyptij, vt aquarum, instar satellitum adstantium, mole, obrueret, & grassantium malorum iaculis collimatos currus & equites ad exitium feriret. Cerne iusti remuneratoris congruentissima flagra inter exactiones, & violentas tyrannides ab Hebræis perpessas, & Ægyptiorum cruciatus pulchra parallelia. Obruit aqua eos, qui premebant Hebræos portatione aquarum ad laterum fabricam, & mœnium lituram: *Exercitum eorum contriuit*, qui, iuxta Pharaonem, *inhumane tractabant Hebræos, & variis laboribus conterebant*, Vulnerauit eos, qui senticosis scuticis cædebant, & cruentabant Hebræos. Colligauit, constrinxit rotas curruum eorum, qui neruo ferreo, & catenis innexos Israëlitas tenebant. Tonitruum horrisoni fragores in rotarum vertigine resultabant, quia elata voce, fastu plena, & grandi boatu ad exactionem laterum miseros territabant. Deflagrabant falcati currus, & eorum structura spiculis ignium cælitus dilapsis, quia in camini gliscentibus flammis ad coactionem laterum, Hebræorum fuliginabantur, & detorrebantur vultus, & manus. Sed in primis in carpenta Regalia, sedésque curules diuexandas, dissoluendas directa est procella missilium supernorum, quia in portandis arenæ cophinis, vehendis super scapulas luti oneribus, ductandis plaustris palearum, & bituminis, erat labor durior, diriorque cruciatus; dissipantur coluri rotarum, vehicula exactorum, qui Hebræis tanquam animantibus

Cur fulmina & tempestas ignis ad currus, & eorũ rotas directa.

Psalm.

Iudæi vinculis adstricti trahebant plaustra luto, & lapidibus onusta, ad structuram murorum.

Phi. Heb.

Exactorum crudelitas in captiuitate Ægypti.

Ioseph.

Omne ærumnarũ genus, quod sustinuere Iudæi à Domino vindicatur, cũ Ægyptios subuertit in mari.

Lect. Heb. Lect. Lxx. Chald. Abul. Vatabl. Ezechiel. Euseb.

Ægyptiorum curruum rotæ non voluebantur, tanquam vinculis alligatæ.

Ægyptia exactionis crudelis in Hebræos, & punitionis dominica inflictæ Ægyptiis pulchrũ parallelum.

animantibus gerulis, & baiulis ad inuehendam pergamorum materiam, abutebantur. Pulchre colludunt verba Vatis: *Quare atteritis populum meum?* Cum verbis Philonis: *Et variis laboribus conterebant.* Et exactiones consonant suppliciis: *Subuertit, contriuit rotas curruum.* Clarior est Deo egenorum afflictio, quæ summo cruciatu, & principaliori supplicio, de supernæ potestatis imperio animaduertitur.

Populum cōterentes Dominus conterit.

4. Schema perpulchrum extremi examinis ostendit sapientissimus Daniel cap. 7. vers. 9. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda.* Et vers. 10. *iudicium sedit, & libri aperti sunt.* De filio Dei, qui iudex est viuorum & mortuorum, cui omnem iudicandi potestatem dedit Pater, millium Angelorum obuallatur agminibus, vsurpat vaticinium præsens Rupertus lib. 1. in Daniëlem cap. 12. fine. Vocatur *Antiquus dierum*, iuxta Sanctum Hieronymum, *vt maturitas sententiæ comprobetur.* Et iuxta Lyranum, *quia sententia Dei non est festina, sed mature prolata.* Per vestimenti vero purissimum candorem instar niuis exalbescentem, ex Theodoreti placito: *Vndique inculpatam, & sanctam diuinam naturam intellige,* Et ex Glossa inter lineas exarata: *Purum ostenditur, sincerumque iudicium, & nullam personam in iudicando recipiens.* Hæc omnia vera, iucunda, consona vatidico Danielis effatui; illud tamen superest inculcandum, cur sacrum Christi iudicis capillamentum cum lana comparet? Apud sponsam sacrati verticis I e s v excubiæ instar auri fului nitent. In transfiguratione solaribus vultus I e s v radiorum ictibus fulgent cincinni. Apud Ezechiëlem pulcherrimi iridis ambientis fulgoribus coruscant pellucidi. Quare apud Danielem, munus iudicis I e s v obeunte, capillitium instar lanæ mundæ apparet albidum? Huic quæsito obuiare poteris, si supponas, lanam humanitatem Christi innuere ex virgineo vellere, & Mariæ lanificio exortam. Quare Sanctus Ambrosius serm. 9. qui est tertius de natiuitate rationem exhibens cur Maria velleri comparetur, ait: *Vellus plane Maria est, siquidem de molli sinu eius agnus egressus est, & ipse matris lanicium, hoc est carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera peccatorum.* Nec mirum si lanam, seu hominis naturam in capite portet, eàque glorietur tanquam lanea cidari, & diademate regni, quo coronauit eum mater sua; si eam ostentet tanquam iudiciariæ potestatis insigne, quia Pater, iuxta Ioannis Theologi mentem cap. 5. vers. 22. 27. *Omne iudicium dedit Filio, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Itaque lanam humanitatis symbolum in capite gestat, per quam vt homo accepit à Patre supremi iudicis trabeam. Voluit enim Deus homines per hominem iudicare; vt per quem accipiunt salutem, & vitam, recipiant quoque suæ causæ sententiam. Illud tamen subtilius adiicere poteris, lanam innuere operimentum nuditatis, lana enim corpus humanum fouet, & ornat, medetur languoribus, vulnus quoque lana suffunditur. Vnde lana munda capitis in throno præsidentis summam pietatem, & misericordiæ viscera in pauperes & egenos effusam indigitat; charitate enim sua scelerum multitudinem operuit, plagas, & vibices flagitiorum lana suo sanguine rubricata aboleuit. Obtexit nudos, spoliatum indumentis innocentiæ hominem tunicis pelliceis induit, & muniuit gratiæ operimentis; nec carnem despexit suam. Quo in loco grauiter obiurgat potentiores ferina immanitate instructos, qui pannosos, & miseros corporeis integumentis nudatos, pane vacuos, nec alimento, nec vestimento confouent. Vnde in iudicio prima erit I e s v disquisitio, & cum opulentis disceptatio de cibo, & indumento pauperum. Matth. cap. 25. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Nudus, & non operuistis me.* Benedictus Iob à Domino, & possessionis ęternæ mercede gaudet, qui benefacta commendat misericordiæ suæ cap. 31. vers. 19. 20. *Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum; & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est.* Despecta, & abiecta miserorum corpora vestimentorum adornabat insignibus, tollebat nuditatis pudorem. Hæc vellera, has lanas ad inopum indumenta contextas tanquam pietatis coronamen supremus Imperator in capite suo portat. Rursus vt proposito Danielis vaticinio nouum splendorem adiicias, lanam Christus in capite portat, quia primi ad tribunal Christi adeunt pastores ouium suarum rationem redituri, de quibus Ezechiel cap. 34. vers. 2. scribit: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini.* & vers. 8. *Facti sunt greges mei in rapinam.* Egenos velut oues spoliabant, eos excoriantes, vellerum suorum lanas euellentes, & expilantes. Quid mirum si apud Daniëlem lanas in capite ostentet iudex, tanquam argumentum crudelitatis, & rapacitatis pastorum, qui multandi sunt irreuocabili sententia capitis. Despexistis mendicos, & conculcastis, truculenti raptores facti fortunarum suarum. Hæc direptio prima diuinis scribitur in diurnis, copiis alienis tanquam lanis operti, & ornati inceditis; sed Deus pauperes suos non despicit, oues suas princeps pastorum non repellit, lanas direptas ad examen vocat sedens pro tribunali, nec stupens si lanarum ostensionem faciat, illasque præferat in capite, qui ouem totam super humeros deuexit errantem.

Daniel. *Extremi examinis schema apud Danielem.*

Rup. D. Hier. Lyran. *Antiquus dierū iudex dicitur, vt maturitas sententia cōprobetur. Sententia nō festina, sed mature prolata.*

Theodor. Glossa. *Candor vestium in iudice inculpatam vitam denotat, & sincerum iudicium sine acceptatione personarum. Cur Christi iudicis capillitium cū lana comparatur.*

D. Amb. *Caro Christi lana, Maria vellus & lanicium, ex quo cunctorū operit vulnera peccatorū.*

Humanam naturā quā accepit à matre Christus, tanquam iudiciariæ potestatis insigne in capite portat.

D. Ioan.

Lana innuit operimentum nuditatis.

Lana in capite iudicātis misericordiā in egenos ostendit.

Lanas ad inopum indumenta contextas, tanquam pietatis coronamē supremus iudex in capite portat.

Ezech. *Iudex Christus in capite lanam ostentat quiā quā principes euellunt, & expilant ab egenis.*

5. Tacitus perpendit Regius Psaltes quam paraturam adhiberet, vt irato Deo ex aduerso staret, ad vindictam inimicorum armato, mitigaret querelas Leonis de tribu Iuda, aduersus flagitia rugientis, corda hominum ad postremum scrutinium aduocantis. Psalmo 48. vers. 6. cur timebo in die mala? Diem malam nuncupat extremum iudicium, in qua malorum omnium

Psalm. *Cur extremi iudicij tēpus dies mala nuncupetur.*

omnium fiet recensio, & recapitulatio; diem in qua imminet auersio Dei, & in æternos cruciatus irreuocabilis repulsio; illud enim malum tantummodo pertimescendum, quod excludit à vero bono, in quo est summa fruitionis felicitas. Opportunè Theodoretus scribit Dauidis, & omnium iustorum personam agens: *Timeo, & perhorresco remunerationis diem, in quo iustus iudex cuilibet secundum opera eius retribuet.* Itaque Dauid Rex in persona potentatuum, quos ira Domini, & timor sanctè corripit, se ipsum intra conscientiæ penetralia recolligens, solerter ab ea disquirit: *Cur timebo in die mala?* Seuerum tribunal ascendit pectoris, & salutare iudicium, quod non solum exteriora flagitia examinet, sed scrutetur interna. Quæ occasio poterit esse metus, pudoris, & confusionis æternæ, quando ante faciem Dei iudicantis comparuero, omnia facta, & opera ad disceptationem vocat arguitiuam, vt ipsum coarguant, & reuincant. Vnum tamen crimen caput efferre insolentius experitur, & aduersus animi sui constantiam, & in omnibus operibus æquabilitatem validius pugnare: nimirum calcanei iniquitatem: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Quę autem sit iniquitas calcanei? non omnibus in promptu est. Aliqui huius vitæ semitam lubricam ærumnarum anfractibus, variisque obnoxiam criminibus accipiunt. Alij verò extremum piaculum, quod mensuram complet omnium, & coaceruat, & in calce vitæ, seu limine mortis, æternæ damnationi hominem tradit. Alij denique calcaneum, carnis illecebram censent esse, quæ instar serpentis, & cerastæ in vitæ semita, corporis huius vngulam, in quo velut inequitat anima, ex insidiis adoriatur, & mordeat, vt equum strangulet, & sessorem eius interimat. Ex quo enim serpens veternosus callidusque Euæ calcaneum momordit, ex infirmitate carnis prosternere satagit fortiores. Sed quidam argutias comminiscuntur in calcanei iniquitate, Chrysostomus, & Theodoretus, existimantes iniquitatem calcanei esse crimen fraudis, violentiæ, & rapinæ. Scribit os aureum tom. 1. in Psalm. 48. *Quid ergo timebo in die malo? vnum tantum, ne forte via mea & vita iniquitas me circundet. Scit scriptura fraudem vocare calcaneum, est enim peccatum res eiusmodi fraudulenta & apta ad arripiendum.* Subscribit Episcopus Cypri: *Calcaneum aliqui vitæ iter nuncuparunt; ego vero opinor fraudem significare, ex translatione eorum, qui currunt, qui calcaneo sæpius aduersarios deiiciant.* Iuxta quorum consensum Regius Lyricen super omnes improbitates iniquitatem calcanei, fraudis, & direptionis pauperum adstruit à principibus, & Dynastis pertimescendam. Calumnia egenorum, circumuentio inopum, mercedis defraudatio, exiguæ fortunulæ direptio, iniquitas calcanei est, qua robustiores, & opulentiores super pusillos, & tenuis copiæ homines magnificant supplantationem, vt eos pessundent, calce opprimant, & contundant. Hæc igitur calcanei iniquitas, ex insidiis adorta principes, eos circundat, tanquam valida manus omnibus telis armata, colligatos, & innexos suæ improbitatis testibus ante tribunal Domini sistit; vbi caterua pauperum, & egentium eos circunstans, iniuriam sibi factam fremit; has copias, non iaculis, sed irrogatis sibi iniuriis instructas, vindictam expostulantes; super sæculi potestates leuantes calcaneum, vt retrorsum prolabantur, & in æternum non resurgant, iure in depositione tabernaculi sui Rex Sanctus exhorruit.

Theodor. — *In iudicio extremo Dauid plus timet iniquitatem calcanei.* — *Quæ sit calcanei iniquitas.* — *Diuersa placita. Huius vitæ semita. Extremum piaculum. Carnis illecebra.* — D. Chrys. *Calcanei iniquitas est crimen fraudis, violentiæ, & rapinæ.* — *Fraus facta pauperibus, diuites in extremo iudicio supplãtat.*

6. Sapientissimum diuitem, prudentissimum publicanum Zachæum prædicabo, qui amicos sibi fecit de mammona iniquitatis, vt eum reciperent in æterna tabernacula. Vix domum suam Christus hospes ingreditur, & triclinium præparatum conuiuio, non tam fulget peristromatis, quàm aulæis pietatis, vt epulaturus IESVS gratiùs recumberet in Zachæi misericordiæ pleno pectore, quàm syrmate, Lucæ cap. 19. ver. 8. *Stans autem Zacheus dixit ad Dominum: ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum.* Non enim curriculo ad vicinos contendit, mensas, subsellia petens eburnea, nec extraxit è penetralibus, & arcanis thecis Laconica quædam mensarum velamina, aut suffimenta exquisita adoleuit, quæ peregrinum afflarent naribus odorem: non tubicines conduxit, aut canentium chorum, qui dulci modulo aures demulcerent conuiuantium; sed superiorem vocem retulit omni apparatu Regio digniorem, omni canoro concentu Domini, & Angelorum auribus dulcius perstrepentem. *Stans autem Zacheus.* Stetit vitiorum tumulo, auaritiæ sepulchro qui iacebat. Stetit aduersus contractuum iniquorum cohortes contra se armatas pugnaturus, arcem auaritiæ expugnaturus. Stetit vt iniquæ cupiditatis sordibus abdicatis cœli alta contingeret. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus,* &c. Miratur Dominus, stupent Angeli tantæ liberalitatis in homine publicano, & diuitiarum tenaci prodigium! Erythrei maris diuortium aquarum, & diuisionem ponti excedit tam singulare miraculum; difficilius namque est sequestrari ab auari corde diuitias male partas, hilariter deuoratas, in propriam substantiam digestas, dispertire proprias pauperibus, & defraudatos iustis ditare, & abundantioribus compensare redditibus, quàm bissidare æquoris fluctus; sed quid non præualet dominantis IESV virtus, & lumen, quod copiosa misericordia se se in Zachæi pectus infudit. *O mira Zachæi deuotio!* (inquit os aureum sermone de publicano in tomi secundi calce) *substantiam suam in duas diuidit partes, separat ab extraneo proprium, diuidit à fraudibus suum. Discernit à bonis suis, quod fuerat alienum. Pars proficit in misericordiam, pars impenditur in rapinam redimendam.* Vidistin mirabilem, & inauditam diuisionem? Quis docuit Zachæum alienæ pauperum fortunæ raptorem, & liguritorem, dirimere, & sequestrare à se, quod retinebat in se? Nulla obiurgatio fraudis, aut iniquitatis mammonæ, nulla concio habita pro epulantium rostris de restitutione alienæ possessionis; quis publicanum impulit, vt illata malis quæstibus damna sarciret, & eleemosynam

Sapientis diuitis Zachæi magnalia. — D. Lucæ. — *Zachæi statio mirabilis aduersus auaritiam, & citrallam impiet.* — *Diuortium diuitiarum à Zachæo factum, cum diuisione aquarum maris rubri comparatur.* — D. Chrys. — *Quã pulchra in Zachæo fuerit stum partitio, & discretio.* — *Pars proficit in misericordiam, pars impenditur in rapinam redimendã.*

Coram iudice se ipsum iudicat & multat, ne iudicetur postea de fraude, & rapina facta pauperibus.

mosynam fœnerando pauperibus, se ipsum redimeret, pium inueniens animæ suæ lucrum? Inter. symposij fercula illuminatus fulgore Solis æterni Dominum conuiuantem agnouit iudicem, in excelso throno sedentem, patronum oppressi pauperis, animaduersorem diuitis fraudulenti; ideo prius se ipsum diiudicat, & addicit pœnæ, ne intret in iudicium cum illo Dominus. Aptè subiungit Chrysostomus: *Confitetur fraudes. Ipse se iudicat, ipse se condemnat. Non vult apud se rapinarum quidpiam residere, vt posset iudici Christo placere.* Formidabat districtam exactionem Domini, fraudulentus egenorum exactor; fatetur, & redimit direptionem alienæ substantiæ, pro censuum redditibus pensitandis vexata diu pectora egenorum, raptas opes; ideo saniori consilio cupiditatem coërcet, soluit colligationes impietatis, confractos pœnis, & coactos ad nummorum pensum iustis alleuat donariis: vt in magno die Domini iuxta misericordiæ suæ mensuram remetiatur ei, & his donis, & xeniis placatum inueniat iudicis vultum. Sciebat enim in illo Tribunali singularem disquisitionem fieri de egenorum vexationibus, & rapinis: ideo in hoc mundo se exuit bonorum præsidio, ne priuetur æterna vita, ne cum steterit ad iudicandum Dominus, iuxta Isaiæ, propositum thema illam infaustam & ponderosam nimis maledictionem incurrat: *& rapina pauperis in domo vestra.*

D.Chrysost.


Noluit apud se rapinæ aliquid retinere, vt posset Christo placere.



Stat ad iudicandum Dominus. Dominus ad iudicandum veniet.

DISCVRSVS III.

Horribile valde supremum Tribunal, in quo non solus homo tanquam reus, sed Deus ipse arguitur, & iudicatur.

1. VIS non expauescat diuinæ iustitiæ rigorem, in quo iudex ipse, qui omnium merita, & peccata discernit, districti examinis periculum subit, & increpatur vitæ criminosæ, ille qui est totius immunis delicti. Zacharias vates cap. 3. v. 1. insimulatum cernit IESVM, & strenue refutantem impacta flagitia: *Et ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei* de IESV Seruatore nostro vaticinium vsurpant concorditer Ecclesiæ Patres. Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, Hugo Cardinalis, Tertullianus, Iustinus Martyr, Gregorius Magnus, Clemens Romanus apud Glossam ordinariam. Pro *aduersaretur ei.* Ritè transtulit Vatablus: *vt eum accusaret.* Satan denotat inimicum ex odio aduersantem alicui, eiusque conatus impedientem, vbi LXX. *Diabolum* transtulerunt, id est calumniatorem, & criminatorem. Semper enim Dæmon aduersatus est Christo, & piis operibus, egregiisque facinoribus obstacula prætendebat. Diabolus stare à dextris IESV describitur, vt impudentissima superbia, & contumacia illius adstruatur; dexteram sibi asciscit, vt se iactet superiorem, & ostendat victorem in criminosæ redargutionis conflictu. Et argutè annotat Sanctus Cyrillus quod stabat Satan à dextris *aduersans & se opponens illi, vt peccatis obnoxio, & impietatis criminibus irretito.* Vt opera laudabilia, & splendida, subdola accusatione infuscet, argumentosa commenta conflans insatiabili auiditate nocendi, vt opus pium appareat piaculum, & egregium facinus flagitium. Et quod rectitudinis operante virtute positum est ad remunerationis dexteram, transeat ad castigantem sinistram. Veruntamen quid flagitiosæ redargutionis in Christo Diabolus adhibebat, qui tentans eum, & aggressus sæpissime, nulli vitio, aut sceleri obnoxium, sed segregatum à peccatoribus inueniebat? Licet IESVS sequestratus à mundo, expers delicti, omnis puritatis candor, & in carne peccatrice nullius carnalis illecebræ tributo addictus, plusquam Angelicam, & irreprehensibilem vitam duxerit, adhuc accusationibus patet, & à Dæmone increpatur, quia in huius sæculi examine, & iudicio inuenit eum Diabolus circumuestitum, & obtectum peccatis alienis; ideo subiunxit vates vers. 3. *Et IESVS erat indutus vestibus sordidis* Mea enim delicta portabat. Sumpsit supra se omnium iniquitatum nostrarum onera, imponente Patre, vt cum morte & pœnis confligeretur tanquam reus; ausus est Diabolus cum eo in iudicio contendere, publicè accusare, & vocare criminosum: quia pannosæ, & veteris improbitatis indutu obtectum, & Adami flagitio prospexit sordidatum. Quid operabitur Satan in proprio hominis crimine, qui tantum vrget in alieno? Quàm immanem exactionem, & ponderosum vectigal repetet à debitore, qui fideiussorem, & vadem addicit tam acerbæ morti, & pœnæ. Itaque accusatur de extraneo crimine, qui non habebat suum. Rursus hostis, & criminator vires resumit, in maiorem surgit audaciam, noua machinamenta redargutionis conflat, callidissimis inuentis premit argumenta improbitatis. IESVM crimen, & flagitium ex propriis habere commissum, qui tot cruciatus, & perpessiones crudeles in corpore suo sustinebat. Auctor est (inquit) culpæ, cui instat sceleratorum pœna, nec iudicat esse posse felicem, & sequestratum à peccati consortio, qui omnium hominum dispendia, omnium sceleratorum non coactus, & inuitus, sed vltroneus subibat ærumnas. Tot reclamationibus lacessitus victor euadit IESVS in stadio Satanicæ criminationis, & purgatur ab omni labe sceleris patrocinio suscepto ab Angelis increpantibus exprobrantibus hostem, ideo subiungitur v. 2. *Increpet Dominus in te Satan. Nunquid non iste torris est erutus de igne?* Quid sensus diuini lateat in his verbis,

Zachar.

Diabolus criminatur Iesũ, illumque accusat.

D.Hier.
D.Cyrill.
Hugo Card.
Tertull.
D.Iust.Mart.
D.Gre.Mag.
Clem. Rom.
Glossa.
Vatabl.

Lect.LXX.

Iesum nostris delictis indutum accusat Diabolus tanquam reum

Iesus in stadio Satanicæ criminationis victor reclamatur.

verbis, prodit solerter Hugo Cardinalis; *Dicitur autem IESVS torris de igne erutus: quia semiustus fuit igne pœnæ tantum; nos autem toti vrimur igne pœnæ & culpa in corpore, & spiritu. Vnde rubus ardens non vrebatur Exodi. 3.* Torris semiustulatus dicitur IESVS, quia non correptus in camino tribulationis flamma culpæ sed pœnæ; non exussit IESVM vitiorum ardor, nec incanduit incendio passionum, quo caro nostra peccato obnoxia deflagrat; sustinuit bustum pœnæ, in quo cælestis ales, & sacer Phœnix occidens, de omni crimine prorsus experte vita, & occasu ad immortalitatem migrat. Reliquum hominum vulgus (*si Dei Genitricem excipias semper immaculatam*) gliscentes criminis flammæ depascunt, velut carbones ignitos, flabris passionum, tanquam sontes addictos æquæ animaduersioni pœnæ temporaneæ, & æternæ & incineratos sepulchro, in fauillas fatiscentes reddit pyra illa crudelis originarij piaculi, de vtroque igitur ardore sempiterno, qui animum & corpus inuasit, eripuit gratia saluatoris. Præseruatus est IESVS de rogo criminoso protegente Deitate, & anima semper beata, quæ lignum vitæ ab omni igniculo flagitij reddebant intactum, in quo humanum incendium nullam criminis stipulam adinuenit, quam posset incendere, licet voluntarius insilierit in bustum passionis, & acerbæ mortis, ideo torris vocatur ab Angelo erutus de igne. Accusatur itaque iudex supernus, & autor vitæ, sed accusationem dirimit, victor euadit proclamatus Angelico plausu totius immunis delicti; & iusta criminatio in aduersarium retorquetur.

Hugo Card. *Iesus torris semiustulatus igne pœna incendia culpæ non vstus.*

2. In occursu mirabili trium virorum, qui apparuerunt Arahæ, postulat series verborum sacri textus aliquid pensitandum ad huius Thesis argumentum. Genes. cap. 18. vers. 1. *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cumque eleuasset oculos apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.* Cum sederet Abraham, Dominus stabat. Non irreuerens, & inurbanus sedebat solicitus hospitator peregrinantium, & munificus pietatis obsequio; sed schema perpulchrum ostendit spiritus Dei in Abrahamo iudiciariæ potestatis. Adstabat Deus tanquam in iudicio iudicandus, *apparebat tanquam reus*, vt ait Glossa, cui Abulensis adstipulatur. Venit Deus coarguere homines flagitiosos, ipse prius examinis districti periculum subit, impertita Patriarchæ censoria facultate, vt in se ipso gerat rei habitum, animaduersionis, & sententiæ damnationis sustinendæ figuram. Hinc est quod ad reuincendas nefarias iniquitates, & aduersum naturæ carnale commercium Deus iudex ab Abrahamo iudicatus in illa scena forensi se sequestrat, & administratoriis spiritibus binis delegat mortis decretum, & ignes sulphureos impluendos remittit. Genes. cap. 19. vers. 1. *veneruntque duo Angeli Sodomam vesperi.* Tum quia adeo exhorret puritatis amator IESVS inquinatos nefando scelere, vt eorum contubernium, & conspectum refugiat; ne speculum sine macula, & imago bonitatis paternæ taminetur, aut quodammodo infuscetur impudentis & propudiosæ nationis halitu. Tum etiam ob miserationem pientissimam, cùm enim habitu hominis indutus Abrahami tribunali se sistendum præbuit, expertus quodammodo est terrorem examinis, in quo vita æterna decernitur, cruciatus & ærumnas portendit damnandorum. Ideo forsan à binis cælestibus, & supremi Senatus consiliariis de industria se subduxit, vt ij soli iudicium damnationis, & iuste animaduersionis palam exerceant in Pentapoli. Proprij iudicij onus patitur apud Abrahami subsellium; à iudicio quod est humanæ calamitatis, & doloris alieni subducitur. Vbi iudicandus est, adest; vbi iudicaturus humana specie, deest IESVS.

Genes. — *Sedente Abrahamo Dominus stabat tanquam reus, & iudicandus.* — Genes. Abulen. — *Cur Iesus in Angelo adūbratus, non graditur ad incendendam Sodomam?* Genes. — *Fugit Sodomitarum contubernium, ne taminetur eorum halitu.* — *Stat coram Abraham, vt experiatur quodammodo terrorem examinis.*

3. Regius Psaltes exomologesim operatus, calidisque lacrymis diluens adulterinum carnis contagium, & mariti Bersabeæ innocentis interitum, rigidum Dei iudicium suis verbis extollit carmine pœnitentiæ suæ destinato, Psalmo inquam. 50. vers. 6. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Vel ex hoc valde pertimescendum Dei iudicium, cùm non solum peccator, sed ipse iudex Christus diiudicandus addicitur: ex suspirantis, & illacrymantis pectore effusa est loquela vehementior, & insolens tenor verborum, vbi iustitia ipsa accusatur, & innocentia nullius sceleris conscia, quæ solet iustificare criminosum, ad audientiam adducitur; cælorum princeps, viuorum & mortuorum censor comparet tanquam reus. Intrat in iudicium, non vt arguatur origo bonitatis, fons gratiæ, vt qui victus non est à crimine, non conuictus in iudicio, sed victor, & triumphator sceleris proclametur; adde iuxta argutissimam Hugonis Cardinalis mentem, ex Dauidis lapsu geminum impactum est Deo ab hominibus opprobrium, & quod frustraretur Messiæ ortus de Dauidis criminosi lumbis, & quod maior esset iniquitas Regis quàm vt veniam mereretur: Repellit ergò Deus duplicatam imposturam, & accusationem, & dissipat suæ gloriæ dispendium; quod est flagitij, misericordia: quod est veracitatis, inuariabili fidelitate promissi: Verba sunt Hugonis non minus sacræ purpuræ trabea, quàm sapientia illustris. *Ideo petit* (David) *vt mundetur ab hoc vt hæc promissio impleatur, quia quidam dicebant, quod propter peccata Dauid impediretur illa promissio, nec de eo Christus nasceretur; sed non aduertebant quod dicitur, iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum &c. Vt iustificeris in sermonibus tuis, quibus peccatoribus pœnitentiam promisisti. Dicebant enim quod tantum peccauerat Dauid*

Psalm. — *Deus iudex iudicatur, & accusatur, vt vincat.* — *Orat Dauid, ne fine criminis perpetrati, frustaretur Messiæ ortus.* — Hugo Card. — *Iustificatur Deus in pœnitentia peccatoribus promissa.*

Digitized by Google

Maior est Christi pietas, quam quæuis iniquitas.

Deus apud homines se iustificat accusatum, donans filium suum hominibus, & veniam peccatoribus.

David, quod Deus non remitteret ei peccatum. Contra quos dicit Beatus Bernardus: *maior est Christi pietas, quam quæuis iniquitas. Et vincas, idest, de mendacio conuincas illos, qui dicunt te non implere promissa, cum iudicaris ab eis, non facere quod promisisti, siue de Filio incarnando, siue de venia largienda.* Concertatio hæc, & iudiciale discrimen, erga hominem propitium est, & pietate abundans: accusatorium periculum Deus apud homines patitur, vt verax appareat stipulatio de remissione delicti. O quanta fiducia ingeneratur labenti, & prostrato in ergastulo carnis maculosæ, & conditiuo flagitij, vt emergat de grabato passionum confractis nexibus, dissolutis institis vitæ criminosæ, vt recreetur aura cœlestis spiritus; quod in hominis examine, & iudicio, diuinæ potestatis, & miserationis causa agitur, vt immunis mendacio Dei pollicitatio adstruatur, in condonatione offensæ, & indulgentiæ largitate! Forsan in aliis certaminibus nimirum in Iacobea lucta palmam deferet homini infirmo, & claudicanti, at in conflictu peccatoris clementiam criminantis, totam promissionibus sacris obligatam fidem ad remissionem cuiuscumque piaculi ostentat esse veracissimam, præstabilemque se Deus demonstrat super malitia, & licet humana proteruitas congestis vndequaque malitiosis argumentatiunculis accusatoriis lacessat in iudicio mansuetudinem Domini, ab omni suspicione se vindicat, nec patitur vinci, sed victoriæ decus semper reportat. *& vincas cum iudicaris.* Sic causam Domini expendit Hugo in commendationem diuinæ pietatis.

D. Amb.

4 At sanctus Ambrosius Dauidicum assertum premit ad confusionem peccantis, & humanæ ingratitudinis obiurgationem. In eam offendit sapientissimus Pontifex ad ea verba Psalmi 36. *Nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.* Eaque mirifice connectit cum Isaiæ sententia in fronte huius discursus præfixa: sic loquitur Ambrosius: *Quia septuaginta viri sic posuerunt: cum iudicabitur illi, putamus quod ad illud respexerit quod scriptum est: quoniam ipse Dominus veniet iudicium* (Isaiæ cap. 3.) *sed ad quod iudicium? Audi dicentem: tibi soli peccaui &c. & vincas cum iudicaris. Ideò ergo prabet se Dominus iudicandum vt de se iudicetur: quo magis vincat.* Et statim iudicij telam contexit in hunc modum. *Graue hoc iudicium cum Dominus de se postulat contra hominem iudicari, quid enim respondeas ei, qui vniuersa tibi contulit, omnibus te præfecit &c. ille te creauit, & condidit, ille suo sanguine te redemit: & tu tradis te vt eius seruias inimico? ille tibi omnia peccata dimisit, & tu maiora committis? vocat te in iudicium, venies, quid responsurus es ei qui nisi iterum tibi donet, peristi? Ideóque videns Sanctus David hac quadam moralitate Dei amplius se grauari, iudicium refugit, misericordiam poscit*

Ideo Dominus se prabet iudicandum, vt magis vincat.

Deus est iudicatur iuxta suum iudiciū te iudicat.

Quid respōdebit homo Deo cum beneficia ab eo accepta in iudicio recenseat.

dicens: & ne intres in iudicium cum seruo tuo: quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si viri alicuius sapientia, & dignitate præpollentis obiurgationem criminosam grandioribus verbis amplificatam, & exaggeratam sustinere vix potest homo, sed tanquam acutis iaculis exagitatus pungitur, formidine opprobrij, & pudore impacti criminis pallescit; quanto timore perculsus inhorrescet ex ponderosa Domini moralitate, in qua ipse qui offensus est iudex, accusator, commentator, qui actionum nostrarum momenta singula trutina mentis, quæ falli nequit, exactissime pensitat? Cùm ordinatam aduersus nos aciem collatorum munerum instruit; cùm nobiliorem recenset hominis plasmationem, & natiuitatem, & propter ipsius emolumentum, & delicias decora omnia huius orbis ex nihilo educta, eique per momenta singula famulantia; cruciatus seruatoris acerbos, ignominiosum interitum, & innumerabilium officiorum seriem, velut fortunas Domini dissipatas, & obliuione contritas, exprobrantes homini turpe crimen ingrati ideo à tali concursu David se subduxit de meritis suis non præsumens, sed de pietate Domini: itaque homo geminum iudicium incurrit, & redargutionem duplicem; vna in qua beneficiorum acceptorum redditur ratio, altera in qua flagitiorum grauitas recensetur, & pœna capitalis exigitur. Iudicatur Deus in hominem merita conferens, & abundantiora subsidia, quid est enim quod debuit præstare, & non prætitit. Iudicatur homo tantis muneribus cumulatus, non respondens Domino pietatis prouentu, ideo Deus largitate proclamatur iustus, & victor, homo tamen ingratitudine, & improbitate censetur iniustus, nec prætensæ excusationis habens quod promat, pudibundus & victus conticescit: *& vincas cum iudicaris.*

Homini duplex reddēda ratio, pro criminibus commissis, & pro acceptis muneribus.

D. Gaudent.

5. Aliter hæc verba dispungit, & solerter commentatur sanctus Gaudentius Brixiensis Episcopus tractatu. 12. de CHISTO IESV cùm ad Pontifices, Pharisæos, & strategos magistratus iudicandus sistitur: Sic enim ait, *nam Dominus IESVS in passione sua iudicatur, & vincit, moritur, & triumphat.* Nam supplicium Crucis subiturus ascendit, vt irrationabilium creaturarum calculo & crucifigentium suffragio in ipso patibulo innocens censeatur. Iudicabatur à sontibus in passione tanquam reus mortis, potius ipse iudicabat, cum militum aduersantium cohortem superno terrore, & vocis comminatione profligabat, vt auctor est Sanctus Ioannes capite 18. cum requisiti milites quem quærerent, & responsum darent, IESVM Nazarenum; *dicit eis IESVS ego sum. Vt ergo dixit ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Ibi vers. 6. in hoc stupendo prodigio extollendo celebrandoque, non est prætermittendum sancti Augustini acumen. Sic enim scribit vir immensæ

Iesus apud Pontifices, & magistratus adiudicatus vincit.

D. Ioan.

D. August.

immensæ subtilitatis. *Vbi nunc militum cohors? vbi terror, & munimen armorum? vna vox turbam odiis ferocem, armisque terribilem, sine telo vllo percussit, repulit, strauit.* Et statim. *Quid indicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit?* Augustino adiunge alterum Ecclesiæ luminare magnum, Gregorium inquam, qui ad ea verba Iob cap. 16. *& cum vix paruam stillam sermonum eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri.* Stillam sermonum verba eius lenissima in primo aduentu intelligit, magnitudinem verò tonitrui magnum diem Domini, & terribilem, & terrorem districti examinis postremi: Confirmatque sententiam ex præallegata Ioannis autoritate, & Christi responsione data militibus, verba sunt Maximi Antistitis ex liber 17. moral. capite 11. mutuata: *Quibus cum repente diceret: ego sum: vocem solummodo mitissima responsionis edidit, & armatos persecutores suos protinus in terram strauit. quid ergo facturus est, cum indicaturus venerit, qui vna voce hostes suos perculit, etiam cum iudicandus venit? quod est illud iudicium quod immortalis exierit, qui in vna voce non potuit ferri moriturus? quis eius iram toleret, cuius & ipsa non potuit mansuetudo tolerari?* Si tam minaciter terret balatus agni iam comprehendendi, & ligandi ad victimam, quanta formidine perturbabit iniquos vox leonis aduersus peccata rugientis? Si in ipsa pietate, & incomprehensibili charitate patientis opprobria, tanta eminet iustitiæ seueritas, quanta splendescet in throno, & vultu in cælis regnantis, irrogatas Patri iniurias vindicantis? ad tribunalia raptandus, & iudicandus tanquam reus, nulla adhuc redargutione flagitij ex illius ore iactata, mali contremiscunt, & corruunt; quos terrores incutiet proteruis ad vindictam scelerum armatus, perennantis cruciatus fulmina iaculatus stellato de suggestu? Percutit angoribus horrendaque prolapsione retrorsum iudicantes se iudicatus ipse tanquam malefactor, quid faciet summa potestate iudicaturus? Si adeo formidandum iustitiæ diuinæ subsellium cum iudicatur DEVS quid existet cum iudicatur, & iudicat, vt in vtroque iudicio vincat?

Iesus iudicandus militū cohortes strauit quid faciet iudicaturus?

D. Gre. Mag.

D. Maxim.

Vos enim depasti estis vineam meam.

Et rapina pauperis in domo vestra.

Verba hæc iuxta litteram, moralem continent institutionem principibus & Dynastis valde proficuam, cohærentque mirifice cum sententia in versiculo 12. expressa, vbi eos male multat vates nuncupatione exactorum, collectorum, repetentium, vineam vindemiantium, & deuastantium; & opprobrio spoliantium miseram plebeculam, sicut hic deprædantium tenues & egenos. quare propter parilitatem vtriusque sententiæ obiurgatoriæ, illam ad hunc locum reiecimus, & velut circulos aureos inter se innexos, iisdem moralitatum luminibus ornatos, geminos sermones numeri duodecimi, & subsequentium, variis discursibus tanquam margaritis fulgentibus condecoratos exhibemus.



DISCVRSVS IV.

Pulcherimum terrenis principibus se Deus clementiæ, & iustitiæ exhibet simulacrum æmulandum, cum prospicit indemnitati pauperum, iis tributum relaxat, & à donatiuis pensitandis exceptat.

1. PERSPICVE cernes pauperculæ plebis esse Deum leuamen, & præsidium, cum eam alleuiat à tributorum onere, & munerum iugo; nec solum eximit à tributaria functione, sed redimit ab oppressione potentium, & in egestate exhibet opportunum subsidium. Celebrat Psalmicen exhibendum cultum, obsequium pietatis præstandum omnium seruatori à nationibus opulentis, quæ sub cælo sunt. Hoc carmen pangit fidibus suis, superno spiritu pulsatis. Psal. 71. vers. 10. *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent.* Æthiopes, Arabes, Indi, maris magni, occidentis, & mediterranei insulæ terram lingentes, manus cælestis Regis deosculantes, obsequium, & liberam sincerissimæ voluntatis præstabunt seruitutem, opulentissima donaria, annuaque tributa pensitantes sese subditos profitebuntur. subiungit statim libertatem egenorum, à potentiorum tyrannide: *quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor.* Hebræus habet: *inopem clamantem & querulum.* Tertullianus legit lib. 4. contra Marc. capite 14. *liberabit à Dynasta mendicum.* Caietanus vertit: *quia eruet pauperem & mendicum à diuite.* & eleganter subscribit: *aduerte hic describi per hæc regimen regni Messiæ ab incomparabili similitudine regiminis, & regni humani, & propterea describitur à cura pauperum, quæ rara est in regnis humanis.* Huius tamen solicitudinis specimen dedit valde præclarum Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 3. variar. epist. 20. dicens: *inter gloriosas reipublicæ curas, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliante, reuoluimus, cordi nostro est leuamen humilium contra potentiam superborum.* Vox hæc imperatoria lingua dignissima, & charitatis affectio diuinæ pietatis æmulatrix, inter ampla

Lect. Hebr. Tertul. Caiet. In Messiæ regimine prædicatur cura pauperū, quæ raro reperitur in regimine humano.

Cassiod. Gloriosū regnātiū, decus, leuamen humiliū contra potentiā superborum.

ampla decora, & seruandorum regnorum glorias obseruantes in pectore, occurrere solicitudinem egenorum, & inter fidicines, & tubas, concinantibus Regibus, aut ouantibus, concrepantes, quod ad aures resultet Regias queruli clamor pauperis: condescendit, & se inflectit potestas sublimis regnantium ad inopem omni ope destitutum, vt à calcantis diuitis eruat pressura, & opprimat opprimentem, cum alienæ iniuriæ se exhibet vindicem, & inopis assertorem id tamen quod sequitur in Psalmographo: *parcet pauperi, & inopi.* extollit solemniori tuba laudationis, Regiam Domini clementiam. Perpercit I E S V S pauperibus, cum aboleuit crimina, indulsit errata humanæ naturæ in omni ærumna, & egestate iacenti; illam tamen contemplationem non illepide comperies clausam oraculo, Dominum dominantium à pendendis tributis, offerendis muneribus pauperculos absoluisse. exhibeant clientelam regi munerum oblatione Æthiopes negotiatores, Sabaim viri sublimes, auriferæ regionis incolæ, ab hac tamen subsidiaria, & opulenta pensione eximit egentiores, & offerre aurum, & argentum non valenti *parcet pauperi, & inopi*; vt qui non habet pensitandum nummum, offerat affectum. Præclarum exemplar præbet Rex supremus principi terreno, vt non aggrauet, non obruat exactio pauperem in quo non adest facultas largiendi. Honoret Rex egestatem miseri non petendo, eam etiam cumulet releuatione clementiæ, ei vitæ subsidium donando. Magno sententiarum cothurno collaudandæ sententiæ edictali programmate definitæ à Rege Theodorico pauperes eximente à tributaria functione, eas promulgat Cassiodorus libro 11. variar. epistola 13. *Habeant pauperes dona regnantum, possideant aliqui, quibus nulla facultas est. Cur aliena substantia in regali posita largitate peruaditur? Possessio eius principis munus est. Additur quod talibus non dare tulisse est: & merito quando qui potest esurientibus subuenire, si non pascit, extinguit. Pudeat illis tollere, quibus iubentur offerre: vltra omnes crudelitates est; diuitem velle fieri de exiguitate mendici. amentur honesta lucra: Horreantur damnosa compendia; nullus audeat inde tollere, quod possit collecta dispergere. Addendo perdis, qui retinendo collegerit; & paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repellit.* Hæc magnus Aurelius Cassiodorus senator. Egenorum miseræ fortunæ prospexit summa pietate, & solertia Rex sapiens, cum de alieno exigere non patitur, nec ditare cupit patrimonium exili substantia tenuitatis, sed ambiens compendiosa lucra clementiæ, donare subsidia imperat egenis, vt emolumenta rimetur maxima de subuentione calamitatis alienæ: perpendenda est postrema sententia: *Paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repellit.* quæ quidem remoliri posset concitatam cupidinem repetendæ collectionis, sacram auri famem extinguere, auaritiæ effrenem audaciam inhibere, ad facultatis residuum inhiantem; cum prospicis egeni donarium egestatem secum inuehere in gazarum cumulum, miserantis munus non esse subsidium, sed fortunæ Regalis excidium; quod enim de egeni manibus defertur donum, secum affert insitam, & innatam pauperiem, quæ opulentiorem depauperat. Miseria aliena beatitatem regis discriminat, abiecta sors ærumnosi largientis exultare cogit felicitatem de ditione regnantis; quo frequentius à pauperibus stipem cogit, apparet egentior. ideo Regalis institutionis praxim describens Regius Psaltes protulit sententiam totam de clementia manantem: *parcet pauperi, & inopi.* de Regio subsellio singulos Reges instruxit: Parce pauperi vt parcas tibi, remitte egentibus munera, vt tibi D E V S indulgeat crimina. quod non cogis, quod non exigis à paupere, pauperi donans; donum hoc, & eleemosyna redemptio est viri; si iniuste exigis à paupere, thesaurum dissipas; si exactionem donatiui relaxas, patrimonium ditas.

Domini Iesu clementia pauperibus exhibita.

In subsidiaria functione parcit pauperi.

Theodorici regis mira solicitudo in alleuiandis pauperibus.

Cassiod.

Habeant pauperes dona regnantium.

Rerum possessio principis munus est.

Maxima crudelitas est diuitem velle fieri de exiguitate mendici.

Addendo perdis, qua retinendo colligis, & paupertatem adse trahit Rex de stipendiis pauperum.

Egentis munus fortunæ regalis excidium.

Pauperis donū pauperiem secum defert, & accipienti infert.

Ei qui parcit egeno munera, Deus parcit crimina.

2. Temporibus Augusti Cæsaris Iudæa facta est sub tributo, & omnes censi capite ferebantur, cum ergo exactores Herodiani ad Petrum accederent, vt à Magistro suo emeret tributariam pensionem, is, I E S V M, & Apostolorum cœtum constanter absoluit ab obligatione pendendi numismatis; adhuc tamen seruator condescendit humana pietate Regiæ potestati spontanee se subiiciens, in vectigali persoluendo. Matthæus capite decimo secundo, vers. vigesimo sexto ad Apostolorum Coryphæum Petrum I E S V S fatur: *vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum: & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da pro me, & te.* Mirantur Patres in hoc facto præscientiam Domini, & diuinam potestatem; si stater in ore piscis creatus est imperantis verbo, qui in terræ penetralibus auri, & argenti venas delitescentes condidit: commendat tamen in hoc creatoris facinore Hieronymus parsimoniam, qui adeo egenus extitit, & inops, & totius pecuniæ abstemius, vt omnium gazarum Dominus, ad solutionem tributi numisma non possederit: *Simpliciter intellectum adificat auditorem, dum tanta Dominus fuerit paupertatis, vt vnde tributa pro se, & Apostolo redderet, non habuerit.* Occurritque statim, & solerter quidem Doctor Maximus obiectationi, quæ cuique peritissimo posset occurrere: quod

Iesus & Petrus Herodianis tributū persoluunt.

D. Mat.

In hoc facinore Iesu parsimonia, & inopia commendatur

D. Hieron.

Cur de pecuniis Iudæ commēdatis vestigal nō denatum

Res pauperũ in alienos vsus cõuertere, nefas putauit Iesus.

quod si quis obiicere voluerit: & quomodo Iudas in loculis portabat pecunias? Respondebimus, res pauperum in suos vsus conuertere, nefas putauit: nobisque idem tribuit exemplum. Eminet in hac subiectione pensitandi tributi suauissima IESV prouidentia, & mirabilis sapientia in parili statere pro se, & Petro impenso. cùm enim in tribularia functione censentur capita, se caput Ecclesiæ numisma largiendo ostentat, & Petrum esse Apostolorum apicem, eiusque eximiam dignitatem commendat; soluat mare Apostolicam pensionem pro piscatore totiesque honestatum Simonis piscatura, grates rependat tanti honoris. Ideò non de terra, sed de ponto branchiisque piscis eruendum staterem imperat. Verumtamen de nummis collectis, & pie oblatis ad subsidium pauperum, & annonam, in marsupiis Iudæ reclusis, geminum didrachma Rex cæli terrenæ potestati non rependit, vt integras seruet, non defraudet pecunias egenorum. Bona pauperum IESVS ab stipendiario vectigali solerter exceptat, vt perutile documentum exhiberet principibus alleuiandi pauperes à largitionis onere, egentium fortunulas, & exiguam facultatem transire in vsum, aut possessionem Regis *nefas putauit*, si ex iis donaret. Poterat omnium Dominus nullo negotio supplere dispendia, pro ablatis adiicere maiora, & depositum cumulare; tanquam fidei suæ commissum patrimonium facultates inopum indemnes, & intactas custodit.

Petri dignitas commendatur.

3. Cùm Paternæ gloriæ zelo correptus IESVS, & flagellis instructus Sacerdotes de templo expulit, & de quæstuariis mensis nummos effudit, miram exhibuit erga egestuosos clementiam. Ioannis capite secundo vers. 16. *Et inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et his, qui columbas vendebant dixit auferte ista hinc.* Cur nummulariorum effundit æs, & mensas subuertit, & sacerdotes castigans funiculis, & multans opprobrio de domo Domini eiicit; ligneas columbarum caueas non dissipat, & disperdit, columbarios à domo Domini violenter non exterminat, sed auiaria secum sustulit auferri? Respondet Rupertus libro 3. in Ioannem: *& hoc valde notandum, quod in medio feruore districtionis, in ipsa flamma zeli ardentis, dum sine cura sacerdotum mercimonia proiicit, pauperibus pepercit scilicet his, qui columbas vendebant (non enim diuites, sed pauperes eiusmodi auiculas vendere solent) pauperioribus ergo parcit, vt non exturbet columbas, quas vendebant, quas cùm exturbatæ euolassent, ipsi consequi non possent, & aliquando damno affecti angerentur, ac iure deplorarent.* Prospexit indemnitati pauperum piissimus Saluator in ipsa districtione iudicij, & flammam iusti furoris aduersus ini-

D. Ioan.

Cur Iesus in templo, nummulariorum æs effundens columbarum ligneas caueas non dissipat?

Rupert.

Dominus Iesus pepercit pauperioribus.

Si columbæ exturbatæ euolassent, irreuocabili damno afficerentur pauperes.

quos numumularios incitatam, in institoribus columbarum temperat; nec perfringit auicularum caulas, ne eas vagus volatus dispergat irreuocabiles cum mœstitia miserorum exorta, amittentium in sua egestate subsidium. Dum superborum fastum deiicit antistitum, & opulentiorum iniquas vsuras dissoluit, egenos multat imperantis formidine, & simul eorum egestati blanditur, volucrum simplicitate gaudentium, custodias integras retinens, exiguas facultatulas tutatus egenorum, nec egestate afflictis adiicit bonorum omnium orbitatem, totius ærumnæ compendium; ne nouo angore solicitet pectora miserorum, & amissa exiguitate fortunæ amplius exacerbet.

4. Promisit cælestis Lyricen magnificum Ecclesiæ apparatum de bonis Tyriorum locupletandum, nuptiasque complendas regiis gazis, & mercibus nationum, de mercimoniorum partubus redemptis ad sponsam Christi thesauros transferendos. Cerne quanta vectigalia pietatis vltro offerenda Reginæ stanti à dextris Christi, spondeat Psalm. 44. vers. 12. *Et filia Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Aug. *Filia Tyri, filia gentium. A parte refertur ad totum. Tyrus vicina huic terræ, vbi Propheta erat, significabat gentes credituras Christo. Inde erat illa Chananæa, quæ primò canis est appellata, vt noueritis quia inde erat, Euangelium sic loquitur: Secessit in partes Tyri, & Sydonis, & ecce mulier Chananæa de finibus illis egressa, &c.* Sed apertior sententia apparet in enchiridio Psalmorum sic legente: *Filia autem Tyri & diuites populi allatis muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Vel iuxta Ioannis Campensis paraphrasim, sic legentis: *& si nuptiæ processerint, filia Tyri muneribus amicitiam inire tecũ studebit, venerabuntur te ditissimi quique in toto populo.* Easque lectiones erudite expendit Episcopus Acernensis Agellius dicens: *Ditissima & opulentissima regna illi seruitura, vt tributi nomine dona, & munera pretiosissima ferãt quibus nuptiæ regis honestentur.* illud tamen in præsenti versu non debet abire inexaminatum: *omnes diuites plebis.* Dum diuites exprimit, ab honoraria munerum largitione pauperes tacite videtur excludere. Quare verbum hoc appositiue dictum existimat sapientissimus Cardinalis Bellarminus: *quasi dicat* (inquit) *filia Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur: non omnes in muneribus, sed diuites tantum:* Diuites, pauperes, supremi, infimi venient omnes ad cultum, & venerationem, misericordiæ deprecatione, vt litent Deo corda sua hostiam placabilem expiata ablutione delicti, vt exhibeat regi rationabile obsequium: in muneribus tamen soli diuites; tantus inest sponso, & Regi amor pauperum, vt in ipsis festiuis nuptiarum gaudiis, dum opulenta copia diuites fundunt de vbertate gazarũ munifica donaria, pauperes reddit immunes à muneris largitione. Imperatoriæ clementiæ indicium est, egestuosos vultum Regis deprecaturos non reddere anxios, & solicitos donariorum de obsequio; releuatur à largitionis onere paupertas, in qua non adest facul-

Tyri muneribus Ecclesia locupletanda.

Psal.

August.

Enchir. Psal.

Campen.

Reges terræ ad regales Christi nuptias dona pretiosissima deferunt.

Angel.

Bellar. Card. *Non omnes sed diuites tantum deprecantur vultũ regis.*

Releuauit Dominus pauperes à donariis.

tas

facultas donandi. Diues, qui sibi, & pauperi abundat, pro vtroque persoluat, regales nuptias pretiosis xeniis exornet.

5. Sed ne pauperes tanquam indeuotos, & pietatis exortes reiecisse videamur, in regio obsequio solertes donum quoddam diuinius offerunt, cùm cor litant Deo, & imaginem puram animi, & incontaminatam afferentes splendidam virtutum ornatu. In hac clientela seruorum cum diuitibus pauperes admittit sanctus Gregorius Nazianzenus, hosque dignioribus præfert orat. 41. dicens: *Ei, qui pro nobis passus est, ac resurrexit; offeramus, aurum fortasse me dicere putatis, aut argentum, aut texturas, aut pellucidos, & ingentis pretij lapides, fluxam fragilemque terræ materiam, humique manentem, cuiusque maiorem partem improbi fere possident, & serui rerum terrenarum, ac mundi principes, imo verò nos metipsos offeramus, hoc est opes Deo charissimas, maximeque congruentes. Imaginis decus imagini reddamus.* Theologi præclaras sententias illustrat commentario suo Nicetas, scribens: *Terrenum igitur munus Theologus reycit, vt quod soli diuites offerre queant. Nihil autem magnum atque honorificum est apud Deum, quod non pauper quoque donare possit. Inducit autem alterum oblationis genus, quod omnibus commune est diuitibus iuxta ac pauperibus, dicens: nos metipsos offeramus.* Depromant Reges de thesaurorum arcanis, & promis aurum, argentum, indicosque lapides, byssum, & purpuram vt palatium cælestis imperatoris exornent; pauperes, quibus terrenarum rerum copia non suppetit, non sequestrandi à potioris muneris censu, cum se ipsos consecrant Deo tanquam principaliorem victimam & pretiosiorem, præferendam opulento totius orbis ornatui.

D. Gre. Naz.

Deo maximũ munus offerre qui non terrenas opes, sed seipsum dedicat.

Nicetas.

Nihil est magnum apud Deum, quod pauper offerre non possit.

6. Denique adhuc resultat querela criminosa de pectore potentatuum, si inopes à pensitando donatiuo secernimus, cur non coeant in commune subsidium Reipublicæ tutandæ, & conferendi militibus stipendium, ad vrbis propugnaculum, qui communis beneficentiæ tenent consortium? cui obiectiunculæ occurrit S. Chrysostomus homilia 67. in c. 21. Matt. inquiens: *Hæc tributa pauperibus primum conferamus. Quod si milites tibi alendos obycias, qui pro te cum barbaris pugnent: considera non paruum esse pauperum exercitum, qui periculosum pro te bellum suspicere parati sunt.* Et statim. *Quare cùm videas hos quotidie milites ad Regem precibus pro te intercedere, alimenta ipsis quasi debitum conferas tributum.* Os aureum à pensu tributorum eximit pauperes, quinimo iis tributa impendenda hortatur. Annona & merces destinatur militantibus cùm hostiles insidias, & regna propugnant; sed pauperes stipendia potiora promerentur, quia valentioribus iaculis, nimirũ precibus vrbes tuentur, & auertũt exitium; oratio enim pauperis, cum manus suas infertas pietatis donariis leuat ad Dominum, præsentissimũ, & inexpugnabile auxilium trahit de supernis; vinci nescia est manus, in qua decertat inopis deprecatio. Scite S. Ambrosius scribit tom. 5. concione de non tradendis basilicis: *Habeo defensionẽ, sed in orationibus pauperum. Cæci illi, & claudi, debiles, & senes, robustis bellatoribus fortiores sunt.* Excepetur à lucro auaritiæ egenus, sequestrata ab iis quæstuosa exactione, & onerosa vectigalis indictione, quorum meritis imperia à fame, peste, gladio, excidio, & vniuersis periculis eruuntur.

D. Chrysost.

Pauperum exercitum periculosum bellum pro regibus suscipiunt.

Pauperes militant Deo precibus suis, & debitum tributum promerentur.

D. Ambr.

Pauperes, debiles & claudi robustis bellatoribus fortiores sunt.



Vos enim depasti estis vineam meam. Et rapina pauperis in domo vestra.

DISCVRSVS V.

Diuexatio pauperum, & eorum fortunis illata violentia, & iniusta direptio, inuisa, & exosa nimis Deo est.

1. SEMPER apud Deum male audit insatiabilis principum cupiditas aliena deuorandi, ferina immanitas in exagitandis subditis, & diripiendis egentium fortunis. Regni, & Regis Tyrij excidium decantatur lugubri nænia à Vate Ezechiele c. 28. & inter alia piacula propter quæ iram Domini promeruit, de capite lapsa corona, deturbatus de sublimioris gloriæ fastigio ad infimum ærumnæ & infortunij gradum, Rex inclytus; illud recensetur v. 16. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate.* Vbi Tigurina apud Vatablũ apposite vertit: *impleuerunt medium tui violentia.* Nec dissidet ab hac lectione sententia Polychronij in hoc loco: *Ex rapina, & auaritia, & iniuria in Deum potuisti tantas opes terra marique comportare.* Recolligit vates crimina Tyriæ potestatis, & æternis monumentis consignat tumidum fastum nimirum erectæ ceruicis, grandi supercilio despuentis reliquos potentatus, innata sibi generis & vultus eximia forma elatæ, maris imperium & ditionem sibi arrogantis. Ex Tyria purpura indutum ostentantis, in quem omnium Indicorum lapidum pretiositas, splendor, venustas, influxerant ad magnificentiam Regis, & ornatum. Illud tamen flagitium extulit caput, quod aliorum opes per violentiam iniquam extorserat, depauperasse aliena regna, vt ditaret sua. Ferina rabie diripuit opes subditorum, repleuit cellaria sua iniquitatibus, & rapinis. Violenter ablatis copiis thesaurorum arcana redundabant. Ideo à Domino Rex vulneratur, & perditur, regnũque exscinditur: subiungit Vates: *Ante faciem Regum dedi te, vt cernerent te.* Et addit Hieronymus: *Proiectus es autem in conspectu omnium regum, vt tuo terrerentur exemplo.* Hæc ille. Quid enim expectet Rex, qui falce iniquitatis opes tenuiorum violentis exactionibus, & diurnis demetit, & exscindit, nisi stragem regni? qui ex raptu viuit direptionem sibi accersit; qui vim infert inualidis, in violentiam hostium incidit maiorem, vt raptu dispereat, & depopulatione crudeli quod acquisitum est & cumulatum rapina.

Tyrij Regis violentia excidium sibi, & regno intulit.

Ezech.

Polychro.

Rex Tyrius de auaritia, & rapina dicatur.

D. Hieron.

2. Decreuit Deus cataclysmo obruere genus humanum, vt aliud nouum, & à vitiis expiatum emergeret; tantæ animaduersionis occasio flagitia exundantia per orbem extiterunt, potissimum nefandæ libidinis impuritas, quæ stomacum Domino commoueret. Præter hoc non in postremo loco reponendũ crimen crudelitatis, iniustitiæ, & rapinæ, cùm enim mulieres progeniem procreassent insolentẽ, vasta corporis mole præditam, quam vocat sacra scriptura Gigantes, ij fiducia roboris, & innata sibi arrogantia, omne ius, & fas contemnebant. Nec silentio præteriit

Iniustitia, & rapina crimen diluuium terris inuexit.

Ee legislator

Genes.
Lect. Heb.
Diluuij tempore terra erat repleta fraude, oppressione pauperum, violentia, & iniustitia.

legislator eorum improbitates. Genes. c. 6. v. 11. *Corrupta est autem terra corã Deo, & repleta est iniquitate.* Postrema verba ex Hebræo apposite vertuntur: *& impleta est violentia.* Pro *iniquitate*: Hebraice est: *Chamas: quæ vox significat fraudem, rapinam, violentiam, subuersionem, & oppressionem.* Vt annotat Pererius l. 9. in Genes. LXX. legunt: *Impleta est terra iniustitia.* Et Glossa Lyrani: *Et repleta est iniquitate, quantum ad fraudes, & rapinas.* Neque enim solum gens barbara ab omni pietate extorris petulcæ carnis improbæ dulcedini succumbebat; contra naturam masculi in masculos operantes, sed velut quodam vitiorum omnium profluuio obruti inundantis diluuij animaduersionem meruerunt. Etenim potentiores cædibus, violẽtiis, rapinis diuexabant inualidos, Qui enim erat, aut dignitate sublimior, aut viribus potentior, infirmos proterebat, Nullum fundum, nulla possessio, quæ non pateret fraudibus, & direptionibus impiorum; lex illis, operari iuxta voluntatis arbitrium, nulli subiacere dominatui, & latrocinantium more cincta prædationibus deuastare.

Perer.
Lect. LXX.
Gloss. Lyrar.

3. Id fiet perspicuum in primo orbis dominatore, qui per violentiã, & fraudes sibi imperium arrogauit, & Regiæ potestatis infulas acquisiuit. Is fuit Nemrod, de quo Genes. c. 10. v. 8 scribitur: *Porro Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino.* Alij censent venatoria arte fuisse celeberrimum, qui saltus venatibus aptos lustrare docuit, cursu fatigare feras, frementibus bestiis parare occultas insidias ad capturam, & eas variis illaqueare decipulis; vt venationis primitiuos fructus immolaret sculptilibus suis. Verum alij melius ad illius tyrannicam violentiam, verba sacri textus deriuant. Nam iuxta sanctum Isidorum l. 7. ætymol. c. 6. *Nemrod interpretatur tyrannus.* Et pro iis verbis: *cœpit esse potẽs*, Hebraicè est: *ipse cœpit esse heros violentus in terra.* Et doctus Pererius inquit: *vox venator significat insidiosum, & violentũ oppressorem hominum.* In eamdem mentẽ coit Abulẽsis: *Robustus venator id est per violentiam homines opprimens tanquam animalia capta in venatione.* Est enim venatio bellici tumultus, & apparatus quoddam progymnasma. Et captura ferarum, circumuallatio nemorũ, tendiculę latentes in siluis, diuexatio belluarum, & iaculorum confossiones, vulnera, laniatus extiterunt in Nemrodo sequo infaustum præludiũ in homines exercendæ violẽtię, & tyrannidis; cuncta enim instar prędonis in homines grassantis depopulabatur ad similitudinem feræ de antris erumpentis, & in prædã insilientis opprimebat genus humanum, per vim quamdam res familiares ab inuitis extorquens: *Nam belluarum ritus est* (inquit Cassiodorus l. 5. var. c. 39. *sub casu viuere: quæ dum rapiendi ambitu feruntur, improuisa temeritate succumbunt.* Amabat impius in sua iniquitate esse crudelem, & cædis hominũ cupidissimũ, vt pateret neci, qui hostili suæ manus obsisteret prædæ; erant hominibus & vita iniucũda, quę iniquo sæpe cõsilio proscribebatur, res familiares insidiosæ, per quas quãdoq; tyranno proderẽtur ad mortem. Itaque venator Nemrod dicitur, vt eũ sacra pagina raptoris detestabilis probro multet. Venationis munere fũctus, non tam ferarum quàm hominum, vt malis artibus & latrocinantis versutiis circumuentos, & irretitos aut diripiat, excoriet opibus, aut interimat. Illud tamẽ verbũ *coram Domino.* de pro-

Genes.
Nemrod robustus venator, tyrannus violentus, & insidiosus hominum oppressor.
D. Isid.
Lect. Heb.
Perer.
Abulen.
Violentia homines opprimebat, velut animalia capta in venatione.
Bellua sub casu viuunt, & rapiendi ambitu feruntur.
Cassiod.
Nemrod hominum venator.

fusiori Nemrodi audacia exortum existimat Caietanus, quia contempto Deo omnia prospiciente, sine formidine delinqueret. Accipit quoque idem Cardinalis in alio sensu: *Vel simulate ad significandũ quod Nemrod hinc simulabat se esse deicolam, inde verò exercebat tyrannidem.* Magnũ impietatis genus sub specie pietatis, & prætextu iustitiæ aliena diripere, & sub religionis larua imaginẽ latitare prædonis. O insolens improbitatis operculum! prætendere foris ouinã compatientis pellem, intus lupi rapacis formam prætulisse! qui inualidos, & innocentes deuoret, corũque sanguinẽ inexplebili auaritię siti absorbeat.

Caiet.
Nemrod simulabat esse deicolam, & exercebat tyrannidem.

4. Flebilibus lamentis dignam Ierosolymitanam rempublicam censet diuinus Vates Sophonias, nam quæ olim pulchrior cælo, ipsisque sideribus nitidior radiauit iustitia, & spiritualibus donis diffluxit; per inexplebilem auaritiam cõmutata erat in siluam frementium bestiarũ. Criminosam aculeatamque valde obiurgationẽ aduersus principes, & satrapas iactat c. 3. v. 3. *Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes: iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane.* Illud valde mirandũ in vatidica comminatione, quod vrbem eam, quæ olim propter fidei sinceritatem, in comparem amorem, in egenos misericordiã, nuncupabatur colũba v. 1. *ciuitas columba.* Nunc saltum carniuoris bestiis redundantẽ appellitet. quomodo ales leones progenuit, lupos fouit, & nutriuit? Vidisti insolitã metamorphosim? Etenim insana cupiditas ad aliena inhians, & turpe lucellũ, agnos in lupos, columbas in leones immutat. Duplici aptaque similitudine magistratuũ rapacitatem luculenter describit Vates. Eam illustrat S. Hieronymus, dicens: *Principes eius quasi leones semper versabantur in prædis & ad effundendum sanguinem subiectorum. Iudices eius rapaces, non dimittentes aliis, quod possint rapere.* Nec dissentit Glossa Lyræ: *Lupi erga populum, cuius bona partim violentia, partim fraudulentia rapiebat.* Scite quoque ex Hebræo vnum verbum adiicitur in priori versu capitis, exprimens improbitatem magistratuum: *Væ vrbi molestanti.* Apposite Vatablus: *Opprimenti pauperes & viduas.* At Alexandrinus Patriarcha Cyrillus vtrumque exemplar iniquitatis ad morum documenta grandioribus verbis amplificat. Prioris similitudinis ornatus iste est: *Quid faciunt leones? fame illos ad appetitũ cibi acriter stimulante, montes & saltus percursant, horribile, & absonum valide rugientes: & sicubi aliquid viderint ad escam idoneum, velut tonitru insonantes, id eo timoris adigunt, vt frigore gelatum, & tanquam laqueis constrictum, epulonem expectare videatur.* Hoc autem Principibus Israëliticis adaptat mortem lege transgressoribus definitam minitantibus, exilium, aut fortunarum iacturam: *Nisi quæ ipsis collibuisset, præstare vellent, & concedant accusantibus aliis, imo ipsos litigatores possessionibus eorum deturbabant.* Secundi documenti speciem proponit his verbis eruditissimus Antistes sectatus lectionem LXX. seniorum. *Iudices eius sicut lupi Arabiæ.* & subiungit: *aiunt lupos in Arabia feris omnibus immaniores esse, vexarique fame inexplebili: ad cursum autem adeo celeres, vt facile quemuis insequentem anteuertant. Assumit igitur in præsentia luporum insatiabilitatem ad descriptionem iudicum, velut totis faucibus, & dentibus inexpletis litigantes consumentium, quia longe plurima, & supra facultatem poscunt, vt à iustitia declinent: & vt quod diuinæ legi consentaneum est, ad aliorum* quorumdam

Sophon.
Ierosolyma saltus dicitur, carniuoris belluis redundans.
D. Hieron.
Ierosolymitani magistratus in prædis versantes cum leonibus rapacibus comparati.
Glossa.
Cum lupis, bona partim violentia, partim fraudulentia rapientibus.
Lect. Heb.
Vatab.
D. Cyr. Al.
Leones, rugitu animantia terrent.
Ierosolymæ magistratus, possessoribus deturbabant litigatores.
Lect. LXX.
D. Cyr. Alex.
Luporum Arabiæ immanitas, & voracitas inexplebilis.
Iudicum insatiabilis auaritia, litigantes consumentium, & ab iis dona petentium, vt iustitiam impie deuorent.

quorumdam libidinem impie detorquant. Floridissimis verborum pigmentis colorata imago iniquitatis, iniustitiæ, & rapinæ primariorum Ierosolymæ imperitantium: exilij, proscriptionis bonorum, interitus minis territabant, & consternabant miseros, nisi semper ad vlteriora inhiantem auaritiæ voraginem donatiuis explerent. Rugitus Leonis vox iudicis conturbantis, & exanimantis litigatorem si improbæ appetentiæ pabula non suggerat; decidebat victus in litis Discrimine non obsecundans totis inexaturabilibus auaritiæ votis. Festum diuitum expoliare pauperes, & indefensa præda potiri. Miser qui luporum rabiem expertus, ingluuiem, & lanienam, aut molaribus leoninis prostat exossatus.

Violentiam regis Abimelech in auferendo aqua puteo, Abraham obiurgat.

5. Præualet astus iste prædonum in aulis Regum iniquorum. Qui direptionem, & rapinam reputant lusum, in iis auiditas possidendi aliena in omnem erumpit audaciam, quamobrem Abraham iure obiurgauit Abimelech, quia serui eius contra ius, & fas aquæ puteum inuaserant. Genes. c. 21. v. 24. *Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant serui eius.* Vbi Oleaster scite inter alia documenta ad mores, tertium numero reponit hoc in loco: *Docemur* (inquit) *Quam audaces sint canes aulici ad aliena rapienda.* Et argute hos deprędatores canibus comparat, qui super prædaticiis analectis magno cum latratus strepitu ringunt, qui ore diducto & inhianti rictu offam degulandam expectant insaturabili nisu: Illud tamen valde mirandum, quod ij, Abimelecho Regi erant in obsequiis, & excubiis prædam aquarum exambiant; Nil in rerum natura effugit deprædatricem auarorum manum, non esca, non gaza, non habitaculum, non aquarum scaturigines, & fluenta, quæ, adaquandis gregibus, & refocillandis hominibus, vniuersim natura profudit; hi tamen sibi solis vsurpant. Illud quoque perpende: erat Abimelech regni clarus insignibus, Rex Geraræ c. 20. nuncupatur. Vbi tamen satellites eius vi auferunt laticis fontem, velut regni trabea exuitur, insignia Imperatoris amisit, spoliatus est cognomine regis qui deprædatus est scatebras fluentorum, non Rex, non princeps, sed Abimelech tantummodo vocatur.

Genes.

Oleast.

Quam audaces canes aulici, ad aliena rapienda.

Abimelech assentatores aquarum fluenta sibi solis vsurpant.

Cum vi abstulit aqua fontem, regni trabea, exuitur Abimelech.

6. Recenset scriptura diuina solertiam aulicorum Darij Regis in architectandis hostilibus insidiis erga angelicum iuuenem Danielem, aliqua vel leuissima labe criminis deturpanda illius gloria, vt deturbarent à latere Regis, & violata illius dignitate, & probro inusta, ex aula pellerent. Id tamen machinati sunt, vt imposturas molitione mendacij concinnatas regiis auribus latenter suggerant. Mirabilis argutia & sapientia latet in verbis, quibus Regio pectori mendacium instillant. Danielis c. 6. v. 6. *Tunc Principes & satrapæ surripuerũt Regi, & sic locuti sunt ei, &c.* Vt se in cor Regis subdolè, & latenter insinuent, & sceleratæ, & viperinæ linguæ virus infundant *surripuerunt Regi.* O verbũ plane mirabile! Quid est *surripuerunt Regi?* audi Glossam: *Surripere est aliquem verbis fallere, quasi commodi sui gratia, cùm tamen sit contra eũ.* Apertior est mens ex verbis Hieronymi: *Pulchre dixit: surripuerunt: non enim hoc locuti sunt, quod agere cogitabant; sed per honorem Regis, inimico moliuntur insidias.* Præfectorum regni verba clancularia prætendit illud effatum, quibus vnum

Aulici vt deturbent Danielem à latere regis Darij, mendacium confingunt.

Dan.

Quid denotet verbum illud: Surripuerunt regi.

Glossa.

Surripere est aliquem verbis fallere.

D. Hieron.

Surripiunt menti verba, cum contraria iis qua habent in corde loquuntur.

tenent in corde, aliud verbis exprimunt; vt cõmunis emolumenti gratia deciperent Regem, omnia in suum commodum referentes. Præfert lingua Magnatum pietatis, & amoris speciem, sed reapse gladius est acutus ad exitium Danielis, & Regis. Insistendum tamen est in verbo *surripuerunt*, cuius arcanum vt fiat patulum, operæ pretiũ est prænoscere quid denotet nomen *Satrapæ*: illud erudite enucleat Glossa scribens: *Satrapæ dicuntur quasi rapientes satis. Isti igitur erant constituti per totum regnum in diuersis partibus ad pecunias colligendas.* Satrapas vocitat raptores, pecuniarum collectores, alienarum opum expilatores, dum singuli in suis satrapiis res familiares subditorum emungunt, per vim quamdam, & intentatas inualidioribus minas substantiam egentium extorquent. Facile nunc scopum collimabis propheticæ dictionis: *Principes, & satrapæ surripuerunt regi.* Hi audaces, & gloriosi prædatores ex raptu viuere edocti, qui subditorum intendebant rapinis, rapacitatẽ auarissimam exercent circa Regem, dum apparent consiliosissimi. O sæua & inaudita latrocinandi ratio! Dum verbis ludunt ambiguis, ad rapiendam verborum sinceritatem, consilij veritatẽ inhiant; alibi inquilinos pecunia aut vita priuãt, hic tamen purpurati fures latus Regis cingentes rationibus veridicis ipsum spoliant: surripuerunt à Rege consilium probum, veridicam sententiã, qua Darius sibi, & regno consuleret, & ab hostibus tutaretur. Dynastarum industriosa, & versuta manus diripuit gazas, sed versipelle ingenium & lingua subdola surripuit cor Regis, vt & ad immane flagitium pernecandi iusti Danielis deflecteret, ius, & fas, regnorum præsidium, & columen deprædata est malignantium consiliatio, vt Regem tanquam à prædonibus sæuis spoliatum viatorem, exutum æquitatis velamento, fortunis omnibus nudum, quæ solent esse imperij propugnaculum, viro vitæ integritate, & sapientia super omnes præstabili orbatum, velut fortunæ lusum, & ludibrium hostibus exponerent, ex regij pectoris delubro, in quo debet esse ara iustitiæ, asylum veritatis, vtriusque virtutis simulacrum diruentes, tanquam vrbem hostibus deuastatam & spoliatam reddiderunt.

Glossa.

Satrapæ dicuntur quasi rapientes. Per totum regnum dispersi, ad pecunias colligendas.

Satrapæ non solum gazas, sed verborum sinceritatem, & consilij veritatem, dum dissimulant, à rege rapiũt.

7. Suburbanum fundum & prædiolum, quod iure hæreditatis possederat Naboth indemne, rapere meditatur impius Rex Achab ad hortum olerum, & regias delicias. In regis cubiculum, & præsentiam possessor accersitus, hæc audit verba ex ore regio, sed auaro. l. 3. Reg. c. 21. v. 2. *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.* Prima Regis intentio, & speciosus ambitus verborũ ad donationem aspirat; licet postmodum commutationis, aut emptionis vsura insanam cupiditatem aliena diripiẽdi emendare, aut obuelare studeat. Tenuit mentem, & astum regis auari aliena deuorantis S. Ambrosius l. de Nabuthe c. 3. cùm inquit: *Maior vobis cura de pauperum spolijs, quàm de vestris emolumentis est.* Eumdem astum agnoscit in subsequentibus sacri textus verbis, nam cùm impiis conatibus regis Naboth constãter obstitisset, elusa, & non satiata crudeli auiditate circumuẽtoris, consternatus Rex dura responsione possidentis hortum, ibi v. 4. *Et proijciens se in lectum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* LXX addunt: *panem suum.* Verba Regis lepide dispungit idem Mediol. Antistes eiusdem l. c. 4. *Et non manducauit, inquit, panem suũ, quoniã quærebat alienum. Etenim diuites magis alienũ pa-*

Rex Achab ad fundum Naboth deprædandum, inhiat.

Lib. Reg.

D. Amb.

Maior cura regi de pauperum spolijs, quàm de proprijs emolumentis est.

Non manducat panem suum, qui quærit alienum.

D. Amb.

Diuites rapiunt vineas, magis alienum panem quam suum manducant.

nem, quàm suum manducant, qui raptu viuunt, & rapinis sumptum exercent suum. Panem agnoscit extraneum, vbi furtò à paupere non aufertur. Illud esculentũ replet auari animũ, corpus impinguat, vbi auiditas aliena diripiendi, munus exercet suũ; misera lues, & pestis insanæ cupiditatis in palatium Achab irrepserat. Quæ de pauperum ærumnis solatia requirebat; diffluebant regis horrea, torcularia redundabant, quamplurima numerabat latifundia, quæ deliciarum, & commodorum ad mensam regiam innumeros penderent prouentus. Adhuc tamen se pauperem, & famelicũ, rabida fame enectum agnoscit, & in lecto decumbit efflaturus animam, dum aliena non deuorat; si pauper cupiditati non obsecundet suæ, & hortensis præda tamem non exaturet. Infelix potestas, quæ de alienis opibus & egentium spoliis & ærumnis cupit esse felicem.

Tribus Ephraim per potentiam aliis opprimere, habuit pro delicijs.
Oseas.
Lect. LXX.
D. Cyr. Al.

8. Quamplurima recenset flagitia Ephraimitarum Vates Oseas, oppressionem tamen pauperum, & vexationem in primis coarguit, c. 12. v. 7. *Chanaam in manu eius statera dolosa. Calumniam dilexit.* Vbi LXX sapienter transferunt: *in manu eius statera iniquitatis, opprimere per potentiam dilexit.* Effert, & illustrat verba LXX. seniorum S. Cyrillus Alexandrinus scribens: *More gentium Deum ignorantium, execrandam oppressionẽ pro magno habuit* Et statim adiungit hæc verba: *est autẽ extrema dementia argumentum certissimũ, Ephraim modis omnibus ad diuitias corradendas incumbere, & rapina ac violentia crimina ne h li facere.* Ex quibus patet crudelitas, & dura tyrannis Ephraim in subigendis, & deprædandis pauperibus: staterã tamen dolosam in manu eius existima iniustitiam, & inæqualitatem in tributis persoluendis; vexabant eorum primores exactionibus egentiores, ipsi verò à functione tributi reddebãtur immunes. Non enim partiebantur onera vectigalium per humeros omnium, sed ab iis se subdole eximebant. Deplorabat hanc improbitatem Saluianus Episcopus Massiliensis l. 5. de prouidentia fatus: *Decernuntur his noua munera, decernuntur noua indictiones, decernunt potẽtes, quod soluant pauperes: decernit gratia diuitum, quod pendat turba miserorũ.* Et statim affatur diuites: *Estote ergo vos diuites primi in conferendo, qui estis primi in decernendo: estote primi in largitate rerum, qui primi estis in liberalitate verborũ. Qui das de meo, da & de tuo &c. Grauant nos nouis debitis decreta vestra: facite saltem debitum ipsum nobiscum esse commune. Quid enim iniquius esse, aut indignius potest, quàm vt soli sitis immunes à debito, qui cunctos facitis debitores?* Onera vectigalium grauia, & intoleranda imponebant humeris egenorũ diuites, ipsi tamen nec digito volebant attingere. Auebant in pensitatione emolumenti consortium, & in consiliatione indictionis nouæ semper aduersus pauperes nigrum iniiciebant in vrnam calculum, suffragãtes violentiæ, exagitationem & vastitatem miserorum adstruentes, concinnantes allegationes dolosas aduersus humano patrocinio destitutos; ipsi vero ab exactionis districtione se exoluunt, & tributorum penso verbis, & operibus exemptos demonstrant. Quod est vtilitatis sibi vsurpant, quod est grauedinis, & ærumnæ, à ceruicibus tanquã seruile iugum excutiunt. In hoc flagitium prolapsus fuerat Ephraim, dum eius manus prædicatur ornata statera dolosa, in distributione vectigalis, aliorum scapulis imponens põdus immensum, humerosque suos immunes reseruans. Denique illud argute pronuntiatum à

Statera dolosa est sibi leuia, aliis valde onerosa munera pensitanda, imponere.

Saluian.

Nouas indictiones decernunt diuites, vt soluant pauperes.

Æquum est, vt sint primi in conferendo, qui sunt primi in decernendo.

Quid iniquius, quam vt soli sint immunes, à debito, qui cunctos faciunt debitores?

LXX. senioribus æstima: *Opprimere per potentiam dilexit.* Nec sola arguitur impudentia peccandi, contempto execrandę oppressionis, & Deo inuisæ, flagitio; sed quod abusi sunt terrena regnandi potestate ad depopulationem pauperis, quę data est ad subsidium. Sequitur enim potentiam sublimiorem inferioris afflictio, fortunæ direptio, oppressio inualidioris; ex ea hi fructus progerminant, & tanquam mater crudelis hos partus humanæ naturæ infastos educat. Iniquorũ est pauperem vociferantem, propria vindicantem, calcibus proterere, & toruo vultu de sublimi despicere. Pulchre Saluianus lib 4. de prouidentia de improbis Dynastis conqueritur: *Quid est enim aliud dignitas sublimium, quàm proscriptio ciuitatũ? Quid aliud quorumdã, quos taceo, præfectura, quàm præda? Nulla siquidem maior pauperculorum est depopulatio, quàm potestas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorũ vastatione soluatur.* Hæc Massiliẽsis Antistes d. iniquis suę tẽpestatis proceribus.

Lect. LXX.

Saluian.
Improborum sublimitas ciuitatũ est proscriptio, magistratuũ præfectura, præda.
Pauperum depopulatio, potestas.
Honor emitur vt cunctorum vastitate soluatur.



Vos enim depasti estis vineam meam: *Hebræus & LXX.* Vos enim incendistis vineam meam.

Et rapina pauperis in domo vestra.

DISCVRSVS VI.

Spolium iniuste, & violenter ablatum pauperi, depopulationem, incendium, & præsentissimum diuiti possidenti conflat exitium.

1. SEVERISSIME coarguit diuinus Vates opulentos, & pro omnium pœnarum compendio proponit pauperculorum prædam in domibus suis residere; ipsa enim velut semen fœcundum omnium animaduersionum fructus acerbos, & exitiosos, suo tempore parturiet, qui familiam deuastent, & copiarum aceruos diruant. Colludit cum Isaiæ vaticinio alius veridicus nuntius Amos functionis prophetalis collega, & redargutionis criminum socius. Is enim completus terroribus, fratrumque suorum, & principum vicem nimiopere dolens, acriori obiurgatione vtitur, propemodum mordens ex charitate, & vigilantiam in Magistratibus, cautionemque prædictione impendentis calamitatis, exsuscitare satagit. Sic enim de sublimi prophetiæ specula tonat armentarius cælesti spiritu plenus c. 5. v. 11. *Pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo: domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum.* Aureo vatis eloquio margaritas interserunt verborum, & emblemata sententiarum nitida, & collucentia duo argentarij fideles Hieronymus, & Cyrillus: primus, & primarius in sensis vatum eruendis scribit: *Diripiebatis pauperem, vt ab eo tolleretis, qui victui necessaria vix habebat, & quidquid pretiosum videbatis, & pulchrum, vestris vsibus tradebatis. Vnde & ex pretio eorum, quæ rapiebatis, & tollebatis à paupere, domos quadro lapide ædificastis, vt spoliantes homines parietes marmoribus vestiretis. Quas quia ædificastis de rapinis, & non solum mansioni, & tecto, quod exigit humana fragilitas: sed pulchritudini, & delicijs præparastis,*

Amos.

Amplas domus de spolijs pauperũ ædificantibus, captiuitatis, & repentinæ mortis pœna imminent.
D. Hieron.
D. Cyrill.

Digitized by Google

præparastis, repentina captiuitate vel morte subtracti, non habitabitis in eis. Placebit quoque cernere, quas interpuncturas argenti fulgentes adiiciat Alexandrinus Pontifex Cyrillus: *Conuersi sunt ad auaritiam, & Deo in primis exosæ tyrannidi, oppressionique incumbentes, pugnis percutiebant humilem, & colaphos impingebant in capita pauperum homines perbeati, cæterisque gloria, ac diuitijs præ ellentes. Diripiebant porro dona, verbo a non inuitis ea capientes, quæ in facultatibus suis præstabiliora habebant.* Omnes artes, & dolos concinnatos ad capiendum pusillum gregem tyrannice exercebant, tum violentia, tum rapina suppilantes, & corradentes pecunias, & opes; minas intentantes reluctantibus, & inuitis; vltroneos verò supra facultatem, & præstantiora donaria reddere cogebant. Intolerandam quoque oppressionem ipsa seruitute miserabiliorem sustinebant egeni, dum calce percussi, impactis colaphis, & pugnis in vultū, & caput, ad exigenda munera raptabantur. Illud tamen flagitium maius quod recenset Doctor Maximus, ex raptu, & præda sumptus, quos violenta nimis potestas extorsit, domibus hyemalibus, & æstiuis construendis expendebant, vt peristylium amplissimum, & columnæ marmoreæ politissimæ, puluinaria speciosa, & lectula eburnea sanguine pauperum coëmpta immanitatem Domini & auaritiam prodant: vt spoliantes homines, parietes marmoribus vestiretis. Vt parietes auro, & argēto incrustent, columnas sculptis torquibus, baccis & coronis exornent, denudant pauperes, & integumentis propriis spoliant: Atlantidum formæ totam ædificij molem suis humeris sustinentes, ore diducto & mœsto, conqueruntur de oppressione, & violentia pauperum, auari diuitis lapidea viscera prædicant; in his palatiis lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturam ædificij est, & speciosum lacunar respondebit; domino violento domus violentæ, turbines, & crudeles imminere procellas, quæ illam funditus euertant. Neque enim ædes studiosè, & magnifice structæ ad voluptatem possunt esse diuturnæ, quæ à turpi quæstu tanquam ariete validissimo expugnantur; euanescet inexpectato exitu rerum charissimarum vsus, quarum causa pecuniæ cumulandæ insano nisu studebatur. Extremum huius volatici ex terra, & luto, & lapidibus coalescentis gaudij luctus occupabit, certo scientes illius finem esse suplicium. Quid maius quam ab Hieronymo propositum: *Repentina captiuitate vel morte subtracti.* Violēta mors violentorum est, & iniquorum; improuisus, & subitaneus interitus; vt aduersus deprædatores pauperum repentina mors spoliatrix insurgat, quæ terrenis, & cælestibus bonis spoliet, & claudens gremio sepulchri subter illum sternat tineam, & det operimentum vermes. Et miserā animam Tartari vernulam æterni cruciatus carcere claudat. Simile lamentum profuderat idem Vates c. 3. v. 15. *Et percutiam domū hyemalem cum domo æstiua, & peribunt domus eburneæ.* Vbi Theodoretus ait: *splendidas domos igni vastandas tradam, simulque cum domibus ad hyemandum comparatis, domos laxas ad ætatem tolerandam accommodatas, incendam.* Pinnatis enim ædibus tanquam quibusdam alis, & pinnis circumdantibus muris, ex auaritia, & rapina constructis perniciem minatur, & captiuitatis incendium.

D. Cyr. Al.

Tyranni diuites spolia ab egenis auferentes, eo que pugnis & colaphis percutientes, deuastantur.

Mors violenta ijs accidit qui violentiam inferunt.

Theodor.

Domus hyemalis, & æstiua igni traduntur.

2. Idem argumentum inculcat, & eamdem animaduersionem replicat S. Iob edisserens de hypocritis diuitibus, qui ex alieno sanguine pinguescunt. Aperte describit miserum eorum exitum, & impendentem ex Domini decreto calamitatem. c. 20. v. 10. *Filij eius atterentur egestate, & manus illius reddent ei dolorem suum.* Impius suæ salutis oblitus de posteritatis felicitate solicitus, plus aliis, quam sibi viuit, congerit per fas, & nefas copiarum aceruos, quos, dum ipse in congeriem mortuorum raptatur, perpetuæ obliuionis conditiuo tumulandus, in hæredes diffundat. Sed cupiditas auari, quæ pauperes diripuit, & extorsit aliena, etiam vita defuncti suis frustrabitur votis. Filij eius atterentur, opprimentur egestate. Iis enim diues oppressionem, & tyrannicam violentiam egenorum in thesauris superstitem, & inclusam dereliquit, quæ post interitum patris ad vastitatem natorum viuat, vt atterantur egestate, & penuria filij patris, qui commoliuit, & conculcauit egenes. Consilio manuum suarum quo operatus est rapinam, & prædam, sibi dolorem asciscit, & domui suæ inuehit exitium. Arguta est LXX. seniorum translatio hic, dum aiunt: *Et ipsæ manus eius succendant dolores.* Scholiastes LXX. interpretum legit: *Per suas sibi actiones succendit ignem.* Lectionem illustrat Origenes in catena Græcorum Patrum scribens: *Is vero sibi suis facinoribus rogum accendit, rogus autem fax est, porro manus actiones: ergo actiones supplicij in illum flammam commouebant, nihil ab hac ipsa re discrepat prophetia, cùm ait: ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma, quam succenditis.* Postrema isthæc verba deprompta sunt ex Isaiæ c. 50. v. 11. etenim diuites ex diuitiis dolo, & iniquitate partis rogum sibi accendunt, quo omnia sua ardeant, in cineres, & fauillas abeant. Inoleuit militaris mos, vt parta victoria, violentæ deprædationis exuuiæ, telorum spolia, & vestimenta imbuta sanguine, in combustionem dentur, & cibum ignis; præeunte imperatore, & accensam facem præferente, quam stipularum aceruo applicat ad bustum. Hanc similitudinem Origenis verba præseferunt. Auaritia namque, & auiditas rapiendi, pyram construit valde funestam, quam iniquitas, rapina, & violentia tanquam ardentes faces succendunt, vt gliscens flamma depascat diuitis propria, qui depastus est, & succendit aliena. Ipsi enim succendentes vineam Domini, & peculium pauperum, funestos ignes, exitiales flammas sibi ominabantur cruciatus æterni, & incendium vorax res omnes suas familiares depopulaturum.

3. Reducendus est in funestam scenam diues epulo, vt immisericordię, & crudelitatis schema dedat Euangelicis spectatoribus, immanique supplicio coerceat diuites errantes, in ostro, epulis, deliciis beatam vitam constituentes. Heluonis acta proponit S. Lucas c. 16. ex quibus pro præsenti instituto trina theoremata eliciēda sunt. Primum: cur expresso nomine Lazari pauperis, nomē diuitis supprimitur, & mirabili silentio, & obliuione obruitur? ibi v. 19. *Homo quidam erat diues.* & v. 20. *& erat quidam mendicus nomine Lazarus.* Respondet Hugo Cardinalis: *Quia diuites huius mundi non quærunt nisi nomē Genes. 11. & celebremus nomen nostrum in vniuersas terras. Psal. 48. vocauerunt nomina sua in terris suis. Et quia in hoc peccant, in hoc puniuntur, &*

Iob.

Filij violentorum egestate atteruntur.

Violenti raptores sibi succendunt dolores, & ignes.

Lect. LXX.
Schol. L X X.
Origen.
Cat. Græ.

Suis actionibus facem admouent, & rogum accendunt.

D. Lucas.

Cur expresso nomine Lazari, nomen epulonis supprimatur

Hugo Card.

Diuites facti non quærunt nisi nomen, ideo innominatorū probro puniuntur.

ideo tacetur nomen eorum. Annectit alteram rationē:ad significandū quod diuites nomen suū quod hic habuerunt amittēt, & pauperes inuenient. Quo autem modo opulentus ille perquisierit ambitum honoris, & habuerit in optatis nomen suū perpetuo celebrari mirificis encomiis, expendit argute S. Augustinus in Psal. 48. v. 12. & pro vulgato legente: *Vocauerunt nomina sui in terris suis.* legit: *inuocabunt nomina eorum in terris ipsorum.* Et mentem verborum existimat esse, alludere vatem ad superstitiosum gentium morem conuiuandi, & compotandi circa sepulchra mortuorum, vt inter feralia fercula, & meri calices, in memoriam demortui sese ingurgitarent vino, & nænias quasdam cū modulamine lugubri cantitarent: *Quid est hoc?* (inquit Augustinus) *tollunt panem, & merū ad sepulchra, & inuocant ibi nomina mortuorum. Putas quantum inuocatum est nomen illius diuitis postea quando inebriabant se homines in memoria ipsius, nec descendebat vna gutta super linguam illius ardentem.* Adamauit mimorum & parasitorum cōtubernia diues iniquus, & sectam instituit epulonum, qui in eius memoriam continuo parentarent sepulchro, superbas opiparo apparatu dapes, & spumantes vino phialas offerrent, Epicurum suum ganeonum, & popinonum antesignanum miris laudibus celebrarent. Vt per lustra temporum in sectatoribus suis hæreditarium inolesceret flagitium, gloria nominis perennaret, & fama deliciosæ superbiæ; sed quam infelix diues, cui fundebant cyathi latices, odorati, & vetustate coalscentis falerni, in tartaro positus Tantali instar perpetua siti torqueatur, guttulam, & stillam aquæ semper refugientis exoptat. Nunc vero ad propositum me reducam: *Hæc monimenta* (teste Chrysostomo eodem in Psalmo 48.) *Non solum non te clarum reddent sed etiam facient ridiculum, & ora omnium aperient.* Et statim: *stant veluti columnæ, & trophæa erecta aduersus auaritiam.* Præconium sunt non gloriæ, sed improbitatis, auaritiæ, & rapacitatis opulenti, qui felicitatem totam constituit in ventris, & gulæ deliciis, esca, & potu. Non te felicem, sed miserum, non beatum, sed gulosum, contemptissimorum vitiorum officinam prædicabunt omnes. Nomen itaque diuitis epulonis Christus expunxit de libro vitæ, & de hominum memoria, vt qui famam memorabilem requisiuit perpetua obliuione mulctetur. Eò processit diuitis fastus, & insatiabilis auiditas possidendi, vt indebitum sibi nomen vsurpet, & immeritam gloriam rapere concupiscat. Deprædatores itaque sunt diuites non solum gazæ, sed gloriæ, indebitis, & exquisitis modis furantur perpetuæ celebritatis insignia, quæ non conuiuia, non fercula, non deliciis affluens vita, sed sola virtus, & egestatis tolerantia sibi vendicat; itaque famæ, & perpetui honoris rapina, quam violenter à mendico Lazaro extorserat, in opulentam domum, & epularem accubationem inuexerat, vitæ huius scena sublata, ad mendicum transfertur; Lazarus angelicis prædicationibus celebratur. Diues epulo manet inglorius. *Diuites* (inquiebat Hugo) *nomen suum, quod hic habuerunt amittent, & pauperes inuenient.* Præda honestatis, & honoris in diuite, quæ de oppressione pauperis & ærumna commendari auet, disperditur; decoris ornamenta aboleuit, nominis celebritatem extinxit.

D. August.

In terris suis nomina eorum inuocantur.

Inuocato epulonis nomine, ad eius sepulchrum inebriabant se homines, in memoria ipsius.

D. Chrys.

Monumenta diuitum superborum, eorum prædicant auaritiam.

Epulo famā requirens perpetua obliuione mulctatur.

Diuites deprædatores gloriæ, & perpetuæ celebritatis.

Pauper nomen inuenit, quod diues amisit.

4. Secundum acroama eruitur ex erudita, & arguta Chrysostomi percunctatione. Disquirit concione 3. de Lazaro, cur è regione, & ad conspectum mendici, epulonem tortores excruciandum constituunt? De diuite ait S. Lucas c. 16. v. 23. *Eleuans autem oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius.* Huic disquisitioni obuiam it primo, asserens sic è iudice Deo ordinatum locum cruciatus, vt ipsa tortura acciperet incrementum ex prospectu alienæ felicitatis: *Quemadmodum enim* (inquit) *illi molestiorem reddidit cruciatum, quod in vestibulo diuitis iacebat, quod videret aliena commoda: sic & huic grauiorem reddidit cruciatum, quod in gehenna iaceret, quod Lazari videret delicias.* Secunda responsio, & pro themate in titulo discursus affixo aptior, huiusmodi est: *Ex his discimus, quod omnes qui à nobis sunt contumeliis, & iniuriis affecti, tunc ante faciem nostram statuentur. Quamquam hic nihil à diuite accepit iniuriæ, neque enim illius pecunias vsurparat diues, sed suas non impartiuit. Quod si is qui sua non impartijt accusatorem habet eum, cui negauit misericordiam; qui aliena quoque rapuerit, quam veniam consequetur, vndique ipsum circunstantibus, quos affecit iniuria. Siquidem hoc & rapina est, non impertiri de tuis facultatibus.* Et producto in medium testimonio Isaiæ c. 3. quod illustrandum suscepimus, subiungit: *Non solum rapere aliena, verum etiam tua non impartire cæteris, & rapina sit, & fraudatio, & spoliatio. Sed rapina pauperis est in domibus vestris.* His adiice quod sanctus Ambrosius auarum hunc diuitem à rapacitate non absoluat, sic enim iuxta illius ingenium, & exemplar crudelitatem diuitum arguit, & ex ipso epulone commentatur lib. 8. in Lucam: *Quamquam insolentia & tumor diuitum indicijs competentibus exprimatur, quod ita conditionis immemores humanæ sint, vt tanquam supra naturam sit, de miseriis pauperum incentiua suarum capiant voluptatum, rideant inopem, insultent egenti, & quorum misereri deceat, his auferant.* A prædatoris dedecore, & crimine non exuitur diues, quia ab egeno violenter rapuit, vel quia subsidium panis in tam acerba calamitate non exhibuit; si conuitio raptoris inuritur diues flagitanti, & collacrymanti pauperi non ferens suppetias alimenti, quam ignominiam incurret, & supplicium, qui fortunas egenorum diripit? clamat Vates, & iustas fundit querelas aduersus opulentos: *Rapina pauperis in domo vestra.* Si enim squalido egeno cum fame, & siti extremisque ærumnis confligtanti, de prouentuum, & copiarum affluentia non subuenis, velut raptor argueris, quia id quod impendere adigit in supplices & inualidos clementia, & eorum egestas, inhumanè retines; quanto dedecore impietatis, immisericordiæ, & rapacitatis corripietur, qui aliena violenter extorsit; in tremendo illo examine ante conspectum truculenti diuitis, & violenti deprædatoris constituentur omnes iniuria affecti, spoliati, diuexati ipsum accusantes, & debitum supplicium expostulantes. Ex his elicitur placida responsio, & solutio propositæ quæstionis. Cernit diues in æterno planctu, & stridore dentium constitutus Lazarum pauperem perbeatum, vt contemplans mendicantis gaudium, accipiat epulonis incrementa suppliciorum; excruciatur flammis qui egenum proiectum ad domus suæ ianuas

Cur epulo torquendus traditur è regione Lazari.

D. Chrys.

D. Lucas.

Epulonis cruciatus molestior, ex prospectu felicitatis, & deliciarum Lazari.

Iniurijs nostris affecti, nos in iudicio accusabunt.

Si in iudicio accusatur, qui non dedit pauperibus sua quanto magis qui rapuit aliena.

D. Chrysost.

D. Amb.

Diuites immemores conditionis humanæ, insultant pauperibus, & ab iis auferunt sua.

nuas fame, & siti vexauit. Intentos & defixos tenet oculos epulonis spectaculum Lazari in gremio Abrahæ requiescentis; vt sero sapiat sibi inter pretiosas epulas, vnguentatosque conuiuas recumbenti, quantas calamitates intulerit despectus, & derisio pauperis; amictum tenet flammarum, qui egeno vlceribus pleno, nudo sic iacenti, vel tenue, & pannosum corporis velamentum pernegauit. Angitur fame, æterna siti exæstuat, qui ore famelico languentis inopis frustum panis non intulit, non propinauit aquæ fluentum; reiectus, & conuiciatus, vexatus fame pauper, æternæ animaduersionis flagra diuiti inuexit.

5. Tertium theorema latet in vociferatione diuitis de catenis tenebrarum, & compedibus tartarei carceris, quam profundit: reboat clamor horrificus inter inferas vmbras, & antra tenebrosa: *& ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Lucæ cap.16.v.24. Clamor hic apertè prodit genium diuitis. Cur requisiturus solatium sitis, ad Lazarum non accurris, sed ad te imperas peruenire? Adeo mollis, adeo deliciosus circumdatus tartareis vndis, vt itineris capessendi molestiam, & laborem recuset. Non excidunt in flammis imperia dominatoris iniqui, cùm sedens in sella eburnea conuiuij ad se clientes properantes, solicitos ferculatores, & celeres pocillatores mandabat merum influere. Adhuc in lacu tenebroso submersus imperitat, Abrahæ imperat, & ad se Lazarum venire mandat. In ipsis quoque verbis impij quanta apparet mollicies. Non expostulat manus attactum, sed digituli guttulam, & stillicidium. Adhuc vlcera pauperis fastidiosus diues horret; & displicet ei tristis vultus, & forma egestatis, & ærumnæ. Cauet ne purpura sua inquinetur tabifica manu, aut purulenta sanie turpetur splendens byssus. Iubet quod intingat Lazarus extremum digiti sui in aqua, non dicit quod attingat linguam; veretur adhuc vlcerosæ manus contagium, ideo nec extremi digiti permittit attactum leuissimum, vt guttam instillet in lingua imperat. Vel si permittit digito contingi, prius iubet vt intingatur aqua, & lustretur, vt mundati digiti contactum possit sine horrore tolerare. *Vt intingat extremum digiti sui in aqua, vt refrigeret linguam meam.* Linguam vocat suam, non aquam. Cur de exilientibus siphunculis domus suæ latices in os non postulat deriuari? Quòd fluentum requirebat extraneum. Qui aquam denegauit pauperi propriam, modo sitit alienam: ille tamen argutior cogitatus, in quem incurrit Sanctus Chrysologus vt extremæ disquisitioni faciat satis. Verba recenset Hugo Cardinalis: *Adhuc diuitem sua malitia non deserit: qui non se ad Lazarum duci postulat: sed ad se Lazarum vult deduci. Adhuc tu in Lazarum sic crudelis? Vnde, & quo? Ad infernum de gremio patris, ad profundum chaos de solio sublimi: ad stridorem tormentorum, de sancta quiete, & sancto silentio Beatorum.* Auida hæc vocatio Heluonis non est nouelli sceleris, sed liuoris antiqui. Constitutus in flammis Tartari vernula, crudelitatem auaritiæ, nec munera prædatoris deponit, cùm ipsam beatitatem, & quietem Lazaro pauperi vult rapere miser diues. Auet vt Lazarus miseriæ occurrat suæ, & felicitatem prædetur alienam. Pietatis, & humanitatis prætextu ingenium, & astum deprædantis abscondit: pellicere cupit misericordis Abrahæ animum, & Lazarum in eius gremio recumbentem, vt ad auari perueniat manus. Ideo non exoptat reportari ad Lazarum, & Abrahamidi pectoris reclinatorium, sed ad se Lazarum vult deduci, vt diripiat quietem, beata vita illum despoliet, ab Abrahæ diuellat amplexu, & teneat suæ pœnæ consortem.

D.Lucas. *Diues epulo in tartaro mollis, & deliciosus, Abrahæ, & Lazaro imperitat.*

Non manus, sed digiti stillicidium postulat diues vlcerum pauperis fastidiosus.

Diues refugit vlcerosa manus attactum.

Non de domo sua, sed de aliena postulat aqua guttam.

D. Chrysol. Hugo Card.

Non se ad Lazarũ, sed Lazarum ad se postulat deportari. Lazarum ad inferos vult deduci, vt sit socius pœnarum.

In tormentis constitutus optat diripere à Lazaro quietem, & beatam vitam.

6. Mystica, & solemnia insignia Seruatoris pro homine patientis illa sunt potiora, quæ apposita sunt à militum cohorte, & sanionum turba ad ludibrium, & irrisionem: coccinea chlamys, spinosus plexus, & arundo. Matth. cap.27.v.28. *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius.* & v.30. *Acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Arcana quædam, & mystica documenta eruit ex his suppliciis, & opprobriis Drogo Hostiensis Episcopus de sacramento Dominicæ passionis lib. 1. scribens: *Quasi pro regio splendore chlamydem ei coccineam, hoc est vestimentum mixtum sanguine) circumdant, cum propter crudelem sanguinolentiam, à plerisque & honoratur, & circumdatur.* Et de spinoso coronamine adiungit: *Plectentes coronam de spinis ponunt super caput eius, cùm de rapina pauperum spineas ei diuitias coaceruantes, caput eius ad regnum elationis efferunt. Vendicat enim pecunia, quod sapientia sibi dicere solebat: per me reges regnant. Vbi pecunia ibi Rex, & clientium copia.* Postea vero de arundine sic fatur: *Acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius: à talibus enim rectoribus, milites eorum potestatem accipiunt nocendi, & deuorandi pauperes, quod totum tamen redundabit in caput eius, cuius auctoritate se tuentur.* Hæc Hostiensis Drogo. Indumentum Christi purpureum, violentiam, & immanitatem innuebat potentiorum, qui vestem coccineam medicatam, & saturatam loco conchylij sanguine pauperum, offerunt Christo, vt illius operiat nuditatem; de horridis vepribus compactum coronamen diuitias coaceruatas ostentat de pauperum rapina; diuitiæ enim malè partæ, dispoliatione egenorum comparatæ, licet ad dignitatem sublimem efferant possessorem, sicut lancearum cuspides acuminatæ, mentem pungunt, & transfodiunt, Dominicoque vertici inferunt vehementiorem puncturæ cruciatum; arundine percussum venerandum caput, & IESVS totus ludificatus à satellitibus improbis in se ipso imaginem adornabat regum iniquorum, quorum imperio vel annutu exactores, & ministri iniquitatis pauperes, latrocinantium more dispoliant, excoriant, lacerant, deuorant; Hi tamen inhonora & exitiali canna percutiunt sui regis caput, quia totum redundat in caput eius cuius auctoritate se tuentur. Ea enim diuexatione inopum crudeli exitium, & vastitatem comparant Regi.

D.Matth.

Drogo. Host.

Iesus chlamyde coccinea induitur, vt crudelem sãguinolentiam principũ innuat.

Spinosus Iesu plexus spinosa sunt diuitiæ, vsurpata pauperum de rapina.

Arundine percutitur caput Christi, cum à rectoribus accipitur facultas nocendi.

Digitized by Google



Rapina pauperis in domo vestra.

DISCVRSVS VII.

Regis Regum, & Domini dominantium IESV *pacifica, & tranquilla potestas, adeò exosam habet iniquam extorsionem, & violentiam in muneribus, & honorarijs donis; vt non coactos, non inuitos, sed vltroneos, & spontaneos in offerendo diligat spectatores.*

1. NOn amat Deus illiberales clientes, ex quibus vis superior offerenda extorqueat donaria, sed munificos largitores, cordis spontaneitate obsequentes dominico imperio; beneficium reluctantis voluntatis ingratum, donum beneplaciti, & perlubentis animi gratiosum: Nec vt morem sibi gerant attrahit pectora violentorum, sed expectat liberale, & gratuitum obsequium ingenuorum, de voluntario famulatu gloriantium. Discursus propositi habemus præcentorem in hoc sapientiæ theatro Psalmographum, qui Psalmo nono dulci cantilena præludit. v. 17. *Cognoscetur Dominus, iudicia faciens.* Æquitas Dominicæ, & iudiciariæ potestatis agnoscitur punitione, quando homines ruentes in flagitia animaduersione coercet, vt ad meliorem reducat frugem; castigat vt flagris attriti reuocentur ad Creatorem, & Deum, si non per beneficia, per ærumnas perquirant. Sic rebellem populum Iudæorum morigeratum reddidit. Si ergo humanæ conuersionis compendium, quæ Deo cordi est, per punitionem tenetur, cur accumulatis criminibus non auget flagella, quæ disceptationis inter Deum, & hominem excitatæ solent esse peremptoria? Excitat, & dirimit quæstionem hanc Sanctus Chrysostomus in Psalmos tom. 1. *Et cur hoc* (inquit) *non facit frequentius? Quoniam vult nos non per vim, & compulsionem, sed per liberam eligendi voluntatem, ex virtute nos gerere, & beneficio potius affectos, quam punitos.* Auet supernus Pater filij amorem in homine, & reuerens voluntatis liberalis obsequium, non adeò exambit timorem seruilem, vt famulorum instar obsecundent dominanti formidine temporalis pœnæ. Non coactum famulatum de compulsoria potestate manantem, sed de libertate filiorum Dei profectum requirit. Vrget adhuc propositum argumentum os aureum: *Et quanto, dicet quispiam, melius est, esse necessitate bonum, quam malum libero eligendi arbitrio? Non potest esse bonum quod fit necessitate, qui enim vinculo illaqueatus bonus est, nunquam erit semper bonus, sed à necessitate liberatus reuertetur ad vitium. Qui autem ita instituitur, vt sua sponte, & libera eligendi potestate fiat bonus, cùm bonus factus fuerit, constans manet, & stabilis.*

Psal.

Iudiciaria Domini potestas homines in flagitia ruentes, punitione coërcet.

D.Chrys.

Deus non per vim, & compulsionem, sed per beneficia nos sæpius allicit.

D.Chrys. *Bonum diu esse nō potest, quod fit non volūtate, sed necessitate. Qui spontaneus, & libera potestate fit bonus cōstans manet, & stabilis.*

Adeò curat Deus liberale munus, & omnem præcauet coactionem, vt in ipso sectandæ virtutis proposito non compulsionem, non necessitatem, sed liberum electionis, & voluntatis relinquat arbitrium; qui enim Deo, non grata lubentia, sed necessitate compulsatus obsequitur, instar mancipij mœrentis, & gementis vinculis innexi, & compedibus adstricti miseram seruitutem subeuntis, morem gerit. Percupit Deus statum virtutis semper æquabilem, nihil tamen violentum perpetuum.

2. Eamdem protheoriam confirmat Sanctus Gregorius Nazianzenus perscrutans, cur in lege scripta non permutauit genus humanum, sed illius omnimodam mutationem ad legem Euangelij distulit? Hasque sententias subiungit oratione 37. *Vt ne vi pertraheremur, sed persuasione adduceremur. Quod enim voluntarium non est, ne diuturnum quidem est, quemadmodum nec fluenta, aut stirpes, quæ per vim retinentur. Quod autem voluntarium est, tum diuturnius est, tum certius. Atque alterum eius est, qui vim intulit, alterum nostrum. Alterum diuinæ benignitatis, alterum tyrannicæ potestatis. Quocirca Deus minime faciendum sibi duxit, vt inuitos beneficijs afficeret, sed vt de volentibus bene mereretur.* Non est beneplacitus Deo, nec effectus ad illius obsequium, qui obtemperaturus dominicis iussis, & apprehensurus stiuam Euangelicæ perfectionis, araturus pectoris tellurem, vt virtutum omnium vberes reddat prouentus, venit laboriosus, mœrens, plumbeus, inuoluntarius, inuitus; sed alacris currit, beneplacitus, & volucris peruolat ad Domini imperium; amat benignitatem, & clementiam, quæ bonæ voluntatis curriculo addit calcaria; respuit tyrannicam potestatem: quam placide cælestis cantor in commendationem principatus IESV digito superni Pneumatis pulsans chelym, diuinum fundit melos. Psal. 109. v. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Alij ex Hebraïco fonte verba transferentes eleganter dispungunt, Sanctus Hieronymus; *Populi tui duces spontanei.* Alij legunt: *Duces tui, vel populus tuus spontaneitatem, vel spontanearum voluntatum.* Eugubinus Episcopus Kisamus licet vulgatum indecore carpat, sic transfert: *Populi tui promptitudines in die belli.* Et sic expendit: *Erunt, inquit, prompta parata corde, cùm bellum gerere volueris populi tui. Sponte populus tuus veniet, animoque propenso te sequentur.* Omni ornamento, & armamento pulchrius refulget in castris militum, promptitudo, & alacritas bellatorum, quæ solet esse præsagium triumphi, sicut male ominosum fundendæ, & exscindendæ manus auspicium, inexpeditæ, & inuoluntariæ cohortis inductio; neque enim ex tumultuariis, & inuitis victrix acies coalescit; qua sorte militare sacramentum seruabunt qui reluctantes, & religati trahuntur ad prælium? Palma victoriæ, & stipendij iusti promeritum vltroneorum est, qui lubenter se committunt discrimini, & magnanimis ausibus se contradunt dubiæ mortis aleæ. Quapropter imperator IESVS in Crucis stadio expugnaturus phalanges tenebrarum, elegit spontaneos duces, & populum promptitudinis ad spiritalem conflictum, qui voluntariè, & placidè crucem portent, & hostili stadio decertent. Ideo Christi imperium semper stabile,

Cur Deus ad legem Euāgelicam mutationē generis humani distulit.

D. Greg. Nazian.

Voluit Deus non per vim, sed per persuasionē attrahere hominem, Quod non est volūtarium, non est diuturnum. Per amorem alliceri, munus est diuinæ benignitatis, per vim trahere tyrannicæ potestatis.

Psalm.

Lect. Heb. D.Hieron.

Iesus duces & milites spontaneos elegit.

Eugub.

Populus qui spōtaneus, & non inuitus subijcitur, perennare facit imperiū.

Liuius. bile, & illabefactum, perpetuis ornatum infulis triumphorum; quoniam, vt scripsit Liuius Decad. 1. lib. 8. *Firmissimum imperium quo obedientes gaudent.* Et Lycurgus aiebat apud Plutarchum in eius vita: *à tali imperio rectam effici obedientiam, vt nempe illi sponte, ac voluntarie subditi obedirent.* Et Polybius lib. 6. scribit: *Monarchiam tantum illam dici regnum debere, quæ magis pro animi sententia, quam timore, & violentia gubernatur.* Quæ omnia Lorinus noster refert. Dominicum imperium amore potius constat, quàm timore, ac prona subditorum voluntate decoratur, nec formidolosus, & inuitus animus aptus est ad prælium.

Lycurg. Plutar. Polybi. *Monarchia violentiam respuit.* Lorin.

3. Abstrusum, & obscurum valde vaticinium apud Oseam reperio cap. 8. in quo Regi, & regno Ieroboam improperat Deus, cùm enim ab auita pietate parentum desciuisset ad impiam sculptilium venerationem, hæc verba acri animaduersione permixta fundit. v. 4. *Ipsi regnauerunt & non ex me, principes extiterunt: & non cognoui.* Quando imperij Salomonici trabea in superstitioso Ieroboamo bifidatur, & scinditur, inscitiam, & ignorantiam dissimulat omnisciens Deus in verbis ipsis, & à tali potestatis conuulsione immunem se præstat, cùm id non nisi Deo consentiente, & approbante sit perfectum. lib. 3. Reg. cap. 12. se planè disgregationis tribuum profitetur auctorem ibi v. 24. *A me enim factum est verbum hoc.* & cap. 11. v. 11. *Dixit itaque Dominus Salomoni: disrumpens scindam regnum tuum.* Si regnorum imminutio, & diuisio à Domino profecta, vt quid sententiis prædictis aduersum loquitur Propheta: *Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui.* Numquid falsiloquus Vates, aut vniuersorum Deus? Absit, vt teneas mentem prophetæ, & ad rectam dictorum intelligentiam te dedas, & diuina antilogia concilies, facem præfert sapientissimus Cyrillus Alexandrinus pellentem omnem disparitatis nubilum, & caliginem verborum; duplicemque actum voluntatis diuinæ distinguit, alterum approbationis, & beneplaciti circa bona, & beneficia, quæ confert; alterum permissionis, quo mala pœnæ permittit, eorum verò auctor dicitur, quia cùm prohibere posset, sinit dispensatoriè sæpenumero fieri; & in hoc sensu Oseas accipiendus: *Ipsi regnauerunt, & non ex me*, tale imperium approbante, sed propter improbitates hominum permittente. Vnde cum Deus Salomonem incomparabili sapientia conspicuum reddidit pace per orbem diffusa clarissimum, & sacri templi constituit opificem præclarum: *Opus hoc* (subiungit Cyrillus) *fuit voluntatis ipsius. Permisit eius regnum scindi, non ipse hùc voluntate sua rem perducens: sed propter indignationem aduersus ipsum, quasi super inuoluntarijs tacens.* Itaque Deum velut inuoluntarium, & inuitum compulit Ieroboami impietas, vt regni chlamys in duas scissuras abrumperetur: quod est honoris, & gratiæ ex beneplaciti consilio, & sententia, prodiit; quod est homini iniucundum, & ad punitionem spectat, de Domini censorio decreto malitia velut extorquet: quod ad beneplaciti arbitrium adiungitur munus perennat, quod præter sententiam perficitur, & in inuoluntariis censetur inconstantiam, & instabilitatem præsefert. Ideo regnum diuisum decem tribuum quod in quodam fidelitatis ambiguo nutauit, decidit bellica expugnatione hostium, non enim habebat fulcrum Dominicæ approbationis, sed coactam indulgentiam regiæ potestatis, ideo nec indemnem obtinuit gloriam, nec perpetuam.

Oseas. *Cur decem tribuum diuisio extra potestate, & scientiâ Domini facta dicatur.* D. Cyr. Alex. *In Domino voluntas est approbationis, & beneplaciti erga bona, quæ offert; & permissionis, circa mala quæ permittit.* *In regnorum scissura Deus quasi super inuoluntariis tacet.* *Quod est honoris, & gratiæ ex beneplacito Dei manat, punitiuè à Deo malitia velut extorquet.*

4. Cœnaturus cùm anima Deus, & splendidum conuiuium exquisitis ferculis abundans paraturus, & ambrosias dapes, adstat foribus expectans introitum. Apocal. cap. 3. v. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso.* Nec intempestiuus adyta penetrat triclinij creator famelicus nostræ salutis, & sitibundus; more pannosi stipem corrogantis expectat ad ianuam oportunum ingressum. Pulchrè S. Andreas Cæsariensis ait in Apocalypsim serm. 3. cap. 3. *Mea, inquit, præsentia nulli vim affert: Cordis ostium pulso, promptè aperienti super salute sua gratulor, illamque opipara cœna loco duco.* Ad pœnitentiam, & salutem animæ, neminem Deus cogit, sed consensum expectat? Pulsat cordis arcanum, illecebra luminis superni blandientis, allicit muneribus, inuitat amore, terret minis pœnarum, dulci alloquio suadet, blanditur, & odore virtutum mirifico, & spe mercedis æternæ complet animæ penetralia, vt per rimulas ostij insinuatus sponsus arrideat propulsato flagitij consortio. Qui tenet clauem mortis, & vitæ, & violenta potestate posset euertere fores animæ, & ipsam adire violentus, expectat beneplacitum voluntatis, & arbitrium, vt tanto hospiti aperiat tabernaculum pectoris; potestatem, & amorem suspendit quoadvsque ipsa velit confringere claustri repagula, & Deo adaperire. Nec princeps pulsans, & repudiatus recedit, nec contemptus fastidit, nec inauditus succumbit, profligatus, aut extrusus lassescit; sed per opportunam salutis ansam arripere solicitus ad cordis vestibulum, & atrium patiens amator expectat, animæ quandoque placiturus; si Domini votis, & clamoribus voluntarius responderit animus, festiuum gaudium reputat, & splendidissimam cœnationem nectareis poculis, & ambrosiis dapibus refertam humanæ voluntatis affectum; lubentia ipsa & spontaneitate coronatur.

Apoc. S. Andr. Cæsar. *Deus cordis ostium pulsat quia præsentia sua nulli vim affert. Promptè aperienti gratulatur Deus, & salutem animæ opiparæ cœnæ loco ducit.*

5. Multat sempiterno opprobrio Iudam Iscariotem IESVS, & seuera obiurgatione coërcere satagit à proditionis flagitio. Sic enim IESVS Apostolorum cœtum affatur Ioannis cap. 6. vers. 71. *Respondit eis IESVS: nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus est.* In malitia perseuerantem, & contumacem his verborum aculeis vehementius arguit, & pungit. Illud tamen stupent Collegium Apostolicum virique sapientia, & sanctimonia primarij, nimirum, Iudam in sodalitio, & contubernio Dei effectum diabolum, in dominico paradiso transgressorem; inter Apostolos, in humanis corporibus Angelos, Iudam in dæmonem moribus, & imitatione migrasse. Tanti prodigij admirabilitatem temperant Ammonius, & Anonymus in catena Græcorum Patrum in Ioannem. Hic enim scribit in hunc modum: *Non enim vi, ac necessitate quadam Deus bonos facere consueuit; neque electio eius violenta est, & coacta, sed suasoria. Vt enim intelligas, inquit, non cogere vocationem, multos vocatos perire contingit.* Cùm vocat, & allicit ad statum melioris vitæ non eripit ab homine arbitrium,

D. Ioan. *Apostoli stupent Iudam in Dei sodalitio effectû diabolum.* Ammon. Anonym. Cat. Græc. *Malos Deus non necessitate bonos facere consueuit. Dei electio non est violenta, sed suasoria.*

arbitrium, aut libertatem, sed insitam potestatem relinquit, virtutem vel malitiam amplectendi, neque enim cogit violentia, aut necessitate, vt effingat simulacrum melioris vitæ, sed in libera potestate constituit, quod æternam sibi vitam, aut mortem lucretur; adeo expers Deus violentiæ, aut coactionis, vt cùm felicitatis æternæ negotium agitur, illud iuxta arbitrium suæ voluntatis relinquat. Pulchre Ammonius: *Verum libertatem nobis haudquaquam eripit.* Ne melioris doni, quod humano cordi natura inseruit deprædatorem Dominum nuncupemus.

Ammon.

Deus libertatem non eripit.

6. Sodales Angeli in epinicio cantico adiungunt sponsæ mirabile decus, & insigne, cum eius laudant incessum. Cant. cap. 7. v. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.* vbi LXX. interpretes arcano sensu legunt: *filia Nadab.* Spiritalem partum, quo prægnans est hoc verbum *Nadab*; in lucem effert Theodoretus ex Aquila legenti: *filia sponte dantis*, S. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 17. vertens: *filia voluntatis*, aut *beneplaciti.* Sapienter quoque sanctus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum lectionem & eius significatum illustrat, locum commentatus de virginibus se Domino sponte offerentibus. *Sponsus (inquit) laudatus à sponsa virgine, laudat vicissim virginem sponsam, & dicit ei: speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis filia Aminadab, quod interpretatur populus sponte offerentis. Virginitas enim voluntaria est, & ideo gressus Ecclesiæ in castitatis pulchritudine collaudantur.* Non tam laudat sponsus in sponsa sacra pedem non diuaricantem ad spatiosam, & latam viam flagitij, qui concinnitate quadam virtutis, & mortificationis constringat gressus, & calceis pretiosis, aut sandaliis exornet, in quibus eluceant margaritæ virtutum; nec tam commendat incessum terrore, & maiestate plenissimum, quo caput serpentis conterat, & instructa procedat ad prælium spiritale, & animositate sua metum incutiat hostibus; sed cordis magnanimitatem, & liberalem incessum, quo se sponte offerat Deo, & virginitatem litet sacris altaribus voluntariam oblationem; complacet Deus in virgine, in qua eluceat indoles libertatis, & generositas animæ sponte dantis, quam nulla coactio labefactet, aut humanus affectus necessitatis infuscet, qui cœlestium nuptiarum consensum taminet. Sed lubentia, & ad vota sua prona voluntas condecorat insignibus filiæ Nadab sponte offerentis, omni mœrore, & tergiuersatione depulsa, pedem iniiciat seruitutis sacræ compedibus, & brachia armillis pietatis exornet. Et sapienter *filia* nuncupatur *principis*, non ancilla, vt deliciosum cognomen, non tam timorem præferat, quàm amorem; quæ spontanea oblatio est, de charitate oritur, quæ foras mittit seruilem timorem; filia est in beneplacito, & ancilla in liberali obsequio, deuotæ Deo virginis seruitus omni coronamine sæculi gloriosior est. Qui filiam nuncupat amorem prædicat, vt in ea per hanc nouam, & sacram filiationem, qua sponsa adoptatur, effigies paternæ probitatis, & dilectionis effulgeat.

Cant.

Lect. LXX.

Theodor.
Aquil.
D. Amb.

Sponsa filia dicitur Nadab, hoc est, bene placiti, & spon e dantis.

D. Hieron.

Populus spōte offerens.

Virginitas voluntaria Deo offertur.

7. Quibus omnibus exemplar appositum, & præclarum Regibus æmulandum, vt deuotos clientes in muneris donandi functionibus aueant, & violentiam exactionum exterminent. Quapropter de pecuniarum, & solutionum præfectis iure conqueritur Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 5. variar. epist. 39. *Exactorum quoque licentia (inquit) fertur amplius à prouincialibus extorqueri, quàm nostro cubiculo constat inferri.* Et subiungit in epistolæ extremitate: *Quia non est defensio quæ præstatur inuitis; suspectum est quod patiantur nolentes. Nam hoc est re vera beneficium, si sine murmure feratur acceptum.* Quibus verbis tributarios confouet, & tuetur, & detestabilem exactorum cupiditatem comprimit, ne ingrauent fortunas alienas, per turpes quæstus possessores atterant, & supra facultatem largiendi donaria ab inuitis extorqueant.

Exactorum licentiam, & extorsionem inhibet Theodoricus Rex.

Cassiod.

Beneficiū est quod sine violentia, & murmure datur.



Discvrsvs VIII.

In mysticis & mirandis operibus salutis humanæ Deus voluntarium amauit, coactitium & violentum repulit.

1. Cvm Deus fæmineum figmentum ad viri protoplasti solatium condere parat, mirum est quanta emineat sapientia in hac singulari, & ineffabili plasmatione, eam exprimit series verborum, quæ legislator diuinus recenset Genes. cap. 2. vers. 18. *Dixitque Dominus Deus, non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Dixitque Deus, & locutus est Deus verba proferens humana, quæ feliciter, & gaudenter auscultat Adamus, verbum iucundum viro, diuinæ mentis interpres, ad amorem, & delicias hominis destinatum, & naturæ humanæ complementum, non enim solitarium viuere volebat Deus, sed mente comparem effingere cogitabat, ex cuius consortio homines per tot nationes multiplicati profluerent. Adhuc secundo init consilium Sanctissima Trias, & deliberatione mirabili consultat tantæ fabricæ molem condere: nec ab hoc venerando & sacrosancto cœtu Adamus excluditur, sed in senatusconsultum supernum euocatus accersitur, eius perquiritur votum, & approbatur voluntarium suffragium. Argutè Angelicus Doctor hoc in loco Genesis scribit: *Dixit Deus non tantum intra, sed etiam illustratæ menti ipsius Adæ. Fuit enim conueniens praexigere eius consensum: quia nulli debet dari vxor sine eius proprio consensu aliquali.* Nunc expectat Deus assensum viri, vt Euam formet, qui præstolatus est postmodum voluntarium Mariæ consensum, vt deifici viri nouum figmentum figuret. Vt plasmet Deus sociam, & coniugem, quæ in necessariis, & commoditatibus huius vitæ possit esse subsidio, Adami voluntatem explorat, ne inuitus subeat vxorium iugum; illud præsertim attendit magnum Ecclesiæ luminare Thomas ne Deus portionem carnis, & ossis, ex qua perpulchrum, & concinnum ædificium fœminæ construendum, velut ab inuito, & reluctanti extorqueat, sed illam beneplacito voluntatis exhibeat ad figmentum dilecti simulacri. Vbi substantia donanda ab homine est propria, Deus vim odit, violentam coactionem refugit, Nec

Genes.

In ædificatione Euæ, ad senatusconsultum sanctā Trinitatis, Adā vocatur.

D. Thom.

Deus præexigit Adami consensū, ad fabricam mulieris.

Nulli danda vxor, sine eius consensu.

Deus portionem carnis, & ossis ab Adamo non extorsit, sed violentar.

decor

Deus carnis substantiam sine sensu doloris, & vexationis ab Adamo eripit.

decora hominis imago elegansque ornamentũ naturæ concinnatur nisi Adamo dormiente humanis, vigilante commentationibus diuinis, excessu diuini amoris correpto; vt in distrahenda lateris costa, & corporis particula, esset totius vexationis, & doloris expers. Genes. cap. 2. vers. 21. *Immisit ergo Dominus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.* Omnipotẽs manus temperata blandimento amoris, & vnguento compassionis, & pietatis delibuta, Adamum à sensibus auocatum aggreditur, vt adimat portionem carnis; ne aliquis mœror, aut doloris affectus in ipsa ereptione interueniat. Audiendum est os aureum homilia in Genesim 15. *Itaque vt ne illũ in auferendo dolore, neque ob ablationem tristitia afficeretur, vtraque sic dispensauit, vt & citra cruciatum illius auferret, & impleto eo loco vnde abstulerat, factorum sensum percipere non sineret.* Mirabilis structura, sed mirabilior opificis sapientia, & dexteritas plena clementiæ; ambiebat delicium suum Deus, vt ab omni mœstitia eximeret, & in nullo contristaret. Cùm enim Deus ab Adamo carunculæ partem exigeret ad eius emolumentum, & decus, & corporis primitiuum donarium spontaneus offerret, nullam violentiam, nullam oppressionem, nullum cruciatũ expertus est; sed Dominicæ manus blandimentũ, voluntarium donũ adamãtis, coactionem excludẽtis, resarcientis, redintegrantis detrimentum naturæ, & vacuitatem complentis.

Genes.
D.Chrys.

Adamus cũ carnis primitiuũ donariũ offert, nullam coactionẽ expertus est.

Vt Deus hominem cælestem condat, Mariæ beneplacitum postulatur.

2. Ex homine, & plasmate terrestri ad diuinum opificium hominis cœlestis migrat animus, & calamus, in eo namque Mariæ Virginis beneplacitum præstolatur tota Trinitas, auide expectat iustorum cœtus, & tota curia cælestium Senatorum. Habemus Mariani consensus interpretem præclarum Guillielmum paruum, seu Neoburgensem, qui ferme abhinc quingentis annis floruit, sapientia, & pietate clarissimum, qui in commentando Canticorum cantico de Deipara mirificus est, & verborum dulcedine delibutus, præ Pactolo, Tago, & Phisone ditiorem venam aurei eloquij fundit, omni lapide pretioso sententiarum ornatam. Is enim aggressus explicare verba Cant. cap. 5. v. 2. *Vox dilecti mei pulsantis aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Supponit sponsam musto diuini amoris ebriam, cælestibus dapibus in conuiuio fartam, eiusque mentem vinculis corporis solutis, suique iuris animam in sponsum anhelantem, eiusque aduentum opperientem: vocem audit velut suaui cantu blandientem, & obsecrantem in penetralia intromitti; quæ autem fuerit vox, quod dulce modulamen quasi citharæ pulsus tinniens illius auribus, profusè expendit Deipara, quæ subsequentibus Guilhelmi verbis affatur: *Vox, inquiebat, dilecti mei pulsantis facta est ad me, quando impleto tempore dispositionis suæ, placuit incarnari ex me. Quæ autem fuerit vox illa confestim addit, nempe: aperi mihi soror mea. Poterat dilectus non aperiente ipsa, ipse introire in virginalem vterum: sed ad Matris gloriam, quam maluit sponte, & hilariter aperire, stetit ad ostium & pulsauit.* Postea verò discrimen adiungit formationis Euæ, ex Adamo, & plasmationis Christi ex Mariano vtero: *Tulit Dominus de dormiente Adam, vnde formauit Euam: non stetit ad ostium eius & pulsauit, consensum & cooperationem eius minime flagitauit.* (consensum intellige, qui apertis constet Scripturæ verbis) *Poterat etiam Incarnationis mysterium celebrare Maria nesciente, nec sentiente, nec consentiente, nec carnem dante: sicut sumpsit de Adam, vnde formauit Euam: sed maluit sumere non tantum ex ipsa, sed & ab ipsa sciente, sentiente, consentiente, & offerente ad cumulũ gloriæ Maternæ.* Guilhelmi cõtemplationes maximum leporem, & solidam argutiam continent. Dilexit in Maria Deus spontaneum donum, vt in beneplacito virgineę voluntatis gloriaretur. Vbi enim sponsus cælestem thalamum diuersis floribus virtutum ornatum ingressurus, vt nuptias celebraret, & copulam humanæ cum diuina natura, assensum, & consensum Virginis præstolatur Christus, diligenter solicitat paranymphus Gabriel; in hoc enim admirabili commercio generis humani, in quo Maria donatura corpulentam substantiam, & humanæ naturæ primitias, tanquam frumenti adipem veteri fermento malitiæ immunẽ, euehendam ad diuinæ hypostasis consortiũ, bona voluntas, & liber affectus amoris festum celebrabat. Nimiæ charitatis opus, quod increatum amorem habuit architectũ libere decernentẽ, & operantem redintegrationem, & reparationẽ ruinæ conditionis humanæ, perlubentem sibi, & spontaneum vendicabat Virginis affectũ, vt nulla coactione taminaretur opus, quod de munifico & sponte dante architecto manabat, ideo mysterio à sæculis abscondito Angelicus affatus præludebat, qui alliceret suauiter pectus virgineũ ad inauditum, & inexpertum facinus diuini consilij statuto tempore perficiendum. Pulsatur ostiũ cordis Mariani, spõte expandit sinus roseos immaculati pudoris, & thalamum suum Christus ingreditur; ideo mittitur nũtius, expectatur assensus, vt liberalis, & gratiosa Mariæ volũtas negotium sæculorum à patribus exoptatum, à Patre æterno consilio destinatum, compleat. Similis pietatis acroama elicit idem Guillelmus ex illa sententia Cantic. c. 8. v. 13. *Quæ habitas in hortis amici auscultant: fac me audire vocem tuam.* Et in hunc modũ procedit: *Cum enim iam instaret plenitudo tẽporis, quo Dei filius hostiã reconciliationis humanæ suo tempore immolandã, de carne Virginis sumeret, noluit ea nesciente, vel inuita hoc facere, sed ad hoc dignatus est, eius petere, atque expectare assensum. Præmisit ergo Angelum præcipuæ dignitatis, qui sacramentũ à sæculis abscõditum Virgini nuntiaret, & fidelem eius assensum nulla verborum asperitate extorqueret, sed quo liber, & hilaris esset blãditer, molliterque eliceret.* Hilarem enim datorẽ diligit Deus, vnde ad ineffabile mysterium, quo Domini glorificatio, & generis humani reparatio agebatur, non inuitã aut reluctantem adigit ad consensum operationis mirabilis; nec corporis materiam, & carnis habitum humanum, quo ornandum, & operiendum Verbũ, ex Virginalis vteri officina violenter extorsit; sed beneplacẽs, & complacẽs Maria exhibuit hostiam, quam in ara Crucis pro totius orbis piaculis postmodũ Christus offerret. Vnde in illis verbis: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuũ.* Lucę cap. 1. immensa quædam volũtarij arbitrij propensio, & inundatio gaudij, & affluẽtia lætitiæ, & exultationis exprimitur. Donauit, inquit, de suo gratiosè totum quod diuinũ est, ego lubens impendo quod humanum. Non abstulit inuitè creator

Guillielm.

Vox iucunda dilecti pulsantis per aures ad penetralia Mariani cordis penetrauit.

Poterat spõsus, Maria non aperiẽte, in virginalẽ thalamum introire.

Maior matris gloria, si hilariter aperiat ad ostium pulsanti.

Guilhelm.

Poterat Dominus, Maria nesciente, nec consentiente, carnem assumere.

Ad cumulũ maternæ gloriæ carnem assumit, Maria sciente, consentiente, & spontaneè offerente.

In mysterio incarnationis, bona Mariæ voluntas, & liber amoris affectus, festum celebrant.

Guill.
Cant.

Deus ad incarnationẽ, Angelũ præmittit, qui Mariæ consensum suauiter eliceret.

D. Lucas.

creator à creatura substantiam, quam ipse condidit, sed libenter oblatam vsurpat ad constitutionem Adami cælestis; voluntariè munerat humanum, vt Deus remuneret quod diuinũ est. Itaque nec læta de nuntio, nec diues de diuinitatis consortio, nec Deo fœcunda & plena, nec ornata Deiparentis insignibus censeretur, nisi decreto Dei obtemperasset voluntario consensu. Quare in arcanorum arcano Deus, & mysterio reparationis humanæ exosam habuit violentiam, inuisam coactionem, perplacuit voluntaria Marianæ voluntatis oblatio.

Cur Deus nõ sola potestate, sed carnis abiectione, hominem de potestate tenebrarum eruit.
Euseb. Emiss.

3. Perquirũt Ecclesiæ primores, cur Deus sola potestate, cui resistere nemo potest, hominẽ erutum de potestate tenebrarum non exhibuit, & inseruit cœlestibus? Quid opus est vilissimã humanæ naturæ conditionem assumere stupenda Dei exinanitione, cõtumelias mortis, & acerbã subire passionem? Occurrit quæsito sapienter, & eleganter Eusebius Emiss. homil. 9. de pascha dicẽs: *Potuerat quidẽ Dominus noster, charissimi, hostem humani generis sola maiestate prosternere sine Incarnationis humilitate, sine certamine passionis. Sed homo qui proprio trãsgressionis crimine tenebatur obnoxius, qui per culpã suam incurrerat seruitutẽ, non violentia liberãdus fuit, sed misericordia: & quia Deus æquitas, & iustitia est, ipse sibi lex est: & quia homo iudicij, & iuris sui, ac liberi arbitrij voluntate erat, qui volũtarius ceciderat, iniustũ erat vt erigeretur inuitus. Iusto ergo ordine qui per calliditatẽ malinoli serpentis nõ impulsus, sed seductus fuerat ad perditionẽ, rursum per sapientiã beniuoli redemptoris nõ cõpellatur, sed ducatur ad salutẽ: & qui cum sua voluntate corruisse videbatur, cum sua rursus volũtate repararetur, vt esset virtuti ac reparationi locus. Nõ ergo eum præripit per violentiam, sed potius per iustã beneuolentiam sollicitat, & erudit in vitam: quia benignitas prouocantis etiã meritum desiderat acquiescentis: & dignissimi Medici studium, infirmi sui requirit adsensum.* Hucusque Emisenus. Placuit Deo non per solã potentiam, sed per humilitatẽ & iustitiam hominem eruere de potestate tenebrarũ. Poterat Deus absoluta potestate rapere naturæ humanæ exuuias à Tartareo prædone, qui hominẽ per fraudem interceptum, ad miserum adeo culpæ, & pœnæ reatũ impulerat; sed in hoc facinore aliqua interueniret violẽtia, cum miseræ seruitutis iugum homo voluntarius subiisset, & libere pedem iniecisset compedibus tenebrosæ potestatis; qui ergo spõtaneè factus est captiuus, nõ per vim eximẽdus, sed pietate redimẽdus, persoluto pretio redẽptoris nimirum Deifico sanguine, pro homine, qui perierat, qui piacula omnia dissolueret, & diram hostis tyrannidem, homine in filiorũ Dei libertatem, & lucẽ asserto: ad hominis salutẽ non attulit coactionẽ, sed æquitatẽ, vt sine extorsione violenta tollatur ab hoste, qui fuerat spontaneè deditius; & vltroneus non inuitus manus cõtradat Deo, qui sui iuris existẽs ad aduersas Deo acies transfugerat. In virtute sectãda nõ admittit reluctãtes, & coactos, sed vltroneos, & liberales clientes, vt detur locus merito, & coronæ mercedis æternæ, quæ beniuolæ voluntatis est.

Sola potentia maiestatis valuit Deus hostem prosternere

Homo non violentia liberãdus fuit, sed misericordia.

Qui volũtarius ceciderat, iniustum est, vt erigatur inuitus

Deus hominẽ non eripit per violentiã, sed sollicitat per iustam beneuolentiam.

Medicus infirmi requirit assensum.

In virtute sectãda non admittit coactos, sed vltroneos Deus.

4. Similẽ hilaritatem, & lubentiam in Cruce baiulanda exigit Iesus. Matth. c. 16. v. 24. *Si quis vult post me venire abneget semetipsum, & tollat Crucem suã, & sequatur me.* Acumine suo illustrat S. Chrysostomus verbum illud: *si quis vult.* orat. in adorationem viuificæ Crucis in media ieiuniorum hebdomade apud Gretserum tom. 2. fatus: *Vide quomodo nullam his verbis necessitatem imponat; non enim dixit: siue velitis, siue nolitis hoc vobis ferendum est, sed quomodo: Si quis vult venire post me. Non affero vim, non cogo, sed quemlibet dominum suæ voluntatis constituo, ea de causa dico si quis vult venire post me.* Stabilitatem mentis ad exantlanda mortis pericula Christus percupit, omni metu repulso, ideo Crucem sufferentes & portantes spontaneos Christus requirit, neque enim tollit, sed raptat Crucem, qui reluctantis animi aut inuiti indicia prætendit; acris lucta cum dæmone, incursus ærumnæ vehemẽtior, & tolerantia passionum passim occurrent iis, qui Iesu Crucem baiulantis vestigia premunt, ideo bonæ voluntatis audacia exigitur à certaturis, ne succumbant salebrosa in semita aduersantis sæculi Crucis oneri, aut exprobrent beneuolentiam charitatis, quæ omne onus alleuiat. optionem dat, & sui iuris esse relinquit vernaculos suos, & clientes Iesus in portatu Crucis socios, quia non mœstos, non queribundos, sed exultãtes, & hilares ambit. Subiungit Chrysostomus homil. 56. in Matth. *His dictis vehementer eos attraxit. nam sicut qui vim affert, plerumque auertit: sic qui liberos audientes constituit, multo magis attrahit: potentior enim omnino est oratio mitis, quàm violenta. Ideo dicebat si quis vult.* Hæc ille. Est enim sic comparata hominis natura, quæ amore magis ducitur, quàm timore, nec finit in arbitrio coactionem, cui sui iuris esse creator donauit: flagra sæpe, quæ à viã flagitij non auertunt errantem, sed tanquam vitulum excusso iugo reddunt ferocientem, & indocilem, reuocat, & coërcet blandũ alloquium, lenis oratio. Itaque IESVS violentiam recusauit, bonæ voluntatis insignia prætulit, quibus allectauit sequaces suos ad crucis mortificationem continuo in animis corporibusque perferendam.

D. Matth.
In cruce ferenda nulli Deus necessitatem imponit.
D. Chrysost.
Gretser.
D. Chrysost.
Qui vim affert, homines auertit.
Potentior est oratio mitis quam aspera & violenta.

5. Quapropter in huius discursus extremo non inuitus subiiciam facetũ apologum, quem recenset B. Petrus Damianus Cardinal. lib. 1. epist. 16. in quo Solis, & Euri contentio describitur, quis facilius, & suauius exueret chlamyde viatorem. Sic enim scribit: *Dum quidam indutus chlamyde viator incederet, Sol, & Eurus eum quasi materiam sibi proposuere certaminis, quis videlicet è duobus ei chlamydẽ potuisset auferre. Hoc itaque inter eos fœdere constituto, vt eum qui victor existeret, virens laurea coronaret: cœpit Eurus violenter infremere, nubium volumina commouere; è contra viator chlamydem stringere, seseque, ne vestem perderet, vndique constipare. Illico Sol aurea cœpit ora detegere, micantibus terram feruoribus illustrare. Mox viator cùm iam æstibus nimij feruoris aresceret, vberque sudor humefactis visceribus ebulliret, proiecit chlamydem, vt nimij chaumatis temperaret ardorem. Ille ergo condicti certaminis promeruit palmam, qui leniter egit, non qui vincere furendo, & violentiam irrogando tentauit.* Vbi nubium fragor auditus est, nimbisque horrescens procellosa pluuia, remedium viator adhibuit cautionis contra furentem tempestatem, totis adstringere lacertis pallium, contra violentiam turbinis, & flatus direptoris, vim vi repellere nisus, ne esset spolium chlamys coactionis, sed mititudinis. & amoris. Vbi enim aureus Solis vultus radios ignitos exufflans ferire cœpit pectus viatoris, totus exæstuans, & stillicidiis sudoris immadescens vestem abiecit, vt temperaret

Solis & Euri contentio describitur, in auferenda viatoris chlamyde.
Petr. Dam.
Virentis laureã coronam promittitur victori.
Euri violentiam expertus viator, pallium suum constringit, & retinet.
Viator feruentis solis radijs æstuans & sudans chlamydem proijcit.
Victor euasit, qui leniter egit non qui violentiã irrogando vincere tentauit.

temperaret Solis incendium. Manus dedit clementiæ, cessit lenitati peregrinus, qui omni nisu obluctatus obstitit violentiæ; felicior in victoriis, vberior in triumphis, ditior in exuuiis mititudo est, quæ voluntatem non cogit humanã. Quot spoliis voluntatum obsequentium ornatum est delubrum lenitatis! Feroces mores inuexit ad obsequium, quos vis coactionis dispulit. Princeps non turbinem omnia perturbantẽ, & violenta commotione dissipantem, sed placidum Solem æmuletur, qui ad muneris exhibitionem non cogit, sed blanda amoris, & mititudinis adulatione hominem emollit, vt amictu se exuat, & voluntarius offerat rerum familiarium exuuias opulentas.

Mititudo ditior in triumphis, felicior in victoriis.

Princeps non turbinem violentum, sed placidum Solem æmuletur.

Huius capitis tertij Pars secunda & argumentum.

1. IN hac secunda parte sermonis tertij Isaias prædicit Iudaici populi repulsam, eamque amplificat eleganti, & apta similitudine reiectæ & repudiatæ sponsæ, aut vxoris, a qua vir omnia decora, & ornamenta pretiosa eripit; eamque orbatam omni mundo, & acquisito decore, siue quo ad delicias, aut amplitudinem spectabat, reddit inuenustam, squalidam, & inhorrentem; nulla enim ira vehementior, aut grauius supplicium sponsi erga sponsam ostenditur, quam eam omni mundo muliebri exuere, & sponsalibus donis, quibus eam sibi desponderat. His supplicijs multauit Deus Ierosolymam, & Iudaicam synagogam sponsam sibi olim valde dilectam, contradens eam Romanis hostibus, sub quorum imperio miserrimam subiit captiuitatis ærumnam, spoliumque perpessa omnium ornamentorum, & donorum, quibus eam Deus condecorauerat.

Repulsa Iudaica synagoga describitur, similitudine sponsæ mundo muliebri exutæ.

2. Lemma hoc triplicem propositionem continet. Prima est, omnia, & singula ornamenta ab Isaia recensita à Iudæis feminis fuisse erepta iure belli, & captiuitatis, cum in Romanorum manum inciderunt. Quare iuxta litteram grammaticali sensui tenacem expendenda; quid vnumquodque decus ab Isaia enumeratum præseferat, & innuat. Secunda, ornamenta hæc non tantum iuxta litteralis corticis superficiem penitranda, sed in nobiliori, & sacratiori sensu vsurpanda, & enucleanda; nam in singulis insignibus aureis varietas donorum, & chaos gratiarum supellex delitescit, quibus Deus populum illum inter nationes orbis reddebat conspicuum, & illustrem. Quare cum has sacras exuuias ab synagoga in sua mortalitate insita matrio abstulit; eas transtulit ad Ecclesiã Christianã, ijsque condecorata, & opulentata est. Inuenit in ea Deus fidelissimam, & thalamum penu, & fidam custodiam. Nec enim decora sua Deus otiosa esse patitur, gratiarum namque riuulum, & charismatum stillicidia cum vna sponsa reijcit, ad alteram ea Deus deriuat. Operæ pretium ergo erit quod Ecclesiæ Christianæ donum, & pignus spirituale vnicuique ornamẽto respondeat, inuestigare, vt illud variis interpũcturis & emblematibus subtilius contemplationi distinctum, & illuminatum demus. Tertia restat propositio, omnia ornaméta, & dona à synagoga ablata, ad Ecclesiam Christi translata in principaliori &

Ornamentorum decora iuxta litteralem, & mysticum sensum exprimuntur.

In insignibus aureis, donorum & virtutũ decora latent.

eminẽtiori huius Ecclesiæ parte nimirum Deipara potissimũ elucere. Quare nostræ industriæ, & laboris erit potioribus insignioribusq; ornamentis gratiarum Deigenitricem decorare, & gratiosa virtutum insignia in aureis ornatibus delitescentia eruere, in lucemque proferre.

3. Prima pars huius propositionis comperta valde est, nec probatione indiget, cùm in eam conspirẽt omnes interpretes. Secunda verò quod ornamenta apud Isaiã spiritaliter, & in sensu arcano sint accipienda, præseferre videtur tã exacta, & accurata enumeratio ornamentorũ, quibus solẽt feminæ circumornare corpus, conciliare venustatem; in iis enim diuinus Vates aliquid maius, & secretius innuit, quam quod patebat oculis, existimabat cum ad singula ornamenta enumeranda deijcit sermonem. Accedit Patrum auctoritas. S. Cyrillus Alexand. de bonis spiritualibus vsurpat, dicens: *Vario ornatu Deus perpolit animam, quæ cum ipso domestica quasi coniunctione copulata est, & rerum præclarissimarum ornamentis coronat multifariam.* Et Doctor Maximus scribit: *omnia perdunt ornamenta virtutũ, quæ sub inaures torquibusque, & monilibus atque armillis mitris, & discriminalibus, cæterisque huiusmodi describuntur.* In eodem sensu accipit Theodoretus præfatione in librum Canticorum ornamenta ab Ezechiele recensita cap. 16. quæ Deus contulerat ad Ierosolymæ decorem: *Vestiui te discoloribus, calceaui te iacinthino, & cinxi te bysso. Hæc autem* (inquit Theodoretus) *ex diuinissimi Mosis scriptis facile licet colligere, ille enim sacra constituit ornamenta, & sanctum vnctionis oleum, quemadmodum ab omnium Deo fuerat edoctus. Sic manuum armillas, & colli torquem, & inaurem super os, & circulos aurium, & coronam decoris capiti impositam intelligamus. Per manuum enim armillas, virtutes morales significat: per circulos aurium, diuinarum scripturarum intelligentiam, qua vt circulis aures, sic animus est ornandus. Per colli torquem, prudentiam in principali parte splendentem, quæ in corde, quo pendet ornatus ille, quiescit,* &c. & longe ante in eadem præfatione dixerat: *Neque accidenti adhæremus litteræ, sed interius penetrantes, spiritus sensum inuestigamus, eiusque lumine illustrati, quæ spiritalia sunt, spiritaliter intelligimus.*

Spiritalis animi ornatus in his verbis delitescens, adstruitur.

D. Cyr. Ale.

Theod.

4. His adiungendus eruditissimus Rupertus qui locum Habacuc cap. 7. v. 8. *Spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis propter sanguinem hominis.* Expendit mirifice de Christi Seruatoris nece propter quam Iudæi spoliati sunt omnibus gratiarum donis. Sic enim inquit: *In quo primum isti iam spoliati sunt? Nimirum in eo, quod perdiderunt non solum locum, & gentem, verum etiam adoptionem filiorum, & gloriam, & testamenta, & legislationem, & obsequium, & promissa quæ ipsorum erant,* &c. *quia Christum expectationem gentium interfecerunt.* Spoliata est ergo Iudaica synagoga his omnibus ornamentis spiritalibus propter Christi interitum.

Rupert.

5. Porrò quod prædicta decora fuerint ad Ecclesiam Christi transportata aperte declarat Sanctus Hieronymus Isaiæ cap. 60. ad ea verba: *aurum, & thus deferentes.* Vbi illud adstruit Deum ornamentis aureis synagogam decorasse, vt: *susciperent ad se missum filium Dei, quem quia non susceperunt, vniuersa sublata sunt, & suscipientibus spiritualiter reddita hæreditas.*

Ablata virtutum monilia à Iudæis quia Christum non susceperunt.

D. Hieron.

Amos.

Idem argumentum ſectatur in c.8.Amos,& eleganter percenſet quomodo omnia Iudaici populi decora fuerint ad Eccleſiam Chriſti tranſlata;ad ea verba verſiculi 9.*& erit in die illa dicit Dominus Deus: occidet Sol in meridie,& tenebreſcere faciam terram in die luminis*,&c.ſequentia Hieronymus ſubiungit:

D Hieron. Iudæorum vniuerſa feſtiuitas, & myſteria ad Eccleſiam tranſlata.

Nunc ergo illis habitantibus tenebras,qui repulerunt Solem iuſtitiæ:nos qui ſedebamus in tenebris, & vmbra mortis, vidimus lucem magnam: & illorum vniuerſa feſtiuitas ad Eccleſiæ tranſlata eſt myſteria,vt illis flentibus, nos laudes Domino concinamus.Illi pro zona accinguntur funibus,& ciliciis,nobis cum Apoſtolis dicitur: ſint lumbi veſtri præcincti.Nos accincti ſumus Chriſti veritate. Illi autem pro veritate accincti ſunt diaboli mendacio.Noſtrum caput habet comam perpetuam,& in capite noſtro qui Chriſtus eſt fortitudinem poſſidemus, vt interficiamus leonem. Illi autem dormierunt meretricis ſynagogæ genibus, & diabolo tondente deraſi virtutem capitis perdiderunt, amittentes cum robore oculos. Hæc ſapienter & eleganter Hieronymus.

In mundo muliebri ſynagogæ ſpiritalis mariani pectoris ornatus ſignificatur.

6. Poſtrema theſis, quæ ad commendationem, & encomia ſanctiſſimæ Deiparæ ſpectat, valde plauſibilis eſt, nec minus verax, quod omnia illa decora à dilecto olim populo ablata, & Chriſtianæ Eccleſiæ vbertim donata, ſublimiori modo in Maria emineant. Nam nihil eſt decoris,nihil eſt candoris,quod non reſplendeat in Virgine glorioſa.

Albert.Mag.

Quam ob rem Albertus ſanctimonia clarus,& omni litteratura Magnus ad exordium ſalutationis Angelici paranymphi *Aue*.Lucæ cap.1.omnia Mariæ inſignia & præconia enuntiat dicens:

Nouem pretioſi lapides Angelorum, mariani indumenti operimentum.

Iſti ſunt nouem lapides pretioſi, de quibus dicitur Ezechielis cap.28. omnis lapis pretioſus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Iaſpis, chryſolitus, & onyx,& berillus,ſaphirus,& carbunculus,& ſmaragdus.Decores enim,quos Angelus abiecit, & ab Eua (adde & à Iudæa) *abſtulit, Virgo Beata aſſumpſit.*

Decora, quæ Angelus abiecit. Maria aſſumpſit Alanus. Varen.

Nec minore pietate Alanus Varenius enumerata in hoc cap. 3, ab Iſaia inſignia, ad ſanctiſſimam Dei Genitricem transfert,ſerm.4.de Mariæ laudibus ſcribens: *detrahuntur ab impia Ieruſalem innumerabilia ornamenta: quæ vnicè Mariam, & cæleſtem Hieruſalem inſigniant.In die illa,ait Propheta, auferet Dominus ornamentorum, & calceamentorum, & lunulas,& torques, & monilia,& armillas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes* &c. *Hæc ſunt cæleſtia Virginis Mariæ inſignia, quæ ab impia (vt diximus) auferuntur Hieruſalem, & ſuper ſancta Virgine donata æternum ſanciuntur, confirmanturque. Sed qualia & quanta ſint, exiſtimo cæleſtis potius eſſe intelligentiæ, quàm humanæ. Credibile namque eſt,multo plurima ſacramenta in iis contineri: & quæ (ſecundum quod dicit ſcriptura) oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Hæc piè, & ſapienter Alanus.

Ornamenta quæ à Iudæa Dominus abſtulit ſunt cæleſtia Mariæ virginis inſignia.

Præſentis ergo inſtituti erit ornamenta iuxta ſonum litteræ expendere, petita ratione ex ſacra,& humana litteratura, quod verò ſacramenti in iis lateat ad Eccleſiæ,& Deiparæ commendationem,& ampliſſima decora pro modulo noſtro accuratè,& ſolerter eruere,& in apertam lucem dare,& inſtar argentarij, & artificis fidelis monilia laudationum nectere, Eccleſiæ & Deigenitricis pectus munire, & vtriuſque collo appendere ad gloriam,& ornatum.

VERSICVLVS XVI.& XVII.

Et dixit Dominus: pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion,& ambulauerunt extento collo,& nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant.

Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.

COMMENTARIVS.

Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion.

1. Deſcripſit accuratè Iſaias in prima ſectione huius capitis crimina virorũ, nunc in ſecunda proponit flagitia fœminarum, velut originem,& fontem totius ærumnæ,& captiuitatis comminatæ. Et primo orditur piaculorum catalogum ab elatione,arrogantia,& ſuperbo faſtu mulierum principaliorum, quem oſtentabant impudicis moribus,peregrinis indumentis, deliciarum affluentia, propudioſis inceſſibus, & nutibus ad libidinem,& congreſſum pellicientibus.

Fœminarum elatio & arrogantia,captiuitatem Ieroſolymæ induxit.

2. *Eleuatæ ſunt.* Vel,de materiali eleuatione & artificioſa celſitudine accipies crepidarum, aut cothurnorum, vt iis innixæ Ieroſolymitanæ puellæ,& Dynaſtarum vxores ſtaturam puſillam diſſimularent,& eminentiores viderentur; etenim proceritas, & celſitudo corporea adauget in fœminis pulchritudinẽ,maiorem cultum, & venerationẽ conciliat amaſiis, vt ſtatu ipſo heroinæ viderentur, auguſtiorẽ formam,aut diuiniorem perſonã oſtenderent. Vel de ſuperbia,& elatione animi accipies,quæ de mobilitate, & leuitate cordis innata fæminis,germinare ſolet, præſertim iis,de quibus ſuperiori ſermone affirmarat dominatum plenum obtinere in viros,in illis verbis expreſſum: *& mulieres dominatæ ſunt eis.* Hæc omnia mirificè perpendit S. Chryſoſt. D.Chryſoſt.

Fœminarum eleuatio, & artificioſa celſitudo.

prædicta verba commentatus;perquirit cur aduerſus mulieres inuectus Iſaias prolixiorẽ ſermonem texuerit:Et occurrit: *exiſtimo id eſſe factum ob immodicam mollitiem vxorum, ac luxum profuſiorem:per quem viros maxima ex parte inducebant ad rapinæ nequitiam. Ob hoc ſanè aduerſus eas etiam ſeorſim ab increpatione coniugum inuehitur, grauiſſima impingens eis crimina. Cardinem totius mali ſummam ve, eis impingit, nempe vitam flagitioſam,ac ſuperbiam. Mulier enim mirè turget redundanti faſtu,atque pertinacia:ſi quidem ſuapte natura leuior eſt viro,& minus quam vir habet rationis, quare leui ex cauſa vacillat, & in errorem inducitur.* Hæc S. Chryſoſtomus.

Mulier mirè turget redundanti faſtu, & leuior eſt viro.

3. *Ambulauerunt extento collo.* Verbũ נטוי nõ ſolũ *extenſionem*,ſed *motionẽ in omnem partem* denotat. Habent pro deliciis,& gloria propudioſæ fœminæ collum pellucidum fucatis medicamentis,aureo ſplendore bractearum tremularũ illuminatũ obuiis quibuſq; oſtentare,aſſidua & leuiori circũgyratione motitãtes caput.Vel lautitiã,& elegãtiam ornatus præferẽtes,ſibi complacentes vanitate mirifica;inſtar pauonis gloria exultantis, ceruicem extollentis,gemmanteſq; ſplendores,& conchatam in orbẽ caudam aduerſus

Colli ſuditas,& capitis fœminei motitatio leuiſſima.

Digitized by Google

aduersus Solis radios expandentis, procedebant Ierosolymitanæ fœminæ. Apte in præsenti legit Chaldæus: *Cum applausu suo ambulabant.* Glo- riolam vanam præconij expiscantes, vt ab omnibus elegantia, & speciositate famosæ prædicarentur. Extentum collum celsitudinem, & elationem animi indicat, procacitatem & contumaciam fœminarum, quæ ad diuinam legem non inclinabant, nec submittebant ceruicē, sed excusso illius iugo exemptione impiæ libertatis erectæ procedebant in publicum. Genuine S. Basilius sententiam expendit: *collum in sublime arrectum gestitabant quidem, quo suos vultus palam spectandos omnium oculis exhiberent. Hæ supra cæteras efferrent se ipsas ob formæ decus, & elegantiam corporis sibi maximè perplacentes. Quæ pudica est mulier, & benemorata, præ pudore incedit oculis in terram deiectis, faciemque demittit terram versus. Quæ autem in animo constituit captare multos, ac venari laqueo sua elegantis formæ, collo incedit in sublime porrecto.*

Chald.

D. Basil.

Ob formæ decus, & elegantiam corporis, sibi maximè perplacent fœminæ.

Mulier benemorata, præ pudore incedit, oculis in terram deiectis.

Oculorum annuum, & stibij linimentum.

Ezech.

Lect. Hebr.

4. *Nutibus oculorum ibant.* Chaldæus legit: *& stibio linitis oculis ibant.* Vt eorum fulgore, & addititio fuco amplius prouocarent. Sic de Ierosolyma scribitur Ezechielis cap. 23. v. 40. *Ecce venerunt quibus te lauisti, & circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri.* Hebræum משקר *nictantes oculos & annuentes* denotat. Est enim alia fœminarum leuitas non exigua nictitantes oculos, & arridentes ostendere, iisque congressum venditare, & perniciosum propinare amentibus amantibus libidinis poculum; eo intercipiunt incautos, & se ipsas irretiunt. Itaque proprie denotat blande lucidis, & fulgentibus oculis annuere, & arridere suauiter, & hilariter in obliquum detorquere, & deflectere lumina, vt missilia amoris, & libidinis incendij flammas per oculos de pectore iaculentur. Sanctus Basilius dilucidam paraphrasim Lxx. seniorum legentium *nictibus oculorum*, apponit: *In nutibus oculorum probatio redditur mulieris fornicariæ, & procacis ad opera ipsa anhelantis fascino, & noxio aspectu. Ipso enim contuitu obscœnam demonstrat animi impuritatem. Dum enim suauiter & blandis arridet ocellis, prolicit ad expetendam libidinem. Iactu enim oculorum sagittam plane exitialem emittit, cuiusmodi tandem obtinet rumor de basilisci natura, quem dicunt solo aspectu corrumpere suos spectatores.*

In oculorum nictibus mulier fornicaria ostenditur.

Lect. Lxx.

D. Basil.

Fascinum & noxius procacis fœminæ aspectus.

Arridens impudenter oculus, quasi basilisci aspectus.

5. *Et plaudebant.* De quo plausu sit sermo, variant auctores: certiora, & probabiliora dabimus. Si iuxta Vulgatum verba vsurpes, sensus erit: quod genus muliebre rebus prosperis, & florentibus sit quodammodo gloriosum, & ostentabundum, splendido vestimentorum ambitu, linnosa cyclada auro ornata, & pretiosis lapidibus, elato supercilio, & arroganti specie sibi plaudant. Rite aliqui legunt ex Hebræo: *æquis passibus gradientes.* Ad ostentationem, & gloriam; tum etiam vt plausum, acclamationem, rumorem, & admirationem excitent suis spectatoribus; amant enim plebis murmur, & susurrum, cùm lenior clamoris sonitus mixtus laudatione venustatis immurmurat, & inter fluctuantem turbam sicut in theatris finita scæna, aut melodia plausus perstrepit. Verbum Hebraicum טפף sonitum denotat, aut tinnitum crepitaculorum, tympanorum, aut sonalium, quæ ad tripudia, saltationes, & choreas adhiberi solent. Iuxta illud Ieremiæ cap. 31.

Muliebre genus rebus prosperis gloriatur, & vestimentorum ambitu splendido sibi plaudit.

Lect. heb.

Lect. Heb.

Gaudet crepitaculorum, & tympanorum tripudiis.

Ierem.

vers. 4. *Rursumque ædificabo te. Et ædificaberis virgo Israel: adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium.* Iuxta quæ Ierosolymitanæ puellæ, aut principaliores fœminæ nulla matronalis honestatis, & grauitatis habita ratione impudenter, & petulanter lasciuientes ibant festinanter per compita, & plateas festiua, & blanda supplosione manuum, & instrumentorum incedentes & tripudiantes. Et consonant subsequentibus Isaiæ verbis, in quibus de choreis fœminarum fit sermo: *ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant.* Quare in scholiis suis Vatablus perpulchre sententiam iuxta Hebræum aperit: *ambulando plaudendeque ambulabant in publico, & pedibus suis excitant sonitum crepitaculorum. Taxat impudentiam mulierum, quæ saltando more puerorum, & puellarum ibant per fora, & plateas percutiendo tympanum, aut pedibus suis crepitaculum excitantes.* Nec dissonat Sanctus Hieronymus cùm legit in commentario: *Plaudunt manibus, & pedibus.* Aut digitorum crepitacillo, aut pulsu tympani vel crotali, vel sonalium crepitaculorumque strepitu.

Vatabl.

Lect. heb.

D. Hieron.

6. Si verò sequaris Lxx. seniorum lectionem: *In incessu pedum simul trahentes tunicas.* Quam sectantur Basilius, Cyrillus, Chrysostomus. Plausus, sonitus, & strepitus hic erit à vestimentis progrediens, & videtur sermonem esse de laciniosa, & caudata cyclada leniter diffluente, festiua, eleganti, & blanda supplosione per terram attracta. Et iuxta Chrysostomum: *conuerrunt humum circumactu vestium.* De qua non inepte illud Tertulliani adaptabis lib. de pallio cap. 4. *Prorsus si quis mæandrico fluxu delicatam vestem humi protrahat, audiat pone se, quod & comicus: qualem demens iste chlamydem disperdit?* Quæ expositio concordari posset cum ea, quam exhibet Forerius, & ex eo Sanchez, plausum esse stridorem, qui ex sericarum vestium collisione, aut concussu perstrepit. Hispanè dicimus: *Vestido nueuo crujiendo.* Qualis intextura serica, quæ vulgo vocatur: *tafetan.* Nec dissentit vox Hebraica טפף *taphaph* à quo tela hæc serica denominata videtur.

Lect. Lxx.

D. Basil.

D. Cyrill.

D. Chrysost.

Sibi plaudūt fœminæ ex laciniosis, & caudatis vestibus.

Tertull.

Forer.

Sanchez.

7. *Et composito gradu incedebant.* Composito gradu incedere, non tantum denotat pompatice egressuras, maiestatem, & elegantiam affectantes spatiosis, & lepidis incessibus. Sed proprie saltationem iuxta artis præscriptum; saltatoriis numeris delicate se inflectentes, & circumgyrantes in choreis, vt infracta teneritudine lusitantes, & tripudiantes ad venerem stimularent viros Similes illi, de qua Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 1. *quia sub illorum supercilio non defuit qui psaltriam intromitti peteret, vt puella ex industria supra naturā mollior canora dulcedine, & saltationis lubrico exerceret illecebris philosophantes* Rite iuxta vim verbi Hebraici transtulerūt Lxx. seniores: *& pedibus simul ludentes.* Lectionē illustrat S. Basilius *Incessus non secundum naturæ tenorem, immo qui exerceatur solutius iuxta modulationem quamdam ab naturæ præscripto discrepantem.* Et S. Cyrill. Alexand. *Vbi pedum strepitus (inquit) cum carminibus numerosis cōsentit, ibi videlicet omnino & manuū ipsarum plausus resonat, & omne genus fœditatis, & inuitātur spectatores ad turpitudinē.* Ludere in numerū, vel iuxta numerosos modulos, est saltare ad rhythmi modum, & sonum cātilenæ Virgilius in Sileno.

Obiurgat Crates fœminarum choreas.

Macrob.

Lect. Lxx.

D. Basil.

D. Cyr. Alex.

Tum verò in numerum Faunum ferasque videres Ludere.

Lect. Hebr. Nec contrarium est verbum Hebraicum עכס hheches denotat orbiculos, quos gestasse fœminas in cruribus ad tripudiũ nimirũ sonalia, verosimile est. Lect. Hisp. Proprie vertit Hispana translatio, quã refert Sanchez: *con sus pies cascaueleaban.*

8. Denotat verbum illud ornamentum calceamentorum, dequo inferius; præterea & *compedem.* Et consonat præsenti instituto, nam saltatrices non solutis passibus, aut liberis gressibus, sed iuxta saltationis leges alligatis, & compeditis terram quatiunt, & choreas instituunt.

Fœmina decaluatio ignominiosa.

9. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.* Est quædam decaluatio fæminæ ignominiosa, alia verò non prorsus inglorìa, cùm capillitium abscinditur ad bellica tormenta neruorum, & ad bellicum vsum parabantur, cùm ex iis arcuum chordæ contexebantur ad emittenda iacula. De quo Polybius lib. 4. Strabo lib. 17. Cæsar. lib. 3. audiendus est Vegetius lib. 4. de re militari cap. 9. *Indubitatum verò est crines fœminarum in eiusmodi tormentis non minoris habere virtutis, Romana necessitatis experimento. Nam in obsidione capitolij corruptis iugi ac longa fatigatione tormentis, cùm neruorum copia defecisset, Matronæ abscissos crines viris suis obtulere pugnantibus: reparatisque machinis, aduersariorum impetum repulerunt. Maluerunt enim pudicissimæ fæminæ, deformato ad tempus capite, libere viuere cum maritis, quàm hostibus integro decore seruire.* Erat Decaluatio ista libera, spontanea, & gloriosa, cùm fæminæ crines abscinderent ad virorum victoriam, hostium stragem, vt ancillarum probrum ad tempus dominæ sustinerent, ne ignominiosam captiuitatem subirent.

Polib. Strabo. Cæsar. Veget. *Fæminarum crinibus vsi sunt Romani ad tormenta bellica.*

Misera seruitus ostenditur in fæminarum caluitio.

10. Apud Isaiam prædicta sententia miserã seruitutem fœminarum sub potestate hostium dominantium, & habitum captiuitatis ostentat denudatio illa decoris capitis, & abrasio capillamenti, quæ tripliciter accidere potuit; primo quod captiuitate obrutas præ mœrore, & luctu ambitiosum capitis ornatum, & floridum abscinderent, in terram abiicerent. Vnde Suetonius scribit in Caligula cap. 5. *Regulos quosdam barbam posuisse, & vxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus.* Vel quod auream cæsariem, flauescentemque comam crispantibus cincinnulis comptam, & ornatam abscinderent hostes ad ignominiam, & irrisionem fœminarum; vt detonsa aut abrasa cæsaries, seruilis conditionis formam præ se ferret; aut tertio: quod carceris pædore, & squalore captiuitatis paulatim comæ defluerent. His modis *decaluauit Dominus verticem filiarum Sion.*

Sueton.

11. Quod seruilis ignominia, & captiuitas per caluitium denotetur, patet multis ex locis. Ieremiæ c. 48. de Moabitarum ruina ait v. 31. *ad Moab vniuersam clamabo, ad viros muri fictilis lamentantes.* Vbi legit Theodoretus: *ad viros tonsos siccitatis.* Et subiungit: *Syrus ita interpretatus est, capita eorum erant rasa, & barbæ eorum rasæ. Is erat captiuorum habitus.* Et ad ea verba Amos cap. 8. *conuertam festiuitates vestras in luctum, & induam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput caluitium.* Ait S. Hieronymus: *iuxta consuetudinem veterum lugentium super capita habuere caluitium, quod & Iob in morte filiorum fecisse legimus.* Postea vero de captiuitate Romana locum expendens subiungit:

Ierem. Theodor. Lect. Syra. *Captiuis capita & barba rasa ad ignominiam.* Amos. D. Hieron.

Festiuitates eorum, & cantica Vespasiano, Titoque superantibus, in planctum luctumque mutata sunt, quando lacrymarum & pœnitudinis, & ciliciorum repleta sunt omnia, & capita habuere caluitium, quæ prius Nazaræorum decorata cæsarie comam Domino nutriebant. Illustrem quoque auctoritatem comperies apud eundẽ Doctorem Maximum Micheæ cap. 1. *Decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum: dilata caluitium tuum sicut aquila: quoniam captiui ducti sunt ex te.* Ibi scribit: *Decaluata est Hierusalem, quæ omnem comam pristina gloria perdidit, & filij eius qui clamauerunt contra Dominum crucifige crucifige eum, in captiuitatem ducti sunt.*

In captiuitate Romana Nazaræorum cæsaries abrasa. Michæas. D. Hieron. *Ob Christi crucifixionem, omnem comam pristina gloria Ierusalem perdidit.*

12. Quod verò fœminæ ratione luctus crinem abscinderent constat ex Seneca in Troade, vbi Andromacha Vlyssem deflet.

Fœminæ, ratione luctus crines abscindunt. Seneca.

Te rapiet hostis; oscula & fletus puer
Lacerosque crines excipe.

Et in Hypolyto, actu 5.

——— Capitis exuuias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam.

Et Cicero Tusculana 3. Cicero.

Scindens dolore identidem intonsam comam.

Et addit: *facetum illud Bionis, perinde stultissimum Regem in luctu sibi capillũ euellere, quasi caluitio mœror leuaretur.* Præterea Lucilius scribit: Lucilius.

Mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere præficæ
Multo, & capillos scindunt, & clamant magis
Hic est tonsus ille lugubris apud Attium.
Sed quænam hæc est mulier, functa veste, tonsu lugubri.

Quid simile accidisse Ierosolymitanis fæminis in excidio vrbis, & incendio non erit dissonum veritati, cum enim prospectarent maritos, natos, iuuenes cupidinis trucidatos, flebili voce gemitu & eiulatu capitis ornatum à se propellerent in signum luctus & mœstitiæ, comam capitis euellerent, aut abscinderent.

13. Secundo abrasio comæ est in signum seruitutis, vt testatur Propertius lib. 4. eleg. 12.

Abrasio comæ signum seruitutis. Propert.

Testor maiorum cineres tibi Roma colendos
Sub quorum titulis Africa tonsa iacet.

Id est subacta, & detriumphata.

Et Ouidius lib. 1. amor. eleg. 14. Ouid.

Iam tibi captiuos mittet Germania crines
Culpa triumphatæ munere gentis eris.

Titus Liuius lib. 4. decad. 4. *Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis, qui seruituti exẽpti fuerãt.* Tit. Liui.
In diuinis quoque libris lex decaluationis proposita est captiuis fæminis. Deuteron. cap. 21. v. 12. *quæ radet cæsariem.* Deuter.

14. Tertio ad ludibrium, opprobrium & turpitudinẽ, sic enim de Fausta virgine sub Maximiano Imperatore Martyrij gloria celebri refertur in Martyrologio die 2. Septembris: *Fausta ab Euilasio idolorum sacerdote decaluata, & ad turpitudinem rasa.* His enim ludibriis deturpabant Tyranni fœminas aut bello captas, aut testimonio fidei destinatas. nam Apostolo Paulo teste 1. Cor. c. 11. v. 6. *Turpe est mulieri tonderi, aut decaluari.* Nullum dedecus aut ignominia maior irrogari potest fæminis, quàm glorioso capitis ornamento priuari, aut capillitij exuuiis spoliari. Id penes gentes omnes ignominiosissimum extitit, vt docet Apuleius lib. 2. de asino aureo, cuius verba recenset Cardinalis Cæsar Baronius in Martyrologio præallegato: *Si cuiuslibet eximiæ, pulcherrimæque*

Decaluatio ad ludibriũ, opprobrium, & turpitudinem. Martyrol. D. Paul. Apule. Cæsar. Baro.

Capillis spoliata fœmina apparet deformis.

quæ fœmina caput capillo spoliauerit, licet de cœlo eiecta, mari edita, fluctibus educata: licet inquam Venus ipsa fuerit, licet omni gratiarum choro stipata, & toto cupidinum populo comitata, & balteo suo cincta, cinnama fragrans, & balsamo rorans, si calua processerit, placere non poterit nec Vulcano quidem suo. Et inferius: *tanta denique est capillamenti dignitas, vt quamuis auro, veste, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat: tamen nisi capillum distinxerit, ornata non possit videri.* Hinc est quod Isaias ad maius dedecus, & opprobrium fœminarum Ierosolymarum ad ludibrium, & irrisionem decaluandas à Chaldæis vel Romanis fore prædicit.

In fœmina capillorum ornatus potissimum decus.

Lect. Hebr. Chald. Lect. Lxx.

15. Verbum Hebraicum שׂפח Saphath hæc omnia amplectitur, denotat *ancillare, ancillas facere*, aut *decaluare, humiliare, deprimere.* Chaldæus legit: *humiliauit Dominus gloriationem filiarum Sion.* Lxx. verò transferunt: *humiliabit principales filias Sion.* Vt culpæ respondeat pœna. Quæ enim insolenti fastu turgidæ, eleuatæ, & erectæ ambulabant; abiecto collo, inclinata ceruice ancillarum instar incedent humiliatæ; & quæ insaniebant compta medicataque cæsarie, abrasæ, & detonsæ apparebunt turpes, deuenustatæ, & squalidæ.

Lect. heb. D. Hieron. *Varij capillorum ornatus, & plexus.*

16. *Et Dominus crinem earum nudabit.* Pro verbo *crinem*, Hebraice est פתהן deducit Hieronymus פאה quod Ieremiæ cap. 9. v. 25. transtulit: *attonsos in comam.* Et denotat cæsariem capillorum, corymbos, præsertim capillos bifidatos supra frontem, & crispantes cincinnulos calamistris notatos, & ornatos, hinc inde fluctuantes & volitantes, quibus medicandis, & deaurandis ab elegantioribus fœminis maior cura impenditur. De quibus infra ait Vates: *& erit pro crispanti crine caluitium.* Idem verbum potest deduci valde congruenter à radice פות *puth* & proprie significat fœminæ pudendum, vel podicem, & verti potest ex Hebræo: *turpitudinem earum nudabit.* Lxx. seniores iuxta verbi proprietatem transtulerunt in Bibliis Complutensibus, & Regiis: *& Dominus nudabit turpitudinem ipsarum in die illa.* Scilicet partes illas anteriores, & posteriores, quibus in velandis vel pudor studet, valdeque indecorum, & indecens operimentis non abscondi. Ignominia hæc ad captiuarum habitum spectat vestes decurtare, & circumcidere vsque ad nates & fœmora. De Babylone Isaias ait cap. 47. v. 2. *tolle molam, & mole farinam: denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, reuela crura transi flumina, reuelabitur ignominia tua.* Et Ægyptum, & Æthiopiam captiuam transmigrantem introducit c. 20. v. 4. *nudam, & discalceatam discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.* Et de captiuitate Niniue scribit Nahum cap. 3. v. 5. *Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Et de Ierosolyma, & Samaria scribit Ezechiel cap. 23. v. 26. opprimendas à Chaldæis: *& denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ.* Et v. 29. *Dimittent te nudam, & ignominia plenam.* Præterea captiui omni vestimento exuti venales erant, vt refert Plutarchus in Apophteg. Lacon. in Agesilao: *Cum verò nudos captiuos vendi iussisset.* Nec solum probum turpissimæ nuditatis perpessuras fœminas olim do-

Lect. Heb. Lect. Lxx. Bibl. Regia. *Turpissima fœminarum nuditas in captiuitate Romana.* Isai. 47. Nahum. Ezech. Plutarch.

minatrices; sed hostium vim, & à militibus comprimendas, prostituendasque libidini Chaldæorum, & Romanorum verbum illud denotat Lxx. interpretum: *Humiliabit principales filias Sion, & nudabit turpitudinem ipsarum.* Huic enim ærumnæ expositæ & subactæ fœminæ in irruptione hostium. Luculenter illustrat versionem illam Lxx. *Reteget habitum earum.* S. Chrysostomus dicens: *formam ipsarum deteget, id est vel circumcidet, & auferet ornatum, vel ignominiam reddet manifestam. Erit autem istuc quando prostituentur deserta, & nudæ omni elegantia, & apparatu hostium manibus capiendæ seruæ, & captiuæ & calamitosissimæ.*

Lect. Lxx. D. Chrysost.

17. Postremò perpendenda est illa repetitio Vatis omnia supplicia, & spoliationem fœminarum in Deum ipsum, & Dominum refundentis, dum inquit: *auferet Dominus, decaluabit Dominus, crinem earum nudabit Dominus.* Vt intelligas hæc omnia non tam ab hostium furore profecta, quàm à superno numine iras, suas effundente super viros, & fœminas Iudæorum, & eorum flagitia Romanorum militum manibus vindicante. Vnde æternæ memoriæ commendari dignum est, quod de Titi Imperatoris moderatione refertur, plausum, & triumphum recusantis post Ierosolymæ excidium, ab Philostrato in vita Appollonij lib. 6. cap. 14. scribente: *Finitima autem gentes ob victoriam coronare illum voluerunt: ille vero tali honore indignum se esse respondit: non enim se esse talium operum auctorem, sed Deo iracundiam contra Iudæos demonstranti, suas manus præbuisse.* Hæc ille.


Iudæorum calamitates & probra non tam ab hostium furore, quam ab irato numine profecta. *Titus imperator ob victoriam de Iudæis partam, recusat coronari.* Philostr. *Talis triumphi auctorem Deum proclamat, iracundiam aduersus Iudæos demonstrantem.*



Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo.

DISCVRSVS I.

Ad superbam iactationem, & fastum, fœminarum natura propensior.



1. MAgnum malum superbia, & ferale flagitium quod ab exordio conditionis humanæ apud fœminam inoleuit: Creati sunt parentes primi sceleris immunes, quasi paruuli innocentes, quos nulla corporis, & animi diuexabat ærumna, in terra Angeli, beatitudinis candidati; sed omnibus animantibus callidior serpens seductionis organum aptum assumitur ab inimico, vt in ipso, & per ipsũ dolos adstrueret, cassides texeret mendacij, quibus hominem irretiret; ab infirmiori sexu orditur telam erroris, & per mulierem viro decipulam parat; nec tentat in iis, quæ homini cum cæteris belluis agnoscebat esse communia, sed arcem mentis quatere satagens, validum armamentum sumit, additamentum maioris sapientiæ, & altioris dignitatis subeundæ promissum consortium. Ideo verba imperij à Creatore iniuncti, quo hominem à ligno scientiæ abstemium reuocabat à lapsu, dispungit hostis mendacio

Digitized by Google

calicem erroris, mortis, & insipientiæ, aureo vani sermonis lenocinio illitum propinat fœminæ. Genes. cap. 3. v. 5. *Scit enim Deus quod in quacumque die comederitis ex eo: aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Lxx. interpretes, & Hebræus reddiderunt: *pulchrum ad intelligendum.* Vel, *ad prudenter agendum.* Additque in suis scholiis Pater Ioannes Mariana: *nempe dixerat Dæmon eritis sicut dij scientes. Sic mulier cogitauit, verius somniauit, aptum fore lignum ad acuendam intelligentiam.* Cum ingenium fœminæ iam teneret diabolus, eam blande demulcet proposita spe maioris prudentiæ in rebus agendis, & ostensa mercede solertioris argutiæ in negotiis discernendis, apud arboris vetitæ escam; cum enim cerneret virum sibi præpositum excellentioris, & capacioris mentis vbertate donatum, auiditate fœminea proruit in vetitum, & aliena præsumpsit, vt nobilius ingenium adipisceretur per pomum, quod non obtinuerat per naturam, vt amplioris iudicij defectum suppleret esca, parilemque cum viro prudentiam, & iudicium vsurparet comedens de ligno tanquam de scaturigine sapientiæ, quod non solum viris, sed etiam fæminis abundaret. Cogitationes mulieris exitiale edulium vanissima apprehensione, & suasione edulcatum comedentis, prodit Angelicus Doctor in Genesim: *Simpliciter (inquit) poterat credere valde leuiter quod lignum illud per vim diuinam sibi assistentem perficeret in cognitione mentes sumentium de illo ligno.* Vana præsumptio, potiora quàm par esset obtinendi cupiditas, initium sumit à fæmina; sed malo suo, & alieno edocta quàm futilis spes, quàm irritum fuerit votum, cùm non sapientior euaserit, sed quasi vna de insipientibus, & stultis mulieribus, immo omnium insipientium, & fatuorum mater fuerit prædicata effrenis comessatrix: maiora adhuc elationis compendia muliebris auiditas instruebat in pomi specie. Ea proponit os aureum homilia 16. in Genesim dicens: *Sed & Deo æquales sint futuri; tunc illam spes promissionis ad sumendum cibum impulit.* Et statim subiungit impiam insanæ fœminæ ratiocinationem: *Si & ad vescendum bonum est lignum, in quo tanta formositas, & quod tantum oblectare potest oculos, insuper etiam præbebit nobis eius sumptio summum honorem, & habebimus eamdem quam Conditor dignitatem, quare non sumeremus de eo?* Iam superbiæ venenum quod alte ebiberat ab exordio serpens, in fæminam instillat, vt eodem elationis languore pereat mulier, quo perierat diabolus; inflat tumore superbiæ, & exaltationis flabris pectus fæmineum, vt transiliat metas humanæ, & se extendat ad diuina; appetentia diuinioris dignitatis, & euectionis ad superiora imperij fastigia dæmonem supra se extulit, de cælo deiecit, fæminam infatuauit, vt ambiret indebita, amitteret gratuita, exul fieret à paradiso, deliciis cælitum sequestrata, damnata huius sæculi ærumnis. Elationis tinea, & blatta superbiæ excedit cedros libani paradisi cælestis, & terrestris; prætendit artifex totius doli periculosiores insidias, & aptiorem decipulam, vt præpediret fæminam, demulceret animi mobilitatem ad decora principalitatis propensiorem, vt spe summi honoris, & Deitatis potiundæ inflata conuolaret ad pomum arcanum, & fœcundum sapientia, præceptum Dominicum posthaberet, transgressionem inchoaret.

Genes.
Mulier cupiditate maioris scientiæ, & prudentiæ decipitur.
Lect. Lxx.
Lect Hebr.
Ioan. Mariana.
Eua existimauit, lignum aptum fore, ad acuendam intelligentiam.
D. Thom.
Vana præsumptio maiora obtinendi, initium sumit à fæmina.
D. Chrysost.
Femina ambiuit Dei æqualitatem, & eamdem cum conditore dignitatem.

2. Nec in serpentis calliditatem tota refundenda est primæui tumoris malitia, nam in fæmineo pectore innascentem, & adolescentem elationem intuitus est gratissime versipellis draco, & inde ansam arripuit tentandi, cùm eam cernit sibi plaudentem, & in se ipsa vane gloriantem; vnde coniunctiunculam illam: *sed & serpens erat callidior*, sapienter collocatam, argute annotat Rupertus, vt manifestum fieret intus fuisse prius correptam mulierem spiritu superbiæ, antequam organo corporeo serpentis diabolus ad tentandum veniret. Sic enim ait Tuitiensis Abbas lib. 3. in Genesim c. 1. *Hoc vtique intendit, & ad hoc auditorem trahit, vt non putet initium peccati, siue tentationis Adæ vel vxoris eius cœpisse ab exteriori persuasione serpentis. Prius namque intus ad cor hominis per semetipsum loquutus est spiritus diaboli, vt superbiret, Deumque præceptorem ferre, vel mandatum eius portare despectui haberet. Nisi enim prius per superbiam intus tumuisset, foris tentatus tam facile non cederet.* Ab ipsa cœpit tentationis exordium, inuenit eam tentator habilem ad lapsum, inclinatam ad ruinam, facile conniuentem suis votis, vt ipsa inchoaret præuaricationem, Deique contemptum male suada serpentis facundia consummaret, & ad optatum exitum perduceret. Iam diabolus Rex superbiæ in penetralia irrepserat fæminei cordis; ipsa sibi diabolus, & serpens erat per arrogantiam, & contemptionem Dominicæ iussionis; in eamdem sententiam vterque coibat, vt conserta manu, erecta ceruice, extento collo, propriæ obsecundans appetentiæ pomi, excusso iugo legis Domini suauis, ferreo circulo tyrannicæ potestatis anxium collum submitteret, innecteretque posteros tanti flagitij reatu.

Antequam à dæmone tentaretur fæmina, correpta fuit intus spiritu superbiâ.
Genes.
Rupert.
Spiritus Diaboli prius locutus est ad cor hominis, postea ad aures.

3. Exordium Psalmorum plenum est sacramentis, quæ eruere de cælesti penu non erit indecorum ad hominis instructionem, & spiritalem disciplinam. Psal. 1. v. 1. *Beatus vir.* Faustum principium mercedis æternæ, quæ excitat decertantes in sæculi arena salebrosa, vt irruptiones hostium patienter sustineant, nec succumbant oneribus tentamentorum, nec inflectant animum ad terrenarum voluptatum illecebras. Illud tamen iuste demiraberis peruigil scrutator cælestis eloquij, cur præmia proponantur viro tantummodo victori, præscribatur ius, & lex prælij, exclusis fæminis ab agone certaminis? Ideo quia immerita est præliaribus copiis industria fæminea, vt vallum, & fossam transcendat hostilis tentamenti in expugnatione Ierosolymæ cælestis, aut manus muliebris idonea non est ornari palma victoriæ, aut apprehendere brauium vocationis supernæ, aut eius caput cingi corona felicitatis æternæ? Cur admisso viro in spiritali conflictu, fæminam non recenset, sed videtur excludere? *Beatus vir.* Pulchre Sanctus Ambrosius dubium excitat, & acute dissoluit: *Numquid à consortio beatitudinis exclusit mulieres, quia virum solum beatum nuncupauit? Absit.* Et statim. *Paria igitur studia virtutis, quia par prærogatiua est creatura.* Postea de profundo mentis eructat singularem,

Psal.
Cur in psalmorum exordio, viro proponatur merces victoriæ, non fæminæ.
D. Ambr.
Mulieres non exclusit à Beatitudinis consortio Psalmographus.

& ar

Prior vocatur vir ad exercitium virtutis, qui fuit posterior ad lapsum.
Eua, quæ male cœpit, sequi debet, nō præcedere.
Vir lapsus nō esset, nisi esset posteriorem secutus.
Mulier præcedere voluit virum per superbiam.

& argutam commentationem sententiarum Ambrosiis dapibus exundantem. *Non incautè tamen si prior vocetur ad exercitium, qui fuit posterior ad lapsum. Quæ male cœpit, sequi debet, non præcedere: vt vel post experimentum sit verecundior. Male Eua naturæ ordinem prætermisit: Expectare debuit præcedentem. Astute serpens à posteriore cœpit: ideò Propheta ad superiorem reuertitur: cum vtique quis lapsus non esset, nisi esset posteriorem secutus.* His verbis, inquit Mediolanensis Pontifex, malemoratam corripuit Dauid fœminam, Euam correxit errantem. Præcedere voluit virum per superbiam, quem subsequi debebat institutione naturæ, & conditionis humanæ, nec serpentis alloquiis præstare debebat aurem, nisi expectato iudicio, & censura directoris. Cùm enim auscultaret exoticum serpentis affatum, in consultationem adhibere debuit virum, qui latentes propalaret dolos, inuidiosam, & exitiosam confabulationem discerneret; ne complacens serpenti displiceret Deo, & marito exitium inferret; iam ab exordio mulier exempta, & esse sui iuris appetiit, & velut effrænis, & indomita bellua noluit habere rectorem. Forsan si resciscerct prior maritus alloquium, inhiberet à lapsu vxorem suis monitis, ne in tantam tragediam inuolueret serpens vtrumque iugalem. Ideò reuocare contendit Lyricen cælestis palabundam ouem ad hortamentum pastoris, vt quæ præcedere voluit, & ad ruinam compulit, subsequatur, & humilitate ediscat virtutis sapientiam, & tutum ponat gressum ne labatur, legens vestigia dirigentis. Prudentissimum ergo exordium diuinæ cantilenæ illud est: *Beatus Vir.* Infelix fuit cùm subsequutus est fœminam præcedentem, primas in flagitio se habere gloriantem, beatus erit cùm ipse præcesserit, præcepti Dominici monitis ad virtutem vxorem inflexerit, vt Eua monitorem, & directorem sequatur.

Mulier ab initio voluit esse exempta, nec habere rectorem.

4. Vt vanum, & turgidum ingenium fœminæ prodat Sanctus Gregorius Nazianzenus, ad diuiniorem contemplationem traducit Gentilium figmentum de quadam fœmina Pandora architectatum, illud proponit orat. *Aduersus mulieres ambitiosius sese ornantes.* Quam soluta oratione illustrem dedit Iacobus Billius, ibi enim ait: *Pandoram aiunt, cùm ignis à Prometheo furtim sublatus fuisset, vindicandi huius sceleris causa mortalibus aduenisse pro bono videlicet atque vtili igne, ignem alium malum ac pestiferum, quòque ardentius hominum animos inflammaret, omni eam pulchritudinis genere à diis instructam, & exornatam fuisse: ita cum suum quisque illecebra ac fraudis genus in vnum contulisset, tum verò confertam, & cumulatam imposturam hominibus iniectam esse, versutam nempe mulierculam, impudentem, dicendi suauitate præditam, perniciosum oblectamentum, facem perpetuo ardentem.* Et statim addit: *Pandoræ quippe filiæ sunt procaces omnes mulierculæ perfrictæque frontis.* Fœminam comptam, & ornatam in venustate ipsa, & mundo muliebri sese iactantem, faciem perpetuo ardentem nuncupat, & illecebrosæ, cupiditatis incendium, quod incautos exurit, noxiisque flammis volitare facit corda mortalium. Ideò ritè subiunxit Theologus: *Pandoræ quippe filiæ sunt procaces omnes mulierculæ, perfrictæque frontis.* Si enim ornamento venustatis, & gratiæ, suauiloquentiæ, & prudentiæ decori, & à charitibus formato simulacro accedat impudentia, expedita libertas, & contumax arrogantia, ignitus eius halitus tanquam ex ore Behemoth profluens prunas humani cordis ardere facit, & amasios tanquam feralis busti flammis inuoluit. Blandum, & dulce malum festiua forma, sed est adiuncta superbiæ tyrannis, quæ omne malum inuehit. Quare ritè scribit Hesiodus Pandoram naturæ, & gratiæ dotibus abunde cumulatam ornatámque à Ioue: *Pyxide pulcherrima, sed intus omne calamitatum genus abscondente.* Vt refert Giraldus lib. 13. syntagmat. Species propudiosa omnem calamitatem in genus humanum induxit, sed impudentia muliebris maiora flagitia cumulauit. Calix aureus forma renidens ementitis fucis, splendidis coloribus, sed intus scatet omnium ærumnarum fæcibus, & sordibus, abundans profluuium, iisque reficit, & inebriat stultos, quibus gloria est inter stercora volutari, fœmineis pauitare minis, subiici, & obsequi ad imperiosa verba iactantiæ. His perfrictæ frontis fœminis non incongrue adaptabis sententiam illam de Leuiathan à Beato Iob prolatam cap. 41. v. 12. 13. *Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. In collo eius morabitur fortitudo.* Quia nitor vultus incaute intuentes inflammat, halitúsque flammeus de ore eius profluit, cùm impudica, & probrosa verba profundit, furia enim est tædis ardentibus armata, quæ missilia philtro mortis illita iaculatur, & humana corda sauciat. Colli fortitudinem explanans Sanctus Gregorius Magnus lib. 34. moral. cap. 2. ait: *Quid enim collo Leuiathan istius nisi elationis ostensio designatur? Qua contra Deum se erigens, cum simulatione sanctitatis, etiam tumore potestatis extollitur. Quia enim per collum superbia exprimitur Esaias propheta testatur, qui Hierusalem filias redarguit dicens: ambulauerunt extento collo.* Extentum collum fœminarum impudenti exultans audacia, cum colli Leuiathan fortitudine comparat, tumore potestatis aduersus Deum pugnantis; collum enim Behemoth, & collum fœminæ aduersus Deum belligerare non cessat; illud fortitudine, istud fucato decore; illud elationis ostentu, istud extollentia oculorum, & superbiæ fastu.

D. Gregor. Nazian.

Iacob. Billius.
Pandora, vt furto sublatum à Prometheo ignē vindicaret, noxium, ac pestiferum ignē inuexit mortalibus.
Mulier omni pulchritudinis, & illecebra genere instruitur, vt homines decipiat.
Mulier impudens perniciosū oblectamentum, & fax perpetuò ardēs.
Procaces mulieres Pādoræ sunt filia.
D. Gregor. Nazianz.

Hesiod.
Pandora pyxide pulcherrima à Ioue ornatur, intus claudēte omne calamitatum genus.

Procacis, & superbæ mulieris halitus igneus, mortalium corda inflammans.
Iob.

D. Gregor. Mag.
In collo Leuiathan elationis ostensio designatur.
Simulatio sanctitatis cum tumore potestatis.
Per collum extentum superbia exprimitur.
Maria collū decenter inflexum ad pudicitiam, & humilitatem.

5. Quàm gracile quàm decorum, & omni ornamento speciositatis ornatum MARIÆ collum, (vt sacrum hunc verticem opponamus impudentium fœminarum ceruicibus,) quàm habile ad virtutem, quàm inflexum ad pudicitiam, & Domini obsequium. Celebratur Marianum collum Cant. cap. 4. vers. 4. *Sicut turris David collum tuum.* cum commentatione Ruperti: *Quid erat turris David? Turris David non manu facta fuit, cui tuum ô dilecta collum debeat assimilari, & hæc est humilitas David. Filiæ Sion, ait Dominus Deus apud Esaiam, eleuatæ sunt, & ambulauerunt extento collo. Hæc fuit superbia illarum. Propterea expugnari potuerunt. Tuum autem collum nequaquam extentum fuit, sed est sicut turris David, id est, sicut humilitas David, per quam ille coram Deo fortis, & contra homines stetit inexpugnabilis.* Et ad ea verba Cantic. c. 6. *collum tuum sicut turris eburnea.* scribit idem Rupertus: *Quid est collum tuum, vel quale est collum tuum? Vtique non extentum immò amabiliter demissum, & hæc est humilitas tua.* Maria non ambulauit

Cant.
Rupert.
Maria humilitate similis turri, hoc est humilitati David.
Filiæ Sion propter superbiam expugnatæ.
Mariæ collū non fuit extentum per superbiam.
David per humilitatem fortis coram Deo, & inexpugnabilis ab hominibus.
Rupert.
Mariæ collū non extentū, sed amabiliter demissum per humilitatem.

Digitized by Google


ambulauit extento collo: Mariana ceruix non extenta per superbiam, non inflexilis per contumaciam, non ferrea per inobedientiæ flagitium, sed gracilis, & decora, pietatis redimiculis, torquibus pudicitiæ, magaritis nitida immaculati pudoris, circumdata rosis verecundiæ, inflexa ad obsequium, tenera ad Dei cultum, inclinata ad sui contemptum, & singularis humilitatis monilibus tota resplendens.



Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo.

DISCVRSVS II.

Humilitas pudicitiam stabilit, & firmat; superbia præsentissimum castitati parat exitium, & elationem mentis sequitur lapsus carnis.

1.  PPOSITE Isaias impudentes, & fastu superbiæ tumentes, simulque impudicas Ierosolymitanas fœminas constituit; quia vbi animus per iactantiam effertur, per patrata concupiscentiæ opera fœde, & indecore deprimitur. Veridicum effatum illud Sancti Antiochi est homil. 43. *De inani gloria. Radix proin obscœne, ac turpis concupiscentia est, ex hominibus aucupari laudem.* Et Sanctus Athanasius ad quinque capita, libidinis incrementa reducit, quæ viriliter detruncanda ab strenuo virtutis athleta, ea recenset quæst. 106. ad Antiochum. *Libido corporum humanorum oritur: aut ex calido corporis temperamento; aut largiori cibo, & somno, & pigritia; ex instinctu satanæ: quarto verò ex eo quos alios condemnamus: quinto ex arrogantia quãdo quis superbit ob suam sanctitatem, eiusmodi hominem enim patitur Deus labi, vt per scortationem deposita superbia, ductus ad humilitatem, operetur salutem.* Iustum enim supplicium est, vt cùm animus præuaricator iustitiam, & gloriam Dei deserit, & contemnit, caro quoque aduersus spiritum insolenti rebellione se efferat. Sicut enim citharædus ad pulsum, aut acutum, intensum, eleuatum, aut remissum suos adaptat modulos cantilenæ. Sic corpus coercetur, cùm animus deprimitur, & appetentia inflatur per libidinem, cùm animus erigitur per superbiam. Sanctus Iob apertè describit summæ potestatis Dominicæ opera, illudque mirabilius prædicat cap. 12. vers. 18. *Balteum regum dissoluit.* De balteo gladius dependet educendus ad prælium, vt hostes interimat. Balteum Deus dissoluit, & militiæ cingulum, cùm tyrannorum potestatem dirimit, & euacuat, & armatorum suorum potentiam redigit ad nihilum. Iuxta sensum arcanum qui mores componat, locum illustrat Magnus Gregorius lib. 11. moral. cap. 8. scribens: *Qui membrorum suorum motus regere sciunt, non immeritò reges vocantur. Sed cùm de ipsa continentia, elatione mens tangitur, plerumque omnipotens Deus eius superbiam destruens, hanc in immunditiam operis cadere permittit.*

D. Antioc. *Inanis gloria radix est obscœna, ac turpis concupiscentia.*

D. Athan. *Capita quinque ex quibus corporum humanorum libido oritur.*

De sua virtute, & sanctitate gloriantẽ, Deus permittit in luxuriã labi.

Iob.

Quid est Deũ balteum regum dissoluere?

D. Gregor. Magn. *Qui affectus suos regunt, Reges, vocantur.*

Regum itaque balteum dissoluit quando in his, qui bene regere sua membra videbantur, propter elationis culpam, castitatis in eis cingulum destruit. Superbiam omnium malorum fontem Diabolus adinuenit, vt spiritus sibi subordinatos prosterneret, corporeæ, & rationali substantiæ exitiale bellum inferret; vt eximij bellatores, qui in certamine castitatis immensos penè labores exantlauerant, laureati innumeris triumphis, & palmis, arma hosti facilè submitterent, & tantæ tyrannidi manus darent. Quot spiritales reges perdomitis passionibus claros, fecit sibi deditit ios per elationem, & à felici immaculati pudoris statu deturbauit accinctos milites, qui seueriori disciplina renes constrinxerant, & carnis profluuium penè exsiccauerant, temperamento quodam humanarum passionum, discinxit vana sui complacentia, & præsumptione erexit, & ad immunditiæ volutabrum deiecit. Humilitas ambitum supernæ tuitionis requirit; superbia opitulationem Dei sequestrat, vt à gratiæ tutamento extorris homo, destitutus cœlesti præsidio titubet, & labatur carnis impulsu in cœnosæ libidinis turpissimam voraginem. Humilitas ferreis, & adamantinis clauis figit, & firmat balteum castimoniæ, superbia æreos cinguli annulos dissoluit.

Cum elatione sermo e pudicitia mens tangitur, in immunditiam operis cadere permittitur. Balteum regum Deus dissoluit, cũ propter elationis crimẽ, castitatis cingulum destruit.

2. Perscrutantur aliqui Ecclesiæ Patres cur Dauidem Deus labi sineret in adulterij flagitium, & interitum Vriæ Hethæi? Virum illum inuentum secundum cor Dei à superna luce animorum exploratrice; cuius manu forti ceciderunt prostratæ acies Allophylorum, & Gigas deiectus pauor strenuorum, inuictis armorum tegminibus instructus, calcatus pede adolescentis (ipsius gladio detruncato capite, & ostentui habito agminibus amicis, & aduersis;) in omni certamine feliciorem, exercitamento, virtutum Angelis exæquatum; Dominicæ Incarnationis Sacramenti destinatum caput? cuius rei exploratores strenui rationem, & originem comperiunt, exaltationem quandam extitisse, quæ in Dauidici pectoris penetralia irrepserat; elatione etenim quadam suæ felicitatis, & semper arridentis fortunæ correptus ianuam aperuit carnis concupiscentiæ, vt violaret alienum torum. Huius veritatis testem aduoco Eusebium Pamphil. quem recenset Anastasius Episcopus Nicænus tom. 1. Biblioth. in quæstionibus additis, in octaua scribentem: *Existimo autem eum huic maligno spiritui fuisse derelictum, propter vnam illam vocem, quam dixit: ego dixi in successu meo,* (Vulgatus habet: *in excessu,*) *non mouebor in æternum. Tam elati enim fuisse animi, vt eiusmodi proferret verbum, quod nunquam moueretur, maneret autem in suo successu immutabilis, & impassibilis, erat nimis superbum, & insolens.* Et statim: *Dauid autem cum res secundæ euenissent à Domino, & ad magnam prouectus esset virtutem, ausus est dicere: non mouebor in æternum: quam ob rem statim relinquitur à Domino, qui bona ei suppeditabat, & ei coniungitur spiritus malus.* Cui rationi diserte adstipulatur Sanctus Basilius Magnus homilia in Psalmum 37. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Quod autem fuerit iaculum, cur infixum à maligno hoste, ipsoque Dauid sauciatus adiungit: *Quoniam enim gratia Domini confortatus, & inualescens plurimum, aliquando nescio quid magnum de seipso sen-*

Cur Dauid vir talis ac tantus, in adulterij flagitium prolapsus?

Propter animi elationẽ, & verbum insolens Dauid ad turpitudinem flagitium deijcitur.

EusEb. Anastas.

D. Basil.

tire

Dauidica ruina origo extitit, quid magnum de seipso sentire.

Traditus est tentatori, qui concupiscentia clauo cor eius transfigeret.

tire cœperat, ita ut arrogantiuscule loqueretur, ac diceret: *ego autem dixi in abundantia, non mouebor in sæculum. Huius rei gratia merito traditus tentatori est, qui vbi animam eius attigit, grauiori dispendio affecit eum, quam Iob.* Et paulò antè dixerat: *Concupiscentia veluti clauo quodam confixus est.* Verbum hoc durum vir ille mitissimus, & in oculis suis valde despectus, nunquam locutus est in aduersis, effutiit tamen, quod non debebat, in prosperis, & leniter afflante aura rerum secundarum, insolita quadam exaltatione correptus, intumuit. Permisit autem Deus quod ignito, & scintillanti concupiscentiæ ferro in manu tentatoris posito, inureretur, quod tumoris vlcus aperiret, virus superbiæ euacuaret, & humilis fieret per lapsum carnis, qui erectus fuerat in arrogantiam per potestatem fortunæ semper blandientis; remouit à diuinis amplexibus impulsu suo violento iactantia, quem humilitas tenebat adstrictum, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Omnium malorum primum arrogantia, quod horrore plenum medicamentum requirit. Vt Angelicis potestatibus comparabilis ante ruinam, postea cœno turpitudinis volutatus, periculo suo sapiat, & qui stat, videat ne cadat, & per causticum ardentis libidinis solertiorem deinceps comparet cautionem. Labilis est hominis natura, & prona ad voluptatis illecebram; si hu milietur, in tuta statione collocatur, & retinetur criniculis diuini timoris; elatio in lubrico ponit stantis vestigium, & impellit ad lapsum, vt ad lutulentæ turpitudinis gurgitem proruat. Pulchrè Sanctus Antiochus homilia 44. *De superbia,* ait: *anima enim superbi in præexcelsum aliquod ac sublime fastigium finitur conscendere, vnde commodius deturbetur in subiectam foueam. Vt ramum copia fructuum exuberantem moles onerosa difringere solet, sic animam generosam multiplicique fœtu virtutum præstantem, plerúmque superbia deiicit gradu.* Hæc ille.

D. Antioch. *Superbia hominem erigit in sublime, vt de altiori gradu, in subiectam peccati foueā deturbet.*

3. Sortem & catalogum virorum fortium aduersus concupiscentiam in stadio castitatis decertantium describit Ioannes Climacus gradu 15. scalæ, ait etenim qui aduersus hostem suum sudoribus ac laboribus pugnat, inimicum suum papyro ligat. Qui continentia animi, & corporis ac vigiliis decertat, *Ei similis, qui catenis hunc torquibusque deuinxit: porro is qui altissima humilitate, & vacuitate iracundiæ sitique depugnat: is ei comparatur, qui occidit inimicum, atque in arena occuluit. Arenam verò intellige humilitatem. Neque enim vitiorum gregem pascit, sed terra, & cinis est.* Alludit sanctissimus Abbas montis Sinai in hoc suæ cœlestis scalæ gradu, ad illud egregium, & celebratissimum Moysi facinus, cùm Iudæorum hostem interemit, & abscondit in terra tumulatum. Exodi cap. 2. vers. 12. *Percussum Ægyptium abscondit in sabulo.* LXX. legunt: *abscondit in arena.* Ægyptius hic hostis est castitatis, gaudens carnis spurcitiis, animi corporísque puritati semper exosus. Hic validissimo humilitatis telo perimitur, & proprij animi contemptu, suique deiectione, suarúmque virium diffidentia, & in his quasi in quodam conditiuo tumulatur: *Arenam verò intellige humilitatem.* Bona arena, & stadium castimoniæ quæ agonizantibus solet conferre victoriæ auspicium,

Ioan Clim. *Qui continentia, & vigiliis decertat, hostem catenis ligat. Qui altissima humilitate, & vacuitate iracundiæ pugnat, hostem occisum in arena occulit. Arena humilitas est.*

Exod. Lect. LXX. *Moyses percussum Ægyptium abscōdit in arena.*

& infrunito prouocatori propria despicientia ampliare calcaneum, & lacessentem prosternere; nec gleba sterilis, nec arena infœcunda, quæ fructus parturit intactæ vitæ, & vberes germinat pudicitiæ prouentus. argutè subiungit idem Climacus: *Ex his alius quidem lucifero, alius magna fulgentique luna, alius verò splendidissimo Soli comparatur. Omnium tamen conuersatio in cœlis est.* Qui sudoribus ligat hunc Asmodæum luxuriæ, vel qui catenis deuincit Caumeniæ, & vigiliarum, vel qui humilitate, & iracundiæ temperantia depugnat, exul est mundi, & peregrinator terreni contagij, quorum conuersatio est in cœlestibus. Illius tamen sors felicior, & victoria celebrior, qui in arena humilitatis hostem occuluit occisum. Cum peremptum audis, & conditum abiectionis sepulchro, caue ne existimes posse quempiam eximia virtute instructum prorsus interimere humani corporis passiones; cùm abscissæ continentiæ falce, renascantur, & amputatæ repullulent; nec libidinis penitus incentiua sopire, quæ fomitem ministrante ipsa infirmitatis, & voluptatis natura, gliscentibus ardoris flammis reardescunt. Nisi accedat singulare priuilegium gratiæ, quod amicis suis Deus sæpissime contulit, in quibus vel fomitem extinxit, vel superni auxilij rore temperauit, vel expunctis impudicitiæ importunis simulacris, aut titillantis, & blandientis carnis oblectamentis, corporis externa nescirent. Ad hanc vitam verè felicem supernæ Angelorum impassibilitatis æmulam securior scādit iustus, qui *Altissima humilitate, & vacuitate iracundiæ depugnat.* Qui luminare maius meritò nuncupatur, huius generatio pulchra, & cum claritate, incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Sapientiæ cap 4 vers. 1. Et ritè Sol prædicatur ex abiectionis glarea, & despicientiæ argilla sabulosa matutinus emergens supernis luminibus inserendus.

Ioan. Clim. *Qui luxuriæ hostem per humilitatem vincit splendidissimo soli comparatur.*

4. Perscrutatur solerter vir immensæ subtilitatis, & clarissimum Ecclesiæ lumen Augustinus, cur iusto iudicio permiserit altissimus virgines Deo sacras, aut continentes matronas constupratas hostium libidine in expugnatas vrbes irruentium audacia? Et respondet sapientissimus Doctor de primario sapientiæ subsellio lib. 1. de ciuitate Dei cap. 28. mulieres vim patientes affatus: *Verumtamen interrogate fideliter animas vestras, ne forte de isto integritatis, & continentiæ, vel pudicitiæ bono vos inflatius extulistis, & humanis laudibus delectatæ, in hoc etiam aliquibus inuidistis? Non accuso quod nescio, nec audio quod vobis interrogata corda vestra respondent. Tamen si ista esse responderint, nolite mirari hoc vos amisisse, vnde hominibus placere gestiistis: illud vobis remansisse, quod ostendi hominibus non potest. Si peccantibus non consensistis, diuinæ gratiæ, ne amitteretur, diuinum accessit auxilium: Humanæ gloriæ, ne amaretur humanum successit opprobrium. In vtroque consolamini pusillanimes: illinc probatæ, hinc castigatæ: illinc iustificatæ, hinc emendatæ.* Mutuo ex Aurelio quamtumuis multa, quia facem directionis præferunt valde præclaram spiritualibus animorum magistris, vt in media tentamentorium caligine, & dæmonis opprobrio tentatoris, corpora animósque subdole vexantis, admonitionis timoratæ, & solidæ iubar possint infundere iis, quæ visibilis, aut inuisibilis hostis perpetiuntur oppressionem

Cur Deus permittit in hostium irruptione virgines Deo sacras, aut pudicas matronas ab hostibus constuprari. D. August. *Fœmina de pudicitia dono inflata humiliantur.*

Humanum in fœminis permittit Deus opprobrium, ad inanis gloriæ castigationē.

Digitized by Google

pressionem sensibilem violentam. Plurima documenta recenset mysticæ, & moralis Theologiæ, & sapientiæ caput. Virgines, & maritatas violari permissas propter intus latentem tumorem superbiæ, quia humanis commendationibus, & præconiis delectatæ, aut pudicitia extollebantur propria, aut puritati inuidebant alienæ. Exaltatio, inuidentia, vana gloriatio castitati ruinam inuexit hostili salacitate perpetratam: abstulit florem pudoris, & pudicitiæ decus incursantis hostis coactio, & violentia, vt hac contumelia, & honoris dispendio, luxuriantis, & gestientis fastus germen abscinderet. Tamnari potuit humanis attactibus impudicis, quod erat commissum lubricæ, & infidæ elationis custodiæ. *Si peccantibus non consensistis*, &c. assensum vel dissensum oppressarum non discernit, sed sub conditione constituit; nec impossibilem indicat, sed arduum illecebrosæ voluptatis tormento dissentire, vt irruentis libidinis procella, & blandientis carnis oblectamento vehementiori immerso corpore animus non obruatur. Difficilis inuentu, & præstantis virtutis castimoniæ argumentum est In hoc tamen conscientia propria, & ad venerem natura propensior prudenter conuenitur. Si respuit affectus motum demulcentem, ad quem corpus impellit, probatio fidei est, & robustæ virtutis exploratio gloriosior. Simul tamen habet insitam castigationem superbiæ, propter quam eas barbarica libido compressit. Si verò aliquæ inuentæ sint, quas non corripuerit pudicitiæ iactantia, aut vanagloriatio hominibus complacendi, quod deponant admirabilitatem suæ calamitatis Augustinus sapienter hortatur, & diuini iudicij licet occulti decretum in iis solerter enuntiat: *Fortassis autem istæ, quæ benè sibi sunt consciæ, non se ex isto castitatis bono cor inflatum extulisse, & tamen vim hostilem in carne perpessæ sunt, habebant aliquid latentis infirmitatis, quæ posset in superbiæ fastum, si hanc humilitatem in vastatione illa euasissent, extolli.* Et statim: *Non ablata est castitas, sed humilitas persuasa. Illarum tumori occursum est immanenti, istarum occursum est imminenti.* Hæc ille.

Tormēto humiliationis, & violentæ libidinis non dare assensū fæminā, valdè mirū est.

Magna fidei probatio, in inuita oppressione voluntas inuiolata.

D.August.

Vis oppressionis hostilis permissa, ad præcauendū tumorem superbiæ.

5. Decertantibus in huius vitæ stadio pro anima, & castitatis custodia agonizantibus, prouidentissimam exhibet cautionem Paulus 1. Corinth. cap. 10. vers. 13. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Lubrica est hominis natura, & ad lapsum prona, cui quotidianus immineat casus nisi eum supernum auxilium reddat stabilem. Quotidie enim cernimus fortiores athletas in flagitia corruere, sunt etenim varij spiritalis euentus prælij; territat, & coercet Paulus validiores lanistas in virtutis pancratio luctantes, & inhibet à ruina. Illa verò sententia difficilior, quæ subsequitur: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Tentatio apprehendit te, cùm velis, nolis, in carne motus libidinis pateris, sit tamen tantummodo humana, naturalis, quasi insitus reatus, & hæreditarius prouentus primæui flagitij, quod in gleba carnis nostræ sentes, & tribulos pullulantes induxit; non tamen admissa, & commorata voluntarij arbitrij consensu. Aliter Chrysostomus vocat humanam: Hoc est paruam, breuem, mediocrem. Hugo Cardinalis ait: *Sit venialis culpa non pondere grauioris criminis animum opprimens.* Prædictis adijce non incongruum Theorema. Tentatio vocatur tantummodo humana, cùm homo à Satana appetitus in tentamentis per iactantiam non extollitur, sed per humilitatem deiicitur, cùm corruptæ naturæ languorem, & propriæ infirmitatis germina, irruentis hostis stimulos, & ictus recognoscit; cùm verò tentatus erigitur in superbiam, aut de ipsa aduersarij victoria gestit, & gloriatur, non humana; sed dæmoniaca, & satanica tentatio est; Habet enim insitum Diaboli ingenium, cui innatus est elationis fastus, qui primus artifex extitit elationis. Vbi enim manu conserta militant humana infirmitas, & vana præsumptio, præsentissimum casum, & ruinam decertantibus parant. Hoc fortè indicat Sanctus Anselmus hoc in loco scribens: *Quandiu non habemus Angelicam perfectionem, caueamus Diabolicam præsumptionem.* Vbi adest Diabolica præsumptio, iam non militat sola carnis, hoc est, humana tentatio, sed Angelica apostatici spiritus, qui conflictum vrget, & auget per arma superbiæ, tunc enim non humana tantum, sed plusquam humana tentatio est.

D.Paulus.

Qua nā cupetur à Paulo tentatio humana?

Tentatio tātūmodo humana est, quæ prouenit de infirma natura reatu non de consensu.

Hug.Card.

Cum tentatus erigitur in superbiā, aut de tentationis victoria gloriatur, non humana, sed dæmoniaca tentatio est.

D.Anselm.

6. Deflet prolapsionem virorum fortium, qui in Ecclesiæ firmamento tanquam sidera in omni bonorum operum exercitamento radiabant, & ipsius Domini templi videbantur firmissima fulcra, & miserandæ prorsus ruinæ originem explorat Sanctus Macharius homilia 7. *Quomodo, (inquit,) cadunt, qui reguntur à gratia Dei? Responsio. Cogitationes quæ sua natura puræ sunt, labuntur, & cadunt, quia incipit homo extolli, & seipsum iustum reputans, condemnat alium, ac dicit: tu peccator es. Ignoras quod dixit Paulus: datus est mihi stimulus carnis Angelus Satanæ, qui me colaphizet, vt non extollar, pura enim natura non caret facultate superbiendi.* Viros decore continentiæ conspicuos ad apicem sanctimoniæ euectos, & exaltatos sicut cedros Libani sæpissime prospectauimus ad volutabra turpitudinis decidentes lapsu horrisono toto demirante, expauescente, & ingemiscente orbe, virtutis offendiculum prætendentes infirmioribus. Quis impulsus violentior deiecit ad lutum, quos inter cœlestia lumina recensebas? quæ ærata securis vastam molem arboris secuit frondentis sapientia glorioso nitore pudicitiæ comantis deiecit ad bustum libidinis ardentis? Inuenies superbiam, & in ipsa puritate iactantiam. Tota virtus arescit, & ignis libidinis noxius depascit speciosa siluarum, cùm se homo in castimonia insolenter iustificat alios cōdemnat, se extollit: alios despicit. Hic turbo robora virtutis infringit, nemorosum Ecclesiæ verticem deuastat: *Pura enim natura non caret facultate superbiendi.* Sicut enim pretiosius indumentum tineas, & blattas generat, & odorata ligna vermiculo eroduntur; sic puritas ingenerat animo cariem superbiæ, quæ exedat pectoris vigorem, nisi hanc putrilaginem extinguat, & euacuet humilitas, quæ perennem reddat, & illabefactam cordis munditiem, nullis conquassatam turbinibus passionum. Ideò Pauli lateri adiungitur inferorum satelles, qui ipsum colaphizet, & per impactum talitrum aduersitatis, & ærumnæ, inter miranda opera ipsum in officio humilitatis contineret. Sanctissimus Macharius de suo, præter Vulgatum adiunxit sententiam illam: *Vt non extollar.* Vel anterioris verbi posteriorem periphrasim

Perfectissimi sanctitatis viri sæpè prolabuntur, quia extolluntur.

D.Macar.

Quia seipsos iustos reputant, & alios condemnāt.

Puritas incauta matteriam suggerit superbiendi.

In Paulo Angelus superbiæ fastus est infirmamentum humilitatis.

Digitized by Google

periphrasim fecit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Angelus superbiæ, instrumentum factus est humilitatis, vt ex impactis colaphis erudiatur ad humiliter sentiendum, nec sciat superbe sapere, non inclinetur ad lapsum, sed faciat cum tentatione abiectionis prouentum.

D. Ign. Mart. *Qui continenter viuit, caueat elationem, ne perdat mercedem.*

Pulchre S. Ignatius Martyr epist. ad Philip. ait: *Si quis iuste, si quis continenter viuit, non extollatur, ne perdat mercedem.* Despectus sui, & vacuitas animi ab omni extollentia retinaculum continentiæ est, & æternæ retributionis firmamentum.

7. Huius Thematis exemplar, & probamentum exhibet periucundum ille magnificus virtutis athleta, & sustinentiæ in languoribus, & aduersis panciatiastes Iob, qui omnium malorum tentamenta a dæmone conflata sustinuit validissimè.

Diabolus Iobum tentare desijt, cùm eum prospectauit, humiliter sedentem in sterquilinio.

Illud tamen mirandum valdè est, Beato viro in sterquilinio sessitante, omnia Diaboli machinamenta esse disturbata, euacuatam iaculorum pharetram, missilium dæmonis, & totius Tartari disparuisse procellam; nec aliam superstitem inuenisse lanceam, qua versipellis hostis in Iobum armatus irrueret. Tentare desiit cum eum prospectauit sedētem in fimo.

Iob.

Iob c. 2. v. 8. *Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.*

Ficulnea Euangelica stercoratio mystica.
D. Lucas.
D. Paulin.
Pia humilitatis vilitas, & prouentus denegatur in fimo. Bonum stercus ad culturam salutis. Qui in fimo sedet, nō tenet vnde cadat; habet vnde consurgat.

Per has sordes, per hæc stercora intelligit S. Paulinus in ipsa tentatione humilitatem, & abiectionem, alludénsque ad fimum Euangelicæ ficulneæ, Lucæ c. 13. v. 8. sic fatur epist. 10. *In quo mihi videtur æterna pia humilitatis vilitas indicari, quæ sterilem fœcundat animam ne per vacuam arrogantiæ speciem, sibi iuxta illum pharisæum placens, velut arbor infelix frugibus, inutili fronde luxuriet. Quam bonum autem, & vtile ad culturam salutis, huiusmodi stercus sit, docemur in Beato Iob, qui postquam sedit in stercore, tentari destiit. Consumpserat tentatoris inuidiam humilitate perfecta, quæ facilius surgere, quàm deiici potest. Quia in fimo sedens, vnde cadat non habet. Et habet vnde consurgat, per eum qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem.* Sicut stercus plantas, & arbores, ita virtus humilitatis animam fœcundat, & luxuriantes frondes amputat, quæ magis ambitum decoris, & gloriæ, quàm prouentuum feracitatem ostentant. Bonus, & fœcundus humilitatis fimus, qui germen illud cœleste in terra plantatum, tanquam in paradiso, nouellis virtutum reddidit vberrimum, & coronatum. Arbor illa patientiæ, sui contemptu stercorata pinguescit mittens radices deorsum, & faciens fructus sursum; Infelix germen Adam in pomario paradisi limpida aquarum viuentium scaturigine irriguum, strato florum, & areolis aromatum circumdatum, tot rebus secundis luxurians ad indebitæ dignitatis fastigium protendens ramos, non enim stercus abiectionis sui sparserat in circuitu, vt inuiso abiectionis suffitu serpentem fugaret, intactum morsu, intaminatum virulento afflatu redderet beatæ vitæ exordium.

Adam arbor in paradiso plantata languescit, quia stercus humilitatis nō sparsit in circuitu.

Ideò Iob in in sui circuitu stercoreum munimentum construxit, Diabolo imperuium, & inaccessum; strauit Adamum inter delicias Dominici topiarij stantem; non habuit vnde deiiceret, Iobum in sordibus humilitatis sedentem; retro pedem retulit pudibundus hostis, nec appropinquare præsumpsit, cùm animaduertit ad abiectissimam stercoris stragulum volantariè deiectum; aduersantium rerum incursibus virtus Iobi explorata, & probata, fimo vero solidata patientia, & inconcussa permansit. Quomodo irrueret in stercore sic iacentem, qui non habebat vnde caderet, sed vnde consurgeret ad apicem gloriæ, cùm Deus porrigat manum, vt eleuet prostratum de sterquilinio, vt inter sedilia principum constituat, & solium gloriæ teneat: beati viri profunda humiliatio, hostilis tentamenti cessatio est: reformidat abiectum impetere, ne nouam accersat gloriam, & coronas accumulet.

8. Munimenta Virginei castique decoris adstruit Sanctus Antiochus, & diuina subsidia, vt indemnes, & intaminatos hos flores seruet homo inter mundi blandientis illecebras, & titillantis corporis ardores. D. Antioch.

Et de pandectis scripturarum tanquam de panoplia cœlesti tela educit, & armorum spiritalium tegmina, quibus Christi milites instruat. Illud tamen iaculum validissimum, & imperuium armamentum depromit, nimirum humilitatem, de Deiparæ Virginis cantico, & ad nuntium Angelicum responso, tanquam de diuinæ sapientiæ penu.

Ad apicem castitatis nullus peruenit, nisi de se modestissime senserit.

Sic enim homilia 21. de Virginitate, scribit: *Nulli tamen possibile ad tanta virtutis pertingere fastigium, nisi præsidio iuuetur, & erga Deum charitatis, & animi de se quam modestissime sentientis, iuxta testimonium Deiparæ omnium laudum genere celeberrimæ, nulli obnoxiæ vitio, sed gloria omni dignissimæ.*

Maria Deipara Virginitatem humilitate solidauit.

Et in medium producit MARIÆ verba suo in cantico modulantis: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Lucæ cap. 1. vers. 48. & 52. quibus in medium prolatis sanctus Antiochus hæc aurea verba subtexuit:

D. Antioch.
Maria per charitatē, & summam humilitatē, intacta virginitatis vestē pertexuit.

His igitur clarissime explicatum reor, quia per summam humilitatem, & erga Deum charitatem, plena cum esset gratiæ, promeruit sibi vestem pertexere virginitatis nulla ruga decolorem, nulli obnoxiam reatui. MARIA pulcherrimam virginitatis cycladam contexuit, & illibatam seruauit industria charitatis, & humilitatis, cùm per illam semper intenta Deo, pendensque ab eius nutu, nec in minimo contraire præsumpsit. Per hanc verò totam spei anchoram in superno numine figens in omnibus operibus illibati pudoris eximiam adhibuit cautionem, ne minimæ labeculæ vestigio fœdaretur pretiosum illud, & plusquam Angelicum virginitatis indumentum. Huius virtutis eximiæ intactum decus Marianæ humilitati Deus fidit; est enim humilitatis fida custodia, quæ nullo desidiæ torpore corripitur, sed semper inuigilat ad illius incolumitatem, vt immune totius delicti corruptela, depositum reddat Domino. Sine humilitate enim flos virginitatis elanguet, superbia marcescit, præsumptione violatur; nec tantæ virtutis impollutum decus seruatur absque propriæ abiectionis satellitio.

Maria in Christi generatione, vt illibatus seruaretur flos virginitatis, præsidium humilitatis adhibuit.

Ideò virgo sapiens Deipara Virgineo candori, totius Trinitatis, & Angelici paranymphi charactere horto concluso, & fonti signato, præsidium humilitatis adhibuit ancillam se nominans, vt propelleret omne discrimen, & aspectabilis vel inaspectabilis inimici nullis pateret insidiis.

9. Colophonem imponam huic discursui sententiis ex sancto Augustino mutuatis, quibus Virgines, & continentes hortatur, illisque sapientissimam indicit cautionem, cùm sacri parœmiastæ sententias illustret. Prouerb. c. 16. vers. 18. Prou.

Ante ruinā cor exaltatur.
D. August.

Ruina, quæ fit in cordis occulto, præcedit ruinā, quæ fit in manifesto. Vtile est superbis cadere in aliquod flagitium, vt sibi displiceant qui placendo ceciderant.


vers. 18. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Legit verò Augustinus: *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur.* Et subiungit lib. 14. de ciuit. cap. 13. *Illa prorsus ruina quæ fit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in manifesto, dum illa ruina esse non putatur.* Et statim subiicit: *Et ideò audeo dicere, superbis esse vtile cadere in aliquod apertum manifestúmque peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant.* Vnde admirabilitatem sistes, & stuporem in prolapsione iustorum, qui sanctitatis vertice contingere videbantur sidera, cùm cernis exteriori ruina cadentes, tecum recogita, in interiori mentis domo ruinam præcessisse, quæ exteriorem hominem impulit ad lapsum; iam enim occulta præsumptio intimam arcem pectoris conquassauerat, qua diruta necesse est pessum ire exteriora omnia, & erumpere in lucem apertum crimen, quod fit interioris mouibilitatis indicium. *Superbis esse vtile cadere in aliquod apertum manifestúmque peccatum.* O infelix emolumentum animæ, quod de ipsius morte procedit, cùm necesse est quod prius moriatur Deo, vt ipsi viuat! Sed contingit illa vita de morte; artificiosa sapientia, assertor, & medicus salutis humanæ, de aperto crimine pharmacum conficit ad medelam superbiæ, & ignito ferro, quod est plusquàm tartareus ignis nocentius, cauterium parat, vt arrogantiæ vlcus exscindat. Sed malorum omnium maximum, nempe crimen exterius, electi Dei cooperatur in bonum, cùm lapsus carnis permissus elationem mentis euacuat, humilitatem creat.



Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo.

Discursus III.

Fictitius, ascititius fucorum, pigmentorúmque splendor, & ambitiosior se ornandi cupiditas, contumeliosa naturæ, iniuriosa Deo est.

1. Dversvs habitum muliebrem, cultum, & ornatum parænesis hæc dirigitur, in qua honestatem, & debitum pro dignitate modum decentem Ecclesiæ primores admittunt; inhonestum, immodicum, indebitis vsibus cotidie luxuriantem acri obiurgatione reiiciunt. Vt clarius procedat animaduersio hæc, & salubre medicamentum adhibeat vanæ cupiditati, præoculis tenenda illa Florentis Tertulliani differentia, quàm assignat libro de habitu muliebri cap. 4. *Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum, & ornatum. Cultum dicimus quem mundum muliebrem vocant; ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, & argento, gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis.* Aduersus vtrumque ornatum, & mundum, & immundum, vt ipsum infuscent, & dedecore afficiant sapientes viri sanctitate conspicui, faciei medicamina dissoluunt ex myropolio sacræ, & humanæ litteraturæ, lenientia, mordentia verborum vnguenta suffundunt, & exurentia sententiarum iacula infigunt, vt remoueant cupidinem ambitiosioris ornatus. Cerne quanto pudore afficiat fœminas magnus ille Theologus Nazianzenus Gregorius, cùm oratione: *Aduersus mulieres ambitiosius sese ornantes.* Omnia vela eloquentiæ, & eruditionis expandit, sic enim ait: *Pulchritudinem quæ abstersa in terram fluit, nec ad risum consistere potest, simul atque effusior lætitia genas tatas soluerit, quæ etiam lacrymarum riuulis proditur, & humido timore, guttisque exiguis adeo labefactatur, atque deletur, vt gena quæ prius gratissimo quodam nitore prædita erat eadem repente non sine magno hominum risu bicolor, subatra, marmorea, nigra, minióque tincta appareat. Non ergo te pudet pulchritudinem, quæ tam facilè prodi, atque obliterari potest, retinere? Atqui hæc non statuis viuis motúque præditis conueniunt: ob idque turpe, & flagitiosum tibi est, portatilem formam, multisque modis delebilem habere.* Speciositas ex floridis nitidisque pigmentis conflata, iniucunda, infida, inamœna alienis oculis, quæ vel sudore diffluit, lacrymis suffunditur, exorto risu, & contractione genarum dissoluitur, nec vnius diei paraturam consistentem suffert, mane subdole renidet, vespere euanescit fucati coloris compago; ludicram æquo iure nuncupabis formam, & pulchritudinis laruam, quæ facilè assumitur, & deponitur, vt prodita innata, & inhærente inuenustate velut quoddam prospectantium ludibrium in theatro traducatur. His cerussis, & purpurissis illinienda, incrustanda relinque inanima simulacra, vt acquisititia gaudeant specie, quibus albedinis, & ruboris nullum dedit natura compendium; nec speciosior, nec inuidentior apparet fœmina ex mutuatitiis, & emptitiis coloribus, quæ formosior vult videri, sed tanquam personatum figmentum venustatis irridetur, & contumeliæ notam incurrit. Subiungit eleganter quidem idem Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Venustus hæc Adonidis hortus est, cito marcescens, Polypi color, littere in arena conscripta. An tu cùm graculi formam habeas, non times detractis tibi alienis pennis, risum tandem moueas?* Illustrat argumentum suum Gregorius prouerbiis ex humana litteratura mutuatis. Vocat fucatas formas Adonidis hortos, quasi res leuissimas, & nugaces, parum aut nihil frugiferas, breuissimámque voluptatem habentes. Erant pomaria hæc Veneri in honorem Adonidis amasij dicata, quorum meminit Plutarchus libr. de sera numinis vindicta scribens: *Non aliter quàm mulieres, quæ Adonidis hortos ad dies pauculos vernantes in testulis quibusdam nutriunt, fouéntque animas breui duraturas, in carne tenera, & solidam vitæ radicem non recipiente suppullulantes, & mox ad quamuis occasionem interituras.* Ex quibus patet quid verbis suis innuat Theologus? mutuatitiam speciem fœminarum vanam, futilem, subito vernantem, & statim disparentem, & florem cito languentem in aridiori gleba satum, humoris inopia emarcescentem.

Fœminei cultus, & ornatus discrimen.
Tertul.
Cultus muliebris est in auro, & veste. Mundus vel potius immūdus muliebris in cura capilli, & cutis.

D. Greg. Nazian.

Fictitia, & ridicula mulierum, quæ abstersa in terram fluit, & lacrymis deletur.

Ascititia tinctura & labilis color, emortuis statuis, non viuis aptus. Turpe, & flagitiosum est, portatilē formam circumducere.

Ludicra forma, & pulchritudinis larua qual.

Personatum figmentum venustatis, Adonidis hortus est, Polypi color, litteræ in arena conscriptæ.
Greg. Naz.
Mulier nimis compta graculi formam habet, detractis pennis irridenda.

Pomarium à Venere in honorē Adonidis amasij dicatum
Plutarch.
Mulieres Adonidis hortos ad dies pauculos vernantes in testulis nutriunt.

Comparat

Polypus variis coloribus sese versat, vt pisciculos capiat.

Comparat quoque cum Polypi ingenio, qui variis coloribus sese versat, & varium pro opportunitate assumit vultum, vt piscium, imagine falsa deceptorum, exerceat prædam: sic fœminæ mutuato falso colore, personatum vultum formositatis assumunt, vt decipiant incautos, & irretiant; Hanc venustatis pompam celeriter transeuntem, inanissimam ostendit cùm nuncupat litteras in arena scriptas, quæ leni aura flante, vel cùm æquor in littora exundat, expungit, & abolet omne litteraturæ vestigium, adeo fluxa, & inconstans fucata pulchritudo. Æsopicam deinceps adiungit Graculi, vel corniculæ fabellam, quam celebrat Horatius.

Cornicula fabella furtiuis coloribus nudata, ascititio fœminarum decori adaptata.
Horat.

Moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus.

Sic fœmina cùm ætas, aut languor eripit speciosa formæ spolia, manet inuenusta, aut cùm colores adiectitij ex triuialibus officinis emptitij, & mutuati ex domestico labore diffluunt, auolat conficta species, apparet vultus deformitas, procacibus viris risum mouet.

Psalm.
Simulacris in templo exornatis ornatus fœminarum similis
Caietan.

2. Elegans comparatio profertur à diuino Vate in cælesti cantilena Psalmi 143. v. 12. vt fucatam formam mulierum celebret: *Filiæ eorum compositæ circum ornatæ, vt similitudo templi.* fœminas circumamictas, & ornatas cōfert cum basilica, templo, & palatio aulæis, peristromatis, aut tapetibus pictis ornato. Ritè locum expendit Caietanus: *significatur* (inquit) *ornatus mulierum ad similitudinē ornatus statuarum muliebrium in templis, quæ pulchris, & pretiosis ornamentis decorantur.* Cernere erat in delubris gentium statuas politissimas variis coloribus renidentes, viuum mentientes ornatum, aut compta simulacra omni vestimentorum elegantia, & exquisito ornatu fulgentia, quæ augustiorem humana formam ostēderent, quæ specie superba conciliarent cultum, & diuinitatem affectarent; sic mulieres comptæ exquisito cultu, & ornatu, pigmentis nitentes artificiosis, flosculis vernantes, & variis fulgentibus Indicis lapillis circumdatæ diuinitatis ambitum insana cupiditate requirunt. De quibus sapienter Lorinus noster adiungit hoc in loco: *Dum se ipsas colunt, coli volunt tanquam Deæ.* Dum iis Arabia suffitus odorum; India nitorem lapillorum; maria mirabilem varietatem vnionum, & gemmarum; abstrusiores venæ terrarum glebas purpurissi, & candorum; specus copiam splendentium lympharum, arbusta, & frondes mixturam smigmatum, & vnguentorum abunde suppeditant; vt artifici manu de toto orbe terrarum mundum componant, & deitatem mentiantur. Irridet fœminarum insaniam, comparationem huiuscemodi illustrans Clemens Alexandrinus mutuata similitudine ab Ægyptiacis templis, in quibus licet intueri sedulo amplas porticus, vestibula ac lucos magnificè instructos, atria variis columnis cincta, adyta auro intextis peplis obumbrata; si penetralia subieris ad præstantius spectaculum properans, & simulacrum templi quæsieris, si Sacerdos venerandus velum contraxerit, Deum ostensurus: *abunde nobis suppeditat occasionem irridendi numinis.* (inquit Clemens Alexandrinus lib. 3. pædagogi cap. 2.) *neque enim intus inuenietur Deus qui quærebatur, ad quem festinabamus, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua alia eiusmodi bellua, quæ templi quidem est indigna, sed antro spelunca ac cœno magis congruit. Apparet Deus Ægyptiorum bellua, quæ super vestem strangulam purpuream volutatur.* Hæc Clemens Alexandrinus de fœminis impudice comptis, & profusioris auaritiæ sumptibus se ornantibus, ad concitandam iuuenum libidinem, & vanissimi fastus ostentum. Quæ omnia sapienter ad eas traducit, & solerter accommodat subiungens: *Ita etiam mihi videntur fœminæ, quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur, & in genis vngendis, oculisque pingendis, & pilis tingendis versantur, & aliam mollitiem arte improba persequuntur, carnalem ambitum ornantes, & verè Ægyptios imitantes, infœlices amatores attrahere.* Si quis huius templi velum aperuerit, & nugacem fucorum tincturam, pigmentorum velamenta hypocrisis detraxerit, vt veram pulchritudinem nanciscatur, stupebit, ridebit, cuncta abominaturus: *Neque enim Dei imaginem intus inueniet inhabitantem, sed loco eius adultera, & fornicatrix anima occupabit adytum, & vera esse bestia conuincetur, fuco scilicet intrita, & incrustata Simia: & seductor ille serpens mentis exedens intelligentiam per gloriæ cupiditatem pro spelunca habet animam, & cum exitialibus venenis omnia impleuerit, & erroris sui virus eructauerit, mulieres quæ sunt iunctæ matrimonio in meretrices transformat hic draco, fungens lenonis officio: Non est enim mulieris quæ nupsit, sed meretricis illud nimium sui ornandi studium.* Hæc de impudicis, & propudiosis fœminis prolata videntur impudentia, & moribus meretrices imitantibus. Vbi exitialis serpens veternosus, qui his fucis, & vnguentis deliciatur foueam inuenit, & paratura mortis delubrum ornatum, his enim pigmentis ad decipulam oculorum, & cordium temperatis exultat, his nidoribus redolentibus impudicitiam, periucunde afflatur: nactus est sibi concupitum habitaculum, volutabrum luti, & cœnosum vitiorum gurgitem ex pompa indumentorum, & vanissimi cultus inuentis scaturientem. Hæc enim bellua pessima delitescit in adytis animi luxuriantis, ornatus, & cultus obuelata tegminibus, insanientium amatorum venerata sacrificiis; quæ exulare cogit cælestis similitudinis imaginem, & fœminam in Simiam transformat, veram speciem adulterinis coloribus imitantem, cuius leno & procus est diabolus, eius nutibus obsecundans, adiiciens quotidie noua fomenta libidinis, vt pernicie virulenta pellicitat, & perdat amasios, ad quorum necem ei porrigit comptæ turpitudinis telum, & gladium, vas auro illitum veneno plenum, vt bibentes sopiat, & interimat.

Mulieres pigmentis, flosculis, & lapillis, diuinitatis ambitum quærunt.
Lorin.
Dum se ipsas colunt, coli volunt tanquam deæ.

Habent Ægyptij magnificum delubrorū apparatum, sed in ijs Deus non inuenitur.
Clem. Alex.
Loco cælestis numinis, felis simia, serpēs, aut alia bellua reperitur.

Deus Ægyptiorum apparet bellua, quæ super vestem strangulam purpuream volutatur.
Clem Alex.
His Ægyptiorum belluis similes sunt mulieres sese impudice ornantes.

In templo cōpta, & procacis fœminæ, non tam Dei imago, quàm adultera, & fornicatrix anima adytum occupat. Intus latet intrita, & incrustata simia.
Eius cor, & animā Draco habet pro spelunca.
Diabolus exornatas fœminas in meretrices transformat, instar lenonis.

3. Nec mirum est id quod quidam Ecclesiæ Patres constanter asserunt, harum adinuentionum ornatus, & cultus in fœmineis animis quotidie luxuriantium, dæmonem architectum esse, & artificem. Audiendus est sanctus Cyprianus lib. de disciplina, & habitu virg. scribens: *Quæ omnia peccatores, & apostatæ Angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti, à cælesti rigore recesserunt. Illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio*

Exquisitiornatus fœminini Diabolus inuentor, & artifex.
D. Cyprian.

mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris, & capitis veritatem corruptela sua impugnatione docuerunt. Quæ omnia ex Tertulliano mutuata sunt lib. de habitu muliebri cap. 2. in iis tamē absurdum paradoxum reiiciendum, Angelos sanctos fœminea pulchritudine illectos, sese mulierum congressibus inquinasse; quem errorem sectati sunt plurimi Ecclesiæ patres, quos recenset Pamelius in paradoxis Tertulliani, quem sapienter refutat S. Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei cap. 23. & S. Chrysostomus in Genes. homil. 22. Altera pars asserti S. Cypriani introducentis dæmonem artificem fœminei cultus, & ornatus ad hominum perniciem, & superbum fastum illecebræ, non dissonat ab improbi hostis humani generis calliditate, & malitia, quod muliebre ingenium ad gloriosi nitoris ambitū propensius suis artibus impelleret, & deluderet. Pulchrè Tertullianus inquit lib. de habitu muliebri cap. 2. *Si doctrina dicenda sunt: mali magistri, male docuerint necesse est.* Maiori rubore suffundet quàm omne purpurissum genas improbum magisterium, quum à tali doctore colorare genas, & labra intingere fuerint instructæ, qui iam ab exordio Deum contemnere, & imperium Dominicum transgredi edocuit. Cuiuscumque tamen sapientiæ fuerit partus, ista facultas fucandi vultum, & speciem fingendi, æquissimam obiurgationem necesse est sustineat à Sancto Gregorio Nazianzeno prolatam oratione aduersus mulieres, ibi fatur: *Enim verò quis primus Dei figmentum illinire aggressus est? Pereat quisquis ille fuit, qui primus coloribus atque pigmentis impudentiam adiunxit.* Hæc ille.

Tertull.

Angeli sancti non sunt inquinati mulierū congressu.

D. August.
D. Chrysost.

Tertull.

Improbi magistri dæmones, male fœminas docuerunt.

D. Greg. Nazianz.

4. Postremo audiendus est Sanctus Ambrosius lib. 1. de virginibus, qui dum eas instruit, in aliis fœminis demonstrat voragines vitiorum, & iniuriam naturæ in fucata politura. Sic enim scribit: *Hinc illa nascuntur incentiua vitiorum, vt quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, & de adulterio vultus meditentur adulterium castitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale iudicium, prodere suum? Prior enim de se pronuntiat quæ cupit mutare, quod nata est.* Et statim: *Ille enim alteram diligit, tu adulterinis placere. Et irasceris si amet aliam qui adulterare in te docetur. Mala magistra es iniuria tua; lenocinari refugit etiam quæ passa lenonem est. Ac licet vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat, tolerabilioraque propemodum in adulterio crimina sunt. Ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur.* Iniuriosam naturæ, & adulteram formæ vocat Ambrosius fucatam speciem, sicut enim adultera alterum virum superinducit, vt torum violet, & irroget iniuriam marito; sic compta fœmina exquisito splendore, & nitore perplacere cupiens oculis alienis, naturam dehonestat, cùm acquisitam, & artificiosam pulchritudinem sibi asciscit, & natiuum immutat simulacrum naturæ: *De adulterio vultus meditantur adulterium castitatis.* Hæc accipe, non de pudicis, quæ se comunt, & poliunt, vt placeant suis viris, & ad indemnitatem formæ adhibent honestatis moderatione temperata medicamina; sed de improbis, & impudicis, quæ in adulterata tot pigmentis, & vnguentis forma adulterantis animi ingenium produnt, & quasi præfixum in fronte gestant titulum improbitatis, & male moratæ fœminæ suis retibus, & decipulis prolapsuræ; suis enim intercipitur insidiis, quæ extensæ, & paratæ sunt in vultu, vt capiāt extraneos. Exquisitus enim cultus, & superefluens fucorum ambitus male audit apud Ambrosium, & cordatos viros, & suspicionem ingenerat, multiuolæ formam culturæ virum concupiscere alienum, quæ minori fastu, & sumptu placere posset suo. Dirimit ergo sapienter Ambrosius querelas fœminarum, cum comprehendunt maritos in alienas formas insanientes, & adulterantes; vos enim tanti flagitij exhibetis magisterium: *& irasceris si amet aliam, qui adulterare in te docetur, mala magistra es iniuria tua.* Cùm adulteras vultum, maritum imbuis vt violet alienū torum; cùm tuam imaginem infuscas, existis iniuriosa naturæ, & maritali gratiæ; dum vir de tuis pigmentis male coloratam occasionem prętendit ambiendi speciem alienam, vt quæ fictitio nitore vrere satagit spectatores, iugalem inducat, vt deflagret flammis venustatis extraneæ.

D. Amb.

Mulieres impudicæ quæ se pingunt de adulterio vultus meditātur adulterium castitatis.

Magna amētia mulierū, effigiem mutare naturæ.

Mulier colorem vultus adulterans, adulterare docet virum.

An maius crimen adulterare naturā, aut pudicitiam.

Ornatus moderatus mulieris, vt placeat viro suo à patribus non obiurgatur.



DISCVRSVS PARS II.

Ambitiosior se ornandi cupiditas iniuriosa Deo est.

5. DE forma, & specie humani corporis dissertururus S. Ambrosius illustrandum assumit Isaiæ locum cap. 49. v. 16. iuxta LXX. seniorum translationem: *Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos:* Vulgatus vero habet: *Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Ex quibus verbis fœminas informat, & vanum earum cultum redarguit lib. 6. exameron cap. 8. *Pictus es, ô homo, pictus es à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem, noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia. Deles picturam mulier si vultum tuum materiali cādore oblinas, si acquisititio rubore perfundis. Illa pictura vitij, non decoris est; illa pictura fraudis, non simplicitatis est: illa pictura temporalis est; aut pluuia, aut sudore tergitur: illa pictura fallit & decipit, vt neque illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit non tuum, sed alienum esse quod placeas: & tuo displiceas auctori, qui videt opus suū esse deletum. Dic mihi si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris nouis operibus obducat, non ne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognouerit.* Transtuli quantumuis multa, quia illustriora sunt ad Thematis commendationem, & fœmineæ vanitatis redargutionem. Bonum pictorem (inquit) & artificem habet homo, qui exteriorem quoque corporis imaginem viuis coloribus animauit, & membrorum dispositione mirabili reddidit nitentem, & splendidam. Quid vmbras fucorum inducis, medicamēta candoris, & ruboris oblinis, vt infusces, & obliteres pulchritudinem, quæ operatione supremi artificis in lucē educta est; improuidum arguis opificem naturæ, cùm pigmētis fucosis natiuam venustatem inficis, & fluxis sordibus inquinas. Constantē dedit pictor tuus

D. Ambr.
Isa.

Lect. LXX.

Pictus à Deo homo non debet bonam delere picturam, & malā superinducere.

Delet picturā Dei mulier si vultū suum materiali candore, aut mutuatitio rubore oblinat.

Pictura in fœminis deceptoria.

Mulier de alieno colore fucata, nec illi placet, cui placere desiderat.

Displicet Deo, cum videt opus suū esse deletum & adulteratum.

Digitized by Google

tuus decorem, vt quid mobilitate animi variabilem adiicis, & diffluentem, innatum formæ patrimonium venustatis opulentum, vt quid stipem corrogas de albicantis,& croceæ telluris fomentis; faciem de luto plasmatam vitali calore Deus reddidit floridam, & nitentem, ex mortuo viuidam; iam ad antiquam, & obsoletam terræ vetustatem figmentum redigis, pulueribus, & cineribus incrustas malo præsagio damnationis, vt sententiam, cui addicta est natura à mundi exordio, in facie portes, & ærumnis tuis complaceas. Dedecet vultum creatum splendoribus cœlestibus, tanta auiditate adhærere terrenis.

Mulier faciē de terra plasmatam, & vitali calore florentem, fucatis pulueribus ad obsoletā terræ vetustatē redigit.

6. Hoc idem argumentum insectatur Florens Tertullianus lib. de cultu fœminarum cap. 5. eleganter scribens: *Non supergrediendum vltra quam quod simplices & sufficientes mūditia concupiscunt, vltra quam Domino placere. In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus vrgunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Displicet illis nimirum plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cùm emendant, cùm adijciunt, vtique ab aduersario artifice sumentes additamenta ista, idest diabolo. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfigurauit? Ille indubitate huiusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod nascitur opus Dei est; ergo quod fingitur diaboli negotium est.* Has sententias æmulatur Sanctus Cyprianus lib. de disciplina, & habitu virginis: *Dicit Deus faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & audet quisquam mutare, & conuertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt, nescientes quia opus Dei est omne quod nascitur, diaboli quodcumque mutatur.* Harum vanitatum assertorem, & Magistrum adstruunt dæmonem Tertullianus, & Cyprianus; is enim callidus hostis, qui transfigurare malitia, & transgressione docuit spiritum hominis, idem corpus mutare instruxit, vt qui mendacij fuligine atratum illum terrestrem in paradiso Angelum protoplastum reddidit, illum venustatis larua transformet, & figmentum Dei ementito colore in fluxum, & ridiculum figmentum transfiguret; in artificem, odium; in plasma Dei, liuor, & inuidentia manet altamente reposita, & temporibus perennauit, vt qui aduersus opificem inualidus, aduersus imaginem ipsius virus effundat, malignitatis: imposturas exerceat, manus quodammodo inferat Deo, cùm eius simulacrum deformat, cùm genas cerussa, & purpurisso, & ruboris mendacio inficere instruit, nigro puluere oculorum exordia fucare, aliisque medicaminibus natiua delineamenta corrumpentibus adulterare: His enim coloribus opificium Dei conatur expungere, vt quod creatoris, & naturæ est, lateat quod serpentis est commentum appareat. Merito propterea S. Cyprianus sequentia adiungit comptā fœminam affatus: *Non metuis, oro, quæ talis es, ne cùm Resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, & ad sua præmia & promissa venientem remoueat, & excludat? Increpans vigore censoris, & iudicis dicat: opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est: Cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti. Expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est, Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es, de inimico tuo compta cum illo pariter, & arsura.* Hæc totius Africæ Primas inclytusque Martyr, & Carthaginensis Pontifex, quæ omnia valde iniucunda, & exosa sunt fœminis, & vix credibilia, quæ hisce fucis insaniunt, & pulchritudinis idolum in se ipsis colunt vehementer. Si quis de hac materia quamplura desideret legat Sanctum Bernardinum Senensem de Christi religione serm. 46. & 47. de Euangelio æterno serm. 47. fœminei cultus mundique muliebris seuerum, & rigidum obiurgatorem. In his tamen redargutionibus Patrum prudens lector hanc teneat crisim, eas ex affectu concionantium, & pectore pietatis, & zeli communis emolumenti pleno, manasse, vt nimiam licentiam, & exuberantiam cultus in fœminis coërceant. Licitum enim est fœminis maritatis, & quandoque meritorium se honestè polire, & comere, vt placeant viris suis; ne per earum contemptum in adulterium labantur; vel matrimonij iugo exemptis sæcularibus, iuxta statūs dignitatem, & consuetudinem se ornare licet, seclusa cupiditate placendi ad libidinosam functionem, vt docet Sanctus Thomas secunda secundæ quæst. 170. attic. 2. & sapientum schola. Obiurgant Patres nimietatem cultus, indebitum modum, procacitatem, & impudentiam ad alliciendum viros, qualis comperta erat ab Isaia in Ierosolymitanis fœminis vt in commentario prospeximus.

Tertull.

In Dominum delinquunt mulieres, quæ cutem medicaminibus vrgunt. Displicet iis plastica Dei, & omnium auctorem reprehēdunt, cùm ei aliquid adijciunt.

A dæmone additamenta sumunt, qui corpus mutare docuit, & animum malitia transfigurare.

D. Cypr.

Magna audacia mulierum, mutare, quod Deus fecit.

Manus Deo inferunt, cum id, quod ille formauit, reformant, & transfigurāt.

Transfiguratio vultus in mulieribus.

D. Cypr.

Timendum tempus fœminis, ne in iudicio Deus eas non recognoscat.

Iis formidandum verbum illud: Vultus alienus est, Deum videre non poteris. Diaboli imitata & secta a, cum illo pariter arsura.

D. Bernardi.

Obiurgatoria inuectiua Patrum aduersus mulieres ambitiosius se ornantes, quo modo temperanda.


D. Thom.



Ambulauerunt extento collo, ibant, plaudebant, composito gradu incedebant.

Discursus IV.

Incessus fœminæ quales sint eius mores indigitat, cui intra domesticum clausum se continere, solet esse laudi, & venerationi; circumuagatio per compita, & plateas vituperationi, & exitio.

1.  Oeminam procacem, & impudentem transilientem metas omnes pudoris, & verecundiæ repagula confringentem meretriciis infulis ornatam Salomon describit Prouerb. cap. 7. v. 6. de fenestra enim domus suæ per cancellos prospectat transeuntem, iuuenem cupidinis, vt retibus oculorum, & lenimine verborum occuper, ibi. v. 10. *Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas: garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.* Mulier effrenata, &

Prou.

Mulieris meretricis ingenium, & procacitas.

& luxuriosa, quæ non nouit pudorem, illecebris voluptatis demulcet prætereuntes, vt circumueniat errantes, vt deiiciat, & trucidet fortiores: cuius formam delineat S. Ambrosius lib. 1. de Abel cap. 4. *Illa igitur meretricio procax motu, fracto per delicias incessu, nutantibus oculis, & ludentibus iaculans palpebris retia, quibus pretiosas iuuenum animas capit, sermonibus adoritur gratiosis, faciens iuuenum volare corda, domi inquieta, in plateis vaga, osculis prodiga, pudore vilis, amictu diues, genas picta. Vitiorum succincta comitatu, & quodam nequitiarum choro circumfusa dux criminum.* Constituit in propatulo Sanctus Doctor propudiosæ, & lenocinantis mulieris paraturam, qua instructa debellat mortalium pectora. Sicut tormentum bellicum gehennæ igne succensum, omnis generis missilia lethalia iaculatur, per infractum, & deliciosum incessum, per oculorum renidentium nutum, per palpebrarũ conniuentium motum, per frontis fucum, & ruborem genarum excitat libidinis incendia. Tolerabilius malum si domo se contineret, & sibi soli tota deflagraret; inquieta, & vaga pabula flammarum in angulis platearum requirit, omnium caterua vitiorum stipata, vt prætereuntes iuuenes stupidos, & væcordes absumat. Elegans est Hebræa versio: *Non habitant domi pedes eius.* Eamque illustrat Caietanus. *Declaratur* (inquit) *quod ita est vaga, quod non habitant in propria domo pedes illius: tam parua morula continetur domi.* Indesinenter cursitans per plateas non habet pedes in domo propria, quæ ad capturam animarum, non vocata, non inuitata vltro penetrat alienas. Pulchrè Glossa sententiam illustrat: *Nec valens in domo consistere pedibus suis.* Et ait: *sed semper vult ad spectacula, & loca inhonesta currere.* Illud epithetum *vaga.* in Græco legitur in scholiis LXX. seniorum: *quasi volatica.* Sunt enim petauristis volubiliores, velociores ad malum improbæ fœminæ, & sicut harpyæ, aut serpentes volucres hùc illuc circumuolitant prædam intentantes. Vtinam his alitibus voluptuosis, & carniuoris detraherentur pennæ, vt inhiberetur volatus iuxta votum Clementis Alexand. lib. 3. pædagogi. cap. 11. dicentis: *Ea ergo quæ à fœminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennæ sunt detrahenda, vt quæ instabilem superbiam ac mollitiem, inanesque voluptates procreent, quibus excitatæ, & quodammodo alatæ sæpe resiliunt à matrimoniis.* Quid sunt exquisitus cultus, & ornatus, nisi quædam plumarum remigia, quibus insolenter se efferunt, vt despiciant viros, & eis imperitent; malo suo innascuntur alæ his volucribus, vt quæ honesto habitu mites, & cicures ambiebant propriæ domus custodiam; nunc ornatiores, & comptiores effectæ, asperæ, & immites ad extraneum viuarium immigrent, vt pascantur aquis furtiuis, & concupitis panibus absconditis perfruantur. Exuant viri has latrocinantes columbas ornatu meretricio, quo insolenter se iactant, eas reddant implumes, & ad alienos nidulos opum, & voluptatum gratia non tanta pernicitate volaturient.

D. Amb.

Domi inquieta, in plateis vaga meretrix.

Lect. Hebr. Caietan.

Meretricis pedes nõ habitant domi.

Gloss.

Meretrix ad spectacula, & loca inhonesta currit.

Lect. Græc.

Meretrix quasi volatica.

Clem. Alex.

In mulieribus, ea quæ comparantur ad luxum, pennæ sunt, quibus quodammodo alatæ resiliunt à matrimoniis.

2. Si conuertamus oculos ad primæui originem erroris, inueniemus volubilitatem animi fœminei, & Euæ incontinentem deambulationem originarij flagitij extitisse exordium. Excitat quæsitum periucundum sapientissimus, & argutissimus Rupertus, quam viam inierit versipellis diabolus, vt in serpentino organo cum fœmina in paradiso tam longam seriem confabulationis ex instituto texere potuisset. Etenim exulabant procul ab illo deliciarum horto truculentæ feræ, & virulenti angues, quibus vetita erat irruptio in paradisiacas sepes, ne taminarent virulento halitu illud beatum contubernium, & illius incolas. Quare sacra Pagina solerter innectit duo illa commata: *Sed & serpens erat calidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: qui dixit ad mulierem: cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Genes. cap. 3. v. 1. Cùm intra paradisi septa non commoraretur insidiosus coluber, quam opportunitatem nactus, operæ pretium est inuestigare, tam prolixi sermonis cum viuentium matre? Et respondet arguté Tuitiensis Abbas lib. 3. in Genes. cap. 2. *Libera nobis relinquitur facultas asserendi quod non serpens præsertim à diabolo corporaliter inuadente possessus, in paradiso fuerit, sed mulier corpore, & oculis vaga dum incontinenter deambulat, forte prospectans, qualis extra paradisum mundus haberetur, & serpens vtpote astutus, dulcedini terræ propius vel ambitiosius innititur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta vnde tentaret.* A primitiua creatione, & formatione semper fœmina gyrouaga, ad deambulandum, & curiosè prospectandum plantæ pedis pruriunt; diuinis correpta deliciis circumfusa topiariis florum semper vernantium, & pomis cœli delicatissimis ambrosia, & nectare suauioribus, vallata siluis nemorosis, comptis frondium germinantium ornatu, ad vlteriores terræ tractus prospectandos, & pedibus calcandos Eua suspirat; ambitiosiori fœminæ capiditati angusti visi sunt paradisi cancelli; ideo dum incontinenter cursitat, & errabunda graditur appropians paradisi septis, vt oculis lustret terræ plagam, hortum Eden ambientem, in lubricum serpentem incurrit blando alloquio lenocinantem, & lethale experta est morsum. Si non explorasset diuerticula semitarum quietis impatiens, nec deambularet incontinenter, nec sequestrata digressione voluntaria à viri latere, sed intra domus suæ secretiorem conclauem se contineret, non occurreret tentatori, nec in lapidem offensionis impingeret. Pedum mobilitas animum reddidit instabilem, mulier vaga, ad lapsum prona reddita est, pedes volucres præpediti sunt decipula tentatoris; gressuum inconstantia fœminam defraudauit munere superno, & malorum omnium compendium adiunxit.

In Eua animi volubilitas, & incontinens deambulatio, flagitij primæui extitit exordium.

Genes.

Rupert.

Mulier corpore, & oculis vaga, incontinenter deambulans, ansam dedit serpenti, vt tentaret, & deciperet.

3. Felix si modum mirabilem plasmationis suæ in memoriam reuocasset, arcanum enim continet illa Euæ de virili latere eductio, quæ à Moyse describitur Genes. cap. 2. v. 22. *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Cur velut structuram ædificij, & domus fabricam, opifex, ædificatorque mundi mulierem construxit? vt ipsi esset innatus proprij laris amor, vt ab exordio ei esset demandata cura familiæ, & domus custodia, haberetque pro insigni propriis ædibus immorari. Conceptum indicat Sanctus Ambrosius lib. de paradiso cap. 11. *Bene ædificauit dixit, vbi de mulieris creatione loquebatur, quia in viro, & muliere domus videtur quædam plena esse perfectio.*

Genes.

Cur Eua quasi structura ædificij formatur.

Mulieri demandata cura familiæ, & domus custodia.

D. Ambr.

fectio. Qui sine uxore est, quasi sine domo sit, sic experimur. Sicut enim vir publicis officiis, ita mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur. Nec diffidet Clemens Alexandrinus lib. 3. pædagogi cap. 11. *Atque honestum quidem est, vt viri vxoribus suis fidem habentes, eis domus custodiam permittant, vt quæ eis ad id datæ sunt opitulatrices.* Naturæ auctor partitus est dispositione mirabili ministeria viri, & fœminæ: expedit virum Rempublicam gerere, proferre iura, forensium contentionum causas dirimere, acies cogere, & imperio militari interesse præliaribus copiis, arua reddere fœcunda solerti cultura. Fœminæ vero singulare est decus, & munus, vt domus, & rei familiaris sit administra, dirigat natorum turbam, resideat in penetralibus, ædis, & claustri domus iura custodiat. Pulchre Philo Hebræus de specialibus legibus libro, ait: *Fora, curiæ, tribunalia, & comitia, & subdiualis vita, quæ causis agendis, rebusque gerendis in bello ac pace peragitur, viris conueniunt: fœminis vero cura rei familiaris, & domus custodia: Virgines penetralia, mulieres aulam non egrediantur.* Ideo Eua ædificatur tanquam domus, vt non forensis, non vaga, non deambulatrix, non cursitatrix, sed intra limen sui contubernij pedem contineat, & sit ei præclarum stemma domus custodia. *Res est enim pulcherrima* (inquit Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagogi cap. 11.) *mulier domus custos, quæ & se, & maritum propriis ornamentis induit, per quæ omnes exultant, filij quidem propter matrem, maritus autem propter vxorem, ipsa autem propter eos, omnes autem propter Deum.* Talis vxoris decore illustrata domus asylum est pietatis, pacis delubrum, ara pudicitiæ, & requies quædam pacis opulenta, quæ in omnes angulos ædis exuberat; nec adeo renident prata vernantibus flosculis picta, nec tam speciosa tellus nitidis fluentis apparet, sicut matrona pudorata domesticum tabernaculum propugnans: cui amplissimum decus insidet: *Mulier domus custos.* Cœlum æstima nitens natorum, & famulantium sideribus, inter quæ mulier pudicitiæ antistita, peruigil custos domus, tanquam luminare magnum præfulget.

Clem. Alex.

Phil. heb.

Viris subdiualis vita, causis agendis incumbit.

Feminis cura rei familiaris & domus custodia.

Clem. Alex.

Res pulcherrima mulier domus custos, totius familiæ lætitia, & exultatio.

4. Omnia decora, & ornamenta sponsæ principis cælestis in compendium redigit celebertimus citharista Dauid hymno. 44. quem pangit Lyra Regia superni Pneumatis correptus flamine: versus hic est decimus tertius: *Omnis gloria filiæ regis ab intus.* Quid dictio illa *ab intus* denotet, expendit Agellius Episcopus Acernensis, & de intimis penetralibus verbi absconditi eruit sacræ documenta sapientiæ, scribens: *Omnis gloria filiæ regis ab intus. Interior est, inquit, non in conspectu hominum non vulgaris. Quia, inquiunt Hebræi, in intimis gynecei partibus habitabat, vt honesta, & frugi mulier.* Est enim gynæceum conclaue, & domus pars secretior à conspectu hominum remota, vbi se sponsa abdiderat; auebat in eo apparere pulchra, & splendida, si humanis aspectibus non compareret; eo reddebatur venerabilior, si turbæ famulorum ad illius aulam aditus non pateret. Tenet sponsa regia ornatum palatium, & decorum aulæis & peristromatis ad miraculum pulcherrimis, & variegatis, nitebant scrinia argentea aulæ domus, & triclinia eburnea; cylindris, lamellis, aureis virtutum, & donorum pretiosis monilibus, erat ipsa adornata; omnem tamen gloriam, & regale decus statuit in eo, si in gynæceo se contineat, & solertem adhibeat domus custodiam. Pulchrum exemplar Christianis fœminis æmulandũ exhibuit sacra sponsa; illud tamen de humana litteratura mutuare licebit, quod in egregio epitaphio Claudiæ litteris grãdioribus exaratum est: *Casta vixit, lanã fecit, domum seruauit.* Vt noster Lorinus in hunc psalmum recenset.

Aggel.

Gloria filiæ regis ab intus, quia in domus penetralibus, & intimis gynecei partibus morabatur.

Sedma mulieris pudica, seruare domum.

5. Abiecit infantulum Moysen in fiscella reconditum virtutum thesaurum, & Israëliticæ libertatis vindicem, instanti crudeli, & tyrannica Pharaonis exactione, ad carectum ripæ fluminis mater, quẽ paulo ante ad huius lucis vsuram viscera materna profuderant; sed ipsi inter crepidinem aluei, & papyrionis erranti Dei tutamen non defuit; Prouidit filiam Pharaonis inter opaca, & condensa stagnorum se lauantem, vt opitulatricem manum porrigeret pupo vagienti inter niliacos fluctus ad certum naufragium exposito; vt conspicata egregiam formam, & habitudinem pusionis, ipsum adamaret, affectu ad maternam pietatem vergente, prouida cura nutricandum decerneret, vt vulgarem puerum, & abiectum iam adultum redderet palatinum: quo in euentu inter reliqua diuinæ protectionis mira, illud valde mirandum recenset textus sacer Exodi cap. 2. vers. 5. *Ecce autem descendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine.* In iis verbis non solum viam aperit commendandæ diuinæ prouidentiæ erga Moysen, ab ipso natiuitatis exordio in adiutorio altissimi habitantem, & in protectione Dei cœli commorantem, sed tanquam quid insolitum profert egressionem filiæ Pharaonis è paterna domo: *Ecce autem descendebat.* Cuius à turba, & conspectu hominum recessum multis celebrat Philo Iudæus lib. 1. de vita Moysi: *Erat* (inquit) *Regi vnica dilecta filia. eam ferunt dudum nuptam non potuisse matrem fieri, quamuis liberorum cupidam præsertim sexus potioris; vt esset, qui in fortunatam auiti regni sortem succederet, migraturi alioqui in familiam aliam nepotum penuria. Quæ cura pressam, & ea die maxime anxiam, cùm hactenus solita esset domi se continere, ac ne limen quidem transcendere, proripuisse se cum puellis familiaribus ad flumium, vbi puer fuerat expositus.* Cælestis sapientiæ suaui gubernaculo perbelle omnia consentiunt; erupit foras Thermutis anxia & solicita masculæ prolis, & in ipso die puer exponitur, vt compertus, & prospectatus pulchrior, & gratiosior appareret; lachrymulæ, & singultus infantuli facilius commouerent illius viscera, pio foueret amplexu, & recisso edicto necis fieret paruuli patrocinatrix. Illa tamen encomia Philonis: *Cùm hactenus solita esset domi se continere, ac ne limen quidem transcendere.* Filiæ Regis honestatem prædicant. Iam enim nupta, in aula Regis barbari innutrita, inter deliciarum regalium affluentiam, non est sequuta Ægyptiarum mulierum propudium, & petulantiam, quibus pedum volubilitas, & gyrouagatio, & in publicum eruptio innata censetur, & ad impudentiam natura propẽsior. In principaliori fœmina à publico tumultu recessus laudabilis, ingenuitas prędicãda; pudor venerãdus. Quę omnia fœminei sexus decora vsurparunt Romanę matronæ, vt testis est Plutarch. in quæstionib. Romanis,

Exod.

Filia Pharaonis egressio de paterna domo, tãquam quid insolitum recensetur.

Phil. Iud.

Filia Pharaonis laus, quod domi se contineret, nec limen trãscenderet.

Plutarch.

Cur nupta apud Romanos non trāscendebat limen domus, sed à pronubis sublata transportabatur.

nis, & 29. numero instituens, ei hunc titulum præfigit: *Cur nuptam non patiuntur ipsum transcendere limen domus, sed sublatam transportant pronubi*? Et sapienter quæstionem dirimit: *Hoc signum est exire etiam eas, domum ve relinquere non debere, nisi vi eyciantur, sicut vi introducta sunt. Nam etiam apud nos in Bæotia in nuptiis axem plaustri ante fores cremant, innuentes sponsa manendum esse sublato auehendi instrumento.* Hæc ille.

Mulier non debet exire, aut domum relinquere, nisi eyciatur.

Bæotij in nuptiis ante fores domus axem plaustri cremant.

Genes.

6. Quot tragædias excitarit vnius puellæ liber incessus, & circumuagatio edocet textus sacer Genes. cap. 34. v. 1. & sequentibus: *egressa est autem Dina filia Lia vt videret mulieres regionis illius.* Egressa est *vt videret*, oculi namque fœminæ nec saturantur visu, nec aures auditu; pedem extulit è paterna domo, vt oculos pasceret alieni decoris mulierum alienigenarum spectaculo. Vt cerneret earum pompam, mundum muliebrem, corporis cultum & ornatum, vt annotat Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 19. *Dina vnica Iacobi filia venit in vrbem ad visendum cultū mulierum eius regionis.* Pulchrè Rupertus illud adiungit lib. 8. in Genes. cap. 11. *Dina quod interpretatur causa, secundum nomen suum, & sibi corruptionis, & aliis iurgiorum grauis causa fuit. In quo? In eo videlicet, quia exiuit videre filias regionis illius, filia vaga, visu dissoluta, facie decora.* Innumeras calamitates excitat vnius puellæ inconstantia, & animi mobilitas. Egressa est incauta vt cerneret, ipsa tamen libidinosis oculis visa, captus est eius amore princeps Sichem, exiit virgo, regreditur corrupta; exiit columba, incidit in accipitrem, venit ouis, incurrit in vngues leonis. Iurgiorum, parentis gemitus, expugnationis vrbis Sichimorum, trucidationis ciuium, effusionis sanguinum, irruptionis murorum, maledictionis familiarum Simeonis, & Leui origo, & causa extitit quod egressa est Dina de paterna domo: *Dina quod interpretatur causa secundum nomē suum.* Ritè Rupertus in hoc ferali, & lugubri monumento adhibet sacris virginibus documentum cautionis: *Talis puella exemplum omni anima religiosa professionis cauendum est.* Illud quoque annecte ex S. Cyrillo Alexandrino mutuatum lib. 1. glaphyror. ibi fatur: *Egressa enim Dina è tabernaculo paterno, in domum Sichem ablata est. Nunquam verò contumelia affecta fuisset, si paternis ædibus hæsisset, & in sanctis tabernaculis assiduè versata fuisset.* Experta est Dina virginei pudoris iactura, & proprij decoris contumelia, quot mala inferat dissolutus fœminarum gressus, & vanitatis aspectus; extra tabernaculum patris subit dispendium pudicitia, virgineus flos languescit, quem purum, & intactum propriæ domus septa custodiunt.

Ioseph.

Dina venit in vrbem, vt videret cultum mulierum.

Rupert.

Dina causa interpretatur, quia sibi corruptionis, aliis iurgiorū occasio extitit.

Dina filia vaga, visu dissoluta, causa vastitatis.

Dina exemplum religiosa anima cauendum.

D Cyr. Alex.

Cum Dina egreditur de tabernaculo paterno, in domum Sichē sublata. Non pateretur contumeliam si in paternis laribus maneret.

Ierem.

7. Virginalis partus præconium, & vaticinium annuntians Ieremias, arcanam obiurgationem muliebris sexus præfert, velut pulcherrimum quoddam Prophetiæ indictionis præludium. Sic enim præfatur cap. 31. v. 22. *Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga? Quia creauit Dominus nouum super terram: femina circumdabit virum.* Antequam patefaciat mysterium à sæculis absconditum, gyrouagationem Israëliticarum virginum coarguit. Pro: *filia vaga*, alij legunt in Glossa ordinaria: *Huc, illucque discurrens.* in Hebræo habetur: *vsque quò vagaris huc, atque illuc.* Symmachus vero apud Sanctum Hieronymum posuit: *Vsquequo demergeris in profundum.* Quæ enim vagatur fœmina, vitæ deliciosæ otioque plenæ incumbit. Ex vago, & erratico incessu, huc illucque vano discursu, erumpit vitiorum omnium scaturigo, & criminum proluuies, quorum gurgite profundo immergitur. Quid est autem quod diuinus Vates post acrem fœmineæ mobilitatis animaduersionem, dominicæ Incarnationis sacramētum adiunxit, recondita illa sententia mystici sermonis: *fœmina circumdabit virum*? Exquisitum, & insolitum prorsus alloquium à reliquis vatibus Dominici sacraméti præconibus valde dissidēs; occulta quadam sententia locus prægnans est, quā dictio parturiet, si solerti indagine perscruteris, & quasi obstreticantis manus industria in lucem prodas. Vt corripiat Ieremias vagantem mulierem, à temerato, & delicioso incessu coërceat, ante conspectum statuit fœminam circumdantē virum; ex quo enim Deipara cœlesti ambitu vteri virginalis vallauit virum, nimirum Verbum carnem factum, & omnibus mobilibus mobiliorem æterni Patris sapientiam Marianæ aulæ terminis circumscripsit; humanā naturam per diuersas semitas flagitiorum errātem, & palabundam, aureis compedibus charitatis adstrinxit, ne cancellos æquitatis transiliret, aut ad vetita erumperet; erratica, volubilis & vaga fœmina, à muliere super omnes benedicta honestatis, & temperantiæ magisterium suscepit; ex quo enim immensum vtero clausit, dissolutā, & volaticam cōponere gressus docuit, & intra domesticos limites se continere. Quæ enim Deū virginalibus claustris interclusū pensitat, clausum adamabit, & intimum recessum.

Filia, & mulier vaga huc, illucque discurrēs coarguitur.

Glossa.
Lect. Heb.
Symmach.
D. Hieron.

Ex circumcursatione mulierum, manat vitiorum scaturigo.

Ex quo Maria virum in vtero clausit domi se claudere mulieres docuit, & circumgyrationem inhibuit.



Ambulabāt pedibus suis, & composito gradu incedebant.

DISCVRSVS V.

Impudicæ saltationes, & choreæ à Christianorum cœtibus ablegandæ.

1. QVAM exitiosa sit humanis aspectibus lubrica, & versatilis circumgyratio membrorum ostentans omnem libidinis pompam, quàm grata dæmonibus, qui choros ducūt saltatricum, cùm iis arrident, & tripudiant; aperit vaticinio suo Isaias contra Babylonem prolato, vbi conuiuantium, & corybantium theatrum & scenam introducit cap. 13. vers. 21. *Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus. Et habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Sirenes in delubris voluptatum.* Tametsi iuxta litteræ tenorem, solitudinem, & vastitatem annuntiet Vates; quòd ciuitas quondam opulenta, & emporiū orbis cōuersa sit in saltus, & horrentia nemora, vbi omnia ferarū mōstra habitationis inuenerint spelæa, & lustra; at iuxta anagogem rite vaticiniū adaptabis impudicis saltationibus, & conuiuiis, vbi diuersa genera animantiū seu dæmoniorū concurrunt, sic enim dæmones per has feras vsurpat Hieronymus dicens: *Volentes*

Pilosi saltantes nuncupantur dæmones.

D. Hieron.

genera

Digitized by Google

D. Basil.

Damoniaci, spiritus cum sirenis saltant.

Damones crinibus hirsuti dicuntur, qui fulgetras eiaculantur, nec vspiam consistunt pedibus.

genera dæmonum intelligi vel phantasmata. Audiendus est sanctus Basilius: *Illic requiescent sirenes & damoniaci spiritus ibi saltabunt. Scriptura quidem à fide nostra abhorrens tradidit sirenas mulieres fuisse quasdam mellita voce, & concentu perquam suaui cantilantes.* Et de pilosis saltantibus adiungit hæc: *Nominauit pilosos villis, & crinibus hirsutos, setosos, hispidos. Genus quoddam dæmonum exprimere voluisse videtur oblatrans, & tetra caligine circumfusum sua apparitione, quorum opus est fulgetras eiaculari, nec vspiam consistunt pedibus.* Cùm intraueris ad comessationes, & ebrietates paratum triclinium, aulæis stratum, floribus eliquatis odoribus suffitum peregrinum spirantibus, vbi lyristes, choraules, tympanistriæ, & psaltriæ suaue melos fundunt, organa hydraulica sonant, & sub Phonasco vocalium concentus meditatum acroama pathicissimum simul intonat; & conuiuæ optimo vnguento delibuti, tenent manibus aureos cyathos vino spumantes falerno; vbi meretrix adstat Laconica, & pellucida diploide affluēs, diffluente, & volitante per humeros capillamento, impudicis circuitionibus, & circumgyrationibus infractis sese ad turpitudinem motitans, disiuncta compage membrorum, corpore dissoluto, & fluentibus ex arte visceribus congressum signans; aut concinnatum, & speciosum cernis puerum gesticulationibus prouocantem ad luxum; sirenas cense, satyros, faunos, & pilosos saltantes, & Babylonica confusione plenum subterraneum, diuersorium bestiarum; vbi tumultuario, & perstrepero sonitu turpissimæ cantilenæ aula resultat. In his voluptatis, & obscœnitatis delubris Priapo, & Baccho, turpitudinis, & temulentiæ victimæ infelices quotidie mactantur. Et rite Basilius de dæmonibus seu pilosis continuo saltantibus ait: *Quorum opus est fulgetras eiaculari.* Quid enim est saltatrix impudice se motitans, nisi chimæra ignem turpitudinis eructans, & caminus inflammatus à gehenna, ignita iacula, & ardentes libidinis faces in iuuenes & senes iaculatus? Pulchre sanctus Ambrosius describit lasciuientium, & ebriosorum theatrum l. 1. de Abel cap. 4. *Nitebat aula regio luxu splendida, calatis parietibus, & humido natabant pauimenta vino, fragrabat vnguento humus, spinis cooperta piscium, & marcentibus iam floribus lubrica. Ibi comessantium tumultus, concertantium clamor, litigantium cædes, concentus canentium, saltantium strepitus, ridentium cachinnus, lasciuientium plausus, confusa omnia, nihil natura ordine. Saltatrices tonsæ, & crispantes pueri coma. Calix aureus Babylonis in manu mea inebrians omnem terram.* Vidistin latibulum colludentium bestiarum, & audistin mellicam, & chromaticam vocem sirenum, & perstreperum vlulatum bubonum, & strigum illicium voluptatum captandis corporibus, & animabus peropportunum inserentium; vt ad extremam perniciem, ferarum ritu, homines pertrahantur. Nec mireris Isaiam hirsutos, & setosos dæmones saltantes introducere, nam refert sanctus Basilius in c. 14. Isaiæ, eorum tripudia: *Porro dæmonia gesticulari dicuntur, & multifariam saltitare, dum nobis cooperantur ad peccandum. Per eam enim choream omnimoda cietur membrorum commotio. Iam quando qui saltitant, nonnunquam alias inducentes personas in scenam prodeunt: consimili ratione, & dæmones*

In conuiuijs, & saltationibus impudicis confusio maxima dæmonum cernitur.

Impudica saltria chimæra est ignē eructans.

D. Amb.

Lasciuientium, & ebriosorum theatrum describitur.

Saltatrices tonsæ & cincinnati pueri habent calicem Babylonis inebriantem.

Bas.

Dæmones multifariam saltitant, cū nos ad peccandum incitant.

laruis nostræ faciei conformibus vsi leguntur, nunc quidem furiarum ritu choreas agunt, nunc verò membrorum agitatione eum imitantur, qui concupiscentia libidinis feruet. Diabolus coryphæus scelerum, leno ipse vitiorum, nostris prauis affectibus obsecundans, eorum chorum ductat, choreuma concinit arridens voluptatibus, vt sensus omnes titillet, & demulceat, colludit compositis gressibus, plaudit impudica tripudia, laruas assumit improbarum passionum, ad saltitandum prouocat mortales, vt lubricis criminum orbibus rotentur: cum furentibus bilem excitat, & inflammat ad vindictam; auaros gesticulationibus promouet ad rapinam; impudicos ad luxum, & circuitionibus propudiosis satagit libidinis incentiua cumulare. Est enim verissimum illud Chrysostomi pronuntiatum homilia 49. in Matthæum de Herodiade saltante coram Herode, eique perplacente: *Vbi saltus lasciuus ibi diabolus certe adest, non enim ad tripudia pedes nobis tribuit Deus, sed vt modeste incedamus, non vt impudenter camelorum modo saliamus: nec enim solum fœmina, verum etiam cameli turpiter saliunt; sed vt in Angelorum choris consistamus. Quod si corpus deforme fit impudenter saliendo, quanto magis animam fœdari credendum est. His tripudijs diabolus saltat, his à dæmonum ministris homines decipiuntur.* Itaque impudens, & petulans saltatricula cum diabolo saltat, & choreas ducit, qui huiusce modi dissolutis gressibus, & tripudiis adstat, valdeque oblectatur.

Dæmones furiarum ritu choreas agūt, & membrorum agitatione libidine feruentes æmulantur.

D. Chrysost.

Vbi saltatus lasciuus, ibi Diabolus adest.

Pedes nobis tribuit Deus, vt modeste incedamus, non vt turpiter saltemus.

Impudicis tripudijs diabolus saltat.

2. Nec multandæ sunt pœna obiurgationis omnes choreæ; impudentes damnauimus, quæ lenocinantur carnis illecebris, corpus emolliunt, & vigorem mentis effœminant. Dabimus tibi choreas præclaras, circuitiones mirabiles, quibus periucundè potiatur humanus aspectus; contuere stellatum cælum pulcherrimis siderum luminibus micans, quàm statis motibus, & circuitionibus rotatur, vbi immutabiles, & varij siderum cursus, & dissimiles motus, velut quemdam concentum, & choream perficiunt ad laudem Creatoris. Pulchre Philo lib. de mundi opificio ait: *considerata natura stellarum, & motu earum tam concinno, tum fixarum, tum erraticarum statis circuitibus, dum illæ eadem semper modo circumferuntur. Ad hæc chorea vniuersarum modulata, & ad musicæ leges pulchre conueniente, ineffabilem delectationem voluptatemque in animo excitat.* Canonici motus siderum siue fixorum, siue erraticorum, in annua, menstrua, diurna dissimilitudine gyrationum mirabili parilitate consentientes, & æquabiles, consonum disparilium vocum tonum, & suauem concentum æmulantur, in quo præsidet sol velut præcentor & Mesochorus, qui cuncta sidera moderatur iisque suum lumen fœnerat, vt mutis vocibus, & cantilenis collaudent Creatorem. In iis quoque, oculis lustrare licet concinnas, & periucundas choreas in orbem se gyrantes, dum illæ peracto circuitu sese recipiunt, & subducunt à nostro emisperio, & prospectu, & in occasum rapiuntur; vt interdum latitantes, locum dent de nouo gradientibus per illud cæruli templi spatium, quæ assidua conuersione immensæ celeritatis attolluntur, vt celeres rotationes suas perpulchras, & mirabiles perficiant. Ibi enim æterna lumina & nunquam extinguendæ faces accensæ,

Chorea præclara & circuitiones mirabiles stellarum, quibus bene pascitur humanus aspectus.

Philo Iud.

censæ, velut consertis manibus, & digitis tripudiantes gyrum cæli pernicibus rotatibus circumeunt.

3. De cælo ad paradisum terrestrem declinemus animum & obtutum, & statim sese nobis offeret Adamus protoplastus de diuini plastæ manibus recens in lucem eductus, qui inter nemorosas, conualles, & virgulta vitæ, in humo florum peristromate conuestita, exultat, & cum Angelis tripudiat: mens est Germani Patriarchæ Constantinopolitani. orat de sancta Cruce scribentis: *Fuit, cùm inter beatos res nostra sita essent, paradisumque à Deo plantatatum, locum indesinentis voluptatis plenissimum incoleremus; vbi vox confessionis, & eorum qui festos dies agitabant sonitus vocesque è cælo Angelorum, hymnos, & laudes decantantium. Inferne & ex terra alternatim velut respondentem sonum edebat homo, & consona modulando, d una cantica referebat; & gloria in excelsis, & in terra pax resultabat.* Cum Angelis choreas ducebat homo in paradiso collocatus, & cælestibus hymnis diuinarum laudationum consone respondebat Adamus supernæ pacis lætitia totus delibutus, & exultans præ gaudio, dum aspectabilium, & inaspectabilium Creatorem prædicat, qui tanta largitate bonitatem suam in hominem de luto plasmatum diffuderat; extricatus terrenis, intentus diuinis dies festos agitabat, & vere felices pia, & mellica voce cantitans illum hymnum ab Angelis anticipatum, de antiquitate famosum, de renouatione orbis, & noua Christi natiuitate iucundum: *Gloria in excelsis, & in terra pax resultabat.* Iam enim in hominis exordio dulcissima isthæc cantilena à spiritibus supernis inuenta, & festiuitatum omnium maximæ apparata, ex ore Angelico, & humano personat: festos dies agunt, & collætantur Angeli cum Adamo in paradiso, & Dei in excelsis prædicant gloriam, & in terra hominibus pacem, qui cum pastoribus in Christi natiuitate festa, & tripudia celebrantes militiæ cælestis exhibent pacis tesseram, vt seruatorem inueniant in Bethlehemitico diuersorio. Decet hisce choris se inserere, & tripudiare cum Angelis, & in noua cæli, progenie, ex vetere vita remigrationem, & immutationem instituere meliorem conuersationis cælestis; vt mens introducta ad virtutis Symposium & sodalitium cum charitibus peragat choreas, de quibus Philo Hebræus lib. *De sacrificijs Abelis, & Caini* fatur: *vocasti ad conuiuium, in quo non venter expletur voluptatibus corpus incrassantibus, sed in quo mens pasta & choreas ductans cum virtutibus, gaudens libensque hilaritate perfruitur.* Hæc ille.

German.

In paradiso Adamus musico angelorum concentu, & plausu fruebatur, & cũ Angelis tripudiabat.

Gloria in excelsis, & in terra pax resultabat.

In virtutis symposio animus cum Charitibus peragit choreas.

Philo Heb.

4. Liceat quoque cernere in hoc sacro sapientiæ theatro alium feruentissimum, & piissimum salium Dauidem, qui sequestrata tantisper Regia seueritate, & depositis regalibus infulis, coram arca Domini per saltum rotat. lib. 2. Reg. cap. 6. v. 5. *Dauid autem & omnis Israel ludebant coram Domino.* & v. 14. *& Dauid saltabat totis viribus ante Dominum* & v. 16. de Michol dicitur: *Vidit Regem Dauid subsilientem, atque saltantem coram Domino.* Hæc singularis, & insolita saltatio Regis habet præclaros spectatores, & spiritales pensitatores. Abulensis q. 17. in l. 2. Reg. cap. 6. ait: *Faciebat tripudia, & quoscumque ludos deuotionis, & non dissolutionis, ad exprimendum affectum suum in Deum: erat enim vir valde deicola.* Procopius in Glossa excusans Dauidem subsilientem, & Micholis abiectam obiurgationem repellens, scribit in Glossa ordinaria: *Nesciebat enim diuini amoris stimulos.* Nescit amans tenere modum, cum amor vehemens animum corripit, reddit quandoque hominem serium honoris amplitudine præpollentem, quasi lymphatum, extra se rapit, ad iocos, & ludos pietatis, tripudia deuotionis impellit; quæ licet humana, & sæcularis sapientia, quam Michol signat, improperet; supermundanæ prudentiæ non apparent turpia; non indecora, sed sacrosanctæ religionis contemplatione reuerenda sunt, & superno numini destinata, pio deuotionis obsequio. Pulchrè sanctus Ambrosius apologia. 1. Dauid. cap. 6. ait: *Saltabat ante arcam potentissimus Regum, docens contuitum Regalis potentiæ non habendum, vbi religioni exhibetur obsequium.* Et commentario in Lucam cap. 7. *Cantauit Dauid, & ante arcam, non pro lasciuia, sed pro religione saltauit. Ergo non histrionis motibus saltus corporis sinuati, sed impigra mentis & religiosa corporis agilitas designatur.* Dauid cùm necdum excessisset ab ephebis, mirificos ostentauit lusus, curricula, saltus. *Cum leonibus lusit quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit sicut in agnis ouium in iuuentute sua.* Ecclesiastici cap. 47. v. 3. de genere Enacim acies instructas manu fortis strauit, superbum Gigantem omnium interitum minitabundum monstrum lapide deiecit, gladio truncauit. Restabat omnium pulcherrimus lusus, & saltus, vt secum saltando luderet, & sæcularis vanitatis pompæ, grati a religionis illuderet, & qui inuictæ potestatis præsidio Goliam deturbauerat per potentiam, Gigantem superbiæ, & exaltationis infringeret per humilitatem; in illo triumpho puellarum, psaltriarum, tympanistriarum tripudia & choreæ; in hoc Angelorum resonant concentus, & plausus. Saltauit coram arca Dauid vt fidibus & tripudiis Dominum in arca præsidentem deliniret, & ad spiritales choreas sacerdotes instrueret, populum prouocaret. Non adamauit rectus morum censor indecoros strepitus, ludibria scenicorum, aut molles plausus fœminarum: *Est honesta saltatio* (inquit sanctus Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 7. *Qua tripudiat animus, & bonis corpus operibus eleuatur.* Tale Dauidis tripudium, quo cum in intimo humiliationis profundo choream claudit, ad supremum gloriæ apicem subsiliendo sustollitur, & qui per humum rotando quærit abiectionis infima, teneat cælorum sublimiora fastigia.

Eximius & pius salius Dauid coram arca.

Lib. Reg.

Abulen.

Dauid tripudiabat, vt affectum deuotionis erga Deum ostenderet.

Glossa.

Michol obiurgabat Dauidem, quia nesciebat amoris diuini stimulos.

D. Amb.

Dauid in saltatione docuit, contuitum regalis potentiæ non habendum, vbi religioni exhibetur obsequium.

Dauid non pro lasciuia, sed pro religione tripudiat.

Ecclesiast.

D. Ambr.

Honesta saltatio qua tripudiat, & bonis operibus eleuatur animus.

5. Triumphali curru euehunt Creatorem suum Seruatorem nostrum Cherubini Ezechielis cap. 1. ad ostensionem gloriæ, & ouationis celebritatem diuersorum animantium personas assumunt, pennigerique apparent. Ibi verò v. 9. subiungitur: *Iunctaque erant pennæ eorum alterius ad alteram.* Pennas nexu sanctæ charitatis, & mirabilis concordiæ vinculo inserunt, vt de sedentis in sapphirino throno, gloria complaceant, & de sodalium indissolubili contubernio, & amicitia congaudeant. Illud tamen argute dictum est ab Hugone Cardinali de illaqueatis inuicem Cherubinorum manibus, & pennis: *iunctaqua erant pennæ eorum alterius ad alteram ac si facerent choream*

Hugo Card.

Cherubim pennas coniungunt facientes cor Domino choreas.

Digitized by Google

choream per extensionem, & coniunctionem alarum, sicut chorea fit per extensionem manuum. Lætitia gestientes, & exultantes de Dominica gloria, & exaltatione IESV, super spirituum cælestium apices, choream valde mirabilem instituunt, tripudiant sancti animantes alacres, & volucres, illigantque pietatis affectu pennarum extremitates religioso ambitu cientes carpentum, & aurigam, pinnarum strepitu, & repercussu plaudentes illius victoriam, euectaque de hostibus trophæa.

6. Quid multis? Dabo tibi spectaculum gratissimum concinnæ choreæ puerorum Babylonicorum inter crepitantes flammas, & igneos globulos præ gaudio subsilientium Daniel cap. 3. v. 24. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.* Contemplatus est solerter trium puerorum liberum incessum Theodoretus, de eoque scribit: *Beati adolescentes in fornace tripudiantes diuinum hymnum contexere perseuerabant.* Incedunt, & spatiantur læti, gaudentes exiliunt tres adolescentes per furni pauimentum, non tam malleolis & ignitis carbonibus, quàm carbunculis, & lapidibus Indicis stratum, & lithostroton coagmentatum gemmarum aut chonchyliorum crustis, & salientes premunt pedibus non iam sibi ardentes prunas; sed rosas; aulæum pretiosum æstimabant caminum purpureis flammarum peristromatis, & floreis stragulis ornatum, canora voce citharizantes concrepant, religiosasque peragunt circuitiones & choreas, creaturas omnes ad concentum, & tripudium prouocantes.

Daniel.

Theodor.

Pueri beati in furno babylonico tripudiantes, & diuinum hymnum canentes.

7. Non sic Eua in horto deliciarum tripudiabat. Comparat sanctus Gregorius Thaumaturgus Mariæ prudentiam, & recessum quando salutabatur ab Angelo, cum Eua gyrouaga in florida planicie, & opaca memoribus, saliente; de ea scribit serm. 1. de annuntiatione: *Non sicut antea prima virgo Eua sola in paradiso chorum agens atque tripudians, relaxata mente per incuriam ab auctore omnis mali serpente verbum suscepit.* Cùm prospectat eam diabolus dissolutione corporis subsilientem, aditum inuenit confabulationi, & transgressioni; ex corporis saltibus, & gressibus dissolutis, mobilitatem animi fœminei callidus serpens prudenter explorat, nullo negotio conuertibilem ad malum fore, quæ leuioribus tripudiis se versat, & rotat. Ecce Euam stolidam primam chorizatricem, & tripudiatricem fœminam, quæ pedibus plaudere choreas docuit. Iam primææ saltatricis pruriebant pedes, vt terram premerent, & quaterent indecoris gressibus, & motibus.

D. Greg. Thaumat.

Eua in paradiso choream agens, & tripudians per incuriam à dæmone decipitur.

Eua prima chorizatrix fœminarum.

8. Excludere satagit dulci, & aureo eloquio Chrysostomus è fidelium nuptiis ludibria scenicorum, histrionicos motus, impudentes, & molles cantilenas, fœminarum. Exemplum nuptiarum Liæ, & Iacob proponit æmulandum, cùm enim esset introducenda in thalamum, ait de socero Laban scriptura sacra Genes. cap. 29. v. 22. *Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias.* Earum honestam moderationem amplificat, & ornat his verborum flosculis homilia 56. in Genesim: *Vidisti cum quanta olim honestate nuptias egerint? Audite qui satanicas pompas admiramini, & statim ab initio nuptiarum honestatem dedecore afficitis, num tunc tibia? Num tunc cymbala? num tunc choreæ diabolicæ? Quare enim (dic mihi) tantum statim ab initio damnum inducis in domum tuam, & eos, qui in scenis & orchestris operam locant vocas, vt cùm intempestiuo sumptu, virginis lædas continentiam, & iuuenem impudentiorem facias.* Exultat, proh nefas, à festiuitate, quam plurium nuptiarum pudicitia, & pudor, introducta est impudicitia & petulantia, perstrepit in symposio strepitus temulentorum, resonant lasciuientes hymni propudiosæ veneris irritamenta, exultat omnium vitiorum conuentus, & chorus; matronarum, & virginum pudicitia fit venalis; histriones crispati, saltatrices comptæ, impudentes gesticulatrices ore, nutibus, & dissoluta compage membrorum, congressum prædicant, & totius libidinis apparatum; oblectant, & deliniunt prospectantium sensus, & in venerem alienam liquant. Dehonestant sacramentum pudoris dispensatum à Creatore ad infirmitatem naturæ, & humani generis emolumentum, & propagationem; vt quod est carnalis illecebræ medicamen, à turpitudine sumat exordium. Omnis hæc satanica pompa, & vetiti amoris incendium à iugalibus tædis Iacob, & Liæ propulsatum est.

D Chrys.

Lia nuptia cum quanta temperantia, & honestate celebrata.

Genes.

Nuptiarum luxus & impudica tripudia redarguuntur.

9. Colophonem imponam huic discursui æquissima redargutione sancti Basilij Magni in Christianas fœminas inuehentis, quæ festiuitates Sanctorum celebrant impudicis choreis, & saltationibus. Cuius apologeticus sermo decerpitur ex homilia 14. aduersus ebrietatem, & luxum in hunc modum procedens: *Abiecto seruitutis Christi iugo, capita honestis operta velaminibus impudice retegentes, Deum, & eius Angelos despicientes, ad marium aspectus impudentes diffusæ comas, tunicarum luxum ostentantes: pedibus, ac oculo petulco, risu lasciuo, ad saltationem insanientes, iuuentutis in temperantiam in se prouocantes: in locis sacris pro mœnibus ciuitatis choros constituentes, ea profanauerunt, ac omnium probrorum officinas reddidere. Aerem insuper meretricijs cantibus, terram vero pedibus lasciuè saltando contaminauere; instar theatri cuiusdam adolescentium cateruas sibi circumsistentes. Hæc itaque quomodo tacebo? Quo modo digne conquerar?* Hæc ille; iisque similia increpat, & accusat Ierosolymitanis fœminis Isaias cum ait: *Ambulauerunt extento collo, nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & cõposito gradu incedebãt.*

D. Basil.

Fœminæ, inanesque festa sacra inhonestis saltationibus celebrantes, & profanantes, grauiter obiurgantur.

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

Decaluabit Dominus verticem, denudabit crinem filiarum Sion.

DISCVRSVS VI.

Pulchra decaluatio, & tonsura fœminei capillamenti, quæ causa pietatis, & veræ religionis.

1. TVRPITVDINIS, & abiectionis indecoræ signum est in fœmina capillitium omnis gloriæ, & ornamenti compendium tondere; sed piè religionis affectu abscindere

abſcindere comam, perpulchrum, & gratum eſt cælicolis; ſplendidas, & rutilas comantis ceruicis exuuias dicare animarum ſponſo, & velut ſacrum anathema in circuitu altaris ſuſpendere. Perpulchri, & flaueſcentis capillitij tonſuram voluntariam cuiuſdam Virginis pulcherrimæ proponit ſanctus Iſidorus Peluſiota, cum enim procax iuuenis, illius mirabilem formam contemplaretur, inſano amore correptus, nullam non machinam mouit, vt virgineum, & caſtum pectus emolliret; ipſa vero quæ virgineum, & intactum decus cæleſti ſponſo ſacrauerat, ſtetit immota, & velut adamantina in propoſito ſeruandæ pudicitiæ; quam autem rationem inierit vt ſe ipſam tueretur, & procum à furore reuocaret, accurate recenſet Peluſiota lib. 2. epiſt. 53. *Nam & nobilis, & caſta erat, ſeque & animum, & corpus ab omni libidine intactum ſeruaturam eſſe Chriſto promiſerat. Vt autem certior facta eſt, eum propterea furore ac rabie præcipitem agi, rationem excogitauit, per quam & pudicitiam ſuam incolumem retineret, & ipſius ignem extingueret. Attonſo enim, vel vt rectius loquar, abraſo vniuerſo crinium ſuorum ornatu, & elegantia, facieque ſua cinere aqua permixto delibuta, eum ad ſe accivit: eique cum ingreſſus eſſet, dixit: Tu ne hanc deformitatem amas? Ille verò tanquam ex furore reuocatus, non modo libidinis ignem extinxit, verum etiam ingenti poſtea caſtitatis amore flagrauit.* Virgo hæc apparuit humanis oculis iniucunda, quæ luto ex aqua, & cinere coalito, ſpeciem vultus fœdauerat, & pia crudelitate contra caput ſuum armata forcipibus, & nouacula, nitenti cæſarie illud exuerat, & penitus abraſerat; vt pulchritudinis imaginem litura faciei, & capitis tonſura diſſimulans, inſolitis cæleſtis cupidinis moliminibus, & nouis pudicitiæ machinamentis iuuenem reduceret ad ſanitatem, in eiuſque pectore libidinis flammam extingueret; abſtulit ab alienis oculis ignis impudici pabulum, obſcurauit nitorem, deiecit comam ſplendidum capitis ornatum, horrenti ſupplicio ſe multat, vt iuuenem ad pietatem immutet: Ecce (inquit) caput roſeo capillamento orbum, anteuertit ferrum morbum, aut mortis fatum, quorum incuria, & pædore formoſæ pereunt comæ; inſpergo lutulento cinere vultum incinerandum poſtmodum ſepulchro; cuius puluis, & tabes iucundiorem ſpeciem deuenuſtat, & reddit inhorrentem. In imagine viua ſpecies mortis, in grabato criminis, & impudici cupidinis conditiuo iuuenem conſepultum, rediuiuum reddidit. Cinerea hæc litura primitiuum protoplaſti figmentum in memoriam reuocabat, mortis ſententiam, & corporum reſolutionis in fauillas, & cineres reatum. Hæc ſpecies deformis pudicitiæ pulcherrimum ſimulacrum in iuuene refinxit, cinis lixiuium, turpitudinis ſordes, & maculas abſterſit. Ex his capillis caluaque fronte anſam arripuit Dei fidus amor, vt illecebris voluptatum iuuenem compeditum extricaret, & à criniculis peccatorum abſolueret. Caſſides ſacræ, quæ diſſectæ à capite virgineo, mentem reddunt inſano amatori, reuocant à lapſu, & innectunt Chriſto. Caput hoc detonſum & ſpeciem pio amoris artificio deturpatam, Angelorum curia placide proſpectat, & in fœminea mollitie animoſitatem plauſu celebrat.

Virgo Deo ſacra abraſo capillitio, & vultu, cinere aqua permixto, delibuto, procum ab amentia libidinis reuocauit.

D. Iſid. Peluſ.

Incinerata facies quantum profit, ad ingenerandam animo caſtitatem.

Species mortis in imagine viua, iuuenem ad vitam animi reducit.

2. Ad caluitium, & ad planctum vocat Michæas vates Ieroſolymam, vt abiecto capillitij ornatu calueſcat, & in ſe ipſa oſtentet iacturam decoris, & gloriæ, cùm orbam ſe cernit filiis deliciarum, vrgente Babylonico prælio, cap. 1. verſ. 16. *dilata caluitium tuum ſicut aquila.* Caluet naturaliter aquila, reiectaque coma veteri, caput iuueneſcit. Rite Vatablus ait hoc in loco: *ſolet aquila in ſenectute immutare pennas, & recipere nouas: Ideo dicitur quaſi reuiuiſcere: tunc habet caput fere implume.* Idem recenſet Rupertus: *Quo modo enim, vel ad quod decaluatur, ſiue caluitium dilatat aquila? nimirum certo tempore cùm ſenuerit, veteres pennas amittit, & remanet implumis, ſed nouis renaſcentibus, ipſa iuueneſcit.* Theodoretus iuxta ſacratiorem ſenſum verba enucleat, ait enim Vatem incitare Ieroſolymitanos ad habitum lugubrem, vt depoſito ornatu decoris exomologeſim operentur, Dominum deprecantes ad miſericordiam inflectant. *Lugubrem* (inquit) *accipe ornatum à capillis aufer nitorem, & compoſitionem, ac aquilam imitare, pennis omnibus ad tempus denudatam ſecundum naturam, quæ per id tempus venari nequit, & quibus prius terrorem afferebat, non formidabilis eſt.* Sed pulchrior quædam caluities eſt non neceſſitatis, & mœroris, ſed vltroneitatis, & voluptatis, & lætitiæ; non formidinis, ſed amoris, cùm virgines diuinis ſacrandæ altaribus comantes detondent, & abiiciunt crines, vt tanquam aquilæ renouatæ plumis ſanctarum cogitationum, & floridis pennis cæleſtis cupidinis ornatæ in cœlum volitent; reiiciunt comptam capillorum cæſariem tanquam quædam ſuperflua, & reiectitia naturæ, demetunt ſolicitudines ſæculi ſeuerioris diſciplinæ nouacula, & pullulantes frondes reſecant humanarum paſſionum, vt nouo vitæ decore innouatæ plumeſcant, & migrent in alitem cæleſtem. De his aquilis pulchre dictum eſt à Diuo Ambroſio lib. 4. de Sacram. cap. 2. *Renouabitur ſicut aquila iuuentus tua. Bona aquila eſſe cœpiſti, quæ cœlum petis, terrena faſtidis. Bonæ aquilæ circa altare. Vbi enim corpus ibi & aquilæ. Forma corporis altare eſt, & corpus Chriſti eſt in altari. Aquilæ vos eſtis renouatæ ablutione delicti.* Et libro de initiandis capite 8. ſubiungit: *Introibo ad altare Dei ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Depoſitis enim inueterati erroris exuuiis, renouata in aquilæ iuuentutem, cæleſte illud feſtinat adire conuiuium.* Tu vero prædictas ſententias accommoda ſacris aquilis, & cœleſtibus, quæ religioſis votis ſe conſecrant Deo, quando crinium ſpoliis denudant caput, plus ſponſo placituræ, ſaginandæ corpore Chriſti veloces aquilæ properant, & renouandæ cœleſtis epuli conuiuio. Vbi iuxta ſacri pſalmicinis allegationem non ſenectutem ſed iuuentutem renouandam prædicat Ambroſius; non tam auet ſponſus ſupernus ſenio confectam ætatem, quàm floridam iuuentam, primitiuum, & intactũ candorem, vt flos virginum inter virgineos choros ſequeſtratos à ſæculo delicietur. De denudato crinibus vertice huius aquilæ innaſcuntur pennæ in animo vt fiat aligera, cœlum petat, terrena faſtidiat, ſit in cœleſtibus conuerſatio, fiat Dei domeſtica, contubernalis ſanctorum. Nec ſilentio inuoluenda protheoria Drogonis Hoſtienſis

Ad caluitium Ieroſolyma vocatur exemplo aquilæ.

Michæas.

Vatabl.

Aquila in ſenectute, eiectu plume, iuueneſcit.

Theodor.

Pœnitentia lugubris habitum eſſe, auferre nitorem, & compoſitionem comæ.

Caluities voluntaria in ſacris virginibus, vt renouentur ad amorem cæleſtis ſponſi.

D. Amb.

Animæ renouantur in ſacris altaribus, ad eſculentum corporis Chriſti.

Depoſitis flagitiorum exuuiis, anima renouatur, vt adeat cæleſte conuiuium.

Non ſenectus iuxta pſalmographum, ſed iuuentus renouatur, quia flos virgineus in iuuenculis Deo gratus.

Drogo.

Hostien.

Aquila decaluata perspicuo sole fruitur. Anima caluities quanto magis dilatatur, tanto in ea purius vera lux infunditur.

Hostiensis Episcopi de caluitio aquilæ sic fantis serm. 1. Domin. passionis: *Dilata inquit, caluitium tuum sicut aquila. Aquila decaluata perspicuo sole fruitur; sic anima caluities quanto dilatatur, tanto se purius in eam vera lux infundit.* Pulchra, & proficua spoliatio capillorum aquilæ, quæ vberius lumen æterni solis asciscit; intonsum caput, condensum, & vmbrosum nemus iure vocabis. Quod gaudet vmbraculis, & contexta densitate imperuia frondium, arcet solares radios, ne opacam glebam illustrent, & ornent. Quod annotat Synesius in caluitij encomio dicens: *Comam igitur natiuam quamdam aut congenitam quasi vmbellam esse.* Affertque Poëtarum elegantissimum Archilocum de meretricio corpore loquentem:

Synes.

Natiua coma quasi quædam vmbella est.

Huic ipsi quidem
Humeros obumbrat, tergaque incumbens coma.

Vmbra, tenebrarum est forma, & lucis absentiã denotat.

Et hæc adiicit: *Vmbra vero præter tenebras, nihil aliud est, vtrouis enim nomine lucis absentia significatur. Noctem ipsam, terra solaribus radijs obducta, vmbrarum esse maximam.* Felix capillamenti orbitas in sponsis Deo sacris, vbi abscinditur capillorum silua, vmbra depellitur, & quædam mortis imago; patet aditus luminari magno, vt claram lucem infundat. Apage hanc caliginis vmbellam vt cernas lumen Christi, & Lucifer oriatur in corde, vt virtutum fulgoribus, & candore lucis æternæ caput tuum illuminet. Quæ manet in sæculo adhuc inumbrata capillorum integumentis, vt placeat viro, vt vanitati obsecundet, non adeo perspicuo sole perfruitur; tibi vero cui non imminet tegumen comæ, nec pexi crines opacant, licet exporrecta fronte intueri exorientem solem, tanquam æternæ lucis candidatæ.

Sacræ virgines detonsis capillorum exuuijs, vmbram tollũt, vt anima pulchrius, & vberius à deifico sole illuminentur.

Origen.

Cur Iob tantis calamitatibus cinctus, abscidit comam?

Iob. LXX. Patres. Græci.

A tonsam comam Iob ipsis aduersarijs proiecit.

Iob abiecit superflua, vt tanquam arbor illibata perfectum fructum afferat.

3. Perscrutatur Origenes cur Iob tot infaustis nuntiis, & calamitatibus cinctus, abscidit comam? tonsura prædicatur Iob cap. 1. v. 20. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit.* LXX. Græcique Patres legunt: *Totondit comam capitis sui.* Cuius rationem assignat Adamantius lib. 1. in Iob: *Totondit comam capitis vt pote superfluam, otiosam, atque inutilem. Cùm totondisset procul dubio quod ipsis eam aduersariis proiecit. Ecce, inquit, tollite & hanc, habete etiam & hanc, deglutite & istam. Arbor, inquit, sum fructifera, omniaque superflua à me proijcio, vt illibatus perfectum fructum afferam.* Proiecit capillamentum Iob à capite suo tanquam inutile ac superuacuum, quasi quodam ventilabro pietatis excussit, ac naturæ nugantis eiectamenta repurgauit, vt paratior esset ad pugnam, purior ad cœlestium consortium, & perspicuam abrenuntiationis sæculi imaginem præferret. Vt illibatus compareat Deo omnem à se ornatum sequestrat. Tot tentamentis ventilatus Iob cribro satanicæ nequitiæ tanquam frumentum purum, & perpurgatum in area tolerantiæ aristas, quisquilias, glumas capillorum, tanquam corporis ludicra, cæla decidere cogit, vt venustas, & decor virtutis in animo delitescentis diuinis oculis explicetur. Nec contentus est abscindere cæsariem: *Sed ipsis eam aduersarijs proiecit*, vt qui rebus familiaribus, & dilectissimis pignoribus eum nudauerant, apud se retinerent verticis comantis spolia; substantiam abstulistis, tollite superflua; se suaque omnia, simulque capillos Domino commendabat, & offerebat; sciebat enim comæ suæ crines in manu Domini depositos fida seruandos custodia, & capillos de capite suo non perire.

Iob se suaque omnia, sicut atque capillos Domino commendabat, & offerebat.

4. Quoddam arcanum continet titulus Psalmi 41. *Intellectus filijs Core.* Illudque perscrutantur sanctus Augustinus, & Venerabilis Beda. Quare intellectus huius psalmi dicatus sit filiis Core? Quia filiis Core psalmicinibus hymnus iste tradebatur ad musicum concentum pronuntiandus. Sed quia grauidum est mysterio spiritali hoc nomen Core, conceptus, & partus enuntiant duo hæc Ecclesiæ præclara lumina, repulsa obscuritatis caligine, consentientibus sententiis, & verbis, aiunt, per Core Christum exprimi, nec nomenclationem hanc ad historiam, sed ad mysterium pertinere. Core quoque idem est ac caluus seu: caluaria. Ideo adiicit Beda mutuatitiis ex Aurelio sententiis: *Ideo Christus dicitur caluus, quia in loco caluariæ est crucifixus. Filij itaque passionis eius, redempti per sanguinem ipsius, & portantes in fronte quod inimici fixerunt in loco caluariæ, rectè dicuntur filij Core. His autem filijs cantatur iste psalmus in intellectum.* Nimirum vt serio recogitent materiam psalmi esse spiritualem caluitiem, & depilationem humanarum passionum, vt exuentes veterem hominem cum actibus suis, Christo commorientes, Cruci confixi, ignominiam eius in fronte portantes, renascantur innouati mirabilem formam filiorum Dei exprimentes. Scite Venerabilis Beda illa verba attexit: *Core nanque interpretatur caluus, vel caluaria, & Christus dicitur Core, id est caluus, vel quia sola perfectio, sine superfluitate in eo fuit. Nihil enim minus quàm capilli ablati videntur ad perfectionem obesse in humano corpore. Similiter homo in abundantia virtutum positus, perfectus fuit. Vitia autem superflua sunt, quia super perfectionem addita sunt. Qua superfluitate vitiorum Christus caruit, & ideo merito caluus dicitur.* Solus IESVS caluariæ amicus, & spiritali sensu caluescit. Quia solus immaculatus innocuus vitiorum Adami adultam cæsariem non sensit, nec insolita humanorum criminum coma in eius capite adoleuit; velut caluam, & nudam affectuum improborum capillamento naturam assumpsit, quisquiliis passionum, & reiectitiis affectibus repurgatam; ideo solus Core, quia solus caluaster, à vitiis purus, nulla cupiditatis captus illecebra; adamauit & apprehendit hominis naturam nitidam, & puram, virtutum concinnitate decoram, in primitiuo innocentiæ flore incontaminatam, de manibus Creatoris eductam; respuit crimen, & affectus ab integritate deuiantes, & tanquam ascititia per transgressionem respuit. Quàm pulchrum, documentum filiis, & filiabus sponsi exhibet noster Core, vt tondentes capillos æmulentur spiritale Caluitium, demetentes superuacanea vitiorum, se sequestrantes ab affectibus improbis, & ab huius sæculi illecebris extricatæ reddant incontaminatum spiritum suo Creatori; nec solum auersentur quod crimen est, aut piaculi vmbra, sed etiam sectentur quod perfectum est. In tali caluario horum filiorum Core, seu calui, Christus

Cur intelligentia psalmi dedicatur filijs Core? Psalm. 41. D. August. V. Beda.

Per Core Christus exprimitur.

Core idem est ac caluus.

Christus Core seu caluus dicitur quia in loco Caluariæ crucifixus.

Filij Core Christiani dicuntur, redempti Cruce, ac sanguine Christi.

V. Beda.

Christus appellatur caluus, quia sola perfectio, sine superfluitate in eo fuit.

Virgines sacræ attondentes verticem crinium, Christum æmulantur, demetentes superflua vitiorum. Quod perfectum est, sectantur.

IESVS

In capite ob pietatem decaluato, Christus vexillum crucis erigit.

Drogo.

Ad hanc Caluitiem, qua ornatur crucis fronde, ascendit Eliseus.

Decaluat Dominus verticem filiarum Sion, vt ibi figatur pretiosa crux, vbi superbia sedem locauerat.

Iesvs sedem suam collocat, & vexillum suæ Crucis erigit; arguta contemplatio hæc est Drogonis serm. 1. de passione dicentis: *Vbi crucifixerunt eum? In Caluariæ loco. Beatus verè locus in quo figitur Crux, bona caluities, quæ tali fronte vestitur: ad hanc caluitiem Eliseus ascendebat: ascende calue, ascende calue* &c. *Ergo in Caluariæ loco vexillum Crucis erigitur. Pro eo inquit quod ambulauerunt filiæ Sion* (alludit ad præsentem Isaiæ locum, quem suscepimus illustrandum) *extento collo, & nutibus oculorum, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. Decaluabit inquit verticem filiarum Sion: & faciet ibi caluariæ locum vt ibi figatur gloriosa Christi Crux, vbi sedem sibi superbia locauerat.* Beatum filiarum Sion, hoc est Ecclesiæ superna contemplantis caput, quod capillatura denudatur, non ad tormentum & supplicium, & duræ captiuitatis ærumnam, sed ad peccatorum planctum, cælestis sponsi seruitutem, & æterni Regis deuotam clientelam; in hac caluaria plena pietatis supercælestibus ornata benedictionibus, amor Dei omnia vincens trophæum Crucis, & Saluatoris erexit. Sacra sibi spolia, & capillitij plexus vsurpat, his crinibus implicatur vt sponsam sibi deuotam immunem flagitij seruet, corporis, & animi sospitate decoram; hos criniculos mutui amoris obsides, vertit in torques, & pretiosa monilia, quibus dilectæ pectus & collum exornet. Nec deuenustatum æstimes verticem exectum in pallore auri nitentibus capillis, quem vestit, & circumdat diuina vitis, & Crucis palmes cum vua sua, non tesserulis aut clauiculis, sed ferreis clauis inserta ligno vitæ, quæ puncta lanceæ cuspide speciosior fuso cruore vernauit; bene ornata frons pro plicaturis capillorum, rosis vulnerum, & crocei laticis guttis velut coronata carbunculis. Ad hanc bene comantis frondis speciem caluitie sua ascendebat Eliseus, bene caluus segregatus à mundo, mundialium omnium abrenuntiatione, & diuortio conspicuus; Dicat dilecta sponsa, & anima Deo dicata, & deuota confidenter: Decalua Domine meum caput, exscinde dumeta siluestria, & luxuriantia cupiditatum, repelle reiectitia passionum, vt in mea caluaria tanquam in mentis, & corporis arce vexillum Crucis charitas infigat, vt moderetur sensus continuo præuaricantes, & effrenes cupiditates coerceat, & inhibeat à lapsu. Sit quoque talium animarum votum geminum, quod præfixum constituit in exordio Psalmi prædicti Venerabilis Beda, prælibatisque ex Hieronymo his verbis: *Omne psalterium sagaci mente perlustrans, nunquam inuenio quod filij Core aliquid triste cantauerint, semper enim in psalmis eorum læta sunt, & iocunda; sæcularibusque contemptis, cælestia, & æterna desiderant, congruentes interpretationi nominis sui, filius Core quem diximus Crucis honore signatum.* Statim desideria animarum sanctarum subnectit. *Prima professione psalmi huius omne desiderium mentis suæ ad Dominum dicit esse translatum. In secunda loquitur anima sua dicens, eam in hoc sæculo non debere turbari, quia Deus est ipsius fixa deliberatione suffugium.* O nisus animarum validiores! quæ in corporibus suis mortificationem Iesv lætanter, & exultanter circumferunt, nec tantum super humeros sicut reliqui Domini æmulatores præclari, sed in capite Crucem infixam portant, de spontanea orbitate mundanorum, & de improperio Christi gloriantes! Caluaria hæc non sterilis, non salebrosa, sed stillicidiis sacri cruoris, & gratiæ fœcunda gleba virgines flores, & præclara virtutum germina parturit, tanquam hortus irriguus, & paradisus Domini.

Non deuenustat aurei capillitij attonsi caput, quod crucis palmes cum vua sua vestit, & circumdat.

V. Beda. D. Hieron.

Filij Core nunquam aliquid lugubre cantitarunt, sed semper grata & iucunda.

Desiderium animæ ad Deum transferendum. Anima cui Deus est suffugium, nullo sæculi aduersitate turbatur.

5. Dum hæc scribo circumuolat animus ad Simonis Pharisæi triclinium, & opiparum symposion vbi Christus adest, & recumbit; vt suscipiat errantem ouem obsequio pietatis, & amoris affixam pedibus Christi; crines flauos & roseos explicat, & super vultum defluere permittit in signum pudoris, immadentes lacrymis spargit, vt nouo lauacri medicamine intingat, & eliquato ex lacunis oculorum liquore præ floribus odoratiore, plantas Saluatoris riget, & velamine capillorum abstergat. Lucæ cap. 7. v. 38. *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillos capitis sui tergebat.* Liciis capillorum aureis velut insertas gemmas oculorum circumdabat pedibus Christi, vt illigatam his monilibus, & compedibus sapientiam retineret: ex Mariæ capillatura admonitionem elicit sanctus Ambrosius lib. 6. in Lucam, & piis fœminis se Iesv sacrantibus, impendit. *Expande capillos, sterne ante eum omnes tui corporis dignitates.* Quid pulchrius fœminæ, quàm sæculares infulas, & ampla dignitatum decora substernere pedibus Christi, & pro eius amore despicere, quàm collum extentum, & pulchram inclinare ceruicem, vt à triumphanti dilectione prematur, & excusso grauissimo iugo, quod super filios Adamus imposuit, suscipere iugum Christi suaue, & onus leue. Argutius adhuc contemplatur hoc Magdalenæ capillitium Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagogi cap. 8. aitque: *Soluti capilli prædicabant liberationem à nimio amore superflui ornatus.* Attulit incomptam, & nulla lege iacentem comam, vt ostenderet capillaturæ seruitutem in libertatem fore commutandam; absoluit Iesvs Mariæ animum criniculis peccatorum, crines quoque à nimio amore, & cura superflui ornatus absoluit. Attulit enim ad Iesvm non comptam aut calamistro notatam comam tæniis constrictam, aut nodo coactam; sed sparsam, squalidam, & diffusam vt ostenderet à seruitute comendi & ornandi capilli fuisse redemptam. Non lego Mariæ crines abscissos, forsan non abscidit, nec deposuit ornatum comæ, vt defleret hoc habitu lugubri inuentutis delicta, quia sanctificatione quadam de plantarum Christi attactu accepta, insignia charitatis & pudoris in capite præferebat, vt tanquam perenne monumentum, donum Iesv ad memoriam reuocarent.

D. Lucas.

Magdalena liciys capillorum, margaritarum lacrymis ornatu, tanquã monilibus & compedibus sapientiam illigabat.

D Ambr.

Magdalena capillos expandens, omnes corporis dignitates substernebat pedibus Christi.

Clem. Alex.

In Magdalena solutio, & libertas capillorum prædicabat liberationem ab amore nimio superflui ornatus.

Magdalena à seruitute ornandi capillitij redempta.

Cur Magdalena capillos non absciderit.

Versi



VERSICVLVS XVIII.

In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas.

COMMENTARIVS.

In vrbium irruptione hostil, omnia fœminarum decora, & vestium ornatus diripiuntur.
Diod. Sicul.
Prædorū direptio facta à Macedonibus in regno Persarum.
Fœminæ nobiliores in vehiculis aureis exercitum Persarum comitabantur.
Earum sumptuosissimus apparatus mundusque muliebris.
Fœminæ, quæ in rhedis magnificis vix se conspici sinebant laceratis vestibus conspiciuntur.
Fœminarum Persarū miserabilis vultus, & habitus, quo se victorum genibus aduoluunt.
Fœminas comis abreptas, & discerptis vestibus hostes rapiunt, hastilibus verberant.
Maximum fortunæ ludibrium in Persarū honoratissimas exercetur.

1. IN die illa auferet Dominus, &c. Mos est militum vrbem expugnantium, irruptione facta omnia diripere, præsertim fœminas principaliores denudare vestimentis gloriæ, exuere omni ornatus decore, perscrutari solerter earum scrinia, & capsulas, & reconditoria cultus pretiosioris, iisque expilatis, & euacuatis, insatiabilem auaritiam nutrire; idque euenturum in expugnatione Ierosolymæ Babylonica, & Romana perspicuè proponit Vates. Cuius direptionis, & spoliationis fœminei ornatus schema perpulchrum inuenies apud Diodorum Siculum lib. 17. cap. 35. & 36. cùm recenset Darium ab Alexandro Magno detriumphatum, & Persarum regnum excisum. Sic enim ait: *Macedones persecutione intermissa, ad prædæ direptionem se conuertunt.* Et statim: *Non enim ex regia tantum domo, sed etiam propinquorum, & necessariorum familiis, sexus fœmineus in vehiculis deauratis, patrio quodam more Persarum, comitabantur. Vnaquaque illarum pro diuitiarum amplitudine, ac consuetudine deliciarum sumptuosissimi apparatus, mundique muliebris copiam secum circumferebat. Perquam verò miserabilis tum erat captiuorum status, nam quæ prius in pilentis magnificis, vix commode satis inuectæ, nullam corporis partem nudam conspici sinebant, tunica vix simplici amictæ, vestitumque lacerantes cum lamentis, è papilionibus tunc prosiliebant, & inuocata Deorum commiseratione, ac ope, victorum se genibus aduoluebant. Nonnullæ manibus tremulis corporis sibi ornatum detrahere, passisque crinibus per aspera se loca proripere, & concursu inter se facto, opitulatrices implorare illas, quæ ipsæ aliorum ope indigebant. Alij capillis abreptas abstrahebant: alij discerptis vestibus nudis corporibus manus iniecerant, & ima hastilium parte misellas verberabant: omneque contumeliæ genus in res Persarum honoratissimas, & vbique celebratas, fortunæ indultu, exercebatur.* Quæ omnia aut valde similia contigisse in excidio vrbis Ierosolymæ non est dubitandum.

Singula ornamenta recensere non est dissonum grauitati, & sanctimoniæ Isaiæ.
Mulierum petulantia, & luxuria Ierosolymæ vastitas adscribitur.

2. Recenset Vates deprædationem ornamentorum singillatim, quod quidem non est dissonum illius grauitati, & sanctimoniæ, vt annotant Basilius, & Chrysostomus, tum quia Isaias inter proceres innutritus in Regia aula, & vxoratus, fœminarum vanitatem in ornatu, & mundo muliebri bene percalluerat; vnde mirum non est, quod omnia earum decora in hoc catalogo describat; præsertim cùm petulantiæ, & luxui adscribat Ierosolymæ vastitatem, cuius comminatione proposita furentem auiditatem in fœminis ornatus, & cultus inhiberet. Adde quod etiam prænouerat in his ornatubus ampla Ierosolymæ decora demonstrari ab ipsa penitus auferenda. Orditur à calceamentis.

Lxx. Tunica fimbriata.
D. Hieron.

3. *Ornamentum calceamentorum.* Sententia hæc iuxta Hebræum ita habet: השבסים תפארת העכסים Cur autem Latinus interpres verbum השביסם non transtulerit, ignoratur, certum tamen in antiquis paginis extasse, vt constat ex translatione Lxx. qui vertunt: *Tunicas fimbriatas.* Vt statim subiiciemus; illius significatum Hieronymus aperit verbis antecedentibus: *Pedibus suis composito gradu incedebant.* Vbi idem verbum Hebraicum reperitur. Aperiamus grammaticalem sensum verborum, illumque illustremus.

Lxx. in Bibl. Complut.
Reticuli, & cincinni.

4. *Auferet Dominus ornamentum.* תפארת *thiperet*, à radice פאר decorem, gloriationem, & amplitudinem denotat, & magnificentiam auferendam, tum vestium, tum calceamentorum. Verbum השבסם quod Vulgatus omisit, propriè transtulerunt Lxx. Seniores in Bibliis Complutensibus: *Auferet Dominus gloriam vestimenti earum, & tunicas fimbriatas.* Illud denotat vestem factam, & contextam opere phrygionico, vestem acu pictam, ocellatam, aut plenam oculis. Verbum Græcum κοσύμβοι nodus est capillorum, vnde Biblia Sixti legunt: *reticulos, & cincinnos*, quæ potius ad caput pertinent, quàm ad vestimentorum extrema. Denotat etiam succingulum, & vestem fimbriatam, vt constat Exodi capite 28. quare Sanctus Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysi, indumentum Aaron, & poderem habentem in limbo tintinnabula, & malogranata aurea, nuncupat *vestem cossymbotam.* Huiuscemodi limbi, & cossymbi ornabant diploidem sponsæ sacræ, cuius omnis gloria: *In fimbriis aureis.* Psalm. 44. vers. 14. Vbi Hieronymus legit: *Fasciis aureis.* Alij transferunt: *Vestibus auro ocellatis.* Vel: *ex texturis auri.* Erat enim opere phrygionico, aut plumario confecta cyclada, opus texturæ recamatum tessellatim, ac frustulatim intertextum lapidibus pretiosis, seu laminis aureis, quasi quibusdam ocellis: dicuntur cingula non ad adstringendum diffluens vestimentum, sed ad cingendum vestitus ambitum, seu extremitatem. Chrysostomus vocat: *Fascias aureas.* Euthymius: *Zonas, & cingulos.* Hispanè diceres: *Orlas, listones, franjones de oro, fluecos, rapacejos.* Sanctus Basilius in Isaiæ commentario sapienter, & erudite expendit versionem Lxx. *Vestes fimbriatas*, seu cossymbatas: *Dictio autem*, (inquit, κοσύμβος *Kosymbus vestis fimbriata scilicet. Deprehendimus in apparatu textili Pontificiæ vestis* χιτῶνα κοσύμβωτον *tunicam fimbriatam, quæ haberent mala granata, aurea tintinnabula, quasdam insuper fasciolas fimbriis assutas deprehendimus dici* κοσύμβους*, id est: vestes fimbriatas cum appendentibus tintinnabulis aureis ac malis granatis ab extremitate vestimenti; quæ singula per exuberantem suam mollitiem filiæ Sion imitabantur in ambitu vestimenti, quibus factis contumeliam irrogabant peculiari prærogatiuæ Sacerdotalium vestium, circumferentes amicula fimbriata coloris melini, hyacintho, coccoque distincta.* Hæc Sanctus Basilius.

Psalm.
D. Hier.
Vestes auro ocellatæ.
Fasciæ vestimentorum aureæ, & cinguli.
D. Chrysost.
Euthym.
D. Basil.
Lect. Lxx.
Vestē fimbriatam Sacerdotū cū tintinnabulis, & malogranatis filiæ Sion imitabātur.
Contumeliā irrogabant prærogatiuæ sacerdotaliū vestium.

5. Nec solum vestimenta Sacerdotum, sed

Digitized by Google

Pharisæorũ pallia, & eorum ornatũ æmulabãtur fœminæ Ierosolymitanæ. Quales fuerint fimbriæ Pharisæorũ? D. Matth. D. Chrysost. Ligacula Pharisaici ornatus, ex quibus libelli dependebant. D. Epiph.

etiam Pharisæorum pallia, & eorum ornamenta, fimbriata fuisse æmulatas Ierosolymitanas fœminas, poterit quispiam suspicari. De iis Seruator enuntiat Matthæi capite 23. vers. 5. *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Vbi Chrysostomus homilia 74. ait: *Hyacinthinam vittam in extremitate vestis, quæ ad tales est, assui præcepit, vt attentiore cura mandatorum recordarentur, hanc fibriam appellant. In his igitur rebus diligentiores, ligacula quibus libelli dependebant, latiora, & fimbrias maiores faciebant, quod ex inani gloria proficisci videbatur.* Aitque appellari phylacteria, id est: *Conseruatoria.* Et Sanctus Epiphanius tom. 1. libr. 1. capite 15. agens de scribis Iudæorum ait: *Habebant autem fimbrias quasdam significatiuas politiæ ipsorum, ad ostentationem elationis, & laudem spectantium. Et phylacteria apud se ipsos addebant: Hoc est latas notas purpuræ.* Et statim: *Sed quoniam stolas sine pallia tales induebant, & Dalmaticas, sine amicula ex latis notis, siue signis purpuræ paratas ac prætextatas.* Et de fimbriis palliorum subiungit: *Vt fimbrias dicat oras ac margines, phylacteria verò signa ac notas ipsius purpuræ.* Et refert locum Matthæi legens: *Et fimbrias palliorum vestrorum magnificatis.* Nam fimbrias ac prætextus quosdam in quatuor alis amiculi vnusquisque habebat, ex ipso stamine illigatos. Hæc pallia, & amicula prætextata ex ligulis, & limbis purpureis imitabantur fœminæ in suis latissimis vestimentis ad ostentationem vanam, & laudis celebrationem; vt essent signa nobilitatis, & religionis ipsarum, quæ omnia Septuaginta nuncupant cossymbos, seu fimbriatas stolas.

Phylacteria, lata nota purpuræ.

In limbis indumentorũ, Orgiorum Bacchi, quæ in Ægypto adorauerunt Iudæi, apparebant signa.

6. Adhuc tamen in huiuscemodi ambitu palliorum, & limbis ex cocco, & purpura assutis concinnéque elaboratis, & phrygionice ocellatis, priscorum rituum quibus in Ægypto Bacchi orgia celebrabant indicia, & signa non obscura prætendi, poterit quispiam existimare; nam Thyades, & Bistonides Liberi Patris sacrificulæ his indumentis cossymbaticis ornari, habebant in deliciis: fœminæque impudenti leuitate non solum, vt sacerdotalibus vestimentis detraherent, eorúmque dignitati insultarent, vt censet Sanctus Basilius supra, tympana, & malogranata nectebant in limbis palliorum, & cycladum; sed vt monumentum Bacchicæ celebritatis, & aliquod memoriale subtinnirent. Clemens Alexandrinus libro contra gentes inter alia quæ offerebantur Dionysio recenset *mala punica*; & paulò antè folio 16. numero 50. *Mulieres quæ Thesmophoria celebrant, à mali punici granorum esu se abstinent, existimantes ex guttis sanguinis Dionysij germinasse mala punica.* De cymbalis Bacchi Tertullianus libro de pallio capite 4. numero 83. ait de Empedocle scribens: *At quia alius, & sericatus, & crepidam æratus incessit. Digne quidem vt Bacchantibus indumentis aliquid subtinniret, cymbalo incessit.* Vbi Iacobus Pamellius in scholiis, addit: *Alludit autem ad cymbala, quæ Bacchantium indumentis subsuebantur.* Et Catullus in Epithalamio nuptiarum Pelei, & Thetidis canit de Bacchis Dionysium comitantibus:

Clem. Alex. Mala punica Dionysio dicata. Ex guttis sanguinis Dionysij germinasse mala punica existimabant Ægyptij. Tertull. In Bacchantibus indumentis subtinniebat cymbalum. Iacob. Pam. Catul.

Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis,
Plangebant alij proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.

Forsan ergo in hoc vestimento cossymbato, iuxta Sancti Basilij placitum illustrato, ad mala punica, & cymbalorum tinnitus in orgiis Liberi à Bacchantibus mulieribus receptos à captiuitate Ægyptiaca, per tot sæcula in earum pectoribus inolitos, alludebant Ierosolymitanæ fœminæ in ambitu fimbriarum, vt mulierum tympanis triarum, choraularum, & barbaro strepitu cymbalizantium in Bacchi festiuitate, aliquod vestigium, & memoriale resideret. Huic sensui potest reduci significatio illa *Tepheph strepitum edere*, vel *tympanizare*, vbi vertit Vulgatus: *plaudebant.* & verbi huius numeri ornamentum calceamentorum, quod denotat crepitum, & tinnitum cymbalizantium, de quo postea. Hæc magis dubitando, quàm asserendo dicta sunt, vt lector in hac causa discernat.

Fœminæ tympanizabant ambulantes.

7. *Ornamentum calceamentorum.* Pro calceamentis Hebraicè est עכסים *hhachasim*, à radice עכס quæ denotat compedem, & ornamentum tinniens, strepitum edens, vel sonitum, id est, crepitaculorum strepitu resonans. Vnde aliqui legunt in hoc loco: *Pedum squamatorum, vel crepitantium.* Nam mulieres vt ait Sanctes Pagninus, crepitacula, seu tintinnabula gestabant in pedibus, aut in vestimentorum ambitu, iuxta superius dicta. Nisi hæc de stridore ipsorum calceamentorum, aut eorum ornatus strepitu accipias: Vt statim subiicimus. Quapropter claritatis gratia prius de calceamentis, postea de eorum ornamento differendum.

Pedes squamati, & crepitantes. Lect. Heb.

8. Varia sunt calceorum genera, quæ Tertullianus recenset lib. de pallio. *Stolam, supparum, & crepidulum, mulleolum, calceum.* Vbi Pamellius in scholiis: *Talia autem fuisse omnia genera calceorum apud Romanos, qualia Turcarum crure medio tenus.* Et affert Scaligerum pro se. Turcæ autem sicut cidarim, ita quoque calceamenta Iudæorum æmulati sunt. De Pharisæorum habitu, & calceis scribit Sanctus Epiphanius tom. 1. libr. 1. hæresi 16. fol. 28. *In prædicto scribarum habitu progrediebantur per amicula, & alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepidis, & calceamentorum ligulis præcedentes.* Et de Muzarabibus fœminis scribit Iulianus Petrus in aduersariis numero 416. *Afferunt fœminæ cyclades, & crepidas.* Hæc autem calceorum genera nuncupat Sacra Scriptura *sandalia.* Cantic. cap. 7. *In calceamentis.* Hebræus, & Chaldæus: *In sandaliis.* Et Isaiæ cap. 20. *Calceamenta tua tolle.* LXX. legunt: *Sandalia, id est caligas vocant.* ait Sanctus Hieronymus. Act. cap. 12. vers. 8. *Calcea te caligas tuas.* Græcè est: *Subliga sandalia tua.* Itaque communes calcei appellantur sandaliæ, & caligæ, nec solum crepidam includunt, aut calceum fenestratum, & lunatum, ad maiorem elegantiam, & decorem, sed talos contegebant medio crure tenus. Hispane dicuntur: *Botines, Borzequies.* quos rectè socculos vocabis, & cothurnos. De his Sanctus Isidorus libro 19. ætymologia. capite 34. de cothurnis: *Est calceamentum in modum crepidarum, quo Heroes vtebantur.* Hi autem sicut sandalia erant in fœminis calceamenta elegantissima, & pulcherrima, præ scitim

Varia calceamentorũ genera. Tertull. Pamel. D. Epiph. *Calceamentorum ligula.* Iul. Petr. *Fœminarum crepidæ. Sandalia.* Cant. Lect. Hebr. Chald. *Sandalia caligæ vocãtur.* D. Hieron. Lect. Græc. D. Isidor. *Calceamenta in modum crepidarum vtebantur Heroes.*

præsertim in principalioribus, & Heroinis, elaborata auro, & lapillorum pretiosorum decore ornata. Vnde Clemens Alexandrinus lib. 2. pedagogi cap. 11. ait: *In calceamentis quoque superbæ arrogantesque fœminæ magnam ostendunt mollitiem. Verè ergo turpia sunt illa sandalia, in quibus sunt aurea veluti donaria.* Quæ autem sint aurea donaria, & decora explanat Plinius taxans luxum fœminarum lib. 9. capit. 35. *Margaritas pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt.* Et libr. 37. caput 2. de Caio Principe: *Qui super omnia muliebria socculos induebat è margaritis.* Ex quibus apparet sensus verborum, quod auferet Dominus ornamenta calceamentorum, hoc est vniones, ligulas, segmenta aurea, vittas, & tænias purpureas, laqueolos, & ansulas aureas, versicolores, & splendentes.

Clem. Alex. *In sandaliis erant aurea donaria.* Plin. *Margarita socculis innexa.*

9. *Et lunulas.* Aliqui existimant esse lunatos calceos quales eorum erant, qui dignitate cæteris præstarent, vt principum, & patriciorum, in quibus formata erat lunulæ similitudo, de quibus Plutarchus quæst. 76. & 101. ex Romanis: Rosinus lib. 5. cap. 36. in idem recidit Sanctus Thomas in commentario, asserens, *Esse lunulas quasdam picturas factas in calceamentis de corio deaurato.* Verisimilior est Sancti Hieronymi sententia, asserentis esse ornamentum quoddam aureum lunam referens. *Habent mulieres in Lunæ similitudinem bullulas dependentes.* Verbum Græcum μηνίσκοι propriè significat monilia, & ornamenta in collo foliata. Denotat etiam splendores, species lunatas, species Lunæ nondum completæ. Turcarum, & Maurorum fœminæ habent de fronte, aut auribus suspensas bullas aureas, & argenteas in similitudinem dimidiatæ aut corniculatæ Lunæ. De gemmis translatis in triumpho Pompei recenset Plinius libr. 37. caput 2. *Lunam auream pondo* 30. Forsan in memoriam cuiusdam numinis ornabantur lunulis. Nam gentes, (vt auctor est Tertullianus in Apologetico,) Deum Lunam seu lunum venerabantur: *Discite, (inquit,) vtrum mimos, an Deos vestros in iocis rideatis. Mechum Anubim, & masculum Lunam.* Nisi mauis Ierosolymitanas fœminas lapide selenite, seu Lunæ gemma exornari. De qua Plinius libro 37. capite 10. *Selenites ex candido translucet melleo fulgore imaginem Lunæ continens, redditque eam in dies singulos crescentis, minuentisque numero.* In re dubia, hæc omnia intulimus, vt libera relinquatur lectori electio veritatis.

Lunula. *Lunatis calceis vtebantur Patricij.* Plutarch. Rosin. D. Thom. D. Hieron. *Bulla in similitudinem Lunæ è collo fœminarum pendentes.* Plin. *Luna aurea translata in triumpho.* Tertul. *Masculum Lunam gentes venerabantur.* Plin. *Gemma selenites imaginem Lunæ crescentis, & minuentis refert.*

10 Iuxta sensum arcanum, & mysticum abstulit Deus à synagoga Regnum, Gentium dominationem, & opulentiam, cœlestem conuersationem, diuinam protectionem, animi constantiam. Hæc omnia denotant calceamenta Euangelicæ enuntiationis præclarum munus, iuxta decretum Sanctorum Patrum capite 16. Ezechielis exponentium: *Calceaui te ianthino.* Tempore verò captiuitatis nudipedam, & discalceatam reliquit in signum luctus, captiuitatis, & seruituris. Abstulit quoque lunulas, iuxta sanctum Hieronymum, gratiarum influentiam, & illuminationem à solis æterni splendoribus prouenientem. Quæ omnia decora ad Ecclesiam Christi, & Deiparam translata sunt, vt fiet perspicuum in sequentibus discursibus.

Gratiarum dona à Iudæis ablata, ornamenta præferebant.



Ornamentum calceamentorum.

Pulchri Christianæ Ecclesiæ pedes calceati in præparatione Euangelij pacis.

DISCVRSVS I.

Alienæ salutis anhelus amor, animarum zelus, & conuersio, Euangelicæ per quasque mundi plagas excursiones, sanctioris sunt instituti fastigium, & Apostolicæ disciplinæ symbolum præclarum.

1. FELICES qui omni mentis, & corporis nisu anhelant immutationem animorum vt sceleris, & perfidiæ nexu disiunctos reconcilient Deo, & noua germina filiorum Christo, & Ecclesiæ suæ parturiant; hi magni viri sunt, qui sanctitatis Apostolicæ sacris, & gloriosis stemmatibus coronantur, qui zeli Deifici flamma correpti charitate flagrant, propria exurunt crimina, & alienas improbitates ignito eloquio dissoluunt. Hoc igne flammigerante succensus, & sermonum busto cœlestium vaporatus Propheticus Psaltes, Euangelicis ministris, & nuntiis patrocinaturus fatur Psal. 118. vers. 139. *Tabescere me fecit zelus meus.* Apprime consentiens est nostro themati lectio, quàm sectantur Ambrosius, Augustinus: *Exquisiuit me zelus domus tuæ.* In vestibulo expositionis sententiæ huius præclaræ, tergiuersanti tibi, & sciscitanti, quis iste sit zelus? Statim occurret Sanctus Ambrosius, manuducet ad adyta mysteriorum, & diffundet verborum Ambrosios latices, quibus ditescas, & deliciis affluas: *Zelus ergo, (inquit,) charitas: Denique valida est sicut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Durus zelus, quem vitæ huius nulla vincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, vt viuamus Deo. Angeli quoque sine zelo nihil sunt, & substantiæ suæ amittant prærogatiuam, nisi eam zeli ardore sustentent.* Zelus itaque Domini inuictas vires ingerit animo, qui pro animarum lucro, omnium labentium fortunarum amittit dispendium, qui nulla aduersitate succumbit, qui remoram, nec offendiculum iudicat Euangelici gressus, & cursus, omnium tolerantiam passionum; qui non expauescit dilaniantium molas ferarum, nec acinaces districtos, cruces, aut busta; cui stridentium catenarum tinnitus est dulcis cantus, & melos suaue, vt de faucibus Erebi diripiat imaginem Domini, & animarum prædam. Tam durus est zelus, & tantæ animositatis charitas in pectore possidentis, vt impauidus expectet mortis temporaneæ discrimina,

Psalm. Lect. Græc. D. Ambr. D. August. *Qualis quisque sit charitatis Zelus?* *Durus zelus peccatis inuictus. Durus zelus sicut inferi, cũ quo peccato moritur. Angeli sine zeli ardore nihil sunt.*

Magna felicitas à zelo charitatis aliquem exquiri, & inueniri.

vt vitam in altis operetur æternam. Et ritè Vates inquit: *Exquisiuit me zelus.* Minor foret à zelo Domini exquisitus, nisi ab ipso foret inuentus. Felix quem zelus inquirit, sed beatior quem apprehenderit. Non possidet zelus Dominicus delicatum militem, oscitantem, aut sterrentem operarium, quem commune hominum emolumentum, aut exitium non pungit; sed cor mœstificatum alienis criminibus, improborum præuaricatione tabescens, lancinatum ruinis populorum, quas hæresis, & perfidia inuexit. Hos zelus Domini exquirit, & inuenit. Quantam verò beatitatem indipiscantur istiusmodi animorum zelantissimi administratores, subiungit idem Ambrosius, cùm geminas auctoritates Psalmi 68. v. 10. Ioannis cap 2 v. 18. *Zelus domus tuæ comedit me.* Et Apocalyp. cap. 3. v. 16. *Quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo;* discutit, inter se comparat, & innectit. Vbi merces adstruitur feruidi zelatoris proximorum incolumitatis, quod mandatur, & deuoretur à Domino; tepidi, & remissi, quod à Domino euomatur. Mediolanensis Pontificis, & Doctoris verba suscipe, tanquam ambrosias dapes de cœlesti sapientiæ conuiuio: *Hic est Dei zelus, hic est fidei vapor, deuotionis feruor, qui nos velut suauem cibum in Christo remolit, & format. Quanta Domini gratia; vt nos in suo ore constituat, & quasdam meritorum nostrorum epuletur dapes, ac si meremur, deuoret, si nostri cibi suauitatibus delectetur? Beatus quem sapientia deuorauerit, quem virtus hauserit, quem iustitia receperit.* Habes Deum sitibundum, famelicum, & auidissimum epulatorem, qui exsaturatur zelo salutis humanæ. Zelus hic nos parat Deo epulum suaue, quod pietas pinsit, amoris flamma decoquit, & & variis virtutum pigmentis conditum offert pransuro Deo. Felix qui intrat in os altissimi, ex quo sapientia prodiit, & transfertur in pectus, quod verbum eructat, vt in ipsum gurges alloquij, & deliciarum exundet, & in Deitatem transformetur; nil enim nisi Deum sapit, & redolet, quem Deus comedit. Scio quod hominum cibus suauis est Christus, qui tanquam cœlestis panis in conuiuio sacro quotidie dispensandus apponitur; quod homo esset Dei cibus nesciebam, nisi cœlestium Sacramentorum sedulus perscrutator Dauid me instrueret. Comedimus Deum, prandet nos Deus, & suauissimo epulatur conuiuio, cordium, quæ cœli calore viuifico, & charitatis flamma temperauit Pneuma supernum, in quibus nil asperum, nil mordax, nil acerbum criminis superfit; sed mellita quædam dulcedo pietatis, & compassionis blandimentum alienæ calamitatis. His condimentis apparatur Deo ferculum volupe; vt symposion amoris, & panis Deifici, hoc conuiuio homo recompenset. Comedit Dei zelus hominem, vt magnum reddat animarum zelatorem: Vnde ad ea verba Zachariæ cap. 8. *Zelans zelabo Hierusalem zelo magno.* subiungit Ambrosius: *Quia Deus Magnus, ideò & zelus eius magnus est, & pro vniuscuiusque potentia qualitate, ita & zelus aut mediocris, aut magnus est.* Ideò secundum zeli mensuram aut perfectio maior in animo, aut vberior participatio cœlestium donorum resplendet. Felicior qui magni Dei magnitudinis zeli, magnificentior æmulator est. Æmulatio autem nobilior non verbis tantum, sed bonorum operum fructibus comprobatur.

D. Ambr.
Psalm.
Apocal.

Feruens zelator à Domino comeditur, & deuoratur; tepidus euomitur.

Dei, & fidei zelus hominē tanquam cibum suauem Christo format.

Zelus cibus Christo suauis.

Amor Deum fecit hominū cibum, zelus reddit hominem alimentum Dei.

Zachar.
D. Ambr.

Magni Dei zelus magnus.

Zelus iuxta suam qualitatem, hominem perfectiorem constituit.

2. Comparans præclarè Rupertus eremiticam, & solitariam disciplinam cum Euangelica annuntiatione, vt hanc illi præferat, producit in medium locum Matthæi cap. 5. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio.* Et huius sublimitatis fastigium in Præcursore Domini ostendit lib. 4. de gloria, & honore filij hominis in Matth. dicens: *Ioannes lucerna ardens, & lucens in deserto latere voluit, & illic à teneris annis vsque ad annum ferme tricesimum hominibus incognitus vitam suam detriuit. Nonne interim lucerna quasi sub modio latuit? Sed profectò lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non idcirco illum sic illuminauerat, vt illic soli sibi aut viueret, soli sibi sub modio vitæ eremiticæ lucem bonæ conscientiæ taciturnus insumeret.* Amauit Ioannes deserta à teneris annis, inuestigare antra saxorum, & lustra ferarum, vt sequestratus à mundo, & strepitu conuersationis humanæ, Deo, & sibi soli viueret, superni numinis pastus epulis, affluens Angelorum deliciis. In hoc tamen theatro, & arenâ certaminis per silentij rigidum tenorem, vastæ solitudinis, & eremi squalorem, vestimentum horridum, longáque ieiunia, ad animarum lucra instituebatur, vt exorto iustitiæ sole, & adhuc latitante, ad prædefinitam statuto tempore hominum illuminationem, velut ante lucanum sidus præiret, verbo suo, & exemplo vitæ peccatorum tenebras fugaret; Et cœlestis præco clamoribus suis ad pœnitentiam, & regnum cœlorum vocantibus, Christi præconio præluderet. Ideò subiungit argutè Rupertus: *Vbi patri eius cœlestis nuntius natiuitatem eius euangelizauit, nomen quoque, & vitæ seriem gerendæ ordine deprompsit, nihil tale denuntiauit, sed hoc quod erat in proposito Dei, venerabiliter pronuntiauit. Ipse (inquiens,) præibit ante illum in spiritu, & virtute Heliæ, parare Domino plebem perfectam, id est cum zelo iustitiæ redarguendo, & corripiendo peccatores. Prædicare pœnitentiam; illud deserti latibulum sponte subiit, istud publicæ prædicationis officium obedienter suscepit.* Cœleste promissum tergiuersanti Zachariæ cœlitus datum liquido proponit supernus nuntius, & solerti prudentia distinguit; De cuius alloquio dilucidius hauries Abbatis Tuitiensis acroama perpulchrum. Sic enim apud Lucam in Euangelij exordio intonat cit. v. 15. & deinceps: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum conuertet ad Dominum Deum ipsorum.* Euangelizatur ab Angelo Ioannis præconium, non annuntiatur desertum; prædicitur conuersio animorum, non cōmoratio in saltubus, inter silentes siluarū vmbras, aut speléa montium; illud gloriosum stemma prædicatorium Ioannis Gabriel protulit, squalentis habitus horridum specimen siluit; ad hoc enim Spiritu Sancto replebatur, vt gratiam labiis, & eloquiis diffunderet, & concurrentes Israëlitarum turbas ad Dominum conuerteret. De eremicolæ vita, de latibulo deserti: *Nihil tale denuntiauit.* Ea quoque quæ Angelus subiungit vers. 17. plena sunt prudentia cœlesti: *Ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Heliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Do*mino

D. Matth.
Rupert.

Ioānes in vita eremitica instructus, lucerna erat sub modio latens.

Sol Iesus lucernam Ioānis illuminauerat, vt nō sibi soli in eremo viueret.

Cū ore Angelico Ioānes annuntiatur nasciturus Parenti, nil de vita eremitica refertur.

Redarguturū peccatores prædicitur, & pœnitētiā prædicaturū.

Deserti latibulū Ioannes sponte subiit, prædicationis munus obedienter suscepit.

Ruper.

Animarum conuersio, operata per Ioannem, ab Angelo annuntiatur.

Venit Ioānes in virtute Eliæ vt conuertat corda Iudæorum.

mino plebem perfectam. Erat enim Elias notissimus, & omnium ore celebratus per secessus amorem, & solitarij rusculi habitaculum, per melotem, zonam pelliceam, coruorum pastum, instituta taciturnitatis, sacci horridis setis compacti, squalorem, à mundano, & forensi tumultu sequestrationem mirabilem; tenuit hæc omnia Præcursor, cùm præbuit artubus sacris hirsutum tegumen camelus, & bidentes strophium suggerunt, latibulum antra, & lapides stragulum; in his tamen solitariæ vitæ insignibus tantùm non venit Ioannes in spiritu, & virtute Eliæ, sed in eo quod conuertat corda patrum in filios Dei, & incredulos reddat credentes; quod solius Elianæ solitudinis, & eremicolæ vitæ est, Angelus silentio supprimit; quod zeli est, & conuersionis infidelium, solitariæ vitæ prætulit, & eximiis celebrauit præconiis: *Illud deserti latibulum*, (inquit Rupertus,) *sponte subiit, illud publicæ prædicationis officium, obedienter suscepit.* Quod maceratur solitudinis incommodis spontaneæ electionis est, quod sacro præconio annuntiat Saluatorem, improborum coarguit scelera, & virtutum germina humanis pectoribus inserit, publici muneris est, quod ei Deus iniunxit; plus promeruit Dominico præcepto morem gerens, quàm in latibulo eremi vltroneus se abscondens; ipse se dedicat vastæ solitudinis spelæo, & contubernio bestiarum; ad proximorum salutem ministerium sublimius, à Domino segregatur.

Ioannis zelū animarū, solitaria vitæ prætulit Angelus.

Rupert.

Ioannes ad proximorum salutem, munus sublimius, à Domino segregatur.

3. Recenset cœlestium Sacramentorum symmista, & Dominici amoris sedulus perscrutator, & interpres Ioannes Theologus IESVM rediuiuum, humanæ mortis, & improbitatis triumphatorem stetisse in littore ponti Tiberiadis, & calcatis vorticibus, & procellis passionum tranquillitatis æternæ appulisse portum; prospectabat pastor gregem in mari laborantem, & piissimus pater puerulos suos cassides ad piscium piscaturam protendisse, ad cuius imperium retia piscibus ingrauescētia, solito celeusmate resonante, præcinente Petro, ad ripas pertrahunt. Ioannis cap. 21. v. 9. & 10. *Vt ergo descenderunt in terram viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus: afferte de piscibus quos prendidistis nunc.* Reficiendus, & refocillandus cum Discipulis suis Creator, & Dominus, prius apparat opiparum conuiuium mysticis dapibus refertum, vt operarios fideles in hoc sæculi salo in captura rationalium piscium fluctuantes, post sudores, & vitæ discrimina, æterna satietate reficiat. Paternum tamen affectum erga hominem, quem redemit, in ferculo quod exhibet, in mercede quam exigit, perspicue demonstrat. Pro igne, pro pane, pro assato super prunas pisce, capturam piscium, conuersionem Gentium expostulat. Pulchrè sanctus Thomas in cap. 21. Ioannis lect. 2. inquit: *Christus ista tria præparat, scilicet prunas charitatis. Piscem suppositis prunis, qui est Christus. Nam piscis assus est Christus passus; qui super prunas ponitur, quando ex incendio charitatis ad nos immolatur in Cruce. Item præparat panes, quibus reficitur, qui est ipse. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Quam verò compensationem pro exhibitis muneribus exigat, in iis verbis inclusam: *Afferte de piscibus quos prandidistis nunc.* Angelicus Doctor aperit cùm subiungit: *Præcipit autem vt afferant de piscibus ab eis captis. Quasi diceret: ego dedi donum charitatis assari corpus in Cruce, & proposui vobis panem doctrinæ, ex quo perficitur, & roboratur Ecclesia: vestrum est, vt alios capiatis, & isti sunt qui conuertuntur ad prædicationem Apostolorum*, Psalm. *Afferte Domino filij Dei.* Isaiæ vltim. *Adducetis omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino.* Adstringitur vndique, & opprimitur beneficiorum mole homo, quæ de Domini beneficentia, & largitate profluunt; minus est quod creauit, maximum, quod redemit, & tanquam piscis passionis tempestate demersus, spinis tristitiæ, & mœroris compunctus, ignitis prunis charitatis in Cruce torridus, oblatus Deo Patri, maleolentis flagitij fœtorem aboleuit, suauissimo nidore virtutum compleuit orbem: dereliquit in sacro epulo perenne monumentum passionis, & amoris eximij, cùm quotidie litatur, pro mundi redemptione, & ingruentis flagitij maculas abstergit. Quas grates rependam ô Domine IESV, quot remunerationes, & retributiones exoluam pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Hoc à te Deus exigit ô homo, pro munerum vsura, animarum lucra, capturam piscium, vt diuersarum reptilia nationum, inter vitiorum cœnosos gurgites natitantia in huius sæculi mari profundo cassiculis admonitionum cœlestium irretita, lineis, & aculeis spiritalis præconij intercepta extrahas ad litus, & sinus diuinæ benignitatis, & detritis squamis criminum, epulum reddantur gratissimum Deo. Pro prunis ignis ardentem zelum, inflammatum alloquium; pro viuo pane, cœlestis doctrinæ esculentum; pro assato pisce in ara Crucis torrido, concursus Gentium perambulantium inter fluctus errorum sine rege, sine duce, ablutos, & intinctos lustrabilibus aquis pietatis, & gratiæ: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.*

Discipulis in mari piscantibus apparat Iesus conuiuium in littore. D. Ioan.

D. Thom. Piscis assus Christus passus, ex incēdio charitatis in Cruce immolatus. Iesus præparat piscatoribus panem vitæ.

Iesus pro amore, pro passione, & morte, & Eucharistiæ dono, animarum conuersionem, compensationem gratissimam exigit.

4. De hoc zelo vaticinatus est Isaias cap. 26. v. 15. *Videant, & confundantur zelantes populi.* Confusi sunt Iudæorum populi, & sospitate nationum contabuerunt, cùm cernunt eas ad hæreditatem filiorum translatas: at LXX. Seniores aliter verba dispungunt: *Zelus apprehendet populum ineruditum.* Et diuersum theorema admittunt iuxta sancti Ambrosij placitum in Psal. 118. ser. 18. scribentis: *Zelo fidei populus Gentilium vitam sibi acquisiuit æternam, quam negligentia atque desidia Iudæorum populus amisit. Ideoque scriptum est: Zelus apprehendet populum ineruditum. Quoniam populus qui erat eruditus in lege nullum fidei habebat ardorem. Contulit se zelus ad Gentes: cuius tanta est gratia, vt electionis prærogatiuam vicerit, & eruditionis industriam superarit. Denique apprehendens populum ineruditum, fecit esse meliorem. Itaque ea gratia operata est in populo nationum, vt hereditatem Domini mereretur, quam operatus est Dominus, vt Ecclesiam sibi ex nationibus copularet.* Zelus Domini in populum Iudaicum sese insinuare cupiebat, vt fidei ardore ferueret; sed infirmitatis languore deficiens, & exitiali tepore remissus obliuiosus factus est incolumitatis alienæ. Deriuauit Dominus gratiarum fluenta, quæ nullo perfidiæ ostio remorari possunt, aut stagnari, quin vasa vacua perrequirant, in quæ influant, ex quibus superesfluant, vt gentium arua fœcundent nouæ prolis Christianæ segetibus. Venit IESVS

Isai.

LXX.

D. Ambr. *Populus gentium zelo fidei, vitam acquisiuit æternam. Populus eruditus in lege nullum fidei ardorem habuit. Populus gentium ineruditus, zelo apprehensus fit melior populo Iudaico.*

Digitized by Google

IESVS, vt populum eruditum in lege, hoc igne amoris ſuccenderet, vt inter arundineta, & manipulos Gentium diſcurrens, paleas exureret, fidei aurum examinaret, & probatiſſimum redderetur Chriſto; apprehendit hæc zeli flamma diſcipulorum corda, reliquum vulgus nationis prauæ terrenis lucris, & cupiditatibus induratæ non emolliit, nec vaporatus eſt calore vitæ, ſed velut viride lignum noxio humore incredulitatis humectatum obſtitit Dominico incendio ſemper fumigans doloſæ argumentationis frigidas nebulas, contumacia congelatum vitalem calorem repulit. Corripuit ignis diuinus populum inſipientem, & reddidit eruditum, & viuidos cœleſtis ſapientiæ igniculos pectore ſuo clauſit, & pio affectu refouit. Hoc zelo adoptatus eſt in filium, qui erat à paterna domo alienus, & excluſo ſeniori filio cœleſtis ſapientiæ œconomo, & cuſtode introductus eſt illiteratus, & inſipiens in æternæ hæreditatis conſortium. Hoc zelo Domini abiectus populus, & inuiſus primogenito antefertur, factus eſt Deo placabilis, & regni inſignia ſuſcepit.

Deipara annuntiationë Euangelij, cötemplationi prætulit.
D. Rupert.

5. Valdè mirandum atque proficuum eſt, quod refert Rupertus de Deipara, annunciationem Euangelij contemplationi cœleſtium anteruliſſe. Perſcrutatur verba Cantici cap. 5. verſ. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulſantis, aperi mihi ſoror mea*, &c. placidiſſimum ſomnum nuncupat continuum orandi ſtudium, & requietem animi diu noctúque cœleſtium contemplatione ſuſpenſi, liquidis gaudiis Deitatis perfuſi. Sic enim ait lib. 5. in Cantica: *Multæ animæ taliter dormierunt, ſed tu dormitationis huius totum obtines magiſterium, & Vigiliarum cordis totum tenes principatum.* Et ſtatim: *O tu cælum Dei, vnica ſedes Domini, in vtroque vigilantiæ modo, cunctis mortalibus, ſiue terrenis hominibus longè eminentior extitiſti, longè ſtudioſior ad contemplandum eum, in quem deſiderant Angelici proſpicere, atque aptior fuiſti.* Poſtea verò à Beata Virgine percontatur pientiſſimus Abbas totus in Mariano amore medullitus langueſcens, & in illius præconiis exultans: *Cur non potius tanquam turtur caſtiſſima, turtur ſolinaga, ſolitudinem petiſti remotior quàm Ioannes Baptiſta, ſecretior, quàm Elias, vt ſoli te ſcirent, tibique famularentur Angeli ſancti?* Ait enim, hoc in votis habuiſſe Deiparam, vt penitus abſcondita, & recluſa ab omni hominum conſortio ſegregata, optimam partem eligeret, Dominica Sacramenta ruminans deliciis perfrueretur æternis; ab ſponſo tamen, & dilecto filio illicò excitatam, excellentiorem viam amoris demonſtrante: *Aperi mihi, ſoror mea*, Vt cum contemplatione mirifica diuinorum coniungeret ſalutem animarum, & os ſuum aperiens hominibus annuntiaret cœleſtia. *Aperi mihi ſcilicet os tuum*, (ſubiungit Tuitienſis Abbas,) *loquere, prout ad confirmandum pertinet Euangelium. Et in hoc optata tibi quietis patere ſuſpendium, vt gratum ſingulari pudicitia tua propter me rumpas ſilentium.* Auebat pudiciſſima columba ſolitarium ruſculum, in quo incognita ſæculo, Angelis notiſſima gemebunda latitaret; in quo ſilens, ab omni feriata tumultu Deo ſibique ſolitaria viueret; ſed filius, & amator incolumitatis humanæ, ei dulce onus iniungit, vt profundæ, & caſtæ taciturnitatis clauſtra rumpat, & ſacra myſteria à ſæculis abſcondita in pectore ſuo clauſa, quæ ſæpius in corde ſuo contulerat, mortalibus diuulget, Eccleſiam recens natam inſtituat, in Euangelica veritate confirmet. Gratum ſpectaculum cernere Deiparam ſuper ſponſo delicientem inter Dei brachia recumbentem, ſatellitio Angelorum Dominicam gloriam occinentium cinctam, velut extra ſe raptam, Deificæ menſæ paſtam dapibus, ſtillicidio lacrymarum ſuauiſſime perfuſam, pluſquam Seraphico amore exæſtuantem, anhelantem, in Deum transformatam, redolentem ſuffitum gratiarum, & ſuauiſſimum precationum thymiama de thuribulo cordis pro ſalute mortalium continuo adolentem; ſed longe gratius, & iucundius oculis, & auribus auſcultare ſermocinantem, nouellum gregem Diſcipulorum inſtruentem, & aperto diuino ore, & labiis, in quibus omnis gratia diffuſa, verborum gemmæ, & diuini alloquij fluenta omni ſapientia refertiſſima, in corda Diſcipulorum deriuata diffluerent; non commentationem diuinorum ſterilem, & infœcundam; ſed Euangelicis annuntiationibus ornatam, arcanorum propalationibus ſapientiæ magiſterio decoratam in MARIA ſponſus auet. Contemplatur continuò diuina, ſed contemplatio fit actiuoſa operatorio ſermone mirabilis, & conſpicua; vt cùm Eccleſiæ primarios myſtagogos, & diuini Verbi præcones imbuit, lycei cæleſtis ſapientiæ gymnaſiarcha in Euangelicis curſoribus docendo præcurrat, & in Euangelizantibus, Dei præconium per totum orbem annuntiet. Itaque animarum zelus, & myſteriorum annuntiatio Marianæ contemplationis, & perfectionis complementum eſt.

Sublimioris cötemplationis magiſterium, & principatū Maria tenuit.

Rupert.

Cur Maria inſtar Eliæ, aut Ioannis nō elegit ſolitariam vitam?

Rupert.
Ad annuntiationē myſteriorum Chriſti ab ſponſo Maria ex quiete ſibi optata, auocatur.

Maria celſi lycei, Gymnaſiarcha, in Euangelicis curſoribus, Dei præconium per totum orbem annuntiat.

6. In trutina mentis argutiſſimæ librat Rupertus verba illa Ioannis Baptiſtæ ab altero Ioanne Euangeliſta recenſita cap. 1. verſ. 27. *Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Eaque diuerſa lectione refert ſanctus Matthæus cap. 3. verſ. 11. *Cuius non ſum dignus calceamenta portare.* Si in ſenſu myſtico ſententiam præcurſoris præponderes, numquid Ioannes indignus Dominicæ Incarnationis arcanum mortalibus propalare, qui ordinatus eſt à Deo huius Sacramenti pietatis primarius ſymmyſtes? Sciebat enim calceos de corio mortuorum animantium conſui, & quando Verbum ex muliere caro factum, diuinitas velut calceata apparuit in huius ſæculi diuerſorio, cùm morticina noſtræ corruptionis aſſumpſit. *Cur ergo*, inquit Tuitienſis Abbas libr. 1. in Ioannem, *ſilet de hoc vox clamantis in deſerto? Cur non hoc Euangelizas, & vocem exaltas? Videlicet quia tempus nondum eſt. Tempus enim loquendi, & tempus tacendi. Tempus hoc loquendi tunc erit, cùm filius hominis à mortuis reſurrexerit. Non ergo ab re gemit affectus amantis, & magno deſiderio clamantis, ſuæque imputat indignitati, quod tempus non habiturus ſit, vt currat, cùm ſpecioſis pedibus ſuper montes Euangelizantis, & prædicantis pacem.* Conſtitutus eſt ab ſponſo amicus Ioannes Angelus ſui aduentus, & natiuitatis prodromus, meruit indice ſacro ante conſpectum Iſraëlitarum prodere Saluatorem, corporeis obtutibus cernere, & contemplari Meſſiam à Prophetis annuntiatum, ab omnibus Gentibus deſideratum, & venerandum

Ioannes non ſe putat dignum Chriſti calceamenta portare, aut eorum corrigiam ſoluere.

Rupert.
Cur Ioannes non Euangelizauit Chriſti Incarnationem? Tempus tacendi myſteria, donec Chriſtus à mortuis reſurgeret.
Sua indignitati imputat Ioannes, non Euangelizare per orbem cum Apoſtolis.

dum caput Angelorum, & hominum in Iordane lustralibus tingere lymphis; onus tamen, & munus Euangelici præconij inter nationes non est iniunctum Ioanni, quia prædefinitum tempus illius superno consilio nondum aduenerat; vidit Dominum prædicantem, non tamen patientem, nec rediuiuum de tumulo, gloria & honore coronatum ouatione mirifica, & concentu Angelorum in dextram Patris assumptum; vidit Spiritum sanctum in specie columbæ super Iesu caput descendentem & manentem; Non tamen adstitit Apostolorum cœnaculo, & conclaui, vt indueretur virtute ex alto, igneæ linguæ doctoratus laurea; Apostolicæ dignitatis trabea non est caput Ioannis coronatum, nec Euangelicæ annuntiationis diffusæ per populos & nationes, insignia promeruit, Ideo os reserat vocalissimum opportuna taciturnitate; ideo gemens silet, altitudinem sapientiæ, & scientiæ Dei, & profunda iudicia commendans, & Euangelizandi decora Apostolicis apicibus defert. Ideo gemebundus humiliter, inuidia sancta correptus, inquit: *Cuius non sum dignus calceamenta portare.* Subiungit Rupertus: *Hoc etenim facientes Apostoli, calceamenta eius in Idumaam, & in omnes alienigenas extensa portauerunt, pro quibus & contumeliam pati, & mori digni sunt habiti. Ioannes autem in spiritu prauidet enarranda illius gloria tempori, se non esse seruandum, magnus quidem, & nullo minor Apostolorum, sed de seipso humiliter sentiens, & gratiam, qua in se est, comparatione illorum, qui illam Dei gloriam enarraturi sunt, paruam ducens,* &c. *Gemit ergo profitens quod calceamenta eius portare, vel corrigiam eius soluere indignus sit, id est mysterium Incarnationis Christi, gloriamque resurrectionis non mereatur cum beatis annuntiare Apostolis.* Innexus est Ioannes catenis pro obiurgatione incestæ libidinis, tuitione castitatis, pro vindicanda pudicitia pudicus, & Angelicus iuuenis occubuit. Sed pro fidei zelo, sponsi Iesu defensione, mysteriorum eius euangelizatione, videbatur illi contumelia præclarior, sustinentia gratiosior, mors ipsa iucundior. Magnum dignitatis fastigium, esse Domini præcursorem, hoc tamen decus humilitate sua paruum ducebat comparatione Apostolici præconij; illud existimabat eximium, non tantum ostendere Iesum digito, sed humero deportare per orbem, tanquam Euangelij iam consummati nuntium; non præcurrere Saluatorem, sed post currere, ad salutem gentium; non tantum velut antelucanum sidus erumpere, præuenire orientem solem, sed ipsum annuntiare morientem, de mortis tenebris emergentem, luminare magnum fidei, & solis æterni ad populum habitantem in tenebris, & regione vmbræ mortis inuehere, errorum propulsare caliginem, illuminare Gentes gratiæ splendoribus.

* * *

Rupert.
Apostoli in omnes gentes calceamenta Christi, mysterium incarnationis portauerunt.
Ioannes praeuidit enarranda illius gloria, non esse seruatum.
Ioannes licet non minor Apostolis, gratiam suã comparatione illorum, paruam ducit.

Ioannes pro honore castitatis, non pro fidei prædicanda zelo occubuit.



Ornamentum calceamentorum.

Pulchra Religiosa Ecclesia sandalia ad seueriorem disciplinam, & saculi abrenuntiationem.

DISCVRSVS II.

Piæ Discalceationis inuentum pro Iesu amore, extricationem à sæculi illecebris, cælestem vitam Angelicæ puritatis æmulam indicat.

1. DEPOSITIO calceamentorum indicium est pœnitentiæ, & austerioris vitæ, & diuinæ cuiusdam transmigrationis ad vitam meliorem. Vnde Moyses inaugurandus politico, & Religioso imperio Iudæorum, & insulis decorandus præceptoris Israeliticæ nationis, iubetur calceamenta exuere de pedibus. Exod.cap.3.v.5. *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Præuenit Dominus iusti viri animositatem, & audaciam appropinquandi rubo ardenti, & incombusto, vt pascat oculos raro spectaculo, & visionis tantæ scrutetur arcana ibi v.3. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* Hebraicè est: *Recedam, declinabo, & videbo.* Hic recessus fuga est sæculi, & prudens declinatio à consortio improborum, vt sequestratus à terrenorum labe, vitiorum illecebra, & scelerum irritamentis, viam paret visioni Dei Iacob, & contemplationi cælestium. Qui enim mundialibus oblectamentis implicatur, conuolare non valet ad Deitatis internoscendæ magisterium, quod in rubi ardentis cathedra prominebat; sordibus criminum, inquinamentis passionum, fœtidum vaporem exhalat mundus immundus qui animum obumbrat, & tenebrosa caligine infuscat, ne liquidum & purum iubar diuinitatis in mente effulgeat; ideo Moysis animum benemoratum, & cupidum nobilioris prænotionis superni numinis, aligerum reddit Deus spolio calceamenti, vt perfruatur iucundius diuino spectaculo. Sanctus Ambrosius hunc recessum, & declinationem opportunam, transitum nuncupans lib. de fuga sæculi cap.5.ita fatur: *Transi sicut Moyses, vt videas Deum Abraham, Isaac, & Iacob, & videas visum magnum, hoc est visum mysteriorum. Sed si videre vis, solue calceamenta pedum tuorum, solue omne vinculum iniquitatis, solue vincula sæculi, relinque calceamentum quod terrenum est.* Transitus hic velut quidam violentus impetus est animi, ad virtutis potiora anhelantis, ad brauium supernæ vocationis, in stadio asceticæ exercitationis currentis, vt palma victoriæ mereatur illius ornari dextra. Visio hæc stabilis, & secura quæ vestigium firmat spectatoris, nec collocat in lubrico illudentis aduersarij vestigio pedem, vt labatur, sed nobilius, & sublimius institutum vitæ demonstrat. Transitus hic species quædam est mortis; vt

Exod.
Moyses declinat & recedit à sæculo, vt rubum ardentem penitius contempletur.
Vers.heb.

Moyses calceamentorum spolio detracto, aliger redditur, ad prænotionem Deitatis sublimiorem.
D.Ambr.

Qui visum arcanorum cælestium optat, soluat necesse est iniquitatis vinculum terrenum.

viuat Deo, immoritur mundo, cùm morticinum corium terrenorum, quæ necem animæ solent inferre, abiicit, & mortalitate absolutus noxia, spiritalem mundialium assumit mortem valde præclaram, veræ vitæ matrem, virtutibus fœcundam. Pulchre Elias Cretensis in scholiis.

D. Nazi. Elias. Cret.

Orat. 1. Sancti Gregorij Nazianzeni num. 119. ait, loquens de nudipedalibus Apostolicis: *Per id autem quod eos nudis pedibus incedere iubebat, id scilicet ab eis exigebat, vt nullum mortalitatis symbolum anima sua vestigio hærere sinerent: Cuiusmodi quippe calceamentum est.* Hæc ille.

Nudis pedibus Apostoli iubentur incedere, vt nullum mortalitatis symbolum animæ suæ vestigio inhærere sinant.

2. Exuit calceos de pedibus Iosue imperator, cælestis militiæ Ducis imperio, vt Iericho expugnaret. Iosuæ cap. 5. vers. 16. *Cecidit Iosue pronus in terram, & adorans ait: quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? solue, inquit, calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas sanctus est. Fecitque Iosue, vt sibi fuerat imperatum.* Iuxta translationem Hebraicam legitur: *& tolle calceamentum de pede tuo, locus enim in quo stas, sanctuarium est.* Iuxta quam argutias suas ostendunt Doctissimi Hebræi Isaac Aramæus, & R. Bahaiaus, & commentum quoddam eliciunt magis argutum, quàm solidum, licet non contemnendum, quod referunt Masius in Iosue cap. 5. & Lorinus noster in Act. cap. 7. v. 33. istius verba sunt: *Moysi dictum, vt solueret de pedibus in plurali; Iosue autem in singulari de pede. Quia illi duplex cura incumbebat, & imperatoris, & patris familias, siue nutritij; Huic sola cura rerum bellicarum; quod item, quoniam Moyses vberiore diuinarum rerum intelligentia, præ Iosue informandus erat.* Quæ quidem detornatæ sententiæ viderentur ad commendationem præclaram Venerabilis vniuscuiusque institutoris Religiosæ discalceationis, qui electus est à Domino, vt Religionis primitiuam formam & speciem in se ipso, & commilitonibus suis ostendat; iubetur calceamenta de pedibus soluere, quia ei duplex cura incumbit, & imperatoris, & patris sacræ familiæ Discalceatorum, vt austeriori disciplina, & humilitate vrbem Iericho orbis huius expugnet, (Iericho enim interpretatur luna) qui variabili rore deliciarum, & humore passionum, incrementa potiora exambit, in quibus stare non potest, sed crescit ad diminutionem; mores quoque disciplinæ declinantis conuertat attritus ærumnis, contubernalium insectationibus & pressuris, eos ad se auocet, vt imitatores sui fierent, qui deflexerant. Hi vberiori rerum diuinarum intelligentia informati cælestes symmystæ ingressi sunt vsque ad interiora velaminis, & sublimioris contemplationis, & mysticæ Theologiæ scrutati arcana. Nec miror solutionis calceamentorum accepisse mandatum, qui ad speculationis mystici eloquij fastigium fuerant euehendi. Nam vt ait Sanctus Gregor. Nazianzenus orat. 42. *Qui terram sanctam ac diuinis vestigiis impressam contacturus est, calceamenta soluat, quemadmodum Moyses ille in monte, vt nihil mortuum ferat, nec inter Deum atque homines intermedium.* Hæc enim optima paratura mundanæ abrenuntiationis, sublimem architectabitur ascensum montis perfectionis, & mentis in Deum. Quæ autem terra sancta sit erudite proponit Nicetas Nazianzeni scholiastes ad num. 42. *Locus in quo stas terra sancta est quæ verba hoc nobis significant, eum qui animum ad contemplationem adiicias (hæc enim terra sancta est, in qua Deus per imaginem apparet) mundanas curas, vt mortuas, & infrugiferas, atque aditum ad Deum intersepientes, abiicere debere.* Quæ terra sanctior quàm contemplatio diuinorum? Merito Angelus iuxta Hebraicam lectionem imperatoris Iosue votis respondens, fatur: *Locus in quo stas sanctuarium est.* In hoc sanctuarium Domini, vbi omnia sunt sancta, propellens omne inquinamẽtum flagitij, Moyses, & Iesus Naue introducendi; Moyses vero legislator, ductor, parens, & nutritius vberiori flamine diuinitatis corripiendus, prænotionum diuinarum comprehensurus fastigium, seuerioris institutionis accipit documenta, vt exuat mortali inuolucro vtrumque pedem; ille præliarium copiarium addictus est tumultui, hic ductator in montem Sinai, vt circumfusus nebula, & caligine in abscondita, & latibula diuinitatis ingrediatur, ideo omne sensuale, & corporis mundanam illecebram deponit, vt se totum à terrenis separans, adhæreat Deo, vt viuat in terra sancta, terræ sit accola, & habitator cæli. Aliam quoque protheoriam valde opportunam parturit ingenium Eliæ Cretensis orationem primam Nazianzeni commentaturi, & solutionem calceamentorum Iosue perpendentis his verbis: *Illud vero: solue calceamentum, idem est ac si dixisset, pedem aduersus hostes moue. Vel etiam quia calceamenta ad serpentum, & ferarum morsus cauendos inducimus, eum porro; qui Deum opitulatorem habet, neminem metuere oportet, merito proinde hic velut supernum auxilium consecutus, ab Angelo monebatur, vt seipsum omni humano auxilio denudaret.* Mens enim exercitata in cælestis sapientiæ sanctuario, non solum sæcularium delectationum illecebris se debet exuere, & restringere passionum impetus, reuocare corpus à noxiis oblectamentis, sed stabilem fiduciam in nulla mortali re figere, propellere à mente omnem formidinem hominum aduersantium; qui enim austeritate seipsum coërcet, mundum oppugnat, nouam fabricam Euangelicæ turris construit, ne reformidet cohortem Gigantium linguis deblaterantium, subdolis machinamentis impugnantium nouam, & pulchram perfectionis machinam.

3. Sed ad vniuersaliora redeamus, & Salomonis sententiam serio inuestigemus cap. 8. vers. 8. de Dei sapientia prædicantis: *Signa, & monstra scit antequam fiant.* Quæ autem sint isthæc signa, & monstra, quæ Deus præcognoscit, perpendit solerter Hugo Cardinalis, & suæ sapientiæ, & sermonis argutias ostendit, hæc ex Sancto Bernardo recitans: *Vnde dicit Beatus Bernardus: sancti vita huius, non solum Angelicum, vel Apostolicum, sed & Propheticum spiritum sortiti sunt. Angelicum quidem quantum ad vita munditiam: quia in carne præter carnem viuere Angelicum est, non humanum. Apostolicum verò, quia omnia reliquerunt pro Christo. Propheticum autem, quia ipsa vita sua austeritas prophetat retributionem malorum, & bonorum. Isaiæ 20. sicut ambulauit seruus meus Isaias discalceatus, & nudus trium annorum, signum erit & portentum super Ægyptum, & super Æthiopiam.* Hæc purpurati principis commata Religionibus aptata, erunt iucunda, licet omni Congregationi

Iosue.

Lect. heb. *Iosue dicitur, quod soluat calceamentum de pede; Moysi vero de pedibus.*

R. Isaac. R. Baha. Masius. Lorin.

Moysi geminum munus iniunctum & imperatoris, & Patris familias; Iosue sola cura rerum bellicarum. Moyses vberiori intelligentia diuinarum præ Iosue informatus.

Religiosæ discalceationis inuentores, austerioris familiæ patres, & duces.

Iericho, mundi huius sæculum expugnant.

Qui sanctuarium mysteriorum adeunt, nil mortuum secum referant.

D. Greg. Nazianz.

Nicet.

Qui terram sanctam, in qua Deus per imaginem apparet, ingreditur, mundanas curas abiiciat.

Elias Cret.

Calceamentum soluere, est pedem aduersus hostem mouere. Calceamenta ad præcauendos serpentum, & ferarum morsus inducimus.

Qui Deum habet opitulatorem, debet neminem timere.

Sap.

Hug Card.

D. Bern.

Sancti in hac vita Angelicum, Apostolicum, & Propheticum spiritum sortiuntur.

Vita Angelica, in carne præter carnẽ viuere.

Vita Apostolica est omnia pro Christo relinquere.

Vita Religiosa, & bonorum retributionem, & malorum prophetat.

Religiosæ vitæ austeritas, & professio, aliam esse vitam supra mundanam, & cælestem prædicat.

gregationi sacræ discalceatorum sint consona. Illa exterioris cultus seueritas, austerioris, & cilicini habitus, & sacci forma, quæ contagium declinat intemperantiæ, & labem refugit corporalium delectationum, quæ ieiuniis, & duris stragulis profluuium exsiccat humanarum passionum, præconium quoddam est vocalissimum in ipsa taciturnitate vociferans, esse aliam vitam supra mundanam, & cælestem, quæ flagra hominibus discernat, aut præmia. Cùm enim cernis iuuenem, aut iuuenculam in ipso floridæ, & speciosæ iuuentæ vigore sæculum abiicientem, oblectamenta omnia mundi calcantem, concinnos decoros crines, aut aurei velleris capillitium tondentem, lenocinanti cultui, & mundo muliebri renuntiantem, pro aurea cyclada, sacco; pro thorace, hispidis cilicij setis; pro balteo pretiosis lapillis distincto, fune; pro crepida, & cothurno, sandaliis indutum: hæc omnia sunt signa alterius æui, beata vita perennantis; quis enim nisi spe mercedis æternæ respueret honesta huius vitæ oblectamenta, & dura sectaretur. Itaque habitus ille æterna & cælestia promissa portendit.

D. Dionys. Areop. *Angelorum discalceatio, nudique pedes, quid denotent.*

4. Disputat cælestis sapientiæ pharus sancti Pauli celebratissimus alumnus Sanctus Dionysius Areopagita de Angelorum insignibus sub figura membrorum corpulentæ nostræ substantiæ, & quid in vnoquoque lateat sacramenti, profunde rimatur lib. de cælesti Hierarchia cap. 15. & singillatim de discalceatione, & iis quæ in nudipedibus innascuntur alæ. Eius verba refero: *Calceorum priuatio* (Hugo, Albertus Magnus, Vercellensis legunt: *Discalceatum.*) *Id quod solutum ac liberum est, atque desertum, & purum ab omni externa commoditate, & quod ad diuina simplicitatis similitudinem, quantum potest contendit.* Et paulo ante prædixerat: *Itaque pennatos sanctorum Angelorum pedes Theologia finxit. Penna enim declarat & sursum ducere valentem celeritatem, & quod caleste est, & quod viam ad sublimia faciat, & quod ab omni rerum terrenarum studio, & cupiditate abhorret, propterea quod sursum feratur: pennarum autem leuitas, in quod nulla ex parte est terrenum, sed totum sine admixtione, & grauitate sursum effertur.* Hæc ex Dionysio mutuata iuxta versionem nostri Lanselij Grauelingani, in editione nouissima Areopagitæ; & quia diuiniora sunt ad celebrandam gloriam eorum, qui principes, & antesignani sunt discalceationis Religiosæ, & sacræ, nimirum Francisci Seraphici, eiusque sectatricis Claræ, & Seraphicæ Teresiæ; ad vtrorumque velocem contemplationis cursum, volucremque motum in cælum per excessus, & raptus cùm in aërem superiori manu exciti, se librant; opere pretium est illa serio perpendere; quo autem in loco primaria Theologia proponat alatos Angelorum pedes, existimat Vercellensis alludere Dionysium ad illud c. 6. Isaiæ: *Duabus alis velabant pedes eius. Vbi datur intelligi* (inquit) *quod Seraphim habebant alas senas in pedibus, quibus velabant pedes Domini.* Apud Ezechielem cap. 1. vers. 7. vbi Vulgatus habet: *pedes eorum pedes recti.* Legunt LXX. seniores in Bibliis correctis Sixti Quinti: *& pedes eorum pennati.* Quam lectionem Græcam respexisse videtur Dionysius.

Hugo. Alber. Vercel. *Puritatem desertam ab omni externa commoditate, quæ ad diuinæ simplicitatis similitudinem contendit. Cur pennati sanctorum Angelorum pedes. Pennæ denotat celeritatem ad sublimia, & sine admixtione terrenæ labis, ad calestia cursum. Principum Religiosæ discalceationis raptus, & volatus ad sublimia.*

Bercel.

Seraphim, & Cherubim alati pedes.

Itaque discalceatis Seraphinorum, & Cherubinorum pedibus innascuntur alæ, quibus sequestrentur à terrenorum contagio, & ad superiora diuinitatis contemplanda se subrigant. Quid autem denotet verbum illud: *Discalceatum* apud Dionysium argute exponit Hugo dicens: *Quod discalceati describuntur Angeli, significat, quod ab omni appositione seu coniunctione eorum quæ extra sunt, id est visibilium, demissi sunt, id est laxati, & absoluti, & puri.* Vercellensis addit denotare: *virtutem motiuam acute penetrantem & velocem, semper tendentem in diuina.* De pennis vero, quibus Angelici pedes ornantur placet audire Hugonem sic fantem: *Significare mobile, velox, & cursile motionis semper euntis in diuina. Significat anagogicam id est sursum ducentem velocitatem actionem, vel impulsionem, siue promotionem cælestis itineris, quod est versus sursum.* Albertus Magnus. *Pennaculum significat velocitatem eorum anagogicam, & contemplationis operationem versus sursum calestis itineris; quo scilicet in superiora tendunt.* Hæc Angelorum symbola doctis acroamatibus explanata, pulchra sunt schemata sanctioris, & strictioris vitæ in Ecclesiæ Hierarchia sectandæ, in quibus facilem viam demonstrant de terrenis ad cælestia migrandi; vt enim virtus animæ ad superiora se extendat, ad illius theoricæ vitæ veniat altitudinem, teneat apicem, continuo amoris anhelanti cursu, & cælestium affectuum quadriga suspensa, & euecta præparet sibi in atrio superno cælestes mansiones; necesse est vt labem refugiat corporalium sensuum, delectationes mundi reiiciat, expedita ab omni contagio terrenorum, sectetur pudicitiam, & parsimoniam, proiectis maleuolentiæ sordibus; tunc pedibus sic nudatis, mundatis ab omni inquinamento, alæ pullulant, quibus præpeti volatu ad diuina contemplanda sustollitur. His alis Elias à mundialibus illecebris expeditus curru igneo ad superiora transfertur; His Enoch, ne aliquo famine sceleris eius vita contaminaretur, in paradisum migrat. His alis Franciscus, his Teresia, similesque alij ab omni inquinamento terrenæ contagionis extricati viam cœli scandunt alacres, & volucres, & amoris agilitate, deuicta grauedine corporis, à terra suspensi in cælum diriguntur.

D. Dion. Hugo. *Angelorum discalceatio, ab omnibus terrenis est absolutio.* Bercel. Hugo.

Pennati pedes sunt veloces motus, & cursus, sursum tendentes ad diuina. Velocitas anagogica, & contemplationis operatio tendens ad calestia.

Sancti anagogica, contemplatione illustres, respuunt terrena, vt eleuentur ad superna.

Elias, & Enochi translatio.

Franciscus, & Teresia, similesque alij, à terra suspensi in calum diriguntur.

5. Huic instituto aptabis verba Euripidis à Clemente Alexandrino recensita, & approbata lib. 4. stromatum in hunc modum: *Aitque Euripides quidem, in meo inquit tergo sunt pennæ aureæ, & aptantur amabilia sirenum talaria, iboque in immensum sublatus æthera Iouem conuenturus. Ego autem* (subiungit Clemens) *Christi spiritum orauerim vt me in meam sustollat Hierusalem.* Talaria nuncupat aurea sandalia; est prouerbialis locutio, quasi fugam citissimam à mundialibus celeremque volatum in æthera adornare. Quare Homerus Mercurium auolaturum ad superos inque cæli curia Iouem conuenturum, talaribus exornat & pinnis.

Clem. Alex. *Euripides, pennis aureis, & sirenum talariis ornatus, scandit æthera.*

Mercurius euolaturus ad superos, & Iouem cõuenturus, pulchris sandaliis & pinnis adornatur. Homer.

Mox vbi iam pedibus talaria subdidit aurea
Pulchraque, & ambrosiam spirantia, quæ simul illum,
Aëra per liquidum, simul ampla per æquora vasta,
Telluris venti flatu dominante, ferebant.

Quem

Virgil.

Quem locum imitatus eſt Virgilius lib. 4. Æneidos:

Et primum inquit pedibus talaria nectit
Aurea, quæ ſublimem alis, ſiue æquora ſupra
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Rigida pœnitentia ſandalia, & à terrenis ſequeſtratio, volucrem reddunt animum ad cælitum curiã

Sandaliam vero, & talare non aureum, non argenteum, non ambroſiis vnguentis, aut ſuffitibus medicatum, & imbutum, non liciis aut floſculis acu pictis vernans, ſed ex canabis ſtorea, durique ligni ſocco conſutum, & contextum, auſteritate, & ſqualore inhorreſcens, maximum adiumentum præbet, vt valeat animus in ſuperas regiones ſcandere, pennaſque ſibi ſocias nanciſcitur, vt extricatus ab illecebroſis ſæculi oblectamentis fiat volucris, ſapphirinaſque domos, & cærula templa cælitum luſtret. Nec cum Euripide aureæ pennæ, talariaque perpulchra ſirenum optanda, quæ ad volaturiendum in tabernacula Domini nullo poſſunt eſſe ſubſidio, potius animam immergunt cœnoſo vitiorum gurgite, & blanda voluptatis adulatione, inter ſcopulos, & ſyrtes naufragantibus, certum parant exitium; ſed cum Clemente ambienda rigida pœnitentiæ ſandalia, à terrenis ſequeſtratio, aureæque pennæ & deargentatæ ſuperni Pneumatis, quæ Chriſti imitatorem ad ſuperiora ſuſtollant. Felix anima, quæ talaria aurea adornat, & alarum remigia volucremque curſum conficit ad ſuperam manſionem, vt ſupernum conueniat numen Ieſum, vt exoptatis ſponſi potiatur amplexibus.

Tereſia magnalia celebrantur.

6. Sed quia fœmina ſingularis noſtro æuo arduum cæli iter diſcalceata arripuit, diſcalceationem inuenit, & virorum cœtui ſectandam inuexit, eius nos cogit amor eximia vulgare præconia. Cui quidem aptanda ſunt encomia ſponſi Chriſti, & adoleſcentularum, quibus ſponſæ ſacræ epinicio carmine celebrant decorem, & gratiam. In quibus inſignia Religioſæ ſponſæ Tereſiæ ſunt adumbrata cap. 7. Cantic. potiſſimum prædicantur magnalia capitis, & pedum. De capite ſcribitur verſ. 5. *Caput tuum vt Carmelus.* Vbi Chaldæus paraphraſtes in prima veſtibuli arcani ſermonis fronte oſtentat perſpicue myſterium ſub inuolucro verborum deliteſcens: cùm legit: *Caput tuum vt Elias Propheta.* Sublime, & præclarum caput fœminæ ad quod tranſlata eſt Carmeli gloria, & aſceticæ exercitationis decus, Elioticæ diſciplinæ primitiuæ magiſterium; temporum iniuria, & humana infirmitate langueſcentium virtutum pratum rurſus refloruit, ſpecioſo nouæ, & vberioris gratiæ nitore vernauit. Tranſlatus eſt Elias communis fati poſt tot ſæcula detriumphator, & viuens, ſed ſpiritus ſui duplicis hæreditatem pretioſam ad caput fœminæ de paradiſo tranſmiſit, vt nouum Eden renidentem virgineis floribus, & theoricæ vitæ virgultis gemmantem cœleſtis ſponſi topiarium in Eccleſia plantaret. Viuit beata vita inter paradiſi nemora, & limpidiſſimos primæui fontis latices Elias, ſed gratiarum riuulos ad filiam pater de felici gurgite deriuauit, vt tranſlatus à ſæculo inter Angelorum choros commoratus, adhuc in æmulatoribus, & æmulatricibus ſuis viuat in hoc mundo, oſtendens in Tereſia pietatis ſuæ formam, & diſtrictioris diſciplinæ viuum ſimulacrum. Nec intactam relinquas nomenclaturam verbi *Carmelus.* Eam expendit mirifice Honorius Auguſtodunenſis dicens: *Carmelus eſt mons, in quo habitauit Eliſeus, & in quo vidit igneos currus, & equites, ſcilicet Angelicum exercitum ſibi in adiutorium miſſum, & dicitur ſcientia circumciſionis, vel ſitiens circumciſionem, & ſignat altam contemplatiuam vitam in Eccleſia, in qua habitat verus Eliſeus, qui dicitur Domini ſalus, in qua ſunt Angelici exercitus, vt ei ferant auxilium contra hoſtes ſuos, & quia habet ſcientiam ſpiritualis circumciſionis, vt circumcidat ſe à vitiis, & ſitit circumciſionem peccatorum, reſpuens circumciſionem Iudæorum.* Tenet caput Tereſia tanquam Carmelum, quia ei contemplationis cæleſtium, ſpiritalis circumciſionis magiſterium Chriſtus detulit. Ipſa enim vitioſas affectuum laſcinias abſcindere, & exuberantes animi paſſiones, quæ exitium afferre ſolent, mortificationis falce demetere docuit, animum, & corpus compellere diſtrictione iudicij, vt intret anguſtam ſemitam Euangelicæ perfectionis, & renuntiatione ſæculi voluntaria abſciſis extricamentis deliciarum, quæ hominem irretire, & præpedire ſolent, ad Chriſtum ſtabili gradu, & volucri curſu contendat. Adhoc, pedum remoram calceamenta depoſuit, cuius viraginis inclytum facinus commendat ſponſus eodem cap. 7. Canticor. v. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis.* Chaldæus legit: *in ſandaliis.* Sandalia nuncupat ſoleas, vt calceos lunatos, & feneſtratos, quibus vtebantur lautiores fœminæ. Tu vero de ſparteo & aſpero pœnitentiæ ſandalio accipe. Hos pedes ſic nudos rigidis ſandaliis, & ſoleis calceatos collaudat ſponſus, in iiſque mirifice reſplendet ſpecies, & gloria ſponſæ. Seminuda planta fœminæ ſeruabatur ad veternoſi ſerpentis interitum, & triumphum; hic obſeruabat mulieris calcaneum, quod lethali ictu in parente momordit, vt eius caput muliebri pede diſcalceato conteratur. Geneſ. cap. 3. conſtat huius victoriæ fidelis promiſſio. *Ipſa conteret caput tuum.* Graues inimicitiæ conſtitutæ inter mulieris, & ſerpentis naturam, de quibus Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap. 20. fatur de fœmina: *Hæc enim & ſi non ſemper actu, ſemper tamen poteſtate quadam conterit caput illius: ille autem vtpote humi depreſſus, & non arduus calcaneo huius inſidiatur. Nam ſi nuda mulieris planta dentem ſerpentis præuenerit, & viuaciſſimum caput eius vel leuiter preſſerit, ſtatim totum cum capite corpus repente interit, ita vt nullus omnino motus, nullus ſenſus in aliqua parte reſiduus ſit:* Magna & decantatiſſima inter diſcalceatum fœminæ pedem, & colubrum diſcordia, ideo in terra reptans ſemper parat inſidias, diſcalceationem tamen ominoſam habet, & illius pedis attactum vel leuiſſimum refugit tanquam interitum; nec adeo exitialis ſerpentis morſus fœminæ calcaneo, quàm ſi pedem fœmina calceamento exutum in eius caput impingat, ex quo paratur angui præſentiſſimum, & celerrimum exitium. Cùm enim ſerpens gladio confoditur, aut eius caput fuſtibus cæditur, huc, illuc ſibilando horrende voluitur, & in ſpiras circumuoluitur, cum nece colluctans, donec virulentum cruorem cum vita vomit: ſi vero leuiori preſſura fœmineæ plantæ nudæ præuenientis premature ſerpentis caput, non ſolum mortuu-

Marginal notes, left column:

Tereſia caput vt Carmelus, vt Elias propheta.
Cant.
Chald.

Elias duplicem ſpiritum ad Tereſiam de paradiſo tranſmiſit.

Marginal notes, right column:

Honor. auguſt.
Carmelus: ſcientia circumciſionis, vel: ſitiens circumciſionem innuit.
Altam contemplatiuã vitam denotat, in qua habitat verus Eliſeus.
Vera contemplationis ſcientia eſt, circumcidere ſe à vitiis.
In Tereſia contemplationis, & ſpiritalis circumciſionis viget magiſterium.

Cant.
Tereſia Virginis pulchri greſſus in ſandaliis.

Nuda fœminæ planta exitioſa ſerpenti
Rupert.

Si diſcalceata fœminæ planta caput ſerpentis preſſerit, vel leuiter, totũ cum capite corpus repente interit.

Digitized by Google

mortuus, sed immotus permanet. Si naturalis nuditas pedis adeo aduersa serpenti, quanto magis Religiosa erit ei inuisa colubro, qui amisso dominatu terram comedit, & pedibus per semitam angustam Apostolicæ vitæ gradientibus semper insidias machinatur. Formosior & potentior Teresiæ planta, quæ, à sponso præuenta, anticipata gratiæ velocitate, & industria, serpentis vectis, & tortuosi colubri tartarei caput calcauit, & contriuit. Ideo Teresiæ nomen reformidat, ab infirmiori sexu detriumphatus princeps tenebrarum pudibundus & mœrens quærit inferorum latebras.

Religiosa discalceatio diabolo exitialis.



Ornamentum calceamentorum.

DISCVRSVS III.

Maria pulcherrimo calceamento diues, primo vitæ gressu felicior, quo originarium crimen deuicit, & primi serpentis caput contriuit.

1. EDVCENDVS ad nouam pensiculationem locus ille Cant. c.7. v.1. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.* In quo singularia Mariæ decora, & gratiarum priuilegia ab Angelorum choro in amoris scena celebrantur, vt sentiunt Sanctus Ambrosius lib. de institut. virginis cap. 14. & in Psal. 118. serm. 17. Guillelmus, Rupertus, Alanus, Honorius, Cardinalis Hailgrinus, & vniuersa recentiorum schola; vt ergo in hisce inuolucris sermonum obserata, & inumbrata mysteria, in mediam lucem illuminata nouis coloribus erumpant, pro expositionis base firmanda illa Ambrosij sententia lib. de instit. virgin. cap. 14. *Speciose procedit anima, quæ corpore velut calceamento vestitur, in hoc calceamento speciose processit Maria, quæ sine vlla commixtione corporeæ consuetudinis auctorem salutis virgo generauit.* Sicut calceamentum pedibus corrigia quadam adstringitur, sic anima infunditur, & innectitur corpori, & mirabiliter copulatur, vt dum est vita superstes, corpore vtatur velut calceamento. Mirantur ergo Angeli primos in hac vita Mariæ gressus non diuaricantes, sed stabiles ornamento gratiæ. Ideo nuncupant filiam, vt opponant ancillis omnium animarum, quæ in hanc vitam discalceatæ, & exutæ ornamento gratiæ veniunt. Piissimus, & disertissimus est Rupertus in illustranda Virginis singulari gloria. Eius verba sunt ex lib. 6. in Cant. *An non ancilla, siue ancillæ filia discalceatis pedibus incedit? Plane discalceatis, & propter hoc ipsum seruilis arguitur conditionis, quia nuditas pedum seruilitatis est argumentum, excepto si fiat propter Deum. Verum de calceamentis hic agitur non corporis, sed spiritus, in quo discalceatum esse, vel discalceatam summa est ignobilitas, & plusquam seruilis egestas. Idcirco ancilla calcaneum serpens momordit, tu autem ô filia principis bene calceata caput serpentis contriuisti.* Pulchra disparilitas, & singularis oppositio à Tuitiensi Abbate, & eximio Theologo de Deipara benemerito inuenta est. Iniucundus prorsus Euæ gressus corporis, & animi, qui in obseruatione Dominici præcepti titubarunt, inter fluenta tentationum, & male sibilantis serpentis lubrica, & tricas, transcurrere noluit stabilis vestigio, sed male claudicanti pede in præcepti transgressione inaccessa, & vetita præsumpsit. Ideo ancillæ pedem, quæ posthabito Dei obsequio, ad partes dæmonis transcurrerat, & calcaneum serpens momordit, & in posteros, & natos originariæ labis virus, & sceleris reatum transfudit. At Maria principis filia per gratiam, & mater per naturam spiritali singularis gratiæ calceamento instructa, & ornata morsum serpentis euasit, virulentum euitauit afflatum, quæ non ancilla sed libera fontem gratiæ suo susceptura gremio, vt homines libertate donatos gratiarum fluentis intingeret. Pulchre Alanus de Insulis, qui ferme tercentis annis abhinc floruit, locum hunc expendens, inquit: *Tu autem es principalis filia principis, Dei videlicet, qui est princeps principum, & Dominus dominantium, qui te specialiter per gratiam genuit, specialiter informauit: ita tamen Dei filia quod & mater intacta.* Maria genita per gratiam bene calceata processit in mundum; gressuum venustas, & calceamentorum collaudatur pulchritudo. Calceamenta solent fieri de corio animantis mortui, & humana natura parentum ex qua progeniem duxit mortificata erat per pœnam, & culpam, cùm correpta est primitiui labe criminis, & mortis reatu. Ille verò Dominus qui extendit cælum sicut pellem, de pelle mortificata humanæ naturæ, cœlum in Maria fecit, cùm eam condit, stellatum luminibus gratiarum, quod est mortalitatis in pelle reliquit. Quod est criminis repulit, quia in Mariæ corpore tanquam in membrana cælesti, pellucida, nitenti Pater Verbum suum stylo hominis exaraturus. Itaque calceamentum Deiparæ nec impedimentum, nec lapsum primi gressus patitur, sed incessus decore præcellit. Bene calceatus pes filiæ, ne hæreditario luto, aut originalis vitij mergatur voragine: ne spinæ & sentes maledictionis, quas caro nostra pullulat, teneram plantam puellæ compungant; datum est calceamentum ad obsequium Domini, non ad lapsum, ad ministerium non ad præcipitium; quam ancillam Domini gratiæ humilitas destinarat, non abiecta seruilitate discalceata creatur, sed calceata donatione innocentiæ, & singulari priuilegio gratiæ; ideo in primo gressu supplices preces fundunt Angeli vt reuertatur, vt prospectetur, quæ in primo incessu, in quo est propulsatum titubantis periculum, tam fulgida, gloriosa, & stabilis procedebat.

Cant. *D. Ambr.* *Guill. Rupert. Alan. Honor. Hailgrin.* *Anima corpore velut calceamento vestitur. Speciosum Mariæ calceamentum.* *Discalceatio inhonora, & lugubris ancillarum est.* *Rupert.* *Nuditas pedum seruilitatis indicium est, nisi fiat amore virtutis.* *Ancilla Eua discalceata serpens calcaneum momordit. Maria filia principis bene calceata, caput serpentis contriuit.* *Alan.* *Maria filia regis regum, & mater intacta, ab ipso quem generauit, per gratiam genita.* *De pelle mortificata humanæ naturæ, Deus, qui extendit cælum sicut pellem, cælũ Mariam condidit variis stellatũ luminibus gratiarum.* *Primus Mariæ vitæ gressus pulcher, & decorus gratiæ stabilimẽto.*

2. Quid pluribus? Chaldaica versio huius loci conceptum extollit. Sic enim habet in Bibliis Regiis: *In calceamentis vel sandalis taxeis.* Verbum תחש in libro Numeror. capit. 4. vers. 14. *pelles ianthinæ* vel *hyacinthinæ* transfertur. Et Ezechiel. cap. 16. *Et calceaui te ianthino.* Vbi Hieronymus Prado, & Villalpandus ex nostratibus scribunt: *Ex pelle hyacinthina coloris cælestis Deum sponsæ aptasse sandalia testatur Vates.* Quia Mariæ primariæ sponsæ calceamentum totum cæleste. Nec solum calceantur pedes luna, sed cœlo & sideribus, eius

Chald. *Sponsæ sandalia taxea, seu ianthina.* *Num. Ezech. Prado. Villalp.*

eius motus, & gressus cælestes segregari à terreno, & lutulento criminis contagio. Censeo tamen verba illa: *In sandaliis taxeis*; non solum denotare melium seu taxorum pellem, sed lignum taxeum ex quo formabantur calceamentorum soleæ, seu socculi, vt testatur Sanctus Isidorus lib. 19. etymol. cap. 34. *Calceamenta dicta quod in calo, id est in ligno fiant.* Vnde non erit dissonum à veritate sandalia taxea denotare soccula, quæ in solea arboris taxei fuerint fundata. At de taxo ligno hæc mira profert Plinius lib. 16. historiæ naturalis cap. 10. *Taxus tristis ac dira in Hispania præcipue venenum inest. esse in Arcadia tam præsentis veneni, vt qui obdormiant sub ea, cibum ve capiant, moriantur. Sunt qui & taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tinguntur. Repertum innoxiam fieri, si in ipsam arborem clauus æreus adigatur.* Ex taxea arbore efformantur calceamenta, & socculi virgineæ puellæ, vt ostentent priuilegium gratiæ. Quid est tamen quod ex ligno infausto, Religione damnato, quorum rami steriles, ferales, adeo virulenti, vt ex eorum succo venenum confletur, illitæ & intinctæ iaculorum cuspides præsentissimum exitium vulneratis parturiant, cuius vel vmbra exitiosa dormientibus, lethalis conuiuantibus virgini calceamenta formentur? Cælestem arborem & pulcherrimam in paradiso plantatam tibi propone hominis naturam à temporis exordio omnis virulenti humoris immunem, irrigatam, fœcundam omni gratiarum fluento, virtutum flosculis, & frugibus deliciose vernantem; donec venenosus afflatus & morsus serpentis eam infecit, & corrupit, & à radice, & trunco arbor correpta per omnes ramorum & frondium generationes virus serpens, ab Adamo ad posteros permeauit. Et bene in arbore significata est damnata posteritas, quia ab arbore scientiæ boni & mali initiata est primitiua labes, dum sub eius vmbra homo requiescens, sub candore & rubore pomi latitans venenum à dæmone propinatum hausit. Etenim de maleuolentiæ suæ pharetra subdolus, & versipellis hostis sagittam educens, & lethali toxico inficiens parentem cum posteris sauciauit. Feralis exitij, & veneni, temporaneæ, & æternæ mortis damnatæ naturæ fons & origo mulier extitit; per fœminam rursus Deus decreuit mortis, & dæmonis exitiales vires infringere, venenum euacuare. Pulchre Sanctus Augustinus serm 17. de natali Domini inquit: *Cum per plerasque igitur temporum gyrantium rotas mundiale curriculum volueretur, neque quisquam mederetur, & ingrauescentibus culpis ruina præcipitis ictu, & fremitu totius orbis membra puluescerent, & nemo succurreret, ad fœminam causa reuertitur, & origo per originem detruncatur, origo peccati per Genitricem Christi, prosapies impietatis, per prosapiem pietatis, stirps mortis, per stirpem vitæ percutitur.* Origo sceleris, causa erroris, mortis reatus, originarij veneni medicatrix fœmina fuit; ad fœminam veneni medela, & causa reuertitur, & origo peccati in Eua per Mariam detruncatur. Per nouam originem, & generationem stirps mortis, per nouum Dei Genitricis germen abscinditur, & restauratur originariæ decus gratiæ. Cerne lignum generationis Mariæ apud S. Matthæum c. 1. ferax, frugiferum, belle germinans patriarchas, alticomum, & frondosum Regum trabeis, tot sanctorum stemmatibus speciosum, & præclarum, sed ab Adamo ad parentes Virginis, originariæ labis transfusum est virus; ad Mariæ generationem venenum sistitur, arbor perpurgatur, vt virgam virgineam progerminet immaculatam, vt pulcherrimus flos Iesus ex illius radice ascendat. Cuius immunitatis causam verba Plinij prædicant. *Repertum innoxiam fieri, si in ipsam arborem clauus æreus adigatur.* Primæua flagitij labes, vsque ad parentes perfusa, in Mariam peruaderet, & influeret, nisi præuenta à filio Mariæ generatio, in vitiata per tot sæcula stirpe, clauũ passionis infigeret, qui serpens virus inhiberet, & ab hæreditario inquinamento redderet immunem. Clauus, quo suffigendus erat Filius in Crucis ligno, & illius meritum operabatur in Matre, & humanæ naturæ stirpem in parentibus generantibus reddebat innoxiam ab hæreditarij piaculi toxico; & veneni fluxus cum præcipiti torrente ad reliquos deriuatur, à Dei Genitrice auertitur. Massa enim illa perpulchra, & purissima parabatur, ex qua temperandum erat antidotum aduersus carnem peccatricem. Itaque Maria in primo incessu vitæ ostentat priuilegium immunitatis à communi crimine in calceamentis taxeis.

Ex taxeo ligno calceamentorum solea seu socculi formari. D. Isid.

Plin. *Taxus arbor tristis ac dira in qua venenum inest.*

Ex taxo, toxicum conficitur, quo sagittarum cuspides tinguntur.

Arbor taxus, clauo æreo, infixo à veneno immunis redditur.

Hominis natura tanquam cælestis arbor in paradiso plantata.

A serpente, criminis veneno inficitur, & ad posteros trãsfunditur.

D. Augustin. *Medicamen veneni nullum inuentũ, donec peruentum non est ad Mariam.*

Origo peccati ex fœmina, per originalem Mariæ gratiam euacuatur.

Arbor generationis Mariæ, Patriarcharum, & Regum ramis, & frondibus pulchrè vernans, à Matthæo describitur.

Vt ex hac arbore Maria immunis à peccato pullulet, passionis Christi clauo præcauetur peccati virus.

3. Nec vacat mysterio sententia illa: *quàm pulchri sunt gressus tui.* Nam Hebraicum verbum פעם *paam* proprie innuit *gressum pedis calcantis, contundentis, conterentis.* Vt præseferat primũ Dei Genitricis incessũm serpentis caput conterentis. Vt se referat Salomon ad Genes. c. 3. v. 13. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum.* In quo signata est Mariæ cum serpente veternoso pugna & singularis victoria. Eam describit S. Chrysost. in Glossa ordinaria: *Directa est* (inquit) *inter mulierem & serpentem acies, statur cominus. Stat mulier in procinctu serpentis caput obseruans, & vitans. Obseruans vt calcet, vitans vt serpentis morsus declinet. Hanc pugnã aspicit Christus, si tandem illæsa mulier serpentem calcando deuincat.* Hunc mirabilem conflictum, non solum imperator Christus, sed militiæ cælestis turba prospectat; mirantur ergo Angeli animosos ausus fœminæ quod parata sit cum insidioso colubro & semper triumphatore in stadium, & arenã descendere. Arduum prælium, anceps victoria cum experto lanista, qui subiugatos, & stratos pedibus suis ostentat vniuersos; cùm æquo pede pulsat mitrata, & trabeata capita, eorumque qui pauperem casam incolunt. Sed pugnax mulier munimine instructa superno, in spiras se voluentem draconem vlulantem horrende, despicit; vitat ictũ, & morsum, & benedictionibus præuenta dulcedinis diabolum supplãtat, & primo congressu impetẽtem, validissime caput premit. Nec immerito in linea generationis Mariæ geminato sermone nũcupatur filia Iacob. Matthæi c. 1. *Isaac autem genuit Iacob*, & rursus: *Mathan genuit Iacob.* Vt innuat hanc sacram virgunculam heroinam, & viraginem serpentem supplantasse, vt argute expendit Guillelmus Dominicanæ familiæ clarissimum iubar, sanctimonia, & sapientia conspicuum, in libro de secretis secretorum serm. 3. vbi cum præmisisset: quod

Gressus Mariam pedis calcantis, & conterentis. Genes.

D. Chrys. *Inter mulierem, & serpentem acies dirigitur. Serpens obseruat, vt mordeat; mulier vt serpentis morsũ declinet, & illæsa serpentem calcando deuincat.*

Matth. *Iacob supplantator interpretatur.*

Guillelm.

Digitized by Google

quod Iacob interpretatur supplantator, vel luctator. De Deipara perbelle subiungit: *Tertio principaliter dico: quod dicta interpretatio conuenit Beatæ Virgini, quæ supplantauit & decepit dæmonis malignitatem, qui incepit insidiari sibi ab initio illius, id est ab instanti conceptionis suæ, volens eam mordendo inficere veneno originalis culpæ: sed ipsa cautior vicit eum, vt non præualeret ei, & hoc est quod dictum est figuratiue serpenti Genes. 3. inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: nihilominus ipsa conteret caput tuum.* Nec minus eleganter Rupertus lib. 3. in Genesim cap. 19. *Certissime igitur hic illius semen mulieris promittitur quod est Christus, per quod sexus idem qui deceptus est, deceptoris caput, omne triuit, quando ad destructionem peccati beata Virgo sine peccato, nouum hunc & cælestem hominem mundo edidit.* Hoc sanctum semen quod est Christus ad destructionem originarij criminis Deus potissimum destinauit, ideo fœmineum sexum, nempe Mariam elegit nullo crimine obnoxiam, vt quod in muliere fuerat exorsum, à Deipara singulari gratia præuenta, & serpentino morsu intacta penitus aboleretur. Magnificum singularis gratiæ promissum adstipulatum erat in Maria, sacra pagina signatum, & clausum à mundi nascentis exordio, & alta mente repostum diabolus expectabat. Ideo caute, & subdolis generationibus fœminarum parabat insidias, ne vlla iniquæ potestatis tyrannidem per incuriam effugeret. Sed sacrum, & diuinum Mariæ figmentum cum conditur, cùm creatur eius spiritus, tricas omnes, & illecebras serpentis elusit; cum is capturam comparat, intereceptus est à fœmina, crimen repulit, virus euasit, eius caput contriuit. Piaculum ducerem si tibi eiusdem Guillelmi doctissimi verba ex serm. 1. *De intemerata Conceptione Virginis Mariæ*, mutuata non darem, ipse enim singulari acroamate replicans Genes. cap. 3. sententiam: *Ipsa conteret caput tuum, ita fatur: serpens ille antiquus & callidus solitus erat crudelibus faucibus strangulare singulos filios Adæ, impingendo in ipsos originalem culpam in primordio suæ Conceptionis. Sed dum tortuosus ille serpens aggressus est strangulare Virginem Mariam sicut cæteros Adæ filios: nihil mali passa est ab eo: quinimo ipsa ab instanti suæ Conceptionis tanta gratia, & virtute dotata est, quod caput eius gloriose conculcauit, & contriuit. Vbi aduertendum quod caput serpentis infernalis originale peccatum designat: quia sicut serpens naturalis ingrediens locum aliquem primo præmittit caput, deinde paulatim totum corpus illuc pertrahit, ita & dæmon totus serpentinus volens habitare per peccatum in anima rationali primo præmittit caput originalis culpæ, deinde pertrahit ad deteriora videlicet ad actualia peccata. At vero Virgo Maria in sua sanctissima Conceptione dono Dei gratiæ contriuit caput eius, vt non tangeret nec morderet eam per originalem culpam, nec ex consequenti per actualem.* Quid pulchrius? Merito ergo Angelico celebrantur plausu primi Mariæ gressus & pedes gratiæ calceamento valide instructi, quibus caput serpentis, originarium crimen, contriuit.

Maria supplantauit & decepit dæmonem exordio vitæ suæ insidiantem.

Serpens Mariam in primo instanti conceptionis suæ non momordit.

Rupert.

Ad destructionem peccati beata virgo sine peccato eligitur.

Guillel.

Maria ab instanti conceptionis suæ caput serpentis, originale peccatũ contriuit.

Caput serpentis originale peccatũ.

Et lunulas.

DISCVRSVS IV.

Lunulæ Marianæ ornamentum, & decus.

Maria luna nunquam varia, inconstans, imminuta, curuata, decrescens, diuisa, obscura, maculosa; sed gratia semper lucida, nitens, immensa orbe pleno.

1.  RIPITVR à synagoga aureum, & argenteum lunulæ decus, & ad sponsam dilectam Deitatis iure transfertur, vt à lege communi peccati priuilegiaria effulgeat Maria. Arcanum hoc solerter eruendum ex inuoluto sermone Cantic. cap. 7. v. 3. *Vmbilicus tuus crater tornatilis.* Erat enim inserta, aut illigata sponsæ pulcherrima bulla aut lamina, gemmave pretiosior, quæ vmbilico immineret ad speciem, & ornatum. Qui locus cùm communi, & veridico plausu ab Ecclesiæ primoribus, præsertim Ambrosio lib. de institut. Virginis cap. 14. & Neotericis, de Deipara vsurpetur, continet mirabile, & singularis elogium gratiæ; his enim speciose gemmantibus monilibus & lamellis aureis, ocælauit diuina sapientia Dei Genitricis ornamenta gratiarum, quæ expedit argentario fideli sacri Sermonis in apertam lucem dare. Mysterium latitat in verbo illo סהר saar, quod respondet tornatili, & proprie innuit lunæ plenæ sphæricam figuram, & rotunditatem. In quam sententiam conspirant prisci Hebræorum magistri, & nouitij omnes Canticorum interpretes præsertim ex nostratibus Delrius, & Sanchez. Pulchra verba subiungit Genebrardus ex Abbenezra. *Comparauit cum luna quatenus plena est, diuersitatem subijcit, sua huius lunæ lumen nunquam deficit.* Quæ si de Maria accipias quid pulchrius, quid accommodatius proferri potest; ipsa enim Ecclesiastici & mystici cæli luna est iucunda, quæ gratiarum stillicidiis Ecclesiam irrorat. Ostentat Maria in specie lunæ plenæ in ipso creationis exordio gratiæ plenitudinem. Nec inferior reputanda, nec infelicior luna Deipara; materiali lunæ globo, qui cum conditur, & cælo infigitur, non inchoationem, aut diminutionem, sed plenitudidem luminis à Creatore mutuauit. Plena itaque in cælestibus creata est luna, vt concors est Sanctorum Patrum sensus. Id tenent sanctus Ioannes Damascenus lib. 2. fidei c. 7. Iunilius in examer. Procopius in cap. 1. Genes. Anastasius Sinaita lib. 4. in examer. Beda lib. de æquinoctio vernali. Glossa ordinaria. Sanctus Thomas 1. p. q. 70 art. 2. ad 5. cuius verba annotanda sunt: *Satis probabile est quod luna fuerit facta plena.* Recẽset quoque Venerabilis Beda lib. de æquinoctio vernali synodum Victoris Papæ iussu, per Theophilum

Cant.

Luna plena sphærica figura, & rotunditas.

Geneb.

Ornamentũ gratiæ Marianæ comparatur lunæ plenæ, cuius lunæ lumen nunquã deficit.

Maria in creationis suæ exordio habuit gratiæ plenitudinem.

Lunaris globus in plenitudine à Deo primo conditus.

D. Ioan. Damasc.

Iunil.

Procop.

D. Anast.

Beda.

D. Thom.

Theoph.

philum Episcopum Cæsariensem congegatam vt de solemnitatum paschalium ritu decerneret, in qua in ipsum definitur. *Theophilus dixit: de luna quid vobis videtur? Vtrum crescentem ac iam plenam, an imminutam à Deo fuisse consecratam? Episcopi responderunt: plenam.* Si ergo lunam in tenebrarum remedium à natura repertum sidus, non curuatam in cornua, nec æqua portione diuisam, nec in orbem sinuatam, nec inchoata luce prænitentem, sed immensam orbe pleno in primo Creationis exordio Deus condidit. Potiori iure luna Deipara hominibus familiarissimum sidus in remedium peccatorum, spiritualium tenebrarum à gratiæ auctore repertum, condita, & creata est plena plenitudine luminis, & gratiæ à sole iustitiæ mutuata. Hoc enim insigne præsefert bulla illa pectori, vel ventri Mariano appensa in similitudinem plenæ lunæ, vt in omni tempore, & instanti prædicetur de Virgine gratiæ plenitudo, & cum paranympho Gabriele verba salutationis, iuxta huius loci Canticorum mysterium, dispungas: *Aue Maria luna gratia plena semper plena, cuius luna lumen nunquam deficit.* Illustrat hoc acroama sanctus Anastasius Sinaita lib. 4. contemplationum in examеron. Vbi Adamum & eius coniugem Euam solem lunamque vocat, sed deliquium, & defectionem luminis diuini patientes ob transgressionem, obtenebratosque caligine primææ labis vmbra: *Cùm à tenebricosi* (inquit) *& obscuri serpentis dominatu oppressum esset, & defecisset eius lumen. Eius tamen luminis defectum restituit lux vera, quæ ex ipsa processit; ex secunda inquam Eua Christus tanquam ex quapiam luna plena Maria, quæ nunquam imminuta fuit, aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine.* Plusquam Cimmerias tenebras offuderat in orientis paradisi lumine, Adami Euæque solem & lunam tenebricosus, & teterrimus draco, cùm eos impulit ad præcepti transgressionem, à vitæ beatæ luce, & superni numinis gratia repulit; obscuratum est miserrima caligine, & vmbra mortis illud primum à Deo conditum firmamentum, in quo luna de sole, mulier de viro processit; in cuius restauratione mirabili sol Iesus de Maria luna exoritur, luna inquam plena, diminutionis ignara, defectus luminis aut priuationis aliena: *Tanquam ex quapiam luna plena Maria, quæ nunquam imminuta fuit, aut defecit, aut priuata fuit essentialii lumine.* Virginitatis, & gratiæ. Fœlix inchoatio sideris luminosi, quæ orsa est à fonte claritatis, & luminis æterni; cùm Deus condere, & creare parat nouam terram, nouumque cælum à luna plena tantæ festiuitatis sumit exordium, tenebrarum nescia, plenitudine lucis gaudente, illuminante eos, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, de cuius plenitudine accipiunt parentes primi tenebricosi, & tota cum eis posteritas. Et rite in cantico, & Sinaitæ sententia illud axioma profertur in commendationem gratiæ singularis lunæ Deiparæ: *Cuius luna lumen nunquam deficit.* Vt à tam eximio luminari defectum lucis, aut eclipsim semper excludat. Contemplamur sæpissime naturæ rem maxime miram, & ostento similem, cùm sol interuentu lunæ, aut luna terræ obiectu occultatur, & lumen absconditur; cùm terra interpositu suo, solis radios eripit à luna, ipsaque languescit, quodam mortis, & obscuritatis deliquio hebetatur, repentinas obducens tenebras orbi terrarum; à luna Deipara, quæ terris ipsis altiorque est sideribus, nunquam sol æternos radios suæ lucis abscondit, à primo nunc creationis suæ luminosa amoris, & gratiæ plenitudine eam collustrat; non est interposita potestas draconis, aur portentosa criminis moles, & turbinosa vmbra, quæ tam eximiam lunam obscuraret, sed semper commorata in coitu solis supercælestis, eius fulgoribus icta, largissimum gratiarum, & illuminationum imbrem hausit.

Maria luna semper plena.

Anast. Synæ.

Ad refectionem luminis gratia Deus ex Maria tanquam ex plena luna processit.

Maria luna nunquam carens lumine gratia.

A luna Maria eclipsis, aut defectio solaris lucis excluditur.

Ab ea sol nunquam radios gratiæ suæ abscondit.

2. Nec prætermittenda est illa Ruperti mirabilis eruditio circa creationem lunæ, in qua recenset, nec reiicit opinantium varie discursus lib. 2. in Genesim cap. 20. eius verba sunt: *De sole, & luna hodie inter doctos diuersa sententia est: alijs dicentibus quod lunam creans Deus, statim plenam ostenderit: alijs è contra asserentibus quod vtrumque vt simul fecit, ita & in coitu posuerit, vt paulatim luna de sublatere solis emergeret, cum cremento mutuati luminis.* Quæ quidem apposite dicta, & si secundum placitum sectemur, iuxta propositum à nobis Theorema fit sententia perspicua ad Virginis gloriam. Optima propositio quod luna exoriatur de latere solis, quia sol supermundanus quandoque processurus de Virgineo thalamo lunæ Deiparæ. Fons lunæ felicior quàm solis, cùm Creator de creatura, & creatura de Creatore progreditur, vt oculis mentis collustres nobilem Mariæ generationem non naturæ, sed gratiæ ex fontana plenitudine Deitatis, & luminis. Quis tenebras suspicabitur in Mariæ creatione, quæ ex quadam quasi vulua, & matrice lucis, & gratiæ profluit, totum quod in ea est lux est, & incomprehensus à caligine candor cælestis, charismatum superfusio, & concreatæ gratiæ lumen augustius. Non nutat, non labascit, insidiantis hostis impetu luna, quæ solis Iesv lateri adhæret: *De sublatere solis emergeret.* Cerne solem in ligno occumbentem, & obtenebratum caligine mortis, obscuratum balasphemiis iniquorum, eiusque latus lancea compunctum, & apprehendes mysterium. Apertum est sacræ arcæ latus ferreo iaculo, vt exiret casta Ecclesiæ columba, & vita per demortui corporis maneret vulnus. Ex hoc fonte Maria primigeniæ gratiæ fluenta hausit. Marianæ generationis, & felicitatis sibi singulariter donatæ, schema perpulchrum fulget in luna emergente de latere solis. Annæ vterus iuxta naturæ præscriptum Dei Genitricem germinabat, sed Christi lateris apertum vulnus, de genitali secreto gratiæ parturiebat. Iam ergo virtute passionis, & mortis futuræ operabatur Iesvs salutem, & redemptionem in Mariæ generatione, cùm nouam Euam & lunam de sinu suo, & costa educit, intincta est sacræ lymphæ fluento, & crocei laticis vnda respersa, vt de impolluto latere incontaminata prodiret, carbunculata sanguinis deifici gemma rubicunda, nitido aquæ latice immaculato decore dealbata.

Rupert.

Luna plena de sublatere solis, in mundi exordio, emersit.

Luna Maria nascitur à sole, quia sol de luna nasciturus.

Ex solis in cruce occumbentis aperto latere, Maria luna processit.

3. Vocat nos ænygma illud sacrum cælitus ostensum

Apoc.

ostensum Ioanni Theologorum apici. Apocal. cap. 12. v. 1. *Et signum magnum apparuit in cælo mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius.* De Beatissima Virgine accipiunt sanctus Augustinus lib. 4. de symbolo ab Catechum cap. 1. sanctus Bernard. serm. super signum magnum. Sanctus Methodius, sanctus Thomas, S. Andræas Cæsar. Haymo in Apocal. Maria primo comparuit in cœlo, quia nihil terrenæ labis, sed omnia cælestia possidet, quasi virgo cælitus dilapsa proponitur. Tenet lunam sub pedibus, quasi calceata sit, & cothurnata globo; & lumine lunæ, velut Marianæ nobilitatis symbolo præclaro. Pluthareus in problematibus Romanis q. 760. inquirit: *Quid est quod qui nobilitate præstare videntur, lunulas in calceis ferunt?* Et apprime respondet: *Signum est eius, quæ in luna esse dicitur habitationis, & quod post mortem, animi rursus lunam sub pedibus habebunt.* Et subiungit: *Hoc potius modestiæ & obedientiæ disciplina quondam erat, quemadmodum luna meliori obsequi, & solem semper intueri solet.* Stemma Marianæ nobilitatis quod luna pedibus eius premenda substernitur, nec mirum si ad famulitium Reginæ cælestia omnia certatim accurrant, stellarum diadema, vt ambiant caput miro nitore fulgentium; luna plenitudine lucis gemmea, & albida pro stragulo, & socculo præbet obsequium, sole ipso tanquam diploide vestitur, quæ Dei verbum ante lunam, solem, & luciferum genitum corpulenta substantia circumdedit. Sidera totius obscuritatis immunia, luminare magnum impolluto iubare renitens, luna Virginea, & intemerata luce coruscans, prorsus iam maculatæ Virgini exhibent clientelam, quia ab exordio generationis humanæ nitidior sole, & luna processit. Et rite in cælo signum ostenditur, quia à mundialibus oblectamentis, & hæreditarij criminis profluuio, quod in terrena hominum figmenta Adamus inuexit, penitus sequestrata, nil humanæ caliginis Mariam inuoluit, quam nitor siderum, lunæ candor, solis fulgor exornat. Audiendus est sanctissimus, & sapientissimus Albertus Magnus Doctoris Angelici Doctor in hoc Apocalypseos loco, visione 4. scribens: *Mulier amicta sole. Hic describitur Mater Virgo: primo ab omnis peccati immunitate. Secundo à temporalium abdicatione, & luna sub pedibus eius. Tertio à gratiæ plenitudine, & corona stellarum* &c. *Ergo Virgo fuit amicta sole, quia nihil habuit macula, & obscuritatis. Cant. 6. tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Nec minus eleganter pientissimus, & eruditus Picus Carthusianus lib. 1. in Cantica cap. 11. subscribit: *Neque enim sapientiæ sole amictæ, à tenebrarum Angelo, & dæmone meridiani occursu formidandum, quæ lunam sub pedibus substernens, super aspidem & basiliscum promptum habeat, tutumque & securum veteris draconis caput obterere.* Illa tamen sententia Magni Alberti ipsius solis materialis luminibus pulchrius fulget: *Describitur mater Virgo, primo ab omnis peccati immunitate.* Eaque ab hoc antecedenti illata summi Theologi irrefragabilis conclusio: *Ergo Virgo fuit amicta sole, quia nihil habuit macula & obscuritatis.* Magnus Albertus à Magistra Magistrorum Maria edoctus fulgentissimum Dominicanæ familiæ sidus ab stella maris Ma-

D. August. D. Bern. D. Metho. D. Thom. D. Andr. Cæsar.

Maria apparet calceata luna globo, ad nobilitatis eximia decus.

Plutar.

Cur nobiliores Romani lunulas gestabant in calceis?

Animæ post mortem corporis, lunam sub pedibus habebunt.

Luna obtemperantiæ signum, quia solem semper intuetur.

Luminaria cæli Mariæ præstant obsequium, & immunitatis indicium.

Albert. Magn.

Maria mulier amicta sole describitur, propter immunitatem ab omni peccato.

Amicta sole quia nihil habuit maculæ, aut obscuritatis.

Picus.

Maria à sole circumuallata, non timuit Angeli tenebrarum incursum.

Secura processit caput draconis conterere.

ria illuminatum, ab omni crimine immunem Deiparam sæpissime prædicat: Habuit Dei genitrix ad originariæ labis tenebras propulsandas firmissimum munimentum solis æterni, cuius præsidio à solis thalamo, & spiritus sancti habitaculo procul repulsa tetra caligo noctis, qua vniuersa hominum generatio inuoluitur. Quid ni fœdæ noctis obscuritas, & mortis vmbra contingeret fœminam, quam in modum muri, & aggeris inaccessi, stipati radiorum cuspides, & fulgurantes vndique gratiæ, splendores ambiebant? Perstricta, & hebetata est acies linceorum luminum criminosi draconis, vt impetitam non attingeret, scrutatam non inueniret, quam candor lucis æternæ in secreto inaccessæ lucis absconderat. Inuestigata est solerter ab exactore indefesso criminis, & mortis dæmone Maria, vt tributum originariæ labis penderet, sed in ipso diuinitatis, & charitatis Oceano immersam, tenebræ eam non comprehenderunt.

Radiorum gratiæ cuspides, Mariæ satellitium, & tutamen.

Mariam in secreto lucis absconditam diabolus non inuenit.

4. Fulget adhuc Mariæ mysterium immunitatis in ipso cælesti symbolo solis, & lunæ, quæ nequaquam imminuta, aut insinuata in cornua, sed lumine plena apparebat Dei genitricis pedibus substrata; in hac namque coitione solis, & lunæ omnino deficit Astrologica demonstratio, iuxta quam luna in solis occursu lumen nostris obtutibus imminuit, per recessum à sole augetur, solique opposita luminis gaudet pleno circuitu. Hic luna iuxta solem, & intra solem plenissima apparet. Si stellæ in sole ipso clausæ non obscurantur, sed in capite mulieris nitidius refulgebant, quid mirum si luna in pedibus pleno lumine niteat, nec lumen infuscet tam mirabilis societas solis. Luna Maria nullam admittit à sole nec absentiam, nec recessum; sed semper in lumine solis conclusa gloriatur. Vt dilucidior fiat protheoria pulchrum illud axioma Plutarchi mutuandum ex præceptis connubialibus in 4. *Luna* (inquit) *Cùm abest, à sole, lucidam claramque videmus, admota soli, obscuratur. At contra modestam vxorem oportet cum viro existentem sese maxime videndam exhibere, cùm verò abest, ædes custodire ac latere.* Luna Deipara nunquam à sole recessit, sed amictu solis clausa lumen per accessum ad solem non imminuit, quanto soli propinquior tanto lucidior fulget de lumine Deitatis; inseparabilis est à Maria solis intuitus, infusio lucis, & gratiæ, quia lunam à sole, & à matre filium nullus discernet. Luna hæc admota soli non obscuratur, sed plenius illuminatur. Vbi periculum imminebat imminutionis luminis, aut caliginis, infusæ lucis administratur plenitudo. Matrona pudica, inquit Plutarchus, cùm abest maritus velut obscura luna in domus penetralibus delitescit, cum vero adest sese præbet conspicuam forma nitoris, & gratiæ. Fœmina quæ virum vtero suo circumdedit, nullam solis permittit absentiam, ideo luna plena à sole circumdata, solem in suo circumscriptura gremio. Forsan sanctus Ambrosius imitatus est Plutarchum, cùm libro de Noë, & arca virum cum die, fœminam cum nocte comparat. Examinat verba Genes. capite 7. cur Moyses recenseat diluuium perdurasse quadraginta diebus

Luna plena sub pedibus mulieris apparet, soli proximior.

Luna per accessum ad solem lumen imminuit, per recessum augetur.

Maria luna à lumine solis conclusa, plenitudine gloriatur.

Plutar.

Lunam à sole absentem lucidam, soli admotam obscuram videmus.

Vxor instar lunæ, cum vir adest, se videndam exhibeat; cum abest, domum custodiat, & lateat.

A Maria inseparabilis solis intuitus, infusio lucis, & gratiæ.

Vir diei, vxor nocti comparantur.

D. Ambr.

Cur diluuium quadraginta diebus, & noctibus peractum?

diebus, & quadraginta noctibus? quæsitum proponit, & dissoluit. capite 13. *Cur addiderit quadraginta noctibus quæritur?* & respondet: *Aliqui acceperunt, qui ante nos fuerunt, vt & virorum, & mulierum factus interitus demonstraretur: diem ad virum referentes, qui sit purior similis lucis: noctem ad mulierem, quæ viro dormiente creata describitur. Actu ille clarior publico, ista, obscurior, tanquam domesticis clausa parietibus, & nocti proxima.* Vt faceret viros, & fœminas sceleris, & punitionis consortes quadraginta diebus diluuij noctes inseruit, dans viris insignia principatus, & lucis diei; mulieribus accommodans tenebras noctis; quia fœmina in imagine noctis, & vmbræ de latere viri creata describitur; ille clarus rerum publicarum moderatione resplendet, hæc in domus penetralibus latitare tanquam obscurior, habet pro decore. Verumtamen Theologus Ioannes in illo cœlesti ostenso verba sensumque sacræ locutionis immutat, cùm asserit mulierem illam præclaram in die claro fulgere, nec præ se tulisse noctis vmbraculum, latebras obscuritatis, sed diei, & solis fulgoribus conspicuam apparuisse. In generatione sua gratiæ inchoabat diem, ideo omnia solari lumine refulgent, nec locus inuentus est caligini, vbi IESVS sol adest illuminans; Maria non requirit angulos obscuros habitationis terrenæ, aut latibulum arcens lumen, quæ semper in sole viuit, in eoque fixit tabernaculum, quæ diei præfert magnalia, immo ipsa est dies. Psal. 18. vers. 3. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Præclarè Angelicus Doctor locum expendens de Beata Virgine, inquit: *Dies Gabriel eructat verbum Saluatoris. Sed nox, idest diabolus, indicat scientiam nocti, idest Euæ. Genesis 3. eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Diabolus nox qui tenebras erroris in orbem inuexit, sermocinatur cum nocte sibi simili Eua, quæ amissa claritate luminis superni tota facta est obscura, & caliginosa, natosque suos misera caligine tenebrarum inuoluit; at dies Gabriel creatus in luce in matutino iubare creationis stabilis, verbum Patris diei præclaræ, & singulariter lucidæ Mariæ eructat. Pulchra Euæ, & Mariæ oppositio. Eua de tenebrionis aspidis consortio, & affatu tota reddita est atra, & tenebricosa flagitio tenebras creans; at Maria dies à parente suo Dauide prædicatur, quia nunquam de flagitio tenebrascit, sed de nitore solis splendescit: *Quia dies* (ait sanctus Thomas 1. p. quæst. 67. art. 4.) *Non potest esse sine luce.* Dies ergo omnem luminis orbitatem excludit. Pulcher, & festiuus dies Maria, quæ à primo vitæ exordio secum circumgyrantem tenet iustitiæ, & gratiæ solem, à quo hausit incrementi sui fœlix auspicium. Itaque Gabriel Angelicus dies cum humano die nempe Deipara lubens colloquium miscet, & diem hominis desideratum à cæli incolis, à vatibus prædicatum, se nactum esse congaudet. Ego (inquit) dies Angelicus, in quo sol IESVS potentiam ostendit simul condens naturam, & largiens gratiam, tu plusquam Angelicus dies, in quo Creator omnipotens tuum plasmato corpori spiritum infundebat, & gratiam concreabat, nec passus est IESVS diem suum nec per instans esse sine sole, aut tenebris subiacere. Fœlix dies Maria, quæ increatum solem aspectabilem solem creantem, nouem mensibus in vtero, tot annis in gremio circumtulit. Psal. 77. repetita nuncupatione diei celebratur Maria: *Et deduxit eos in nube diei.* Sapienter ibi Hieronymus inquit: *Nubem leuem debemus sanctam Mariam accipere, nullo semine humano prægrauatam. Pulchre dixit diei: nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Manent ergo Mulieris in cæli theatro conspicatæ à fidei Magistro Ioanne gratiæ singularis insignia in apparatu diei, indumento solis, lunæ plenæ stragulo. Ideo Marianum pectus apud Isaiam ornatur lunulis.

Virorum, & mulierum interitus prædicitur.

Mulier comparatur nocti, quia de viro dormiente formata.

Mulier nocti similis quia in domus vmbra commorari debet.

Maria mulier de cælo prætulit noctis vmbraculum.

In generatione sua inchoauit diem gratia, solaribus radijs amicta refulget.

Maria semper in sole viuit, in eoque fixit suum tabernaculum.

D. Thom.

Psal.

Dies Angelus, diei Mariæ eructat verbum.

Nox Diabolus, nocti Euæ indicat scientiam.

Maria dies dicitur quia nunquam fuit sine lumine gratiæ.

D. Thom.

Psal.

D. Hieron.

Nubes diei Maria quia nunquam fuit in tenebris sed semper in luce.



VERSICVLVS XIX.

Et torques, & monilia, & armillas, & mitras.

COMMENTARIVS.

1. TORQVES. Omissa significantia altera verbi Hebraici, quæ non est huius loci, proprie transtulit Vulgatus torquem. Torques autem sunt circuli aurei à collo ad pectus vsque pendentes. Verbum Græcum μανιακ ait sanctus Basilius: *Muliebris est mundus, & is aureus, ambiens collum, & in formam orbicularem effectus, quem sibi circumponunt mulieres, dum sedulo accurant palam ostentare colli nuditatem, & proinde ipsum denudant, quod vtique pro decoro conueniebat obuelare:* Hispanè: *gargantillas, collares de oro.*

Torques quid denotet?

D. Basil.

2. *Monilia.* Ornamenta sunt aurea, quæ solent ex fœminarum pendere collo. Et dicta sunt à munere, vt notat sanctus Isidorus l. 19. ætymolog. capite 31. & Græcum καθεμα iuxta sanctum Basilium est mundus muliebris in pectus descendens, laxatis, ac mollibus catenulis propendens, vt omnibus sit conspicuus. Alij transtulerunt χαλαιά hoc est catenulas se inuicem complectentes, quod verbum reperitur lib. 3. Paralip. cap. 2. *sculpsit palmas, & quasi catenas se inuicem complectentes.* Hispane vocantur: *cadenas de oro, cadenillas, ò bueltas de oro.*

Monilia.

D. Isid.

Paralip.

3. *Armillas*, dicuntur brachialia, dextrocheria, brachiorum vincula aurea gemmis, & margaritis ornata. Hispane: *Braceletes, ajorcas, manillas.* Sic S. Basilius, qui ex textu Græco affert illam lectionem: *Et dextrocheria, & armillas.* & addit: *brachialia ornandis mulierum brachijs auro gemmisque confecta.*

Armillæ, seu brachialia.

D. Basil.

Græca Lectio.

D. Isid.

4. *Et mitras.* Quid sit mitra, & corona expendit S. Isidorus l. 19. ætymolog. c. 31. dicens: *Quod ornamenta capitis fœminarum sunt diadema, nimbus, capitulum, & mitra.* Quæ omnia ab Isaia intelligi nomine mitræ probabile iudico, vt omnem fœminei capitis comprehendat ornatum. Et hæc omnia verbum Græcum μιτρα denotat. Vnde LXX. interpretes cum Basilio & Chrysostomo legunt, *Reticulum aureum.* Græcè est ἐμπλόκιον genus quoddam textile complicandis

Mitra ornamentum capitis fœminei.

LXX.

D. Chrys.

D. Basil.

Reticulum aureum ad inuoluendum capillos.

complicandis capillis accommodum; capillos circumuoluere, variamque comam flexu multiplici texere in modum corollæ. Quod verbum reperitur Cant. cap. 7. *Coma capitis tui.* L X X. *Plexus capitis tui*, aut *ornatus*. Hispane diceres: *Redecilla de oro, escofion, albanega.* Et hoc vocat Isidorus *capitulum*. Et in hoc sensu accipit Serarius quæst. 2. cum Lyrano Iudith. cap. 10. vers. 3. *Et imposuit mitram super caput.* scilicet capitis operculum: *escofia.*

Cant. LXX. Hisp. D.Isid. Ser.

Lectio Heb.

5. Nec discordat ab hoc instituto verbum Hebraicum רעלות rahhaloth. à radice רעל rahhal tremere, verbum fœmineum, quod hic solum in plurali reperitur, in singulari significat tremorem; qualis est eorum, qui consopiti sunt crapula, vel meri ebrietate, aut sopore graui correpti; fortasse quia hæc ornamenta capitibus suis olim imponebant Hebraicæ fœminæ ad Liberi patris æmulationem, qui mitratus describitur ab Eusebio Cæsariensi lib. 2 & cap. 2. præparat. Euangelicæ. *Mitra verò* (inquit) *caput ei ligari propter dolores qui fumante vino caput aggrediuntur.* Seneca in Hippolyto eamdem mitram celebrat.

Tremulum ornamentum in capitibus fæminarum, ad Liberi patris æmulationem.

Euse. Cæs. Seneca.

Et tu Thyrsigera Liber ab India
Intonsa iuuenes perpetuum coma
Tigres pampinea cuspide territans,
Ac mitra cohibens cornigerum caput.

Prosper.

Et de Bacchis Propertius lib. 3. elegia 16.

Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassarias Lydia mitra comas.

Versio. Arab. Chald.

De proprio significatu verbi prædicti variant interpretes: aliqui affirmant esse mulierum velamina, quibus præter lumina faciem totam operiebant. Arabice vocatur *Nerest* consentit Chaldæus pro mitris legens: *Pepla, & cortinas, velamenta.* Alij iuxta verbum Hebraicum *Tremere* denotans, dicunt significare aureas bracteolas, quæ vel lenissimo motu agitatæ tremiscunt, vel ob repercussum solis, vel luminis splendorem radios ciaculantur. Et ideo videntur tremere. Hispane dicuntur *Tembladeras argenteria.* Hoc tamen non mitra, sed ornatus mitræ potius diceretur. Assentiendum est Hieronymo Hebraicæ linguæ peritissimo transferenti *Mitras.* Quod verò mitra sit proprium capitis fœminarum ornamentum docet Iurisconsultus l. vestis, § mulieribus. & l. quis §. de auro & argento legato. Liber Iudith cap. 10. docet etiam Varro lib. 1. de lingua Latina, Lucretius lib. 4. Plinius lib. 35. cap. 9. Cælius Rodiginius lib. 6. cap. 10. Apuleius lib. 7. & 8. Andreas Tiraquel. l. 3. connubial. glos. 1 p. 3.

Velamina, & pepla.

Iur. Cons. Iudith Varro. Plin. Cœli. Apule. Tiraq.

6. Est autem mitra genus fasciæ, seu tæniæ, quo capilli inuoluuntur, & caput obligatur, & cingitur. Idque innuit verbum Græcum μιτρα vt annotat Budæus: *Fasciam muliebrem, capillorum ornatum, diadema capitis*, aut iuxta definitionem Cælij Rodiginij lib. 6 cap. 10. & eiusdem Budæi in Lexico: *Ex fascibus horarysque concinnatas corollas.* Et Seruius in illud Virgilij.

Mitra religatum caput vt teneat à temulentia.

Bud. Cæl. Rodi. Serui. Virg.

Et tunica manicas, & habent redimicula mitræ.

Ait mitras esse capitis fœminarum tegmina, corollis cincta: & ad id cap. 10. Iudith. vers. 3. *Imposuit mitram super caput suum.* Prado & Villalpandus scribunt in Ezechiel. cap. 21. *Alij vertunt fasciam, & merito, nam ex auro texta vitta coronam fecisse creditur, ad colligendos cincinnos.* Et hoc est diadema, & nimbus, quem sanctus Isidorus supra inter ornamenta fœminarum recensens ait: *Diadema est ornamentum capitis matronarum ex auro & gemmis contextum, quod in se circumactis extremitatibus retro adstringitur.* Et de nimbo subiungit: *Nimbus est fasciola transuersa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte fœminarum. Plautus: quo magis eam aspicio, tam magis nimbata est. Nam & lumen quod circa Angelorum capita pingitur, nimbus vocatur.* Hæc Isidorus. Itaque fœminæ potiorem capillitij partem innectunt, & intexunt, in lori aut criniculi formam, variis tæniis & vittis aureis, argenteis, byssinis mirabili contextura, & arte variegatis, & versicoloribus liciis, & flosculis splendentibus, & radiantibus. Has tænias vocant Hispanæ mulieres *Zintas de resplandor.* Hos ergo criniculos vel funiculos ex capillis, & fasciis contextos circumuoluunt multis spiris, & circumgyrationibus assutos, & ornatos flosculis, & lamellis aureis ornatos super caput in modum coronæ: Hispane dicitur: *Tranzado, tocado, Rodete.* Iuxta prædictum sensum hoc ornamentum capitis vocatur ab Isaia *mitra.*

Prado. Villalp.

D. Isidor.

Diadema fœminarum.

Nymbus quid sit.

7. Sed proprius loquendo mitra est ornamentum capitis, quo vsi sunt Mæonij, Ægyptij, Syrij, Phrygij, & Lydij, & potissimum Hebræi. Erat enim velut pileus incuruus. Sic accipiunt mitram sanctus Isidorus lib. 19. Ætymolog. capite 31. Thesaurus Latinæ linguæ, Seruius 4. Æneidos: *Mitra* (ait) *incuruum pileum, de quo pendebat & baccatum tegmen.* Erat Chaldæorum insigne Ezechiel. capite 23. vers. 15. *Et tiaras tinctas in capitibus eorum.* Vbi Polychronius ait: *Tiaras vocat mitras, quibus capita vincire solebant.* Vbi legit Vatablus: *Cristas.* Itaque Hebreæ fœminæ lautiores habebant efformatum capitis ornamentum ex bysso, lino, aut purpura in figuram collis, vel montis cacuminis, aut pileoli parui, acuminati, & rotundi; ex purpura aut bysso contexti, bracteolis, & lamellis aureis, aut margaritis, & floribus ornati, dependentibus redimiculis, aut phyllis, & tæniis, quas in mento, & sub ceruice nectebant, & hæc nuncupatur mitra, congruit hic ornatus verbo Hebraico denotanti tremorem, quia fœminis pompatice ambulantibus, & se se motitantibus, incuruum fastigium, & tremulus apex mitræ tremebat In quo insigni existimare quis posset antiqui Pontificis ornatum solitas æmulari fœminas, & ad mitræ Pontificalis similitudinem tiaras, & mitras efformasse, vt suis capitibus ad decorem, & ostentationem imponerent. Sicut supra de veste Kosymbara, seu fimbriata mulierum, ex qua pendebant malogranata, & tintinnabula, ex sancto Basilio protulimus. Rite ergo legit Vatablus in præsenti: *Auferet Dominus pileos, aut tiaras.* Et hoc forsan LXX. nuncupant: *Compositionem, ornatus gloriæ.* Nec miraberis lector mundi muliebris significata solerter interpretum disquirere. *Nos enim* (inquit sanctus Basilius hic) *non sumus spiritu sancto pudicitiores vt indignum censeamus in sacra scriptura dictiones etiam ipsas multa cum sedulitate perscrutari.*

Mitra pileus incuruus, & illius ornatus.

D. Isid. Polychro. Vatabl. Vatab. LXX.

Non est mirū mundi muliebris dictiones & significata interpretem solerter disquirere.

D. Basil.

Ornamentorum sensus mysticus.

8. Hæc iuxta litteram posita. Quæ autem dona in sensu arcano denotentur auferenda in his ornamentis ab illa synagoga breuiter perstringam.

Torques spiritus sancti charismata praferunt. Isich. *Torques ornamenta sunt bellatorum, & triumphantium.* D.Amb.

9. *Torques.* Denotant charismata spiritus sancti, vt auctor est Isychius citatus in silua allegoriarum, quæ ab illo populo ablata sunt. Est torques bellatorum insigne, & præmium triumphantis. Sanctus Ambrosius in Psal. 118. serm. 17. *Moduli autem sunt ornamenta pretiosa, quæ suspendi matronarum ceruicibus solent. Tantus ergo processus Ecclesiæ significatur, vt ornamentis pretiosissimis comparatus sit, & torquibus triumphantium. Hæc enim ornamenta sunt bellatorum.* Et Plutarchus problemat. 101. inquirit: cur pueros monilibus, quas vocant bullas, exornant? Et respondet esse fortitudinis & subiugati hostis stemma, & probat ex prælio, & victoria Tarquinij: *Hostibus in fugam conuersis, cum sedecim millia hostium eo prælio cecidissent, hoc à Patre, & Rege decoris insigne accepisse.*

Plutar.

Monile insigne est libertatis. Plutar. D.Ambr.

10. *Monile* est insigne ingenuorum, & libertatis stigma, vt ibidem asserit Plutarchus & sanctus Ambrosius in Psal. 118. serm. 3. vers. 1. *Redimicula ceruicis libertatis attollent fiduciam.*

Armilla honestas actiones, & actiuam vitam denotant. D. Basil.

11. *Armillas.* Armillæ aureæ, iuxta sanctum Basilium, denotant: *Pretiosas & honestas actiones, actiuam animæ functionem.* Et sic expendit argute dextrocheria Rebeccæ Genes. c.24.

Mitra dignitatis regiæ & sacerdotalis signum.

12. *Mitra*, corona, & diadema dignitatem Regiam, & sacerdotalem denotat.

Ornamenta prædicta gratiarum Deus à synagoga abstulit.

13. Abstulit itaque Deus à synagoga torquem, sapientiæ mercedem, & triumphorum insignia, nec enim de aspectabilibus, aut inaspectabilibus hostibus trophæa vlla reportat; abiecta est in ignorantiæ latebris, & cæcitatis tetra caligine inuoluitur. Abstulit monilia, libertatis decora, & perpetuam subiit captiuitatis ærumnam. Deiecit armillas honestarum actionum, & sponsionem fidei in obseruantia legitimorum legis, quibus Deus eam ornauerat. Sustulit Regni, & sacerdotij trabeam, quæ in mitra, & tiara præfertur. Ea omnia à Iudæa abstulit, & Christianæ Ecclesiæ contulit, & Beatæ Virgini Deiparæ cumulata donauit.

Hæc decora argumentum sunt perpulchrum, & fœcundum subsequentium discursuum.



Et torques.

Præmium victoriæ:

Ecclesiæ Christianæ torques aurea.

DISCVRSVS I.

Christianus tunc ostentat decora victoriæ cùm diffidentia sui, & humilitate, & Domini fiducia, in spiritali prælio aduersus hostem certat.

D. Greg. Mag.

1. ORQVES aurea ornatus est virtutis, & insigne triumphorum. Id prædicat sanctus Gregorius Magnus lib.31. moral. cap.11. scribens: *Potenter dimicantibus in munere torques datur, vt quia signa virtutum gestant, maiora semper exerceant, & debilitatis crimen incurrere metuant, dum in semetipsis iam fortitudinis est præmium, quod ostentant. Vnde recte in laude sapientiæ auditori cuilibet per Salomonem dicitur: coronam gratiarum accipies capiti tuo, & torquem auream collo tuo.* Prouerb. cap.1. v.9. tunc pectus Christiani militis victoriæ decus exornat, cum sui diffidentia, & Domini fiducia, & auxilij superni armatura instructus congreditur, nec enim delegatio trophæi adscribitur arroganti, suæ virtutis gloria exultanti, sed opem inuictam, & vinci nesciam manum speranti de supernis. Superbus victus stadium intrat, humilis agens fiducialiter bella Domini, cum victoriæ auspicio.

Torques virtutis, & fortitudinis præmium dimicantibus donatum.

2. Expugnauerat Nabuchodonosor ducibus, & commilitonibus suis Samariæ vrbes munitas; his facinoribus intumuerat arroganter, aduersus principem vrbem, & metropolim Ierosolymam, impudenter deblaterabat, minas, incendium, & exitium; verbis tamen Isaiæ Deus comprimit audaciam, insolentiam, & exaltationem deiicit. cap.10. v. 12. *Visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius.* Oculos Assyrij sublimes, & elata supercilia depressurum promittit Deus. In quo verborum cortice abditam mysterij medullam eruunt LXX. seniores legentes: *Visitabo super mentem magnam.* Et Assyrij inaspectabilis fastum, & elationem nimiam exprimunt, quam Dominus IESVS humilitate sua perdidit. Sic nimirum Ecclesiæ Patres verba huiuscemodi vsurpant. S.Cyrillus Alexandrinus inquit: *Hæc referri possunt ad personam ipsius Satanæ; contradixit pro nobis Christus, & de vita omnium in certamen descendit, & exitialem illum vicit.* At sanctus Basilius argute examinat cur Satanas *mens magna* nuncupetur in illo Vatis promisso? *Visitabo super mentem magnam?* Et hæc subiungit: *Mens magna, qui in sui ipsius admirationem rapitur, seseque obseruat, quasi magni momenti, quasi indignum ducat deorsum oculos demittere. Nec contueri terrena hæc.* Verba Basilij exprimunt schema perpulchrum elationis, & superbiæ arrogantis Luciferi; in illo cælestium Senatorum cœtu suum decus, robur & sapientiam iactabundus ostentabat Lucifer, scientia eximium, argutia, & calliditate præpollentem, intellectus acumine famosum prædicari auebat, mentis singularis, & intellectus magni sollicitabat præconium, ambiens primæ intelligentiæ supra Deum, & Angelos primatum. Hæc igitur intellectualis magnitudinis auiditas excitauit rebellium sui ipsius, & Angelorum apostatarum architectata est lapsum. In sui admirabilitatem raptus, seque ceu quid diuinum venerans, & adorans, vniuersas intelligentias superbo fastu, & arroganti supercilio despexit velut insipientes, & stolidas, cum magnitudine sapientiæ suæ comparatas; in tantum prorupit audaciam, & insaniam, vt Patris sapientiam Dominum IESVM in eremo, & ieiunij monte cassiculis verborum intercipere præsumpserit: *Ausu temerario* (adiicit sanctus Basilius) *præfidens, sustinuit ostendere totius creaturæ Domino regna terræ ac dicere: hæc omnia mea sunt.* Hac tamen nimia sui confidentia

Isa.

Diabolus mentem magnam sibipsi arrogantis nuncupat. LXX.

D. Cyrill. Alex.

Christus pro vita, & incolumitate omnium in certamen descendit, & Satanam vicit.

D. Basil.

Mens magna Diabolus dicitur, quia in sui admirationem raptus, dum de se magna præsumit, alios despicit.

Diabolus primas intelligentiæ, & acuminis in cælestium senatu ambibat.

Se ipsum tanquam quid diuinum obseruans, & venerans, reliquas omnes intelligentias despexit. D. Bas.

Ausu temerario præfidens, ostendit Iesu omnia regna mundi tanquam sua.

confidentia sibi conflabat exitium, & victoriam cælesti agonothetæ comparabat, qui deiectione mirabili plaudentibus Angelis de Archidæmone erigebat trophæum. Factus est omnium minimus, vt magnitudinis laruam euanidam redderet; factus est velut insipiens vt mentis Satanicæ statuam, & giganteam sapientiæ molem dirueret. Deiectus est magnus à paruo, à sapientia humiliationis elatæ magnitudo mentis.

Nimia sui confidentia sibi conflauit exitium.

3. Alludit proculdubio Vates, iuxta lectionem LXX. ad illud decantatissimum Goliæ, & Dauidis certamen lib. 1. Reg. cap. 17. in quo Gigas de corporis vasti robore se se iactabat, de procero statu præsumebat, exprobrabat exultans agminibus Israel, eiusque phalangas prouocabat ad singulare certamen. Sed cerne qualis sit exitus pugnæ in magno de se præsumente, in paruo auide in Domino fiduciam collocante. Describens sanctus Chrysostomus hoc mirabile duellum, & spectabilem congressum; hæc verba offert, homilia de Dauid & Goliath tom. 1. *Vsus magno verborum fastu tumultuabatur, armaturamque suam omnem mouebat, ac arma exerebat. Et ipse quidem armorum virtute fidens, pugnam iniuit. Dauid autem fide, supernoque præsidio munitus. & dixit ad eum: tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo. Tu terrenis dimicas, ego cælestibus pugno. Tu in lancea, ego in fide. Tu in clypeo, ego in prece. Tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentissimo genitore.* Egressus est pumilio & adolescentulus aduersus monstrosæ magnitudinis hominem loricatum, sed in paruulo corpore magnitudo animi, & in superno auxilio fiducia vincebat. Statura illa magna, & proceritas fastuosa exinanita & ad nihilum redacta, virtute prosternitur. Magnam molem corporis imbellem reddit, & robore vacuam animus arrogantia pusillus: fortior in Dauide magnitudo humilitatis, & fiduciæ celsitudo sublimis, quæ staturam potentissimam, & proceram humiliabat. Nec noua hæc in adolescentulo religioso fiducia; inter nemora & siluas in pastu pecorum, & strangulatione leonis, & vrsi, ad fidendum in Domino sacer lanista seipsum instruebat. Cùm ergo timorem repulit à Regio pectore Saulis, dimicationem cum belluis produxit in medium, & adiunxit 1. Reg. cap. 17. vers. 36. *Nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus, erit ergo & Philisthæus hic incircumcisus quasi vnus ex eis.* Præclarè Theodoretus q. 40. in l. 1. Regum, ait: *Erat adolescens quatuordecim, aut quindecim annorum. Necesse ergo habuit dicere se omni reliquo tempore de victoria fiduciam concepisse.* Nec mirum si iam adolescens gigantem belluam armis instructam, diuino auxilio nudatam vincebat, qui à teneris annis superni auxilij patrocinium ambiebat. Transtulit omnia hæc ad sacratiorem pugnam inter IESVM, & dæmonem initam Sanctus Augustinus in titulo Psalmi 143. *Aduersus Goliath.* Legit Aurelius: *ipsi Dauid ad Goliam.* Et in certaminis sacri spectaculo suspensum de triumpho orbem, cura eximit his verbis: *Sed quid de victoria satagimus, quando prouocantem, prouocatumque cernimus? Prouocauit impietas pietatem, prouocauit superbia humilitatem; postremo prouocauit diabolus Christum. Quid miramini diabolum victum? Ille erat grandis statura corporis: iste autem statura paruus, sed fide magnus.* Solet esse in agonibus humanis, & singularibus certaminibus deiectionis pignus prouocatio, in prouocato vero felicitatis auspicium; dignum supplicium aggressoris quod in eius caput contumeliosi verbi iaculum, & minitans gladius recidat; indemnitatis alienæ amator, pacis sectator, refugiens modestè discrimen conflictus, iustitia seipsum tuetur, vires recolligit roboratus, cùm non excandescentia iratus, sed naturæ disciplina seipsum tuetur, vt repellat contumeliam, aut auertat lethale vulnus; hunc Deus adiuuat lacessitum, & ornat palma victoriæ. Prouocauit Zabulus tentator Dominum IESVM; Satanas dedecus, & Angelorum conuitia; IESVS, prouocatus plausum, & gloriam promeruit. Idem in Golia, & Dauidis digladiatione contigit; Dauid corpore pusillus, fide magnus, mentem magnam gigantis superbi, & staturam grandem deiecit. Nec fugit diabolum fallacem, & ad traducendum artificem callidissimum spiritualis armaturæ, nempe fiduciæ potentiam, & robur inuictum; IESVM vt nimium fideret seipso, prouocabat, cùm in templi fastigium illum sustollens, suggerebat. Matth. cap. 4. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Argutè Sanctus Hilarius mentem Satanæ prodit, canone 3. *Vult quoquomodo obedientiam elicere tentato: relaturus hinc gloriam, si sibi Dominus maiestatis, licet per confidentiam paruisset.* Artifici dolo exambit diabolus, vt ei obsecundet creator, vt de Creatoris obedientia à se solicitata, glorietur; suspicabatur argutus tentator sese præcipitanti Domino suffragaturos Angelos ad obsequium, & vehiculum; ipse tamen diabolus pro magna duceret gloria, si Dominus IESVS de virtute, & potestate confidens morem gereret tentatori; Satanas elicere conabatur à Domino intempestiuam confidentiam; ipse tamen cælestis pugnæ magister à conflictu remouit indecoram fiduciam, exemplar humilitatis præbuit.

Lect. LXX. — *Gigātis Goliæ iactātia, & præsumptio.* — *D. Chrys.* — *Armorum magnitudini, & virtuti fidens, pugnā iniuit.* — *Dauid Dei fiducia, & fide superbum Goliathum vincebat.* — *L. b. reg.* — *Adolescens Dauid leonē, & vrsum interficiens, ad victoria fiduciā seipsum instruebat in siluis.* — *Theodor.* — *Titulus Psalmi 143. aduersus Goliath.* — *Psalm.* — *D. August.* — *Prouocās ad certamē victus, prouocatus euadit victor.* — *Prouocauit superbia humilitatem, & diabolus Christum.* — *Dauid statura paruus fide magnus staturā magnum strauit.* — *D. Matth.* — *D. Hilar.* — *Diabolus de Christo relaturus gloriā, si Christus tentatus ei per confidentiam paruisset.*

4. Priscorum Patrum, & Imperatorum cohors eximiæ virtutis documenta reliquit, quando expugnaturi refertas hostibus, & munitionibus vrbes, fiduciam Domini pro omni telo, & panoplia adhibebant, Scientes non tam armorum strepitu, & lacertosis artubus opus esse ad pugnam, & triumphum, quàm precibus, & virtute superna. Testatur id Psalmographus Psalm. 43. velut epinicio carmine celebrans genitorum præclara facinora ibi. v. 4. *nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos; sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui.* Post expugnatas aut funditus deletas vrbes, phalangas excisas, reuecta de potentissimis hostibus trophæa; pectoribus triumphatorum humilitatem inseruit, elationem animi repulit Spiritus supernus, vt non limato gladio occisorum cruore ebrio, aut brachio vinci nescio, felices euentus bellorum adscribant, sed dexteræ excelsi, & brachio Patris nimirum IESV cælesti bellatori, qui in certamine, & bello in eorum fide pugnabat, & precibus exoratus vincebat. Pulchre sanctus Ambrosius Dauidico modulamini hæc adiicit verborum decora: *ad ipsum ergo omnia iure referenda sunt: Ipsi Moyses, ipsi Aaron, ipsi etiam patres sacrabant vniuersa, quæ gesserant, vt de*

Antiqui patres Domino Iesu pro ipsis decertanti, referebant triumphorū glorias. — *Psalm.* — *D. Amb.* — *Præclara bellorum facinora Iesu sacrabant.*

de hostibus triumpharent. Nec solum aras externas ex lapidibus aut tellure compactas, sed spiritales erigebant in cordibus suis, vt ad seruitutem redactas vrbes nationum, subiugatos Reges, opulentas exuuias IESV pedibus sternerent, & tanquam sacra anathemata de tholo suspenderent; nemo arrogans, nemo superbus victoriam sibi adscribat, sed totum ad gratiam Domini IESV referat, nec in sua fortitudine glorietur, sed dextera Dei credat se esse seruatum, & protectum. Apposite subiungit Ambrosius: *Nec enim in sua confidentia dixit IESVS Naue: stet Sol contra Gabaon: sed quia præsumebat in Christo, quem ducem militiæ cælestis agnouit, & suppliciter adorauit.* Id enim cap. 1. Iosue refertur v. 13. vbi Angelus quis esset requisitus, respondit: *sum princeps exercitus Domini: cecidit Iosue pronus in terram, & adorans*, &c. Quæ virtus, & audacia maior, quàm cælestibus imperitare orbibus, vt rectorem siderum voci hominis obtemperantem redderet? Volucres rotarum vertigines sistere, incitatum ab Angelo cursum inhibere; fiducialiter agebat & præsumebat in Christo, cuius fide vincebat, & inauditis facinoribus replebat orbem: *Sed quia præsumebat in Christo, nec enim in sua confidentia*, inquiebat Mediolanensis Pontifex, vt terrenis, & temporaneis bellis formam præscribat victoriæ in spiritali certamine, in quo ille fortior, qui est humilior, & propriis diffidens viribus ad cælestem protectionem confugit spem suam collocans in auxilio superno.

D. Amb.

Iosue solem stare fecit, quia præsumebat in Christo Iesu, quem ducem militiæ cælestis agnouit, & adorauit.

Iosue.

5. Merito obiurgat Oseas Israëlem, & tribum Ephraim, quia impendente Assyriorum prælio, ad Ægyptios tanquam ad tutelares Deos, & patronos confugerant, spretis valentissimæ diuinitatis auxiliaribus copiis; viribus corporis nimium turgentes confidebant. In eorum elationem impingit cap. 9. v. 1. *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.* Quid autem hæc sententia præseferat, exponit Sanctus Cyrillus Alexandrinus, dicens: *Relicto Deo Saluatore, & in ipso ac solo gloriandi perseuerantia, vt te iam veteri atque obsoleta posthabita, existimabant per se hostibus formidabiles fore, nec ab iis subactum iri, cùm in tantam frequentiam essent acciti, abundarentque liberorum multitudine infinita.* Gloriabantur Israëlitæ, & Ephraimitæ numerosa prole, & copiosa turba militum, & copiarum, quibus se inuictos, & inaccessos hostibus censebant: spreto Deo seruatore, & protectore, cuius nutu sæpissime innumeras hostium acies profuderant onusti triumphis; confidentia superni numinis post tergum relicta, & spreta; robore, armis, & multitudine confusa prælantium formidabiles Assyriis fore iudicabant; sed denudati auxilio superno, quod frequentia pepererat trophæa, tanquam agni, & arietes ad lanienam, & macellum ducti contraditi sunt manibus hostium; qui confidentia Israëlis, & obliuione Domini superabant. Fiducia potestatis, & arrogantia virium hostem licet Deo exosum, ab ipsius fide deficientem, transgressionibus immersum: reddit inuictum; neque enim eius felicitas, aut in conflictu dexteritas, sed Domini contemptus, & sui gloriatio victoriam hostibus adstruebat, & triumphale coronamen ad eorum caput declinabat.

Oseas.

Israel deuictus, quia abiecta Domini seruatoris fiducia, in abundantia filiorum, & militum præsumebat.

D. Cyr. Alex.

6. Perplacet intueri conflictum mirabilem mulieris, & draconis à Ioanne Theologo descriptum Apocalypsis cap. 12. in maiori discrimine licet cœlum ferret suppetias fœminæ, alasque inderet, vt celeri volatu ad eremum migraret; potissimum adiutorium de terra mutuauit, ibi vers. 16. *& adiuuit terra mulierem.* Quæ terra isthæc validior, & potentior, quæ aduersus colubrum tortuosum in terra reptantem, in spiras se voluentem, & horrende sibilantem, insuperabilem fœminæ largita est manum? Occurret percontanti Sanctus Andreas Cæsariensis Archiepiscopus in Apocal. cap. 35. scribens: *iuuit terra Sanctorum submissione, qui verè recteque dicere solent: ego sum terra, & cinis, omnes superbi diaboli laqueos eneruans. Nihil enim vt diuino Antonio ab Angelo indicatum est, diaboli vires ita frangit, sicuti humilitas.* Ad terram abiectam, ad originariæ formationis exordium, & vilissimum nostri plasmatis lutum, mentem fœmina reuocauit, vt versipellis draconis declinaret insidias; sub nihili & naturalis ærumnæ agnitione reddebatur stabilis; sciebat enim hostem cecidisse per superbiam; instruebatur per humilitatem eius conterere caput. Propria enim submissio diaboli vires frangit, tendiculas eneruat. Humilitas, & sui diffidentia alæ sunt cælestes, quibus pennigera redditur, & volucris, vt cæli alta contingat, vt cassides, & tricas irrideat tentatoris; anima enim per humilitatem super omnes mundi laqueos, & sæculi retia immunis superuolat; vnde ex telluris attactu, & terræ tutela non redditur ponderosior; sed agilior, vt euadat discrimina. Et rectè subiungitur cœnosi gurgitis, & lutulenti tramitis rapidam, inundationem de ore draconis eructatam non inuoluisse, nec traxisse fœminam præliatricem: *Et aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.* Habet enim terra humilitatis dilatatos sinus, variosque hiatus, immensæ altitudinis voragines, quæ carnalis voluptatis torrentem, & flumina humanarum passionum absorbet, & exsiccat, & voracitatis eximiæ vitali calore decoquit, & consumit.

Apoc.

Adiuuit terra cælestem mulierē aduersus draconem decertantem.

S. Andr. Cæsar.

Humilitas & submissio diaboli vires frangit.

Terra humilitatis suis voraginibus, & dilatatis sinu flumina iniquitatis absorbet, exsiccat.

7. Apparet prospicienti solertius hanc pugnam, quid simile accidisse mulieri, quod Antæo Giganti, & monstro ex terra oriundo, cum Hercule congredienti. Describit tanti luctatoris industriam Eusebius Emisenus homilia 8. de Pascha, his verbis: *Refert autem & traditio sæcularium litterarum, habuisse quemdam in exercitio vsuque certaminis hoc genus virtutis ac roboris, vt quoties in luctamine succumbens, virium suarum amicam, & nutricem terram impulsu aduersarij contigisset, totiens de solo surgens magis, ac magis in aduersarium praualeret: ac sic deiectio prostrati, occasio fiebat triumphi. Dabat enim quodammodo infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam.* Antæus in palæstrica arte exercitatissimus de terræ cōtactu fit fortior, de submissione, & humiliatione robustior; dum erigitur à terra, & exaltatur, vires amittit, & vincitur; dum deiicitur, & alliditur ad terram insuperabilis redditur. Dabat illi puluerulenta volutatio decorem, oppressio virtutem, humilitas exaltationem; ab Hercule complexus, & tentatus in sublimitatem erectus incurrebat languorem, & omnium virium dissolutionem mirabilem; cùm ad

Gigantomachia Antæi, & Herculis describitur.

Eusèb. Emis.

Antæus succumbens, terra contactu reddebatur animosior, & in aduersarium præualebat.

Deiectio prostrati, occasio erat triumphi.

ad natiuitatis suæ terram extendebat manum, insuperabilis reddebatur; totam roboris, & auspicati certaminis fiduciam in submissione ad terram collocabat; quia in sacra pugna virtutis non erectus animus, & euanescente gloriola turgidus, sed per humilitatem demissus hostem superat. Optime percalluit Iob hæc instituta conflictus, & certaminis spiritalis canonica, cùm à Dæmonum turba lacessitus, & tot machinis impetitus in terram se prosternit. Iob cap. 1. v. 20. *Corruens in terram, adorauit.* vel iuxta Lxx. interpretes: *& procumbens humi, adorauit.* In catena Græcorum Patrum legitur: *& cadens in terram, adorauit Dominum.* Origenes Adamantius ita dispungit: *& prostrauit se in terra, & orauit ad Dominum.* Et has omnes lectiones illustrat in Iob lib. 1. *Iob prostratus deiecit diabolum, altum humiliauit, exaltatum supplantauit, confudit fortem, deformauit elatum. Super hæc autem omnia, quod omnibus maius, atque superius est, cum sua prostratione Iob diabolum deiecit.* Et statim adiungit. *Prostratus in terra orauit ad Dominum, vt prostratio eius ruina efficeretur diabolo, atque subuersori maligno.* Telum assumpsit Iob de armamento humilitatis valde limatum, quo diabolum sauciaret, sciebat enim per elationem, & arrogantiam de cœlo corruisse; ideo de terra, de abiectione sua, de prece, animo suo parat firmamentum, & Satanæ exitium; in qua demissione non solum dæmonem superat, sed obiurgat, edocens exemplari magisterio iactabundum, & superbum à Domino humiliari, exaltari humilem. Ad terram procumbit, & Dominum venerans deprecatur, vt præscribat formam viuendi pugilibus sacris in stadio virtutis, & agone tentationis certantibus, vt vexari ab hostibus ad terram plasmationis recurrant, imbecillitatem agnoscant, nihil de se præsumentes, in Domino confidentes, pro auxilio opportuno continuò deprecantes.

Iob à dæmone lacessitus, in terram se prosternit, vt vincat.
Iob.
Lect. Lxx.
Græc. Patr.
Orig.
Iob prostratus, & deiectus, altum, & elatum dæmonẽ deiecit.
Oratio cum prostratione diabolũ subuertit.

8. Destinatus ad triumphum Goliathi cælesti calculo filius Isai minimus, & introductus in aulam Regiam Saulis, de armorum suorum penu voluit instruere, & ornare adolescentem; pectus tamen ouinis pellibus assuefactum, ferrea, & loricata tegmina respuit 1. Reg. cap. 17. v. 40. Dixitque Dauid ad Saul: *Non possum sic incedere, quia non vsum habeo & deposuit ea.* Vbi disquirit os aureum cur nullum Saulis armaturam ad conflictum detulit? Nec enim esset obstaculo pastori si cristata galea solidaret verticem; aut pugione Regis, & acinace se accingeret. Saulis armamentum omne deposuit, vasa pastoris assumpsit, vt apud iuuenem præliantem, & Dominum superantem solitaria maneret victoriæ gloria. Chrysostomum audi fantem tom. 1. in Psalm. 50. *Non permittebat hoc fieri Deus, vt nudus vinceret, & non arma Saulis virtutem victoria partirentur, Proiecit arma, & induit fiduciam.* De animositate iuuenis Saul fauitum victoriæ prælibauit auspicium: auebat itaque Rex in ancipiti prælio non sequestrari à gloriæ consortio, cum puer industria sua vinceret; cum enim nitenti galea Regis, & limato gladio munitum pugilem cernerent, non soli robori Dauidis, & felicitati, sed Regalibus armis lauream decerneret populus. Sequestratur itaque Saul à consortio pugnæ, & participatione victoriæ; non promerebatur partitum triumphatoris munus, qui metu perculsus domi clausus non subibat fatalis aleæ periculum: *proiecit arma, & induit fiduciam.* Non solum deposuit, sed proiecit ponderosa nimis integumenta confidentiæ suæ remoram, præclari trophæi obstaculum; noluit secum deferre onera, animum ad æthera volucrem, de spei anchora affixum, & suspensum, ad supernum auxilium conuolantem, ad terrenam tutelam deprimentia; ea non adiumentum, sed detrimentum beatitatis iudicauit inuictus iuuenis. Fiducia Domini cataphractatus giganti occurrit, eius fastum deiecit, vt integra corona triumphi exercituum Domino deferretur. Merito laudationum monile, encomiorum torques aurea à puellis psaltriis & tympanistriis compactum Dauidi defertur.

Lib. Reg.
Dauid arma Saulis despicit, vt nudus vincat.
D. Chrysost.
Noluit Deus inter Dauidẽ, & Saulis arma diuidi victoriam. Dauid arma Saulis proiiciens induit fiduciam.



Et torques.

Præmium victoriæ:

Ecclesiæ Christianæ torques aurea.

Discursus II.

Donis cælestibus fœcundissima est tribulatio, & de tentationis cumulo, maius munera accipiunt incrementum.

1. De Torquatis militibus scribit Vegetius lib. 2. de re militari cap. 7. *Torquati duplares quibus torques aureus, solidum virtutis præmium fuit, quem qui meruisset, præter laudem, interdum duplas consequebatur annonas.* Et sanctus Thomas in hoc Isaiæ loco ais: torques esse: *quædam ornamenta colli vsque ad pectus pendentia, in honorem victoriæ data.* Ornat quoque Iesus Imperator milites suos multiplici mercede felicitatis æternæ, quam tribulatio ipsa, & tentatio constanter tolerata parturit, quæ solet esse fœcunda cælestium remunerationum. In loca pascua, & herbida pecudum pabulo viridantia montis Sinai ductabat gregem Moyses, cùm spectator factus est cuiusdam diuini prodigij. Etenim rubus à radice ad apices flammis correptus, incombustus ardebat. Exodi cap. 3. v. 2. *& videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Frutex debilis, senticosus, inualidus, populum Dei oppressum Ægyptiaca seruitute portendebat, sustinens Pharaonis tyrannidem; flamma vorax tentationem, tribulationem denotabat, quæ non consumeret ærumnis populum afflictum, sed purificatum, & illustrem redderet. Insigne tamen arcanum eminet diuinæ sapientiæ, & potestatis; cum enim ei natiua exurendi virtus inhibetur, beneficiis potioribus exuberat, iisque cingit virgultum spinosum. Recenset rubo præstitum ab igne munus Philo Iudæus lib. 1. de vita Moysi dicens: *correptusque totus à radice vsque cacumen flamma in morem fontis scatente, manebat integer, & illæsus, quasi non esset incendij materia, sed ipse ab igne aleretur.* Alterum beneficium ab amico igne susceptum refert

Veget.
Torques in decus victoriæ militibus donata.
D. Thom.
Exod.
Ignis rubi tentationem, & afflictionẽ populi denotabat.
Phil. Iud.
Ignis in fontis morẽ, à toto rubo scatebat.
Ignis rubum non consumebat, sed alebat & vegetabat.

Guill. Petr. Palud.

Inter tribulationes Deus crescere faciebat hebræos. Ignis virtute rubi frondes subito germinarūt, & fructificarunt.

refert Guillelmus Exodi cap. 3 clausula 1. dub. 8. ex Petro Paludano Patriarcha Ierosolymitano; cuius verba sunt: *Fuit dictus ignis præsentis beneficij demonstratiuus, quo quidem beneficio virtus diuina multiplicabat, & crescere faciebat Hebræos inter tribulationes Ægyptiorum, sicut & conseruabat rubum integrum, & illæsum inter flammas. Nam secundum Iosephum virtus illius ignis faciebat subito rubum ramos fructiferos germinare, quod natura alias fecisset successiuè.* Flamma illa ratione superna moderata, mirabiliter operatur suæ naturæ aduersa; debile virgultum corripit, non exurit; materiam ignis, & pabulum flamma non deuorat, sed amplexibus cingit, & linguis adlambit illæsum: Circumdatur igne rubus, sed non experitur hostiles insidias flammæ crepitantis, in cinerem frondes redigentis; sed amica societate illum ignis exambit, & refouet. Ex igne lignum non sensit damnum, sed lucrum. *Flamma in morem fontis scatente.* Velut aquarum scaturigo ignis plantam à radice fastigium vsque irriguus reddebat frugiferam; vt innueret tribulationis ignem non perdere, aut consumere angustiatum, sed muneribus cumulare; est enim aduersitas perennis beneficiorum fons indesinenter scaturiens, & limpidissimos latices gratiarum in interiora hominis refundens; itaque non exurit flammis minantibus, sed stillicidiis gratiarum exornat pulchrè de cœlo rorantibus. Opprimit Pharao populum electum, vt penitus exscindat, sed inter ærumnas, & labores Ægyptiorum maiora virtutis, & gratiæ incrementa sumebat, fœcundabatur lignum tentationis irriguo, de cuius vbertate pulchrius vernabat. Nec prætereunda silentio argutia Ierosolymorum Patriarchæ Paludani: *Virtus illius ignis faciebat subito rubum ramos fructiferos germinare, quod natura alias fecisset successiue.* Mirus ignis, qui propriæ virtutis oblitus nescit exurere densitatem frondium, exarentes spinas; sed interiora rubi vitali animabat calore, vt subito virgulta gemmarent, erumperent flores, & fructus, & grato viridantium foliorum ornatu vestiretur. In momento donabat ignis germina, quæ succedentibus temporis morulis, natura largiretur. Vberibus, & præproperis partubus angustiatum coronat afflictio; retardatur quandoque Dominica manus, & nostris constringitur criminibus, aut vt munera claudat, aut in morem paulatim distillantis roris diffundat; angustia alacriter tolerata, quæ coangustare videtur animum, manum supernam aperit, vt omni repleat benedictione in conflictu tentationis desudantē, adstipulata est vbertas beneficiorum, ærumnæ; rapidum, & exundans munerum flumen, voluptatis torrentem tribulationi spopondit Deus; vt quæ in prosperitate guttatim diffluunt à Deifica beneficentia; in aduersitate non per partes diuisa, sed coaceruata dona simul infundat.

Tentatio, & aduersitas perennis & nescitinorum fons.

Paluda.

In momento donabat ignis germina omnia & prouētus quos natura successiue largiretur.

Munerum torrens diuinorum adstipulata est tentationi, & ærumnæ.

2. Peruenit populus peregrinator ad eremum sitiens Raphidim omni puteo, & fonte orbatam; Moyses, vt murmurantis populi sitis ariditate pereuntis, inhiberet conuicia, iussu Domini percussit virga silicem, & limpidissimos aquarum latices euomuit. Exodi cap. 17. v. 7. *& vocauit nomen loci illius tentatio*, quia tentauerunt Dominum, & ipsi tentationem, & laborem sitis sustinuerunt. Quæ autem sit petra, aquarum scaturigo explanat Paulus 1. Corinth. cap. 10. v. 4. *Bibebant autem de consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Sanctus Ambrosius demiratur silicis, & fontis sequelam. Psalm. 36. circa id: *iuuenis fui*, & hæc verba profert: *Illos igitur querulos, illos murmurantes, illos præuaricantes, tamen non deserebat Dominus, sed sequebatur.* Vt satiaret vbertim, & beneficia maiora conferret: Quid comperit Dominus in populo præuaricante, legumque transgressore, pro muneribus contumelias aduersus Creatorem iactante, vt per inuia terrarum, montium crepidines, & salebrosa itinera sectetur errantem, tanquam sponsus deperiens sponsam? Dominus IESVS immemor iniuriæ, memor clementiæ, afflictos persequebatur, vt eis solamen infunderet. Cernebat in loco tentationis commoratos, ideo eis se præbuit afflictionum consortem, itineris socium, hominum contubernalem; populum comitatur ærumna & labor, sed beneficiorum fons inexhaustus subsequitur; sed quis fons, quæ petra riuos effundens sequitur Israëlem? Argutè Eusebius Emisenus homilia 5. de Pascha ait: *Ex cuius sacro latere sanguis, & aqua lanceæ illisione profluxit; sicut & Propheta multo ante præcinuit: percussit petram, & fluxerunt aquæ. Et Apostolus: bibebant de consequente eos petra, petra autem erat Christus. Vides quod qui de Christi biberit gratia, sequitur eum Christi misericordia.* Hominis exasperati laboribus, amaricati fellea, & absynthia potione tribulationis, dulce præsidium, & decus est vulnus lateris Christi; myrrhata labia, & lurida de peracerbo calice mœroris, & angustiæ; de torrente voluptatis potantur, de aperto ore, & scaturiente vulneris fonte, vt transacta tentationis amaritudine, sugant mel de petra, oleumque de saxo durissimo, gustent & videant quàm suauis est Dominus. Iesus itaque petra lanceæ illisione percussa, sanguinis & aquæ riuulos profundens sequitur populum peregrinantem, vt fessos recreet, sitientibus propinet populum de fontana Deitatis dulcedine scaturiens. Felix sitis cui fit satis de tanti fontis irriguo, quod Angelos complet, & beat; beata ærumna, cuius medela de Christi vulnere suffunditur. *Sequitur eum Christi misericordia.* Nec solum habemus curatorem Iesum, sed afflicti sectatorem, vt misericordiæ viscera super ipsum effundat.

Tentationem quatienes populi appellatur tentatio. Exod.

Ad Chor.

D. Ambr.

Querulos, murmurantes, & præuaricantes hebræos petra deserti sequebatur.

Dominus cū Israelitis tētatos cerneret, itineris sociū se præbuit.

Beneficiorum fons subsequitur populum ærumnosum.

Euseb. Emis.

Petra percussa Christi apertum, & percussum latus innuebat.

Qui de Christi bibit gratia sequitur eum Christi misericordia.

Iesum, aperto latere sanguinem, & aquā fundente, sequitur populum peregrinantem.

3. Veridicum, & profundum effatum mellico concentu personat ex ore Dauidico Psalm. 144. v. 15. *Et tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manum, & imples omne animal benedictione: iustus est Dominus*, &c. Vir immensæ subtilitatis Augustinus legit: *Tu das escam illis in opportunitate.* Vbi iuuamen gratiæ congruum, & circunstantias auxilij opportuni, de quo in scholis est non exigua contentio, dilucidè proponit sapientissimus Doctor: *prorsus tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere tunc das, & quod debet accipere tunc das. Et si non das aliquando, das tamen in opportunitate. Differs, non aufers, & hoc in opportunitate.* Aiunt plerique Doctores, qui Theologiæ scholasticæ obtinent fastigium, auxilium efficax eiusdem esse cum sufficienti qualitatis, impendi tamen à Deo in tali opportunitate, & circunstantiis congruentibus indutum, in quibus prænouit diuina sapientia voluntatem bonum operaturam, & hoc nuncupat Theosophiæ

Psalm.

Dominus exhibet escam populo in tēpore opportuno.

D. August.

Auxilium gratiæ congruum.

Quid sit dare in opportunitate.

Digitized by Google

D. August. *Auxilium opportunũ, & efficax Deus in tribulationibus offert.*

Theosophiæ primas Augustinus largitionem Dei in *tunc*, & *quando*, & *in opportunitate* conferre escam & pabulum gratiæ, quo animus ad æternam vitam alitur. Has tamen suppetias opportunas, & congruas largiri solet Dominus in tribulatione; vt cùm homo in ærumnis exacerbatur, & in tentatione vehementius incitatur à subdolo hoste ad malitiam, & ruinam; auxiliatricem manum, & robustam porrigat Dominus, vt eam in infirmitate sua validiorem experiatur homo. Hoc donum præclarum. & augustum dignius, & nobilius cœlo, & omni decore, quod ambitu orbis continetur, in tribulatione tamen constitutis solet Deus infundere. Vnde argutè subiungit Augustinus: *Omnes Sancti in tribulationibus constituti prius iustitiam laudauerunt, & sic beneficia petierunt.* Hæc gratiæ vbertas, indebita est naturæ, nec de condigno promeretur, potest tamen promereri de congruo; congruentia tamen, & opportunitas est ipsa vexatio, & labor ærumnæ, in qua piissimus Pater ad compassionem inflectitur, vt viscera misericordiæ vberioris super afflictum infundat; ipsaque aduersitas vocalissima est, singularem obtinet titulum & suffragium erogandi & eruendi impensius auxilium. Ideo sancti in tribulationibus constituti fiducialius clamabant pro dextra opitulatrice; quia ipsa calamitas eos in opportunitate postulandi, & recipiendi tantum munus constituit. Magna tribulationis felicitas, quæ bonorum omnium fontem efficax auxilium à Domino exorat, & ad hominem attrahit.

D. August. *Tẽpus opportunum obsecrandi, & obtinendi, Dei vulnera cum tribulamur.*

4. Agonem Iacobei certaminis, & sudores athletæ fortissimi ab vtero matris in palæstra virtutis strenuissimi, & aduersum Deum præualentis celebrat Moyses Genes. cap. 32. v. 24. *Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Luctaminis, & agonis fructum ponit. v. 30. *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Ostendit aduersitatis prouentus; iam enim IESVS in progenitore suo ærumnas beabat, & indigentiam terrenorum pro obedientia fideli, & pietate susceptam reddebat splendidam, & bonis omnibus exuberantem, vt eum homo non iam toruo vultu, sed amico, & placido tueretur. Munerum abundantiam in laboribus nactam proponit Alexandrinus Archipræsul. Sanctus Cyrillus, fatus: *Luctatus est enim cum eo Angelus, vt in forma Dei. Veruntamen diuinus Iacob gratias huic luctæ agebat: decebat enim: quia vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Et statim subiungit: *in se ipso ostendit nobis Patrem Emmanuel, dicens: qui vidit me, vidit & Patrem meum.* Puluerizabat cum pancratiaste Iacob Deus, aut Angelus in forma Dei, ex lucta Angelus speciem Dei, & pulchram diuinitatis præferebat imaginem; etenim Angelus ex labore pancratij, & conflictus, sudore fit pulchrior, tanquam quoddam diuinitatis simulacrum comparuit, in Angelo colluctante sese transformauerat diuina maiestas. Cerne quanta certamen pietatis emolumenta parturiat, Angeli speciem in Deitatis formam transfert, Iacobo Dei, & Angeli conciliat amplexus, vt in Dei lacertis, & visceribus misericordiæ conquiescat; infrangibile munimentum, & singularem tutelam agonis labor homini periclitanti vsurpat, crebros amoris anhelitus, & alta suspiria in pectore suo, & vultui intime approximantem Creatorem. Merito: *diuinus Iacob gratias huic luctæ agebat.* Ex ea namque nactus est vitam, vbi impendentem sibi formidabat mortem; sudoribus alieno, feriato laborum conflictatione, ominosa sit mortis, species Dei, & visio Dei; at in ærumnarum, & aduersitatum palæstra exercitatissimo, ex visione Dei fausta omnia proueniunt, quod Verbi Dei, & solis iustitiæ IESV splendoribus illuminetur æternis, in Filio cernat, & Patrem, & sacri Pneumatis protegatur velamento; humano luctatori fons gratiarum, scaturigo omnium bonorum extitit aduersitas, quæ maior beatitudo quàm cernere, quantum fas est homini mortali, mysterium Christi, & totius Trinitatis? etenim corpulenta substantia quæ ad terrenas voluptates, & inferiora huius mundi inflectitur, attenuata est sudoribus, & velut spiritalis facta laboribus, vt ad sublimem Deitatis agnitionem perueniat. Argutè ait Sanctus Diadochus Episcopus Photices lib. de perfectione spirituali cap. 24. *Ad experientiam igitur sensus, materiæ, & concretionis expertis sine errore veniemus, si materiam laboribus tenuem, & subtilem effecerimus.* Hæc ille.

Exod.

Tentatio, & ærumna pro Dei tolerata bonis omnibus exuberantes.

D. Cyr. Alex. *Luctabatur cum Iacob Angelus in forma Dei. Iacob gratias huic luctæ agebat. Tentationis, & luctæ prouentus visio Dei.*

In Angelo colluctante, se se trãsformauit diuina maiestas.

Humano luctatori fons gratiarũ, scaturigo omniũ bonorum extitit aduersitas.

D. Diadoc. *Terrestris corporis materia laboribus subtilis redditur.*

5. Excitat Deus Iobum calamitatibus oppressum consolatoriis verbis cap. 11. cuius versus 17. mirum continet leporem: *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: & cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer.* Prædicta verba effert versio Græca LXX. interpretum, quam sequitur catena Græcorum patrum: *De meridie autem orietur tibi vita.* Eamque illustrat Olympiodorus in eadem catena, conceptumque proponit his verbis: *Meridiei nomen transfert ad ipsam calamitatem. Est enim meridies lumen solis exurens. Vt igitur doceat illi in calamitate versanti diuinam opem affuturam; meridiei, id est vehementioris æstus mentionem facit, dixitque eius præsenti calamitati Dei opem orituram.* Sæpe sæpius alibi in Scriptura sacra per vmbram, & caliginem aduersitas exprimitur, in præsenti vero per meridianum lumen, quia lucis est fons, quæ se vbertim in pectus infundit, & cognitione nobiliori diuinitatis mentem meliorat: dum acriter tentatur homo, se iudicat appropinquasse vsque ad portam, & vmbram mortis; & catena tenebrarum, dum non liberatur, compeditum, sed virtus tolerantiæ maior illum suis fulgoribus ambit, & reddit de ipsa infirmitate splendidiorem, quasi mane iucundum, & serenum; & sol oriens ex alto gratiarum lumen erumpit, & replet splendoribus animam; dum vritur æstu tentationis vehementiori, amplius exæstuat amore diuino, & charitate flammifera exuritur. Argutè dictum à LXX. sapientibus: *De meridie orietur tibi vita.* Calamitas scaturigo luminis est, & fons vitæ quæ per tolerantiam passionum mercedem operatur æternam; nec enim ictus iste radiorum hominis mentem decolorat, nec æstus feruor ferientis aduersitatis reddit atram, aut tenebricosam, sed instar solaris iubaris præfulgentem; hæ tenebræ tunc erunt sicut meridies, vt per tentationis lumen videamus lumen æternum, quod procedit à Patre, apud quem est fons vitæ, quæ nulla intercipitur morte.

Iob. *Meridiei nomine calamitas notatur.*

Lect. LXX. Cat. Greg. *De tribulationis meridie oritur vita.*

Olymp. *Meridies lumen est solis exurens. Iobo in tentationis meridie vberior Dei opes affuit. Tentatio fons luminis, & amoris.*

Lect. LXX.

6. Eximiam Abrahami fidem exploraturus Deus, dilectum Isaac pignus ad sacrificium expostulat,

postulat;in quo non tam demiror victimæ magnalia, quod filius vnicus ex sterili vulua germinans, parentum solamen, oculorum lumen, senectutis baculus immoletur; sed litationis genus, quo mactandus est: *Offeres eum in holocaustum.* Genes. cap. 22. v. 2. per verba hæc onus graue Dominici præcepti Abrahæ imponitur, non tam quod offeratur in sacrificium, sed in holocaustum.

Holocausti canonica. Genes.

Cernamus quæ sint holocausti canonica, vt sapientia præcipientis,& pietas obtemperantis, & fortitudo effulgeat. Leuitici cap.6. v. 9. *Hac est lex holocausti: cremabitur in altari tota nocte vsque mane.* & v. 10. *Tolletque cineres, quos vorax ignis exussit,* &c. *vsque ad fauillam consumi faciet.*

Leuit.

Tota victima in holocausto vsque ad fauillas consumitur, vt illius reliquia non supersit.

Non sat est Isaac ad lanienam trahi, & iugulo formosi adolescentis cultrum insigi, vt sacro cruore parentis inficiatur manus, & sanguineis riuulis tellus inspergatur, & immadescat;truncum, & exanime corpus palpitantibus adhuc vitalibus in terra volutetur? Cur specie quadam piæ crudelitatis desæuiendum præcipitur à Domino in cadauer, ignis omnia deuorantis, & in fauillas redigentis ministerio? Argutè hoc examinat Oleaster, dicens: *Quid est hoc Domine? Si enim me lanium filij facere vis, cur sepeliri non permittis, & saltem sepulchri præsentia consolari? Nihil horum, sed in fumum carnes abibunt & ossa, vt nihil vestigij, quo consoleris, relictum tibi sit.*

Oleast.

Cur sepelire filium,& funeris iusta soluere, Deus Abrahamo non permittebat.

Nullum corporis vestigiũ ad consolatiõnẽ Abrahæ voluit Deus superesse.

Animum iusti Dominus vehementioribus tentationum stimulis exacerbat: non sufficit patrem esse lanionem filij,nisi corpus vita defuncti cremet, & consumat horrido, & crudeli busto; parentandi corpori, & funeri iusta soluendi locus adimitur; totum cadauer in cineres abeat, in fauillas, & pulueres fatiscat; vt polinctoris, & funeratoris munus Abrahamo denegetur, amplexandi, & reponendi cadauer in conditiuo sepulchri,non perfruatur solatio; nullum superstit spolium victimæ, quod parentis recordationem oblectet. Sic durius tentat amicos, & fideles suos Deus, nec consolationis lenimento laboris acerbitatem statim emollit.

Maximos heroes Deus, sublata omni consolationis dulcedine, quandoque tentat.

Magnum certamen cum aduersitate confligere remota omni oblectatione, & iucunditate, hunc tamen conflictum nonnisi heroïbus suis, & athletis fortissimis fidit Deus; nec abiit indecora, & indotata huius tribulationis acerbitas,per ipsam Abraham à sæculis absconditi sacramenti particeps fieri promeruit:

Tentatio cum tanta acerbitate coniũcta non extitit Abrahamo infructifera.

D.Cyrill. Alex.

Pulchrè Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum, ait: *Neque vero infructifera res ei fuit tentatio cum tanta acerbitate coniuncta: edoctus enim est, resurrectionis à mortuis, omnem rationem superans atque stupendum miraculum: praterea venerandum atque ingens Incarnationis Vnigeniti mysterium.*

De mysterio resurrectionis & incarnationis Christi arcano Abrahamus instruitur.

Tentationes magna, magnorum mysteriorum, & reuelationũ sunt præludia.

Tentationis fructus reuelatio est diuinorum, per ipsam aditus aperitur prænotioni futurorum menti Abrahamidæ; vt agnoscat Dominicæ Incarnationis, & resurrectionis Christi mysterium: tribulationes magnæ magnarum reuelationum sunt præuiæ. Nec ante vexationem animi in litando filio introductus est pater fidei, in cælestis sapientiæ Lyceum,vt fieret docibilis Dei,& Theologicæ notitiæ candidatus, & cernens diem Christi gauderet, sed post afflictionem, & pericula; aduersitatibus namque acerbissimis adstipulata sunt incrementa virtutum, & arcanorum Dei vberiora lumina.



Et torques.

Virginis Deiparæ torques aurea.



1. HÆc omnia decora, quæ Synagoga amisit, iure transferuntur non solum ad Ecclesiam Christi, sed etiam ad Deiparam, vt iam prædiximus; cum vero torques ex variis lamellis, aut margaritis insertis aptè compingitur, diuersa munera, & ornamenta gratiarum denotant, quæ in Maria præfulserunt.

In Mariana torque virtutum ornamẽta,& gratiarum margarita præfulgent.

Appositè de iustis Sanctus Gregorius Magnus in exordio prioris discursus relatus prædixerat: *In munere torques datur, vt quia signa virtutum gestant.* Quod prædicandum est de Regina Angelorum.

D.Gregor. Magn.

Ideo sponsus collum Marianum pulcherrimis torquibus exornat. Cantic. cap.1. v.10. *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia.*

Cant.

Vbi verbum Hebraïcum חרוזים significat torques, aut gemmas, & margaritas coniunctas, & ordine dispositas.

Torques ornantur, & distinguuntur gemmis.

Ritè transtulit ex Hebræo SanctisPagninus: *Pulchra sunt maxilla tua propter margaritas, collum tuum propter torques.*

Lectio Heb. SanctisP.

& Rabbi Salomon vim verbi Hebraïci expendens, ait: *Sunt ordines monilium aureorum, quæ auribus, & frontibus adhibentur.*

Rabbi Salomon.

Ostentat Maria virtutum serta gemmantia plusquam sidereo, & solari lumine collucentia. Ideo velut argentarij fideles de collo,fronte, & pectore Mariæ cœlestium charismatum appendimus ornatum, quæ ad æmulationem prouocent fideles animas. Primum Angelum Deus his monilibus ornauerat ante lapsum Ezechielis cap.28.v.13.*Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, &c. *Et foramina tua in die, qua conditus es preparata sunt.* Postrema verba transtulit ex Hebræo Vatablus: *Opus tympanorum tuorum, atque fistularum tuarum in te præparata sunt, in die quo creareris.*

Vatabl.

Consonat Sanctus Hieronymus in commentario Ezechielis referens Symmachi versionem: *Symmachi interpretatio istum principem Tyri quasi pretiosissimum monile lapidibus scribit esse distinctum. Denique auri tympanum vocat, in quo infixi sunt lapides.*

D. Hieron. Sym.

Rex Tyrius quasi pretiosum monile lapidibus distinctum.

Et de Rege Tyri hæc accipi non posse subiungit, sed de magna fortitudine, & suprema intelligentia Angelica, quæ condita est, vt donis, & gratiis suis tanquam tympanis, & fistulis collaudaret Creatorem, & iubilaret cum filiis Dei. Hoc monile gratiarum, & donorum cœlestium gemmeam torquem Angelus superbia amisit; sed Mariana humilitas adinuenit.

Monilia gratiarum, quæ primus Angelus amisit, Maria vberius vsurpat.

Longum esset ire per singulas gemmas; nonnullas expendemus, ex iis opus tympanorum, & fistularum conficiemus, vt mundus cælestis, & sublunaris, hymnis, canticis spiritualibus resonent Mariæ magnalia,& vel ut citharizantes suauissimos modulos proferant benedictionis, & gratiarum actionis. Primum decus celebrandum venit Mariæ fides, quæ in torque denotatur, sicut in Ioseph ornatu Genes. cap. 41. vers. 42. *Et collo torquem auream circumposuit.* Vbi Lipomanus in catena Genesis: *Torque aurea ornatur ornatior fide ac pietate.*



Aurea torques seruata fidei decus indicat.

Discursus III.

Sola Deipara amica, & fidelis Christo, quæ in aduersis, temporeque turbido fidem inconcussam, & illabefactam, ab omni fluctuatione, & tergiuersatione alienissimam tenuit.

1. INter Ecclesiæ apices, & sanctitate primarios viros Mariæ fides eminet, omnes enim Apostoli Saluatoris, cùm ipse passionum nimbis,& mortis tempestate iactatur, fluctuarunt,in professione Deitatis Christi vacillantes, credulitate Resurrectionis nutantes, furentis acerbitatis procella pene summersi, & obruti. Horrore quodam perculsos, & animo consternatos, quodammodo à Deitatis credulitate, & spe Resurrectionis deturbatos proponunt sacra eloquia. Psal.68.v.4. *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* Legit Augustinus: *Defecerunt oculi mei ab sperando in Deum.* Et argute annotat non de Christo qui caput Ecclesiæ est,verba vsurpanda,sed de illius corpore,& Apostolorum collegio tempore passionis, & sic scribit: *Quando passus est, quando mortuus est, omnes discipuli desperauerunt, quod ipse esset Christus. à latrone Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando illi defecerunt. Vide membra eius desperantia,* &c. Et confirmat prædictam sententiam duobus discipulis in Emmaus arcem peregrinantibus Lucæ cap.24 *Nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel.* Et addit Augustinus: *sperauerant, & non sperabant. Defecerant oculi eorum ab sperando in Deum ipsorum. Hanc spem reddidit quando cicatrices palpandas obtulit, quas cùm tetigisset Thomas,rediit ad spem, quam perdiderat.* Quibus verbis indicasse videtur Augustinus Apostolos omnes non solum in spe nutasse, sed spem amisisse.

In Christi morte discipuli omnes in diffidentiæ barathro penè obruti.
Psalm.
D. August.

Quando mortuus est Christus à spe ceciderunt.
Latro credidit quando Apostoli defecerunt.
D. Aug.
Spem amissã Christus reddidit, quando cicatrices palpandas obtulit.

2. Nec solum in hoc loco sed in aliis plurimis sibi ipsi consentiens est Sanctus Augustinus, eadem enim replicat ad ea verba Psalmi 74. *Ego confirmaui columnas eius.* Ita enim subiungit: *Quia terra motu quodam, etiam ipsæ columnæ nutauerunt, in passione Domini omnes Apostoli desperauerunt.* Et fusius Apostolorum incredulitatem proponit in Psal.138.v.16. *dies formabuntur, & nemo in eis.* Vel iuxta lectionem Augustini: *Per diem errabunt, & nemo in eis.* Et de sacris Apostolis exponit dicens: *Putauerunt & ipsi Dominum nostrum Iesum Christum tantummodo hominem esse, non habere in se occultam diuinitatem, non esse occulte Deum, sed hoc solum esse quod videbatur: hoc & ipsi putauerunt.* Et postea subiungit. *Christus inter illos ambulauerat, ventis imperauerat, ante oculos ipsorum quatriduanum mortuum suscitauerat, ante oculos ipsorum tanta miracula fecerat, & tamen trepidauerunt in passione eius, quasi amisissent eum, de quo frustrà præsumpserant. Sed per diem errabant, & nemo in eis. Nemo prorsus, nec ipse qui dixerat tecum vsque ad mortem ero.*

Psal.
D. August.
Apostolica columna in passione Christi nutauerunt.
Psalm.
Lect.
D. August.
Apostoli in morte Christi purum hominem putauerunt.

3. His similia habet Sanctus Hieronymus in Psalm.88. vers.46. *Perfudisti eum confusione,* quæ verba ab Apostolis prolata existimat Christo patiente, & moriente, ideo ait: *Hæc dicebant Apostoli ignorantes eum a mortuis debere resurgere. Quod autem hoc nescirent Euangelista commemorat* (Ioannes cap. 20.) *nam de dilecto discipulo ait: nondum enim sciebat scripturas, quia opporteret illum à mortuis resurgere; & Petro, quasi deliramenta visa sunt verba resurrectionis huius. Ideo ergo talia loquebantur Apostoli, quasi exprobrantes Patri, quia ignorabant eum ab inferno redire.* Idem asserit ad ea verba Psalm. 13. *Omnes declinauerunt,* &c. Consentiunt Sanctus Ambrosius lib. de Incarnatione cap. 7. Beda Lucæ cap. 24. & audiendus est S. Isidorus citatus à Glossa cap. 4. Exodi de virga: *versa est in colubrum, itaut fugeret Moyses.* Et huius transformationis arcanum aperiens, ait: *Virga in serpente, Christus in morte, expauit Moyses, & fugit: mortuo enim Christo, expauerunt discipuli, à spe in qua fuerunt, recedentes.* Idem asserit Sanctus Thomas in catena aurea in cap.14. Ioan.

D. Hieron.
Psalm.
Apostoli, Christo moriente, ignorarunt, ipsu à mortuis debere resurgere.
Nec Petrus ab hac incredulitate excipitur.
D. Amb.
lib. 1a
D. Isid.
Glossa.
Moyses à colubro fugit, quia mortuo Christo, discipuli expauerunt, à spe recedentes.
D. Thom.

4. Nec inuoluendum est silentio, quid S. Gregorius Magnus in hac parte sentiat in allegorico sensu explanans verba Iob. cap.1. v.19. *Repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Per liberos Apostolos intelligit, qui sæuiente Iudæorum incursu, in Domini passione, concussis angulis domus a fide ceciderunt,sic scribit Sanctus Doctor lib.2.moral.cap.20. *Quæ domus corruens oppressit liberos: quia dum Iudæa in crudelitatem Dominicæ persecutionis cecidit, Apostolorum fidem desperationis formidine obruit. Teneri enim tantummodo Magistrum viderunt: & iam negantes per diuersa fugiebant. Et quamuis interna manus eorum spiritum in præscientia ad vitam tenuit, à vita tamen fidei eos interim carnalis timor extinxit. Qui ergo auctorem suum, Iudea sæuiente, reliquerunt, quasi concussis angulis domo euersa necati sunt.*

D. Gregor.
Nyssen.
Iob.
In Christi morte Apostolorum fides desperationis formidine obruta.

5. Nec solum Ecclesiæ Doctores,sed etiam grauissimos auctores habet patronos prædictũ assertum quod Apostoli in fide defecerint. Alexand. Alens.3.sentent. in exposit. symboli, Archidiaconus dist. 1. §. his auctoritatibus, ait: *mortuo Christo Petrus & alij Apostoli defecerunt in fide Christi.* Cardinalis Turrecremata lib.3. de Ecclesia cap.61. Guillelmus Durantus lib.6. cap.72. Abulensis in cap. 26. Matth.q.67 adhuc tamen eiusmodi sententiam improbabilem indicat & merito,eximius Theologiæ Doctor Suarez disp.9. de fide sect.3.n.6. & tom.2. in 3.part.disp. 35. sect.1. num 6. & sapientissimus Bellarminus Cardinalis lib. 1. de Ecclesiæ cap.17. periculosam nuncupat. Nunquam enim internum fidei habitum amiserunt; habuerunt tamen fidem implicitam Resurrectionis, licet titubantem, & vacillantem,& timore correptam; nec tenebantur credere explicite mysterium Resurrectionis, nisi post legitimam eius promulgationem, & probationem; & Petrus negando non amisit fidem, sed

Multorum sententia est, mortuo Christo Petrum, & alios Apostolos in fide Christi defecisse.
Alex. Alens.
Archid.
Turrecrem.
Guilel. Dur.
Abulens.
Suarez.
Bellar.
Patrum, & Doctorum placito, de defectu fidei Apostolorum moderamen adhibetur.

clavi

charitatem. In corde esse Christum credebat, quem exterius verbis negabat propter mortis formidinem. Et in hoc sensu conciliari possunt Sanctorum Patrum auctoritates allegatæ; defecisse à fide, & spe non interna, & habituali, sed ab actu fidei elicito, sicut timore, & turbatione suspensi, defecerunt quoque à professione exteriori inconcussa, & indubitata; vel nimis timuisse, & vacillasse circa fidem Christi, ex occasione Dominicæ passionis, non tamen assensu deliberato.

Sola Deipara in triduo passionis habuit fidem explicitam resurrectionis Christi.

6. Quidquid autem sit de Apostolis, certum est Deiparam solam in illo triduo passionis habuisse fidem explicitam Resurrectionis; cuius fidei constantia, & firmitas inconcussa stetit inter horrentes passionum flatus, & nimbos; & Marianæ fidei lumen nulla formidine cruciatus, metu mortis, aut vacillationis vapore obnubilatum; ideo Catholicæ fidei primas tenet, & credentium matris insignibus decoratur. Idque aperte indicat mellicum illud Psalmographi carmen Mariæ Virgini sacrum. Psal. 44. v. 16. *Adstitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato.* Sanctus Chrysostomus legit: *stabilita est, firmiter stetit, stetit immobiliter.* Aquila legit: *stetit tanquam columna.* Est enim Maria columna fidei, & firmamentum veritatis. Pulchre Albertus Magnus expendens verba Cantic. cap. 4. *Hortus conclusus.* Commendat Mariæ fidem serm. 33. qui est tertius de Assumptione Deigenitricis, de quarta horti proprietate scribit: *Quarto delectabilis fuit propter viriditatem graminis. Per viride gramen signatur virens fides Virginis intemeratæ, Christo quippe moriente, omnibus in fide vacillantibus, ipsa sola quasi columna immobilis perstitit in fide.* Contremuerunt cœli fulcra, nutarunt fidei columnæ, & stabilimenta veritatis concussa sunt, quando in Cruce Saluator occumbit; maiori formidinis, & imbecillitatis tremore conquassata, quàm terra, horrore cum tremuit; sola Deipara firmiter stetit, & immobiliter in filij diuinitate credenda, & illius resurrectione tanquam fidei columna firmissima, & inconcussum firmamentum veritatis. Neque enim Iudæorum opprobria, & procella ingruentium malorum, & morte turpissima damnatus, & extinctus filius in ligno, Marianæ fidei labefactauit constantiam, sed inter horrores sæcularis perfidiæ, & caliginem incredulitatis expansam per corda mortalium, diuinis fulgoribus emicuit Mariæ fides. Et rite adstat Cruci firmiter immobiliter tanquam columna, quod dilectus discipulus adstruit, cum ait: *stabat iuxta Crucem Maria*, vt existimes quod cùm, pene confractus dilabebatur orbis, impauidum Mariæ pectus in tot ruinis nec debilitate fœminea titubans, aut collapsum, sed mirabili fortitudine stantem Mariam non degeneri à tanti filij matre.

Psalm. D. Chrysost. Aquila. Maria Christi morte, reliquis vacillantibus, ipsa sola quasi columna stetit immobilis in fide. Albert. Mag. Cant.

7. Arcanum verbum protulit sanctus Iob personam agens Saluatoris cap. 19. v. 20. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* Quid per os, carnes, & pellem in subtiliori protheoria denotetur, sapienter expendit Sanctus Gregorius Magnus lib. 12. moral. cap. 23. per carnem discipulos sapientes infirma tempore passionis, per pellem sanctas fœminas figurari, quæ exterioribus ministeriis Domino seruiebant, existimat; & subdit: *Cùm ad Crucis horam ventum est, eius discipulos grauis ex persecutione Iudæorum timor inuasit: fugerunt singuli, mulieres adhæserunt. Quasi ergo consumpta carne, os Domini pelli suæ adhæsit: quia fortitudo eius, passionis tempore fugientibus discipulis, iuxta se mulieres inuenit.* Et statim subiungit eumdem conceptum replicans: *Hi qui meæ fortitudini propinquius inhærere debuerant, passionis meæ tempore timore consumpti sunt: & eas, quas ad exteriora ministeria posui, in passione mea sine formidine inhærere mihi fideliter inueni.* Si quid opprobrij, si quid maledicti fœmina in genus humanum inuexit, per hoc facinus fortitudinis in Christi passione sufficienter expunxit; vt in sexu, in quo viri robur infirmatum ad mortem, & diffidentiam, roboraretur ad vitam, & fortitudinem; fœmina fugitiua à Domino, & à paradiso extorris sequestratur à Christo, cùm virum in errorē induxit; in passione tamen firmiter adhæret lateri Christi patientis; maximum amoris decus, & fidelitatis insigne inter maledicta, & opprobria sequi Deum turpi morte inglorium, & inter hastatos milites non timere. Antiquum dedecus prudēter compensat, reddens pro fuga, Domini sequelam; pro formidine animaduersionis, & mortis, ostētans impauidum pectus; formidauit intueri, & auscultare Deum gloriosum; nunc deuenustatum, leprosum, & occisum solicite ambit amplecti; translata est animositas, & virile robur ad sexum infirmum, cùm Apostoli mortis horrore trepidantes quærunt latebras, fœminæ mirabili animositate sectantur Iesum, vt illum oblectent piæ societatis, & compassionis solatio. Sed vnde fortitudo eximia in mulieres profluxit, nisi à Deipara, quæ sanctarum fœminarum aciem ductabat, animosas reddebat, in turbine passionū constantes, aduersus cruciatus, & mortem impauidas. Maria in fortitudinis virtute gloriosior, Iesu fide proximior, quæ erat carne propinquior. Sed vt ad Deigenitricis constantiam fidei redeamus audiendus est Sanctus Anselmus in serm. super Euangelium: *stabat iuxta crucem*; vbi scribit: *Stabat Maria in fide Iesu constantissima, & patientissima. Nam discipulis fugientibus, cunctisque viris recedentibus, in gloriam totius fœminei sexus, inter tot pressuras filij sui, constanter ipsa sola stabat in fide Iesu firma; & pulchre stabat, vt decet pudicitiam virginalem.* Eiusdem fidei robur commendat Hugo Cardinalis cùm Psal. 18. sententiam: *In sole posuit tabernaculum suum*, perpendens; solis insignia Mariæ adaptat, inter multa illud recenset: *Sicut lumen Solis nunquam deficit: sic sola virgo sola stetit in fide in passione, vnde Cantic. 7. cap. statura tua, quæ scilicet in fide stetisti, assimilata est palmæ, quæ virorem foliorum nunquam amittit. Sic nec tu fidei virtutem.* Fortis Mariæ fides, quæ reliquis periclitantibus, & in passionis Christi mari profundo fluctuantibus, perpetuæ stabilitatis, & tranquillitatis obtinet portum, & stationem firmissimam, quæ ingruentium procellarum pondere opprimi non potuit.

Iob. D. Gregor. Magn.

Ingruente Domini passione, fugerunt discipuli, mulieres adhæserunt Christo.

Opprobrium, quod mulier inuexit; in morte Christi per fortitudinem expunxit.

D. Ansel. Maria in fide Iesu constantissima, aliis recedentibus, iuxta crucem stabat, ad gloriam totius fœminei sexus.

Hug. Card.

Sicut solis lumen nunquam deficit, sic sola virgo stetit in fide tempore passionis.

8. Ad Marianæ fidei cōmendationem præclaram, pio sensu vsurpat S. Bernard. verba Isaiæ c. 63. v. 3. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*, & ait in ipsa virorum solitudine, quā habuit Christus tēporibus turbidis passionū, nō excludi fœminæ societatē Apostolos omnes Dominū dereliquisse, solas mulieres cum illo

D. Bernard. Isa.

permanere

permansisse. Et statim adiicit verba hæc lib. de passione Domini cap. 2. *Si vero fugam mentalem intelligimus, nec vir relictus est cum eo, nec mulier, præter illam quæ sola benedicta est in mulieribus, quæ sola per illud triste sabbathum stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola: propter quod aptissime tota Ecclesia in laudem, & gloriam eiusdem Virginis diem sabbathi per totius anni circulum celebrare consueuit.* Demum hac verborum coronide caput finit, & Mariæ caput cingit: *Vere fortis hæc mulier, & præ cunctis post filium honoranda. Vere & virago dici potest, quæ à viro Christo per animi fortitudinem separata non est, sed eum, quem morientem, & mortuum vidit, credidit immortali gloria sublimatum.* Hæc Sanctus Bernardus, quem sequuti sunt Alexander Alensis 3. sent. in expositione symboli, Abulensis in cap. 16. Matth. q. 67. illius tamen verba in sano sensu accipienda, quod fides indubitata, & elicita Resurrectionis in sola Virgine permanserit. Erant tamen alij fideles tam in sinu patrum, quàm in sæculo viuentes, qui credebant quod credere tenebantur, qui ad Ecclesiam pertinebant. Vt sapienter probat idem Abulensis præfatione in Matth. q. 14. Bellarminus, & Suarez supra relati.

Nec mulier, nec vir relictus est cum Iesu patiente, præter Mariam, quæ sola benedicta est in mulieribus. Sola Deipara in illo tristi sabbatho stetit in fide, & saluata est Ecclesia, in ipsa sola. Ideo dies sabbathi Mariæ dicatus.

D. Bernard. *Maria à viro Christo nunquam per animi fortitudinem separata. Fides indubitata & elicita resurrectionis Christi in sola virgine permansit.*

Et Torques.

Torques Marianæ fortitudinis præmium.

DISCVRSVS IV.

Maria in filij passione compatitur Deo, patitur vt Deus, & quodammodo patitur plus quam Deus.

1. Fortitudinis insigne nuncupauit torquem supra Magnus Gregorius, in filij autem crucifixione, & morte Deipara mirifica præbuit animositatis, & fortitudinis documenta, in cruciatuum filij sui, & passionum compassione, & tolerantia. Dolorum acerbitas ex similitudine animorum, & vnitate cordium pensanda est. Vnum cor Matris, & Filij censetur, vitam, & animam ab alterius vita pendere; vt furentis ictus exacerbatio simul parentis, & nati pectus sauciet. In quo sensu accipe verba Ecclesiast. cap. 24. vers. 1. *Sapientia laudabit animam suam.* Iuxta commentationem Hugonis Cardinalis, de Beata Virgine sententiam vsurpantis: *Sapientia laudabit animam suam, id est animam Beatæ Virginis, quæ specialiter sua fuit, & eius animæ intimius, & vnitius copulata. Qui enim adhæserit Deo, vnus spiritus est cum eo. Vnde dicit Simeon Lucæ 2. tuam ipsius animam pertransibit gladius. Tuam ipsius animam dicens, vnam ipsorum animam insinuauit.* Sanctus senex peritus in lege, & diuini amoris interpres teneritudinem, magnitudinemque Mariani affectus explorans, *tuam ipsius animam*, inquit, ac si diceret: cùm pronuntio tuam, ipsius filij animam assero, cùm enuntio animam ipsius, tuam quoque animam confirmo transiturum gladium passionis, eamdem animam, eamdemque vitam nulla passio segregabit, nullus cruciatus discernet; eadem flagra contundent, senticosi plexus cuspides compungent, ferrei claui terebrabunt, gladius mortis traiiciet vtriusque animum. Aliter expendit verba Simeonis Albertus Magnus serm. 11. in Dominic. infra octau. Natiuitatis Christi: *O Virgo, gladius ipsius, id est passio filij tui pertransibit animam tuam. Tantum denique passa fuit dolorem Beata Virgo, dum illusiones, & afflictiones filij in Cruce pendentis aspiceret, ac si materialis gladius cor eius, & viscera pertransiret.* Et confirmat mentem suam, verbis Sancti Bernardi in tractatu de quinque verbis Domini: *Eratque in anima tua tempestas valida, concurrentibus sibi procellis, & quasi in sartagine frixis medullis, ebulliebant amaritudines, quas excoquebat, & coagulabat exacerbatio perseuerans.* Quibus adiungit Albertus Magnus: *Beata Virgo tantum dolorem passa fuit respiciens tormenta filij prædilecti: ac si cor eius, & omnes medullæ ossium ipsius, in patella super ignem frigerentur.* Hæc Albertus. Quibus consonant verba Psalmi 101. vers. 4. *Et ossa mea sicut cremium aruerunt.* Quæ de Christo accipiuntur; si de Maria vsurpes iuxta lectionem Græcam, quam alij vertunt apud Lorinum: *& ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt.*

Iesu, & Mariæ anima, vna, & eadē per amorem, & compassionem censetur.

Ecclesiast. Hug. Card.

Animam Iesu, & Mariæ pertransiit idem gladius passionis.

Albert. Mag. *Tantum dolorem perpessa est beata virgo in filij crucifixione, ac si materialis gladius cor eius traiiceret.*

D. Bernard.

Alber. Mag. *Ac si cor eius, & medulla ossium in patella super ignem frigerentur.*

Psalm.

Lect. Græc. Lorin.

2. His adiunge argutias Sancti Bernardini Senensis incrementa amoris, & doloris in Maria, & Iesu ponderantis, ait enim amorem, & dolorem in vtroque fuisse reciprocum, & mutuum, & per augmenta temporum maiorem, & intensiorem dolorum resultantiam accessisse. Verbis suis pium affectum demonstrat Sanctus Bernardinus tom. 4. serm. 45. *Christus videbat Matrem suam dum penderet in Cruce totam transformatam, & esse ita crucifixam, sicut erat ipse Christus, quia erat vnita cum Christo, & è contra: adeo quod totus dolor Virginis Mariæ reuerberabat in Christo; & è contra, iuxta illud: ipsius animam pertransibit gladius. Vnde ipsius Virginis dolor erat maior, & plusquam omnes creaturæ mundi possent portare; in tantum quod si ille dolor foret partitus & diuisus inter omnes creaturas mundi vitales, caderent mortuæ, quia quanto plus amabat Christum Virgo Beata, tanto plus dolebat, & amor suus quem ipsa portabat Christo eius vnigenito filio erat infinitus, ergo eius dolor erat infinitus.* Quibus verbis sapiens lector prudentiæ moderamen adiunget. Sicut reciprocantes maris fluctus alternis motibus intumescunt, & in maiores cumulos assurgunt, sic amor, & dolor matris, & filij, de vtriusque affectus resultantia maius accipit incrementum; crescit passio, & compassio filij de tristitia, & dolore compatientis Matris; de acerbitate cruciatus, & mortis filij, in Marianum pectus amarum mare pœnarum exundat. Discerne hoc pelagus, & in minutissimas guttas, & stillicidia diuide, iisque insperge creaturas omnes, quæ vitali halitu perfruuntur, omnes interibunt amaritudinis, & salsedinis acerbitate, & doloris vehementia. Si guttatim discretum interimit, quid coagulati, & concreti dolores immensi in tenero Mariæ corde præstarent, cùm à Domino ad vitam fulciretur, ne

D. Bernard. *Vidit Iesus matrem in Cruce sua transformatam, & crucifixam. Totus dolor virginis matris reuerberabat in Christo. Quanta fuerit acerbitas, & dolor Mariæ in morte Christi.*

Mariani doloris immensitas.

ne ſuccumberet morti? Si Mariæ dolor partitus per creaturas viuentes, eas vita priuaret; cum dolorem immenſum patiebatur, omnium creaturarum mortes virtualiter quodammodo ſuſtinebat. Amorem & dolorem Mariæ, S. Bernardinus mirabili aſſertione infinitum nuncupat: *Amor ſuus erat infinitus, ergo eius dolor erat infinitus.* Quæ quidem per quamdam ſermonis amplificationem dicta videntur. Cum enim amor, & charitas indiuidua ſit comes gratiæ, & gratia creata etiam illa quæ infuſa eſt animæ Chriſti, infinita eſſe non poſſit, ideo ſancti Bernardini ſententia temperanda, & in ſano ſenſu accipienda. Primo quod Beata virgo dum in viuis eſſet innumerabiles amoris actus, & valde intenſos eliceret, quorum ſingulis plus meruiſſet quam ſinguli homines ſācti omnibus actibus vitæ ſuæ. Secūdo quia Beata Virgo plus amabat Deum, quàm cæteri ſancti ſimul. Tertio quia cōſecuta eſt plures gradus gratiæ, & amoris Deipara, quàm ſint in omnibus ſanctis hominibus, & Angelis, etiam collectiue ſumptis. Quarto quia circa finem vitæ peruenit ad ſummam & penè immenſam gratiæ perfectionē, & intenſionem, quæ ex toties repetitis, & intenſiſſimis actibus oriebatur, itaut pene immenſum, & incomprehenſibile ſit tale augmentum, vt annotat ſapientiſſimus, & eximius Theologiæ Doctor Franciſcus Suarez tom. 2. in 3. p. diſput. 18. ſect. 4. qui in hoc Mariæ gratiarum oceanum mare iniecta ſapientiæ bolide, ſingulari dexteritate explorauit illius altitudinem; iuxta hæc amor Virginis infinitus nuncupari poteſt. Idem dicendum de dolore, quod prænoſcens filij mortem ab exordio Incarnationis innumeros actus compaſſionis, & doloris habuit, quibus cor eius continuo cruciaretur; Maiores ergo, & intenſiores dolores expertà eſt Beata Virgo, quàm omnes collectiue Martyres, & iuſti variis ærumnis exagitati; in alios ſtillicidia dolorum, aut tormentorum riuuli influebant, Maria verò amaritudinis eſt mare, in quod paſſionum omnium fluctus, & dolorum flumina vberius exundant. Rite ergo ſubiungit Sanctus Bernardinus: *Omnes dolores mundi ſi eſſent ſimul coniuncti, non eſſent tot & tanti, quantus fuit dolor glorioſæ virginis Mariæ.* Hæc ille.

Quo ſenſu amor, & dolor Mariæ fuit infinitus.

Suarez.

Dolor Mariæ maior, quam omnes dolores mundi ſimul ſumpti.
D. Bernard.

3. In illo ſacro dialogiſmo Canticorum collaudat ſponſus Deiparam c. 7. v. 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Vbi Guillelmus deliciis amoris, & pietatis erga Beatam Virginem plenus, verba vſurpat de ſtatura illa mirabili, & excelſa Mariæ iuxta Crucem, eamque cum palma procera, & erecta, nec ramorum pondere fatiſcente, comparat. Altius repetenda ſunt piiſſimi Guillelmi verba: *Vbi ad hoc ventum eſt, vt baiulans ſibi crucem Ieſus exiret in eum qui dicitur caluariæ locum, tollebat & ipſa Crucem ſuam, crucem interioris hominis ſui, & ſequebatur eum crucifigenda cum eo.* Et continuo illa verba adaptat Virgini: *ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ, hoc eſt Crucis ligno, quod per palmam triumphalem inſinuatur, cui nimirum (ait Euangeliſta) ſtaturam piæ matris aſſimilatam inſinuans, ſtabat, inquit, iuxta Crucem Ieſu, mater eius. Quis non tam piam matrem dulciſſimo filio in Cruce morienti aſtantem, acerrimi doloris ambigat Crucem intus toleraſſe? Plane ille foris, & illa intus patiebatur crucem. Stabat illa iuxta Crucem ſui Ieſu, atque eo ipſo ſibimet quodammodo erat in crucem erecta ſtando iuxta crucem filij: ipſi ſibi quodammodo per affectum maternum facta erat Crux.* Cum filium Mater Crucis patibulum portantem cernit, greſſu corporis, & pio ſequebatur affectu poſt Ieſum Crucem baiulans, vt cum ipſo confixa ſit cruci, amoris vehementia, & cupidine cum ipſo commoriatur, & tumuletur ſepulchro; iuxta votum ſingulariter amantis adſtabat Cruci, ipſi ſe commenſurabat, manus, & pedes ſuffigendos ſuæ mentis arbitrio, Deo, & filio conſtanter offerebat, & in ara mentis ſe ipſam litabat, vt ſanguinem, & vitam pro filio profunderet. In caluariæ loco Crux Chriſti materialis erigitur, in Mariæ corde eleuat amor radicatum intrinſecus patibulum compaſſionis, vt cruciatus omnes, & dolores Chriſti ſuſtineat. Quatuor extrema Crucis, quæ Paulus enumerat ad Epheſios cap. 3. v. 18. *Latitudinem, longitudinem, ſublimitatem, profundum.* Quæ de Cruce Chriſti exponunt Sanctus Gregorius Nyſſenus orat. 1. de reſurrect. Baſilius, Damaſcenus, Sedulius apud Iacobum Gretſerum lib. 1. de Cruce cap. 3. S. Auguſtinus in Pſal. 103. & epiſt. 120. & ſerm. 7. de verbis Apoſtoli, Hieronymus, Anſelmus, Beda. Iuxta has commenſurationes adſtabat Maria Cruci Ieſu, & ſe illi per omnes dimenſiones conformabat, itaut ſtatura ſua omnino aſſimilaretur palmæ per omnes cruciatus, & paſſionis modos, quibus filius torquebatur. Erat in ea Crucis profundum ex magnitudine, diuerſitate, & intenſione dolorum, & ignominiarum Chriſti Crucifixi; erat in ea longitudo, qua per omnes annos vitæ, ab ipſo Incarnationis Chriſti exordio, filio commoriebatur, Propheteſſa namque erat Spiritus ſancti lumine plena prænoſcens filium gignere, in vtero confouere, natum nutricare, & inuoluere, ætate adoleſcentem ornare ſacris indumentis ad Crucis mortem; cōmoratio Ieſu, & dulcis ſocietas, erat ei valde iucunda, ſed plena ſuſpiriis, & gemitibus inenarrabilibus. Nec peracerbi mœrores terminati ſunt nati ſui morte, ſed vſque ad vltimum ſpiritum matris protelati per plures annos, quibus Maria filio ſuperuixit, quibus voluebat animo Iudæorum immanitatem, & inuidiam, & mortis crudeliſſimæ in filio tolerātiam. Erat in Maria Crucis latitudo per omnes animi potentias, & corporis ſenſus diffuſa. Excruciatur auditus cùm blaſphemantium linguas auſcultat, maledicta, & conuicia in filium iactata, Torquetur viſus cùm oculorum ſuorum lumen Ieſum eiuſque vultum ſpecioſum obſcuratum, imaginem Patris, & ſpeculum Angelorum deturpatum, totumque corpus vibicibus, & plagis liuidum, & denigratum cernit. Amaricatur guſtus quadam compaſſionis ſymmetria cum oculis luſtrat myrrhatum vinum filio propinari, felleo poculo illini labia, & linguam, ex qua dulce eloquium & mellitus ſermo profluxerat, ex quibus cùm eſſet infans ambroſia libauerat ſuauia. Patitur Mariæ olfactus cùm ſacrum cadauer de Cruce depoſitum gremio ſuo claudens pioque amplexu recognoſcit humanæ vitæ halitu orbum omni aromate, & flore ſuaueolentiori, qui odoramen vitæ inhalabat æternæ. Compatitur tactus de reſultantia paſſionum animi, cùm filij corpus exangue, frigore congelato cruore, crudeliſſimæ mortis imagine inhorreſcens exambit, & ad illius attactū commotis pietate, dolore, & amore viſceribus,

Cant.

Statura mirabilis, & excelſa Mariæ iuxta crucem, cum palma comparatur.
Guillelm.
Cum Ieſu crucem baiulante Maria interiorē crucem ſuſtulit, cum eo crucifigenda. Crucis lignū per triumphalem palmam indicatur. Maria aſtās Chriſto morienti, acerrimi doloris in corde ſuſtinuit crucē.

Ipſa ſibi per affectum maternum facta erat crux.

Maria filio crucifixo ſeſe commenſurabat.

Ad Epheſ.

Latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundū Marianæ Crucis.
D. Gregor. Nyſſen.
D. Baſil.
D. Damaſc.
Sedul.
Gretſe.
D. Auguſt.
D. Hieron.
D. Anſel.
Beda.

Marianæ crucis profundum, & latum.

Marianæ crucis latitudo.

visceribus, tota contremuit. Pari ratione virtutes animæ cruciabantur, memoria ex conuersatione filij dulcissima, & sanctissimo contubernio, & munerum immensitate, quæ ab ipso acceperat; mens ex perfectiori cognitione, quam habebat de filio patiente, voluntas de immenso pene amore, & dolore. Denique reperta est in Maria Crucis sublimitas, cum altitudinem, & dignitatem patientis cum Iudæorum vilissima tractatione, & obscurissima morte componeret. Pulchre S. Bernardin. Senensis tom. 3. serm. 2. de laudibus Mariæ art. 3. cap. 1. ait de Beata Virgine: *Vidit summam altitudinem abiectam vilitate, summam deliciam afflictam pœnalitate, summam opulentiam circumdatam paupertate, summam lucem obcuratam tenebris: summum amabile affectum improperiis.* Hæc ille.

Mariana crucis sublimitas.

D. Bernard.

4. Nec solum commensurata est Deigenitrix vniuersis Crucis terminis, sed quodammodo coæquata per compassionem cordi Christi patientis optans cùm illo, & pro illo innumeros cruciatus, & mortes subire, quod testatur aperte idem S. Bernardinus proxime relatus art. 2. c. 4. affertque ex Augustino lib. 4. confess. Pyladis & Orestis de morte contentionem piumque certamen: *Vellem pro inuicem, vel simul mori, quia morte peius erat non simul viuere. Iste quidem modus amantium est velle pro inuicem mori. Nec dubium hoc erat amoris in Virgine benedicta, vt infinities si fieri potuisset, se morti pro filio tradi vellet.* Iuxta feruentissimi amoris optata, & tenerrimum pietatis affectum infinitas mortes Maria sustinebat.

Vniuersis crucis terminis Maria se quodammodo coæquabat.

D. Bernard. D. August.

Amantis affectu voluit Maria infinities, si fieri potuisset, se morti pro filio tradere.

5. Restat adstruenda potior præfixi thematis pars: *Deipara quodammodo patitur plusquam Deus.* Vocat ad trutinam argutæ mentis suæ Albertus Magnus verba illa Ecclesiastici cap. 24. *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Et examinat cur Deipara dicatur myrrha, & electa? Et respondet, quia ipsa omnes salsos fluctus amaricantis passionis ebibit cum filio, & cum quodam incremento. Verba Alberti ex serm. 3. de Assumptione Beatæ Mariæ, qui est num. 33. mutuata sunt: *Omnem enim myrrham, id est omnes amaritudines passionis, quas filius Dei bibit, bibit & ipsa, & quodammodo plus ipsa. Lancea quippe quæ perforauit latus Saluatoris, dolorem non dedit filio, sed matri. quod etiam post mortem seductor appellatur, dolorem filij non aggrauat, sed Genetricis ipsius.* Sed antiquior Alberto in hanc mentem inciderat Sanctus Bernardus in serm. *signum magnum*, dicens: *Postea quam emisit spiritum tuus ille Iesus (omnium quidem, sed specialiter tuus) ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus, sed tuam vtique animam pertransiuit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat auelli.* Particeps facta est Maria omnium dolorum, & in agone mortis Saluatoris admittitur Mater in passionum consortium. Speciale tamen poculum omni amaritudinis myrrha refertum seruauit Matri, quod ipsa sola biberet. Maternæ dignitati singularem amorem detulit, cùm acerbitatem, & dolorem vulneris aperti lateris ipsa sola sentiret. Sustinuit Iesus pœnas omnes, quibus à planta pedis vsque ad verticem capitis attritus est propter scelera nostra, eximij tamen & maioris vulneris pœnam, & dolorem ad Virginem transtulit, vt Christi pectore lancea percusso, transfixionem lanceæ ipsa sustineret. Nunc adimpletum Simeonis vaticinium Lucæ cap. 2. v. 35. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Versio syriaca legit in Bibliis Regiis: *animam tui ipsius traiciet lancea.* Non traiecit Mariæ pectus materiale ferrum, nec in illius latere lanceæ cuspis infixa est, sed in apertione lateris omnem dolorem in animo sensit. Filio vulnus aperitur, ipsa vero totum dolorem vulneris in animo sensit, quem Iesus sentiret in corpore si lanceæ percussuram viuus sustineret. *Et quodammodo plus ipsa.*

Maria quodammodo patitur plus quam Deus. Ecclesi.

Cur Maria myrrha electa nuncupatur.

Albert. Mag.

Omnes myrrhas, omnes amaritudines passionis, quas filius Dei bibit, bibit Maria, & quodammodo plus ipsa.

Sola Maria perforati lateris dolorem sensit.

D. Bernard.

Mortui Iesu animam non attigit crudelis lancea, sed Mariæ animam pertransiuit.

Eximij, & maioris vulneris pœnam Iesus ad Mariam transtulit.

D. Lucas. Versio syriaca.

Mariæ animam traicit lancea.

6. His adiice, in Christo licet omnium hominum maxime præualuerint passiones, erat tamen in eo aliquid, & pars nobilior expers omnino doloris nimirum Deitas, & ipsum Verbum. Sapienter S. Athanasius lib. an Christus sit passus Deitate; ait: *Christum rectissime dixeris, gloria quidem secundum Deitatem fruentem, passionem vero secundum vnitam humanitatem suscipientem. Hac ratione, & Deitatis impassibilitas, & passionis securitas, & communis hominum vtilitas demonstratur.* Egregie Sanctus Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum scribit: *In Christo impassibilem semper diuinam manere substantiam.* Cuius propria est impatibilitas, & impassibilitas, itaque Deitas nec patitur nec compatitur, erat in Christo dolente diuinitas, sed non in dolore, quæ ab omni mœstitia & pœna sequestratur; cum esset tamen à passione extranea adiuuabat patientem, & confortabat, vt non succumberet passioni. In quo sensu expendit verba Psalmi 3. *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Sanctus Augustinus scribens: *mentem ipsam humanam sic accipiendam puto, quod caput animæ non absurde appellatur. Quæ ita inhæsit, & quodammodo coaluit excellenti supereminentiæ verbi hominem suscipientis, vt tanta passionis humilitate non deponeretur.* Animam Christi, immo & corpus confirmabat Verbum ne in passionis, & mortis agone, & lucta victus caderet; tali præsidio, opitulatore, & patrono sustinuit Crucem confusione contempta. At in Deipara passionum, & dolorum Christi socia nihil inerat quod non pateretur, anima, corpus, omnes sensus, & vires animæ; erat circumcincta auxilio superno, sed non possidebat intus inhærentem Deitatem impassibilem, quæ fœmineam infirmitatem confortaret, nec anima Beatæ Virginis fruebatur, sicut anima Christi, beatitudine, & gloria sanctorum, ex qua irrigua consolationum ad leniendum doloris sensum infunderentur. *Et quodammodo plus ipsa.*

In Christo Verbum, & Deitas expertes fuerũt doloris in passione.

D. Athan.

D. Fulgent.

Erat in Christo pars impassibilis diuinitas.

D. August.

Mens Christi diuinitate fulciebatur, ne passionis humilitate opprimeretur.

In Maria, quæ non habebat sibi inhærentem Deitatem, nihil erat, quod non pateretur.

7. Examinat Sanctus Ambrosius profundiori sapientiæ indagine locum Pauli ad Romanos cap. 8. v. 32. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum.* In quo Apostolus Dei dignationem commendat erga genus humanum, piumque Patris, & firmum propositum, quo Filium vnicum de sua substantia genitũ pro peccatoribus ignominiosæ, & crudeli Crucis morti tradere decreuit. Immergitur Mediolanens. Antistes amoris, & clemẽtiæ Dei profundo pelago, illamq; amplificat grandioribus verbis, venerandisque sententiis lib. 1. de Iacob c. 6. dicens: *Considera affectum patriũ. Quod pietatis est, quasi morituri filij suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus*

D. Ambr.

D. Ambr.

Magnus erga homines affectus Patris, qui quasi morituri filij suscepit periculum.

Quasi orbitatis hausit dolorem.

Pater dispendia nostra suscepit, vt hominem cælestibus consecraret.

redemptionis. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, vt propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te dispendia nostra suscepit, vt te diuinis insereret, cælestibus consecraret. Intendite argutias sacri Doctoris, quam eximia cautione, & prudentia propositas; nec enim cum amplificat, & exaggerat amorem patrium, piumque affectum, indecora, & indigna pronuntiat æterni Patris dignitati, nec à veritate recedit, cum enuntiat effusionem vberioris clementiæ in illis particulis *quasi, & propemodum.* Vim conceptus non imminuit, sed singulari mentis dexteritate effert pulcherrima commata: *Quasi morituri filij suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, propemodum de suo periclitaretur.* Condigna sublimiori verborum cothurno. Pater, cùm filius naturalis, & vnicus occiditur, morte multatus turpissima, omnia subit dispendia honoris, & vitæ, paternæque hæreditatis, illique commoritur pietatis, & commiserationis affectu. Si has passiones inseruit naturæ amoris consensus, hos affectus non sustulit immensus Dei amor genitori, qui supra naturam est, sed incrementis decentibus cumulauit. Itaque Deus expers mortalitatis, & interitus affectu patrio filio morienti quasi commoritur; subit quodammodo periculum vitæ, cùm filius æqualis naturæ extinguitur: Hæreditas genitoris velut periclitatur, cùm hæres morte succiditur; in ipsa morte Christi Pater orbatus est filio vnigenito: *quasi orbitatis hausit dolorem.* Hæc in Patre, at in eiusdem filij Dei, & Iesu Genitrice omnem restrictoriam particulam, & limitatoriam dictionem *quasi, & propemodum*, remoue. Periculum morituri filij, dolor orbitatis, compassio morientis, de suo periclitatio, in Patre, habent *quasi*; periculum & orbitatis dolor in Maria non habet *quasi*: De Deipara Ambrosiana verba absolute prolata suscipe: *Considera affectum maternum. Quod pietatis est, morituri filij suscepit periculum, orbitatis hausit dolorem tantum fuit Dominæ studium tuæ salutis, vt de suo periclitaretur, dum te lucraretur.* Vere ea in filio commoritur, viduata est dilectissimo filio, & orbitatis tantæ vere suscepit, & hausit dolorem. Vt iuxta prædictum theorema Deigenitrix pateretur quodammodo plus quàm Deus.

Maria morientis filij suscepit periculum, hausit proprie orbitatis dolorem, sine verbi restrictione: quasi vel propemodum.



Et Torques.

Torques Marianæ dignitatis insigne.

DISCVRSVS V.

Sola Deipara adiutorium Dei est, quam singulari priuilegio ad reparationem orbis, & redemptionem generis humani in singulare commercium, & consortium admisit.

1.  CVM primores Ecclesiæ Mariam extollentes suis præconiis nuncupant auctricem causam nostræ salutis, redemptricem humani generis, & aliis similibus, non de causa principali, aut primaria intelliguntur, cùm vnicus sit redemptor, & reparator, & mediator generis humani Christus Iesus. Nec illud insigne quod soli Mariæ attribuunt in eo stare potest tantummodo quod Incarnationem Christi de congruo promeruerit, orationes, & preces fuderit, cùm in his omnibus veteres patres, & Prophetas in merito de congruo, & supplicationibus pro tanto mysterio habuerit consortes. Aliqua ergo decora eximiæ dignitatis inuestiganda, quibus, à sanctis Dei hominibus insigniri promeruit. Quibus tanquam pellucidis lapillis, & nitidis margaritis illuminetur Mariæ redemptricis torques.

Cur Maria auctrix humanæ salutis, & humani generis, redemptrix specialiter nuncupetur.



PRIMA GEMMA,
tinnula clamoribus.

Maria præ omnibus Angelis, & Sanctis Incarnationem Verbi Dei concupiuit, pro hominum salute ardentius clamauit, vehementius, & efficacius Deum exorauit, & tantum mysterium accelerari fecit.

2. EXcitat nos mellico suo carmine Dauidicus Pastor ad contemplationem huius mysterij, & præfatæ veritatis, Psal. nimirum 26. v. 6. *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis.* Eximius litator est, sicut & singularis, & insolita hostia: perscrutemur locũ immolationis, & forsan nanciscemur immolatam victimam; sacrificat antistes eximius in tabernaculo, de quo ante prædixerat: *Protexit me in abscondito tabernaculi sui.* De quo postea Psal. 131. canit. *Introibimus in tabernaculum eius.* Vbi Hugo Cardinalis ait: *Tabernaculum Dei est Beata Virgo, vbi ipse nudus intrauit, & armauit se: ibi siquidem scutum nostræ carnis assumpsit, & arma nostrarum infirmitatum.* Sacrum tentoriũ, in quo inuictam armaturam, & munimen carnis infirmæ sibi adaptauit, vt his operimentis munitus procederet ad debellãdum humani generis hostem. Hanc sacram arcem, armorumque omniũ domum circumibat Dauid votis, & gemitibus, vt fortis armatus de atrio suo progrederetur operimentis nostræ carnis instructus, vt Satanã detriumpharet, & succurreret homini in ærumnarum gurgite immerso, & manum porrigeret. Quæ autem sit *hostia vociferationis*, quæ litatur in circuitu huius tabernaculi? non erit incongruum, si asseramus, hoc sacrificium nouum, esse vota, preces, clamores, quibus antiqui Patres, & Vates exoptabant aduentum Domini in carne mortali, precibus fatigabãt æthera, suspiriis, & precibus ambiebant huiuscemodi tabernaculũ, in quo Deũ inhabitaturũ, & militaturũ per prænotionem spiritus agnouerãt; has voces, hos tonos, atq; concẽtus, quasi citharizantiũ in citharis suis, & organicis modulis de cheli sua cõcrepãs Dauid, & ore resonãs dulce melos, tantæ tã gratæ Deo *vociferationis hostiam* immolabat circũcingens Marianum tabernaculum suspiriis, & gemitibus; ipsius tamen tabernaculi Mariæ clamor,

Psalm.

Hugo Card. *Tabernaculũ Dei est beata virgo vbi Deus intrauit, & humanis armorum tegminibus se induit.*

Hostia vociferationis, vota, & suspiria patrũ pro aduentu salutaris.

Digitized by Google

Oratio Mariæ pro aduentu Redemptoris vocalior, sublimior, & Deo gratior. Alber. Mag. D.Lucas. *Dominus esse cùm Maria dicitur, plus quàm cum aliis, quia exaudiuit orationẽ eius pro redemptione Israël. Dominũ esse cum Maria, est consentire eius votis. Optatis Mariæ Dominus consensit, quæ ad se Deum attraxit.*

clamor, & vociferatio productior erat, & intensior resonans vehementius, incomparabiliter acutior, dulcior, sublimiorque præ omnibus cantilena, quæ aures Domini demulcebat. Singularis argutia eminet in Alberto magno, cùm salutationis Angelicæ sententiam explanat. *Dominus tecum.* Lucæ cap. 1. sic enim scribit Ratisponensis Antistes: *Dicitur autem Dominus esse cum ipsa, plus quàm cum aliis, orauit enim, vt dicunt Patres, redemptionem Israël, & ipse Dominus exaudiuit orationem eius, faciens redemptionem ipsam per humilitatem susceptæ carnis: cùm ipsa enim esse Dominum, vocat consentire Dominum votis eius, orationi, & operibus eius. Ita vt verum sit quod dicitur.* 2. Reg. 7. *omne quod est in corde tuo vade, & fac, quoniam Dominus tecum est. Oportuit enim vt præ aliis, votis eius consentiret Dominus, quæ sic sibi eum attraxit, vt visceribus eius se infunderet, & Emmanuelis in ipsa nomen acciperet, quod est nobiscum Deus.* Solertissimus mysteriorum indagator Albertus, præter immanentias Domini singulares in Virgine, quas celebrant Patres, illam insolitam nec minus veridicam quàm iucundam inuenit. *Dominus tecum*, ait Gabriel, tecum in mente, tecum in ventre, tecum per gratiam, tecum per naturam, tecum tanquam in filia, tecum tanquam in matre, tecum in infusione omnium gratiarum, tecum in effusione, Denique Dominus tecum in exauditione; votis tuis, suspiriis tuis, deprecationibus tuis, clamoribus tuis aures suas Deus gratanter adhibuit, vt promissa Domini temporis acciperent plenitudinem; vaticinia, & desideria Sanctorum opportunitatem, & optata tua gratissimum complementum: *Cum ipsa esse Dominum, vocat consentire Dominum votis eius, orationi, & operibus eius.* MARIÆ deprecatio ad impetrandam flagitiorum veniam, & hominis redemptionem præ omnibus sanctis facta est in conspectu Domini gratior, & exaudibilior. ideò Dominus est in te, vt exaudiat te, propter gratiam tuam, propter reuerentiam tuam, propter charitatem tuam, redemptionem operetur; inter sacra hostia hæc, pulchrumque holocaustum Mariana deprecatio est, quod pius Rex, & parens eius Dauid in circuitu tanti tabernaculi litabat Deo, quam æquo iure nuncupat *hostiam vociferationis.*

Creaturarũ omnium vox Deum Creatorem collaudantium. D.August.

3. In alio sensu vsurpat Psalmicinis sententiam Sanctus Augustinus de iubilo, & gaudio quod concipit anima; cùm perlustrans omnes creaturas, auscultat eas omnes, suum Creatorem laudibus celebrantes: *Circumeat* (inquit,) *animus tuus per vniuersam creaturam: vndique tibi clamabit creatura: Deus me fecit.* Vndique resonabat omnis creatura Creatoris laudationem, sed clamabat suspirans renouationem; illum enim Dominum appetendo desiderabant, in quo omnia innouarentur, & perficerentur, iuxta illud quod postea promiserat Paulus ad Ephesios cap. 1. in proposito Dei æterno delituisse: *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.* Sanctus Anselmus legit: *In melius commutata.* Hanc in meliorem statum immutationẽ creaturæ expectabant, & auidius expetebant propensione mirabili; hæc

D.Paul. *Meliorẽ statum, & innouationem creaturæ expetebant.* D. Ansel.

autem consummatio decoris, & complementum nobilitatis perfectum, à Christo, & in Christo, cum ex virgine carnem assumpsit; nec mirum si pro fœmina restauratrice orbis clamaret, & omnes angulos huius visibilis machinæ vociferationibus repleret; audiendum est inter hos clamores Sancti Bernardini Senensis præconium singulare in laudem Beatæ Virginis decantatum ab omni creatura exoptatæ, tomo 1. sermone 61. articulo 1. caput 9. ait: *Omnes enim naturas, & mundi perfectiones vltima sua perfectione Virgo sacra impleuit. Deus quidem licet in mundi, creatione nihil produxerit imperfectum, sed omnia perfecta, sicut eorum exigebat natura: tamen vltima perfectionis consummatio, vsque ad partum Virginis dilata est, & soli Virgini reseruata. Omnia namque entia vnum ens nobilissimum appetebant: viuentia vnum nobilissimum viuens: sentientia vnum nobilissimum sentiens: conceptiones nobilissimum conceptum: natiuitates optimum nascibile: rationalia singularissimum rationale: spiritualia excellentissimum spirituale; & breuiter omnes creaturæ appetebant vnum quoddam optimum purum creatum. His sic existentibus imperfectis, prouisum est mundo de vna fœmina super omnibus benedicta: quæ vnico suo partu omnibus generibus rerum summam, & vltimam perfectionem adduxit.* Nec superuacaneum erit nec ingratum si per singulas singularium creaturarum discurramus appetentias. Optabant cœlestes orbes aliud cœlum purius, augustius, & diuinius, quod cœlorum Creatorem gremio suo clauderet; Sol lucidiorem Solem, & thalamum, in quo Deus Verbum, & Ecclesiæ sponsus poneret tabernaculum suum. Auebat luminare præsidens nocti fœcundiorem, & candidiorem lunam, quæ pareret Solem, & vberiori gratiarum humore humani cordis glebam inspergeret; stellæ, sidus ex Iacob oriundum, quod candorem lucis æternæ partu corruptionis experte diffunderet. Cupiebat pelagus vnum mare, in quod influerent omnia flumina gratiarum, & vocaretur MARIA, sicut Deus congregationes aquarum vocauit maria, cuius superefluens plenitudo ad Angelos, & homines redundaret. Exoptabat tellus ex opprobrio primæ transgressionis maledicta, spinarum pullulantium obnoxia execrationibus; terram puram semper benedictam, nullis sentibus obsitam flagitiorum, humani consortij rastro inexpertam, quæ granum tritici germinaret, ex cuius esu mortalibus vitæ pignus donaretur æternæ. Saltus, siluæ, nemora pulcherrimam arborem percupiebant, ex cuius illibato virgineoque flore pomum erumperet, quod hominum satiaret Deitatis appetentiam, & ab æstu libidinis suo protegeret vmbraculo. Depicta rura nunc luteis, nunc candidis floribus, vnam exoptabant sine spinis rosam, candensque lilium vepribus intactum, & illæsum, quod intus nascentis Dei splendore fulgeret, & incontaminatæ puritatis forma vernaret. Oues vnam agnam appetebant ex qua dulcis IESVS prodiret, & Dei agnus, qui bibulo carnis gratiarum fluenta recluderet, & peccatorum vulnera sua lana suffunderet, & innocentiæ vellere contexto indumento, turpem Adæ nuditatem operiret. Boues vnam vitulam nunquam peccati iugum expertam, quæ vitulum pareret, gloriosam victimam pro totius mundi piaculis

Pro fœmina orbis restauratrice, mundus vniuersus clamabat. D. Bernard.

Omnes mundi perfectiones, vltima sua perfectione Maria ornauit, & impleuit. Consummatio vltima perfectionis mundi soli Mariæ reseruata.

Omnes creaturæ appetebant vnum optimum, purũ creatum. Maria super omnibus benedicta, vno partu suo omnium creaturarum species nobilitauit. Omnium creaturarũ vota proponuntur.

in ara Crucis litandam. Denique Edem alterum deliciarum locum habebat in votis supernarum virtutum frondibus, & charismatum consitum pigmentis, in quo lignum vitæ germinaret, epulum conuiuis fidelibus, & præmium fructus præparatum victoribus. Nec mirum si pro tam eximia Virgine clamarent creaturæ, per quam iis pulchritudinis, & nobilitatis mira fiebat accessio. Vnde cùm Mater facta est Creatoris, concentus vocum, & acclamationes immutant in gratiarum actionis modulos. Antea ex Augustino: *Omnis creatura tibi clamabat Deus me fecit.* Nunc verò tibi occinendo, & plaudendo clamat: *Maria me refecit, & instaurauit.* Decus amissum mihi recuperauit, & ad complementum perfectionis adduxit. Sciebat hoc esse futurum pia, & potens creaturarum parens, ideò cum huius orbis cithara, ex numeroso creaturarum ordine, & dispositione compacta concrepante, acutiorem vocem suam, & dulcissimæ cantilenæ tonum tympanistria sacra iungebat, vt ad se alliceret Creatorem. Ideò ab ipso sanctificationis exordio cùm adhuc lateret in vtero Matris, mysterium Incarnationis præ omnibus iustis desiderabat ardentius, vt testatur Sanctus Bernardinus Senensis tom. 2 serm. 51. art. 1. cap 3. dicens: *Ex charitatis quoque ardore etiam humanæ saluationis toto affectu desiderabat Incarnationem filij Dei. Nam & totus impetus primæ sanctificationis mentem huius sacratissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum. Proinde omnes virtutes eius ardentissimæ mentis in id, quod postea factum fuit in ea, toto conamine inflammabant animam eius. Ipsa siquidem fuit felix clausula totius expectationis, & desiderij, ac postulationis aduentus filij Dei, in qua sicut in cono, id est angulo, omnia desideria præcedentium electorum, atque Sanctorum consummata, & terminata fuerunt: Ideò nobis inexpressibile est illud feruidum desiderium, & languentis orationis suspirium, quo suspirabat ad Deum, vt filium suum mittere dignaretur ad nostram assumendam naturam.* Hæc pulchre, & scite Bernardinus. Nec solum in prima sanctificatione ante natiuitatem, sed postea toto vitæ suæ tempore augebantur desideria, vota, clamores, nam vt testatur Sancta Virgo Mechtildis libro 1. gratiæ spiritualis: *Quod ad spiritualium rerum desiderium attinet, ex Patriarchis, & Prophetis nullus vnquam ardentiore venturi Messiæ desiderio, quam ipsa flagrauit.*

D. August.

Bernard. *Maria cum primò sanctificatur in vtero matris toto affectu desiderauit Incarnationē filij Dei, & hominis salutem.*

Maria felix clausula omnis desiderij, & expectationis iustorum.

Ineffabile est Mariæ desiderium quo suspirabat ad Deum, vt filium suum mitteret ad hominis redemptionem.

Mechtil. *Maria venturi Messiæ desiderio præ omnibus Patriarchis, & Prophetis flagrauit.*

4. Comparans Sanctus Bernardus Deiparam cum aquæductu in sermone de illius Natiuitate, & cum scala Iacob, cuius apex cœlum tangebat. Genes. cap. 28. sapienter scribit: *An vero inueniri potuisse miramur, vnde talis ac tantus fieret aquaductus, cuius nimirum summitas instar profecto scalæ illius, quam vidit Patriarcha Iacob, cælos tangeret, immò & transcenderet cælos, vt viuidissimum illum aquarum quæ super cælos sunt posset attingere fontem? Et* statim adiungit: *Sed quomodo noster hic aquaductus fontem illum attigit tam sublimem? Quomodo putas nisi vehementia desiderij, nisi feruore deuotionis, nisi puritate orationis? Quomodo ergo illa inaccessam attigit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Denique & quod quærebat inuenit, cui dictum est inuenisti gratiam apud Deum.* Nec mireris gratiarum fontem attigisse, sed potius ad se traxisse, & deriuasse, & in suo vtero clausisse, vt fluerent aquæ viuæ, & fieret in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Per hanc scalam Angeli descendebant, vt auscultarent Mariam pro aduentu Domini, & vniuersorum salute suspirantem; ascendebant cùm ardores, & flammas precum, & pia vota suscipientes, sicut aromata in thuribulo cordis sui incensa, & liquata Domino offerebant: ascendebant, & descendebant Angeli super filium hominis, tecum quoque reputa sursum deorsum cursitantes super ipsius matrem ante assumptionem carnis, vt plusquàm Seraphicæ charitatis spicula, quibus cor Dominicum vulnerabat reueherent ad immensum amoris fontem; ad contemplandam filij sui Matrem, & auscultanda flagrantia suspiria cœlum fenestrauit, aures applicuit, cœlum inclinauit, vt post Angelos, & satellites, filius, & Dominus in vteri recubitum placide descenderet.

D. Bern. *Maria aquæductus, cuius summitas cælos tangeret, & transcenderet, & viuidissimū aquarū fontem attingeret.*

Gratiarum fonti accessibilis, & intima facta est Maria, feruore deuotionis, puritate orationis.

Inaccessam maiestatem, quā pulsando quærebat inuenit.

Maria scala, per quam ascendebant Angeli precū vota Domino offerentes.

Ad contemplandā Mariam, & auscultāda eius flagrantia suspiria, totū cœlum fenestratur.

5. Quid? Mariæ merito, & intercessione Incarnationis abbreuiata sunt tempora. Id indicat Daniel in cœlesti promisso sibi diuinitus dato cap. 9. v. 24. inquit Gabriel: *Septuaginta hebdomadas abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Accelerationem Messiæ, & tempestiuum illius aduentum ad saluandas gentes vaticinio suo aperit cœlestis nuntius; promeruerunt hoc votis suis antiqui Patres; vt non procrastinaret diu tantum mysterium; sed in orbem citius prodiret desideratus cunctis gentibus: *Sed quanto est probabilius,* (inquit sapiens Pater, & Doctor Petrus Canisius lib. 2. de Deipara cap. 16.) *Mariæ diuino amore languentis, & humani generis causam fideliter procurantis, sanctissima vota, maximaque desideria cælos ipsos penetrasse, & Patris æterni gratiam ad Messiam citius exhibendum aliqua ex parte nobis conciliasse?* Quamobrem verosimile est Incarnationem Dominicam ad grandiorem, aut maturiorem ætatem Virginis non fuisse dilatam, sed cum esset in teneris annis sacra virguncula inchoans decimum tertium, aut decimum quartum annum repleta est Deo, quem vnice optabat humano habitu indui ad redemptorium munus. Vim enim quamdam vehementioribus deprecationibus, & ardentioribus optatis, præcordialibus gemitibus, & suspiriis intulerat Deo, vt in nubilis ætatis suæ primordialis aurora illuscesceret mundo candida nube humanitatis amictus. Colluctabatur Deo valida precum manu tota lacrymarum fluentis perfusa Iacobea puella, & præhensum charitatis lacertis soluere renuebat, donec benedictionem promissam à sæculis expectatam extorqueat; quis ambigat ei morem gessisse magnum consilij Angelum, vt benedictionibus cœlestibus repleretur, vt albescente mane in annis Mariæ, ipsum Verbum Dei, & Sol iustitiæ in illius vterum illaberetur, vt celeriter ei Sol, & in ea oriretur, vt ex ea postmodum procederet tanquam sponsus de thalamo suo. Hoc denique feruidum desiderium demonstrat citissimus assensus, & consensus Gabrieli supernum Dei consilium aperienti, Virginis beneplacitum, & voluntatem præstolanti datus: statim enim ac de superni

Continuā Mariæ deprecationibus, Incarnationis Dominicæ abbreuiata sunt tempora. Daniel.

Petr. Canis.

Nō ad adultam Mariæ ætatem expectauit Dominus, sed in tenera inchoata aurora sibi eam repleu.

Digitized by Google

Ardentissimo Incarnationis voto, respondet tã celer Angelo datus assensus.

perni Pneumatis obumbratione certior est facta, propositum Dei confirmat, arcanum diuinæ sapientiæ collaudat, consilium approbat, & Sanctissimæ Trinitatis iudicio, & sententiæ mirabili consensione, & inuariabili voluntate subscribit dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.* Ardentissimi voti Mariani in hoc consensu sapiens, & argutus explorator est S. Bernardinus tom. 3. serm. 5. art. 2. cap. 3. scribens: *Apparuit in Virgine gloriosa desiderium magnum in prompta consensione, seu consensu eius expressione siquidem quod credidit, non tacuit, non dissimulauit, non negauit: sed cùm se cooperatricem audiuit in vocem exultationis prorupit, atque ab omnibus electis diu desideratum consensum præbuit dicens: Ecce ancilla Domini fiat mihi. De quo Bernardus ait: ô Verbum omni acceptione dignum, quod sic tam ardens exprimit desiderium, quod de sinu Patris rapuit Dei Filium! Verè magnum expressit suum desiderium, quando toto operi,* (forte legendum: *tanto operi*) *tam facilem adhibuit consensum. Quod enim maius secundum Ioannem Damascenum, quàm Deum hominem fieri.* Hæc Sanctus Bernardinus.

D. Bernard.

Cũ se cooperatricem salutis humanæ agnouit, in vocem exultationis, & in consensum ab omnibus electis optatũ prorupit.



Et Torques.

DISCVRSVS VI.

Secunda gemma,

Diuinæ, & singularis donationis.

Vnaquæque sanctissimæ Triados Persona dedit Mariæ pignus, quod altera non donauit, & Deipara fecit de Deo, quod non potuit facere solus Deus.

1. FIDEI dogma est quod Deus, & tota Trinitas fuit causa principalis efficiens Incarnationis. Definitum est in Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 2. & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & habetur in cap. firmiter de summa Trinit. & fide Catholica, & aliis, & tradit illam frequenter Sanctus Augustinus 1. de Trinit. cap. 4. Adhuc tamen in operatione mirabili huius mysterij, loquendo formaliter, quælibet Persona dedit Mariæ Virgini Deum, & hominem concipienti, vnum pignus, & donum, quod non dedit altera; hæcque donatio non solum attribuitur singulis Personis per quamdam appropriationem, sed per proprietatem. Vtramque largitionem prorsus mirabilem, communem, & singularem Personis Diuinis, proponit Sanctus Bernardus homilia 3. super *Missus est*. enucleans illa verba Angelica: *Dominus tecum*. sic enim ait: *Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis; sed & Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis, & Dominus Pater, qui genuit, quem concipis. Pater inquam tecum, qui Filium suum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum, miro modo, & sibi reserat genitale secretum, & tibi seruat virginale signaculum. Spiritus Sanctus tecum qui cum Patre, & Filio tuum sanctificat vterum.* Præparationem, & sanctificationem Virginis ad condendum, & suscipiendum tam ineffabile sacramentum tota Trinitas operata est; adhuc tamen in hoc immensæ diuinitatis reconditorio, & totius Trinitatis triclinio quælibet Persona speciali, & miro modo adfuit. Solus Pater tanquam generans Filium; solus Filius carnem ex Virgine decisam induens, Spiritus Sanctus tanquam principium de quo Christus formatur; Pater in te idem qui ab æterno genitor, in te est tanquam in eiusdem Filij sui humana genitrice; genitura diuersa, idem tamen Filius. Soli filio tuorum viscerum patet arcanum, & per portam clausam in ventrem illabitur, vt assumat corpulentam substantiam, nec infregit seras pudoris, sed intactam, & illibatam virginitatem reliquit. Eleganter quoque Hugo de sancto Victore nectarea dulcedine plena verba profert in commendationem Beatæ Virginis tom. 2. circa finem in sermone de Assumptione Mariæ ad ea verba Cantic. cap. 4. vers. 10. & 11. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Sic enim scribit de operatione sanctissimæ Triados in Virgine: *Tria commendantur, labia, lingua, vnguenta. In labiis osculum, in lingua alloquium, in vnguentis odor atque fragrantia. Tota ergo Trinitas venit ad Virginem. Susceperat in lingua Patris Verbum. Susceperat in vnguentis Patris, & Verbi spiritum. Inde labia tua, vnguenta tua. Fauus distillans labia tua, mel, & lac sub lingua tua, & odor vnguentorum tuorum super omnia.* Suscepit MARIA de ore Patris osculum, cum suscepit Verbum, osculum illud quod sponsa sacra habebat in votis, cùm anhelantis affectu suspirabat: osculetur me osculo oris sui, & quia per osculum spiritus osculantis transfunditur, spiritus procedens à Patre superuenit in Virgine, vt penetralia cordis sanctificationis, & amoris halitu repleret, vt verbum increatum, & primogenitum sapientiam de ore Patris prodeuntem, ipse Pater mirabili illapsu in vterum Virginis infunderet. Hæc vniuersaliora sunt in hoc Dominicæ Incarnationis Sacramento. Ad singularia deueniamus.

Conc. Later. Conc. sub Innoc. D. August.

Bernard. Quo sensu singula persona Trinitatis specialiter sint cũ Maria? Pater cum Maria, qui filium suum fecit filium Mariæ.

Filius solus assumens corpulentã substantiam. Spiritus Sãctus sanctificans vterũ.

Hugo Vict.

In Virgine Maria encomiis etiã commendantur labia, lingua, vnguenta. In labiis osculum, in lingua alloquiũ, in vnguentis fragrantia. Maria suscepit in labiis ab ore Patris osculum. Suscepit in lingua, Patris Verbum. Suscepit in odore, Patris, & Verbi spiritum.

2. Christus IESVS solum est Filius Dei Patris, & Virginis Matris. Vnde secundum perfectam rationem filiationis nec dicitur, nec est filius totius Trinitatis, nec aliquo modo dici debet filius Spiritus Sancti; vt annotat sanctus Thomas 3. part. quæst. 32. artic. 3. corpore. Solus itaque Pater, & Maria possunt filium habere Deum. Pulchre sanctus Bernardus homilia 4. super missus ad illud comma: *Dominus tecum*. inquit: ineffabili, & inaudito modo fuisse Patrem cum Maria: *Cum ita sit cum omnibus Sanctis, specialiter tamen cum Maria cum qua vtique tanta ei consensio fuit, vt illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac si de sua Virginisque substantia vnum Christum efficeret, vel potius vnus Christus fieret: qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo filij, sed vnus vtriusque filius.* Et sermone de Beata MARIA scribit: *Veram Deum, & Dei Filium genuit, vt idem ipse Dei atque hominis*

Iesus solùm est filius Patris, & Virginis Matris.

D. Thom.

Solus Pater, & Maria possunt filiũ habere Deũ.

D Bern.

Dominus cũ Maria esse dicitur, quia filius per assumptionem carnis, totus, & vnicus Dei, & Virginis est filius.

D Bernard.

Quod Dei, & hominis filius prodiret ex Maria, Abyssus luminis est, Angelis inaccessa.

hominis filius vnus omnino Deus, & homo prodiret ex Maria abyssus est luminis, nec facile dixerim quod vel Angelicus oculus, ad huius fulgoris vehementiam non caliget. Pater, qui Verbum, & Filium generabat æternum, admisit in tempore eiusdem filij creatam genitricem; vt idemmet Dei Filius, & creator orbis à Creatore, & creatura prodiret. Miramur, & veneramur in diuinis indiuiduæ naturæ vnitatem cùm multiplicitate personarum; vnaquæque proprietas singularis discernit personam, nec dirimit identitatem diuinæ substantiæ. Cernere est in Patre, & Matre Christi duo principia, diuersos generantes, idem tamen est natus Dei Filius: generat Pater tanquam cœlum supercœleste, gignit MARIA tanquam terra benedictionibus repleta dulcedinis, & compluta stillicidiis gratiarum, idem tamen Deificus flos ab vtroque pullulat. Gignit luminum Pater, & fontana scaturigo splendoris; gignit MARIA tanquam luna. Idem tamen iustitiæ sol à fonte solis, & à luna procedit. Idem Verbum eructatur de pectore Patris, & de ventre Matris: eadem gemma emergit de paterno diuinitatis oceano, & de materno MARIÆ gratiarum mari. Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile: in principiis generantibus omnimoda diuersitas, in fontibus immensa distantia, in vnitate filij generati coeunt, & mirabiliter consentiunt: quis non stupeat eiusdem Filij Dei vnitatem in diuersis personis generantibus, vna creata, altera increata! Sapienter Sanctus Bernardus homilia 4. super missus ad illum textum: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei,* asserit: *Quemadmodum & is, qui à Patre est ante sæcula genitus, tuus quoque à modo reputabitur filius. Sic autem & quod natum est ex ipso Patre erit tuus, & quod nascetur ex te erit eius; vt tamen non sint duo filij, sed vnus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit, iam non tamen cuiusque suus, sed vnus vtriusque erit filius.* Eamdem magnificam MARIÆ dignitatem, & consortium, cum Patre in eiusdem filij identitate ponderat sanctus Bernardus tomo 1. serm. 61. articul. 1. cap. 5. cuius titulus est: *Quod solus æternus Pater, & Virgo Beata, potuerunt filium habere Deum.* Et subiungit: *Persona namque Virginis tanta superexcellentiæ est, quod nec in personis increatis, nec in personis creatis, vt Angelis, & hominibus, inuenitur hæc incogitabilis dignitas, scilicet quod habeat Deum filium, nisi in vna persona diuina, quæ est Patris, & in vna persona humana quæ est Matris.* Quapropter filius Dei nec sui ipsius, nec alterius in diuinis potest esse Pater; nec Spiritus sanctus est Christi genitor, quia vt ait sanctus Augustinus serm. 2. in Natali Domini: *Christus non de substantia Spiritus sancti, sed de potentia, nec generatione, sed iussione, & benedictione conceptus est.* Sola ergo Deipara inter personas creatas, & increatas hoc munus, & donum accepit, vt gignat eumdem filium quem habet Pater, Dei genitrix nuncupetur, & filius idem Patris sit verè filius MARIÆ. Solus Pater, & MARIA proferre possunt illud Dauidicum alloquium. Ex Psalmo 109. versu 3. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Genuit Pater ex vtero, hoc est ex sinu, & genitali secreto de seipso, de substantia sua, iuxta sanctum Augustinum, ante luciferum, ante solem, in æternitate. Genuit MARIA in vtero Filium Dei, & peperit ante luciferi exortum, cùm nox in suo cursu medium iter peragerer. Cui congruit versio Hebraica Aquilæ, & Symmachi: *De vulua aut matrice aurora tibi ros adolescentiæ tuæ.* In qua Deigenitrix aurora æquo iure nuncupatur. Audiendus est Eusebius Cæsariensis in huius Psalmi commentario: *Significari autem,* (ait) *his verbis puto non ex viri semine, sed ex Spiritu sancto constitisse ipsius in carne generationem. Nam veluti ros desuper de cœlo descendens, sic fere in vtero Matris illum gestantis, carnis ipsius concretio facta est in eius pueritia.* Et statim subiungit de nomine MARIÆ. *Pro eo autem quod est ex ventre, vel ab vtero, Hebraicum ipsum habet Mariam. Ac scio me quemdam super hoc audisse, qui diceret Hebraicam vocem hoc loco ipsius Mariæ nomen commemorasse, nam dictio Mariam, Mariæ nomen indicat, ac si nominatim per hæc Dei Mater commemorata sit.* In Hebræo non reperitur verbum *Mariam*, sed *Merechem*, fieri tamen potuit quod aliquis Hebræus codex habuerit *Mariam*, non *Merechem*, vt annotat Episcopus Acernensis Agelius. Iuxta veritatis Hebraicæ rigorem transferri posset: *Ex misericordia,* pro *vtero.* In quibus attribuit Vates Deiparæ gemina nuncupationis insignia, cùm MARIÆ vterum vocat *misericordiam*, quia misericordiæ mater, & spem veniæ filiis indulget, & remissionem peccatorum peperit. Aurora quoque dicitur quia stillicidiis gratiæ cœlestis peccatorum pectora irrorat, & virtutum fructibus arua fœcundat animorum, & quia ex vtero MARIÆ candore roseo nitentis tanquam ex matutæ albescenti sinu ortus est sol IESVS, & diuinis illuminata fulgoribus lumen Patris gremio suo ostentat tanquam sponsum procedentem de thalamo virginali.

Ex diuersis principiis, & generantibus idem filius prodiit.

Bernard.

Qui nascetur ex æterno Patre, est filius matris, qui nascitur ex matre est filius Patris.

Bernard.

Solus æternus Pater, & Maria potuerunt filium habere Deū. Mariæ ineffabilis dignitas, quia filiū habeat Deū, nec in personis creatis, nec increatis præter Patrē reperitur. Filius, & Spiritus Sāctus non sunt filij genitores.

D. August. *Christus non est filius Spiritus Sancti.*

Psalm.

Maria cum Patre Verbū illud congruenter profert: Ex vtero ante luciferum genui te.

Lect. Heb. Aquil. Symm.

Euseb. Cæs. *Non ex viri semine, sed ex Spiritu Sancto constitit Christi generatio. Tanquā ros desuper descendens concretio carnis Christi, in vtero Virginis facta. In verbo illo Psal. 109.* Ex vtero. *Maria nomē elucet.*

Aggel.

Lect. Hebr. *Mariæ vterus misericordia nuncupatur.*

3. Secundum pignus dedit Filius Matri, quod non dedit altera persona, seipsum exhibendo in assumptionem, & terminationem humanæ naturæ, quia licet actus assumentis procedat ex diuina virtute, quæ est communis tribus Personis, terminus tamen assumptionis est sola Persona Filij, quod eleganter docuit sanctus Augustinus de tempore sermone 3. *Suscepit Filius carnem in proprietate, sed tamen Pater, & Spiritus sanctus non defuit maiestate. In diuinitate æqualitas, in carne sola filij proprietas, cùm ergo vna sit Deitas, vna sit diuinitas, implenis quidem carnem Christi, & Pater, & Spiritus sanctus, sed maiestate, non susceptione.* Postea singulari exemplo mysterium expendit subiungens: *Adhuc citharam respice, vt musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur ars, manus, & chorda, & tamen vnus sonus auditur, ars dictat, manus tangit, resonat chorda. Tria pariter operantur, sed sola chorda personat, quod audiatur: nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater, nec Spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen cum filio pariter operantur. Sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit, operatio in tribus constat; sed quomodo ad solam pertineat chordam soni redditio,* sic

Eximium pignus dedit filius matri, quod non dedit altera persona. Terminus humanæ assumptionis sola persona filij.

D. August.

In citharæ similitudine ostenditur Trinitatis operatio in Incarnatione, & sola in filio carnis assumptio. Sicut sonum sola chorda excutit sic carnem solus Christus accepit.

Digitized by Google

sic pertinet ad Christum solum carnis humanæ susceptio. Hinc etiam MARIA illam supremam dignitatem maternitatis Dei adepta est, quæ in suo genere est infinita, quia est suprema coniunctio cum persona infinita, vt ait sanctus Thomas 1. parte quæstione 25. articulo 6. ad 4. Et iuxta ipsius Angelici Doctoris placitum 2. 2. quæstione 103. articul. 4. ad 2. *Sua operatione fines diuinitatis propinquius attigit.*

D.Thom.

Maria sola fines diuinitatis propinquius attigit.

4. Tertia persona Spiritus sancti specialiter ornauit Dei genitricem. Primò, quia per quamdam appropriationem dicitur Christus conceptus de Spiritu sancto, ideóque superuenit in Virginem ad præparandam, & formandam materiam corporis Christi. Nam in instanti corpulentam substantiam, seu sanguinem cordis purissimum à corpore Beatæ Virginis diuisit, formauit, figurauit, animauit, diuinitati vniuit; vt Beata virgo in vno momento conciperet virum perfectum in figura lineamentorum, anima, & gratia, virtute, & sapientia. Ideò MARIA obumbrata dicitur à Spiritu sancto Lucæ capite 1. hoc est ex Theophylacti sententia: *Teget te, quemadmodum gallina, aut auis solet pullos suos sub alis tegere, vt, eos foueat.* Quæ verba referens, & approbans Ioannes Maldonatus noster, subiungit: *Melius fortasse dixisset, sicut solet auis oua sua tegere, vt eius calore pulli gignantur excludanturque. Hac enim ratione videtur Spiritus sanctus sanguinem Virginis in eius vtero fouisse, calefecisseque, vt homo Christus gigneretur.* Spiritus Diuinus illapsus in Virginem immenso quodam inflammauit charitatis ardore, introduxit in Deitatis arcanum, & in inusitatam creaturæ amoris Deifici regionem; fragilitatem humanæ infirmitatis suffulsit, vt sustineret creatorem, & immensum diuinitatis pondus; supercœlesti, & lenissima aura refouit pectus virgineum, vt eam non absumeret incendium diuinitatis, quod igniuit cor Virginis, alarum suarum velamento super mundana columba protexit; austrini, & temperati flatus flabris superuenit in eam, vt omnium virtutum fluerent aromata ad aduentum cœlestis Regis. Denique expansis alis muniminis singularis super Virginem, purissimi sanguinis guttas incubabat, superno, & viuificante refouebat calore, vt fingeretur Adamus secundus, qui vitam primo donaret æternam. Rursus speciale insigne obtinuit supernum Pneuma ad perficiendum hoc opus, quia Filio Dei à quo procedebat corpus mortale formabat. Inculcat hoc mirabile sanctus Anselmus, simulque Personarum attributa in Domini Incarnatione proponit libro de Conceptione Virginis, & peccato originalis capite 18. *Sed quia decebat vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idemque communis Dei Patris, & Virginis filius, & quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem eligebat, & de qua Spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur, & nasceretur ille, de quo procedebat.* Hæc præclare Cantuariensis Archipræsul Anselmus. In cuius verbis augustiora insignia à singulis Personis Deiparæ donata fulgent. Quod Pater vnicum filium suum tradidit MARIÆ vt esset eiusdem Virginis filius. Quod filius solus carnem assumpsit, & dignitatem maternitatis Dei, virginea fœcunditate conspicuam MARIÆ Filius Dei tanquam matri largitus est. Spiritus sanctus quod protexit Matrem sui aspiratoris, ipsumque Filium, à quo procedit, mortalitatis tegmen parauit in textrina Marianæ aulæ, & cum humanitatis veste induit.

D.Lucas.
Theophil.

Maldon.

Spiritus Sanctus Mariam fouit, sicut auis oua tegit calore.
Spiritus Sanctus sanguinē Virginis fouit, & calefecit, vt Christus gigneretur.

Spiritus sanctus Filio Dei, à quo procedebat, corpus mortale formabat.

D.Anselm.

Mariana puritate maior sub Deo nequit, intelligi.

5. Restat cernere: *Quod Beata Virgo potuit facere de Deo, quod de se non potuit facere ipse Deus.* Hæc tituli verba præfixa sunt sermone 61. Sancti Bernardini tomo 1. articulo 1. capite 4. & addit in copore capitis: *Plus enim potest facere Beata Virgo de Deo, quàm Deus de seipso. Quadam enim contraria, & contradictoria inter Deum, & Virginem erant, quæ dum accessit Deus ad Virginem concordata sunt.* Contradictiones, & implicationes argutè proponit. *Primò: impossibile erat Deum non generare. Impossibile erat Virginem generare.*

Maria fecit de Deo, quod non potuit facere Deus.
Bernard.
Plus potest facere de Deo Maria, quā Deus de seipso.
Contraria inter Deum, & hominem Maria compon t.
Mirabilia theoremata S.Bernardini.

Secundò: impossibile erat Deum generare nisi Deum: impossibile erat Virginem generare Deum.

Tertiò: impossibile erat Deum cum alia persona generare: impossibile erat Virginem sine persona generare:

Hæ Theses Theologicæ, quæ videbantur repugnantes, & incompossibiles humano consilio, mirum consensum, & concentum ineunt cùm Deus sese demisit in vterum Virginis. Sapienter subscribit sanctus Bernardinus eodem capite: *Accessit ergo Deus ad Virginem, & necesse fuit Virginem generare, & non alium quàm Deum, & non de alio quàm de Deo. Sed Deus non potuit generare nisi Deum de se, & tamen Virgo Deum fecit hominem: Deus non potuit generare nisi infinitum, immortalem, æternum, insensibilem, impalpabilem, inuisibilem sub forma Dei: sed Virgo fecit eum finitum, mortalem, modicum, temporalem, palpabilem, sensibilem, visibilem sub forma serui, suppositum sub natura creata.* Et post pauca, sequentia scribit: *Reuera Deo Patri per omnem modum impossibile erat; quod de se aliquid tale faceret. Propterea in hoc stat Virginis Prærogatiua: quia cùm Deus hæc non possit, nulli alteri creaturæ concessit.* Hæc Senensis Bernardinus, cui consonat Hugo Victorianus, sancti Bernardi amicus, & coæuus tomo 1. sermone de Assumptione MARIÆ, exornans verba Canticorum capite 4. versu 10. *Fauus distillans labia tua sponsa. Mel & lac sub lingua tua.* Verba à IESV prolata recenset Hugo cum Matre colloquente: *Mea diuinitas mel erat, & tua humanitas cera erat, & inde me ipsum fauum feci, & factus sum. Et ecce fauus distillans labia tua. Quod enim impressum est in te, assumptum est de te, & ipsum factum est dulcedine plenum in me. Modo ergo sum quod sum, & sum quod factus sum. Quod factus sum, modo sum: quod autem sum semper sum, tamen vtrumque verè sum, & quod factus*

Hæc omnia contraria Maria in mirabilē consensionem adduxit.
D.Bern.

Deus generare non poterat nisi immortalem.
Virgo Maria Deum fecit mortalem.
Quod Deus non potuit, Maria præstitit.

Hugo Vict.

Cant.

Diuinitas mel, humanitas cera dicitur.
Deus habet quod est, & quod ex Maria factū est.

Digitized by Google

factus sum, & quod sum : alterum ex te, alterum ante te. Procedit à Patre Filius genitus, non factus, esse à se æternum habet ex Patre; esse ab alio habet ex Matre; nec à Patre habet esse ab alio nempe creatura, nec à Matre habet esse à se, cui non diuinum esse, sed humanum Christo communicauit. Christus generationem æternam non habet ex Matre, generationem temporaneam non habet ex Patre. Natus est Matre temporalis, passibilis; Pater autem gignere non valet nisi impassibilem, & æternum.

D. Bernard.

Virtus incogitabilis matris Dei.

Vna mulier Hebræa fecit inuasionem in domo regis æterni.

Maria suis blanditiis velut seduxit, & rapuit, & vulnerauit cor Dei.

Greg. Nyss.

Vulnerauit Maria cor diuinum in vno torque.

6. Denique libenter adiiciam commata sancti Bernardini ex eodem capite recensito mutuata. Post prællegatas superiores dictiones, hæc annectit: *O ineffabilis humilitas creatoris! ô incogitabilis virtus Virginis Matris! ô incomprehensibilis altitudo mysteriorum Dei! vna mulier Hebræa fecit inuasionem in domo Regis æterni: vna puella nescio quibus blanditiis, nescio quibus cautelis, nescio quibus violentiis seduxit, decepit, & (vt ita dicam,) vulnerauit, & rapuit diuinum cor, & diuinam sapientiam circumuenit. Propterea conqueritur Dominus de Beata Virgine* Canticorum 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno crine colli tui.* Hebræus habet: *in torque.* Sic legit sanctus Nyssenus homilia 8. in Cantica Symmachus: *Monili.* Delrius: *Significari torquem, cui inserti vniones.* Vt gemmas innuat magnalium MARIÆ, in eius torque, & monili gratiarum intermicantium super Solis iubar; & siderum fulgurantes radios.



Et Monilia.

Sanctissimæ Deiparæ monile gemmeum singularis munimînis, & protectionis.

DISCVRSVS VII.

In Maria tantus Deificæ charitatis ignis exarsit, & splendor virtutis effulsit, quod nec libidinosæ correptelæ vel tenui halitu afflata, nec vllo vnquam hostilis tentamenti, aut vitij pulsata fuerit attactu.

D. Isidor.

Munimen passiuum, & actiuum Mariæ innuitur in torque.

1.  ONILE à *muniendo* dicitur, iuxta sanctum Isidorum libr. 1. de differentiis, eo quòd pectus matronarum muniat, vt à se arceat audaces, & prophanos; monili ad pectus demisso collucentibus, & stellantibus gemmis conspicuo ornatur Marianum pectus, vt ostentet munimentum sibi à Deo donatum, quo reddebatur vniuersis hostium machinamentis intacta, & inaccessa; tum etiam vt prædicet singulare præsidium, & tutamentum, quod in clientes, & dilectionis suæ contubernales impertitur, in tegmine enim, & culmine Reginæ cœlestis securi degunt, Hostibus imperuij, & formidandi. De vtroque præsidio, & propugnaculo, tum passiuo, quod habuit à Deo, tum actiuo quod amicis impertitur; pro voto disserendum. Vnum & alterum propugnaculum eminebat in Dauidica arce MARIÆ figuratiua, de qua Salomon prædicat Canticorum cap. 4. vers. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Quem locum recensens Abrahamus Bzouius in monili gemmeo Deiparæ cap. 1. ait: *Pro eo quod nos habemus mille clypei pendent ex ea, legebat quidam,* (Isidorum Clarium innuit, apud quem hanc lectionem inuenire non valui,) *mille gemmæ pendent ex ea. Nam & Diuus Hieronymus alicubi dicebat: cœlestes gemmas verti in scuta, vt scuta sint ad tutelam impenetrabilia, & gemmæ non desinant esse, ad ornatum inæstimabiles.* Respexit forsan ad sensum dramatis, non ad litteræ tenorem, nam vt sapienter Martinus Delrio noster ait: *Monilia baccata de collo sponsæ dependentia comparat clypeis, tum propter figuram orbicularem, tum propter splendorem, & vt sic dicam, fulgurationem, quæ gemmæ, & vniones instar aureorum, & chalybeorum vmbonum, repercussu solarium radiorum, oculos perstringunt.* In Deiparæ collo, & pectore tot parmæ, & munitiones cœlestes, quot gemmæ in monili renidentes, quæ prospicientibus, & æmulantibus tanti exemplar decoris diuina subsidia prætendunt; nec sibi soli vsurpat cœlitus donata tegmina, sed suis dispertitur præliatoribus; itaque non tam ad ornamentum, quàm ad tutamentum vniuersorum in Marianis redimiculis pulcherrimæ nitent gemmæ. Sed videamus quantum fuerit circummunita auxiliaribus copiis cœlestis gratiæ, vt arcerentur procul semper aduersantis inimici thecnæ.

Vtrumque munimen in turris Dauidica propugnaculis adumbratum.

Cant.

Abrah. Bzouius.

Cœlestes gemmæ vertuntur in scuta, ad tutelam impenetrabilia.

Delrio.

Monilia baccata de collo sponsæ dependentia, comparantur clypeis, & chalybeis vmbonibus.

Maria fuit tota intacta, & inaccessa ab omni libidinis halitu.

Abulen.

2. Libidinosæ facis, aut tædæ ignem, calorem noxium, aut fumeum flatum persensit nunquam MARIÆ pectus. Hoc assertum bene sentientium nemo inficias ibit. Solus, quod mireris sapientissimus Abulensis, sed in hac parte minus sapiens, ait loquens de Deipara: *Eam à dæmone de venereis fuisse tentatam.* tomo 4. in Matth. capit. 13. quæstione 19. Sed hoc paradoxum piis auribus inuisum, reiiciendum est, & adstruenda in hoc proposito veneranda MARIÆ puritas. Illam vaticinio suo firmat Habacuc Vates capite 3. versu 3. *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* Postrema verba sic efferunt LXX. *& sanctus à monte vmbroso, & condenso.* & de Deipara exponit Bulgarorum Archipræsul Theophylactus, legens: *à monte vmbroso, & aspero.* Vmbrosumque montem, & opacum nuncupat: *Quod diuina gratia super eam, & in ea vmbram faciat, illam ceu vmbra circumdet, ac tanquam in protectione cœli commoretur.* Et statim: *Porro Deipara Virgo mons est etiam asper, vt in quam ferrum cogitationis, sordidum virus habentis, non ascenderit.* Vndique constipatum montem Deiparam nuncupat noxij caloris radiis imperuium, arcentibus ingressum virtutum omnium cohortibus, quæ velut implexæ frondes illum circumsepiunt; opacus mons à gratiæ temperie, quæ illum obumbrat, vt pote qui in

Habac.

Lect. LXX.

Theophyl.

Maria est mons vmbrosus, condensus, & asper dicatur.

Super Mariã diuina gratia vmbram faciebat, eam circumdans, vt in protectione cœli moraretur.

Maria, mons asper dicitur quia in eam cogitationis sordidæ ferrũ nunquam ascendit.

Digitized by Google

in protectione Dei cœli commorabatur. Viuebat Maria in Domini vmbra, & perfruebatur Sancti Spiritus aura, vt nullum noxij spiramenti flabrum sublimiorem inhalaret montem. Singillatim *montem asperum*, nuncupat Theophylactus, quia ab omni virulento afflatu, & cogitatu improbo immunis extitit, nunquam enim falx, aut ferrum minitans abscissionem frondium, & virgultorum puritate commantium, in hunc montem virtutibus nemorosum ascendit. Nec incongrua est lectio Theophylacti: *& sanctus à monte aspero.* Vt instruat pudicitiæ sectatores, & sectatrices; licet enim sint amœni, & charitate vernantes, cum de castitate res agitur, & virtutis angelicæ, vel ex leui vmbra imminet periculum dispendij, vir iustus se reddat austerum, & asperum, tanquam nemus dumetis, & sentibus pungens, imperuium vitio, vel solo aspectu inhorrescentem; sub asperæ, incultæ, & hispidæ conuersationis tegmine, & testa exasperantis, & durioris alloquij, immunis redditur, & illibatus virtutis nucleus. Asseruit puritatis Marianæ decus Theophylactus, consentiunt quoque alij Patres, Sanctus Cyprianus serm. de natiuitate Christi loquitur de Deipara: *Legem mentis, lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritus affligebat.* Et Sanctus Bonauentura serm. 1. de Beata Maria eam comparans cum cœlo aqueo scribit: *Hoc cœlum Domina nostra fuit per eminentissimam castitatem, non solum carnis, sed & mentis, & omnium sensuum corporis: in tantum frigus, & calor omnis noxius in ea extinctus fuit, quod nunquam vllum carnalem motum mentis habuit, vel carnis; imo à nemine concupisci potuit, quia eius intuitus ita virtuosus erat, quod in alijs libidinem extinguebat.* Erat Maria in hac vita cœlum aqueum, seu crystallinum libidini inaccessum, nec cœnosi huius mundi gurgitis halitu maleolentis impuritatis afflabatur; nec in se sola nitor puritatis emicabat, sed in oculos ipsam prospectantium, castimoniam refundebat. Comparatur Deipara in Euangelio Marthæ, & Mariæ castello. Lucæ cap. 10. *Intrauit Iesus in quoddam castellum:* Cuius similitudinis causam assignant Patres. Cur castellum nuncupatur Deigenitrix? Responsum accipe ex Magno Alberto in cap. 10. Lucæ, quia castellum commendationem tenet ex fundamento saxorum, in quo conditur, & stabilitur. *Situs eius est in monte sancto, ad quem nulla machina pertingit inimici.* Illustrat propositam similitudinem sapienter Sanctus Anselmus homilia in Lucæ cap. 10. dicens: *Castellum enim dicitur qualibet turris, & murus in circuitu eius. Quæ duo sese inuicem defendunt, ita vt hostes per murum ab arce, & à muro per arcem arceantur. Huiusmodi castello non incongruè Virgo Maria assimilatur, quia Virginitas mentis, & corporis quasi murus ita vndique vallauit, vt nullus vnquam libidini esset ad eam accessus, nec sensus eius aliqua corrumperetur illecebra.* Incontaminata virginitas mentis, & corporis præclara in Maria propugnacula, quæ procul arcebant hostem, & terrore perculsum reddebant, ne aliqua côcupiscentiæ missilia aduersus sacratam arcem iacularetur. Ideo Mariæ Virginitas ornatur monilibus à sacro sponso, Cantic. cap. 7. v. 1. *Iunctura femorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.* Sacrum femen domus

Puritas aspera & austera, tanquam nemus vitio imperuiū, & inhorrescens.

D. Cyprian.
Lex carnis, aut rebellio nunquā infestauit Mariæ mentem.
D. Bonau.
Maria cœlum aqueum, & chrystallinum propter castitatem mentis & corporis.
Nec minimū motum primo primum mētis, aut corporis castitati aduersū habuit.
A nemine cōcupisci potuit.
Eius aspectus libidinē aliorum extinguebat.
D. Lucas.
Cur Dei genitrix castellū nuncupatur
Albert Mag.
ad Mariam in monte sācto, constitutā, nulla machina pertingi hostilis.
D. Ansel.
Maria arx, & murus vndique vallatus, quem nullo sensus illecebra attigit.

pudoris ad inhabitandum Dominum consecrata, prorsus expers carnalis illecebræ, à lege concupiscentiæ immunis tanquam monilibus coronatur, virtutis, & castimoniæ irreprehensæ insignibus. Pulchrè Guilhelmus apud Delrio: *Sola illa virgo nihil in suo corpore pudendum, nihil inhonestum habuit, cuius caro singulari munere motum in se concupiscentiæ nunquam sensit. Illi ergo singulariter dicitur iunctura femorum tuorum sicut monilia.* Dantur monilia tanquam præmium eximiæ, & plusquam Seraphicæ puritatis, sicut enim in sæcularibus præliis, victorum donatis torquibus solent honorari ceruices, ita Deiparæ decus adiungitur monilium, in quo ostenditur singularis priuilegium gratiæ, & prærogatiua castitatis inter omnes fœminas, quæ nullum rebellium carnis sensit, nihil in eam de concupiscentiæ lege manauit; nec ausum, nec permissum est diabolo, eam tentare de carnis illecebra, quam tot insignibus castimoniæ cernebat refulgentem. Si enim de Mariæ intercessione, & singulari Dei concessione aliqui Ecclesiæ primores nec leuem carnis petulcæ motum, nec impurum in animo cogitatum senserunt, quanto melius de Maria id est proferendum, quæ Mater est puritatis, & gratiarum mare.

Guill.
Iunctura femorū Mariæ sicut monilia quia concupiscentiæ motum nunquā sensit.

Discursus pars II.

Sola Deipara omni tentamento aspectabilis, vel inaspectabilis hostis inaccessa, cuius mirificus virtutis splendor dæmones territabat.

1. Videamus an promissis magnificis probamenta sacræ eruditionis respondeât. Ex iis enim appendemus Mariano pectori pia sedulitate elaborata monilium serta gemmantium. Vidit Ezechiel in carpêto triumphali sedentem, & ouantem Dominum habentem pro sedili cœlū. De quo c. 1. v. 22. scribit: *& similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti super capita eorū desuper.* Per hoc firmamentum Mariæ Deiparæ Virginalem aulam intelligit, per crystallum eximiam puritatem Sanctus Gregorius Thaumaturgus serm. 2. de annuntiat. Sanctæ Mariæ Virginis, eius verba sunt: *Quoniam & tu sancta omni humana natura gloriosior ac purior, sanctiorque effecta es: ac niue quidem candidiorem habens mentem, quouis autem auro quantumuis probato purificatum magis corpus: ventrem verò qualem Ezechiel vidit, & qualem recensuit talia dicens: similitudo animalium super caput quasi firmamentum, & quasi aspectus crystalli formidabilis.* Nec miror virgineum candorem, & Mariæ castimoniam cum crystallo comparari, quæ symbolum est incoinquinatæ munditiæ, quæ ex aquis mundis, atque lucentibus nimio frigore, & in regione prægelida coalescit: mirum valde est quod hanc crystallum nuncupet scriptura diuina horribilem, terribilem, formidabilē! quid crystallo suauius, quæ suo leuore instar limpidæ, & pellucêtis aquæ aut glaciati amnis pulchriori candore resplêdeat, oculos alliciat, & visum demulceat, temperatus ad alborem nitor clementiam indicat, non rigoris asperita

Ezech.
Firmamentū crystallinum apud Ezechielem, virginalis Mariæ aula est.
D. Gregor. Thaum.
Maria omni humana natura gloriosior, ac purior. Eius mēs niue cādidior, eius corpus auro perpurgato purius.
Chrystallus ex aquis puris & pellucidis nimio frigore coalescit.

Cur Maria cristallus horribilis nuncupatur.

asperitatem. Et in Maria quid non iucundum placidissimo splendore pietatis illustre, maternoque blandimento temperatum? Cur ergo horribilis Maria prædicitur? Indicat conceptus, quem rimamur vestigium, occurrens huic dubio Dionysius Carthusianus dicens: *Horribilis aduersariis potestatibus.*

Dionys. *Maria formidabilis aduersariis potestatibus.*

Dicitur etiam horribile firmamentum, hoc est maxime venerandum propter emicantem inde splendorem. Vnde Vatablus legit: *sicut calor crystalli terribilis, hoc est eximij splendoris.*

Vatabl. *Horribilem crystallū propter eximiū splendorem vocat.*

Sicut etiam thronus Dominicus Isaiæ demonstratus erat valde terribilis, propter fulgur & radium exinde prodeuntem. Vnde Chrysostomus homilia 1. in cap. 6. Isaiæ perquirens cur Seraphim faciem velant? Respondet: *Propter metuendum spectaculum.*

D. Chrysost. *Seraphim faciē velāt, propter metuendū spectaculum.*

Pauenda semper extitit, & formidanda inuisibilibus hostibus Deipara, quem horrorem iniiciebat rebellibus Angelis animi, & corporis incontaminata puritas; Cuius splendore mirabili recreantur, & demulcentur iusti, deterrentur, & prosternuntur spiritus improbi; pudici pectoris euibrati radij emicantes splendores hebetabant obtutum aduersantium, & horrore perculsi verberata mentis acie, ad tam venerandum decus collucentis Saphirini throni, & crystallini firmamenti non audebant leuare perstricta, & obtenebrata lumina. Aptè Sanctus Ioannes Damascenus orat. 1. de natiuit. Mariæ ait: *O sanctissima filia, in maternis vlnis conspicua, rebellibusque Angelis formidabilis!*

Ioan. Dam. *Maria rebellibus Angelis formidabilis, ex amoris lumine.*

Aliter horrorem incutiens crystallus introducitur à doctis viris ratione prunarij, & ignei globi, qui super capita animalium imminebat coruscans luminibus, & omnia flammis succendens; reddebat enim in illa crystalli perspicuitate igneum colorem, & conceptum horrorem præferebat. Ignis autem iste amor Dei est, qui procul arcet principes tenebrarum; hoc igne non solum thronus, sed ipsa exardescunt animantia, quæ Dei quadrigam circumferunt, quorum schema proponit Vates eodem cap. vers. 13. *Et similitudo animalium & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Vertit, & dillucidè expendit verba hæc Vatablus: *Oculos habebant similes prunis ignitis. Ardebant instar titionum vel facularum, ipse ignis discurrebat inter animalia, ipsisque inerat splendor, & ex eo egrediebatur fulgur. Ignis iste discurrens charitas est.*

Vatab. *Oculi Cherubici similes prunis ignitis, ardētes facularū instar.*

Ignis discurrens Charitas est.

Ignis hic emicans, & vndique circumfusus ostenditur vt trepidantes, & fugaces redderet hostes; nihil enim sic perhorrescunt dæmones quàm spiritum diuina charitate exardescentem; quadrat iis quod de leonibus pronuntiatur à Plinio lib. 8. nat. hist. cap. 16. *Hoc tale tam sæuum animal terrent maxime ignes.*

Plin. *Leo sæuum animal igne deterretur.*

Aduersantem Dæmonem, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, maxime deterret diuini amoris ignis. Mirifica charitate scintillantibus oculis atque terrificis fugatur improba bellua, nec propius accedit ad animum, quem hæc pyra terrifica vndique claudit.

Dæmon improba bellua, fugatur. fulgoribus charitatis

His lampadibus, titionibus, & faculis armatus, insidias omnes cacodæmonis propulsat; hoc torre de pectore suo accenso melius quàm semiustulante titione de foculis eruto fugauit lasciuientem fœminam Angelicus Thomas, & libidinis motus æternum extinxit; habebat enim charitate aliger zelo pudicitiæ correptus instar Cherubim: *Oculos similes prunis ignitis. Ardebat instar titionum vel facularum.*

Charitatis ardore, melius quā semiustulato titione procacē fœminā fugauit Angelicus Thomas.

Si hoc de terrestri Angelo, quid de Angelorum Regina dicemus, cuius oculorum clarissima, & nitidissima lumina commendans Sanctus Georgius Nicomediensis Archipræsul, orat. de præsent. Mariæ, apud Surium ait: *Cuius lux oculorum solis superauit radios.* Et statim Mariam nuncupat: *Hortum conclusum, quem peccati cogitationes non possunt intrare.* Arcebantur enim à diuino lumine, & terrificis splendoribus tanquam gladiis igneis, versatilibus rhomphæis, vt cælestis paradisus vniuersis cogitatibus improbis redderetur inaccessus.

D. Gregor. Nicomed. Sur. *Lumen oculorum Mariæ Solis superauit radios. Maria hortus cōclusus cogitationibus malitiæ inaccessus.*

4. Redeo ad charitatis flammam, & splendorem Mariani pectoris, qui procul abigebat tentatoris insidias: commendat quorumdam Heroum sanctitate mirabilium, priuilegium gratiæ, & charitatis potentiam Sanctus Diadochus Episcopus Photices libro de perfectione, asseritque in hac vita perfrui mirabili spiritus tranquillitate, illius beatæ vitæ, quam speramus æmula, reddique immunes à dæmonis incursibus, qui à Deo expauescunt feruidæ charitatis flammam vt telis suis impetere non audeant, quem cernunt circumcinctum charitatis ad Deum anhelantis ardoribus.

D. Diadoc.

Dæmones expauescunt charitatis ardorem in sanctis, nec eos audēt telis suis impetere.

Sic enim fatur cap. 85. *Cùm vero qui certat virtutes omnes, tanquam in sinum suum collegerit, ac maxime omnium virtutem nihil possidendi, tunc totum ipsum profundiore quodam sensu gratia collustrat circumfouens deinde ad amandum Deum vehementer. Tunc igitur extra sensus corporis ignei dæmonum arcus extinguntur: aura enim Spiritus sancti, quæ ad pacis flatus cor excitat, tela igniferi dæmonis, quæ adhuc in aerem feruntur, extinguit.*

Rerum omnium nuditas, & vehemens Dei amor, arcus, & missilia dæmonis extinguunt.

Attingit sapientissimus Antistes mysticæ Theologiæ subliminiorem quamdam rationem, gratus discernens vincendi hostis, eiusque impiis conatibus obsistendi.

Modus, tentamentis hostilibus resistēdi varius.

Alios enim consensu voluntario vulnerat, & interimit suis telis; alios leuiori ictu signat, cùm non strenue, sed remisse sagittas suas reiiciunt; alij iisdem tentamentorum iaculis, quibus percutere tentat, hostem repercutiunt. Eadem celeritate, qua veniunt abeunt, de pectore gratiæ fortitudine armato, tanquam de leuigato lapide, & silice mira velocitate resiliunt. Adhuc maiora dabit charitatis facinora Sanctus Diadochus, cùm missilia dæmonis ad cor flammigerans amore diuino collimata, Spiritus sancti aura animam circumfouente, & vehementiori flatu, in ventum volitare facit irrito conatu ictus, & vulneris, intacto pectore subito euanescunt; præsentit anima sacro illustrata lumine imminentis sagittatoris iacula, & periculum, illius tamen ictum aut appulsum non sentit, ad nihilum redigente ardore diuino, & auertente impios aduersarij conatus.

Pectus diuino amore ardens, imminentes tentatorum conatus & ictus, sine attactu, & appulsu in nihilum redigit.

Hoc enim præseferunt verba Sancti Diadochi, quæ sic recolligo: *Totum ipsum gratia collustrat, circum fouens ad amandum Deum vehementer: tunc extra sensus corporis ignei Dæmonum arcus extinguntur: tela igniferi Dæmonis quæ adhuc in aerē ferūtur, extinguit.*

D. Diadoc.

Ex vehementi Dei amore immissa à dæmone tela præcauentur, & in aerem feruntur.

Si hæc in sanctioribus viris speciali Dei gratia protectis, & custoditis, admittimus; mirum non erit in Sanctissimam Deiparam ab omni tentamento præseruatam adstruamus, in eaque adimpletum Isaiæ promissum in

Isa.

arcano

Mysticus Assyrius in Dei vrbē Deiparā non misit, aggerē, nec iecit tentationis sagittam.

arcano sensu mysticæ Ierosolymæ, quod de illa terrestri fuerat vaticinatus cap. 37. v. 33. *Hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum: non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem.* Spiritalis Assyrius dæmon in aliis Sanctis mirum non est quod ciuitatem, & arcem pectoris non intret; in atrio Mariæ, & vrbe Regali multo mirabilius quod nec aggressus sit, seruatis semper à protectrice, & excubatrice gratia foribus; sed quod tentationis telum, nec ad malitiam inclinantis appulsus iaculum in ea nunquam iniecerit, nec aggeres malitiæ permissus sit extruere ad Deiparæ oppugnationem: Hoc Mariæ decus luculenter proponit Richardus Sancti Victoris exposit. in Cant. parte 2. cap. 26. scribens de Beata Virgine: *Non dubitandum amoris ignem, & interiorem candorem exterius etiam in ea lucere: vt quæ puritatem Angelicam habuit, vultum etiam Angelicum habuerit: quæ etiam ipsis principibus tenebrarum terribilis fuit, vt ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint. Deterrebat enim eos flamma charitatis: incendebant orationes, & feruor deuotionis: stupebant immunem à peccatis.* Nec dissimilis est Sanctus Amadeus homil. 7. de Beata Virgine prædicans: *Splendor indeficiens in circuitu eius, & ignis exardescens à facie eius: fluuius igneus rapidusque egrediebatur ab ea, qui hostes succenderet, amicos confoueret, inuaret proximos, concremaret inimicos.* Tanta erat Deiparæ maiestas omni humana potestate augustior, venusta species vultus, & emicans inde splendor mirabilis, vt diabolicis insidiis prorsus fieret inaccessa; ab igneo torrente, & charitatis ardore, qui à pectore, & facie continuo profluebat, pellebantur procul potestates tenebrarum; Ancherontis enim tenebrionibus, frigore congelatis nequitiæ spiritibus, inuisa semper flamma Dei, quæ ardore placidissimo animũ confouet, & illuminat; itaque Deipara velut quoddam Deificæ charitatis bustum, ætnaque ignem cœlicum eructans apparebat, bonos inflammans ad vitam, iniquos consumens ad mortem; fugiebant dæmones eximiæ charitatis prodigium, superni ignis incendium, nec accedere, nec tentare sunt ausi: *Deterrebat enim eos flamma charitatis.*

Rich. Vict. Interior cādor ad Mariæ vultum emanabat.

Angelica puritas splēdebat in faciem.

Adeò terribilis tenebrarū principibus, vt nec ad eam accedere, nec eā tentare ausi sint.

Deterrebat eos flamma Charitatis, & stupebant immunem à peccatis.

D. Amad. *Igneus Charitatis fluuius de Mariæ vultu egrediebatur, qui hostes succenderet, amicos cōfoueret.*

5. Inter alia præclara encomia, quibus Mariæ Virginis incontaminatus decor puritatis commendatur à sapiente Rege, illa sunt præclara Cant. cap. 4. v. 12. in quibus nuncupatur: *Hortus conclusus, fons signatus.* Vbi prædicat murum sacræ Virginitatis aduersus mundi huius turbines, & septum protectionis diuinæ, vt nullis sæculi huius, aut tentatoris flabris turbetur. Habet enim in se ipsa gratiarum fontem, qui omne vestigium iniquitatis eliminet, & interfluentibus riuulis munitionis æternæ inaccessibilem reddat hostium machinamentis. Videamus quod sit signaculum Mariæ fonti impressum, & quid in ipsa mirabiliter operetur. De sigillo, & fonte valde argutum theorema protulit S. Gregorius Nyssenus homil. 8. in Cantic. dicens: *Fons obsignatus, quod perinde est ac si dicas custoditus. Fons, mea quidem sententia, propriè nominatur cogitatiua nostra animæ facultas, quæ omne genus ratiocinationis in nobis facit scatere, & emanare.* Itaque variantium simulacrorum, & phantasmatum species, & imagines, cogitatio-

Cant. Fons signatus Maria qualis.

Greg. Nyss. Cogitatiua Mariæ facultas fōs signatus, & immunis custoditus

num cateruæ ex anima tanquam ex fonte, & continua scaturigine manant & ebulliunt; hanc cogitatiuam facultatē nuncupat fontem. Restat scire quæ sit fontis custodia, & perennis scatebræ spiritalis signaculum. Sapienter subiungit Nyssenus: *Signaculum ei quod per ipsum custoditur hoc donat, vt minime surripiatur; signo furem deterrens. Quidquid autem non surripitur, domino manet integrum. Videtur hic laus sponsæ de summa virtute ferre testimonium, nempe quod ab inimicis intacta ei manet cogitatio, custodita in puritate, & impatibilitate. Domino suo obsignat hunc fontem puritas, nullo limo cogitationum conturbās, id quod est cordis lucidum, & aëreum.* Quæ verba de Deipara potissimum dicta sunto. Cuius animus, & cogitatiua facultas nulla limosa vitij cogitatione turbata, sed cor eius semper lucidū sudo, & sereno cœlo purius. Obsignauit hunc fontē Iesus sponsus fida gratiæ, & diuinæ protectionis custodia, vt nullus in eum subreperet puluis, aut flatus indecori cogitatus; apparebat signaculum prærogatiuæ singularis, vt incursibus improbarum passionum redderetur inoffensus, erat in ea decus virgineum, & eximiæ puritatis signum furem Zabulon deterrens, *vt ab inimicis intacta ei maneret cogitatio custodita in puritate, & impatibilitate.* Hæc est enim singularis Mariæ Impatibilitas, quod nullo virtuti aut puritati aduersante motu pulsetur, nullo perfletur vitij flamine, nec tentamenti noxij à dæmone excitatos perpessa sit incursus. Quæ omnia solius Deiparæ insignia sententiis valde præclaris illustrat celeberrimus Doctor Richardus Victorinus lib. 2. de Emmanuele cap. 30. vbi illud Psalmi 45. v. 10. *Venite & videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram: auferens bella vsque ad finem terræ.* De Beata Virgine vsurpat, aitque esse terram illam benedictam, in qua sola Dominus prodigia stupore plenissima operatus est, ornans illam æterna tranquillitate, exulare faciens ab ea internum, aut externum passionum bellum: *Dicta ergo prophetia* (inquit Richardus) *intelligenda videtur de sola Virgine Maria. In ipsa sane ab omni vitiorum impugnatione terra miseræ conditionis nostræ plenam pacem obtinuit quantum ad ipsam.* Et cap. 31. statim subiungit: *in cæteris sanctis magnificum habetur quod à vitijs non possunt expugnari: in ista mirificum videtur quod à vitijs non potest ipsa vel in modico impugnari.* Hæc ille.

D. Greg Niss. *Fontis signaculo fures deterrentur.*

Sponsa cogitatio ab inimicis intacta.

Obsignat sponsa fontē puritas, & impatibilitas.

Rich. Vict. *In Maria terra mirabilia operatus est Dominus, reddens eam ab omni vitiorū impugnatione liberam.*

In cæteris sanctis magnū est quod à vitiis non sunt expugnati, in Maria magnificentius, quod in modico nō sit impugnata.

6. Lego Cantic. 4. speciosa Mariæ lumina columbinis oculis comparata: *Oculi tui columbarum*: istarum quamdam pudicitiam, prætendunt fulgentes alacriter instar siderum, ornati vitreo quodam circulo Iridis speciem, & colores regerente. In Maria vero tales oculi referunt prouidentissimam cautionem, dum volatu citissimo sese subducit ab incursu rapacissimæ volucris. In quo sensu columbæ ingenium vsurpat, & Deiparæ adaptat Albertus Magnus serm. 10. de Sanctis, & 1. de Purificat. *Beata Virgo prudens columba fuit, quæ cauens insidias infernalis accipitris in Nazareth habitauit. Nazareth enim flos vel sanctitas interpretatur, & certè in flore sanctitatis commorantem diabolus nulla persuasione poterat attingere.* Et pulchrè Rupertus in Cant. lib. 3. scribit: *Nunquam aduentus spiritalis accipitris tibi esse improuisus, aut te consequi, imo nec tibi appropinquare potuit.* Sacra columba

Cant.

Alber Mag. *Prudētissima colūba oculis insidias omnes spiritalis accipitris praecauit Maria. In Nazareth, seu flore sā[c]titatis cōmorantem, diabolus nulla p[er]suasione potuit attingere.*

Rupert.

columba quæ splendoribus solis æternis fixum tenebat obtutum, ad cuius asylum, & tutamentum celeriter confugiebat, inter deificos fulgores nidulans, gyro Deitatis conuoluta, patere nequibat insidiantibus hostibus; manu Domini custoditam, & protectam columbam, non potuit hostis attingere, aut inuenire.

Tolet. Card. 7. Prædictum Mariæ priuilegium confirmāt sapientissimi Neoterici; Cardinalis Toletus in Lucæ cap. 1. annot. 74. dicens in Sanctis affectus inuentos, qui contra rationem resilirent, contra eos præualente Dei gratia: *Beata vero Virgini ex diuino priuilegio concessum est vt nullos tales affectus, aut motus pateretur, qui non solum non expugnarent mentem ac rationem, sed nec etiam oppugnarent.* Quos affectus non passiones, sed propassiones nuncupat, ad Christi Domini similitudinem, vt qualis Filius talis Mater, in eo tamen excellentius ratione personæ quia Deus erat, in Beata Virgine ex priuilegio; vnde cùm dicitur Lucæ cap. 1. *Turbata est in sermone eius.* De voluntaria turbatione accipienda est sententia. Idem adstruit eximius Theologiæ Doctor Pater Franciscus Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 4. sect. 5. & longe ante, hoc Mariæ insigne prædixerat Richardus Victorinus exposit. in Cant. parte 2. cap. 26. de Deipara ait: *Tota ergo fuit pulchra, quam totam possedit gratia: quia nullum in ea locum habuit peccatum. Habuit quoque virtutes sine perturbatione, vel passionibus vitiorum.* Postremo dices: si Christus verus Deus tentatus fuit à diabolo Matth. cap. 5. mirum non erit si eius Mater fuerit tentata. Facile occurres: Christus dispensatorie tentationes perpessus est, aditum permittens Dæmoni, vt exemplar præberet tentatis, & doceret modum victoriæ. Hoc tamen in Matre, & dilectissima sponsa permittere noluit, vt eximio illius decori prospiceret, & vnam creaturam daret malitiæ, & insidiis dæmonis intactam, & inaccessam. Tentamenta Christi constant ex Euangelistis; Mariam Ecclesiæ Patres à tentationibus eximunt, prædicantes priuilegium tam singularis immunitatis, vt sic à Domino munita monilibus protectionis eximiæ coronetur.

Maria speciali priuilegio, nullis malis affectibus impugnata.

D. Lucas.

Suar.

Rich. Vict.

Christus dispensatorie tentari voluit, hoc tamen non permisit in matre.



Et monilia: à muniendo dicta.

Actiuum Mariæ munimen.

DISCVRSVS VIII.

Tentamentis vexatorum hostilibus celebratissimum castimoniæ Asylum Deipara, in clientes suos eximium virtutis candorem, & Angelicam puritatem deriuans.

1. DIVÆ Virginis tutelaris singulare patrocinium prædicamus exhibitum vtriusque sexus fidelibus, dum huius sæculi iactantur ærumnis, confugientibus ad Magnæ Matris alarum velamentum, & protectionis vmbraculum, vt æstuantes carnalis illecebræ facibus, cælestis spiritus aura refoueat, aut copiosa gratiæ aspergine, corporis noxios extinguat ardores. Promiserat hanc inuiolatam tutelam, Amos Vates cap. 4. v. 12. vniuersam hominis naturam hortatur obuiam ire Redemptori, vt aduentus sui prouentus læta suscipiat: *Praeparare in occursum Dei tui Israël, quia ecce formans montes, & creans ventum.* Excelsa montium cacumina Deus, & eminentiores apices terrarum à temporis exordio formauerat, ventos, & flatus de thesauris suis eduxerat, quæ ergo terræ excelsa in aduentu suo condit, & format, quæ spiritus creat flamina? Argutè Rupertus mentem Vatis eruit in apertam lucem interpretationis, asserens montes esse Ecclesiæ primores, & sanctitatis apices, propositi perpetuæ virginitatis celsitudine conspicuos: *Multi ascenderunt in montes istos, quos Dominus formauit, id est apprehenderunt propositum Euangelicæ, & Apostolicæ perfectionis, neque nubentes, neque vsi, sed in proposito virginali viuentes sicut Angeli Dei.* Et statim annectit de Deipara verba hæc: *Mons primus, & maximus omnium, quos in aduentu formauit iste Dominus Deus exercituum, Beata est Virgo Maria, de cuius carne carnem assumpsit Christus Dei Filius absque opere coniugali.* Constitutio talium montium, qui sese subrigunt ad superiora propositi Virginalis æterni fastigia, non est inuentum humanum, sed diuinum; solus IESVS primus institutor, & conditor eorum est; mons montium IESVS dignitate, & nobilitate præcellit, sed Maria mons primus, & maximus post IESVM, sed temporis executione prior, qui antequam formaretur in vtero Virginis, & excideretur mons, & lapis sine manibus, prima, & primaria Maria virginitatem suam Domino consecrauerat. Sed hunc quoque montem cum talis propositi culmine ad cœlum se subrigentem Dominus formauerat, cùm nouum, & insolitum virginitatis institutum amplecti, à Deifico puritatis fonte venit: quid inde post montium paraturam stabilem? *Et creans ventum.* Quid ventus hoc in loco præseferat, solerti indagatione scrutatus idem Rupertus, illam sententiam profert: *Quid enim per ventum loco praesenti delectabilius placet intelligi, quam bonam temperiem carnis continentis, velut auram dulciter spirantem in illis montibus sanctis?* Et postea in eadem mente perseuerans, subiungit: *Et creans ventum, id est, instruens summos Euangelicae praedicationis viros, & casto illorum proposito dulce praestans refrigerium, vt ne saltem molestè incalescant aliquando carnis ardore, vsque ad tentationis impatientiam.* Post montium conditionem stabilem qui sese virginali proposito ostentant decore fastigiati, creatio venti & refrigeratio subtepentis, & iucundi flaminis iniungitur, quia castimoniæ subsidium, & bonus habitus temperamentis in carne fragili, non solum à IESV, sed à monte primario, & maximo omnium montium Deipara profluit; ab hoc enim monte dulcis afflatur aura cælestis, quæ dissidentem, & continuo rixantem cum spiritu carnem coire facit in mirificam concordiam, hostis perduellis petulantiam infringit, corporis ardores lasciuientis sopit, & adulanti demulcentem titillatione appetentiam rorulento gratiæ spiramine

Amos.

Quales sint montes à Domino formati.

Rupert.

Euangelicæ perfectionis fastigiū apprehendētes, & in proposito virginali viuentes, appellantur montes.

Mōs primus, & maximus omnium montium Maria vir go.

Mōs magnus Maria in proposito virginali primarius.

Quid ventus in hoc loco præseferat à Domino creatus.

Ruper.

Ventus est aura dulciter spirans in montes bonam temperiem carnis continentis.

Cælestis Mariæ aura dulce præstat refrigeriū in castitate viuentibus, ne exurantur carnis ardore.

In Mariam omnia spiramina carnē refrigerātia, à Spiritu sācto afflata.

ramine coërcet. A quo enim monte refrigerans incalescentem carnem flatus aspirari potuisset, nisi ab illo, in quem inumbrauit virtus altissimi, omnia spiramina, & afflatus refrigeratiui spiritus cælestis, qui est dulce animæ refrigerium, & in æstu temperies, superno illapsu compluti sunt. Hic sibilus auræ tenuis Eliam in specu; hic spiritus roris flans adolescentes in camino ignis ardentis rorulenta gratiæ aspergine recreabat. Quocumque accensos libidinis malleolos diabolus iniecerit, facile inuenies extinctos, si venerit Mariæ auster, & perflauerit hortum animæ, & fluent omnimodæ puritatis aromata.

Hunc sibilū & rorem flātem Elias in specu, pueri in camino ignis sensetiūt.

Quo in loco Paradisus situs sit.

2. Disputat Sanctus Athanasius vbi nam locorum paradisus situs sit, & recensitis aliorum placitis statuentium illum Hierosolymis, aut in cœlis; ad orientalem plagam fundatum esse definit ex Genes. cap. 2. vers. 8. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.* vbi LXX. legunt: *Plantauit Deus paradisum in Edem ad Orientem.* Situs itaque est ad Orientem Solem, ad cuius veritatis comprobationem subiungit rationem perpulchram Alexandrinus Antistes, quæst. 47. ad Antiochum: *Vnde perhibent exquisitiores historici, quod huius rei gratia omnia aromata suauissimi odoris circa orientalia loca, seu India fines proueniunt, vtpote quæ sint vicina paradiso.* Et statim: *ex paradiso ventorum aspiratione fragrantia exhalans, propinquiores illis locis arbores, aromaticas efficit.* Vt constat in cinnamomo, Casia, thure, & myrrha, aliisque pretiosis lacrymis & gemmis, ex aromaticis plantis erumpentibus, quæ meridiani Solis æstu, & repercussu incalescentes inenarrabilem quemdam odoris halitum, tot generum auræ aspirante concentu, emittunt. Hi autem peregrini, & sacri odores, & stirpium deliciosi suffitus ex propinquitate paradisi proueniunt: aromatici frutices quanto propinquiores paradiso, tanto odoratiores. Maria paradisus est consitus pigmentariis, omni virtutum odore vernans, longe lateque fundens suaue olentis halitus spiramina. Paradisus nuncupatur à Sponso Cant. cap. 4. & de se ipsa testatur Maria in horto animæ & corporis sui omnium odoramentorum redolere gratiam. Ecclesiastici cap. 24. v. 20. *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Et quasi storax & galbanus, & vngula & gutta, & quasi libanus non incisus vaporaui habitationem meam, & quasi balsamum non mixtum odor meus.* Hortus hic paradisiacus exardescentis spiritus flabro, & æstu etesias odoratissimas perflat in circunstantes plantas, & germina Sanctorum; & quanto propinquiores, & intimiores pietatis affectu, auras cœlesti suffitu gratiæ, & puritatis spiraculo redolentes, influit. Si Maria suaueolentes virtutis afflatus immittat, plantas spinis peccatorum, & nidore vitiorum antea inhorrentes, immutat in paradisi germina, odoratos calamos, & aromaticos frutices, purissimum odorem virtutum spirantes, odoris suauitate trahentes quamplures imitatrices animas, ita vt vno ore proferant Christi, & Mariæ bonus odor sumus: *Paradisus propinquiores illis locis arbores aromaticas efficit.* Cum primarios sanctitate viros præsentiscis spiracula cælestis, &

Genes.

Lect. LXX. Paradisus ad orientem fundatus.

D. Cyril. Alex.

Omnia aromata orientalia suauissimi sunt odoris, quia vicina paradiso.

Ex paradiso effluens flatus odoris eximij, propinquiores arbores aromaticas efficit.

Maria paradisus consitus pigmentariis, suaueolentē puritatis halitum longe lateque pandit.

Ecclesiast.

Iusti per affectum Mariæ propinquiores, virtutum eius odore afflantur spiramine.

Angelicæ puritatis afflantes, intellige paradisi Mariani ambitum requisisse, purissimo castimoniæ afflatos odore, Mariam super eos de aromatibus suis castum refudisse odorem, & piorum pectora complesse: *Ex paradiso ventorum aspiratione fragrantia exhalans propinquiores illis locis arbores, aromaticas efficit.*

3. Inter alia Mariæ encomia canora voce sponsi, & Angelorum celebrata, illa eminent Cant. cap. 8. v. 9. in quibus prædicatur *ostium & murus*: *Si murus est ædificemus super eum propugnacula argentea. Si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis.* Ipsaque sententiam approbans subiungit: *ego murus.* Cur ostium nuncupetur Deipara egregiè expendit Cardinalis Hailgrinus à Delrio recensitus, dum scribit: *Ostium dicitur compactio tabularum, per quam maleuolis clauditur ingressus in domum. Beata Virgo ostium est in Ecclesia, quæ malignis obsistit spiritibus, ne ad deuotos suos intrent, & accedant, sicut volunt.* Cur vero teneat Maria muri insignia? Rationem accipe ex Hugone Cardinali. *Beata Virgo murus est stabilis, & firmus, nobis ad defensionem, & munitionem datus. Ego murus per exemplum scilicet pudicitiæ, & conuersationis Sanctæ. Murus est deuote eam venerantibus, pie recolentibus, strenue imitantibus, obnixe deprecantibus.* Quantamque tutaminis confidentiam ingeneret hic murus animis tentatorum pulchrè scribit Guilhelmus, cùm Mariæ proponit hortatum, factum ad infirmiores, hostium violentiam reformidantes: *Ergo ad me veni, apud me mane: Ego enim murus ad protegendum, murus inexpugnabilis circumcingens eos, qui ad me confugiunt. Plane qui hoc muro circumdatur, tutus est ab his, qui in circuitu ambulant impij: Et à capite eorum, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Pulchrum, & securum munimentum in Maria struxit Deus, quod tentatis ostendit, vt spem erigant firmissimam, cùm hostium iactantur incursibus; nec reformident missilia robustiori iaculata manu, cùm Marianæ protectricis gratiæ obsidentur pergamo: exhibet enim præsidium firmissimum, arceque inaccessa claudit eos, qui suspiriis, lacrymis, & pio imitationis affectu, Mariæ subsidium exorant: inuitat clementiæ Mater turbinibus malorum fatigatos, in huius sæculi salo vexatos ærumnis, ad promuralis sui tegimen, vt à serpentis annosi morsibus, & tentamentorum ictibus erepti, stabilem nanciscantur incolumitatem; præter Iesum nulla alia inoffensa securitas nisi in Mariæ subsidio, & patrocinij vallo. Nec solum murus, sed ostium est Deipara ad cœli aditum patula, ad perfugium desolatorum diu noctuque aperta, ad custodiam, & tuitionem suorū clientum clausa firmissimè; cuius seras infringere nō præualet tartareæ manus impetus violentus; ad se confugientes vndique circumcludit, ne deprehendantur ab hostibus; in animos officiosos, sibique gratiosos tam eximium, & singulare exhibet tutamentū, vt aduersariis suis ad lapsum criminis, & ruinam inuestigatoribus, tutelæ suæ ostio obsideat, vt iis reddat inperuestigabiles, & inaccessos. Pulchrè S. Gregorius Thaumaturgus serm. 2. de annunt. Sanctæ Mariæ Virginis, ait: *Hæc institia munimentum: & quicumque eius, ac virginalis ingenuitatis, puritatisque amatores fuerint, angelica gratia perfruentur.* Hæc ille.

Cant.

Maria nuncupatur ostiū, & murus.

Hailgr. Card. Delrio.

Maria ostiū obsidens malignis spiritibus, ne ad suos clientes in ire, & appropinquent.

Maria murus per exemplum pudicitiæ, & murus est deuote eam venerantibus, & obnixe deprecantibus.

Guill.

Maria murus circumcingens eos qui ad illam confugiunt.

D. Gregor. Thaum.

Mariana puritatis amatores Angelica gratia perfruuntur.

4. Spinosus frutex ardebat incolumis, à radice ad apices flammis crepitantibus correptus in monte Sina, cuius prodigiosi spectaculi testis oculatus Moyses Exodi cap. 3. v. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Nec solus demiratus est auidus spectator insuitati portenti rubum inardescentem, & ignem teneram plantam senticosam, & debilem non consumentem; sed quòd ignis de rubo scaturiens, ipsius folia, & frondes, fontis aquarum instar in viriditate, & pulchritudine natiua conseruans, & protegens, ad frondes, & frutices extra rubi ambitum existentes deuorandos, & consumendos flammis, igneus fons properauit. Singularis annotatio hæc est S. Cyrilli Alexandrini lib. 2. de adorat. scribentis: *Angelus quippe is erat, qui ignis specie, totum vndique montem depascebatur, neque in ea tamen stirpe vestigiũ ignis vllum imprimebat: ac non secus quàm si minimè is adesset, ne minimam quidem caloris partem ab igne arbor illa suscipiebat.* Tutatur ignis lignum de quo nascitur, flammisque suis adlambens adulatur proximum germen suspendens combustiones, & diuinis illuminationibus replens; ad dissita, & segregata à rubo, montis siluatici ligna deuoranda, fluuius igneus rapido cursu profluit. Quid portenti est hoc? Ignis derelicto proprio pabulo, aliena ad voracitatem requirit? Deus amicis in quorum medio est tanquam in rubo, tametsi senticosæ naturæ, quæ spinas, & tribulos germinat passionum, illuminationem diuidit; iis in quorum medio corde non est per affectum pietatis, dilectionisque, & venerationis cultum, impartitur vstionem, & voracitatem ignis; Deus iustos custodit, repletque gratiæ fulgoribus; impios cremat. Nec ignis vires suas exerit aduersus humilem plantam de facili flexilem, & incuruã, sed aduersus robusta ligna, quæ indurata senio, & imperuiis contumaciæ crustis, & corticoso impietatis tegmine, Dominicæ potestati obsistunt. Si rubi mysterium emedullare velis; Deiparam inuenies, eiusque fœcundam virginitatem à Sanctorum Patrum in rubo ardente, & incombusto decantatam laudibus. Placet eorum vestigiis inhærere, iisque accinere. At iuxta singularem conceptum, & eruditionem mirificam Cyrilli Alexandrini: *ignis totum vndique montem depascebatur, neque in ea tamen stirpe vestigium vllum ignis imprimebat.* In hoc viso mirabili, & cælesti ostento disparilitatem intueberis, si illuminatum teneas fidei oculum; à Mariæ pietate sequestratos ignis tentamentorum, & ærumnarum deuorat, & consumit; ij verò, qui ad huius rubi vmbraculum, & tutamentum confugiunt, si ardent non exuruntur, si ignescunt non consumuntur; fere semper tentationis aut laboris ignis proficit non ad consumptionem, sed ad maiorem animi illuminationem. Cùm enim sub Mariani rubi frondibus, & alarum suarum velamento resideant, & latitent, de spiritus inumbratione, & ignis diuini tutamine, quod ipsa suscepit, participes fiunt; vt calor illecebrosus naturæ, sit in eis ignis innoxius, nec vestigium vllum turpitudinis tentator imprimat: *Neque in ea stirpe vestigium vllum ignis imprimebat.*

D. Cyril. Alex.

Ignis innoxius rubo ardenti, totũ vndique montẽ flammis depascebatur.

Ignis Dei sibi intimos protegit, à se dissitos cremat.

D. Cyr. Alex.

Qui ad rubũ igne deifico ardentẽ Mariam appropinquant: igneis tentamentorũ flatibus nõ exuruntur.

5. Postquam conspicatus est Euangelista Ioãnes mulierem illam famosam, decore illustratã Solis, draconem magnum, & serpentem annosum detriumphantem; aquilinis pennis ornatur, vt se se subducat à dracone insidiante, & in desertum auolet. Apocal. cap. 12. v. 14. *& datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ.* Per hanc mulierem solaribus radiis circumuestitam & ornatam, Lunæ globo pro suppedaneo nixam, Beatissimam semper Virginem præmonstrari, concors est Sanctorum Patrum mens. Quo in loco perscrutari libet, cur eius humeris alæ innascuntur aquilæ? Cur non pennæ induuntur Seraphim, & Cherubim, quibus illi faciem Domini obuelabant; isti Dominum tanquam vehiculo circumferunt? Cherubicæ, & Seraphicæ pennæ Mariæ consentiunt, quæ puritate, & amore Cherubinos, Seraphinos superat: *Datæ sunt ei alæ duæ aquilæ magnæ.* Vt in alarum aquilæ velamento præferat prouidæ, & inoffensæ protectionis insignia. Huiuscemodi aquilarum alis ornatur Deus in populi sui vigili custodia, & indemnitate. Exodi cap. 19. v. 4. Populum suum Deus affatur: *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Per hoc tamen teste Rabbi Salomone, Caietanoque, quos recenset Delrio in adagiis, tom. 1. n. 84. *Idem significari quod portare innoxios, & inuulnerabiles.* Et Eucherius in glossa ait: *Alas habere dicitur Deus pro eo quod more auis electos suos tanquam pullos subse colligit, & fouet, & ab insidiis diaboli, & malorum hominum protegit.* Propter eadem munia pietatis, Mariæ adaptantur alæ, quia circum electos suos volitat, pro excubiis est aduersus dæmonis, & hominis insidias, vt sub alarum suarum culmine protectos reddat innocuos. Nec erit abs re aliquid de aquilarum philostorgia in medium producere. Plinius lib. 10. cap. 3. & 4. scribit de aquila: *Nec vnus hostis illi sat est, acrior est cum dracone pugna. Aquilarum penna mixtas reliquarum alitum pennas deuorant. Negant vnquam solam hanc alitem fulmine exanimatam.* Præterea alis suis in præruptos silices & in ardua eleuatur, cœlum petit, terrena fastidit. Maria vultui Domini Seraphinis proximior volitat, diuinitatis immensæ oceano immersa, totius Trinitatis circumfusa splendoribus; alesque pulchrior, & officiosior Cherubinis paruulum Deum sella brachiorum curuli portat. Cùm de pugna aduersus draconem, & accusatorem fratrum, eorum vestigio clanculum insidiantem, res agitur; aptiores sunt aquilarum pennæ, vt iis exprimatur apertius Regalis aquilæ materna erga natos solicitudo, & custodia, tutamen validissimum, & præsidium hostibus inaccessum: quos Maria pennarum suarum tuetur velamine, flagitij fulgur, iustitiæ Dei fulmen non ferit, non exanimat, ab vnius, & alterius impetu reddit innocuos. Concertationibus, & dimicationibus præsidet draconis semper casum, & ruinam iustorum anhelantis, impetus suos callidissimos retardat, & ictus retundit, disturbata potentia, & confracto capite hostis validissimi. Rapacium alitum tenebrionum alas, impios nimirum conatus maleficæ auiditatis disperdit, nec comparere audent ad conspectum aquilæ magnarũ alarum, cùm eas ad pullos suos ad se confugientes expãdit. Nec in pugna permittit esse deciduos, sed alacres, & volucres reddit, vt de barathro, quod minabatur draco, erigat ad cœli fastigium.

Apoc.

Cur mulieri in Apocalypsi pennæ adaptantur Aquilinæ, & non seraphicæ aut cherubicæ.

Alæ aquilæ præferunt inoffensæ protectionis insignia.

Exod.

Israelitas Deus super alas aquilarũ portauit innoxios.

Rab. Sal.

Caiet.

Delrio.

Eucher.

Suos Deus sicut aquila pullos sub se colligit, & fouet contra insidias hostium.

Plini.

Aquilæ magnum cum dracone certamen.

Nunquã ales regia fulmine icta.

Maria erga natos suos prouida custodia, & tutamen validissimum.

6. Iterum

Habac.

Cur Maria mons opacus, & vmbrosus prædicatur?

6. Iterum reuoco ad calculum, locum Habacuc cap. 3. *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte pharan*, vel iuxta Lxx. *de monte vmbroso, & condenso.* Hunc montem aiunt esse Deiparam aliqui apud Glossam ordinariam Patres, & singillatim Sanctus Athanasius disquirit cur Beata Virgo mons opacus, & vmbrosus nuncupetur? Et respondet sapienter quæst. 82. in parabolas: *Montem propriè vocat sanctissimam Deiparam Virginem. Quia quemadmodum ij, qui campo oberrantes, & calore æstuant, si montem subeant velut rore consperſi, in vmbra subter arbores montis, vel aqua sedant æstum flammæ: ad eumdem modum hominibus quoque facta est sancta Virgo, quæ rore quodam sui partus animas hominum æstu peccati confectas in vitam reuocauit, & in vmbra alarum filij sui fouet.* Cùm sol æstiuo tempore radios suos exufflans tellurem æstu torret, & omnia flammis inardescunt, peregrinantibus, & oberrantibus flammeo æstiuali defessis, sitibundis, & anhelantibus quàm dulce est latibulum montis inumbratum intertextis frondibus arcens solares radios, vbi spirat tenuis aura, teporis blandimento temperans ardorem, & fontis limpidissima scatebra, gelidæ perennitatis trepidante riuo, illicit ad poculum, & gratam requiem; sic Beatissima virgo mons est stipatus, & vmbrosus omnium virtutum frondibus nemorosus; flammis passionum, & cupiditatis æstu, & libidinis vexatis ardoribus, dulcissimum exhibet refrigerium, & rorulento gratiæ spiramine cupidinis faces sopit, lassatos refouet, protectionis vmbraculo, & eripit à facie flammæ noxiæ omnia deuastantis; non exurit vitiorum flamma quos Mariæ virtus obumbrat, iis enim securum tegmen, & solamen infundit; felix qui ad hanc condensam latebram, & requiem lassatus fugit, viuitque sub Mariæ vmbra; nec solum declinabis meridiani dæmonis æstus sub vmbrifera rupe, & arbore Mariæ patula, sed inuenies gratiarum fontem, & placidissimum puritatis fluentum, quo totius appetentiæ sitim sedes, & libidinis restinguas ardores.

D. Athan.

Opaca spelunca, & frondium velamen errantibus, & æstuantibus gratum subsidium.

Peccatores æstu criminis confectos rore salutifero refrigerat Maria, & in velamento alarum filij sui fouet.

Albert. Mag.

7. Cernes denique placidissimum, & validissimum Deiparæ tutamen, si sequentia verba legas ex Magno Alberto mutuato sermone 32. qui est secundus de Assumptione Beatæ Mariæ: *Beata Virgo fidelium contra dæmones, & septiformem turmam vitiorum dimicantium est fortis auxiliatrix. Vnde de ipsa dicitur Cantic. 4. sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea omni omnis armatura fortium. Per collum intelligitur Beata Virgo, per ipsam enim quasi excellentissimam, totum corpus Ecclesiæ vnitur capiti Christo. Hæc est sicut turris Dauid, id est manu fortis, quia fideles in ea forte refugium inueniunt. Et hæc est ædificata cum propugnaculis, idest adiutorium habet à Patre, & Filio, & spiritu sancto. Mille etiam clypei, idest omnium Angelorum præsidia pendent ex ea, ad defensionem ipsorum, qui confugerunt ad ipsam. Omnis etiam armatura fortium pendet ex ipsa, quia omnes electi eum, quem ipsa adiuuare voluerit, adiuuabunt.* Hæc Angelici Doctoris Doctor. Quis non confugiet in aduersis ad hac arcem Diuinis, Angelicis, humanis tegminibus ornatam, vbi præsto adsunt inuictæ suppetiæ profusa largitate donatæ? Monili protectionis humanæ ornatur sacratum Deiparæ pectus, vt in ea monile aureum à muniendo nuncupetur.

Maria aduersus dæmones, & vitia dimicantium, valida auxiliatrix est.

Maria Dauidica turris, ex qua pendet omnis fidelium protectio.

Maria propugnaculum sanctissimæ Trinitatis adiutorium.

Mille clypei, omnium Angelorum præsidia pendent ex ea, ad tutamen eorũ, qui ad ipsã confugiunt.



VERSICVLVS XX.

Et murenulas.


De murenularum ornamento iuxta litteram & mysticum sensum.

VERSICVLVS XXI.

Et gemmas in fronte pendentes.

ORNATVS LITTERÆ

Murenularum in Maria ornatus totius immunitatis decus.

1.  YNAGOGAM spoliatam cernimus; Deiparam verò ornatam monilibus, & murenulis Cant. cap. 1. v. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quem locum in gratiam Deiparæ, & in commendationem prærogatiuæ originalis gratiæ illustrem dabimus. Murenulæ sunt, fœmineum colli, aut pectoris ornamentum, ex gemmis, amphorulisve aureis, aut lamellis, in similitudinem serpentium, aut anguium murenatum efformatum, vt testatur S. Isidorus lib. 19. ætymolog. cap. 31. *Murena vulgò vocatur, quod scilicet auri metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur, in similitudinem murenæ serpentis, quæ ad collum ornandum aptatur; hæc interdum auri; atque argenti texitur virgulis: vnde dicitur in cantico canticorum: murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quod autem hoc in loco canticorum sermo sit de Deipara, concors est Primorum Ecclesiæ mens, præsertim Ruperti, Guillelmi, Honorij, Alani, Hailgrini, Dionysij, Pici, Carthusiani.

Murenularum ornamentum describitur.

D. Isidor.

Rupert. Guillel. Honor. Alan. Dionys. Picus. Hailgr.

2. Priuilegium tamen immunitatis à primæuo flagitio, habet seriem, & connexionem mirabilem, si antecedentium verborum contextura attendatur. Cùm enim humanam naturam in viridi ætatis iuuenta, pulcherrimo naturæ, & gratiæ flore in paradiso conditam verè beatam, feliceque, iustitiæ Originalis statu fruentem, superno spiritu afflatus prospectaret Salomon: breuissimo temporis interstitio, ab illa felicitatis dignitate deiectam, florem gratiæ euanescentem, iustitiæ pulchritudinem amissam; faciemque primorum parentum fuligine Originalis criminis atratam, fuscam, nigricantem, & tentationis æstu deturpatam proponit. Postea verò ad Deiparam oculos conuertit eamque pulcherrimam inter mulieres nuncupat, non solùm venustate naturæ, sed etiam gratiæ; pulchram facie, venusto semper aspectu, primæuæ nigritudinis maculâ immunem; antiqui splendoris originalis iustitiæ restauratricem, versipellis & annosi serpentis perpetuam triumphatricem. Hanc concatenationem ex antiquis patribus colligo: Origene homil. 2. in Cant. Augustino serm. 201. Ambrosio in Psal. 118. octon. 2. & in cap. 1. cant. Gregorio Nysseno homil. 2. in cant. Theodoreto, Psello, cum tribus patribus; vnius, & alterius

Humana natura venustas in statu innocentiæ nitens, per transgressionem obscuratur.

Orige. D.Aug. D.Amb. D.Gre. Nyss. Theodor. Rupert. Psel. Tres pat.

D. Amb. alterius verba referam. S. Ambrosius asserit, ea verba: *fusca sum, nigra sum.* Prolata ab sponsa personam agente totius humanæ naturæ originali labe infectæ: *Dicit & caro: fusca sum, fusca per vitium, sed decora per lauacrum; quod abluit omne delictum: fusca sum, quia peccaui, decora, quia iam me diligit Christus: quam relegauerat in Eua, recepit ex Virgine, suscepit ex Maria.* Natura, quæ fuerat à paradiso extorris, subiens transgressionis ærumnas, ab exilio reuocatur per Virginem; fulget decore virtutis, & gratiæ, quæ antea fuerat tenebroso peccatorum horrore deformis, nec solùm à Deo recepta per Virginem, quæ fuerat abdicata; sed etiam suscepta ex Maria; naturæ, quæ fuerat præuaricatrix, portionis substantia, mirabili nexu copulata, in eamdem Verbi personam coaluit Itaque ex natura, præuaricationis næuo fusca, Salomonis animus ad Mariam transfertur, originalis iustitiæ, & gratiæ fontem, quæ nexus criminis Protoplasti soluit.

Hæc pulchritudo per Euã amissa, restauratur per Mariam.

D. Greg. Ny. Pariter Nyssenus in præcedentibus agnoscit humanam naturam in rectitudine gratiæ conditam, quam per transgressionem amisit: sic ait: *Quando facta est humana natura simulacrum vera lucis, procul à tenebrosis figuris fulgens similitudine exemplaris pulchritudinis, tentatio autem ardentem æstum per fraudem iniiciens, deijcit primum germen, & statim per inobedientiam, viridi, & florenti formà exsiccatà per æstum, nigrum effecit.*

3. Ex quibus liquet, humanam progeniem à Salomone introductam fuscam nigredine originalis culpæ, planeque profitentem hæreditariam Adæ nigredinem; postea sponsus hominis naturam inenarrabili gaudio, & lætitiâ perfundit, ex eadem massa alteram fœminam promittens, monilibus, & murenulis ornatam, in cuius sinu, & impolluto gremio redemptor accumbat, naturamque eximat ab originalis culpæ nigrore; vnde sponsa sic compta singulari decore ornatus luminosi, verba arcana, & consolatoria profert; scilicet regem cæli in sui ventris accubitu se reclinasse, & dum recumberet, nardum suam mirificæ suauitatis odorem efflasse: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Quod autem hæc sponsa à Deo, & Angelis ornata, vt in ea requiesceret sponsus, sit Maria, fatentur Ecclesiæ patres prædictum comma de incarnationis mysterio exponentes. Ambrosius in psal. 118. octon. 3. Beda in cantica S. Thomas in cantica: *Accubitus huius regis fuit incarnatio eius.* Rupertus in persona Deiparæ fatur: *Cùm esset Verbum apud Deum, nardus mea dedit odorem suum, & hoc odore delectatus, descendit in vterum meum.* Pulchrè Theodoretus, & Psellus scribunt: *Angelos mira solicitudine sponsam ornasse non, ob alium finem, nisi quia futura erat solium Deitatis, & reclinatorium regis æterni.* Et statim: *Te ad auri similitudinem decorabimus, similem que reddemus Cherubico, flammeo, ac venerando solio, in quo rex descendens se reclinet, & acquiescat.* Annuntiat ergo Deus, promittunt Angeli fœminam singularem, dum conditur, ornaturos gratiarum monilibus, in qua Deus dignum inueniret hospitium, & recubitum.

Maria vterus cælestis regis accubitus.

D. Ambr. Beda. D. Thom. Rupert.

Theodor.

Angeli Mariam exornant, quia futura erat solium Deitatis.


LXX. Interpretum translationi:

Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti.

defertur nouæ lucis accessio.

Discvrsvs I.

Maria æternæ pulchritudinis, & immaculatæ Deitatis perfectum simulacrum; ipsa sola primò condita, & genita ad Dei similitudinem; quia ipsa sola generat ad similitudinem Patris.

4  Abvndant in Maria similitudines, quia exuberant ornamenta gratiarum. Agnosce in Deipara geminam similitudinem Dei, & vtramque singularem; assimilatur Deo, cuius propriam regerit imaginem, cùm à parentibus generatur, & purissimus animus immaculato corpori infunditur, & creatur; assimilatur æterno genitori, cùm eius prolem immaculatæ puritatis diuinæ æmula, in vtero gignit. In prima assimilatur Maria Deo, quæ in secunda assimilatura erat sibi Deum. Nec inconcinnè sententiam illam LXX. subiungunt: *Similitudines auri faciemus tibi*, vt prænuntiarent apertissimè, sacram hanc sponsam ad Dei similitudinem fuisse conditam, nec ignobiliorem fuisse structuram Mariæ, quàm Euæ, quæ non solùm iuxta exemplar imaginis, sed etiam diuinæ similitudinis de manibus Domini plasmata exiit alludunt proculdubio LXX. seniores ad primam hominis creationem, in qua ad innuendam congenitam homini gratiam in primo suæ creationis exordio, vtitur sacra pagina. Illo tenore verborum: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. cap. 1. v. 26. & vt agnoscas, quæ sint similitudines auri, notandum est discrimen, quod Ecclesiæ lumina assignant inter *imaginem, & similitudinem.* Vt imago ad naturam intelligentiæ, & voluntatis; ; similitudo ad gratiam, & iustitiam originalem referatur. Sic verborum vim dispungunt S. Ioannes Damascenus lib. 2. de fide cap. 12. S. Ambrosi. lib. de dignitate conditionis humanæ cap. 3. Rupert. lib. 2. de Trinit. cap. 2. Angelici Doctoris verba subiicio ex commentario in Genesim: *Habent ista duo distinctionem, nam imago attenditur secundum potentiam cognoscendi. Similitudo quantum ad potentiam diligendi. Vel imago dicitur quantum ad naturalia, similitudo autem attenditur quantum ad gratuita.* Itaque similitudo est, decus gratiæ, & virtutum ornamentum: sicut enim ad denotandam gratiam primi hominis, infusam in primo creationis instanti, Deus verbis illis vtitur: *Faciamus hominem ad similitudinem nostram;* Sic etiam ad insinuandam creationem animæ Deiparæ, & infusionem gratiæ in primo creationis puncto, tale protulit eloquium: *Similitudines*

Maria ad Dei similitudinem primò condita.

Lect. LXX.

Genes.

Inter imaginem, & similitudinem, quale discrimen intersit

D. Ioan. Dam. Ambr. Rupert. D. Thom.

Digitized by Google

tudines auri faciemus tibi: Idest, ornamenta gratiæ decora virtutum, non solùm ad primæ viraginis creationem, sed multo melius ad creationem secundæ, restauratricis primæ, Deus quasi deliberans, & consultans tota Trinitas, introducitur dicens: *Similitudines auri faciemus tibi.*

Ezech.

Homo primò conditus nuncupatur signaculum similitudinis Dei, pulchritudinisque corona.

Lect. LXX. Theodor.

5. Hanc mentem confirmat Ezechiel c. 28. n. 12. de prima hominis formatione vaticinatus *Tu signaculum similitudinis*: idest, humana natura in prima creatione fuit opus perfectum, & omnibus numeris absolutum. *Obra en la qual echo dios el sello.* L X X. vertunt: *Corona pulchritudinis.* Et pulchre Theodoretus inquit de prima humanæ naturæ conditione: *Tu es signaculum similitudinis, pulchritudinisque corona.* Quæ omnia sicut exprimuntur in formatione Adami, & Euæ per *signaculum similitudinis*, sic in Deipara per *similitudines auri*; *faciemus tibi* inquit sponsus, *auri similitudines*, vt sciat Angelorum, & hominum curia, te esse summam, & compendium totius gratiæ, & sanctitatis; apicemque diuinæ perfectionis, pulchritudinis que coronam. *Obra en la qual echo Dios el sello.* Quod autem Maria sit diuinæ formæ, & pulchritudinis perfectum, & consummatum simulacrum, omni ex parte, & tempore perfectum, sedule, & piè contemplatus est Hugo de S. Victore sanctimoniâ, & sapientiâ clarissimus amicus, & coæuus S. Bernardi, qui tomo 2. serm. 9. cuius titulus est: *In festiuitate Conceptionis Beatæ Virginis* ita loquitur: *Totum, quod in te est, pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum: in toto grata, in nullo ingrata, in toto places, in nullo displices, tota pulchra es, pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima fies per gloriam.* Eodem tomo 2. fine, sermone de Assumptione ait: *Ipsa tota est vnicè pulchra, & singulariter speciosa. Quid moras nectis? pauescis, & in modico non pulchra videri; ne timeas, inquit, dilectus, quia nequaquam vocarem, si minus dignam viderem. O qualis societas! totus pulcher totam pulchram sibi sociat; ego totus pulcher, tu tota pulchra, ego per naturam, & tu per gratiam, nec alia talem decebat, nec alius tali inueniri poterat.* Et concludit: *Postquam dixit, nullam in ea maculam inueniri, mundam, & sinceram, & ab omni, quod displicere poterat, alienam: adiecit, non solùm liberam, & immunem esse à malo sed ineffabilibus bonis plenam, & omnium perfectione virtutum refertam.* Hoc pietatis suauissimum mellilegium, quod Hugo in pectore condidit, & ex eius ore essluit, collegi, & lectoribus propinaui; si alicubi Hugo, his in sermonibus Victorinus est, qui Victoriam, & palmam adeptus in commendanda Dei parentis pulchritudine: cuius verba, si in trutina mentis libres, inuenies, Mariam perfectissimam regerere diuinæ speciei formam, & immaculatæ pulchritudinis singularissimum simulacrum, vt meritò nuncupetur Deipara, pulchritudinis corona & perfecta Dei similitudo.

Hugo Vict.

Pulchra relatio & singulare parallelium pulchritudinis Iesu, & Mariæ.

Mirabilis similitudo in formatione Adami terreni de terra, & Adami cælestis de Virgine.

6. Nec sine mysterio L X X. interpretes non solùm similitudinem in singulari, sed similitudines transtulerunt; vt diuinus archetypus id Adami terreni plasmatione, secundi Adami de cælo cælestis singularem formationem figuraret, & adumbraret. Primum illud figmentum de terra intacta, & immaculata compingit; secundum verò, in quo decreuit, instaurare omnia, de immaculata Virgine, ab omni labe pura, artificiosè format. Quanta fuerit terræ puritas, ex qua primus Adam fingitur, testatur Philo Iudæus lib. de mundi opificio, ad ea verba: *Formauit Deus hominem puluerem de terra*; dicens: *Sequebatur, vt materia rerum sincera, & infucata, puraque esset, ex qua quidquid conficiebatur, meritò erat inculpabile.* Additque: *Non ex quauis terræ parte, humo sumpta, videtur Deus hanc humana specie statuam formare voluisse, summa cum diligentia: sed selectâ vndequaque optimâ, ex pura materia, &c.* Cur autem ex argilla intemerata hoc plasma Deus finxerit, mirabilem prorsus rationem subiungit: *Domus enim quædam, aut templum sacratum fabricabatur rationali animæ, quam illa diuina imago circumferre debebat.* Hæc de primi Adami formatione; cum qua æquiparat S. Augustinus figurationem & plasmationem Adami secundi nempe Christi, tomo 10. serm. 9. scribit: *Innouatur in nobis quodammodo per Christi diuinitatê species illius antiqui, & primi sæculi, quando primus Adam de limo terræ figurabatur; ecce etiam nunc secundus Adam, quasi de intacta, & rudi terra Virginis de carne formatur:* Terram quoque intactam nuncupat Iosephus puluerem, ex quo plasmatus homo, lib. 1. antiquit. c. 1. *Talis est intacta terra, & vera.* Si terra, de qua terrenus homo præuaricator plasmatur, tantis ornata est puritatis insignibus, vt expers sit sordis, intacta, incontaminata, vt nulla immunditiæ, aut fæcis mixturâ sordesceret, sed esset merito inculpabilis iuxta Philonem, virgineæ cuiusdam sinceritatis decore vernans, nullius feræ temerata vestigio, nullo infecta halitu virulento serpentis; sed omni noxio flamini intacta, inaccessa, incontaminata; æquiùs terra Maria Virginea, quam benedixit Dominus, & ex qua opificio superni pneumatis redemptor figuratus, eximia decora incontaminatæ puritatis vsurpat. Vt dicatur semper intacta, & inaccessa hæreditario piaculo; meritò inculpabilis, quia semper aliena ab omni labe criminis, in quo leo, & draco intellectilis nullum vnquam suæ potestatis figurauit, aut impressit vestigium. Amplissima decora puritatis humo deferuntur carnis materiæ: *Quia domus aut templum fabricabatur rationali animæ.* iuxta Philonis argutam mentem, Maria verò, cùm creatur, & supremi opificis manu compingitur, delubrum Deitati, domicilium sacratum regi cælorum, domus Creatori, triclinium Trinitati, accubitus & thalamus filio Dei construitur; vt non tam animam gestet creatam ad imaginem, & similitudinem Dei; sed ipsam Dei patris genitam, & consubstantialem imaginem, æternum Characterem, & formam suæ carni vnitam à seipsa in humanitate genitam in vtero circumferat, itaque in vtraque terra Virginea similitudo magna resplendet semper immaculatæ puritatis, sed *cum distinctionibus argenti.* Nam ex terra inanima, rudique argilla, & non benedicta, statua illa hominis plasmatur; Christus verò de terra viua, animata, & benedicta, de qua Psalmicen occinit Psalmo 84. v. 2. *Benedixisti Domine terram tuam.* Vbi iuxta versionem Hieronymi: *Placatus es Domine terræ tuæ*; immaculatam Mariæ Conceptionem agnoscit Iacobus Faber Stapulensis: *Hanc terram* (inquiens) *non esse terram*

Philo Iud.

Tellus, & gleba, ex qua Adamus plasmatur, prorsus immaculata, & inculpabilis.

Secundi Adami figmentum de [illegible] carne [illegible], à [illegible].

D. Aug.

Ioseph.

Maria terra semper benedicta & inculpata à sina Originary piaculi aliena.

Psal.

Lect. D Hie.

Iacob. Fab.

terram ira, excipique à reliqua terra filiorum Adæ. Et sine dubio benedicta terra dici debet Maria, quam salutauit Angelus benedictam. Hoc etiam apertè indicat Albertus Magnus tomo 2. in Euangelium Lucæ indice littera, O, hæc sententia legitur: *Originale peccatum virgo Beata non habuit.* Et citat c. 1. littera. *N.* numero 2. vbi Albertus hæc verba habet de Beata Maria fatus: *Decimo: terra ista optima omni perfectione sanctificationis. Hic hortus nunquam fuit à malis stirpibus purgatus, quia nulla penitus spina, & plantæ adulterinæ intrauerunt in eam.* Itaque terra hæc Mariæ habet similitudinem, sed cum dissimilitudine terræ primæ, quæ per peccatum primum in maledictionem incurrit, spinas & tribulos germinauit.

Albert. Mag.

Maria puritas Diuinitatis puritatem omni peccato expertis, æmulatur perfe-ctè.

7. Alteram similitudinem eximiam, prorsus singularem obtinet Maria cum generatione diuina; & in eo sita est, quòd sicut Pater, & Diuinitas virgo generat Verbum, Diuinitas, inquam, omni ex parte, & æternitate purissima, ita in generatione temporali humana, immaculata virgo ab omni prorsus aliena delicto Dei filiũ generaret. De hac similitudine S. Ambrosius scribit serm. 10. de Christi Natiuitate. *Diuinitatis ergo est filius, Diuinitatis, inquam, incorruptæ, integræ, intelligo planè mysterium; ideo enim secunda Natiuitas per immaculatam Mariam, quia prior per Diuinitatem constiterat illibata, vt cui prior Natiuitas gloria extitit, eius secunda contumeliosa non fieret.* Pulcherrima sunt Ambrosiana verba, prorsusque digna tanti Doctoris profundiori ingenio, nec solùm adstruunt integritatem matris, & virginei pudoris decus, sed immaculatam puritatem totius delicti expertem. Immaculatam Mariam cum fœcunda Diuinitate immaculata comparat; quæ quidem non solum illibata, & integra, sed incontaminata ab omni vmbra, & vestigio flagitij prorsus aliena; sic in secunda generatione mater eligitur illibati pudoris, & intactæ puritatis Deitatis æmula, quæ non solùm corpore, sed etiam in mente illibatæ, & semper immaculatæ puritatis decore resplendeat; cuius animum nullus possideret alienus, prauitatis, & corruptionis spiritalis artifex diabolus nullo crimine violaret. Hæc enim expediebat, vt secunda natiuitas diuini germinis contumeliosa non fieret Si enim de matre non virgine, sed corrupto, & violato in corpore pudore, Dei proles nasceretur, irrogata matri iniuria, ad filium, redundaret, & esset contumelia Dei natiuitas; sic etiam mater si aliquando extitisset per originalis flagitij ignominiam animo corrupta, matris probrum ignominiæ labe filium aspergeret. Regerit ergo imaginem perfectam, similitudinem singularem Deitatis Maria, quia illibatâ fœcunditate, & semper à crimine intactâ, & inaccessâ puritate resplendet. Habet ergo Maria similitudinem cum natura Diuinitatis, & generatione diuina; sed *cum distinctionibus argenti*: Quia esse impollutam, & peccato intactam habet Diuinitas per essentiam, Maria per prærogatiuam, & gratiam; rursus in generatione æterna, Pater generat sine matre, in temporanea, mater gignit sine Patre; in illa ante luciferum procedit ante æuum æternaliter, in ista temporaliter; in illa gignitur Deus verbum, in ista nascitur Deus homo.

D. A

Si Maria in maculam primitiuam incurrisset, secunda natiuitas esset filio Dei contumeliosa.

Et gemmas.

Versio Hebraica,

Margaritas aureas faciemus tibi cum punctis argenti. illustratur.

DISCVRSVS II.

Maria pretiosa regni margarita.

De cælesti rore, matutino splendore, nitido gratiæ candore concepta; gratiæ drachmam originalis, margaritam innocentiæ inuenit, inuentrix gratiæ restauratrix innocentiæ.

1. HANC versionem sequitur Sanctis Pagninus in Bibliis, & in dictionario in verbo חורים *thorim*, quod propriè denotat *Margaritas, & gemmas coniunctas filo aureo copulatas.* Sic etiam legunt Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid. Margaritarum decora in Maria, ornamenta sunt gratiarum, & Deipara margarita pretiosa est. Sic eam nuncupant S. Epiphanius serm. de laudibus Deiparæ: *Inexplicabile paradisi monile* S Laurent. Iustinian. de Maria, ait lib. 6. de casto connubio cap. 9. *Auro purior, gemmis pretiosior margaritis, clarior.* Præclare S. Methodius in hypapante Deiparam salutat; *Aue pretiosa cælestis regni margarita.* Et Venerabilis P. Alfonsus Salmeron tomo 7. tract. 11. num. 12. ad ea verba Matth. cap. 13. *Inuenta autem vna pretiosa margarita.* Sic ait: *vnam pretiosam dixit, designans beatissimam Virginem matrem suam, quæ margarita pretiosa per excellentiam dici potest: quia omnes aliæ margaritæ in peccato Adæ maculatæ sunt; vt ex candore nigredinem; ex luce tenebras; ex rotunditate præcisionem; ex leuore asperitatem incurrerint; vnica Virgine duntaxat excepta, de qua in Canticis: tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Ritè Maria nuncupatur margarita vnica, & singularis totius expers criminis, Adæ macula immunis; ad demonstrandam Deiparæ Conceptionem intemeratam ab omni labe puram, margarita aptissimum symbolum est. Gemmarum, margaritarumque naturalis conceptus, pretiosæ, & cælestis margaritæ generationem immaculatam prædicat. De Conceptione margaritæ S. Isidorus lib. 16. ætymolog. cap. 10. scribit: *Margarita prima candidarum gemmarum, quam inde margaritam aiunt vocatam. Gignitur autem de cælesti rore, quem certo anni tempore cochleæ hauriunt. Matutini roris conceptio reddit candidas.* Optimè Plinius luculentioribus verbis margaritæ generationem describit lib. 9. cap. 35. *Origo atque genitura concha; has vbi genitalis anni stimulauerit hora, impleri roscido conceptu tradunt, grauidas postea eniti, partumque concharum esse margaritas, pro qualitate roris accepti; si purus influxit, candorem conspici, aut pro qualitate matutina serenum; si verò turbidum, & fœtum sordescere, eumdem pallere, cælo minante conceptum.* Ad demonstran-

Maria vna, & singularis regni Dei margarita ab omni Adami labe pura.

D. Ephip. D. Lau. Iust. D. Metho. Salmeron.

D. Isidor.

Margaritæ conceptus purissimus de cælesti rore, & solaris radij splendido candore.

Plin.

Margaritæ candor & nitor, indicat manifestè, primum margaritæ influxum in sua generatione fuisse purum.

Digitized by Google

demonstrandam beatæ Virginis gratiam infusam in primo suæ generationis exordio, nullum diuinius symbolum forsan inuenies, quam margaritæ conceptum Plinianis verbis illustratum, & S. Isidori sententiis, quæ, licèt applicatione non egeant, lectoris gratiæ in hunc modum adaptamus.

Maria pretiosa margarita, in Annæ vtero velut in concha concipitur.

2. Concha est beatissima Anna, cuius venter natura sterilis, à Deo præuentus diuinæ gratiæ rore perfusus, semper virginem genuit, & peperit margaritam, & licèt in mari huius mundi concepta, cæli ei maior fuit societas, quàm maris; ad cognoscendum igitur in primo instãti generationis fuisse gratiâ perfusam, Plinij veridicâ demonstratione licebit vti, gratiosam margaritæ Mariæ generationem, cum conceptu naturalis margaritæ conferentes: *Si purùs influxit* (inquit Plinius) *candorem conspici, aut pro qualitate matutina serenum. Si verò turbidum, & fœtum sordescere.* Ex margaritæ colore, primus generationis ipsius influxus apertè demonstratur. Si species candida fulget in margarita, si albens serenitatis, & rutilus argenti nitor, signum est, in primo generationis margaritæ exordio, purum, candidum, matutinum, solaris radij instar renitentem influxum è cælo dilapsum. Si color gemmæ turbidus sit, nigricans, aut pallore languescens, signum est, influxum fuisse turbidum in generatione, obscurum obscurato, aut obnubilato, caligine, cælo. Quare ergo spiritalis trapezites, cælestis negotiatur, optimas in Dei regno margaritas, in aureo diuini sponsi torque, & monili insertas, eximia sanctimonia pollentes, inuenies passionibus mundanis quandoque turbidas, leuioris saltem maculæ pallore subfuscas, cupiditatum illecebris infectas, imperfectionum labeculis, & næuis taminatas, ex contracti originarij criminis reatu; quia in earum primitiuo conceptu obductum est cælum caligine, suspensus roris gratiæ diuinæ influxus, & hæreditaria Adami ærumna solis iustitię radium, & fulgorem auertit. Intuere margaritã Mariam, niue candidiorem, sudo, & sereno cælo puriorem cogitatibus, operibus, eloquiis. De qua pulchrè Theodoretus scribit Cant. c. 6. v. 8. *Vna est columba mea.* In hunc modum: *Salomon tanto ante cernens sanctissimam Dei genitricem Mariam illam immaculatissimam.* Et statim: *Inter tot animas omnium hominum, qui saluantur, vt electa columba est vna illa sola, quæ Christum genuit virgo mater puella Maria, quæ puritate profectò Cherubim, & Seraphim antecellit.* Et S. Laurent. Iustinian. lib. de casto connubio c. 9. de Deipara ait: *Luna pulchrior, sole splendidior, auro purior, gemmis pretiosior, balsamo suauior, margaritis carior. Nimio namque innocentiæ, ac virginitatis respersa candore, tanquam præ cæteris sanctior, Dei mater efficitur.* Cùm ergo in nostra margarita talis candor, & albedo diuinæ gratiæ niteat, vt nec leuissimum labeculæ famen, aut imperfectionis actualis vmbra, eam post primam generationem obscurasset; sed solem, lunam, stellas, Cherubim, & Seraphim candore puritatis antecelluerit; signum est, in primo instanti sui conceptus margaritam Deiparam non habuisse turbidum peccati influxum, aut pallore & nigredine labis fuscum; sed matutinum, sed splendidum, sed lucidum, & purissimum gratiæ; renidentis innocentiæ auroram suis stillicidiis eam irrorasse. De qua iure optimo cum Plinio dicamus: *Meliores autem candida margarita, illas enim matutini roris conceptio reddit candidas.* Itaque legitima est Plinij consequentia: candor in hac margarita conspicitur, ergo in primo instanti generationis ros, & radius purus influxit; color serenus, & splendidus in ea nitet, ergo in primo instanti generationis matutina gratiæ qualitas fluxit. Cùm Deus Mariæ animam beatissimam creat, & immaculato corpori infundit, Pater virtutum monilibus condecorat; matutinus sol filius splendoribus Diuinitatis illustrat, & spiritus paracletus niueâ gratiæ aspergine irrorat. Vnde S. Mechtildis diuino spiritu illustrata diuinisque reuelationibus probè sanctèque instructa, hanc memoratu dignam prodidit lib. 1. gratiæ spiritualis quam recenset sapientissimus Canisius his verbis lib. 1. c. 13 de Deipara: *Vt primùm anima corpori Virginis est infusa, repleuit illam spiritus & singulari quadam sanctificatione, illam sibi in sacrarium elegit vt velut rosa sine spina, & tanquam lucifer in mundum oriretur.* Cochlea igitur idest venter purissimus Annæ impleta roscido conceptu gratiæ grauida, pretiosissimam regni margaritam enixa est.

Plini.

Maria animus vbi primùm creatur corporique vnitur luminoso, & candido spiritus sancti rore persunditur.

S. Mechtil.

Plini.

Ex singulari Mariæ puritate, & sanctimoniæ nitore, manifestum fit in primo generationis exordio, influxum gratiæ habuisse purissimum.

Theodor.

Maria immaculatissima, solem, lunam, stellas margaritas, Cherubim & Seraphim puritate antecellit.

D. Lau. Iust.

3. Rursus nomine margaritæ iustitiam originalem, in qua primus homo conditus, S. Ephrem intelligit sermone de margarita pretiosa, aitque, Adamum eàm flocci, aut nihili æstimasse, leuique incuriâ, illius iacturam fecisse: *Concha enim* (inquit) *committit margaritam, & pro obolo lapidem pretiosum violari sinit.* Et statim: *& hic eam* (nempe margaritam) *vanarum rerum cupiditate vendidit.* Propter effrenatam ingluuiem, esumque pomi, margaritam innocentiæ, & gratiæ vnionem inæstimabilem perdidit; & animi, corporisque cælestia decora, paradisi domum, regales delicias, inimico mercatori vendidit; huius gratiæ margaritam, quã Adamus dissipauit, quam Eua animi mobilitate amisit, Maria inuenit. Hæc est enim illa mulier, & matrona veneranda, diuinis prædicationibus Christi exaltata apud S. Lucam c. 15. v. 8. *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat?* Quem locum argutè admodum, & sapienter expendit de beata Virgine Albertus Magnus ad ea verba Lucę c. 10. *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Eius verba sunt: *Mulier hæc est beata virgo habens in se omnem imaginem nouem beatitudinibus Angelorum, & vna beatitudine hominis insignitam; perdita est vna, culpa parentum: ipsa autem accensa lucerna flammæ Deitatis, in testa humanitatis, euertis* (sic legit pro *euerrit*) *totam domum; suprema infimis in vtero suo sociando: noua veteribus commiscendo: & sic quæsiuit diligenter, donec drachmam perditam inuenit, & regnum cælorum redintegrauit.* Et perpendens solertiori mentis indagine illius sententiæ profundum ab Angelo prolatæ: *Inuenisti gratiam.* Lucę c. 1. Magnus hic præsul, & Doctor sequentia annectit: *Inuenisti gratiam: inuenisti perditam ab Eua, à te quæsita: ab Eua quidem perditam, quia totius mundi gratiam originalem ipsa perdidit.* Inuenit Maria, & in vtero suo possedit sanctitatis vniuersæ auctorem & gratiarum fontem, vt de plenitudine sua, & supereffluentia charismatum, & donorum fluenta, & stillicidia ad Adæ posteros deriuaret; originalem tamen

D. Ephr.

Status innocentiæ comparatur margaritæ, quam Adamus propter pomi pretium vēdidit.

D. Lucas.

Maria, euãgelica mulier, quæ drachmam originalis iustitiæ, & gratiæ ab Eua perditam, inuenit.

Albert. Mag.

Albert. Mag.

iustitiam


iustitiam, & gratiam, quam Eua perdidit, sibi soli Maria inuenit cumulatiori mensura quam Euæ donatam. Esse innocentiæ restauratricem originalis gratiæ inuentricem, Mariæ tantummodo prærogatiua est singularis: *Inuenisti gratiam originalem, quam Eua perdidit*; aiebat Albertus; quibus, inquam inuenit? non Ioanni, non Ieremiæ, non viris ad sublimioris sanctitatis apicem euectis, quia omnes in Adam peccauerunt, nec eorum conceptus Originalis iustitiæ, aut gratiæ decore ornati. Sola sibi fœmina singularis, singulariter prælectã ad corporati verbi Natiuitatem, sibi vsurpat ampla decora Originalis iustitiæ, & gratiæ; cuius status si immortalitatem adimas, doloris, & humanæ ærumnæ passiones exceptes; insigniorum donorum, quæ feliciorem illam vitam reddebant conspicuam, Maria facta est particeps in primitiuo suo conceptu, gratiæ nimirum habitualis, & subordinationis perfectæ appetitus sentientis ad rationem vt sapienter annotat P. Didacus Granados lib. de immaculata Virginis Conceptione disp. 3. c. 26. enim verò, æquo iure Salomon, in præallegatis sententiis in consistorio sanctissimæ Trinitatis adstruit nouæ fœminæ admirabile opificium. *Similitudines, & margaritas faciemus tibi.* Non dixit faciemus te vel in te, sed tibi, quasi soli & singulari talis similitudo, & originalis gratiæ margarita donata. Illi soli, quæ postea eructauit verbum bonum cælicolis, & terrigenis gratissimum: *Fiat mihi.* Nec mirum si faciamus tibi opus gratiæ alteri non factum, quandoquidem ex te sola verbum caro factum.

Maria inuenit alijs sanctitatis fontẽ, & originem, sibi soli originalem gratiam.

Vulgatæ versioni nouus splendor adijcitur murenulas faciemus tibi vermiculatas argento

DISCVRSVS III.

Primordiali Deiparæ trophæo dicatus: *Maria serpentis annosi calcatrix, & geniminum eius perpetua triumphatrix.*



1. HVIVS victoriæ singularis soli Mariæ seruatæ, aptissimum symbolum murena est. Ad cuius intelligentiam supponendum, murenam esse de genere serpentis. Id adstruit S. Isidorus l. 19. ætymolog. c. 31. S. Hieronym. in c. 16. Ezech. Rupertus & Sanchez in cantica. Audi Plinium l. 32. c. 2. *Murenas concipere è serpentibus, ob id sibilo à piscatoribus tanquam serpentibus euocari.* Et licèt de murena viua foret dissidium, an sit serpentis fœtus; de artificiosis murenis ex auro, & argento conflatis & fabrefactis ad sponsæ ornatum, certum est, confictas & figuratas in similitudinem, & formam serpentis. De hac veritate certiorem te reddet patrum auctoritas. S. Isidorus l. 19 ætymol. c. 31. ait de ornatu murenæ: *Quadam ordinis flexuosi catena contexitur.* Et statim: *Hoc etiam & serpentum dicitur, quia constat ex amphorulis quibusdam aureis, in modum facturæ serpentis.* Clemens Alexandrin. lib. 2. pædagogi c. 12. *Murenulas quasdam, & serpentes ad decorem effingens.* S. & Venerabilis Beda super Canti. *Murenulæ sunt ornamenta colli Virginalis, catenæ videlicet, auri contexta virgulis, quæ à similitudine murenæ serpentis nomen accipiunt.* Nec mirum cũ hæ catenulæ ornatus Virginalis, æmularentur circulos, & nexus aureos, ex quibus rationale pontificis ad pectus pẽdebat. Exodi c. 28. v. 13. *Facies & vncinos ex auro, & duas catenulas ex auro purissimo.* vbi legunt LXX. interpretes: *& facies aspidiscas ex auro puro.* Quæ sint autem aspidiscæ? exponit S. Augustin tomo 4. quæst. 115. in exodum: *Aspidiscas propter diligentem colligantiam dicit, ab aspide serpente, sicut etiam murenulæ appellantur.* Itaque murenulæ efformatæ ad serpentis, & aspidis speciem, & formam.

D. Isid. D. Hieron. Rupert. Plini.

Murena serpentis genimen.

D. Isid.

Murenularũ ornatus, in formam serpentis fabrefactus, & in figuram aspidis.

Clem. Alex.

Bed. *Exod.* *Aspidiscæ quæ sint* *D. Aug.*

2. Præterea murenulæ, monilia, torques, bullæ, gemmę ob rem strenuè gestam, & trophæum de hostibus adeptum, donari ab imperatoribus solebant, cum imaginibus, lamellis, simulacris, in quibus eorum facinora insculpta eminebãt. De quibus fusè scribit Plinius lib. 35. c. 2. *Stemmata lineis discurrebant ad imagines pictas. Nimirum in pinacothecis, & armariis: animorum ingentium imagines erant, affixis hostiũ spoliis.* & lib. 33. c. 1. ait: *à Prisco Tarquinio omnium primo filium, cum in prætexta annis occidisset hostem, bullâ aureâ donatum constat.* In idem recidit Plutarchi eruditio. quæst. romana 101. *cur pueros monilibus, quas vocant bullas, exornant?* & respondet in pueri Tarquinij Victoria, & triumpho habuisse exordium; Hetruscis ab ipso detriumphatis: *Hoc à patre, & rege decoris insigne accepisse.* Nec solùm apud prophanos sed etiam in sacra pagina inuenies in bulla pontificia insculpta Hieroglyphica in singulis lapillis & gemmis, vt testatur Sapient. c. 18. v. 24. *Et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant insculpta.* Pro verbo *magnalia* græcè est δόξαι doxæ, cuius significata exprimit Prado in Ezechiel. de prima visione parte 1. sect. 2. *idest trophæa, nobilitatis insignia, stemmata parentum, de quibus iure gloriabantur.* Signa, inquam, sacra, & expressæ imagines præclari facinoris, aut victoriæ inclytæ: igitur ad rem nostram, Deiparam ornari bulla gemmeâ, aureis monilibus, & murenulis collo appensis, in similitudinem, & formã serpentis figuratis, aptissimum symbolum est, ad demonstrandam Dei genitricis victoriam, & triumphum de prima serpente reportatum; triumphauit enim in semetipsa serpentem, ideo ostẽtui habet, & exponit ludibrio; hoc est enim Mariæ stemma gloriosum & nobilitatis insigne singulare, contriuisse, & ludificasse draconem, nec eius potestati tyrannicæ ad momentum fuisse substratam. Pulchrè S. Laurentius Iustinianus in fasciculo amoris c. 7. agẽs de peccato originali, & Dæmonis principatu super filios Adæ, ait: *Quotquot de Ada propagine originem ducunt; traducem habentes de massa peccatrice, atque originalis culpæ maculam contrahentes antè fiunt damnati quam nati. Importunus exactor (dæmon) adeò legibus suis subdidit orbem, vt nemo tyrannidis illius fieret exors. Nemo ab ipso mundi initio vsque ad temporis plenitudinem (duntaxat mediatore, eiusque genitrice exceptis) iugum dominationis eius euasit.* Hucusque sapientissimus Protopatriarcha Venetus, qui scripsit hunc librum fasciculi anno 1426. cui colludere videtur eruditissimus Abrahamus Bzouius ex sacra Prædicatorum familia, qui concione 2. super Salue

Bulla aurea cum imagine deuicti hostis, & de triumphati donata victoribus. *Plini.* *Plutar.* *Sapient.* *Prado.* *Maria triumphus de peccati primi colubro reportatis, in murena serpentis ornamento expressus.* *D. Lau. Iust.* *A peccati originalis tyrannica potestate, soli Iesus, & Maria exemuntur.* *Abrah. Bzou.*

Salue regina sic ait de Maria: *Ideóque talia trophaa reportauit: nunquam enim Satana quicquam debuit, non eius pedibus subiacuit, ab eius iugo, & imperio se semper immunem seruauit* Quid mirum si hostem potentiorem occidit, & tyrannidem dominationis eius euasit, bullâ aureâ donetur, & hoc à Patre, & olympi moderatore decoris insigne accipiat cum futura serpentis, vt colubrum tortuosum à se ludificatum, & contritum ostentet, in aureo catenulæ ornatu basilisci, & serpentis imaginem præferentis? alloquuntur ergo sacer sponsus, & sodales Mariam: strenuè dimicasti, ô Deifera virguncula; aduersus hostium phalangas, antiquamque serpentem contriuisti, lubentes, & lætabundi, cœlestis militiæ plausu, circulos auros, pretiosa monilia, in modum facturæ serpentis efformata, in tantæ victoriæ signum collo tuo appendimus, te beatissimam prædicantes; vt more triumphantis, ornamenta triumphi, Draconis penitus detruncati fortunatas exuuias, magnifico sculptas opere, totus terrarum orbis in te ipsa cerneret.

Maria nunquam pedibus serpentis strata.

3. Adhuc in serpente murena latitans mysterium eruendum, cuius naturam describunt, S. Isidorus, & Beda ex Plinio lib. 32. cap. 2. transcribo verba Hispaniarum Doctoris ex lib. 12. ætymolog. cap. 6. *Murenam Graci vocant, eo quod complicet se in circulos, hanc fœminini tantum sexus esse tradunt, & concipere à serpente, ob id à piscatoribus tanquam à serpente, sibilo euocatur, & capitur.* In murena, & serpente seriem, & ordinem primitiui incursus, & primordialis tentationis facilè intelliges; ideò ornamentum sponsus appendit in pectore Mariæ, quod serpens, & murena sit; vt in murena calliditatem, & vafritiem tentatoris, & stupiditatem simplicis, & innocentis Euæ tentatæ, & deceptæ, exprimeret. Reduc ad examen murenæ naturam, & Isidori verba dispunge; *Murenam Græci vocant, eo quod complicet se in circulos.* Tunc serpens antiquus in spiras, & circulos se vertit, cùm Euam tentare aggrediens, non plano, & simplici sermone vsus, sed per circuitus, & ambages loquutus, fucatâ, & personatâ amicitiæ simulatione parauit insidias; meritò callidior dicitur cunctis animantibus. Nec mirum, quod murena præseferat Euæ ingenium, & in se ipsa exprimat veteratoris fraudulentiam, cum quo inierat mortis fœdus, & criminis ferale consortium cui iam spiritu maritata adhæserat. Nec inepta sunt, vt statutum conceptum collimes S. Isidori verba: *Murenas fœminei tantùm sexus esse.* Quia à fœmineo sexu exordium, & initium piaculi factum: ariete adulantis alloquij, speciosæ, & lubricæ tentationis machinâ debiliorem partem rationalis naturæ aggressus dæmon, vt fortitudo viri, & arx humanæ naturæ facilius rueret. Addit murenam *Concipere à serpente.* Nonne mulier è serpente concepit, peperitque peccatum; hic fœtus iniquitatis, & proles truculentior, infusa fœminæ, & ad posteros serpentinum semen traductum; prius enim fœta, & fœcunda à dæmone facta est scelerum, quàm à marito filiorum. Sequitur postea: *Sibilo à piscatoribus tanquam à serpentibus euocari, & capi.* Quia Diabolus in serpentis forma, primam mulierem serpentino sibilo euocauit. Vide Serpentem pellicientem, euocantem, audi sibilantem, vt cernas capientem Genes. cap. 3. v. 1. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Et vers. 4. *Dixit autem serpens ad mulierem; nequaquam morte moriemini, scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum, & malum.* Hoc sibilo, & incantationis carmine seducta, & euocata, è serpente concepit peccatum, factáque est genitrix criminis. Audi Sapientissimum Augustinum, ordinem tentationis, serpentis calliditatem, verborum sibilum, grauissimo sententiarum laconismo describentem lib. 14. de ciuitate Dei cap. 11. *Superbus ille Angelus malesuadâ versutiâ in hominis sensum serpere affectans, colubrum in paradiso corporali, animal, scilicet lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit; eóque tanquam instrumento abutens, fallaciam sermocinatus est fœminæ, à parte scilicet inferiori illius humanæ copulæ incipiens, vt gradatim perueniret ad totum.* Igitur cùm in pectore Mariæ serpens detriumphatus quasi in tholo sacro appenditur, & murenularum decore ornatur collum Virgineum; aduersam, & oppositam esse Euæ prædicitur; nec à serpente allectam, aut inescatam, nec virulento illius sibilo incantatam, nec eius venenosis afflatibus infectam viuentium per gratiam matrem, sicut extitit Eua viuentium genitrix per naturam, quo circa antitheton mirabile inter Euam, & Mariam pulchrè describit Rupert. lib. 2. in Cant. *Maria,* (inquit,) *in omnibus Eua opposita. Eua namque quasi inimica, Eua quasi vipera. Eua quasi deformis, & ignominiosa, mihi inimica, viro suo vipera, sibimet confusa ignominiâ. Inimica per superbiam, quâ intus tumuit, vipera per malitiam, quam ex serpente concipiens, foris tentata, facilè cessit: ignominiosa per pruritum libidinis, qua statim scaturire cœpit. Tu autem amica mea per humilitatem, columba mea per charitatem, formosa mea per castitatem, tu contra Deum non tumuisti. Tu serpenti aurem non præbuisti, imò inimicitias inter te, & serpentem ego posui, & ecce columba es. Tu nuditatem libidinis non incurristi, imò Spiritus sanctus obumbrauit tibi, & ecce formosa es. Veni ergo Maria, veni, nam Eua ad latebras fugit. Veni, & contere caput serpentis, nam Eua, & capite illecta, & ventre oblectata, & caudâ est obligata serpentis.* Nec miraberis quòd murenam nuncupemus Euam à serpente prolectatam, de serpente concipientem peccati monstrum; quàm Rupertus viperam appellitat: postrema verba antithesis: *Veni ergo Maria, & contere caput serpentis, nam Eua capite serpentis illecta.* Vt veritatem obtineant, necesse est, Deiparam caput serpentis peccatum originale contriuisse, quòd Eua à serpente illecta genuit, & contraxit; sicut enim Euam Tuitiensis Abbas statuit blanditiis, & fraudulentiis irretitam, à toto angue squammeo spiris circumcinctam, à serpentis capite circumnexam, cùm ex eius afflatu primordiale flagitium genuit; ab colubri ventre, cùm eius sensum titillat obscænus pruritus; à serpentis cauda circumplicatam actualium criminum, & mortis. Venit Maria opposita Euæ ab omni flagitio immunis, virgo semper intacta experśque totius libidinosæ corruptelæ, originale peccatum caput serpentis adnihilum redigens; non mirum, si ad demonstrationem singularis triumphi appendatur illius pectori aureus ornatus in serpentis formam conflatus.

D. Isidor.
Beda.

In murena calliditas tentatoris serpentis, & stupiditas simplicis Eua decepta insinuatur.

Eua à serpente concepit peccatum, & mortem

Genes.

Serpentis sibilus, & sermocinatio, vt murenam Euã inescaret, & ad pessimum cõceptum pelliceret.

D. August.

Rupert.
Maria in omnibus Eua opposita.

Eua nuncupatur vipera.

Tota à serpente circũuenta, & circũcincta.

Eua capite serpentis illecta in primo flagitio; Maria hoc caput serpentis contriuit.

4. Amplius: vt mira discrepantia inter Euam,

Bacchi orgia serpentibus coronata, Euam vlulātes Menades celebrabant. Clem. Alex.

& Mariam emineat; vnius deformitatem, & ignominiam; alterius venustatem, & gloriam cernas; accipe singularem eruditionem Clementis Alexandrini ex oratione exhortatoria ad gentes mutuatam, vbi disputans de liberi patris Orgiis, seu Bacchi sacris solemnibus trietericis, de eius sacrificulis, sic scribit: *Coronati serpentibus vlulantes Euam, Euam illam, per quam error est consecutus, & signum Bacchicorum Orgiorum est serpens mysteriis initiatus. Iam verò si accuratè vox spectetur Hebraica, nomen Heua aspiratum, exponitur serpens fœmina.* Vbi Gentianus Heruetus nobilis Clementis scholiastes expendens sententiam: *Per quam error est consecutus*, scribit: *Serpentis fraude esu pomi inescata, primam peccati labem in genus humanum inuexit.* Accingens se ad aperienda verba illa Alexandrini: *Coronati serpentibus orgia celebrabant.* Hæret quasi in salebra, aitque, nunquam legi quod Thyades, & Menades Bacchi mystæ, ad eius libamina offerenda serpentibus coronatæ incederent. Sed pace tanti viri hunc superstitiosum ritum, & horrendum comperies apud Lyricorum principem Horatium libr. 1. carm. Ode in Bacchum. ibi occinit: *Nodo coercet viperino; Bistonidum sine fraude crines.*

Gentian.

Eua, idem est ac serpens fœmina, quia illa peccatū per serpentem inuexit.

Horat.

Liberi Bacchanalia, formamque numinis deprecandi, homines Diabolus, docuit velut simia sacræ religionis, vt pertrahat ad superstitiones aniles, ad æmulationem prouocatus diuinorum, permiscens ea turbulentis erroribus, vt humana corda iis inuoluat, à vera fide, & religione sciungat. Itaque in Bacchi orgiis furore percitæ Menades, & vinolenti numinis Antistitæ capita indecorè motitantes, gementes, & vlulantes Euam inuocabant, eam maximæ leuitatis accusantes tanquam primordialis criminis exordium, quæ fraude illecta serpentis, peccatorum casciculis genus humanum inuoluit, Vituperabilique cognomine eius famā, vocantes eam serpentem, quia amicā placabilitate colubro fœderata, peccatum, & mortem peperit, obnubilant. Ritè Gentianus Heruetus ad ea verba: *Nomen Heua exponitur serpens fœmina*; Istud scholium subiungit: *Vult ergo significare non magnum esse discrimen inter fœminam, & serpentem, quo fuit facilius serpenti decipere fœminam.* Sed dum fœminæ vituperabant Euam ab Angelo prauitatis auctore deceptam; ecce Gabriel Archangelus Mariam gloriā prosequitur fœminei decoris restauratricem; exulantis Euæ, & per varias huius sæculi ærumnas errantis, ad paradisum reuocatricem ideò salutationem nouam, & mirabilem orditur Lucæ cap. 1. dicens: *Aue.* vbi argute Albertus Magnus inquit: *Angelus dixit: Aue conuerso nomine Eua, notans, quòd Euam reduxit ad benedictionem.* Quare autem facta sit digna tam eximiæ deprecationis, & faustitatis, exponit purpuratus Hugo discrepantia Euæ, & Mariæ vota exprimens: *Eua voluit fieri Dea, & facta est ancilla: Maria voluit fieri ancilla, & facta est Mater Dei.* Sed illustriori verborum, & sententiarum decore, & eximio pietatis affectu dictionem illam omnia fausta imprecantem *Aue*, enucleat S. Bernardinus Senensis tom. 1. serm. 52. art. 1. cap. 1. scribens: *In Virgine per Aue natura excellentia denotatur, quia ab alio triplici va immunis fuit: scilicet concupiscentia, culpa, & pœna. De quo triplici ve Apocal. 9. Clamabat aquila volans; va, va, va, habitantibus in terra. Fuit enim beata virgo sine primo va, hoc est sine Tyranno concupiscentiæ; peccati originalis, quia sine eo concepta est, sicut teste Salomone* Cant. 4. didicimus: *Tota pulchra es amica mea, & macula scilicet, originalis culpa non est in te. Fuit sine secundo va, scilicet culpa mortalis, & venialis. Fuit sine tertio va, scilicet pœna, quæ in separatione animæ, & corporis, quæ est incineratio, & corporis dissolutio.* Non habet locum in Maria interiectio dolentis, aut miseriam prædicantis, quia à vitæ exordio ei fausta sunt omnia, sponsus cœlestis omnium benedictionum, & felicitatum congeriem in ipsa cumulauit. Nihil in ea de carnis, & concupiscentiæ lege manauit, exempta est à Tyranno peccati originalis, & actualium exactione crudeli; corporisque immaculati sacrarium non fatiscit corruptione sepulchri, nec miseræ, & ignominiosæ incinerationis admittit iniuriam. ritè Maria prædicatur ab omni *va* immunis vel culpabili, vel pœnali, quia opposita Euæ, cùm salutatur Maria, Euæ nomen inuertitur, nec vocatur Eua, sed *Aue. Eua serpens fœmina* interpretatur iuxta Clementis Alexandrini placitum at Maria serpenti opposita, & aduersaria, quæ naturalis miseriæ, & hæreditariæ piaculi ærumnæ, quæ de serpentis malitia à prima fœmina in viros omnes, & fœminas serpit, labem non contraxit. Nequaquam serpens instar Euæ appellitatur, sed tortuosi colubri strangulatrix, eius capitis, & tyrannici dominatus calcatrix, serpentis perpetua detriumphatrix.

Gentian.

Maria per Aue conuerso nomine Eua, salutatur ab Angelo.

Albert. Mag.

Hug. Card

D. Bernard. *Maria à triplici va peccati libera, & à va peccati originali.*

5\. Addit nouum decus, & splendorem mirificum prælibato conceptui, & discursui, illa verborum adiectio à Salomone proposita: *Vermiculatas argento.* Verbum Hebraicum נקדות *nekudot* respondens *vermiculatas* dictioni, à radice נקד propriè denotat: *Punctis respersum, maculis seu notis quibusdam minutissimis distinctum.* Eadem dictio transfertur Genes. cap. 30. v. 31. capras *Varij coloris maculosas.* & vers. 39. *Agnos maculosos, & varios.* Vnde pastor *nakad* vocatur, quia notas pecoribus inurit. Huic significationi allusisse videntur LXX. legentes *στίγματα*, stigma, punctum, cicatrix, nota impressa, & inusta, quasi solebant serui à Dominis notari: Hispanè dicimus: *Vna ese yun clauo.* Quod verbum propriè transtulit Philo Carpathius in cantica: *Notas argenti, seu puncta, sine stigmata.* Vatablus legit: *Cum clauis argenti.* Versio quintæ editionis in scholiis LXX. Seniorum & admodum præclara legit: *ἐν κέγχροις in miliis.* id est, punctis minutis instar milij, vt his omnibus vermiculationem innuat murenularum. Hispanè *los es maltes.* est Kencrus genus serpentis, de qua Dioscorides lib. 8. ait: *Pluribus hanc maculis variatam, quæ quoniam milij seminibus similes sunt, quam frugem Græci Kencron vocant, nomen hoc serpenti fecerunt.* Idem refert Budeus in lexico. Et Gresnerus lib. de serpentibus c. de Cenchrines serpente, scribit: *Cenchrus dictus est, quòd maculis per quam minimis milij magnitudine, & colore, vniuersum eius corpus respersum appareat.* Assertque verba ex Auicena, & Mathiolo: *Esse speciem aspidis habentis colores diuersos.* Additque Gresnerus, hanc serpentem esse ab homine inuictam, nam imperterrita illum inuadit, miraque vafricie in arte pugnandi, suis circulis nectit, & implicat, donec strangulet. Ideò pro vitæ cautela fugam Gresnerus admonet: *Caue,* (inquit,) *quantum libet magno*

Lect. Heb.

Kencrus serpens varius punctis veluti milius distinctus, & variatus.

Lect. Græc. Phil. Carp. Vatabl. quint. edit.

Dioscor.

Bud. Gresn. Auicen.

Mathiol. Gresn.

Kencrus serpens ab homine inuictus.

magno animi robore sis, neve occurras, neve contra hunc pugnas, ne ille te implicatum, caudâ flagellet; & ingulis vtrinque apertis, sanguinem exugat. Denique, vt omnia significata Verbi *nakad* quod mysteriis abundat, in medium proferamus. lib. 3. Reg. cap. 14. v. 3. vbi legit Vulgatus: *Panes, & crustulam*, pro *crustula* est idem verbum; propriè denotat: *Placentas siccas punctis respergas.* Hispane: *Tortas, y pan pintado.* Hebræi apud eruditissimum Sanctes Pagninum legunt: *Vizcoctum.* Iuxta dicta prædictum textum commodius, ac dilucidius poteris explicare paraphrasi ex prædictis versionibus veris, & variis coalescente, in hunc modum *Murenulas aureas faciemus tibi cum punctis, cum stigmatibus, cum clauis argenti; cum agno stigmatico, seu punctato, cum placentis siccis, vizcocto argenteo; cum Kencris, seu Kencrinis serpentibus.* Rursusque retexentes interpretationem textus de Beata Maria, fit demonstrabilis alterâ eleganti similitudine illius victoria de Kencro, & Aspide dæmone reportata; erat enim formidabilis valde vniuerso hominum generi serpens antiquus summâ calliditate, & Tyrannicâ potestate armatus; nullus enim furibundo colubro, & indomitæ omni artificio belluæ occurrere audebat, imò ante occursum, in prima huius lucis vsura, in omnium animas insiliebat, & hæreditarij piaculi spiris inuoluens, strangulabat. Donec peruenit ad cœlestem Palladem victricem, Heroinam, & viraginem Kencrini serpentis triumphatricem Deiparam, quæ callidum Aspidem superauit, instructa, & manu ducta à cœlesti sponso super aspidem, & basilicum ambulauit illæsa, & conculcauit eorum venenosis afflatibus intacta, leonem, & draconem; ideò in collo illius suspenditur monile, & catenulâ Kencride serpente, & aspide ornata. Nec lubrico sensu, & tergiuersante mente, tempora, & horas in Mariæ præseruatione dispungas; cuius murenæ, & sponsalis pectoris ornatus minutissimis punctis distinctus, & stellatus collucet. iuxta LXX. & sapientissimos interpretes: *In punctis argenti* fulgent monilia, & murenæ, vt paulò antè vidimus; quia in Mariæ animo, temporum breuissimæ morulæ, instantia, puncta, prima inchoantis vitæ indiuisibilia, aureo charitatis splendore, argenteo gratiæ nitore fulgent. Ideóque Aspis, & Kencrus serpens punctulis respersus, & notatus adiungitur pro stemmate nobilitatis Marianæ, & victoriæ insigni, vt etiam in primo puncto vitæ subactus ostentetur, nec ad punctum, & momentum gratiam retardatam, illius suspensum sterisse decorem, aut serpentis potestati subiacuisse Mariam.

Lect. heb. Lib. Reg.

S. Pagnin.

Maria Kencrinum serpentem strangulauit, nempe dæmonem.

Maria de serpente prima triũphus in pũctu primi temporis vitæ.

6. Nec admirabilitate capiaris: cùm ad obtinendam tam singularem victoriam, suppeditatum fuerit de supernis opitulamen validissimum; fuit enim præuenta benedictionibus dulcedinis de ligno vitæ nimirum IESV in Cruce suspenso, & agni immaculati sanguine roseo, cuius virtus præseruationem Mariæ anticipatâ redemptione promeruit. Ideò apparent exornatæ, & collucentes Deiparæ murenulæ: *Cum agno stigmatico, & punctato, cum stigmatibus, & clauis argenti:* Vt toti orbi suæ præseruantis gratiæ insignia, & sua redemptionis magnalia ostentet. Agnum scilicet immaculatum ferreis cuspidibus terebratum, & punctum, clauos etiam Christi Cruci suffixi, & vulnera rosea; quasi diceret, hæc meæ victoriæ instrumenta; hæc stigmata Domini, & filij mei IESV me communi legis diuinæ decreto, in originalis peccati barathrum lapsuram, ne caderem, præseruatunt; his clauis quasi tribus lanceis serpentem tortuosum criminis, & mortis artificem confodi. Hæ puncturę in primo vitæ puncto, maculam, & inquinamentum à Deo auertens, reddénsque animum inimicum, & auersum à creatore, propulsarant: propter hæc puncta purpurea, ex quibus longæuitas æternæ vitæ manat, nec ad punctum, nec ad modicum dereliquit me Dominus, sed miserationibus magnis circumdedit me: nec modicissimo, & minutissimo tempore in oculis suis modicam, & paruulam, & minimam despexit, sed ancillam suam singulari, & superiori modo redemptam stigmatibus, & clauis, Redemptionis insignibus, ornauit. S. Bernardinus Senensis cùm Mariæ immunitatem à peccato originali sæpius testatam in suis sermonibus reliquisset, tomo 4. serm. 8. de septem flammis amoris ait: *Beata Virgo exultauit in Deo salutari suo quasi dicat, singularis Saluator meus, quia Deus assumpsit carnem potius propter saluare virginem singularem, quam omnes alias creaturas.* Et sermone de Assumpt. scribit. *Plus pro Virgine redimenda venit, quam pro omni alia creatura, iuxta illud Cant. 4. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum; pro amore tuo carnem sumpsi, & vulneribus primis vulnerasti in Cruce cor meum, nam primogenita redemptoris filij sui Iesu fuit Virgo beata.* Quid mirum, si ostentet in gratioso ornatu stigmata, & clauos, principalissima redemptionis decora.

Maria agno stigmatico, stigmatibus & clauis ornata, quia ab ipsis roborata, & præseruata à Peccato.

Puncta agni Christi purpurea, Mariã in primo temporis puncto seruarunt.

Maria, quia singulariter redempta ornatur humanæ redemptionis insignibus.

D. Bern.

7. Denique triumphatæ serpenti, tortam panis, seu placentam punctis respersam, & vizcoctum hic locus adiungit, in singulari Virginis ornamento, vt sanctissimæ Eucharistiæ, & immaculatæ Conceptionis mysterium adumbratum, & vtriusque encomium, laudationem, glorificationem, esse innexam, & copulatam mirabili pietatis consortio ostentet. Instruunt quoque stigmata, & claui Eucharistiæ clientes, seruos, & mancipia admirabilis Sacramenti obsequio dicata, quod Domini seruitus est gloriosior regalibus infulis: nam seruire Deo regnare est. Nec renuant Domini sui stigmatibus, & clauis inuri tanquam tesserâ cœlestis regni, & æternæ hæreditatis symbolo: claudas locum, & discursum, verborum corolla ex Ruperto compacta, Deiparam alloquente, interpretum nomine: *Sumus enim fidei artifices, argentarij fideles, & ad laudem illius, qui tibi hæc magna fecit, faciemus murenulas veritatis, ornamenta benedictionis, & gratiarum actionis, benedicendo, & gratias agendo, quia sic fecit tibi; itaut non sit locus, vbi vox laudis huius non audiatur; vox sonora, laus altisona, quæ tuum nomen celebrans iugiter ambiat, & quodammodo de collo tuo dependeat.* Quod & præstitimus iuxta modulum nostrum, & votum; licèt non iuxta semper immaculatæ Virginis meritum.

Torta panis & vizcoctũ innectitur cũ stigmatibus, & punctis.

Eucharistia, & immaculata Conceptionis mysteria, copulataque encomia.

Eucharistia, serui, & mancipia.

Rupert.

De aliis ornamentis ab Isaia propositis; lege S. Hieronymum, Basilium, Chrysost. & de recentioribus Forerium & Sanchez.

ISAIÆ PROPHETÆ, CAPVT QVARTVM.

1. *ET apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes:*
Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tan-
tummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium no-
strum. 2. In die illa erit germen Domini in magnificentia, & glo-
ria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui saluati fuerint de Israël.
3. Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem sanctus
vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem. 4. Si abluerit Do-
minus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius, in
spiritu iudicij, & spiritu ardoris. 5. Et creabit Dominus super omnem locum
montis Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fumum, & splen-
dorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio. 6. Et
tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & abscon-
sionem à turbine, & à pluuia.



VERSICVLVS I.

Et apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa dicentes: panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.

COMMENTARIVS.

INCVRRIMVS in celebratissimum, & difficillimum vaticinium, ideò ex professo expendendum, & in eo immorandum. In cuius expositione patres, & commentatores neoterici in varia interpretamenta diuiduntur.

Septem mulieres septem Spiritus sancti dona Christum apprehendentia. D Hieron. D.Basil. D. Thom. D. Bernard. Rupert. Albert.Mag. Orig.

1. Expositio tempore, & ordine prima per septem mulieres intelligit septem Spiritus sancti dona, quæ apprehenderunt IESVM. Habet patronos quam plures Ecclesiæ Patres, Hieronymum, Basilium, Thomam hic, Bernardum lib. de tribus ordinibus Ecclesiæ cap. 7. Rupertum de diuinis officiis libro 7. capite 7. Albertum Magnum in capite 14. Lucæ Cuius interpretationis auctor & inuentor fuit Origenes Adamantius tom. 1. in Isaiam homil. 3. *De septem mulieribus.* Et sic procedit: quod septem mulieres, hoc est septem dona Spiritus sancti, de quibus fit mentio Isaiæ c. 11. Spiritus sapientiæ & intellectus, & reliqua apprehendent virum vnum Dominum IESVM Christum, quem multo tempore desiderauerant, vt eorum opprobrium auferret. Cùm in eo absque fuco, & sine fraude resideant, & æterna stabilitate requiescant. Quæ interpretatio allegorica, vel accommodatitia est, & magis subtilis quàm solida; etsi prædictos Patres habeat sectatores, eam insectatur, & reiicit, sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Isaiam dicens: *Detorquent autem quidam nescio quomodo ad considerationem spiritualem, non sane satis recte. Siquidem asserunt septem mulieres septem esse spiritus, virum deinde vnum Christum, decoro parum obseruato, septem spiritus aiunt ei dicere: aufer dedecus nostrum.* Eam quoque refutat Rupertus lib. 1. in Isaiam cap. 14. his adiice, quod Origenes asserit, septem Spiritus sancti charismata, post Ierosolymæ vastitatem, Christum requisisse, vt eum apprehenderent, & in eo requiescerent. Animæ autem Christi in instanti creationis infusa sunt hæc dona. D. Cyril. Alex. Rupert.

In expugnatione Ierosolymæ septem hoc est plures fœminæ, vnius viri coniugium exambiunt.

2. Secunda expositio, & congruentior cum mirifica cohærentia inter finem capitis præcedentis, & exordium huius subsequentis est, quod trucidatis iuuenibus, omnibus fere Ierosolymæ viris Romano bello faméque consumptis, septem mulieres, hoc est plures, vnius viri coniugium, & præsidium ambirent, vt dedecus viduitatis, & opprobrium sterilitatis redimerent. Itaque fœminæ tot calamitatibus, & ærumnis vexatæ inter hominum raritatem vnius viri subsidium requirunt, vt sub eius vmbra viuant easque tueatur aut præfecturæ munere, aut maritali consortio, erat enim sterilitas in Israël plena opprobrio, & maledictione. Quia verò superiori capite electus, & apprehensus vir domesticus ad dominatum, sese prudenter ab imperio exemptum reddiderat ratione penuriæ, illud allegans: *In domo mea non est panis, neque vestimentum*

Digitized by Google

stimentum, nolite me constituere principem populi. Fœminæ in solicitando suo decore solertiores, ab hac cura, & solicitudine virum apprehensum alleuiant, dicentes: nil aliud concupiscere, & expostulare, nisi quod eas mariti nomine, iugalis gloria ornet, nam fœminarum curæ, & muneris erit victus, & vestitus impendia quærere. Vt virum habeant, aut sint maritatæ, mariti iura in se transferunt, quærentes labore manuum alimentum, & ornatum. In hanc sententiam conspirant sine dissidio omnes Ecclesiæ primores: Hieronymus, Chrysostomus, Basilius, Cyrillus, Rupertus, Thomas, omnésque interpretes. Estque iure veneranda.

D.Hieron. D.Chrysost. D.Basil. D.Cyril. D.Thom. D.Rupert.

3. Si tamen rite examinetur, non caret difficultate. Prima est quam proponit doctissimus Forerius in huius capitis argumento recensens ex Hebræorum placito primum versum capitis quarti cum postremo capitis tertij copulari, addit: *Vnde nunc istis fœminis panis, & indumentum? Liceat ergo viris Christianis, non adeò addictos esse Rabbinorum traditionibus, & distinctionibus, (quas sæpè in odium Christi excogitarunt,) vt non interdum hac in re libertatem amplectantur propter gloriam Christi.* Alia difficultas maior, quod in captiuitate Romana, de qua hîc sermo est, nullus vir remansit in Ierosolyma viuus, qui apprehenderetur, nulla fere mulier, quæ ipsum apprehenderet, nam instante deditione vrbis, exhortatore Eleazaro, seipsos Iudæi voluntarie interimebant vna cum filiis, & vxoribus, nullusque vir euasit aciem gladij; sed duæ fœminæ superstites remanserunt, vna senior, & altera Eleazari cognata. Hanc calamitatem recensens Iosephus lib. 7. de bello Iudaico capite 28. scribit verba Eleazari ad necem exhortatoris: *Moriamur liberi, cum filiis, & coniugibus vita decedamus.* Et ita factum, ita vt Romani expugnata vrbe, cum animaduerterent acerbam solitudinem, ignémque intus, & silentium; quid factum esset, coniicere non poterant, vsquequo in Regiam peruenere: *Conspectáque multitudine mortuorum, non vt in hostibus gauisi sunt: sed consilij fortitudinem, & obstinatum contemptum mortis admirabantur.* Cùm ergo fœminæ virique Ierosolymitani perierint, quæ erit mulierum turba, quæ virum vnum velut apprehensa lascinia vestimenti alliciat ad connubium, ab eóque patrocinium expostulet? præterea cum Vates hæc omnia futura protendat in Ierosolymitano excidio, tunc enim temporis cum prospectarent crudelem virorum carnificinam, templi & vrbis incendium, qui locus, quæ opportunitas ista vt ambirent alicuius hominis nuptias, cum gentem totam Iudaicam occupauerat formido impendentis calamitatis, præsertim fœmineum sexum, qui gemitibus, clamoribus, & lacrymis aërem compleret. Sicut prædixerat Vates primo capite: *Omne cor mœrens.* Vnde fœminæ poterant sibi ferre subsidium victus, & vestimenti, cum antecedenti capite dixerat Isaias: *Auferet Dominus à Ierusalem omne robur panis, & omne robur aquæ.* Et spoliandas mulieres prædixerit omni vestimentorum ornatu; potius offerrent fœminæ, quæ ducebantur captiuæ dominis suis abiectissimum ancillarum famulatum, quàm viris officiosum connubium. Vnde de viris, & fœminis Iudaicis, quæ remanserant ante extremam stragem prædictam, scripserat Iosephus eodem lib. 7. cap. 7. *Senes vero infœlices ad cineres templi assident, & pauca mulieres ad turpissimam pudoris iniuriam ab hostibus reseruatæ.* Nec video quo pacto hæc expositio cum Euangelicis verbis consentiat, etenim IESVS cum duceretur ad mortem, fœminis lamentantibus apertè promittit quæ esset futura sors mulieribus Ierosolymitanis, cùm vrbs ad vastitatem vocaretur à Tito Imperatore; sic enim fœminis illacrymantibus flebili voce IESVS respondet Lucæ capite 23. *Conuersus autem ad illas dixit IESVS: filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus operite nos.* Hæc autem omnia & dixisse, & fecisse filias Ierusalem cùm obsidionis Romanæ calamitas instaret, dubitandum non est; si steriles aut vxoratas beatas prædicabant, quo pacto tunc temporis ad depellendum infortunium sterilitatis nuptias ambiebant? Adhuc tamen à communi interpretatione non est recedendum quæ magna antiquitate, & consensu Patrum firmata est Potuit forsan Vates prædictum oraculum per amplificationem quamdam futuræ calamitatis proferre, & id, quod propter ærumnas captiuitatis potuit fieri, quasi futurum promitteret. Vel de fœminis ante postremam expugnationem vrbis Ierosolymitanæ potest vsurpari oraculum, vel de mulieribus ad alias mundi plagas transmigrantibus, quæ postea ad vrbem reductæ sunt, nec adeò stricte verbum *In die illa*, vsurpandum, vt ad proximius, & subsequens expugnationi Ierosolymitanæ tempus non extendatur.

Commune interpretamentum in examen vocatur, & illius difficultas proponitur. Forer.

Ioseph.

Expugnata Ierosolyma solitudo.

Ioseph.

D.Lucæ.

4. Tertia interpretatio de Gentium vocatione, & conuersione hoc vaticinium vsurpat, & nomine mulierum diuersitatem Ecclesiarum, quæ Christum sequutæ ipsum fide, & dilectione tenuerunt, intelligit. Eam sequuntur sanctus Hieronymus hic & in cap. 8. Zachariæ, & Remigius Antisiodorensis, sanctus Cyrillus, sanctus Augustinus, in quæstionibus veteris testamenti capite 47. tom. 4. Rupertus in Isaiam, & super Oseam cap. 2. & in Michæam lib. 2. caput 4. & singillatim interpretatur de septem Ecclesiis, ad quas scribit Ioannes Theologus Apocalypsis cap. 1. ad ea verba: *Ioannes septem Ecclesiis.* quam expositionem Rupertus mutuauit ex sancto Augustino supra relato, ibi enim scribit, vt refertur à Glossa: *Septem mulieres septem Ecclesiæ sunt, quibus scribit Ioannes in Apocalypsi, per quas omnes designantur. Hæ apprehenderunt Christum per fidem post Ascensionem, per Apostolorũ prædicationem.* Quibus subscribit Hugo Cardinalis. Et in eodem sensu vsurpat præsens vaticinium Hieronymus Zachariæ caput 8. de septem Ecclesiis Asiæ, & de iis, ad quas scripsit Apostolus Paulus: ad septem enim scribit Ecclesias: ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses,

Per mulieres apprehensatrices viri, Ecclesias totius orbis accipiunt patres, Christũ per fidẽ ambientes. D.Hieron. Remig. D.Cyr.Alex. D.August. Rupert.

D.August. Glossa. *Septem mulieres septem Ecclesiæ sunt ad quas scripsit S.Ioãnes.* Hug. Card. D.Hieron.

senses, ad Thessalonicenses. Postea ad omnes alias extendit Ecclesias Christi interpretationem suam. Et subiungit: *Vbi manifestissima Prophetia est, & de Christi, atque Apostolorum eius prædicatur aduentu, & fide vniuersarum Gentium, nihil amplius requiramus.*

Vbi manifestissima prophetia est de Christi aduentu, & fide vniuersarū gentium, nihil amplius requirendū. Iuxta hanc interpretationē; nexus capitis tertij & quarti adstruitur.

5. Relucet in proposito interpretamento mirabilis nexus antecedentium, & subsequentium verborum. Nam cum c. 3. Iudæorum primarij, Pontifices, & Pharisæi statuto consilio decreuerint, vt Christus comprehenderetur ad mortem: *dicentes: alligemus iustum.* Et Ioannis c. 11. *Dederunt mandatum vt apprehenderent eum.* Nunc Isaias introducit omnes orbis terrarum Ecclesias Christum fidei, & dilectionis nexibus apprehendentes ad vitam, & resurrectionem, & ipsius Christi laudem. Rursus Iudæi in capite præcedenti reiecerunt IESVM tanquam inutilem, iniucundum, dicentes: *Alligemus iustum, quoniam inutilis est nobis,* iuxta lectionem LXX. Seniorum. Nunc omnes Ecclesiæ, vniuersæ gentes, & nationes, in septenario mulierum numero adumbratæ, ad IESVM confluunt, eiusque deprecantur auxilium, & patrocinium, & quàm proficuus, & honorus iis omnibus existat, ostendunt cùm sub eius vmbra, & tutamine viuere exambiunt. Est enim canonicum illud axioma semper verum, in sacra litteratura obuium, & à Patribus receptissimum, & Prophetis: cùm Christus prædicantibus Apostolis, à Iudæis reiicitur, à Gentibus admittitur, & tenetur. Ex subsequentibus quoque manifeste colligitur, nam quæ sint mulieres optantes vt super eas huius viri nomen inuocetur, exprimit Isaias dicens; *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est.* in Hebræo habetur: *Super omnem conuentum, & congregationem.* Et Vatablus legit: *Super Ecclesiam Ierosolymitanam, & super omnes Ecclesias illi similes.* Addit: *Vbi inuocatus est.* Nempe Dominus, vel nomen Domini, cuius nuncupationem illæ mulieres solicitè quærebant. Istæ ergo sunt fœminæ Ecclesiæ nimirum, super quas nomen Domini IESV inuocatur, vt dicantur, & sint Ecclesiæ Christi, cœtus Christianorum. Iure ergo, & sapienter Lyranus in Glossa eos coarguit, qui isthæc subsequentia commata de captiuitate Babylonica vsurpant: *Expositores Latini,* (inquit,) *hoc exponentes de prosperitate redeuntium de captiuitate Babylonica magis iudaizant, quantum ad hoc, quàm Hebræi.*

Lyran.

Qui de captiuitate Babylonica prædicta verba accipiunt Iudaizare dicuntur, à Glossa.

Congregatio populorum Christū circundantium, proponitur. Psalm. Lect. Græc. D. August.

6. Simili phrasi ambientis fœminæ virum, conuersionem Gentium, & concursum ad Christum proponit sacra pagina. Vnam, aut alteram auctoritatem in medium producam. Psal. 7. *Synagoga populorum circumdabit te.* Græci Patres legunt: *Congregatio populorum.* Quem locum sapienter interpretatur sanctus Augustinus, de duplici congregatione, altera persequentium Iudæorum, altera credentium populorum, & Ecclesiarum: *Credentium multitudo ita eum circumdedit, vt verissime diceretur, cæcitas ex parte in Israël facta est, vt plenitudo Gentium intraret.* ad Rom. cap. 11. & sic legit sanctus Augustinus: *Congregatio credentium circumdabit te.* Et postea ait impletum Dauidicum oraculum: *In illa congregatione populorum atque Gentium generis humani, qua Ecclesiæ refertæ sunt, vbi nomen Christianum latissimè peruagatum est.* Eleganter Euthymius Patrum Græcorum interpretamenta recolligens, scribit: *Possumus hoc intelligere de Resurrectionis tempore. Congregatio enim Gentium quasi corona quadam Christum cinxit, cùm ab omnibus terræ finibus Gentes ad eum accederent.* Simile vaticinium comperies Ieremiæ capite 31. *Fœmina circumdabit virum.* quem locum licet Ecclesiæ Patres pie admodum de Beata Virgine IESVM vtero suo claudente, & circumdante, accipiant; admittit quoque hic textus aperte enuntians Ecclesiæ Sacramenta, alium litteralem sensum, quod fœminam siue mulierem nuncupat Ieremias Ecclesiam ex Gentibus congregatam, quæ ambitu fidei, & amoris Christum circumcingat. Hunc indicant LXX. in Glossa relati, & apud Theodoretum legentes: *Creauit te Dominus in plantationem nouam, vndequaque venient homines in salute.* Confluent igitur Gentes ad inquirendum Dominum Saluatorem, quem Virgo genuit, vt in eo nanciscantur salutem, & vitam. Theodoretus de Apostolis verba expendit: *Vndequaque venient homines in salutem. Apostoli permeantes omnes Gentes per Dei cognitionem illis salutem attulerunt.* Itaque quam nuncupat congregationem Gentium Regius Psaltes, & Ecclesiam Christi, & Ieremias fœminam ambientem virum; eamdem Isaias vocat mulieres Christum apprehendentes, vt iuxta similem litteræ sonum, idem sensus litteralis Christi, & Ecclesiæ consonet.

Euthym. *Gentium cætus Christū post Resurrectionem, quasi corona quadam cinxit.* Ierem.

Fœmina virum circumdans, Ecclesia de gentibus cōgregata in Christū credens. LXX. Theodor.

Liceat modo iuxta secundam, & tertiam expositionem singula Isaiæ verba examinare, & dispungere.

Firma apprehensio, cū aliquem adstringimus fugientem. Lib. Reg.

7. *Apprehendent.* Verbum חזק denotat firmam apprehensionem, vt cùm aliquem amplectimur, & adstringimus, & tenemus fugientem, sicut dicitur de muliere Sunamite. libro 4. Reg. caput 4. vers. 18 *Transibat Eliseus per Sunam, erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, vt comederet.* Eadem postea in monte Carmeli vt suscitaret filium suum Eliseus: *Apprehendit pedes eius.* ibid. vers. 27. idem verbum repetitur apud Paulum ad Hebræos caput 2. 1. vers. 16. *Semen Abrahæ apprehendit.* Eôque vtitur ad Timoth 6. vers. 12. ad Hebræos 8. vers. 9. & verbum ἐπιλαμβάνεται, propriè denotat insequi, assequi, manum iniicere, & apprehendere. Et Chrysostomus illud expendit dicens quod metaphoram habet sumptam ab eo, qui magno studio sequitur aliquem, omniáque facit vt fugientem occupet, & apprehendat. Eamdem vim verbi præsefert eleganter Psalmus 2. versu 12. *Apprehendite disciplinam.* Hebræus habet: *Amplectimini filium.* Et Campensis: *Amicitiam illius expetite.* Græcus habet: *corripere, ac retinere tenaciter.* Pulchrè Euthymius ait: *Summo studio contendite, vt perfectam virtutem consequamini. Dictum est hoc ex metaphora eorum, qui pugno aliquid constanter tenent.* Indicatur itaque hoc verbo vehemens ardensq; desiderium obsequēdi Deo; concitatus animus impetu facto Deum capiens, ac veluti in suam possessionē inducens; quæ omnia aptissima sunt ad aperiendum affectum pietatis, & amoris, auidissimum, & constantissimum conatum mulierum, siue nationum in Christo amplexando, illius disciplinam, &

Paulus.

Lectio Heb. D. Chrysost.

Constanter apprehendenda virtus, & disciplina Christi. Psalm. Lect. Heb. Campens. Lect. Græc. Euthym.

& institutum tenendo; maxima enim alacritate ad Christum confluxerunt Gentes Christum assequutæ vi quadam apprehendentes, & sibi retinentes à Iudaico populo fugientem. Apprehendunt enim Iesum, vt se illius institutioni, præcepto, consilio, voluntati subiiciant.

8. *Septem.* Numerus est copiæ, & multitudinis, vt innumeris exemplis ex sacra Pagina mutuatis constat.

Regna vrbesque mulieres vocantur.

9. *Mulieres.* Verbum נשים non solum pro fœminis, & potissimum stat pro vxoratis, sed etiam regna, & vrbes hoc nomine vocantur. Isaiæ cap. 32. vers. 9. *Mulieres opulentæ surgite.* Ecclesiæ Gentium vocantur *filiæ regum.* Psalm. 44. vers. 10. vbi Sanctus Augustinus ait: *Ecclesiæ filiæ Apostolorum, filiæ Regum sunt.* Vocat mulieres Isaias, quia noua nupta Ecclesia Christi introducitur ad sponsum, veteri sponsa repudiata.

Nomine viri, dux, patricius, vterque celebris denotatur. Lect. Heb.

10. *Virum vnum.* Hebraice est איש & distinguitur ab אדם Adam, quia hoc nomen pro quocumque homine licet sit inferioris gradus accipitur, is verò communiter denotat virum celebrem, aut patricium, & hoc nomine insigniuntur magni duces. Iudic. cap. 7. v. 14. *Gladius Gedeonis viri Israelitæ.* Heb. est: *Ducis Israel.* 1. Regum cap. 26. v. 15. *& ait David ad Abner: numquid non vir tu es?* Hebraice est: *Dux, & princeps magnus.* Apprehendunt itaque mulieres virum vnum, nimirum Iesum æternitatis principem, quem Pater dedit ducem, & lucem Gentibus.

Gentes, quæ Christum receperunt, ipsum vt panem vitæ requirunt. D. Cyr. Alex.

11. *Panem nostrum comedemus,* &c. Arcanus horum verborum sensus inuestigandus, qui propositæ interpretationi cohærere possit, vt veraciter Ecclesiæ Gentium possint dicere Saluatori pane suo alendas, & indumentis suis operiendas. Facile se extricat ab hoc difficultatis modo Sanctus Cyrillus Alexandrinus dicens: *Quæ Christum receperunt per fidem, ipsum vt panem, & vestem salutis quærunt, & ab ipso fructum petunt.* Nec dissentit Sanctus Augustinus q. 47. ex veteri testamento, & Glossa ordinaria.

D. August.

Ibidem panem nuncupat Sanctus Augustinus Dei verbum: *Panem nostrum manducabimus; hoc est verbis legis, quæ vnum tradunt Deum, pascemur, quia non in pane tantum viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Pulchre Glossa ait: *Noster cibus est panis, qui de cælo descendit: sermo Dei mulierum panis, & pater.* Quia Dei verbum ipsas reddidit fœcundas vt tantam filiorum caternam gignerent, est enim semen huius fœturæ feracissimum sicut Paulus testatur: per Euangelium ego vos genui.

Panis, verba legis. Glossa.

D. August. *Ex vestimentis, vniuscuiusque professio innotescit.*

Quæ autem sint vestimenta subtiliter expendit Augustinus: *Vestimentis nostris operiemur, id est, Creatoris nostri nomine censebimur: quia hoc vnusquisque indutus dicitur, quod est, & profitetur. Denique Senatores vel officiales ex vestibus intelliguntur quid sint.* Qui enim ad Christum transeunt Christum per fidem, & Baptismum induunt, & ipsius nomine gloriantur; cum enim noua sponsa ad Deum amplectendum tanquam ad virum, & maritum nouo fidei matrimonio copulanda migrat spretis idolis, ad ipsius Domini, & sponsi iura transfertur, vt in eius domicilio, & contubernio mater familias omnia viri bona possideat. habet enim alimentum sacri sermonis, & cibum vitæ ipsum sponsum, quo alitur ad immortalitatem, quem iure nuncupare potest, & petere à Patre sponsi: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Habet indumenta iustitiæ, & virtutum omnium vestimenta, & Regiæ nobilitatis ampla decora, quibus circumdatur quasi sponsa adstans ad sponsi Christi latus dextrum, in vestitu deaurato circumamicta varietate donorum, quæ pignora sunt pulcherrima æternæ hæreditatis; cum enim omni vestimento honoris exuta captiua premeretur dæmonis seruitute, nunc libertate filiorum Dei donata, ornatur diploide iustitiæ, & ad Patrem cœlestem accurrenti cito profertur stola prima, quæ omnem operit nuditatem, vt sacrum illum gratiæ indutum, quem perdidit in Adam primo, recipiat in secundo. Iam enim redempta carbuncularis sanguinis Christi gemmis, & copulata Deo perpetuo iure matrona, veraciter dicere potest suis fide, & amore Dei sociis panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, gratis enim sunt donata hæc munera, sed in eorum possessionem, & proprietatem intrauimus.

Habet Ecclesia iustitiæ indumenta, & virtutum vestimenta.

Gentilitatis opprobria Christus abstulit.

12. *Aufer opprobrium nostrum.* Nationes in errorum tenebris sepultæ, & regione vmbræ mortis commorantes, multa opprobria, & conuitia perpetiebantur; seruitutis, sterilitatis, solitudinis, captiuitatis à dæmone; infœcunditatis, quia nullum filium generabant ad vitam, qui pertineret ad nobilem Dei progeniem; conuitiabantur Gentibus Iudæi quod essent sine lege, sine Deo; omnia hæc probra Christus abstulit, cùm nationes recensentur in numero fidelium, & Christiano nomine decorantur. Abstulit Dominus opprobrium, quia vt scribit Sanctus Ambrosius. Psal. 118. v. 22. *Pro nomine tuo pati opprobrium, gloriosum est.* Iuxta Sanctum Augustinum proxime relatum, Gentes supplices Propheta inducit, Saluatori facto homini, vt auferat opprobrium criminis hæreditarij, quod ex protoplasto traxerunt, nec solum paternum, sed etiam proprium delictum aboleret: *Quia omnes peccauerunt* (ait Augustinus) *& egent gloria Dei, idcirco orant supra memoratæ Ecclesiæ, vt auferatur opprobrium earum, inuocatione nominis Christi, quia qui signum eius habent, quo vicit mortem, ab inimico teneri non possunt. Idcirco istæ Ecclesiæ Christi nomen super se inuocari precantur.*

D. Amb.

D. August. *Christus abstulit peccatorum opprobrium.*

13. Quo in loco non est omittenda Ruperti Abbatis arguta commentatio, quæ cum littera huius expositionis secundæ cohæret. Per illa duo commata: *Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur.* Significari statuit solertiam, & sinceritatem Ecclesiæ in sequela Christi, illum enim quærunt Gentes, illum sequuntur non propter cibum, qui perit, sed propter eum, qui permanet in vitam æternam. Mirus candor animarum, quæ non propter terrena lucra, aut tempore peritura emolumenta Saluatorem requirunt, cum enim Iesum quæsitum, & concupitum apprehendunt, omnes diuitias, & glorias nanciscuntur. Relucet in hoc discrimen vtriusque populi in sequendo Deum, nam Iudaico factæ sunt temporaneæ promissiones, vt Deum sectaretur. Quinimo propter terrenam retributionem Deum colere, & venerari promittit Iacob Genes. cap. 28. vers. 2. *Si Deus dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum*; at Christianus

Ecclesia de gentibus congregata non quærit Christum propter terrena lucra.

Genes.

stianus populus cùm Christum agnosceret, contentus erat suis bonis, nec captabat aliena, quinimo distribuebat propria, vt succurreret Euangelizantibus. Mirifica sunt verba Venerabilis Abbatis Tuitiensis: Hoc vaticinium Isaiæ expendit lib. 2. in Michæam cap. 4. *Vniuersa Gentes, de quibus hic sermo est, per septiformem spiritum ad Christum conuersæ, nequaquam pro suscepta fidei mercede hoc expetunt, vt det illis regiones aliorum, & labores alienos possideant, sed suis contenta, quæ ante Christi Euangelium possederant, hoc tantum expetunt, vt inuocetur nomen eius super eas, & remissione percepta, careant opprobrio peccatorum.* Eamdem commentationem vberius tradit, lib. 1. in Oseam cap. 2. vbi repetito vaticinio Isaiæ cap. 4. *Panem nostrum comedemus,* &c. ait: *Hoc namque omnes dicunt Ecclesiæ Gentium, in sugillationem meretricis huius, quæ nec panem, quem comederet, nec vestimenta, quibus operiretur, habuit, sed sub conditione accepit, vt inuocaret nomen Domini, quemadmodum Psalmista dicit.* (Psalm. 104.) *& dedit illis regiones Gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. Nos (inquiunt istæ) tale nihil ex te pro mercede quærimus, vt propter Euangelium, vel fidem tuam suscipiendam, terras vel regiones alienas nobis conferas, sed panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, quæ ante notitiam tui nominis habemus, imo & tibi, & his, qui nomen tuum prædicant, panem nostrum, & vestimenta nostra libenter impertiemur, tantummodo dignare dici, & esse Deus noster, & opprobrium vitæ, vel conuersationis pristinæ nobis aufer, vt non simus absque viro, & non simus sicut hactenus eramus sine Deo in hoc mundo.* Hæc pulchre Rupertus.

Rupert. *Ecclesia non quærit labores gentium pro mercede, sed iis quæ ante conuersionem possidebat, contenta est. Optat remissionem peccatorum, & quod Dei nomen inuocetur super eam.* Rupert. *Synagoga nec panem, nec vestimentum habet.* *Ecclesia ex gentibus conuersa, panem, & vestimentum prædicantibus libenter tribuit.*

14. *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.* A patris nomenclatione nuncupantur filij, & à principe & capite, familiæ; ab auctoribus suis, sectæ: Vnde Iacob, Genes. cap. 48. v. 16. ait de duobus filiis Ioseph: *Inuocetur super eos nomen meum.* Et ab Israel Israelitæ & nomenclationem quamplurium familiarum à patre, & primario viro perleges Numerorum cap. 26. à num. 12. & de filiis Asser ibi vers. 44. *Filij Asser per cognationes suas: Iesui à quo familia Iesuitarum.* Sicut etiam è Platone Platonici. Sic à capite & principe Ecclesiæ Christo, Congregationes Gentium fide imbutæ dicuntur Christianæ. Vnde vocari nomen Christi super Ecclesias, est dici filios Christi, suumque populum, vt sub illius tutela, disciplina, instituto viuant, honorifico nomine decoratæ. Glossa de nomine Iesu verba prophetiæ accipit dicens Ecclesias deprecari Dominum: *Vt omnes dicamur nomine tuo, id est omnes vocemur Iesus, vt omnia in omnibus nomen tuum fiat.* Hæc recenset, ex Origene eum recapitulans homil. 3. in Isaiam: *Quæritur homo qui cum istis septem mulieribus sit, vt auferat opprobrium. Quis est iste homo? Iesus, qui exiuit iuxta carnem de radice Iesse. Nomen tuum inuocetur super nos. Quod est nomen sapientiæ? Iesus, reuera abstulit opprobrium Iesus.*

Familiarum, & gentium nuncupatio à patre, aut primario viro. Genes. Numer. *Ecclesia nomen Christi inuocans.* Glossa. Orig. *Exoptant, vt Iesu nomen super ipsas inuocetur.*

15. Iuxta hanc expositionem non inepte verba textus expendere possumus de septem famosis mulieribus Euangelicis, quæ Christum per fidem, & dilectionem apprehenderunt, & tenuerunt, & factæ sunt primitiæ conuersionis Iudæorum, & Gentium, quarum numerum ex Euangelistis mutuare, & in ordinem reducere, posteaque discursibus ornare non erit iniucundum.

Septem famosæ mulieres Euangelicæ Christū apprehendentes, prædicantur.

16. Prima mulier Maria Magdalena, quæ tenuit Iesum, & apprehendit panem vitæ, cui Dominus conuitium pharisæi, & opprobrium peccatorum aboleuit. Lucæ cap. 7. v. 48. *Dixit autem ad illam, remittuntur tibi peccata tua.* *Maria Magdalena.*

17. Secunda est mulier Chananæa de finibus Tyri, & Sidonis egressa, quæ nomen Domini super se inuocabat. Matthæi cap. 15. v. 22. *Miserere mei Domine fili David.* Fide Iesum, & veneratione apprehendebat. ibi v. 25. *At illa venit & adorauit eum dicens: Domine adiuua me.* Exprobratur cùm canis nuncupatur, sed cum se nomine, & alimento filiorum fatetur indignam, aufertur opprobrium fidei præconio ibi v. 28. *Respondens Iesus ait illi: ô mulier magna est fides tua.* *Chananæa.*

18. Tertia mulier Samaritana, quæ apprehendit fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam, cùm venit de Samaria haurire aquam. Ioannis cap. 4. iam enim ad Iesum appropinquauerat, ipsumque supra puteum requiescentem tenebat, cùm se Messiam esse aperit: *Ego sum qui loquor tecum.* *apprehenderat virum vnum* Speciosiorem præ filiis hominum, & Dominum Angelorum, vt reiecto amasio, qui non erat suus vir, soli Christo adhæreret. Ideo ait ibidem v. 7. *Respondit mulier, & dixit: non habeo virum. Dicit ei Iesus: bene dixisti, quia non habeo virum.* *Samaritana.*

19. Quarta mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim, apprehendit Iesum per laciniam, & fimbriam vestimenti, & sanitate suscepta, abstulit ei opprobrium sordidæ infirmitatis Iesus. Matth. cap. 9. v. 20. Marci c. 5. v. 24. Lucæ 8. v. 43. *Quæ sanguinis profluuiū patiebatur.*

20. Quinta mulier adultera Ioannis cap. 8. vers. 3. comprehensa est in adulterio mulier, vt per scribas & Pharisæos comprehensores adduceretur ad Iesum, vt ipsum apprehenderet: *& statuerunt eam in medio.* Et postea: *Remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.* Vt Iesum teneret, ipse vero accusatores suorum scelerum multans opprobrio, adulteræ remisit offensam, dedecus criminis aboleuit miseræ, & paupercula, ipsumque operuit, & expunxit gloria nominis Domini, quod super se inuocat cùm ait: *nemo Domine.* *Adultera.*

21. Sexta mulier vidua Naim, quæ fletu suo super filium vita defunctum, Iesum tenuit. Lucæ cap. 7. v. 13. *Quam cùm vidisset Dominus misericordia motus super eam, dixit illi, noli flere.* Feretrum demortui iuuenis, totaque mortis paratura apprehendit auctorem vitæ, cùm Iesus tetigit loculum; suscitauit mortuum, vt mortalitatis auferret opprobrium, præludens in loculo ligneo egregium facinus operandum in Crucis ligno, qui mortis ærumnas abolere venit. *Vidua Naim.*

22. Septimo piæ mulieres, & Euangelicæ Mariæ apprehenderunt Iesum ab inferis resurgentem, & tenuerunt pedes eius; ipse vero gratiosa, & mirabili salutatione, fœminei sexus opprobria repulit. Matth. cap. 28. v. 9. *Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: auete illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Prædictarum omnium fœminarum egregia facinora pietatis, & fidei, ornata dabimus sequentibus discursibus. *Mariæ Euangelicæ Iesum apprehendentes.*

23. Deni

Gloſſa. De meretricibus quæ ad Chriſtum conuerſæ ſunt, præſens vaticinium expendit Gloſſa.

23. Denique Gloſſa ordinaria in expoſitione mirabile hoc vaticinium apte expendit de meretricibus, quæ ad Chriſtum conuerſæ ſunt, verba illius ſunt: *Per ſeptem mulieres vniuerſitas meretricum ad Chriſtum reuertentium deſignatur: ideo dicitur quod apprehendent virum vnum, id eſt Chriſtum.* Et paulo ante: *aliquando contingit quod meretrices ad Chriſtum deuotiſſime reuertuntur, ſicut patet de Maria Magdalena, & de Maria Ægyptiaca & aliis pluribus, & de talibus poteſt exponi quod dicitur: & apprehendent ſeptem mulieres virum.* Et ſubſequentia verba iuxta hanc interpretationem expendit: *Panem noſtrum comedemus id eſt nolumus amplius otioſè viuere, ſed de laboribus noſtris. Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos. id eſt nobis ſufficit tibi per pœnitentiam reconciliari.* Vt per remiſſionem ſcelerum, & pœnitentiæ ſatisfactionem, tranſactæ vitæ opprobrium aboleatur.

Et apprehendent ſeptem mulieres virum vnum.

De ſeptem Heroinis Euangelicis Saluatorem apprehendentibus.

Prima mulier Maria Magdalena apprehendit Ieſum.

DISCVRSVS I.

Receſſus à crimine, acceſſus ad Dominum celebrior, & glorioſior, qui labores exantlat, contradicta ſubit, præpedientes & remorantes obices diſſoluit.

1. Omnis præuaricantis conuerſio ad Dominum pulchra, quæ ſibi aſciſcit celebrem conuentum, & plauſum cælitum; illa tamen celebrari expoſtulat profuſiori præconio, in qua maioris animoſitatis, & fortitudinis præfulget gratia; cum obiurgatoria cenſura, & maleuolæ linguæ contradictio contemnitur; mundanorum aggerum munitiones, quæ viam cæli præcludere tentant, conſtanter tranſiliuntur. Iſraelitis ſorte diuiſit Dominus palæſtinam in funiculo diſtributionis, ea tamen gleba, quæ plagam meridionalem reſpicit, ab Ezechiele commendatur c.47.v.19. *Plaga autem auſtralis meridiana, à Thamar vſque ad aquas contradictionis cades.* Obſcurum vatis intelligentiæ receſſum ſolerter rimatur, iuxta ſenſum arcanum & myſticum, Maximus diuinorum explorator Hieron. dicens: *Quando ortus nobis fuerit ſol iuſtitiæ, accipimus meridianam plagã &c. incipit autem iſta poſſeſſio, & hi termini à Thamar, à palma videlicet victoriaque vitiorum, vſque ad aquas contradictionis ſemper enim virtutibus contradicitur. Omnis autem contradictio eſt ſanctitatis, quod interpretatur cades.* Pulchris, & famoſis terminis clauditur auſtralis tractus ſacræ telluris, ſi verba cum Hieronymo, iuxta proprium ſignificatum diſpungas, nã *Thamar* denotat *palmam, Cades* idem eſt ac *ſanctitas.* Cum enim animo ſolis æterni radius illuxit, vt relictis tenebris, regionem luminis adeat, filiorum Dei ſymbolum teneat, in quo eſt lux oculorum, & pax; vt triumphalis palma de cæterua vitiorum obtenta, ornet manum; irruentes iurgiorum, & contradictionum turbines ſuſtinebit, qui inuoluere, & violenter obruere tentant currentem in ſtadio virtutis, ne perueniat ad brauium. Vocat te diuina ſapientia ad amicitiæ contuberniũ alliciens diuinis xeniis, quibus alterutra ornatur manus, vt iis libenter ſpoliari ſe ſinat, ſine iactura poteſtatis, abſque ſuarum imminutione gazarum; tunc caro, & ſanguis ingemit, remoramque greſſibus obtendit; domeſtici homines qui ſolent eſſe hoſtes nocentiores, ſimul cum turba paſſionum immurmurant; huius ſæculi iucunda velut ſpecie blandientium, & pulchre arridentium fœminarũ, apprehenſa veſtimentorũ lacinia fugientis, conantur retardare greſſus, crebris ſingultibus, profuſiſque lamẽtis; ſed vbi eniſus fortior, obſiſtentia maior, palma glorioſior eſt. Ideo hæc iuſti poſſeſſio incipit à palma, vſque ad contradictionis, & iurgij fluentũ. Incedit enim coronatus pugil beatior triũpho, cùm obiurgationes charorum infeſtas animæ deſpicit, ictus, & morſus contradicentium linguarum fidei cote retũdit, quanſq; canit epiniciõ; anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantiũ, & à verbo aſpero. Mũdiales manus apprehẽdere ſe conantes excutit, vt Chriſtũ apprehẽdat.

Ezech.

D. Hieron.

Iuſtorum ſors meridiana plaga, à palma victoria vſque ad aquas contradictionis. Virtuti, & ſanctitati annexa contradictio.

Mundi, & carnis contradicentium obſtacula, qui contemnit, palmam obtinet.

2. De reſeratione ſigilli quarti ſcribit Ioãnes Apocal. cap. 6. v. 7. & 8. *Et cùm aperuiſſet ſigillum quartum audiui vocem quarti animalis dicẽtis: veni, & vide: & ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum; nomen illi mors, & infernus ſequebatur eũ.* Magna ingenij argutia ſecretum propalat quarti ſigilli Albertus Magnus, & tanquã ſacer myſta arcanũ eruẽs euulgat; ſic enim ænigma equi pallidi, equitis, & inferarũ vmbrarũ ſequelã, & inſectationem expendit ſerm. 47. *Per pallidum equum intelliguntur ſancti confeſſores, & viri clauſtrales, necnon & omnes illi, qui ieiuniis, vigiliis, & orationibus, & aliis ſpiritualibus exercitiis ſe pallidos efficiunt, & pro deſiderio ſupernæ patriæ diſſolui cupiunt, & eſſe cum Chriſto.* Poſtea vero de inequitante Chriſto, & ſeſſore, cur mors nuncupetur eleganter annectit ſequentia verba: *Vade & Chriſtus qui ſedet in eis mors vocatur, ipſe enim dicit in Oſea 13. & mors ero mors tua, morſus tuus inferne. Chriſtus igitur eſt vita perpetua vita, & mors mortis æterna. Ipſe mortis deſtruxit imperium, & quia momordit infernum, in ereptione animarum fidelium: propterea adhuc infernus ſequitur eum, id eſt deſiderat recuperare damnum ſuum, deuorare cupiens pœnitentes, in quibus ipſe ſedet.* Equus pallidus, iuxta Alberti placitum, præſeferebat iuſtũ à mundo ſequeſtratum, ieiuniis aridum, & ſeuerioris diſciplinæ exercitamento floridũ illũ, & viuidum vultus nitorem in ſqualentem, & cinereũ immutantem; in quo Dominus Ieſus tanquã in equo gloriæ ſuæ, & triũphali curru, circũfertur: nec mirum quod mors nũcupetur Dominus, ipſe ſolus crimen diſſoluit, mortem diremit, abſtulit à morte dominatum, quo ipſa viuebat, ingluuiẽ extinxit, & expunxit inferorum, qua omnes hominũ animas deuorabat, & ſinu ſuo, ſuppliciis deputabat æternis. Mors itaque mortis Ieſus, qui vita eſt omniũ, nõ ſolũ corporũ, ſed animorum; qui vitam hominis Deo mortuam vitiis obnoxiã, malę conſuetudinis tumulatam ſepulchro ad vitam reuocat ſpiritalem; mors

Apoc.

Equus pallidus, cuius ſeſſor mors eſt.

Alber. Mag.

Equus pallidus ſancti ſunt confeſſores, & clauſtrales, ieiuniis, & auſteritate vitæ pallentes.

Chriſtus ſeſſor mortis, & inferni mors.

Infernus ſequitur Chriſtum, vt deuoret, pœnitentes, de illius faucibus ereptos.

mors est vitæ maculosæ, quam dirimit gratia, & decore virtutis, & ad vitam non morientem resuscitat. Sed mirum valdè est, quod tatarea manus ex phlegetonteis incolis conflata, cœlestem sessorem sequuntur: quid infernus exigat, argutè scripserat Albertus: *Desiderat recuperare damnum suum deuorare cupiens pœnitentes, in quibus ipse sedet.* Cassidibus suis elapsas animas renuntiantes tyrannicæ potestati, ad vexillum Domini, & patrocinium cōuolantes, subdole solicitat, vt terga dantes Christo, reuertantur ad neruum ferreum, & seruitutis miseræ iugum; insectantur potissimum tyrones Christi, dæmonum cohortes armatæ, nouáque oblectamenta confingunt, laruatáque felicitate blandiūtur, vt relicto solis æterni radio, & subsidio, ad regionem vmbræ mortis regrediantur, & excusso sessore diuino, Diabolum portent, qui eorum circumcurrat in vertice. Hæc aduersitas fit annuente numine, vt exploretur constantia sectatorum IESV, vt dum viget Diabolica insectatio potentior in nouæ vitæ exordio, præfulgeat in animo virtus robustior, amoris Deifici affectus vehementior, abrenuntiatio sæculi gloriosior.

Iob.
Aquila nidus in præruptis, & dētatis cautibus.

3. Mirabilem physiologiam de aquilę natura proponit Deus Iob. c. 39. v. 27. 28. describens domiciliū, in quo nidulatur, prærupta, & dētata saxa, cautesq́; mortalibus inaccessas. *In arduis ponit nidum suum. In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atq; inaccessis rupibus.* Si de volucre auiū regina sententiā expendas, obuia erit cōmentatio, nā iuxta Aristot. lib. 9. c. 32. de hist. animal. Aquilæ *Nidulātur locis non planis, sed celsis, præcipue quidem arduis saxis, & præcipitibus.* Si verò Christū Dominum aquilam accipias in sacratiori sensu cū Greg. Magn. Bed. Venerabili, & Greg. Nyss. orat. de Ascens. Maximoque hom. 43. difficilior erit accurata loci huius perscrutatio: Iesus enim obuium se præbet, & facilè quærentibus, viæque eius pulchræ, & amœnæ, regnūq; cœlorū intra nos constituit, neque enim est imperuia, sed planissima semita, quæ ducit nos ad cordis penetralia, vt animarū nostrarū sponsum nanciscamur, qui earū salutē auide percupit, & & solerter exambit. Cur ergò Iob sacræ huius aquilæ nidū, & cubationē collocat inter aspera, & abrupta saxa, duras acuminatasque silices? Quia quandoq; gaudet thesaurū cœlestē sudoribus comparari; inter laborū ardua, variaq; vitæ, & honoris discrimina Dominus requisitus, suis sectatoribus arridet pulchrius, qui secū afferunt feruētioris fidei, & amoris symbolū, inuictæ cōstantiæ tesseram, argumentū probitatis; multorū est, Deū nemine obsistēte perquirere; virtute heroum, disruptis obstaculis per saxorū ardua validiori nisu repere, vt apprehēdant virtutis apicē, quæ præruptis silicibus domiciliū constituit. De Deo, qui virtutū fons est, dictū existima, quod de virtute prolatū scribitur à S. Isid. Pelus. lib. 2. ep. 12. ibi inquit: *Habere virtutē laborem cū gloria, nominisque splendore coniunctū, siquidem gloria sudoribus irrigatur.* Nec est dissimilis in hac sententia, sed illustrior Clem. Alex. lib. 4. Strō. c. 4. scribēs: *Fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus, nunc autem celerem castū tenere locū, & quæ nec aspici possit omnium mortalium ciliis, sed ab eo demū ad quem sudor venerit, qui metetur iracundia, & processerit ad summam animi magnitudinem.* Hinc tractum est celebratum illud prouerbium à Philosophis: *Difficilia, aut ardua, quæ pulchra.* Illud recenset Plato in Hippia maiori, & in cratylo, & amplificat Hesiodus his carminibus:

Aristot.

D. Gregor. Magn.
Beda.
Greg. Nyss.
Quo sensu aquila Christus in præruptis silicibus commoretur, cum ad ipsum via sit pulchra, & amœna.

Iesus cum inter laborū discrimina quæritur; suis sectatoribus arridet pulchrius.

D. Isidor. Pelus.
Virtus habet laborem cum gloria, gloria vero sudoribus irrigatur.
Clem. Alex.
Virtus habitat in rupibus, aditu difficilibus.
Difficilia, & ardua quæ pulchra.

Plato.
Hesiod.
Via ad vitiū facilis, & breuis; virtus sudoribus circumsepta, arduaque est ad ipsum callis.

Omnino vitium facile est contingere cuiuis
Est via ad id breuis, & vicina in sede moratur.
Contra, virtutem sudoribus vndique diui
Præsepsere, & longus ad hanc perque ardua callis,
Asper est & primū. Sed vbi alta cacumina victor
Contigeris, iam fit facilis, licet ardua dudum.

Virtus statuit aras suas inter ardua, & prærupta saxa, vt vehementiori conatu, & difficiliori accessu apprehensa sit iucundior; quæcumque obuia facile despicit animus; cum obtinentur quæ apparent inaccessa, gratiora fiunt apprehendentibus; gaudet laboribus probitas, sudoribus irrigata efflorescit, fructumque parturit suauissimū vescū animæ. Quæcumque ergo vegeto, & viuido pectore arripere tentat eximium semperque florens huiuscemodi brauium, gloriosiori coronamine cingitur, de remotis obicibus, de impendentium laborum remora superata. Respice sacram virtutis, & Deitatis apprehensatricem Magdalenam, cū enim aquilā Iesum regiam paterni pectoris sublimiori, & imperuio nido natā, in Pharisæi triclinio, & syrmate recumbentē cōperit, sese strenuè accingit, & apparat, vt cœlestes gazas deprædetur, amplexuum retiaculis, & capillamenti criniculis diuinā aquilam intercipiat; vt aggrediatur inauditum facinus, sibi vim infert, improbæ consuetudinis ergastulū diruit; mundialia vincula, & voluptatis illecebras remorantes dissoluit, inurbana cōuiuio, tempestiua beneficio, in conclaue Domini irruit, oculorum fluentis, cordis amore liquefacti sudoribus, virtutis plantas rigat, vt de labore gloriosior appareat, & de apprehensionis IESV celebri triumpho coronetur.

Magdalena vt aquilam Iesum apprehendat, labores vincit, remorantes voluptatis illecebras dissoluit.

4. Egressi sunt filij Israël de mari rubro mirabili prodigio, & statim eis tentatio occurrit, cū per squalentē solitudinem spatio trium dierum gradientibus, non apparet fluentē, aut scaturigo aquarū, vt sitim extinguāt. Exod. c. 15. v. 22. & 23. *Ambulaueruntque tribus diebus per solitudinē, & nō inueniebant aquā. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ.* Murmurantéque populo cōtra Moysem: *Ille clamauit ad Dominū qui ostendit ei lignū: quod cū misisset in aquas, in dulcedinē versæ sunt.* Statim ac populus statuit Pharaonē contēnere, à tergo relinquere Ægyptiacos mores, & sequi Dominū præcedentē, hinc inde magna imminent discrimina, aspectabiliū hostiū insidiæ, & bellorū conflictationes spiritualiū, & in itineris exordio macerātur siti, ad fidei probationem. Quid labor hic innuat in populo Christiano? Solerter aperit S. Cyrillus Alexandrinus libr. 5. de adoratione. *Ad promissam olim patribus terram Deo vocante properabant: ac primum illis occurrit labor ex aquarum inopia, quas vix tandem, postea quam diu laborauerant, repererunt: neque tamen earum vsus vacabat molestia.* Poterat Dominus statim dare flumina in deserto, & exitus aquarum in sitim, & qui paulò antè mare diuiserat dominus, & creator aquarum, in gleba salebrosa producere fluentorum scaturiginem largissimam vt adaquaret populum; adamauit populum in ipsa siti periclitantem, vt esset dulcior aqua, quæ constabat discrimine. Vnde idem Alexandrinus Antistes paulò antè præmiserat: *An verò non ardua est virtus, & asper ad illam accessus, ac sudet necesse est, qui perfecte eam*

Filij Israël Dominū sectātes, siti vexātur ærumna.
Exod.

D. Cyrill. Alex.

D. Cyr. Alex.
Ardua est virtus, & asper ad illā accessus sudoribus obsitus.

Qui ex vitiorum seruitute extrahitur, & Deum sequitur, sub tentationum labore sudare necesse est.

eum præstare statuerit. Et statim sacramentum aperiens populi sitibundi, & impendenti morte turbati, subiungit: quod diuina lege instituimur: *vt Deum ex vitiorum seruitute nos extrahentem, & ex dæmonum dominatu liberantem, sequi statuamus; sub tentationum labore sudare necesse est &c. igitur sitis illa, quæ priscis illis hominibus in deserto contigit; seuerioris exercitationis laborum figura fuit, & quæ ad corpus pertinent, initia sunt certaminum.* Itaque populus cum sequi Deum statuit, per inhospita, & inuia fatigatur ærumnis, induratur laboribus, comprimendorum affectuum seueriori disciplina exercetur, vt in fuga sæculi, & dominicæ palmæ obtentu, varios existimet subiturũ aduersantium hostiũ incursus, vt æternæ vitæ fōs inuentus sit gratior, & potus iucundior. Sed quid est quod inuenta aqua amarescit, nisi quod Deus fatigationē pro virtute susceptā nouo labore cōpensat, & aduersitatē ærūna pretiosa remunerat; felleā amaritudinem propinat dilectis, & de myrrhato vino, & calice passionis, quod prælibauit in Cruce, alumnis suis potum seruat, acerbissima aceti potio ablata est sitiēti Deo, pēdēti in patibulo, in ipso met mortis agone propriũ peccatorũ refrigerium; quid si æmulos, & sectatores suos inebriet absinthio, & poculo viscera amaricēt. Sed beata in Cruce suspensi fellea amaritudo, quę de beatæ vitæ fonte, & ligno paradisi dulcescit, supra mel & fauũ redditur suauior: *ostendit ei lignum quod cũ misisset in aquas in dulcedinem versæ sunt.* Quantũ virtutis, & sacramenti lateat in hoc ligno verbis suis obtēdit. S. Cyrillus: *Cũ vero pro virtute suscepti labores amari admodũ sunt, à Christo suaues ac dulces redduntur, qui & dicitur, & est lignum vitæ.* Cum cernis Magdalenā de sæculo fugacem in rubro maris clementiæ demergentē profundo sua crimina, totam repletā amaritudine, cum sentit vitiorum acorem, flagitiorum acredinem acerbissimam, ad lignum vitæ suspirat, vt ipsum apprehendat, de cuius tactu laborum durities mollescat, lacrymarum acerbitas reddatur nectare suauior, & victoria passionum illustrior.

D. Cyr. Alex. Amari labores pro virtute suscepti per Christũ, qui est lignũ vitæ dulcescunt.

Magdalenæ inter vitiorũ acredinem, ad Christum suspiranti, lacrymæ redduntur suaues.

5. Veruntamen nō recedamus à fōte vitæ, quē cum Dauide Magdalena velut iaculo vulnerata cerua suspirat. Ps. 41. v. 1. *Quemadmodũ desiderat ceruus ad fōtes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Expressit cerui desideriũ, in quo est quoddam velocitatis insigne, currit pernicitate mirabili ad fontē, cum in serpētiũ lucta, ipsis interemptis, victor euadit; de cuius fortitudine, & cursu ista profert verba S. Augustinus: *Serpentes necas, & post serpentium interemptionē maiori siti inardescit: peremptis serpentibus ad fōtes acrius currit. Serpentes vitia tua sunt: consume serpētes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontē veritatis.* Hanc cerui physiologiā accōmodat Hieronymus exomologesim operāti, cùm ait: *Ergo homo Ecclesiæ, qui diu in actu veneroso degebat: vbi se perspicit cœno fornicationis, idololatriæ fœtore repletum: desiderat venire ad Christũ, vt ablutus baptismo, accipiat donũ remissionis.* Quæ omnia Magdalenæ conuersioni aptata sunt placidissima, præsertim cum in hebręo legatur apud Vatablũ: *sicut cerua mugit ad fontes aquarũ.* Vt ceruam proponas verbi iaculo transfixam, & diuino amore sauciam, cum vitiis obluctantē, aduersus iniquas amasiorũ persuasiones belligerantē; cerua velocius ad salutis fōtē currere, vt carnalis illecebræ spurcitias abluat, criminũ fœtorē expiet vnguento pietatis; irriguo fōtis æterni Christi, pœnitētiæ & lacrymarũ lauacro supra niuem dealbetur. Nec in solas serpētes vitiorũ offendit hæc cerua pietatis, & amoris crebris suspiriis, & anhelanti pectore immugiens, vt perueniat ad Christũ, sed aduersarios iniquos *talis ceruus* (inquiebat Augustinus) *patitur contrarios ceruos, insuper insultantes: vbi est Deus tuus:* patitur quoq; Maria in accessu ad redemptorē obiurgationē Pharisæi iudaica tumiditate distēti, aduersus seruatoris clementiā deblaterantis, & profundentis perfidiæ verba: *Hic si esset propheta sciret vtiq; quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eũ.* Nec solos strangulauit pia fœmina colubros passionũ horrisone sibilātes voluptatis dulcedinē; sed impiũ despexit draconem, qui maleuolentiæ, & hypocrisis squamato tegmine induratus, misericordiæ semitam peccatrici stratam, parabat occludere. Vt de contritione duplicis obstaculi appareret fœmina robustior, peccatrix gratiosior, & pœnitentiæ triumphus fieret decantatissimus.

Psalm.

D. August. Ceruus de serpentum interemptione maiore siti inardescit & fontem auidius quærit. Qui consumit serpentes iniquitatis, celerius quærit fontem veritatis.

D. Hieron.

Lect. Hebr. Vatabl. Cerua mugiens ad fontes aquarum Magdalena.

D. August. Patitur contrarios ceruos insultantes, & pharisæorum draconem contra ipsam sibilantem.

6. Stupeo animositatem Magorũ in perquirendo paruulo rege in pandochio tenebroso, magis animantibus, quam hominibus apto, quæ quidē in illis verbis clare præfulget, sicut lampas inextincta, ab Euangelista Matthæo prolatis cap. 2. v. 1. & 2. *Ecce magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes: vbi est qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellā eius in oriente, & venimus adorare eum.* Beneuolos legentium animos captat Euāgelista, sacra illa dictione: *Ecce.* Et in eis ingenerat eximiam admirabilitatem: Minus enim est, quod gentiliũ potestates contēpto dominatu, regiisque aulis, se se appareant ad longinquā peregrinationē gētis extraneæ; quod sideral ductui sapientes obsecundent; quod ætas lōgæua & senectus venerabilis pusioni præstet obsequiũ; illud superat cordati hominis captũ, lymphatúque reddit perpendētis affectũ, quod in Iudææ metropoli, in ipsa regia, & purpuratorũ corona, corā ipso rege Herode, alium regem Iudæorũ annuntient, oblatis muneribus colere sint parati, audiēdus est Sanctus Chrysostomus, qui omnē magniloquentiā suam in hoc euentu ostēdat homil. 2. in c. 2. Matth. *Nunquid* (inquit) *nesciebant quia in Hierusalem regnabat Herodes? nunquid non intelligebāt institiā legis, quia quicũq; rege viuente, alterũ regē pronuntiat, & adorat, quasi minister tyranni punitur in sanguine? Sed dum cōsiderabant regem futurum, nō timebant regē præsentem. Nunquid non habebant præ oculis suis periculũ mortis, qui talem rem illicitam vsurpabant? sed non curabant de morte Si autem curassent de morte nunquā ad hoc ausi fuissent. Adhuc non viderant Christum, & iā parati erant mori pro eo. ô beati Magi, qui ante conspectum crudelissimi regis, ante quā Christũ cognoscerēt, Christi facti sunt confessores!* O quot, & quanta discrimina deuorat animosa, & inuicta Magorum fides, vt Christum apprehendat! qua instructi gentium primarij, & primitiui infantis regis adoratores, cælestis sapientiæ magistri, regis paruuli, & pauperis sacri præcones, pro rostris sæuissimi regis, & tyranni, & in cœtu pontificum, & scribarum, noui regis incunabula euangelizant, nec reformidant perduelliones vocari, affectatæ tyrannidis, aut læsæ maiestatis reos accusari; cum viuente Herode, regem alium prędicationis suæ suffragio nouum creant. Docuit contemnere vitam rex cælestis, qui venerat mori. Præsentem vitam temnunt, qui æternæ vitæ fontem perquirunt. Vix affulsit puer Iesus natus, & iam exoritur præsentis vitæ

Magorum animositas maxima in quærendo, & prædicando rege paruulo D. Matth.

D. Chrysost. Quicunque, rege viuente, alterum annunciat, & adorat, regiæ maiestatis læsæ, reus est.

Præsentem regem Herodem, & mortem contemnunt.

Nondum viderant Christum, & parati erant, pro eo mori.

Digitized by Google

vitæ contemptus. nec fallacem nec remissam inuestigationem principis esse, secum delata munera ostentant. Laboriosus vndique accessus Magorum ad Christum, sed pulcher; strata via discriminum sentibus, opprobrij, aut imminentis mortis periculis, vt lignum vitæ apprehendant suauius; in agro Bethlehemitico vernantē rosam inter spinas imminentis ærumnæ rutilantem, vehementiore mentis effectu, & exultatione: pretiosior stetit magis, & amabilior gaza Patris, quæ tantis stetit periculis.

Cur Maria Magdalena & non Petrus remissionis peccatorum publicā tabulam accepit?

D. Lucas.

D. Matt.

7. Cùm lego Petrum, & Magdalenam exemologesim operantes; & lacrymarum fluentis transactæ vitæ lauantes crimina, scire cupit animus, cur Maria verba illa consolatoria, ore dominico prolata, exaudiit: *remittuntur tibi peccata tua.* Lucæ cap. 7. v. 48. Petrus vero post Magistri abnegationem: *egressus foras fleuit amare.* Matt. cap. 26. v. 75. non exaudit post fletum: *remittuntur tibi peccata tua?* Nonne ratio exigit congruitatis, vt apostolorum apex, & Ecclesiæ vertex manifesta criminis indulgentia coronetur: vt cui potestas ligandi atque soluendi donata est delictorum, experimentum acciperet diuinæ clementiæ, auscultans ex Patris oraculo, cuius potentiā, & deitatem vulgauerat professione fideli, verba illa vitæ: *remittuntur tibi peccata tua.* quæ eleuarent pœnitentem consternatum confusione criminis? Nec minor charitas, & amoris vehementia in Petro, quàm in Maria, nec dispar luctus perseuerantia, cum per singulos dies fletu largissimo sacras illas rigaret genas, pene corrugatas, & exustas calidis lacrymis. Si in amādo, & illacrymando non dissimules, cur sola peccatrix ornatur bulla remissionis, priuilegio publicæ immunitatis? Post Mariæ planctū: *remittūtur tibi peccata tua,* legi; de Petro in fletu, & amaritudine tabescente hanc testatæ à domino prærogatiuam indulgentiæ, non lego. Forsan subsequēs ratio discriminis placebit lectori, eiusque crisi examinādа occurrit. Postquā fleuit Petrus, rediit in gratiam seruatoris; at conuersioni suæ nullū habuit aduersantē; ad detestandum iuramento pertinaci præceptorem, habuit fœminā impellentē, & suadela muliebri concussa Ecclesiæ colūna; & deblaterans antea apostolus reddidit irrita vota, & promissa fortitudinis; cùm ad se reuersus ingemuit, nullus inuentus est, qui lacrymarū irrigua sisteret, pœnitudinem criminis inhiberet, obiurgaret lacrymantem, pœnitentis faciē confunderet; recessit à turba malignantiū, & solitarius plorat in amaritudine animi, ne rursus Eva quæ obstitit fidelitati, mœrentē irrideat, & pœnitenti prætendat obstaculū: at peccatrix operosæ immutationi suæ omnia habuit aduersa; minus est quod eam pertinaciter retinebant amoris pristini velut cōpedes ferrei, ne properaret ad salutis fontem, cum adorta est cōprehēdere redemptorem, infigere plantis suauia, pio amoris irrigare fletu, experta est conuiuas subsannantes, ipsum pharisæum symposiastē seuerū obiurgatorem, qui anteacta flagitia in pudibūdæ, & mœrentis Mariæ faciem impingeret, corā discumbentium, & ministrantiū turba? iam Diabolus opposito dolo, & variata arte pugnādi per Adamum, peruertere nititur animū fœminæ, infringere amoris violentiā, irridere pietatē, oculorū exsiccare fontes, & pretiosi fletus diuertere riuulos. Vbi tanta adest aduersitas, & oppugnatio aduertisāum linguarum, maior affulget demonstratio diuinę clementiæ. vt publica tabula Iesus, & testamento misericordiæ diuulget relaxationem criminum fœminæ peccatricis.

Petri fletus, & amor non inferiores charitate, & lacrymis Magdalenæ.

Petrus in planctu, & conuersione sua nullum habuit aduersantem.

Peccatrix Maria in operosa immutatione vitæ, omnia habuit aduersantia, & contradictentia.

Pharisæus seuerus peccatricem obiurgator.

✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

Apprehendent septem mulieres virum vnum.

Secunda mulier Chananæa apprehendit Iesum.

DISCVRSVS II.

Ad animam quæ similitudinem Christi acquirit per conuicia, cor suum dominus inclinat, vt in ipsum riuos clementiæ infundat, & insignia honoris deferat.

DESPICIENTIÆ magnalia prædicat hic discursus, quæ tot ac tanta decora pietatis inuehit in animam, vt per ipsam salutis aperiatur ianua, & sol æternus pietatis, & amoris lumina vbertim infundat. Locus perdifficilis Ieremiæ cap. 31. v. 21. profertur: *statue tibi speculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti: vsque quo deliciis dissolueris filia vaga, quia creauit dominus nouum super terram: fœmina circumdabit virum.* Quiquidem iuxta vulgatum, mysterium incarnationis innuit, quando Deum immensum vterus virginis continuit, & clausit, Iuxta LXX. interpretes vaticinatur synagogam Iudæorum, & Ecclesiam gentium Christum Iesum pietatis ambitu requisisse, & apprehendisse; conuersionis gentium Chanaam syrophænissa fuit primitiuus fructus, ipsa enim speculam constituit, & lumen fidei accendit, vt Christum agnosceret; ipsa per amaritudinis planctum, & clamorem, cor suum in viam rectam salutis direxit. Versio LXX. seniorum ad illustrandum propositum thema eximium continet leporem sic enim habet, in capite 38. *vsque conuerteris filia despecta? quoniam creauit dominus salutem in plantatione noua in salute circuibunt homines.* pro filia despecta, scholium LXX. Legit: *filia inhonorata.* Et Theodoretus: *filia ignominiosa*: quæ alia fœmina despecta, inhonorata, & ignominia plena, nisi Chananęa, quæ à clementissimo domino exprobrata, & despecta reiicitur, ignominiosa canis appellatione notata: *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Matth. cap. 15. ab scriptore sacro afficitur probro: *Ecce mulier Chananæa.* Id argute annotat Chrysostomus hom. 93. in Matth. *accusare mulierem euangelista videtur. Cum enim audieris Chananæam, non poteris non meminisse iniquissimarum illarum Gentium, apud quas etiam leges ipsius naturæ funditus euersæ fuerant.* Cum semen Chanaā appellitat, conuiciis onerat; est enim Euangelistæ probrosa, apostolis per clamores fastidiosa, ipsi creatori contēptibilis, subiungit eodem loco os aureū: *philosophatur alienigena fœmina, & dum cōtemnitur, singularem patientiam, præcipuamque fidē ostendit.* Et ex variis in Matth. locis homil. 17. Christi nomine fatur Chrysostomus: *despecta, & contēpta à me est, & nō recessisti, sed perseuerasti petēdo: ò mulier magna est fides tua!* Quæ autē decora virtutis, & honorificētię Magnalia, despicatur habita

Ierem.

Ecclesia gentium pietatis ambitu Iesū requisiuit, & apprehendit.

Chananæa filia despecta, inhonorata, & ignominiosa.

Lect. Lxx.

Theodor.

D. Chrysost.

Matthæus Euangelista Chananæam accusat, & probro afficit.

D. Chrys.

Ad fidei, & patientiæ probationem contemni.ur

D. Chrysost.

habita mulier per tot titulos inglorios sibi vsurpauerit, argute pôderat idê Doctor hom. 13. in Mat. *Christus ideo certe eam repellebat, vt fulgête corona mulierê ornaret.* Quid? Creator ipse despectam, & pauperculã, ad quandam æmulationem diuinę potestatis creantis orbê, euexit: cùm enim delegat Iesus Chananeæ matri potentiã sanandi filiã, eiusque vitã, & dæmonis repulsam in postulãtis constituit arbitrio, velut orbis quãdã creatricê mulierem creator format: *fiat* (inquit Iesus) *tibi sicut vis.* Additq; solerter Græcæ Ecclesiæ luminare magnũ ibidê: *Hæc vox illi affinis est, quæ dictũ est: fiat cælum, & factũ est cælum.* Et hom. ex variis 17. supra relata: *Quando faciebat Deus celũ dixit: fiat celũ, & factũ est celũ: fiat terra, & facta est terra: fiat sol, fiant astra cal., & facta sunt vniuersa: iussio adduxit substantiã parentelæ, sermo cômunionê ostendit naturæ.* Esse filiu patris ostêdit Iesus eiusdem naturæ, & potestatis consortê, cũ vocis imperio cælũ, & terrã de tenebris in lucê eduxit: ecce imperiosa potestas in fœmina vt creet sanitatê, & vitã eadê vocis fidelitate *fiat tibi sicut vis.* Maria virgo ad operationê mirabilis sacramêti redemptionis humanę, dixit: *fiat mihi*, huic fœminæ singulari à Iesu iniũgitur *fiat tibi.* Vt ad imperantis decretũ, & arbitrium vita, & mors, languor, & sanitas, & infernus obsecundent. Felix contemptio Chananeæ, & probatio fidei exacerbans, quæ tot peperit honoris insignia, quibus concinit proposita versio LXX. seniorũ *vsque côuerteris filia despecta quoniã creauit Dominus salutê.* Creauit Dominus per fœminã creationis adiutricê, salutem sibi, filiæ sospitatê, suis contribulibus redemptionê animorũ, cũ in Chanaanitidê à Christo sequestratã, & totius pietatis extorrê, fidei lumê inuexit. Ideo subiungit Vates: *In salute circuibunt homines*, vt nô sibi soli vsurpet æternæ felicitatis auspiciũ, sed facê fidei præferat viris, & antesignana pietatis ducêt hominũ credentium manum, & virum vnum seruatorê omniũ exambiat, & eius clementiam deferat Christi euangelizatrix ad patrios viros.

Repulsam à Christo patitur, vt fulgenti corona ornetur.

Mulierem Chananæam, velut creatricem orbis, Dominus instituit.

D. Chrysost.

Lect. LXX.

Per Chananeam despectam Dominus salutem creat.

2. Quid mirum si mulier per deiectionem eleuata, per humilitatem exaltata, cum ipse Iesus glorietur magnificêtiã sibi ab hominibus delatã humilitate magis quam potestate vnde S. Amb. in Ps. 118. octon. 14. ad ea verba: *Humiliatus sum*, sapienter scribit: *Bona humilitas, quæ etiã in Christo laudem virtutis inuenit. Hanc in illo plus veneror quam creationem. Denique ipse aduocans populos ad misericordiã suam, de humilitate propria gloriatur, dicens: scapulas meas dedi in flagella, maxillas meas in palmas, faciem autem meam non auerti à confusione sputorum*, Isaiæ c. 50. iuxta versionem LXX. itaque per faciem in passione obscuram, & inhonoratam, sputaminibus deturpatam per omnia abiectę mortis, & Crucis opprobria, vocauit sibi gentes ad misericordiam, & charitatis vinculis alligauit: plus placuit, & profuit homini in Deo fusca facies, & nigritudo morientis, quam glorificata potestas creantis; vnde Pater decreuit per humilitatem turpissimæ mortis exaltationê maiorem filio donare, quam per creationis decus, quod in varia specie creaturarũ affulget; & ad probamentum huius veritatis adducens Mediolanensis Antistes locũ Pauli ad Philip. 2. *Humiliauit se vsque ad crucem, propter quod exaltauit illum Deus, vt in nomine eius omne genuflectatur.* Sic enim legit; maiora incrementa adiungit conceptui: *Quanta fecit Dominus, audeo dicere, & non flexi ei genu; sed flexi ei postquam se humiliauit. Sic*

D. Ambr.

Plus veneror in Christo humilitatem, quam creationem.

Iesus aduocans populos ad misericordiam, de humilitate propria gloriatur.

Plus placuit, & profuit homini, Dei facies fusca mortis, quam gloria creantis.

Paul.

D. Amb.

enim, hoc est per humilitatem, per crucem, sibi Ecclesiam congregauit. Cum ostenditur magnificus in mundo, quem condidit, in ipso lumine creatæ substantiæ cæcultans homo creaturam colit, pro creatore; eique, contempto dominatore, genua flectit, exhibens venerabundus thuris suffitus; at cum cernit flagris dehonestatum, cum latronibus, & iniquis reputatum, vibicibus liuidum, & multatum nostræ hæreditariæ maledictionis opprobrio, in nomine eius omne genu flectitur, per ignominiam animas piæ compassionis affectu solicitatas ad venerationem suam pellexit. Per contemptionem suam Iesus omnium gentium accursum, & ambitum requisiuit.

Cum magnificentiam suam Deus in creatione ostendit, non flexit ei genu homo, sed flexit ei, cum se humiliauit.

3. Nabuchodonosor viso prodigio in tribus pueris à Domino patrato, quod illæsi abirent de camino ignis ardentis, factus est Dominicæ magnitudinis, & potentiæ eximius prædicator. Daniel c. 3. extant veræ Deitatis testificata ab ipso testimonia ibi. v. 94. *Et Nabuchodonosor ait: benedictus Deus eorum.* & v. 96. *Neque enim est alius Deus, qui possit ita saluare.* Et quod plus est, per vniuersum orbê omnipotentiam vnius Dei veri promulgauit, vt constat ex illius edicto, ibi. v. 98. *Nabuchodonosor Rex omnibus gentibus, & populis, & linguis, qui habitant in vniuersa terra. Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius, quia magna sunt: & mirabilia eius quia fortia: & regnũ eius regnum sempiternum, & potestas eius in generationê, & generationem.* Merito hac ex causa Nabuchodonosor à Diuo Chrysostomo nuncupatur Ecclesiastes Euangelicus tom. 5. epist. 7. ad Olympiam: *Euangelicum opus aliquãdo perfecisse dicitur. In orbe toto terrarũ extitit prædicator.* Et statim regem cũ excelsa prędicatione annuntiantê verum Deum per omnes mundi plagas cũ Apostolis confert, hancq; quæstionê ore suo aureo proponit: *Parem num Apostolis accipiet ipse mercedem, quoniã locutus est Dei, non impari prædicatione, virtutê: quoniam tanto studio, tam bonum sparsit vbique sermonê?* Nec parilitatem adstruit in Apostolica dignitate, quæ maior est omnibus, sed in prædicatorio munere; de Apostolis Regius psaltes cecinit Ps. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sic Nabuchodonosoris euangelizatio diuini numinis, & immensæ potestatis per quasque mundi plagas personuit; erit ergo annuntiatio regis ab Apostolica prædicatione non dispar: Et sapienter respondet idem Chrysostomus: *Non plane, nec quasi aliqua ex parte: sed supra modum prorsus minorem remunerationem inquam obtinuit.* Et rationem discriminis perpulchrum subnectit: *Sed quoniam non hic vel afflictiones, vel passiones videntur adiunctæ, ideo intercisa sunt iura mercedis. Hic namque cum potestate agebat hoc totum: illi vero prohibitionem, & expulsionem sustinentes, pœnas omnes ferentes ac verbera, in miserijs constituti, præcipitati, submersi, fame necati per singulos moriebantur dies.* Vsus est regia potestate Nabuchodonosor, vt magnalia Domini diuulget; imperiale decretum à rege subscriptum vires obtinuit, vt in omnes mundi tractus diuini prodigij fama reboaret, & ad credulitatê Dei cæli homines eleuaret; in præconio nec aduersa sustinuit, nec tyrannicæ contradictionis aut maledictionis opprobria, quæ regia dominatus iura violarent. At Apostoli in carceribus, vinculis, plagis constituti, facti omniũ peripsema verbum Domini euangelizant, contumeliã pro Iesu nomine gaudenter patiuntur. Ibi sunt

Daniel.

Deitatis, & regia potestatis annuntiator Nabuchodonosor.

D. Chrysost.

Diuinitatis in orbe toto extitit Euangelicus præco.

Num par Apostolorum Annuntiationi, regis Nabuchodonosor Euangelizatio?

D. Chryst.

Inferiorem remunerationem accepit.

Annuntiatio regis habuit potestatem, sed non adiunctam aduersitatem, sicut Apostolorum præconium.

N n mercedis

Palma, & corona illustrior ex opprobrijs, & conuitijs texitur.

mercedis iura potiora, palma honoratior, corona illustrior, vbi intercedit contemptus, & conuitij seges copiosior. Mundi tyrannicæ potestates aduersantes diuino præconio per infamiam, & ignominiam Apostolicis apicibus immortalia gloriæ decora pepererunt.

D. Aug. Psal.

4. Prædicat S. Augustinus quantū promeruerit Syrophænissa per sufferentiam contumeliæ ad ea verba Psal. 58. *Famem patientur vt canes.* Illuc statuit gentes nuncupari canes propter immunditiam, & ad Euangelicam Chananæam sermonem leniter trahens, quæ canis dicta est à Domino, sic scribit: *Quid autem illa mulier esuriens hoc magis non repulit. Suscepit humiliter conuitium, & meruit beneficium. Ita inquit Domine. Quid est ita? Verum dicis, prorsus verum dicis, canis ego sum. Et continuo Dominus. O mulier magna est fides tua iam dudum canis, modo mulier. Vnde iam mulier, qua paulo ante canis confitendo humiliter, non repellendo, quod à Domino dictum erat.* Felix mulier quæ exacerbata non est improperiis ab ipsa veritate prolatis, exaudiit coram Apostolorum senatu, & turba populorum appellitari canem; nec repulit conuiciantem impatientia maledicti; sed quod est supra omnem muliebrem sufferentiam, annuit improperanti, & sermonibus inauditæ humilitatis, ignominiæ suæ prætulit ipsa suffragiū; quod dictū est à Domino ad fidei probamentū, transit in mulieris coronamentū; Iesum, quem habuit dudū improperatorem, iam tenet laudatorem, fidē magnā, excelsam, sublimem cęlorū pertingentē fastigia prædicat, nec turbata est fides improperio, sed animosior reddita, contentiori voce miserabili opē conuitiantis implorat; amore diuino edocta per ignobilitatem, & infamiam perquirere filiæ sospitatem; vt illam lucretur Christo, alienæ linguæ tormenta non sensit: iam Dominus parabat in fragiliori sexu decorare opprobria, honestare maledicta tolerata pro amore virtutis: *Suscepit humiliter conuitiū, & meruit beneficiū.* Salus, vita, honorificētia ex ignominia pullulat. Ex cane iam transit in mulierē. *O mulier.* Quod obiurgatur, & improperatur ad genus spectat, *& mittere canibus.* Quod laudatur cuiusdam est singularitatis. Sic enim Eua nuncupatur cum à Domino formatur: *ædificauit eam in mulierē.* Hoc eodem insigni ornatur mater Domini cùm in cruce cōmendatur Ioanni, Ioan. c. 19. *mulier ecce filius tuus.* Nomen est sexus, & insigne honoris, non argumentum corruptelę; iam enim Chananæa ad cuiusdam innocentiæ æmulationē per fidem aduersis examinatam, transierat.

Chananæa suscepit humiliter canis conuitium, & meruit beneficium.

Contemnitur vt canis, & nuncupatione mulierū exaltari promeruit.

Maximum honoris insigne, quod Chananæa instar Eua, & Maria mulier nuncupetur.

Canis nomēclatio honoris decus præfert.

Iudic.

Lambentes aquam sicut canes, à Gedeone eliguntur ad prælium.

5. Nec tanquā inhonoram canis nomēclaturam repellamus, quæ sępe in sacra pagina solet esse laudis, & cōmendationis: à Gedeone eliguntur ad præliū, qui instar canū aquas torrentis lābunt, Iud. c. 7. iubēte Domino, ibi v. 5. *qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lābere, separabis eos seorsū* Similitudo canū hoc in loco ad ignominiā refertur, sed ad gloriam reputatur, vt annotat Origenes hom. 9. in Iud. *Quod autem similitudinem canis lambentis scriptura posuit, videtur mihi istud animal hoc in loco propterea nominatū, quod super omnia cætera animalia, amorem dicitur proprij Domini seruare, nec tēpore, nec iniurijs obliterari in eo fertur affectus.* Nec fustibus cæsi canes, nec repulsam passi, nec iniuriis violati, referre sciunt crimē ingrati. Immemores iniurię, semper memores Dominicæ beneficētiæ; ideo nomenclationē canis Syrophænissa nō respuit, vt eā iniuria Domini non retardaret ab officio pietatis: semel, & iterum repudiata, immemor contumeliæ, memor clementię, vltro rediret ad Dominicos lares, oblita conuiciū, gratificaret beneficium. Adhuc tamē in Ierobaalis præliatoribus canūque cognomine, agnoscit August. quoddā abiectionis documētū: sic enim scribit q. 37. in Iudic. *Quod ita isti probati sunt, per quos vinceret Gedeon, vt similes in bibendo canibus dicerētur, significat quod & contemptibilia, & ignobilia elegit Dominus. Pro contēptu enim habetur canis.* Et in electorū numero à Iudæis, & Græcis abiectę crucis signū agnoscit: paulo ante hæc verba protulerat S. Aug. *Quorum numerus quia trecenti erant, signū insinuat crucis, propter litterā T, græcā, qua iste numerus significatur: per quos etiā gentes magis in Christū credituras, præfiguratū est.* Decreuit Dominus ad contēptibiles, & abiectos milites deferre victoriæ singularis triumphū, qui probrosa canum nota, & crucis contumelia instructi sunt; sæculi gloriosam celsitudinē repulit, contemptum reddidit illustrem & decorum, ad ipsumque victoriam populi declinauit.

Orig.

Canis inter omnia animantia amorem proprij Domini seruat nec tempore, nec iniurijs illius obliteratur affectus.

D. August.

Contemptibilia, & ignobilia, elegit Iesus, vt vinceret.

D. Aug.

Trecentorum militum numerus denotabat, gentes per ignominiam crucis, in Christum credituras.

6. Domini clementiā exēplo aquilę ostendit Moyses Deut. c. 33. v. 11. *Sicut aquila prouocās ad volandū pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eū, atque portauit in humeris suis.* Inter alios Dominicę pietatis affectus, qui fiunt demonstrabiles in hac cātici Mosaici particula, illū ad præsens institutū vsurpo: *Sicut aquila prouocās ad volandum pullos suos.* Vt enim adulterinos natos à regię volucris generositate deuiantes solerter exploret, materna sedulitate, & pia sæuitia, vngue suspendit ante solis radios aduersos, eosque intueri cogit, vt nictantes, & conniuentes animaduertens, pręcipitet è nido. Hæc ratio sola repulsę non labor nutriēdi; sola fœtus abdicatio, oculi nutantis probatio est. Quod eleganter describit S. Amb. l. 5. exā. c. 18. dicēs: *Vnde puto non auaritia nutriēdi eū inclementē fieri, sed examine iudicādi. Itaque asseritur quod pullos suos radijs solis obijciat, atq; in aëris medio pio paruulos vngue suspendit, ac si quis repercussus solis lumine, intrepidā oculorū aciē inoffenso intuēdi vigore seruauerit, is probatur, quod veritatē naturæ sinceri obtutus constantia demonstrauerit; sin vero lumina sua præstrictus radio solis inflexerit, quasi degener, & tāto indignus parēte reijcitur: nec æstimatur educatione dignus, qui fuit indignus susceptione.* Commendatur in aquila tā seueri iudicij solertia, vt, regiam illam aquilam præfiguret, nimirū Dominum Iesum, qui naturam, quā volucribus indidit, in se ipso expressit. Neque enim admittit animas ad contuberniū fidelitatis sine iudicij examine; vt Chananææ fidem probet, cerne quam duram misericors Iesus ostenderit inclementiam; cum enim animaduertit velut aquilæ pullū alienigenam fœminā volatus tentare primordia, de nido suo eliminare contēdit, & verborū asperitate propulsare, indignāq; diiudicat vt ei deferat munus alimoniæ; cui placide adaptabis verba Ambrosia: *Quasi deneger & tanto indigna parente reijcitur, nec æstimatur educatione digna, quæ fuit indigna susceptione.* ideo illa verba protulit examinator morum, & animorū: *Non est bonum sumere panem filiorū, & mittere canibus* abdicatur cælesti alimonia, & filiorum consortio, sermonis iaculo sauciatur, verbo contumeliæ robustiorem exasperante velut pennis verberatur, vt postulata quæ audet proferre, trepidet. Hæc tamen omnia fidei examinatoria sunt, fidei

Deut.

Repulsa aquila mirabilis in natos, conspectū solis conniuentes.

D. Ambr.

Aquila inclementia in pullos, non ex auaritia nutriendi, sed examine iudicandi.

Natus qui inoffenso intuitu solem cernit probatur.

Qui perstrictus solis radiis, lumen inflexerit, tanquam degener reijcitur. Iesus aquila magna, durā erga Chananæam ostendit inclemētiam, vt intuitum fidei probet.

fidei inquam inconcussæ, & imperterritæ; licet enim solaribus radiis lucis æternæ icta, & conuiciorum fulminibus exagitata, repercussa diuino solis lumine: *Intrepidam oculorum aciem inoffenso intuendi vigore seruauit.* De abiectione sua sublimem assumpsit volatum, vt Iesum Deum agnosceret, Dominũ nuncuparet; non iam canis, sed mulier, & aquila generosa nubes transcendens euecta ad agnitionem Deitatis: nec micas colligens, sed panem vitæ apprehendens, quæ non solum temporaneam filiæ, sed vniuersis vitam donabat æternam. Pulchre S. Ambrosius seueritatem aquilæ excusans prædixerat: *Vnde puto non austritia nutriendi eum inclementẽ fieri, sed examine iudicandi.* Nec derelinquamus aquilæ fœtum de nido eiectum, & præcipitatũ, cui non deest paterna creatoris prouida cura; quam mater abiicit, alia auis suscipit, & protegit, cui nomen Fulica, quæ græce dicitur phene, de qua ibidem subiungit Ambrosius: *Susceptum illum, siue abdicatum, siue non agnitum aquilæ pullum cũ sua prole connectit, atque intermiscens suis, eodem, quo proprios fœtus materna sedulitatis officio, & pari nutrimentorũ subministratione pascit, & nutrit.* Quæ verba si Chananeæ adaptes perpulchra sunt. Sicut enim pullus per abdicationem parentis, clementiæ maiora incrementa suscepit, sic pia fœmina reiecta, abdicata, & nõ agnita prius à Christo tanquam filia, admissa est in domicilium sanctorũ, regalis mensæ epulo diuinæ sapientiæ educata est, & nutrita.

D. Ambr.

Pullũ aquila abdicatum, Fulica auis pie suscipit, & educat.

7. Deprædicans Paulus fidem Moysi, & contemptum mundialium, illam celebrem sententiã protulit ad Hebr. c. 11. v. 26. *Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperiũ Christi.* Quale autem sit *opprobriũ Christi*, quod Moyses prætulit aulæ deliciis, & Ægyptiorum gazis, merito dubitabis? Photius in catena Oecumenij ex Chrysostomo censet, dici opprobriũ Christi, *quod Christi gratia passus fuerit.* At Cornelius noster ex Ribera ait: conuicia, iniurias sustinuisse Christi æmulatione, vt quadam similitudine in se ipso exprimeret opprobria Christi. *Vt Christo patiẽti similis fieret.* Ait Cornelius, & eleganter Ribera: *Propter Christum opprobria sustinere, vt ei similis euaderet.* Et argute amplificat Mosaicam fidem, & studium sustinendi mala pro Christo; S. Chrysostomus homilia 26. in epist. ad Hebræos: *Et vide quàm mirabiliter illud posuit Paulus: non dixit maiores diuitias æstimauit thesauris Ægypti cælum, & ea, quæ in cælis sunt. Sed quid dixit? improperium Christi. Pro Christo enim improprium sustinere, melius iudicauit, quàm in delicijs esse.* Hanc cælestem sapientiam Moyses sæculis inauditam, remotam à Philosophorum mente, quod opprobrio Christi omnem felicitatem daret, in eo omnem beatitudinem constitueret, non ex aula Pharaonis hausit; non caro, & sanguis suggessit, sed illam pater cælestis indicauit: adolescens euectus in summum rerum fastigium, destinatus successor auiti solij, omnium rerum affluens deliciis; luxum, oppulentiam, Ægyptias gazas, imperium tanquam stercora respuit, & improperium Christi auide amplexatus est; nil beatius existimans quàm mala pati pro Christo, abiecta tẽporalis regni personata specie, similitudinem, & imaginem Christi patientis in se ipso per cõtumelias formabat, hoc regium, & indelebile simulacrum tanquam gloriosum decus circũferens: *propter Christum opprobria sustinere, vt ei similis euaderet.* Hanc imaginem terrestria, & cælestia omnia venerabantur in Moyse, ad cuius conspectum præter statas leges naturæ, mira, & portentosa opera prætendebant. Decreuit Dominus Moysen per voluntariam deiectionem exaltare, per opprobria glorificare, vt filij Dei perfectam similitudinem referret. Hinc vultus gloriæ decore ornatus apparebat, supra homines æstimatus, ita vt in vultum eius Iudæi non possent intendere, refulgebat in eo passionis decus, contemptus splendor mirificus. Qui autem sint æmulatores patientiæ Christi, & Mosaicæ sustinẽtiæ consortes? exprimit Chrysostomus. *Quid autem est (inquit) improperiũ Christi? quia respuimus paternos errores, improperium sustinemus, quia patimur mala concurrentes ad Deum.* Iure adscribetur Chananæa inter sustinentes opprobrium Christi; cum enim abdicaret paternos errores, & Tyriorum simulacra sperneret, patriã relinqueret, conuicia patiebatur à deifico ore prolata; malaque sustinet, vt cõcurrat ad Deũ, ipsumque apprehẽdat, iure ergo habuit Iesum laudatorem, quẽ habuit vituperatorẽ, quam refugiebat Dominus vt immundam, ne profana catella in adyta diuinitatis irrueret, patulas ei reddidit arcanorũ cælestium fores conuiciũ, vt in conclaue sponsi æterni, tanquã filia, & fidelis sponsa intraret ad consortium sacramentorum: experta est enim pia fœmina per opprobrium Christi quantam sibi beatitatem cumulauerit: auersabatur Deus famulam à Iudæorum genere, & conuersatione sequestratam, vt autem maledictum sustinentem, & opprobrij Christi forma indutam, & ornatam conspicatus est, mirabatur fidem, coronabat sufferentiam, & tanquã sibi similem conspiciebat, & admittebat in gremium tranquillitatis, & clementiæ, votisque suis abundantiora insignia donabat.

Paul.

Christi opprobrium à Moyse amatum Christi gratia mala pati.

Photi.
Oecume.
D. Chrysost.
Cornel.
Ribera.

D. Chrysost.

Moyses pro Christo improperium sustinere, melius iudicauit, quam in regalibus deliciis esse.

Propter Christum opprobria sustinere, similitudinem, & imaginem Christi in patiente formas.

Improperiũ pro Christo splẽdor, in facie Moysis refulgebat.

D. Chryst.

Cum quis respuens paternos mores conuitium sustinet, improperium Christi portat.

Chananea per opprobria, diuinorum munerum accessio facta.

8. Locus salebrosus, & verborum serie valde implicatus occurrit, Zachariæ c. 9. v. 2. *Emath quoque in terminis eius, & Tyrus, & Sidon, assumpserunt quippe sibi sapiẽtiã valde.* Has vrbes iuxta corticẽ litteræ, & subsequentes, quas nominat; à Tito, & Vespasiano expugnandas, & possidẽdas iri, vaticinatur; distractis diuitiis, detractis in mare munitionibus, nihil eis aduersus iram Domini sapientiam profuturam. At S. Hier. iuxta sensum spiritalem, vocationem gentiũ designatã præsentit, & ad ea verba: *In terminis eius, & Tyrus & Sidon,* hæc subiungit: *de Tyri, & Sidonis finibus illa mulier Chananæa Syrophenissa, cuius filia male se habebat à dæmonio, occurrit Domino Saluatori: & Tyriorum ac Sidoniorũ fidei primitias dedicauit.* Magna laus fœminæ, quæ præcursoris fidei munere fungebatur nationis, & patriæ; in eamque supernum lumen inuexit, dissipata caligine errorum, & sculptiliũ venerationẽ abolendam anticipata credulitate nuntiauit. Felix quæ tenuit primatũ credendi, & primitiuos fructus animarũ credentiũ Domino consecrauit. Hoc tamẽ decus magno decoris impẽdio ei stetit: inter spinas laborũ, & tribulos aduersitatis hos primitiuos fructus carpens, coronã pãgit, vt Domini verticẽ coronaret. Nec silẽtio inuoluit hæc aduersa Vates, cùm prædictionẽ orditur ab illo verbo *Emath*, quod idem est, ac *indignatio*, iuxta S. Hier. & dictio græca χόλος *quid infensum alteri denotat, irã & indignationẽ fellea amaritudine verborum exasperantẽ*, præsefert. *Tyrus* autẽ, quæ

Zachar.

D. Hieron.

Chananæa conuersio à Vate Zacharia prædicta.

Fidei primitias Tyriorũ, & Sidoniorũ Domino dedicauit.

Emath indignatio dicitur.

D. Hieron.

quæ græce dicitur συνοχὴ apud Doctorem Maximum denotat: *Angustiam, anxietatem, coarctationem cordis, solicitudinem, turbationem.* Vt mulierem Tyriam, & Sidoniam de magnitudine fidei famosam præferant hæc omnia; de filiæ sospitate solicitam, de dæmonis vexatione angustiatam, cordis anxietate quærentem Dominum Iesum; fletu, & eiulatu clementiam Domini deprecantem; turbata est secundũ hominẽ, cum experta est iram, & indignationem mitissimi Domini, felleo conuiciorum acore ipsam exasperantem; sed consternata non est improperiorũ aculeis, quin potius animosior ad exorandũ insurgebat, nec sopita est fides tot nimbis asperæ obiurgationis, tot flatibus contumeliosi sermonis; ex repulsa animæquior, & fidelior apparebat, auidius ad Dominum corde, & corpore properabat. Nec maledictum pro maledicto rependebat, sed tolerantiam, commendationem exprobrantis, & humillimum obsequiũ ostendebat. Congruunt satis Chananææ mititudini, quæ de mansuetudine custodienda in contumeliis, profert S. Chrysostomus tom. 5. homilia 52. ibi fatur: *Lingua est lingua nostra, Christi linguam imitans, si loquamur ea, quæ vult ipse. Qui enim educit dignum ab indigno, sicut os meum erit.* (Ierem. c. 15. iuxta LXX.) *cùm itaque lingua tua tanquam Christi lingua sit, & os tuũ quasi patris os fiat, & sancti sis spiritus templum: quis iam huic fuerit æqualis honor? nec enim si tuum ex auro foret os compositum, aut ex pretiosis lapidibus, ita fulgere deberet vt nunc mundo mansuetudinis illustratum. Quid ore, quod contumeliam proferre nesciat, sed semper benedicere meditetur, desiderabilius?* Hunc mansuetudinis mundum, mundo ipso pretiosiorem, hoc aureum, & gemmeum monile, pectori, & ori suo Chananæa aptauit. Facta est os Christi, & os patris cum contumeliis, & probris lacessita, lacessentẽ collaudauit, & opprobriis assensit. Paulo ante in homiliæ exordio hæc perpulchra sententia ex aureo ore exciderat: de Christianæ mansuetudinis æmulatoribus: *Manus est lingua nostra Dei pedes apprehendens.* Ore mansueto, & euchari lingua tanquam manu validiori Chananæa Iesum apprehendebat; vt in catalogo sanctarum mulierum virum Saluatorem apprehendentium censeatur. Adimpleto in ipsa Isaiæ vaticinio: *Apprehendent septem mulieres virum vnum.*

D. Hieron.

Tyrus: angustiam & anxietatem innuit.

Per anxietatem, amaritudinem, & verborum contumelias Chananæa ad Christum venit.

D. Chrysost.

Os, quod nescit referre contumeliã conuicianti, quasi os, Christi est.

Lect. LXX.

Manus est, Christum apprehendens, os mansuetum.

Et apprehendent septem mulieres virum vnum.

Tertia mulier Samaritana apprehendens Iesum.

DISCVRSVS III.

Adeo eximius amor Dei erga rationales animas, vt propter earũ conuersionem, & lucrum, quandoque in gloria sua nubilum permittat, notam dedecoris apud homines incurrat.

1. NOn est sermo in proposito themate de interna illa gloria, quam ab æterno possidet diuina maiestas, & claritate, quam habuit Iesus antequam mundus fieret, quam obscurare nequit verborum maledicentium obscuritas, quis enim indeficientis solis, & luminis splendorem caligine obscuritatis poterit inuoluere; sed de exteriori magnificatione, & laude, quæ in æstimatione, & ore hominis posita est, cuius patitur sæpe iacturam Dominus, vt prospiciat hominis incolumitati; vt magnificet eum, & glorioso decore, & sublimitate exornet, minor & abiectus apud homines vult videri. Illustrat hoc lemma Ezechiel Vates in delineatione arcana templi, & artificioso schemate Orientalis portæ, & erũpentis exinde aquarum gurgitis. Sic enim scribit c. 47. v. 1. *Et conuertit me ad portam domus, & ecce aqua egrediebantur subter limen domus ad orientem: facies enim domus respiciebat ad orientem: aqua autẽ descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.* Bonum auspicium ab oriente suscipitur; ideo examinandum, quæ sint vndarum scaturigines, quæ ab orientis porta ad latus templi dextrum prolabuntur. Huius sacri flueti mysterium statim occurrit S. Hieronymo, qui eius profunda solerter rimatur, sectatus versionem LXX. qui aquã remissionis nuncupant; redditque his verbis perspicua, & aperta: *De his aquis ad Samaritanã Dominus loquebatur: si scires quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere: tu forsan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuentem; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Indigitat hic locus vitæ fontem, & gratiarum tramites, quos Iesus Samaritanæ pollicetur; locus tamen ex quo ebulliunt sacræ scatebræ, singulari pensitatione indiget: *aqua egrediebãtur subter limen domus.* Nonne aptior locus, & sacratior scaturigini fluentorum, foret altare, aut adytũ, ex quo deriuarentur ad templi, & domus atria: aut ex monte sublimi, in quo structa est domus Dei, facilius emergerẽt remissionis vndæ: elegit inferiorum liminis locum ad torrentis emanationem. Flumen pacis, fons vitæ, gratiarum tramites in cælesti altitudine cõstituti in Angelos refundebantur; bibebant supernæ potestates; inclinatus est Deus, abiectus est fons per assumptam humanitatem, vt ad homines in terra positos aquæ fluminis redundarent: ideo subter limen domus aqua refunditur, nisi enim Dominus se humiliaret, de indulgentię gurgite homo non biberet, si puteum aquę viuæ ad terras non inclinaret, homo in terra sitiens periret: quid enim abiectius limine portæ, quod omnium introeuntium pedibus calcatur; beata Domini abiectio vsque ad mortẽ, ex qua vita promanat æterna: felix confusio, & pretiosa contemptio Saluatoris, ex qua subsecuta est hominis glorificatio. Perpendimus aquarum fontem: videamus ad quem locum flumina deriuentur: illum ostendit mirifice Hugo Cardinalis dicens: *Iste riuus fluebat ad coquinas.* Ei, qui regiã construit, cura maior incumbit, vt aquarũ riuos ad fontem qui in meditullio horti constitutus est, aut ad peristylia ducat; vt exiliens aqua per fistulas, defluat murmure iucundissimo in rotundum craterem, aut cõcham ex pario marmore, & alabastro politissima arte constructam; illa tamen difficilior, & laudabilior aquarum directio, & deriuatio ad coquinas, vt fuliginosæ ollæ, & denigrati cacabi abstergantur, lancis, & patellæ sordes abluantur. Nec dedignatur humanissimum elementum his abiectis inseruire

Ezech.

Aquarum gurgites de limine portæ orientalis templi erumpentes.

Lect. LXX.
D. Hieron.

Aqua remissionis, de qua Dominus ad Samaritanã loquebatur.

Aqua subter limen domus erumpunt, vt demonstrent Domini humilitatem.

Limen ab introeuntibus calcatur.

Hug. Card.

Aquarum tramites templi Dominici, fluebant ad coquinas.

Laboriosior aquarum deriuatio ad culinas, vt fuliginosas ollas, & nigricantes lances abstergant.

Digitized by Google

uire muneribus, suum pellucidum obscurare nitorem, inquinare mundiciem, ad purgationem,& puritatem alienam. Quod aquarum cælestium decursus irrigent ligna paradisi sublimia, & cedros sanctitate perpetuo virentes,& frondescere faciant in gratiam, Ecclesiæ principes,& reginas, mirum non est;illud tamen humilitatem Iesu,eiusque pietatem valde commendat,quod cælestis,palatij flumen deriuetur ad culinas, vt cacabos,& ollas peccatorum, & peccatricum, luxuriæ fumo, & criminum fuligine nigricantium, abluat, albescere faciat, & splendescere supra niuium candorem; nec mirum cùm hic sit ille *Fons patens in ablutionem peccatoris,& menstruata.* à Zacharia c.3 promissus. Nec alienum iudicauit Iesu amor, quod in passionis torculari vestimenta suæ carnis inquinaret, & indumenta sordida indueret, vt omnium flagitia elueret peccatorum denigratur diuina maiestas,vt fuligine flagitij atratus homo albescat candore puritatis & gratiæ. Ideo aqua remissionis subter limen emergit, quia ex Domini abiectione, & conculcatione, hominis salus,& exaltatio subsequuta est.

Commendatur Iesu pietas, quod ad peccatores fuligine criminum nigrantes, gratiarum riuos effundat.

2. His omnibus congruunt,quæ sequuntur: disquirunt Ecclesiæ proceres cur Iesus inter duos nequam in patibulo suspensus est? Occurrit Hugo Cardinalis: *vt communicaret Christus opinioni eorum, crucifigunt eum quasi latronem.* Vt ex furum,& iniquorum consortio & satellitio, latrocinantium vexillifer à Iudæis censeretur; vt ei irrogarent communionem flagitij, ex parilitate supplicij;sed tanta subit Iesus honoris dispendia,vt latronem lucri faceret. Argute Eusebius Emisenus homilia de beato latrone inquit: *Vt redimeret iniquos,inter iniquos reputatus, inter duos, quos dextra,læuaque legimus pependisse: iustum confusioni,& opprobrio crucis tradidit, vt latronem glorificaret.* Apparuit inhonorus inter filios hominum seruator, vt furem honorificaret,obscurata est clarificatio Deitatis,vt latronem illustrem redderet,& gloriosum. Dum sanis oblatrantium linguarum impetitur, & opprobrio crucis multatur, encomiastes magnificus factus est latrocinantis, sola intacta suppliciis lingua redimentis: obscuratur morte turpissima,& vulneribus liuescit Dei vultus, cęlorum facies obtenebrescit, vt latronis fidelis vertex paradisi gloria coronetur.

Cur Iesus inter duos nequam in patibulo suspensus fuit

Hug. Card.

Vt latro inter latrones, censeatur.

Euse. Emis.

Iesus, vt redimeret iniquos, inter iniquos reputatus.

Iustum Deus confusioni, & opprobrio crucis tradidit, vt latronem glorificaret.

3. Dauid à Saulis insidiis profugus peruenit ad Achis Regem Geth. Præclaris facinoribus exulantis recensitis, eiusque fama vulgata regalium satellitum industria;quod percusserat Philisthæum timuit Dauid à facie regis: *Et immutauit os suum corã eis,& collabebatur inter manus eorum,& impingebat in ostia portæ,defluebantque saliuæ eius in barbam.* lib.1 reg.c.21.v.13. Cur cardiaci, & insanientis personam induxerit prudentissimus adolescens coram sapientibus satrapis regis Geth? indagandum;nec enim hanc laruam emotæ mentis hominis,& furiosi in scenam regiam introduxisse sine arcano consilio, cælesti sapientia præditum virum, credendum est. Existimant Iosephus, & Aurelius Augustinus ad eximiam pietatem Dauidis hoc facinus spectasse, patrocinium enim suscepit spiritalis incolumitatis regis Geth; finxit insaniam, vt eum cordatum redderet, & à regis corde crimen inuidiæ auerteret. Iosephi verba lib.6. antiquit cap.13. *Metuens Dauid ne periculum, quod declinauerat à Saul, ab illo susciperet, simulauit se esse furiosum,& rabidum,ita ut spumam ex ore projiciens,& alia quæ furiosi sunt, faciens, fidem regi veræ passionis ostenderet.* Et S. Augustinus in inscriptione Psalmi 33. ait: *Suggestum est autem regi ipsi, quod illum apud se haberet,qui magnam gloriam habere cœperat in populo Iudæorum, si autem propter hanc gloriam inuidere illi cœperat Saul; nonne metuendum erat Dauid, ne & ille rex, ad quem confugerat, vellet opprimere eum, quem posset de vicino hostem habere, si saluum seruaret?* Dauid prudenter formidauit,ne per gloriæ suæ celebritatem pararetur sibi exitium,& in fuga, & recessu à Saulis insidiis, & imminentis mortis periculo, interitũ in domo regis Geth nancisceretur;sed salutis alienæ non minus quàm propriæ sospitatis solicitus,per commentitiam insaniam,inuidiam regis auertit, flagitium inferendi insonti mortem, declinauit:contemptũ magnificentiæ suæ, & vilipendium suæ maiestatis, liuoris vulneri alieno tanquam præsentissimum pharmacum applicuit. Plus in hoc facinore Dauidis sapientiam, pietatemque demiror:minus est Goliathum sternere,quàm velut amotæ mentis hominem ad pedes aulicorum sese rotando scurriliter abiicere;ibi deiecit exultationem alienam,hic gloriam celauit, & celebritatem obscurauit suam:eximius Dei, & hominum amator, qui opprobrij sui pretio spiritalem regis salutem redemit.

Dauid.

Cur cardiaci, & insanientis personam sumpsit Dauid coram rege Achis?

Ioseph.

Insaniæ laruam prætulit Dauid, vt à rege propulsaret passionem inuidiæ.

D. Aug.

Dauid vilipendium sustinuit regiæ maiestatis vt auerteret à rege opus iniquitatis.

4. Valde abstrusam,& reconditam sententiam apud Habacuc comperies c.2.v.15. *Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians,vt aspiciat nuditatem eius. Repletus es ignominia pro gloria.* In abditos recessus intelligentiæ penetrabis,si de Nabuchodonosoris impietate,& immanitate erga captiuos, verba vsurpes; diris enim iniuriis bello captos exagitabat, & ignominiam regibus ipsis inferebat; adeo enim atrox, & immitis erat, vt cum eorum sortem miserans dolere deberet, voluptatem ex gemitu,& lamentis captabat; potabat quoque vino abunde captiuos, vt à vinolentis, & ebriis non differrent, & coram ipso scurriliter nudarentur, immoderatos eorum gestus irrideret. Audiendus est S.Cyrillus Alexandrinus: *Nabuchodonosorem, Iudæa, & cæteris omnibus regionibus sub iugum redactis, & in regnum suum gentium principibus adductis,aliquando potiones confecisse. Deinde captiuos introduxisse, & curiose illo potu inebriatos ad saltationem impulisse. Qui cum corporum illa agitatione lassati caderent, partesque secretiores nudatas ostenderent, arrisisse, & inde sibi ludum, iocumque fecisse.* Hæc de impudico,impudentique Imperatore,& immani illa bellua recenset Alexandrinus Antistes. Postea vero ad spiritalem intelligentiam vaticinium traducens, illud accommodat scribis, & pharisæis in Christum debacchantibus, felleo potu eum inebriare conantibus,in patibuloque indecore nudantibus, in illo orbis theatro Ierosolyma, & caluariæ monte. Quam allegoriam eleganter prosequitur, & amplificat Rupertus Abbas Tuitiensis in commentario,dicens: *Væ qui potum dat amico suo. Ipse est amicus qui dicit in psalmo: & dederunt in escam meam fel,& in siti mea potauerunt me aceto;in tantum amicus, vt frater sit effectus, & nostra natura consanguineus. Huic amico suo potum dedit immittens fel suum, & inebriauit eum amaritudine,* vt

Habac.

Nabuchodonosoris in bello captos, barbara crudelitas.

D Cyr. Al.

Reges subiugatos inebriabat, & ad saltationem indecorem prouocabat, ad irrisionem,& iocum.

Iudæi felleo potu Iesum inebriare conati,in patibulo indecore nudarunt.

Rupert.

vt aspiceret nuditatem eius, id est vt comprobaret quod esset à Deo derelictus. Secundam autem sententiam, in qua thematis propositi scopus dilucidius collimatur, pie admodum expendit: *Repletus est ignominia pro gloria. Passus est ignominiam, sustinuit mortem, mortem autem crucis, quam pro summa ignominia miscuit impius illi. Tanta ignominia repletus passus est pro gloria, sciens inde sibi prouenturum vt iam ex eo sederet à dextris virtutis in gloria Dei patris.* Confirmatque Pauli testimonio ad Philip. capite 2. *Propterea exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Quo in loco manifeste indicatur multiplicem gloriam acquisiisse per opprobria Dominum Iesum; tantum enim abiectioni voluntariæ detulit, vt claritatem, quam habuit antequam mundus fieret, & gloriam, quam possidebat per naturam, sibi compararet per ignominiam. Rursus ignominia adeo pretiosa in Domino extitit & fœcunda, vt nominis Iesu exaltationem, & magnifica redemptoris animarum insignia sibi protulerit. Hæc quoque est gloria Christi animarum conuersio, quibus tanquam regni sui infulis, & pretiosis coronæ margaritis ornatur. Pro hac gloria hominis redimendi exaturauit patientiam suam variis conuiciorum, & exquisitis ignominiæ ferculis: *Repletus est ignominia. Pro gloria.*

Iesus repletus est ignominia, vt obtineret sui nominis gloriam.

Gloria Christi animorū conuersio, pro hac gloria repletus est ignominia.

5. Celebrat cælestis Lyricen Iesu minima & modica, Ps. 41. v. 7. *Propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonijm, à monte modico.* Vbi disquirit sanctus Ambrosius, quis sit mons modicus? & eleganter montem magnum, & montem minimum discernit in Christo: *Diuinitas* (inquit) *Christi mons magnus est, vtique incarnatio eius mons exiguus est. Vtrumque ergo Christus, & mons magnus, & minor: magnus vere, quia magnus Dominus, & magna virtus eius. Minor quia scriptum est: minorasti eum paulominus ab Angelis.* Sic enim diuersificata magnitudine, granditate, modicitate, & exiguitate Iesu, subiungit quare sit minoratus, & factus de magno paruus, de maximo minimus? *Omnia propter te Christus. Lapis propter te, vt tu ædificeris: mons propter te, vt tu ascendas. Ascende ergo super montem, qui cælestia petis. Ideo inclinauit cælum, vt tu esses vicinior.* Minoratus est, & factus nouissimus virorum propter hominum salutem, se ipsum abiecit, & inclinauit, vt hominem ascendentem super montem modicum ad cælum eleuaret, remouebat peccatorem à consortio cælesti, æterni atrij altitudo, & sublimitas; ideo cælum ad terram inclinauit, vt hæreditati sempiternæ homo esset vicinior. Paruitatem adamauit, exiguitatem dilexit, vt per minimum Deum in regno cælorum homo paruus vocaretur magnus. Nec premenda silentio dictio illa: *& Hermonijm.* Quam in memori mente habiturum regius psaltes fatetur, nam Venerabili Beda attestante: *Hermon interpretatur anathematizatio. Quibus quia coluerunt non creatorem, sed creaturam, & etiam opus creaturæ, vt idola manu facta; opus erat non solum humiliatione, sed etiam vt maximè anathematizaret se in priori statu, & diabolo abrenuntiarent.* De magno fieri minimum patitur Deus, & declinare ad paruitatem anhelauit, dummodo homo anathema diceret sculptilibus vanis, & vitiosæ vitæ seriò abrenuntiaret. exambit homo de paruitate sua ad fastigium honoris scandere; de minimo suo magnitudinem gloriæ arripere, & cum decore magnifico exiguitatem commutare suam. Deus tamen immensus decrementum requisiuit paruitatis ad sospitatem creaturæ, & incrementum honoris humani. Omnia sustinet dispendia abiectionis, vt homo ostentet veræ insignia conuersionis.

Psal.

Quis mons modicus prædicetur?

D. Ambr.

Mons magnus diuinitas Christi mons modicus humanitas.

D. Ambr.

Propter hominis salutem minoratus Iesus; factus est mons, vt homo in cælum ascendat.

Hermoniim anathematizatio dicitur.

Beda.

Qui ad Deū conuertitur, anathema dicat, necesse est priori statui, diabolo, & idolis abrenuntiet.

Deus paruitatem requisiuit ad hominis sospitatem.

6. Cum Matthæum publicanum auulsisset Iesus de telonio, & de profundo auaritiæ gurgite. Apostolorum collegam, & sectatorem cælestis vitæ formasset, in domo sua opiparum conuiuium instruit, vt dum epulatur rex cæli terrenis dapibus, distribuat discumbentibus pretiosum, & incorruptum vitæ alimentum. Rem totam refert ipse Matthæus c. 9. v. 10. *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. Et videntes Pharisæi dicebant Discipulis eius: quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Pharisæorum opprobrium amplificatum dedit idem Euangelista c. 11. v. 19. *Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Cernis quot, & quanta conuicia sustineat Iesus, quanta honoris dispendia subeant Apostolici sectatores, Iesu sodales, & socij pro animarum lucro! auebant in Christo cum hominibus conuersante, eiusque discipulis pharisæi austeriorem, & asperiorem indutum, squalorem solitariæ disciplinæ, inediam longaque ieiunia; ideo improperant Christo lautitiam, communium ciborum esum, vini potum, quod se reddat peccatoribus contubernalem, publicanis commensalem, cum iis ineat eiusdem cibi, & potus commercium: at Iesus cum suis collegis pharisæorum contemnit conuicia, despicit maledicta, dum homines restituat Deo, & plures animas peccatorum lucretur. Pulchre S. Chrysostomus homil. 31. in Matthæum scribit: *Eodem tecto eademque mensa cum peccatoribus vtitur. Hac certe bonum medicum decent, qui nisi laborantium putredinem ferat, non potest eos doloribus liberare: sed Dominus malam multorum de se existimationem ad quam deuenerunt, quoniam cum publicanis in domo publicani comederet, non timuit. Illi autem exprobrabant dicentes: ecce homo edax, & vini potator, publicanorum amicus, & peccatorum. Audiant hæc qui magnam sibi per ieiunium gloriam adipisci student, discantque Dominum edacem, vinique potatorem appellatum, non erubuisse. Omnia hæc despiciebat vt ad finem optatum perueniret, sicut & factum est. Nam & conuertit omnino, & multo meliorem publicanum effecit.* Hominum dicteria, & cauillationes iniquas sustinuit seruator, imo contempsit dum ad optatum exitū salutis humanæ, & conuersionis peccatorum perueniret; non erubuit apud hominum existimationem sui honoris obscurari decus his sycophantiis propter hominum sospitatem; pro gloria habuit imposturas maledicentium linguarum, vt augeretur numerus credentium animarum.

D. Mat.

Iesus ex conuersione Matthæi, conuicium Pharisæorum patitur.

Despicit hominum probra, vt hominē restituat Deo.

D. Chrysost.

Iesus malam multorum de se existimationem non timuit, vt peccatores lucraretur.

7. Isaias vt stragem, & conuersionem Idumæorum ostendat, speculatorē, & excubitorē interrogat murorū, si quid noui aut insoliti de alto

Isa.

alto speculæ fastigio prospectet; vt illud sibi annuntiet, ipseque perscrutantis, & respondentis vigilis personam agens, scribit cap. 21. v. 11. *Onus Duma. custos quid de nocte? custos quid de nocte? Dixit custos venit mane & nox: si quæritis quærite: conuertimini, venite.* Acerbitate, & dulcedine nuntium temperatum auscultasse à vigili, illudque promulgasse recenset, nimirum obcæcationem Iudæorum, illuminationem gentium; nec alium esse custodem nisi Dominum Iesum obtenebrantem Iudæos, illuminantem nationes gentium. Vnde ex sententia Sancti Hieronymi diuinus vates Saluatorem percontatur his verbis: *qua causa voluisti humanum corpus assumere? respondit custos, hoc est Samaritanus, venit mane, & nox: gentium multitudini ortus est sol iustitiæ, & Iudæis venerunt tenebræ.* Hæc ex Doctore Maximo mutuata lib. 6. comment. in Isaiam; & in lib. 5. ait: *Venite & suscipiam pœnitentes*, inter supernum nuntium tanti mysterij, abdicationem vnius, & electionem alterius populi, in eo præfulget mirifica prophetæ sapientia, quod Saluatorem semel, & iterum nuncupet custodem, hoc est: *Samaritanum. Respondit custos hoc est Samaritanus*, inquiebat Hieronymus: vt abiectam, & inhonoram nomenclationem adstrueret Vates, qua Iudæi sæpissimè per contemptum appellitabant Iesum. Hanc tamen contumeliam deuorat, hanc Samaritani abiectam nuncupationem dissimulat animarum vigilantissimus custos, & redemptor, vt ad pœnitentiam aduocet, & ad fidei lumen: *Venite, & suscipiam pœnitentes.* Hoc votum domini, & ardens desiderium ad gremium tranquillitatis, & clementiæ suæ allicere errantes, vt peccatorum suscepto patrocinio, offerat patri donum opulentum; gloriatur de opprobrio suo, quod fœnus animarum, & nocentium lucrum parturit. Vnde vero ortum habuit hæc despecta Samaritani nuncupatio? Solerter exponit Rupertus Oseæ cap. 10. ad ea verba: *transire fecit Samaria regem suum.* Scribens in hunc modum: *Dominum nostrum non dubitauerunt Samaritanum dicere, hoc idcirco dicere ausi sunt, quod in ciuitate Samaritanorum duos dies manserat, postquam locutus est cum muliere Samaritana.* Quod autem hoc dicterio Samaritani ipsum Iudæi insimularent, constat ex Ioannis cap. 8. *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Verbum hoc, quo Christi dignitatem violabant, & honorem eius traducebant, erat valde contumeliosum; quemadmodum si Christianum virum, & palatinum, hæreticum, Iudæum, abiectæ stirpis, infimæ notæ, homuncio nuncuparet, his vel aliis grandioribus verbis contumeliæ famam eius proscinderet; quæ omnia Iesus nunquam satur opprobriis, pro animarum compendio sustinebat: vt Samaritanam reducat ad salutis semitam, Samaritanus vult vocari. Hanc cælestem philosophiam Christi, mulier quoque Samaritana æmulata est. Patitur criminum suorum volantariam traductionem, vt amasios suos, & Samaritas omnes ad Christum reducat. Id annotat Sanctus Chrysostomus tomo 6. homilia de Samaritana: *Venite videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci, numquid ipse est Christus? Cuncta mea peccata diuulgo, vt vos manuducam: vt vos Deum, qui ad homines venit, cernatis: mala mea publico, vt Christus adoretur, qui peccatores non auersatur.* Promulgat propria crimina vocans se peccatricem, vt ad sanam mentem reducat criminosos, euangelij annuntiatrix, christianæ fidei vexillifera cælestis, Samaritanorum turbas ductabat ad Christum, vt verum Messiam tot votis optatum, & virum illum IESVM tenerent, & hospitio susciperent, quem prior ipsa per fidem apprehenderat.

D. Hieron.

Dominus ex improperio Samaritanus vocatur, cũ gentes illuminat.

D. Chrysost.

Idcirco Dominum Iesũ Samaritanũ appellitarunt Iudæi, quia Samaritanã, & conciues suos conuertit.

Samaritana peccata sua diuulgat, vt Samaritas ad Christum traducat.

Rupert.

Mala sua traducit, vt Deum verũ adorent.




Apprehendent septem mulieres virum vnum.

Quarta mulier hæmorroyssa, vel quæ sanguinis fluxum patiebatur, apprehendit Iesum.

DISCVRSVS IV.

Perpulchrum facinus est, per sacras insidias Christum adoriri, pio fidei latrocinio deprædari regnum cælorum, & thesauros Iesu diripere.

1. ÆMORRHOISSA fœmina famosa deprædatrix cælestis imperij, quæ nouam viam adinuenit optatæ salutis per rapinam pietatis, de qua Sanctus Chrysologus serm. 36. scribit: *Inter Dominum, & mulierem furtiuæ salutis agitur tam grande commercium. Beata quæ talem reperit accessum, cui nullus possit obsistere.* Erat enim de numero adolescentularum, quæ piis votis cupiebant prehensare cælestem sponsum ad propriam incolumitatem. De quibus Salomon Cantic. cap. 1. v. 3. & 4. *Ideo adolescentulæ dilexerunt te: trahe me, post te curremus.* Vbi legit Philo Episcopus Carpathius: *propterea adolescentulæ dilexerunt te, atque traxerunt te, post te.* & de fœmina profluuio sanguinis laborante locum expendit: *Vide adolescentulam illam, quæ quidem in corpore erat imbecillior, sanguinis enim fluxum patiebatur, sed animæ fide valentior, ac fortior, quæ cum extrema vestimentorum Iesu tetigit, sanguinis profluuium sistit, non vi corporis, sed animæ fidelis virtute ac robore. Non enim corpore iuuencula, sed nouello admodum adhuc fidei cogitatu, suæ infirmitatis morbo finem imposuit. Hæc adolescentula traxit ipsum à tergo tangens, vt in illa adimpleretur quod scriptum est, propterea adolescentulæ dilexerunt te, & traxerunt te, post te.* Adolescentulam nuncupat regis sapientis canticum, non ætate, sed propter nouellam fidem, nouitiam pietatem, qua in sua infirmitate roborata est, vt accederet ad Seruatorem, omnium languorum liberalissimum sanatorem. Statim ac fide in Iesum correpta, & illuminata est, prudentem suscepit eruditionem, vt pia fraude furaretur inter turbas fluctuantes sospitatem, & fidei vncino, prehensa lascinia Christi, ipsum ad se attraheret, vt sisteret profluuium sanguinis, & deitatis fluentum deriuaret. Pulchrè dixerat Philo Carpathius: *Hæc adolescentula traxit*

D. Chrysol.

Furtiuæ salutis grande commerciũ, inter Dominum, & mulierem.

Cant.

Adolescētulæ cum Christum diligũt, ipsum attrahunt.

Philo. Carpat.

Hemorrhoyssa non corpore iuuencula, sed nouella fide, cum Christi vestimentum tetigit, saluatorem ad se attraxit.

D. Chrysol.

Hæc mulier tacita furatrix salutis, & gratiæ.

Hæc fraus fidelis veniã, & remediũ præstitit, quæ furantis lucrum quæsiuit, sine detrimento Saluatoris.

Pium fidei latrocinium, quæ sospitatẽ ad animam attraxit.

xit ipsum à tergo tangens, & eleganter Chrysologus, furtiuum attrahentis fidei munus suis verbis vsurpat serm. 33. *Inter hæc bella cogitationum solam salutis viam mulier curans vt furaretur inuenit; vt raperet tacita, quod petere non valebat, & pro sua verecundia, & pro reuerentia præstaturi: & qua non merebatur corpore, corde perueniret ad medicum: fide Deum, manu tangeret vestimentum, sciens hanc fraudem non solum veniam, sed & remedium præstaturam: quam non voluntas, sed necessitas verecunda generauit: præsertim cum & furantis lucrum quæreret, & ei, cui auferebatur, nullum gigneret detrimentum. pium latrocinium, quod ministra fide, fide attrahente committitur.* Hæc argutè eruditissimus Pontifex. Mirum vitalis, & feruentis fidei artificium, quæ diripere ausa est à Christo gratiæ thesauros, & vitæ; & pium docuit sine crimine latrocinium: *quod ministra fide, fide attrahente committitur.* Vinxit Christum mulier amoris ansula, & fidei harpagine fortiter attraxit, vt raperet tacita sanitatem: *traxit ipsum à tergo*, inquiebat Philo. *fide attrahente*, ex Chrysologi placito, velut fibulatum tenuit manu vitæ fontem, & scaturiginem gratiarum, vt ad se deriuaret limpidissimum fluentem, quod omnes animæ, & corporis maculas abstergeret.

Aster.

Malach.

Sol Iustitiæ Christus in cuius pennis sanitas fulget.

Phot.

Solis Iesu alæ fimbria vestimenti.

Iesus tacendo, tacentem sanat, & gratiã surreptam tolerat.

2. Iure Asterius Amasiæ Episcopus orat. in mulierem profluuio laborantem; adaptat huic sanationi mirabili vaticinium Malachiæ cap. 4. v. 2. *orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitia, & sanitas in pennis eius.* Sic enim ait apud Photium in bibliotheca fol. 58. *Solem iustitia Dominum vocans: alas vero fimbriam vestimenti*, & paulo ante prædixerat: *Dominus mulierem non cogitata proloquentem intellexit, & tacendo tacentem sanauit, cum fimbriam tetigisset: & hæc quidem donum surripuisse videbatur sibi: at ille gratiam surreptam tolerat.* Arrisit Christo taciturnitas fœminæ accedentis ad arborem vitæ quæ ipsius adstrueret timoratum pudorem, quo indignam se censebat dominico alloquio, & garrulitatem prioris mulieris Euæ coargueret. in silentio, & spe posuit fortitudinem suam, & tacens inuenit verbum sanitatis operatorium; sub cuius alarum velamento protecta, sospitatis optatæ secura processit. Suffurabatur à sole lumen sanitatis, & vitæ, ipsum fimbriis quasi alis apprehendens, ipse tamen nec abnuit, nec restitit, sed celerem retardauit cursum suum, vt ipsam totam illuminet splendoribus gratiæ, & feruore diuino exsiccaret languoris profluuium.

Fures celebres latrocinio iniquitatis diabolus, & Adamus.

Psalm.

3. Alios fures inuenio illustres latrocinio iniquitatis, non rapina pietatis. Hi sunt diabolus, & Adamus, de iis Sanctus Augustinus gnare disserit ad ea verba Psalmi 68. v. 5. *quæ non rapui, tunc exoluebam.* In quibus verbis conqueritur Iesvs pro furto alieno, pœnas, & debitum exoluisse: verba sunt Magni Aurelij: *Non rapui, & exoluebam, non peccaui & pœnas dabam. Non solum nihil rapuit, sed etiam quod non de rapina habebat, hoc se euacuauit, vt ad nos veniret: Non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: & tamen semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* statim de raptoribus subiungit: *sed quis rapuit? Adam, quis rapuit primo? Ille, qui seduxit Adam: quomodo rapuit diabolus? Ponam sedem meam ad Aquilonem, & similis ero altissimo. Vsurpauit sibi, quod non acceperat. Ecce rapinam, de ipso callice superbiæ suæ, et, quem decipere volebat propinauit. gustate, inquit, & eritis sicut dij, rapere voluerunt diuinitatem, perdiderunt felicitatem: ille ergo rapuit, & ideo exoluit. ego autem, inquit, quæ non rapui, tunc exoluebam.* Vidisti iniquos raptores, qui noluerunt se humiliando recipere sanitatem, sed superbiendo rapere deitatem, & Domini æqualitatem, & amittere felicitatem? Neque hoc furtum pietatis, sed impietatis, quod non fide attrahente, sed fraude, & contumacia per vim diripere conante, committitur. felix mulier, quæ ambitu quodam verecundæ abiectionis sibi incolumitatem, Domino gloriam requisiuit; vt hominibus innotesceret Iesu deitas, & facinus dominicæ potestatis, nec sibi quidquam decoris tota verecunda, & tremens vsurpat. accessit, & tetigit lignum scientiæ, nec in præuaricationem incurrit, experta in foliis seu indumentorum ambitu esse morborum medicamen; nec patitur ab arbore repulsam, cum iam facta sit peccatoribus accessibilis. Eua male tetigit superbiendo, deitatem affectando, eius æqualitatem suffurando, ideo sanitatem amisit, & in morbum incidit, quod hæreditaria matris lue in filios inoleuit: in Hæmorrhoïssa plus valuit timoratus pudor, & verecunda confessio; nec de furtiua sanitate arguitur, sed de artificio pietatis laudatur. Sciebat enim eum ad homines aduentasse, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; qui vt aiebat Augustinus, *non solum nihil rapuit, sed etiam quod non de rapina habebat, hoc se euacuauit, vt ad nos veniret.* Euacuauit (inquiebat hæc mulier fidelis) thesauros deitatis, vt venirent ad corda plena pietatis, quod meum est vsurpo, quod ad me redundat ebibo, ideo canalem, & fidei fistulam ad fontem pietatis applico, vt hauriam salutem à Domino. Si in sæculo, quanto magis in Christo; aquæ cælestes furtiuæ dulciores sunt, & panis salutis absconditus suauior.

Christus, qui non rapuit, exoluit.

Mulier Euangelica cum sibi rapuit sanitatem, Domino gloriam requisiuit.

D. August.

Christus, quod non habebat de rapina, hoc se euacuauit, vt ad nos veniret.

Christus deitatis æqualitatem nõ rapuit.

D. August

Diabolus, & Adamus rapere voluerũt diuinitatem, & perdiderũt felicitatem.

4. Proponit Scriptura diuina regni cælestis expilatorem præclarum, qui gazas eius diripuit, nimirum Iacob, cum prærogatiuam benedictionis vsurpans à maiori fratre, supplantator nuncupatus est, & fraudulentus insidiator. Genes. cap. 27. cum Esau primatum suum ad Iacob translatum, confirmante parente, persensit, irrugiit clamore magno, quem lenire nititur pater, ibi v. 35. *Venit germanus tuus fraudulenter & accepit benedictionem tuam.* Pro *fraudulenter*, Aquila legit: *in insidijs.* Verbumque illud: *accepit benedictionem.* Hebræus, & Sanctus Chrysostomus in commentario transferunt: *præripuit benedictionem.* Eamque translationem illustrat Sanctus Ambros. lib. 2. de Iacob cap. 3. dicens: *Impigrum militem regni cælestis candidatum esse debere, vt præripiat benedictionem, & prærogatiuam suæ commendationis vsurpet: vnde non est notatus à patre iunior filius, sed laudatus. ait enim Isaac: frater tuus veniens cum dolo, accepit benedictionem tuam: bonus dolus, vbi irreprehensibilis est rapina: irreprehensibilis autem rapina pietatis: quia à diebus Ioannis regnum cælorum cogitur, & cogentes diripiunt illud.* In scena illa artificiosa à Rebecca architectata, à Iacob instructa, vt patrem falleret, & maioris germani dominatum subriperet; candidati regni cælestis erudiuntur, vt furtim, raptim

Iacob fraudulentus insidiator, sibi prærogatiuam benedictionis vsurpans.

Genes.

Lect. heb.

Aquila.

Chrysost.

D. Ambr.

Miles regni cælestis candidatus impiger esse debet, vt præripiat benedictionem.

Iacob ex furtiua hæreditate, non est notatus à patre.

Rapina pietatis, & regni cælestis direptio, irreprehensibilis.

raptim indeficientes gratiæ thesauros diripe-rent; & qui per abiectionem satagunt esse omnium postremi, laudabili solicitudine in obtentu, & rapina diuinorum enitantur esse primarij, & omnibus virtutis sectatoribus anteire; raptu præoccupauit Iacob, quod non erat naturæ, quæ primo ortui filij primas imperij solet deferre; sed validior fuit, & solicitior pietas, & gratia, quæ primariam benedictionem pia fraude, & irreprehensibili rapina obtinuit. Obstupuit Isaac detecto dolo, sed non obiurgauit Iacob, nec maledictionibus fixit fraudulentum, cum superno numine correptus eruditur, laudabiles esse insidias ad Deum apprehendendum, & irreprehensibilem pietatis rapinam, qua regnum cœlorum violenter diripitur.

Beatus latro arte furandi regnum cœlorum, celebris.
Habac.

5. Intellexit hanc artem furandi beatus latro, Christi in passione socius, & in deprædando regno cælesti commilito; de quo illa Habacuc verba veniunt accommoda. cap. 2. v. 11. *Et lignum quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.* Quæ de glorioso latrone accipiunt Sanctus Hieronymus in Habacuc, & Sanctus Athanasius, secuti lectionem LXX. seniorum: *Et Scarabæus de ligno loquetur ea.* Sanctus Hieronymus, & scholium LXX. aliam versionem refert: *Quasi vermis in ligno loquens.* Alexandrini Antistitis in serm. contra omnes hæreses, verba sunt: *O beatum latronem, rapuisti in mundo latrocinando, rapuisti item regnum cælorum istiusmodi confessione, de eo nimirum locutus est propheta: & Scarabæus de ligno vocem dabit: nostis fratres Scarabæum ipsum immundum, circa immunda negotiosum esse, ita quoque & sui latro negotiosus fuit in latrocinando; in cruce tamen confitetur, loquens igitur dignus habitus est, qui regnum cœlorum raperet.* Rursus idem Athanasius sermone in Parasceuen, celebrat suis encomiis furis huius sapientis laudabilem rapinam: *O latro mirum incantamentum ad thesaurum hunc mirum tibi conciliandum, excogitans! ô latro liciti legitimique latrocinij hominibus præceptor, ad latrocinium vsque adeo laudabile nobis viam præiens! ô latro homines quomodo regnum quasi furto auferant, instruens! ô latro furti, cui sit, maxime grati desiderabilisque, rationes edocens! ô latro ingentes tibi furti mercedes concilians!* Æquo iure commendatur ab Alexandrino Pontifice fidei propugnaculo, huius beati furis studium, & prudentia, qui abiectam, & infamem artem latrocinandi, fidei, & pietatis artificio commutauit in cælestem, & diuinam; qui antea velut Scarabæus, & cantharus volutabatur inter auaritiæ pessimæ sordes, & latrociniorum stercora, contaminatus nota turpis flagitij. Edoctus à Christo migrat in Magistrum commendabilis, & decori latrocinij; in Cruce quasi tenerrimus ligni vermiculus sedens in cathedra piæ rapinæ magisterium hominibus ostendebat. De patibulo scalam construxit, vt ad fenestram cœli scanderet, fides ei facta est clauis & artificiosum reseramentum, vt ei paterent thesauri absconditi, & arcana secretorum Dei; & gazas paradisi, quas Adamus possessor dissipauerat, latro in extremo halitu positus, præeunte pietatis face, perscrutaretur, & inuentas auide arriperet.

D Hieron.
D. Athan.
Lect. LXX.
Scarabæus de ligno loquens sanctus latro.
D. Hieron.
Lect. LXX.

Scarabæus immundus, latro furtis contaminatus, loquens de patibulo, regnum cœlorũ rapuit.
D. Athan.

Latro incantamentũ inuenit, vt diriperet cœli gazas.
Liciti, legitimique latrocinij præceptor hominibus extitit.

De patibulo scalam constituit, vt ad fenestrã cœli scanderet, & claue fidei cælestes thesauros raperet.

6. Nec grauabor sacram deprædatricem vocare Deiparam, ipsa enim mulier fortis est de qua dicitur prouerbior cap. 31. v. 15. *& de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis.* Hoc Mariæ facinus in his verbis magnificat Sanctus Bernardinus tom. 3. sermone 5. art. 2. cap. 1. dicens: *per noctem, contemplationis supersplendendentem caliginem intellige, in qua nocte hæc virgo surrexit, & apice affectionis in æterna se sustulit, Verbum de sinu Patris rapuit, omnique creaturæ suum autorem, & principium restituit, secundum quod de ipsa sub figura mulieris fortis prouerbior, vltim. scriptum est: de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis.* Fortis heroina cælestisque virago, quæ in tales ausus erecta est, vt ad Patrem ascenderet, & de eius pectore filium raperet, & bene de nocte surrexit, quæ aptior est ad rapinam, quid enim nox nisi supermundana diuinorum contemplatio, qua eius animus immersus est diuinitatis profundo oceano, vt talem margaritam expiscaretur. Singularis hæc ardea, quæ nubes, aera, cælosque transgrediens ad patrem peruenit, sacrumque alitem de eius sinu aucupatur, vt creatorem à creaturis alienatum, & semotum ipsis restituat. Miratur Deus hoc Mariæ aucupium, & mirabilem deprædationem cum ipsa fatus Cantic. cap. 4. v. 9. *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Vbi Hebræus, Græcus, & Sanctus Nyssenus legunt: *excordasti me, cepisti mihi cor.* Rabbi Salomon: *cor meum ad te pertraxisti.* pia, & fortis deprædatrix, quæ cor Patris ad se pertraxit, per humilitatis retia, & amoris illecebras; nec solum cepit cor Dei, sed Verbum, quod erat apud Deum; & cor Patris eructat. Iacobi Patriarchæ affatu prædixerat Pater: *ad prædam fili mi ascendisti.* Quando deprædaturus animas, & infernum spoliaturus Crucem ascendit: at de Maria illud proferat filius: ad prædam Mater ascendisti, quando arcana paterni sinus, & omnia deitatis secreta penetrans rimatur, vt æternam Patris prolem abripiat, & ad suum vterum deducat. Nec mirum diripuisse cælorum regnum, quando ipsum captiuauit regnantem.

Prou.

D. Bernard.

Maria sacra deprædatrix quæ verbum de sinu Patris rapuit, & suum creatorem hominibus restituit. In nocte sublimis contemplationis assurgens dedit prædam domesticis suis.

Cant.
Lect. Heb.
Lect. Greg.
Rabi Salom.
D Gregor. Nyssen.
Maria excordauit Deum, illiusque cor ad se attraxit.

7. Manuducit nos discursus hic ad illum locum valde celebrem Matth. cap. 11. v. 12. *A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Geminata sententia huius alloquij abundat sacramentis: seorsim igitur discutienda. Primum spiritali intuitu cernamus violentiam, & postea rapinam regni cælestis. primum comma de amoris vi, & suaui coactione vsurpat Gillebertus in allegoriis Tilmani, ad præfata verba Cantic. cap. 4. *Vulnerasti cor meum.* Sic fatus: *acutus, & efficax & vere violentus affectus ille est, qui tuum Iesu bene meretur, & mouet affectum: magna est, & violenta vis charitatis, ipsum affectum Dei attingens & penetrans, & velut sagitta iecur eius transfigens. Quid mirum si regnum cœlorum vim patitur? Ipse Dominus violenti amoris vulnus sustinet.* Et statim: *bonum vulnus de quo virtus egreditur. Tetigit mulier fimbriam, & virtutem de se sensit Christus exire. Quanto magis cùm cor eius non leuiter tangitur, sed vulneratur, gratiam de se emanare sentit.* Non solum cœlorum regnum, sed rex ipse suauem sustinet amoris coactionem, & eius iaculo vulneratur; de hoc vulnere omnium bonorum scaturigo profunditur, omnium languorum emanant pharmaca

D. Matth.
Regnum cœlorum quam vim patitur.

Gillebert. Tilman. Cant.
Magna Charitatis violentia, quã Domini Iesu mouet affectum, & velut sagitta iecur eius transfigit.
Dominus violenti amoris vulnus sustinet.
De hoc vulnere manãt, gratia, & salus.

Digitized by Google

pharmaca, medicamina salutis: quam tenerum cor, quàm blanda Domini IESV viscera pietatis, quæ sagitta dilectionis aperit, ad sospitatem amantis, & vulnerantis, vt latitantes in sinu clementiæ thesauros apprehendat, & oleum misericordiæ effundat medicamen corporis, & mentis humanæ; si fide apprehendens lasciniam vestimenti mulier ægrotans sanguinis profluuio, salutis fontem attraxit, quot laticibus salubribus irrigabitur anima, cùm amoris sagitta vulnerat cor dominicum, & perenniter scaturire facit æternam vitam redolens, & operans vnguentum suaue. Hæc de amoris vi, quam patitur rex cælorum.

8. De violentia, quam sustinet regnum ipsum cœlorum, sententiam Apostoli, & Euangelistæ Matthæi expendunt Sanctus Anselmus his præclaris sententiis: *Regnum cœlorum vim patitur, id est videtur pati vim. Si enim aliquod regnum extraneis daretur, & filijs regni auferretur, violentia esse videretur: cum enim Iudai iusti in lege, filij huius regni viderentur, illi eyciuntur foras. Et meretrices & publicani, qui regno tanto indigni videntur, per peccatorum confessionem intrant locum alienum, & in terra generati, regnum cælorum possident per virtutem, quo non poterant intrare per naturam.* Et sanctus Gregorius Magnus citatus à Glossa: *Patria calestis vim patitur, dum peccator ad eam, quasi in alienum locum intrat per pœnitentiam. Grandis violentia est in terra nasci, & cœlum capere, & habere per virtutem, quod non possumus per naturam.* Vim patitur regnum cœlorum cùm à terrigenis expugnatur: etenim cœlorum regnum proprium domicilium Angelorum, qui sine armorum strepitu, sine victoria repugnantium passionum corporearum illud possident. Regnum hoc à constitutione mundi supernis potestatibus donatum, hominibus præparatum violentia comparandum; quid coactitius quàm peccatores, publicanos, meretrices intrare atria puritatis, & terrenum animal obtinere per virtutem, quod non valuit per naturam. Hæc autem violentia non est inhonora cælis, sed perpulchra, cum de terrenis luminibus, & sideribus suis aulis noua adiicit decora: maioris roboris est hominem ex spiritu, & terrena materia compactum obtinere cœlum, quam spiritum totum cælestem; primum est insolitum, sed iucundius quia laboriosius, admirabilius quia totum de virtute prouenit.

D.Ansel. *Regnum cælorum violentiam patitur, cum extraneis gentilibus datur, & à filiis regnum aufertur. Cum meretrices & publicani, regnũ intrant.* Greg. Mag. Glossa. *Patria calestis vim patitur, cum peccator per pœnitentiam intrat, quasi in alienum locum. Grandis violentia in terra nasci, & cælum capere.*

9. Sententia vero secunda, in qua latet maior argutia conceptus propositi, illustratur sapienter à Sancto Ambrosio serm. 5. in dominica 3. aduentus: *Et violenti rapiunt illud.* Eamque sic transfert: *& vim facientes diripiunt illud.* Sancti Doctoris verba transcribo: *vim facimus Domino, non compellendo, sed flendo: non prouocando iniuriis, sed lacrymis exorando. ô beata violentia, qua non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur! beata inquam violentia, qua vim patienti bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti! mala res admittitur, & de iniuria nemo causatur: vis admittitur, & religio propagatur. Quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo.* Et statim perpulchrè subiungit: *Aggredimur ergo in itinere dominum (siquidem ipse est via) & more latronum suis eum spoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, thesauros, & vitam: sed ille tam diues, & largus est, vt non abnuat, non resistat, & cum omnia dederit, nihilominus omnia ipse possideat. Raptores igitur sumus,* &c. quid illustrius? ab eximio antistite Mediolanensi fideles erudiuntur ad latrocinium pietatis, vt sine diripientis crimine, sine direpti, & spoliati dispendio & querela eripiamus à domino regnum, thesauros, & vitam. Nec omittendum Ruperti axioma dicentis: *Regnum Dei, siue regnum cœlorum intra vos est, ita vt apprehendi possit, iamque manu apprehenditur, manu rapitur.* Sic enim fidelis languida, de qua institutus sermo est, manu rapuit regnum, manu apprehendit Iesum. Cuius prædicatio magnifica extat apud Sanctum Ambrosium in cap. 7. Lucæ lib. 5. *Diripuit regnum illa qua fluxu sanguinis laborabat. Nam cum Dominus ad filiam principis Synagoga tenderet, furtiuo quodam tactu, sanitatis remedium prælibauit.* Hæc Ambrosius.

D Ambros. *Vim facimus Domino, non compellendo, sed flendo. Sacra violẽtia munera, & virtus. Erit religiosior Christo, qui ei fuerit violentior.* D. Ambros. *More latronũ aggredimur Dominũ vt ab eo diripiamus regnum, thesauros, & vitam.*

Dominus se depradantibus non resistit, & cum omnia dederit, omnia possidet.

Rupert. *Regnum cælorum intra nos est, manu apprehenditur, & manu rapitur.*

D.Ambr. *Qua sanguinis fluxũ patiebatur, regnum diripuit.*

10. Demum pro huius discursus coronide, & encomio mulieris IESVM apprehendentis, recensere libet fœmineæ pietatis monumentum, quod ex ære fabrefecit hæc mulier ære perennius, æternum memoriale gratificans beneficium acceptum, quod tuba quauis resonante prædicaret obtentæ sanitatis miraculum. Id testantur Asterius Amasæ Episcopus orat. in mulierem sanguinis profluuio laborãtem. Nicephorus Callistus Ecclesiast. Hist. lib. 6. cap. 15. Eusebius Cæsariens. Ecclesiasticæ Hist. lib. 7. cap. 14. qui ait mulierem sanguinis profluuio vexatam fuisse ciuem Cæsareæ Philippi, & de erecta statua hæc subiungit: *Pro foribus domus ipsius, basis quadam in loco editiori collocata monstratur, in qua mulieris ipsius velut genibus prouoluta, palmasque suppliciter tendentis, imago are videtur expressa. Adstat vero alia are nihilominus fusa statua, habitu viri, stola compte circumdati, & dexteram mulieri porrigentis. Huius ad pedem statua, è basi, herba quadam noua specie nascitur. Qua cum exorta fuerit, excrescere vsque ad stola illius arei indumenti fimbriam solet, quam cum summo vertice crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoresque conquirit, ita ut quacunque illa fuerit infirmitas corporis, hausto exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omnino virium gerens, si antequam area fimbria summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Iesu formatam tradebant, qua permansit ad nostra vsque tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus.* Hæc Eusebius. Apparent in his eximiæ pietatis fœmineæ decora, cùm sospitatis munus in æreo simulacro præconizans, virtutem Saluatoris æternitati commendare statuit. Vbi non solum fœmina, sed etiam virens herba apprehendens IESV fimbriam indumenti, & de ipso attactu ditata, & sanitatibus fœcunda proponitur; vt cum cernis in ætea imagine fœminam ambientem ipsum Iesum, limbum, & oram chlamydis pretiosæ prensantem, tecum decernas in hac muliere ad vnguem exactum Isaiæ vaticinium: *Et apprehendent septem mulieres virum vnum.*

* * *

Monumentũ fœminea pietatis, ad gratitudinẽ obtenta sanitatis. Aster. Niceph. Euseb. Cæsar.

Imago are expressa huius miraculi cernebatur, pro foribus domus Hemorroyssa. Ex basi statua Christi germinabat herba, qua fimbriã vestimenti tãgebat. Ex attactu virtus mirabilis frondi indutur, ad depellendos morbos. Hoc pium simulacrum vsque ad Nicephori tempora permanebat.




Apprehendent septem mulieres virum vnum.

Quinta mulier adultera apprehendit Iesum.

DISCVRSVS V.

Eximium Christi decus est, & æmulantium Euangelicam gratiam, extraneorum obuelare notam ignominiæ, & alienum excusare delictum.

1. XHIBVIT Iesus in absolutione adulteræ consummatæ signa clementiæ, cùm accusatores redarguit, qui officioso & callido obseruandæ legis obsequio, vindictam postulant, à Domino extorquere nituntur seueritatem; remisit flagitium conuictum ocularis testibus, de fragilitate naturæ excusauit offensam, qui peccatorum aduocatus, & protector est omnium, est enim innatum Dominicæ pietati hominum eleuare crimina. Comparat Apostolus Paulus sanguinem diffusum Abel, cum sanguine Christi, & vtriusque cruoris clamores, & vociferationes confert in epist. ad Hebræos cap. 12. v. 24. *& testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, melius loquentem quàm Abel.* Clamat vterque sanguis, sed dissono clamore, & dispari locutione; sanguis Abel beneloquitur, & iuste, sanguis Christi melius clamat. in quo autem positum sit principalioris, & vocalioris locutionis insigne, merito perscrutaberis? Disparilitatem vero, & præstantiam loquelæ sanguinis IESV consignat Sanctus Anselmus dicens: *loquitur enim aspersio sanguinis Christi, quia Patrem interpellat pro nobis; & ideo loquitur melius quàm sanguis Abel, de quo dictum fuerat, quia vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: quia sanguis Abel mortem fratricida fratris petijt, sanguis autem Christi vitam persecutoribus impetrauit. Sanguis Abel expetit vindictam, sanguis Christi misericordiam.* Adde non solum in postulatis, sed in ipsa deprecatione vocale discrimen: sanguis Abel clamat, vt ipso clamore accusatoriam censuram, & iudiciariam potestatem animaduersionis aduersus fratrem exhiberet; sanguis Christi, iuxta Pauli censuram *non clamat*, sed *loquitur*, vt ipsa vocis remissio non excandescentiam, & vindictam, sed pietatem, & clementiam prætenderet; & beneloquitur IESVS vt Verbum Patris, cui semper filius est valde intelligibilis, & audibilis, vt eius respondeat votis: clamat sanguis Abel vt exaudiatur, quia ad thronum Dei pro vindicta tardius accedit deprecatio; loquitur sanguis IESV, quia pro remissione delicti patulæ sunt aures Dei patris, & sine voce vocalissimum est cordis desiderium clementiam hominibus exorans. Moyses enim pro remissione populi non loquebatur, & clamabat; adhuc loquitur vt in Iesu aduocati munus insinuet: pulchram aliam vtriusque sanguinis dissimilitudinem attende ex Ruperto lib. 3. in Genes. cap. 6. *Ille sanguis clamando vnius tantum hominis nefarium scelus accusabat. Hic autem pro omni mundo interpellat, & peccata excusat.* Quam apta & concinna disparilitas assignata est à Tuitiensi Abbate inter hominis terreni, & cælestis dispersum sanguinem; ille Caino iustè insimulat delictum, amplificat offensam; non patronus in iudicio, sed criminator, & exactor est pœnæ; sanguis vero Iesu accusare non nouit, qui humani flagitij excusator est, qui omnium scelerum flagella, & animaduersiones ad se deriuauit: nec solum in consessu Patris aduocatus est, sed culpas dirimit, earum pondus ex humana fragilitate ad malitiam prona, sapienter alleuiat. Argutè Sanctus Augustinus discrimen constituit inter defensoris, & intercessoris munus in forensibus iudiciis. tom. 2. epist. 54. cum ait: *Et tamen defensor ab intercessore plurimum distat: nam ille diluendis vel obtegendis criminibus operam maxime impendit: intercessor autem, etiam cum de culpa constat, pro pœna remouenda, vel temperanda, curam gerit.* Extitit defensor, & intercessor hominis Iesus, qui non solum flagitia suo sanguine diluit, pallio charitatis obtexit (operuisti enim omnia peccata eorum, ait Psalmicen) sed flagra nostris tergoribus imminentia auertit, cum disciplina pacis nostræ super eum cecidit; plagas nostras, & dolores imminuit, pœnam criminis remouit. qui excusator est, & intercessor melius loquitur. Suauius enim resonat apud Patrem, & cælites dulce misericordiæ plectrum, & indulgentiæ suauissimum melos præ omnium cælicolarum hymnis, & doxologiis canorum. Confirmat ibidem S. Augustinus hoc munus diuinæ pietatis ex ea, quam impendit adulteræ Ioannis cap. 8. *Postremo (inquit) ipse Dominus apud homines intercessit, ne lapidaretur adultera, & eo modo nobis intercessionis commendauit officium, nisi quia ille terrendo fecit, quod nos petendo, &c. quis enim est nostrum sine peccato, quod cùm illis dixisset, cecidit sæuitia timente conscientia. Tunc enim ex illa iam congregatione dilapsi, solam misericordi miseram reliquerunt. Cedat huic sententiæ pietas Christianorum, cui cessit impietas Iudæorum.* Hæc ille.

D. Paul.

Qua ratione sãguis Christi melius loquitur, quã Abel.

D. Anselm.

Sãguis Abel mortem fratris postulat; sanguis Christi vitam peccatoribus impetrat. Sãguis Abel expetit vindictam; sanguis Christi misericordiam. Sãguis Christi non clamare dicitur, sed loqui.

Rupert.

Iesus pro omni mundo interpellat, & peccata excusat.

D. August.

Defensoris, & intercessoris quantum sit discrimen. Intercessor, cum de culpa constat, pro pœna remouenda, vel temperanda curam gerit.

Iesus noster defensor, & intercessor apud Patrẽ.

D. Aug.

Iesus apud homines intercessit, ne lapidaretur adultera.

Turba accusantium, timente conscientia discessit.

2. Hunc clementiæ modum tenuit Dauid vexatus à filio perduelli Absalom, cui duplicem nuncupationem sapienter impendit; cum enim aduersus contumacem, & proteruum dirigerẽtur acies Dauidicæ, commendat ducibus suis Absalonis incolumitatem, vt eius vitæ parcant, & viuum apprehendant lib. 2. Reg cap. 18. v. 5. *Seruate mihi puerum Absalon.* postea cum Achimaas, & Chus præuenirent nuntium belli, Rex interrogat: *est ne pax puero Absalom?* ibi. v. 29. & nuntio mortis accepto, flens largiter filium nuncupat *fili mi Absalom*, v. 33. diuersæ nuncupationis rationem assignat Sanctus Ambrosius in Psalm. 118. serm. 17. cùm fatur: *Cur eum puerum dicit, quem postea filium nominauit? Cur non in vtroque aut puerum dixit, aut filium? Si viueret, puer erat, quia parricidio petebat patrem, non enim pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis: ideo vir iustus quod religionis fuit, tacuit; quod infirmitatis, aspexit; vbi vero est mortuus apud pium patrem persona crimen defecit, naturæ nomen remansit.*

Lib reg.

Viuens Absalon puer nuncupatur à patre, mortuus vero filius.

D. Ambr.

Varia nuncupationis discrimen qualer Puerum vocat propter infirmitatẽ, & excusationem delicti.

Pia

Apud pium patrem mortuo Absalone, persona crimen defecit, natura nomen remansit.

Adolescentia, & iuuentus solet esse criminosa.

Pia nuncupatione pueri, Rex Absalonis crimen imminuit, cum enim flagitium auertere non posset filij insanientis ferali atrocitate petentis patrem, vt illum de regno deturbaret; illum de mititudine, & clementia pectoris sui excusat, cùm puerum vocat: solet enim, inquit, adolescentia, & iuuentus esse criminosa, cùm feruente in vitalibus sanguine, foras erumpit ad perpetranda flagitia, minus experta pœnis, incitata vehementioribus passionum motibus, immatura consiliis, improborum affectuum tyrannidem cohibere penè impotens, præcipiti cursu fertur in omne flagitium: puer enim est, operatur vt puer: hac misericordi allegatione apud exercitus Imperatores, Absalonis improbitates releuabat; apud quos plus inualuit læsæ maiestatis, & offensæ vindicta, quàm parcentis clementia patris, & validæ intercessionis suffragium; non enim erant dulcedine misericordiæ, & remissionis offensæ, & excusatione alienorum scelerum, eorum temperata præcordia, sicut erant Dauidis, viri inquam iuxta cor Dei: qui blandimento lenitatis delibutus, paratus erat atrocitatem nati exercentis tyrannidem, & impendentia mala omnia sustinere, ne læderet pietatem suam, aut obnubilaretur suæ sidus clementiæ: solerter Mediolanensis Pontifex prædixerat: *Non pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis, & : quod infirmitatis aspexit.* Pueritia, & adolescentia minus sapiens, minus prudens, fortis ad malum, ad improbitatem vehementior, ad virtutem sectandam infirmior, in sano sensu retinendo inconstans, ad malitiam prona, præceps ad ruinam: vt extenuet Absalonis malitiam, immaturæ ætati, iuuentutis infirmitati eius intemperantiam tribuebat.

Dauid morte filij tyranni noluit lædere pietatem patriam; ideo mandat, vt seruetur.

3. Quàm pius, & sapiens Ioseph, vt detegeret crimen fratrum, quo ipsum alienauerant à patre, & venalem portauerant in Ægyptum; solitudinem requisiuit, satellitio seruulorum aditum, & præsentiam interdixit Genes. cap. 45. v. 1. *non se poterat vltra cohibere Ioseph multis coram astantibus: vnde præcepit vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.* Promulgaturus enim erat voce grandi, singultibus, & lacrymarum fluentis temperata, ipsum esse Ioseph, ab iis in cisternam proiectum, & venditum Ismaelitis. collaudat Rupertus Iosephi temperantiam, & cautionem in manifestatione delicti fratrum, lib. 9. in Genes. cap. 11. dicens: *bene ergo præceperat, vt egrederentur cuncti foras, vt nullus interesset alienus cognitioni mutuæ. Non enim alienis iam communicanda erat domestici notitia sceleris, neque sub eorum præsentia pius frater edicere voluit rem tantæ confusionis, quam ferre non potuerunt fratres remotis etiam cunctis arbitris.* Pugnabant in Iosephi pectore iniustæ venditionis, & turpis captiuitatis grande flagitium germanorum, qui illum in tot honoris, & vitæ impulerant discrimina; & fraterna dilectio quæ in visceribus humanis natura inseuit; nec solam cohibuit iram, & remisit offensam, quam in summa rerum constitutus, & iustitiæ fascibus ornatus vindicare potuisset; sed oblitus iniuriæ, piis lacrymis atrocitatem criminis ingemuit, & earum irriguo de malefactorum malemoratis pectoribus liuoris maculas abstersit, nec solum misertus est iniquitatis, sed eorum indemnitati, & decori prospexit, cùm eos blandimento amoris recognoscens in conclaui solus solos arguit, & confusionem suam strictis amplexibus remouit: non conqueritur iustus impactæ violentiæ, nec obiurgat iniquorum factionem ad damnum suum, & interitum destinatam; sed ouat eius virtus opportunitatem nacta indulgendæ improbitatis, excusandæ temeritatis, iniquitatem piis affectibus redimendi. Nec omittenda in hoc loco Oleastri annotatio ad instruendos mores: *Aduertant hic Prælati (inquit) qualiter arguere debeant alios subditos, vt scilicet prius eiiciant eos, qui scandalizari, aut malam opinionem de eis, quos corrigere volunt, habere possint: debebat enim Ioseph ostendere se fratribus, quod non poterat facere, nisi ad memoriam reuocaret illis peccatum, quod in ipsum commiserant, & ne eorum peccatum apud exteros vulgaretur, omnem extraneum à se eiecit: sic cum Dominus voluit arguere Iob, solum eum conuenit; quem cùm arguisset seorsum, in publico apud amicos commendauit; sic etiam cùm arguere voluisset Aaron & Mariam murmuris in Mosen, eos ad fœderis tabernaculum seorsum ire præcepit cum fratre.* Hæc argutus interpres & Olysiponensis inquisitor: quàm è regione opposita, & aduersa Deo Pharisæorum malitia, & impudentia, qui miseram fœminam in adulterinum scelus ex humana infirmitate prolapsam, non sunt veriti coram populo traducere; quam paterna solicitudine, & clementia obiurgare tenebantur sine strepitu, & à turba remotam; vt eam infament, flagitium diuulgant. Beatus ergo Prorex Ægypti prædicandus, qui nequitiam germanorum, diploide charitatis obtexit, remotis arbitris ad memoriam reuocauit, confusionem, & contemptum auertit.

Ioseph fratrũ honori, & indemnitati prospicit.

Genes.

Rupert.

Cum reuelanda esset notitia domestici sceleris in agnitione mutua, alienos à conclaui exclusit.

Solus solos arguit, & cõfusionem, fratrum strictis amplexibus remouit.

Oleast.

Famæ, & bonæ existimationi subditorum, prælatis prospiciendum.

Ioseph, ne peccatum fratrũ apud exteros vulgaretur, omnẽ extraneum à se eiecit.

Deus Iob solum arguit, coram aliis laudat.

Pharisæi adulterium fœminæ traducunt.

4. Emanauit hoc pium munus ad posteros, de Iosepho ad Iosephum magna charitatis vsura deriuatum est; cum enim sponsam suam diuino partui à Deo destinatam, cerneret vtero ingrauescentem, quæ intacta sibi, & illibata permanserat, nec iniquitatem fœmineæ infirmitatis præsumpsit, sed iudicium suspendit reatus, in tanto proprij decoris, vt sibi videbatur, dispendio, aperuit pij pectoris compassionem, & iustitiæ munus misericordia temperatæ, quæ Mariæ pepercit, sponsæ consuluit honori, prospexit propriæ incolumitati, fuga se subducere cogitans ab illius consortio, & contubernio: id testatur Matthæus Euãgelista cap. 1. v. 19. *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Turbati animi fluctibus timoris, & zelo excruciati, aperit affectum S. Chrysostomus homilia 4. in Matthæum: *Certe si Maria talis fuisset, qualem illam suspicio fingebat, non modo publicari meruerat, verum etiam ex legis authoritate puniri: sed Ioseph non solùm maius, verum id quoque quod erat minus, pariter indulsit, nempe pudorem. Non enim tantum eam damnare noluit, sed ne publicare quidem.* Ecce Dei Matris decus, & famam in manu hominis, & iudicio à Domino derelictam, vt eam inuentam qualem fingebat humana suspicio, & zelotypiæ crisis, posset Ioseph vel traducere, vel ex legis auctoritate punire; sed prænoscebat Deus viri æquitatem, & misericordiam, cui fidebat honorem Matris, cuius integritas, & compassio nec læderet Mariæ gloriam, nec imminueret dignitatem. Induerat misericordiæ tate,

Ioseph Mariã vtero grauidam non traduxit.

D. Matth.

D. Chrysost.

Si Maria talis fuisset, qualẽ suspicio fingebat, meruerat publicari, & puniri.

Ioseph in sponsa, quod erat maius indulsit, eius pudori prospexit.

Fida custodia silentij Ioseph commendauit Deus suæ matris honorem.

viscera Ioseph,& contempta propria incolumitate,sponsæ suæ iacturam honestatis ingemuit, ab animaduersione longissime sequestrauit animum;virginis pudori prospexit premens profūde suspicionem,ne aliqua vel leuissima labe reputatæ turpitudinis damnaretur immaculatæ sponsæ decor. amplificat hoc pium facinus S. Ambros.ser.7.in ps.118.scribens: *est & aliud iusti propositum longe omnibus perfectius, & potentius, excusare peccantes.* Et confirmat Iosephi Mariæ sponsi exemplo: *denique de Ioseph cui desponsata erat Maria Mater Domini scriptum est, quòd cum esset iustus,noluit eam traducere: & vtique nullum adhuc audierat oraculum. Ita non solum ab vltionis atrocitate, sed etiam ab accusationis seueritate persona iusti aliena est: potiusque ducit suam remissionem accusari, quòd non vindicauerat, quàm alienum crimen vrgere.* Etenim iustus alienum crimen, quo eius innocentia criminatur, vel gloriæ decus læditur,accusare nō nouit, vt illæsa maneat pietas,charitas innocua;falso architectatum crimē super se refusum tolerat, & honoris pariter dispendiū;iustus accusari paratus,excusare promptissimus peccantem:habet pro instituto,& coronide pietatis,exprobrari de remissione vindictæ,quam coaceruatis hinc inde iustis probabilibusque allegationibus succensere delinquēti, exacerbare flagitiosum, & alienum crimē vrgere.Nec prætermittenda silentio est annotatio illa Chrysostomi perpulchra,quia immensum clemētiæ pelagus in Iosephi pectore latitantis, foras educit,ad ea verba Matthæi c.1.*hac autem eo cogitante.* scribit homilia.4. *non modo non puniuit aliunde grauidam,sed nec cuiquam mœroris sui causam retexit, ne illi quidem ipsi de qua eum suspicio mordebat:sed secum ipse cogitationum suarum fluctibus æstuandō, ab ipsa etiam Virgine studuit abscondere tanti causā doloris.* Et statim disquirit cur ab Angelo edocetur Ioseph de virginalis cōceptus mysterio?& respondet: *post vteri indubitatum tumorem, cùm iam mœrore animi, & maligna suspicione tabesceret,& ad expectationem iam iamque meliorem aliqua optaret ratione transferri:hoc iam erat in animo, vt si forte appareret quispiam, qui mærentem in viam spei lætioris induceret,& facile reuelationem susciperet, & libenter, & idcirco postquàm suspicione cruciatus est, visione recreatur.* Hoc interest discrimen inter iustum, & iniquum criminantem, & exacerbantem alienum piaculum;quod hic circunstantias peccati exaggerat,& rationes pœnæ coaceruat, nec vllum sinit improbissima caliditate, & argumentosa malitia suffugium,quo ab imminēti iactura honoris possit elabi, sed omnes aditus clementiæ præcludit; at iustus contra se admissam offensam releuat ex opportunitatis vehementia, & labilis naturæ infirmitate attenuat, & imminuit, ideo iustus Ioseph spei lumen inuestigabat,quo malignæ suspicionis nubilum propelleret; in indubitata impregnatione sponsæ, à se reconditum excusaret opus, auerteret omnem iniquitatis suspicionem, & beatæ virginis consuleret indemnitati: Denique Iosephi indulgentiam, & remissionem offensæ comparat Albertus Magnus cum misericordia Iesu erga peccatricem adulteram, super Matthæi sententiam: *cùm esset iustus, & nollet eam traducere:* inquiens: *iam enim aliquid gratiæ accepit ex conceptu coniugis,qui postea & ream, & accusatam, & conuictam iuste,& pie liberauit.* Erat enim Ioseph

D.Ambr. Iusti propositum perfectius,excusare,peccantes.

Ioseph de non vindicanda iniuria,nullum audiuerat oraculum.

Non solum ab vltione, sed etiam ab accusatione persona iusti aliena est.

Eligit potius suam remissionem coargui,in non vindicando, quam alienum crimen vrgere.

Summum in Ioseph suspicionis sua silentium.

D. Mat.

D.Chrysol.

Nulli mœroris sui causam retexit, nec ipsi spōsa.

Cogitationū fluctibus æstuans, ab ipsa virgine abscondit causam doloris.

Ioseph ad expectationē meliorem optabat aliqua ratione transferri.

Optabat, vt eum aliquis in viam spei lætioris induceret.

Viam quærebat,vt in indubitata impregnatione sponsa omnem criminis suspicionem auerteret.

Ex conceptu coniugis Ioseph gratiam excusandi delicti accepit.

iuxta misericordiæ fontanam plenitudinem ad littus oceani diuinitatis,cuius gurgites pietatis in Iosephi pectus exundabant, vt disceret parcere Mariæ,excusabilem redderet delicti,& eius honori consuleret.

5. Redeo ad Iosephum Ægypti rectorem, nescio enim quid faustitatis contineat hoc nomen ad absoluendum, & excusandum fœminam constrictam adulterij reatu. Scitis ex Genes. cap.39. quot lacertis, & tricis verborum, mundi muliebris,& ornatus impudici decipulis, quot voluptatum illecebris irretire solicitauerit impudens illa Ægyptia famulum Iosephum iuuenem speciosum; cuius volupia vt frustrata est, furore percita insaniit in pudicum adolescentem, rebus ipsis exprimens non amantem, sed furentem esse; sic eam nuncupat os aureum homilia. 32. in cap. 13. 1. Cor. conferens fœminæ petulantiam, & Iosephi placabilitatem: *iudicium constituit, accusationem infert: falsum testimonium prabet, ferum, & immanem esse exponit, & qui erat innocens in carcerem conicit: imo vero quod ad ipsam attinebat, interimit. Sic iudicem aduersus illum armauit.quid Ioseph igitur ille? Contra facit omnia, neque enim contradixit, nec perditam fœminam accusauit.* Postea vero quam in carcerem truditur voluptatis triumphator, qui in causa mortis impendentis, & amissæ dignitatis, nescit esse sui defensor, nec alieni criminis delator, dilucidiores expandit suæ charitatis radios inter squalores, & tenebras ergastuli; subiungit Chrysostomus: *ex hic monstrare Iosephi charitatem licet, qui ne tùm quidem cum in ea necessitate constitutus esset, vt vinculorum, & vitæ superioris rationem reddere cogeretur, fabulam patefecit.* Demum conceptum vrget, & amplificat: *quomodo non sit admiratione dignus, qui purus,& innocens mulieris amorem non prodidit, neque peccatum traduxit. Sed ne tum quidem cùm ad fastigium rerum peruenit & Ægypti totius rex est factus, meminit iniuriæ acceptæ à muliere, neque ab ea exegit pœnas.* Merito inter omnia præclara Iosephi opera demiratur Chrysostomus hoc prodigiosum facinus pietatis, in quo ingenuum, & liberalem animum ostendit, à fæce plebis, & improborum contagio remotum, qui vt se ipsos purgent, impactis sceleribus,prætextu iustitiæ,alienum honorem infuscant:accusatus Ioseph, exprobratus,in neruo clausus siluit,nec contextam telam accusationis mendacio,veritate propalata retexit;sed taciturnitatis velamento petulantis fœminæ velauit decus:nec mirum est malefactorem tacere constrictum sceleris reatu,conscientia conuictum, quæ tot argumenta redargutionis obtendit, vt sileat;innoxium vero, purum, & incontaminatum obmutescere exagitatum impudicitiæ opprobrio,nec accusare impudicā pudicum, propudiosam incontaminatum, miraculum quoddam ingenuitatis,& integritatis est. Nec in culmine constitutus regali, in quo ei inerat summa potestas vindictæ, & secura credulitas populorum, adulteram traduxit; sed oppressu quodam saxeo silentij profundi malitiam fœminæ consepultam dereliquit; nec in domo nec in carcere, nec in throno adulteræ ad accusationem recordatus est. Excusabat mobilitatem animi fœminei, nec mirabatur intemperantem mulierem, diuinæ legis notitia,

Nomen Ioseph celebre ex excusatione criminis alieni.

D. Chrysol.

Fœminæ Ægyptiæ crudelitas in Iosephum.

Perditam,& petulantem fœminam Ioseph non accusauit.

D.Chrysost.

Nec fabulā, constitutus in vinculis, patefecit.

Amorem mulieris non prodidit, nec peccatum traduxit.

In regali fastigio constitutus; nec meminit muliebris iniuriæ,nec ab ea exegit pœnas.

Egregium facinus,quod innoxius obmutescat; in opprobrio castitatis.

Ioseph ad excusandum fœminæ flagitium,rationes conquirit.

& timore Domini destitutam, ad conspectum,& præsentiam iuuenilis decoris exarsisse. Hoc decus viri iusti est, honorem incolumem seruare alienum, præsertim fœminæ, cuius famæ splendor facile obtenebrescit, cuius decorum maiorem exigit cautionem.

Genes.

6. Fornicatus est Iudas cum nuru sua Thamar, stipulatione facta, vt frueretur concubitu, mittendi hædum. Genes.c.38. v.17. Iudas *dixit: Mittam tibi hædum de gregibus.* Is vt staret promissis,& annuli, armillæ, bacculi insignia oppignorata reciperet, misit hædum per manus pastoris sui Odolamitis, qui nõ inueta muliere, reuersus est ad Iudam:ait Iudas:*Habeat sibi, certe mendacij arguere nos non potest: ego misi hædum, quem promiserã,& tu non inuenisti eã.*Pro eo quod vulgatus habet: *Mendacij arguere nos non potest.* transtulit Hebræa lectio: *Ne forte simus in contemptum*,apud Sanctes Pagninũ,Oleastrum,Vatablum.Tigurina legit:*Ne & nos pudefiamus*,& desumpta est versio ex Aquila, & Symmacho. LXX. interpretes legunt: *Ne forte derideamur.* expendit vtramque lectionem Vatablus:*Ne forte simus in contemptum:id est,ne res ista,quam feci, & quæ turpis est,publicetur,simusque contemptui.*Et Sanctes Pagninus in scholiis: *Non inuestigabimus,ne vituperemur.* Eam illustrat Oleaster præclara annotatione ad morum eruditionem. *Admonemur hic*(inquit,) *non debere multam inquisitionem facere,vbi honor,& fama periclitantur, maxime in rebus carnis, & potius multa temporalia perdenda sunt,quam vt homo veniat in opprobrium, quod multi prælati religiosorum parum curant, qui dum exacte quærere volunt quædam semiocculta, pluribus faciunt manifesta.* Hæc apposite protulit Hieronymus Oleaster ad instructionem prælatorum,quorum mores regerebat consilio,& factis suis Iudas;prudenter iussit,vt caueret famulus à nimia fœminæ perscrutatione; ne ipsius famam traduceret, & seipsum exponeret ludibrio, & irrisioni populi.

Iudas in crimine cõmisso cũ Thamar, prudẽter vitauit publicationem, & contemptũ.
Lect.heb.
S.Pagnin.
Oleast.
Vatabl.
Tigur.
Aquil.
Symm.
LXX.
Vatabl.
Oleast.
Vbi honor, & fama periclitantur, fugienda nimia perscrutatio delicti carnalis.

Prælati dum exacte quærunt subditorum peccata, semiocculta, pluribus faciunt manifesta.

7. Eamdem cautionem exhibuit Iesus cum accusatoribus adulteræ, nam cum illius peccatum ad punitionem arguerent:*Iesus inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Ioannis cap.8. vbi purpuratus Hugo cum huius scripturæ interpretatonem retulisset, ait: *Quod scribebat quamdam figuram, quam videntes recordabantur omnium peccatorum suorum. Alij volunt dicere, quod scripsit quasdam litteras in quibus vnusquisque legit peccatum suum, ratione cuius ipse erat iudicandus.* Postea verò subiungit propriam sententiam:*Quare autem scripsit? Præter prædictas causas potest hæc assignari ratio: quia noluit voce prodere peccata eorum; sed voluit vt scripta latenter legerent: præcipue cum scriptura illa non fuerit communis, vt vnus, ex ea legere posset peccatum alterius, sed tantum vnusquisque suum. Et in hoc docet corripientes quantum cauere debeant,ne peccatum latens publicent, ne infament personas.* Impudentes obiurgatores adulteræ sapientia patris prudenti animaduersione feriebat; vt litteræ mutuæ in terra scriptæ essent vocalissimæ, & arguitiuæ Pharisaicæ malitiæ, dũ singula eorũ crimina tacitè arguebãt;vt ij peccata grauiora animaduerterent sua in memoriam reuocata,nec mordicus insectarentur aliena, & singulis singula mirabili notitia innotescere facit flagitia propria, & agnitionem mutuam alienorum scelerum in exaratis caracteribus suspendit IESVS; vt erudiantur consulere alieno decori, ne latentem nequitiam diuulgent, & infament miseros.

Prudentissima correctionis fraternæ forma à Christo data, cum accusatur adultera.
D. Ioan.
Hug. Card.
Iesu scribens in terra, accusantium peccata in eorum memoriam reuocabat.
Scripsit, quia noluit voce prodere eorũ peccata, sed silenter redarguere.
Vnusquisque peccata propria, nõ aliena legebat.
Cauendum corripientibus, ne occultum crimen publicent, & personas infament.

8. Denique claudat hunc discursum sanctus Augustinus epistol. 54. qui patrocinium IESV erga miseram peccatricem adulteram commendans, fatur: *Quanto à nequitia purior animus esset, tantò clementia plenior esse deberet. Illius sectaremur exemplum, qui cum esset vtique sine peccato, ait mulieri, quem perterriti illi reliquerant: nec ego te condemnabo, vade, iam deinceps noli peccare. Potuit enim metuere flagitiosa mulier, ne illis discedentibus, qui sua peccata cognouerant, vt peccato parcerent alieno: illam iustissime iam ipse damnaret, qui erat sine peccato: at ille non conscientia pauidus, sed plenus clementia, cum illa respondisset, à nemine fuisse damnatam. Nec ego te, inquit, damnabo. Tanquam diceret: si malitia tibi parcere potuit, quid metuis innocentiam?* Habebis IESVM potentissimum adulteræ protectorem, & piissimum excusatorem. Pharisæi deprehenderant eam in adulterio, vt ita sic deprehensa per malitiam, apprehenderet Saluatorem per misericordiam, vt in ea stet veritas vaticinij, cuius verba sunt:

D.August.


Adultera, cui pepercit malitia, non timeat innocentiam.

Et apprehendent septem mulieres virum vnum.

Sexta mulier vidua Naim apprehendit Iesum.

DISCVRSVS VI.

Tribulationis, & ærumnæ vis allectiua mirabilis; cum per illam Deus hominem, homo Deum ad se trahit, & complexu hærentem tenet.



1. AD hanc veritatem adstruendam placidissimum probamentum inuenies in Iacob luctamine, mysticis abundante contemplationibus, de quo Oseas Vates cap. 12. vers. 3. & 4. disserit: *Et in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est.* Quis tergiuersari queat Iacobum ab vtero matris virtute exercitatum præualuisse Angelo, & Deo, iisque superiorem in conflictu apparuisse? Illud singulariter inculcandum est, quod nouum lumen adiiciat vaticinio, nouum decus addat palæstræ; in quo situm erat robur Iacobi, virtusque præualida, qua Deum, & Angelum detriumpharet? Id abunde exprimunt Septuaginta Seniores legentes: *In laboribus suis præualuit in Deum, & præualuit cum Angelo, & potuit.* Ab ipsa adolescentia Iacob induratus laboribus, maceratus ærumnis,sic enim Deus dure tractat quos diligit,aduersa recenset S.Cyrill. Alexand. hanc lectionem illustrans:*Cùm Deus prouidenter eum ad sudores laboresque misisset non defecit, inquit, an non enim sudoris opus est, à paterna domo discedere, ad Laban venire, ibi ad mercenariam* seruitutem,

Oseas.

In qua virtute Iacob Deum, & Angelum detriũphauit?
Lect.LXX.
Laboribus, & aduersis præualuit in Deum, & præualuit in Angelum.
D.Cyr.Alex.
Quantos labores exãtlauit Iacob in virtutis stadio.

Digitized by Google

seruitutem sustinere, & pastoritios labores perferre. Et statim: *cum liceret Iacob citra sudorem ditescere, & felicitatem adipisci, si domi maneret, Deus eũ exercitatione vacare non permisit: sed occasione minarum ab Esau intentatarum in peregrinum solum, & vrbem profectum, negotium permolestum sustinere fecit, vt etiam in ipsis casibus sincere in Deum charitate seruata, iure esset admirationi. Igitur preualuit in laboribus suis in Deum.* Per omnes aduersantes huius sæculi calamitates tẽtatur animus viri iusti, dum exilio voluntario relegatur à paterna domo, & dilectæ sinu genitricis; dum famem, sitim, recubitus duritiem per campestria errabundus patitur, dũ fraternis insectatur maledictis; algore, æstu, & vigilia in pastoritia exercitatione iuuenis in deliciis enutritus, torretur. His laboribus potentissimus euasit, facerque pugil & agonotheta virtutis, in ipso luctamine cum Deo victor proclamatur. Dulcis labor, felixque ærumna, qua ipso Deo secum decertante, superior est. Dices cur laboribus insuperabilis expertus est heros ab omnipotenti, & vinci nescia manu: In eo constitutũ erat pódus pij huius prælij quod Deus sæpissimè tentaret à Iacob aufugere, ipse verò Iacob illum violenter retineret, quid mirum si Deum iam fugam parantem sistere cogeret, si decertator humanus circumdatus erat laboribus, abundabat aduersis; Deus enim tribulatis appropinquat, & inclinatione clementiæ, & compassionis mirabili in diuexatum molestiis pectus infunditur, pennigerum, & citissimum est verbum, quod in humana specie cum Israële decertabat; sed afflictio, & angustia quasi quædam remora, & retinaculum validissimum iniectũ est volueri Deo, quod suis religatum lacertis, & inhærentem pectori retineret; parabat volatum, & aufugium, qui ambulat super pennas ventorum, easque celeritate superat, sed auscultans gemitus, suspiria angustiati, & afflicti, pennas comprimens retrahebatur, & ad amicos redibat amplexus. Cernis laborum violentiam, & robur insuperabile. Non iam mireris si illud effatum pronuntiet Vates: *In laboribus suis præualuit in Deum, & præualuit cum Angelo, & potuit.* Veridica est enim illa sententia Theologi Nanzianzeni epist. 19. *Ægra enim anima vicina est Deo: atque omnis qui periculum effugit, arctius ei adiungitur, à quo salutem est consequutus.* Quam quidem idem S. Gregorius amplificat orat. 17. *Qui calamitatibus erudiuntur*, &c. *Qui denique ob dolorem ad Deum sese magis adiungunt, ac beneficiorum omnium auctorem, per afflictionem conciliant: quandoquidem ægra anima Deo propinqua est: ac penuria ipsa efficit, vt ad Deum qui largiendi potestatem habet, nosmetipsos conferamus.* Sicut enim Deus elongatur à prosperis, & recedit ab huius vitæ iucundis, quæ noxiam suauitatem ingenerant animis; ita approximatur aduersis, & in tribulationibus adest, in quem enim viscera misericordiæ effundet, nisi super miserum, & angustiatum, vt ostentet suæ potestatis insignia: itaque sicut afflictus nullum habet refugium, ad quod oculos subleuet margaritarum speciosa aspergine rorantes; in quo figat spem liberationis, nisi Deum, à quo prouenit præsentissimum auxilium; ita superna potestas ad afflictum inclinatur, vt subleuet de ærumna; Deus & tribulatus sese placide prospectant mutuo, & cohærent mirifice; vt homo sibi lucretur Deum, ad se attrahat placidantem

Felix ærumna, & aduersitas, qua homo superior euadit Deo.

Deus in maiori nisu fugæ, quasi quibusdam retinaculis, detinetur afflictionibus.

Greg. Naz. *Ægra enim anima vicina est Deo, & arctius ei adstringitur.*

Per afflictionem Deus cõciliatur.

turbulentas passiones, & omnipotentem sibi concilietur.

2. Vt diuinam potestatem aduersus Iobum Diabolus prouocaret, vsus est eloquio disertissimo, astuin, & malitiam ipsius tentantis veteratoris superante, Iob cap. 1. vers. 11. assidens consilio Angelorum hæc postulata profert ad Iobi excidium: *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Rite locutus est Satan in caput suũ; à quo, dum hominem impellere satagit ad ruinam, etiam emolumenta aduersitatis prædicuntur; si tentatur ab aduersario, annuente Domino, experietur haud dubio tutelare subsidium, sub cuius culmine, & velamento commorabitur securus prolapsionis: quis formidabit aduersa, protensæ supra se diuinæ manus munitus, & obuallatus præsidio: *sed extende paululum manum tuam.* Nescit quid postulet Diabolus, sua se comprehendens, & confundens argutia; extorquere audet à Domino Iobi vastitatem, & exigit illius incolumitatem, & munimẽ supernæ gratiæ, cùm inumbrantem, & extensam manum Domini super ipsum adstruit. Acutus, & elegans est Dydimus in catena Græcorum Patrum, in eruendo horũ verborum arcano, ait etenim Domini manum, & potestatem esse multiplicem, *Manus iræ, & vindictæ, alia potestas quæ munit, & protegit, ad quã illud pertinet: protexisti me, & posuisti super me manũ tuam. Mitte manum tuam, pro illo est: male illum accipe, & affige. Tange autem, pro manus iniice, positum est.* Optat aduersarius vt Dominus Iobum malis circumdet, afflictionibus probet; sed afflictio, & calamitas, non solum est probamentum virtutis, coronamentum decoris, exprobratio satanicæ infirmitatis; sed argumentum cœlestis præsidij, & Deifici amoris certissimum: quẽ tẽtat Deus manu apprehendit, & retinet, ne labatur, calamitatibus adstringit, quasi diuinæ sapientiæ compedibus aureis, ne recedat à Domino, cui militat, ne ad partes aduersarij transfugiat: pium, & indissolubile lacertum est aduersitas tolerata qua Deus homini, homo Deo innectitur: *Tange autem pro manus iniice.* Fausta afflictatio homini est, per quam non solũ attractum omnipotentis manus, sed comprehensioné promeruit. Per prosperantis, & arridentis fortunæ cõmoda comparauerat sibi recessum à Domino, & elongationem ab amicorum Domini sodalitio; sed Deus labores velut fidos apparitores, & satellites incorruptos mittit, vt à cœlo deuiantẽ, ad ipsum reducant, à vitiis retrahant, creatori suo restituant. Si laboranti, & dolenti iniicitur Dei manus, vt ad sinum clementiæ suæ applicet, & amplexu dilectionis adstringat, ne se æstimet iustus in rebus turbidis à Domino sequestratum, & commercio pietatis extorrem, quî in ipsa aduersitate non solum finitimus, sed intimus Deo est.

3. Iacob aduersa sustinuit in Domo Laban soceri, & post diutinos labores defraudatus pretio fidæ seruitutis, expertus est toruum vultum parentis vxorum, ipsæ quoque patrimonij damna senserunt, & dispendia hæreditatis. Gen. cap. 31. v. 2. *Animaduertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se, sicut heri, & nudius tertius.* Postea coram filiabus Laban iustas fundit querellas. ibidem vers. 5. & vers. 14. responderúntque Rachel, & Lia: *Nunquid habemus residui quidquam in facultatibus, & hereditate domus* patris

Iob. *In tentatione fatigatum Deus manũ protectricem liberaliùs extendit.*

Didym. Cat. Græc. Patr.

Alia Dei manus quæ punit; alia quæ munit, & protegit.

Afflictio, & ærumnis diuexato manus iniicit Deus, vt apprehendat, ne labatur.

Labores fidi apparitores sunt, & satellites incorrupti, qui hominem Deo restituunt.

Genes.

patris nostri? Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?

Iacob in fortunarũ dispendiis expertus est Deũ consolatorẽ.

4. Sed cum Iacob harum necessitudinum,& dispendiorum absorberet dolorem, audit loquẽtem,& consolantem Dominum, ibid. v. 3. *Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eróque tecum.* Non poterat non esse cũ afflicto, qui vt nutũ Domini sequeretur, tantis exposuit vitam periculis. Prętereà ipsa Labani iurgia, & verborũ acerbitas ad portum dominicæ tranquillitatis quasi ventorum flabra propellebãt. Argutè Rup. lib. 7. in Gen. c. 41. de his Labani austeritatibus fatur: *In illud bonum sancto viro cooperantur, vt quò vocabat Deus illum ipsa aduersitate impellente, citius insequeretur: nihilominus, & ipsis coniugibus idipsum bonum cooperata est inclementia patris non amabilis. Hoc vento aduerso nauigium feliciter impellente, vltro portum aspiciunt.* Et statim aduersitatis sustinentiã valde cõmendans, prædicta omnia nostris adaptat moribus: *Sicut illas coniuges Iacob aduersa hæc impulerunt, vt illũ relinquerent patrem, qui filiarum comedisset pretium, & talem sequerentur virum; sic & aduersa mundi plerumque dilectam iuuant animam, vt anhelantius tendat ad Deum.* Sciebat enim sapiẽtissimus, & eruditissimus Abbas Tuitiensis in hoc mundi freto nauigantibus subdolam quandoq; esse tranquillitatẽ, & periculosam prosperitatis malaciã; mare enim seculi cũ ridet iucundis, sæpissimè irridet fallitque, & suscitata repẽte procella in cautes illidit scaphã, & vectores absorbet: at calamitas quasi ventus vehemens, & validissimus reflans in puppi, omniáque carbasa cõplens, ad Deum ire vrget, & compellit. Itaque inclemẽtia Labani, verbaque tumida, & acerba, frustratio mercedis indecora, vxorum incõmodum, auulsit iustum, piamq; familiam, vt relicto prophani domicilio, ad Deum vocantẽ, & præeuntem irent, celerique cursu arriperent diuinarum promissionum grauium: mercanda foret illo defraudato pretio, hæc iniucunditas, quæ licet non mulceret ad tempus, diuinam postmodũ remunerationem pareret; in ipso aspero, & laborioso aufugio nancisceretur Domini felix refugium, & tutamen.

Rupert. Aduersitate impellẽte Iacob Deum citius insequitur, & tenet clementia portum.

Sæculum cũ arridet iucũdis, irridet, & fallit.

Calamitas quasi ventus validissimus ad Deum ire vrget.

Psalm. D Ambr. Lect. Lxx.

5. De aduersorum prosperis, & felicitatibus ærumnarum disserens S. Ambrosius ad ea verba Ps. 1. *Et in lege Domini voluntas eius* locum Is. c. 9. & illius exordium illustrat connectens illud cũ extremitate capitis præcedentis, in qua legitur iuxta Lxx. versionem: *Et non deficiet, qui in angustia fuerit, vsque ad tempus.* Quæ sententia in vulgato non reperitur, caputque nonum iuxta Lxx. Seniores sic initium sumit: *Hoc primum bibe!* Et de poculo aduersitatis, & tribulationis vsurpat dicens: *Graues contritiones, & vexationes populi dicit futuras, & oportuit eas præcedere, vt sequeretur misericordia, bibe ergo primum tribulationem; bibe vt sensus tribulationis pectoris tui infundatur internis. Bibe compatientis affectum, mœrentis dolorem.* Et postea ait quod Dauid hunc affectum: *Suo probat exemplo, qui potum suum cum fletu miscebat, vt Domini in se inclinaret misericordiam. Bibe ergo hoc primum, vt bibas, & secundum.* Merito tribulationem potionem nuncupat, sed insuauem, quæ temperata est à Domino, & præparata suis conuiuis, dum myrrhatum vinum prælibauit felle mixtum, & absorbuit calicem passionis; poculum nuncupat aduersitatem quæ cor mœrentis exasperat, & sese infundit in omnia animæ penetralia; illam, quæ ad exteriora, & temporanea pertingit, non reformidat vir iustus, quia dũ expolliatur externis, falcibus ærumnæ demetuntur luxuriantes affectus passionum, vt maiori, & vberiori conatu animi virtus repullulet; illa aduersitas periculosior, quæ ad interiora prolabitur, & potentias animi nobiliores mœrore confundit, caligine obnubilat pectus, & arcet solis iustitiæ radios, qui illuminãt, & recreãt inenarrabili gaudio domicilium animi; hoc poculum tribulationis acerbius absentia Domini, & priuatione cœlestis dulcedinis permixtum. Ad hunc calicem hortatur propheta dicens: *Hoc primum bibe.* sed vbi primus est calix, expectetur secundus; non ebibes poculum mellea dulcedine suauitatis æternæ conditum, nisi primum felleum, & myrrhatum absorbeas; bibe tribulationem, quæ ad se attrahit, & inclinat Domini misericordiam: *Oportuit vexationes populi præcedere, vt sequeretur misericordia.* Inquiebat Ambrosius; insequitur Domini misericordia tribulationem, & anhelat ad populum laboriosum, vt cui infundit poculum turbidum ærumnarum, torrentes pietatis effundat, & eum vitæ æternæ oblectamentis inebriet. Quid plura? Maiores orbis vexationes expectauit Dominus, vt veniret ad ipsum redimendum, & cum versabatur in caligine potioris aduersitatis, & in regione vmbræ mortis, inclinauit cœlos, & descendit; ideò subiungit eodem loco vates Isaias, iuxta Lxx. *Populus qui ambulabat in tenebris, lucem vidit magnam: qui habitatis in regione vmbræ mortis, lux fulgebit super vos.* quibus verbis Mediolanensis Antistes suum lumen adiicit: *Bibe ergo cito, vt lux tibi effulgeat magna. Lux non quotidiana, non diei, non solis, non lunæ, sed lux illa quæ vmbram mortis excludat.* Hunc calicem biberat mater vidua, quæ mortem filij lamentabatur, & propriam orbitatẽ deflebat, sed ad ipsam inclinata est Domini misericordia, & solamen infundit, & habitanti in regione mortis nato, portantibus pollinctoribus ad sepulchrum, lux affulsit magna, *Quæ vmbram mortis exclusit.*

Grauis contritiones, & vexationes præcedunt, vt sequatur Dei misericordia.

Vt bibamus de dulci poculo dominicæ clemẽtiæ, primò prægustandus calix mœroris.

Tribulatio potio est insuauis, quæ temperata est à Domino.

Lxx.

Ei, qui absorbet amarum aduersitatis poculum, lux affulget magna.

6. Inter alia encomia, quibus sacræ sponsæ virtutem, & decorem commendat Salomon, illud est valde celebre, quo nuncupatur cap. 6. v. 8. *Vna est columba mea, perfecta mea.* pro: *perfecta,* Hebraicè est *gemella,* vt refert Galatin. lib. 3. cap. 30. de arcanis, & rationem huius nomenclationis subdit: *Sicut gemellis contingit, vt cum vnius corpus sentit aliquid, alterius corpus illico turbetur, ac tumultuetur, ita in tribulatione nobiscum Deum compati.* Quæ verba refert Lorinus in Psalm. 90. vers. 15. quibus consentit Origines tractatu 34. in Matthæum, locum Psalmi prædicti expendens: *Cum ipso sum in tribulatione,* aitque: *hoc est contribulor ei. Sicut enim qui meus est, in tribulatione mecum est, sic & ego in tribulatione cum eo sum.* In gemellis partubus quando duo fœtus in conceptu, & partu cohærent, non solum datur omnimoda species, & similitudo corporum, sed mirabilis consensus animorum, sympathia affectuum, & mutua condolentia, ita vt ex alterius ærumna, & labore resultet in altero compassionis cohærentia, quare S. Aug. tom. 5. lib. 5. de ciu. Dei c. 2. de Geminorum simili valetudine, & languore, hæc refert: *Cicero dicit, Hippocratẽ nobilissimũ Medicũ scriptũ reliquisse quosdam fratres, cùm simul ægrotare cœpissent, & eorũ morbus eodẽ tempore ingrauesceret, eodẽ leuaretur, geminos suspicatum.*

Cur sponsa ab sponso vocatur gemella. Cant. Lect. heb. Galatin.

In gemellis mirabilis datur animorum consensus, & mutua condolentia.

Lorin. Orig. In tribulationibus, cum patimur, Deus compatitur.

D. August. Fratres gemini ægrotãtes, eodem tempore sentiebant morbum, aut ingrauescentẽ, aut alleuiatum.

Ad

Ad propositam ergo, Ecclesiam, & sponsam suam Christus gemellam nuncupat, quia ipsa dolente, dolet, & patiente, compatitur, quodam amoris, & pietatis affectu; hinc est quod Saulus insectatus Ecclesiam, IESVM persequebatur, & sponsæ dilectæ afflictiones dolendo sustinebat; ideò ex passionum tolerantia, & dolore IESVS clamabat: *Saule, Saule cur me persequeris?* ad dexteram assidens in throno cum patre regnabat, & Ecclesiæ suæ aduersa, compassione tolerabat; in cœlis erat, & cum Ecclesia in terris à Saulo velo vexata, gemebat. Intimus amicus est, qui nobiscum dolet, in ipsa tribulatione propinquior.

Aduersitates anteambulones sunt Domini, ipsumque appropinquantem indicant. Lib. Reg.

7. Denique aduersitates anteambulones sunt Domini qui ipsum iam properantem indicant. Solamen infundere solicitat Deus Eliæ in spelęo latitanti, solitario, & mœrenti, & spiritum tempestatis, cómotionis, & ignis ante se præmittit. lib. 3. Reg. c. 19. v. 11. hisque transactis, Dominus venit in sibilo auræ tenuis. Si Dominus ante turbines, & procellas ibi erat, colloquia miscens placida cum Elia ibi v. 9. *Mansit in spelunca, & ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: quid hic agis Elia?* Possidebat Dominum in antro illo tanquã collegam, & contubernalem; cur postea ad illius aduentum præcedit terræ conquassatio, saxorũ in hiatus disruptio, petrarum contritio, & turbo ignis omnia dissoluentis? Vt propositum Dei teneat Propheta, erudiatur ærumnis, & huius sæculi aduersis, quæ præcursores solent esse Domini, & præambula vberioris clementiæ: Ductaq; est similitudo à terrenis imperatoribus, quorum aduentum indicant hastati stipatores, & armis instructi satellites, quadrigarum apparatus præeuntium magnificus, qui ipsum regem in splendore gloriæ, & maiestate aduenantem, indicant. Pulchrè doctissimus Abulensis in libr. 3. Reg. c. 19. q. 16. perscrutatur: *Ad quid Deus præmisit ventum, & commotionem, & ignem, vt loqueretur Elia?* Et respondet: *volebat Deus consolari Eliam.* Et subdit: *Sic in regibus quando transeunt, aut stant, est coram eis copiosus apparatus rerum excellentium, qualis non est coram aliquo alio homine, & ille apparatus vocatur maiestas regis, vel venire cum maiestate; si tamen rex aliquando solus veniret, & quasi incognitus, non diceretur venire in maiestate; sic etiam de Deo, quando ipse nihil ostendit de istis rebus magnis, non dicitur venire in maiestate vel gloria.* Cum enim Dominus cupit venire ad animam cum vberioris gratiæ prouentibus, tribulationes magnas præmittit quæ ipsum acceleratem, aut iam adstantem pręmoneant; terræ enim quassatio, turbo, & ignis omne genus tentamentorum indigitant, quibus athleta virtutis Elias examinatus est, & probantur iusti: expertus enim est caminum paupertatis, contumeliosa verba Iezabelis propudiosæ, quæ velut violenti flatus tranquillum cordis pelagus conturbabant, vindices iras internecionis inhonoræ, quæ formidine concutiunt animosiores, & mœrore repleuerunt inuicti Vatis animum. Hos præcursores Dominus præmittit, qui illius aduentum renuntient, & apparent solerter domicilium regi magno, qui licet in ipsis adsit occultus, non appareat manifestus; postea ex liberali hospitio lætam faciem ostendit; grato, & dulci alloquio asperitatem lenit aduersitatis, inenarrabili lætitia complet vires animæ; ignis ante ipsum præcedit, & in circuitu eius tempestas valida, ante illius vultum præcurrit egestas, quæ iam occurrere regem nuntient in maiestate, & splendore mirabili, qui repellat mœroris caliginem, timoratum, & turbatum pectus tranquillet. Pulchrè B. Hieronym. in Psal. 66. perpendens varias Iobi aleas in aduersante, & prosperante fortuna, inquit: *Antequam tentaretur, Deus ei nunquam loquutus fuerat: postquam autem tentatus est, venit ad eum Deus, & familiariter loquitur quasi amicus cum amico suo.* Et statim apposite subiungit sanctus Doctor suum erga calamitates affectum, cum omnes ad se prouocat: *Veniant plagæ, omnia pœnarum genera, dum post plagas Christus adueniat.* In domicilium viduæ Naim omnem plagam Dominus immisit, cum in vnicum natum grassari mortem permisit, sed post tenebras vera lux affulsit; risus post mœrorem, lætitia post fletum, vita post mortem; etenimcontribulatum cor matris, dilecto pignore orbæ, fletibus, & lamentis Domini clementiam attraxit, & suaui violentia compulit, vt feretrum apprehenderet, ipsaque fide teneret vitæ æternæ fontem. Vt in catalogo mulierum censeatur, quæ apprehenderunt virum vnum.

Abul. Cur Deus præmisit cõmotionem, turbinem, & ignem, vt loqueretur Eliæ? Cum rex in maiestate venit, præcedit apparatum militum magnificum, qui regem ab aliis discernit.


Deus ad viros iustos tribulationes magnas præmittit, quæ ipsum iam accelerantẽ præmoneant. Eliæ aduersitates.

Dominum ad Eliam aduentantẽ præcedit tẽpestas.

Cũ ipse Deus gratãter alloquitur.

D. Hieron.

Iob antequã tentaretur, non fruebatur familiari Dei alloquio. Post tentationem Deus quasi amicus cũ amico fatur. Optãda sunt omnia aduersa, vt post plagas Christus adueniat. Vidua filio orbata fletibus, & lamẽtis attraxit Domini clementiam.



Et apprehendent septem mulieres virum vnum.

Septimo: Euangelicæ Mariæ apprehendunt Iesum.

DISCVRSVS VII.

Mulierum deuotio vberior, fides robustior, pietas maior, ingenium felicius, in inuestigando, & tenendo Iesu.

1. NON mirum si muliebri studio in inuestigatione cœlestium palmã damus, hic enim sexus, reiectã malitiã, facilius se versat ad pietatem, cui ipsa natura indidit deuotionis, & piæ functionis suffragium. Moysi ad legationẽ Ægyptiacam lentius proficiscenti, apparet Angelus euaginatum gladium ostentans, & mortis minas aduersus eum intentans. Exod. c. 4. v. 24. *Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Cum enim esset legislator, & exemplar populi in accurata legis obseruatione, ipse primus eam violabat, filium incircumcisum in Ægyptum circumducens, nec circumcisionis sanctionem, qua soli Hebræi à barbaris dirimebantur, exequebatur, Occurrit illico imperterrita internecioni, & excidio vxor eius Sephora, arrepto lapillo filium circumcidit, & abscisso præputio, effusoque sanguine expiauit delictum, iram Domini inhibuit, discrimen vitæ remouit, & Angelum ad discessum compulit iam placatum. ibid. v. 25. *Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui.* Apparet hic fœminæ sedulitas maior, & virtus robustior; cum enim maritus trepidat consilij inops, mulier dominicæ securitatis causam explorans, in impendenti fato, & mortis alea, in medium prosiliit parare Moysi salutem, & nato redẽptionem; vt cernas in ipso discrimine mortis opitulatricem vitæ. Commendat illius animositatem, & solertem cautionem Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 125. ad

Exod.

Cur Moysen volebat occidere Angelus?

S. Isid. Pelus.

Vxoris Moysi sedulitas vt ipsum à morte seruaret.

ad Gregorium Episcopum, his verbis: *Qua quidem in re illud iusta Dei indignationis causam fuisse indicauit, quod vxoris fides coniecerat. Siquidem mulieres cum necessitas vrget, diligentioribus, quàm viri artibus vti, sincerinsque ad Deum confugere consueuerunt.* Superauit sexus infirmitatem studium deuotionis, vt redderet Deum placabilem; dum horrore iustæ animaduersionis, & impendentis supplicij, accusante conscientia, vir pauitat; patrocinij munus fœmina quasi aduocata mariti, & patrona suæ incolumitatis suscepit. Non exhorruit supernam potestatem euaginatum acinacem, & limatum ostentatem: cultrum aduersus gladium accipit, cruorem tenelli pueri aduersus sanguinem mariti fundendum opponit, religiosa virago, vt pio nati sacrificio venerabilis antista abluat viri piaculum. Moysi diuinis institutis erudito, sacris functionibus ornato, affectus fœmineæ pietatis præfertur; etenim cum calamitas occurrit, & fati necessitas vrget, mulier solertius diuinum numen exorat, lachrymis inflectit ad commiserationem, supernum opitulamen celerius attrahit: *Sincerius ad Deum confugere consueuerunt*, Pulchre Sanctus Gregorius Nyssenus orat. 2. in Hexameron adstruens in viro, & muliere communicationem naturæ, eandemque participationem imaginis, & similitudinis Dei, in exercitationibus pietatis decernit fœminam viro antecellere, sic enim inquit: *Non temere mulieri ea data est mollitudo, sed vt ad humanitatem facilior sit, ad misericordiamque propensior. In rebus autem, quæ fortitudinem postulant, robusta est, in vigilijs, & laboribus constans: quando potest hominis natura, cum fœminę fortiter vitam agentis natura, contendere? quando potest homo firmam mulierum in ieiunijs continentiam imitari? quando potest æquare sedulum earum in precationibus studium, piam ad lacrymandum propensionem, & pronam ad benemerendum facilitatem?* Hæc ille.

S. Greg. Nyss.

Fœmina ad humanitatē, misericordiā, pietatis exercitationes propensior viro.

Magdalena solertia in disquirendo & amplexādo suo creatore.

S. Chrys.

2. Magdalenæ solertiam mirabilem, in disquirendo & amplexando creatore suo, affectibus piis, suspiriis, lacrymis, stupenda seculi, & amasiorum renunciatione, proponit clarissimis verborum luminibus os aureum, & quasi ipsi paterent primitiuæ pœnitentis præcordia, rimatur intima pectoris amore diuino saucij: quid ipsa secum volueret tacita animo, prodit & enuntiat tomo 6. orat. in peccatricem, & in persona Magdalenæ sic fatus: *Et ego appropinquabo Deo: sed vereor ego peccatrix accedere ad eum, qui omnis peccati est expers: cœnum ego ac limus: ad ipsum vnguentum: at habeo arrhabonem misericordiæ, ipsius vocem dicentem venite ad me omnes peccatores.* Postea vero peccatricem introducit excitatam exemplo Rahab meretricis: *Noui Rahab meretricem in porta ciuitatis misericordiam sui peccati obtinuisse: verum ipsa exploratores filiorum Israël suscipiens pro hospitalitatis mercede vitam recepit. Qui enim seruauit illam Iesus filius Naue, figuram veri Iesu referebat, bona meretrici pro opere bono donans retribuensque. Si igitur tunc nomen Iesu salutem & remissionem peccatorum præbuit: nunc verus Iesus Virgo ipse, & ex Virgine, peccatricem hospitio excipientem, & vnguento pedes vngentem repellet? nec peccata ei condonabit? atqui sibi Rahab dimisit à se exploratores; ego verò retinere eum conor, quem desideraui, non quidem vt illa exploratores multos: sed hūc tanquā Episcopum omnium animarum hominum. Venit enim ouem morbidam visitare, errantemq; suis humeris inuehere, & cœlestibus consecrare, his enim affectibus animæquior facta cucurrit ad salutis fontem:* Quam argumentosa est fœminea pietas, & fides; vndique rationes exambit, & ad institutionē salutarem argumēta coaceruat; ad apprehēdendum sponsum cœlestem ex litteratura sacra exēplare magisteriū meretricis Rahab ad suffragiū salutis cōquisiuit, & pietate cumulauit; nec enim sicut exploratores Rahab, à se elabi, & fuga se subducere sinet suum Iesum, sed amoris nexibus illigabit, *Ego verò retinere eū conor, quē desideraui.* In cōditura vero olei & smigmatis, immēsa penè sedulitas effulget; cucurrit ad pharmacopolā, & vnguentariā officinā auidissima, vt ex pretiosioribus, & suaueolētioribus calamis, & aromatibus cōficiatur thymiama Christo offerēdū; placebit intermixtū sermonē inter vnguēti opificē, & peccatricē auscultare ex ore aureo fluentem, ibidē: *Auxiliata est fides peccatricis puro atque sincero eius proposito venitq; ad vēditorem vnguēti, & dicere cœpit ipsi: quoniā magnus mihi amicus præ cūctis filiis hominū aduenit, si egregium ac præstantissimum aliquod vnguentum habes, da mihi, vt pro dignitate offerā ei, qui merito à me amatur, quique cor meum, ac renes incendit, atq; inflāmauit: de pretio autem non sit tibi cura. Si oportuerit me cuncta etiam vsque ad corpus & ossa vendere, & dare tibi, prōptissime faciam, vt saltem modicū quid habeam, quod illi offeram, qui sic me à peccatorum sordibus purgaturus est.* Cumque vnguentarius expauesceret ad tātum fidei feruorem, & animi alacritatem, de amatore suo perquirit quis esset cuius amore flagraret, lymphataque redderetur, cuius decorem amore immenso correpta concupisceret? Respondetque Maria Chrysostomi verbis: *Hic filius est Dauid secundum carnem & propterea conspicuus est, atque spectabilis, & de eo ipse dicebat: speciosus forma præ filijs hominum. Hic filius est Dei, & Deus ipse. Hunc cum non vidissem, audissem tamen de ipso, vulnerata eius amore sum, ac desiderio. Dauidis quidem desiderio capta Michol filia Saul, regiam reliquit: ego proprias diuitias, quas & male conquisiui, vendo, vt vnguentum emam: & accurro ad eum, qui ex Dauid semine propter me pauper factus est. Et accepto vnguento, cucurrit fidelis peccatrix tanquam vocata ad domum Pharisæi.* Quid illustrius? Declamatoris sacri pro suggestu primarij libaui quantumuis multa, quæ pietatis, & amoris succum dulcissimum propinant animis, & cœlestem afflant odorem. Vbi sacra amasia Christi seraphicis tædis succensa & deuotionis vnguento delibuta adstruitur intus extraque armata pyxide, & alabastro mirificis repleto liquoribus, nardoque mystico, vt Regem pharisaico in syrmate accumbentē inūgat, & tricliniū totū replēs sacris odoribus suorū fœtorē criminū aboleret, cerne accurrentem, & volitantem ad conclaue conuiuij vt pretiosi halitus blandimento veniam captet, odora illecebra Christum apprehendat.

Rahab. Nomen Iesu Rahab meretrici salutem & remissionē peccatorum præbuit.

I. sus Episcopus omnium animarum hominum, venit ouem morbidam visitare.

Intermixtus sermo inter Magdalenā & vnguentī opificem qualis fuerit?

S. Chrys.

Laudat Magdalena Iesu pulchritudinem, cuius amore vulnerata est.

S. Chrys.

Male acquisitas diuitias vendit, vt vnguentum pretiosum emat.

3. Fœminea pietas Magdalena vetustior est; in Eua viuentiū matre in genesi mūdi sūpsit exordiū; incidit enim in præuaricationē à serpente seducta, ansamq; præbuit marito vt assentiret pręuaricanti, massā humani generis corrūperet, & in omnem progeniē traduceret delictum, &

criminis

Digitized by Google

criminis reatum; sed de peccato mulier requisita à superno iudice, ingemuit, & iusta animaduersione condoluit. Genes. cap. 3. v. 13. *Et dixit Dominus Deus ad mulierem: quare hoc fecisti? quæ respondit: serpens decepit me, & comedi.* Perscrutatur in his sententiis pium mulieris ingenium & alacritatem ad traducendam culpam, & euulgandum lapsum suum, S. Ambros. lib. de paradiso cap. 14. scribens: *Veniabilis culpa, quam sequitur professio delictorum. ideo non desperata mulier, quæ non reticuit Deo, sed magis confessa peccatum est, quam medicinalis secuta sententia est.* Eundem conceptum replicat in commendationem fœminei sexus lib. de instit. Virginis cap. 4. *Adde illud, quod & prior culpam fatetur. Etenim quæ se dicit esse seductam, testatur errorem. erroris igitur medicina, confessio est. In iudicio ipso quanto clementior mulier viro? Ille mulierem suam accusauit, ista serpentem: hoc est, nec accusata crimen retorsit, sed ipsum accusatorem suum maluit (si posset) absoluere, quàm ligare.* Ostendit Deus in primæui redargutione delicti immensæ misericordiæ viscera; & fœmina in recognitione flagitij magna virtutum decora; prior ipsa virum in errorem induxit, sed prior etiam ab errore reuocauit, & deduxit ad veniã; impulit ad lapsum, prima docuit resurgere à flagitio post ruinam. Cerne post iudicium examinatorium Dei, pudore suffusam, qui salutem operatur, & vitam restituit, post animæ spiritalem interitum. Cupiebat Dominus misericordiæ suæ viscera effundere; at misericordia miserum respicit, inuenit Angelos iustos æterna felicitate donatos, eos vero qui suum dereliquerunt principatum, malitia induratos, inconuertibiles ad bonum, obsistentes Dei clementiæ; fœmina cum deliquit, & peccatum recognoscit, misericordiæ capax facta est. Aperuit indulgentiæ ianuam, & primitiuæ absolutionis munera suscepit; & non esse irremissibilem præcepti transgressionem re ipsa demonstrauit, peccatum fœmina in mundum inuexit, sed ab ipsa orta est lacrymosa detestatio delicti; agmẽque ductauit exomologesim operantium felici mulieribus pietatis auspicio. Felix culpa quæ viam adinuenit clementiæ diuinæ, & redemptionis humanæ. O Adam qui secutus es Euam errantem, sequere pœnitentem! Quam pia extitit in iudicio Dei erga obiurgatorem maritũ, cum in tanto discrimine eam Adam lacessit, oblitus patrocinij infirmioris sexus, ad quod impellebant iura naturæ; in Euam totum transgressionis crimen retorsit; ipsa vero oblita est iniuriæ, vt alienam redimeret offensam, cupiẽs virum indulgentiæ habere participem ad lapsũ prona, & mobilior mulier, & in tentatione titubantior; sed vbi causa fidei, & pietatis adest, in professione flagitij viro robustior, & sapientior extitit, Deum lacrymis exorauit, & tenuit, ad se inclinans Domini clementiam. Denique Ambrosius fœmineæ sedulitatis hæc adiungit elogia: *vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* (Mat. cap. 26.) *Dominus hoc dixit, vir audiuit, mulier impleuit. quotidie mulieres ieiunant, & non indicta præstant ieiunia: peccatum agnoscunt, accersunt remedium. Semel de interdicto mulier manducauit, & quotidie ieiunium soluit. Qui secutus es errantem, sequere corrigentem.* Hæc ille.

Genes.

S. Ambros. *Peccatorum confessio à muliere sumit exordiũ.*

S. Ambros.

D. Amb.

Mulieres ieiunij sectatrices: semel de interdicto fœmina manducauit, & quotidie ieiunium soluit.

Samaritana doctissima

4. In muliere Samaritana vitiorum gurgite cœnoso immersa, scintillula quædam affulsit pietatis, cum Domino sermocinata: ex colloquio cum Iesu omnes affectus inhibentur humani, in cælestes immutati ad creatorem diriguntur: verbis, & operibus apparet officiosissima, vt inueniat redemptorem. Discussit animum meretricis Iesus, propalauit pectoris intima, euulgans secreta crimina. Ioannis cap. 4. v. 19. *Dicit ei mulier: Domine video, quia propheta es tu.* Vbi S. Chrysostomus argute ponderat Samaritanæ docile ingenium pietatem spirans, & solertiam in Domini agnitione, & obsequio, sic scribens tom. 6. orat. in Samaritanam: *Cum sua reuelare peccata vidisset, ait: Domine video, quia propheta es tu: quod perinde erat, ac si diceret cum Dauide: ab occultis meis munda me.* Prophetam nuncupat, qui cordis reuelabat occulta, & plusquam prophetam, à quo mundari ab occultis suis deprecatur. Vix deuenit ad conspectum, & Domini Iesu sermonis consortium, & veniam criminum postulabat. Venit haurire aquam de puteo, sed iam cupit & sitit fontem aquæ, ad absolutionem flagitij, & ablutionem menstruatæ iam patentem, qui fluenta vitæ fundebat æternæ. Profitetur scelera, vitamque suam extitisse maculosam, & immundam; lacrymarum se lauat irriguo, vt fiat in ea aquarũ fons salientium in vitam æternam. Quãta verò sapientia clementiam Domini promeruit, ipse subiungit Euangelista texens seriem muliebris sermonis: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt.* Et Chrysostomus addit hæc: *Meretrix de dogmatibus sermonem infert, & Dominum prophetam esse arbitrata nihil sæculare postulabat, Dominum confessa est, & pecuniarum copiam non requisiuit.* Cerne nouum miraculum, propudiosam fœminam coram Domino, & opulento à postulatis abstemiam, quæ ab amasiis xeniola, & mundum muliebrem importuna exigebat, coram Iesu de dogmatibus disputat, nihil humanum postulat, aurum, & argentum mulier ab homine non requirit: *& pecuniarum copiam non requisiuit.* Exactio crudelis fœminæ, & muliebris auiditas aliena possidendi, ex colloquio Iesu inhibetur. Facile inferiora temnit animus, cùm supernorum affectu tangitur, cum ad cælum conuolat; terrena calcat. Adiungit Ioannes huius fœminæ mirificam sapientiam, & in desiderio Messiæ ardentem affectum. Ipsa inquiebat: *Dicit ei mulier: scio quia Messias venit, qui dicitur Christus, cùm ergo venerit ille nobis annuntiabit omnia.* Hasque sententias exornat eodem sermone Chrysostomus: *Vide quo modo spiritualium donorum gratiam rapiat, vide quomodo cuncta depromptis ex scriptura demonstrationibus firmet. Scio quia Messias venit: illum quæro, illum præstolor, illum expecto.* Explicuit animum auidissimum internoscendi Messiam, cuius aduentum propheticis modulis annuntiauerant Patres, cuius expectatione suspensa, quotidie illum præstolabatur, cuius votis respondens Iesus sese illi manifestat: *ego sum*, inquiens, *Qui loquor tecum.*

Vt inueniat redemptorẽ, & veniam criminum postulet.

S. Ioan.

D. Chrysost.

D. Chrysost. *Prudens fœmina Samaritana quæ à viro pecunias non requisiit.*

D. Chrysost.

5. Recenset Sanctus Lucas Euangelista sequelam fœminarum Christum, & Apostolos concomitantium in discursu Euangelicæ prædicationis cap. 8. *Ipse iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans, & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus, Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua*

Fœminarum pietas Christum, & Apostolos comitantium per ciuitates & castella.

S. Lucas.

septem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ Procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Quarum pietatem in clientela, & obsequio Saluatoris demiratus Tertullianus existimat in iis Isaiæ vaticinium adimpletum cap. 32. vers. 9. *Mulieres opulentæ surgite, & audite vocem meam: filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum. Post dies & annum vos conturbabimini confidentes.* Quem locum eleganti periphrasi illustrans lib. 4. aduersus Marcionem c. 19. scribit: *Quod diuites Christo mulieres adhærebant, quæ & de facultatibus suis ministrabant ei, inter quas & vxor regis procuratoris; de prophetia est; has enim vocabat per Esaiam: mulieres diuites exurgite, & audite vocem meam; vt discipulas primo, de hinc vt operarias, & ministras ostenderet; filiæ in spe audite sermones meos. Dies anni mementote cum labore, in spe. Cum labore enim quo sequebantur, & ob spem ministrabant.* Collegium discipularum, quæ sanctissimis institutis operam dabant secum deferebat Iesus, quarum pudor, & vitæ puritas, conferebat concurrentibus virtutis odorem, exemplar probitatis, quæ possent esse euangelizantibus temporali subsidio; eæ tamen longo terrarum tractu, varioque per vrbes discursu, laboriosoque itinere non retardantur à suscepto munere administrandi epulum Iesu; & dum pascuntur dulcissimi Iesu eloquio, eiusque fruuntur aspectu, pro edulio vitæ terrena cibaria recompensant. Quarum fœminarum mores, Iesu adhærentium, ex nominum arcanis erues cum Alberto Magno Lucæ c. 8. *Susanna interpretatur lilium propter odoriferum cælestis vitæ candorem, vt dicit Glossa, & ideo significat viuentes in cælibatu, & innocentes. Vna igitur* (loquitur de Magdalena) *trium, ex scandalo fluxa carnis ad Christum conuersa. Secunda,* (Ioanna) *ex lucris concupiscentiæ sæculi. Tertia autem ex flore virtutum cælestium, adhæret diuino flori. Hæc est enim colonia ciuitatis diuinæ: quod cum Susanna, & similibus gloriosa dicuntur de ea. Cum Magdalena memor est Rahab meretricis, & Babylonis probrosissimæ confusionis. Cum Ioanna alienigena, & Tyrus, & populus Æthiopum, de angustia lucrorum sæculi ereptus, habitat in ea appropriat enim virtutes, & attrahit peccatores: ostendens quod innocentes, & recti adhæserunt sibi.* Pulchra ciuitas cælestis regis ex sanctissimis mulieribus collecta, quæ vel innocentiam seruauerunt, vel illecebras sæculi renuntiarunt, per tot rerum discrimina contemptis honoribus, & rerum familiarium oblectamentis Christum sectantur indefessæ. Cur autem fœminas recenseat Euangelista, Iesu & Apostolorum comites, subiungit idem Magnus Albertus ad id: *& mulieres aliquæ.* Dicens: *Ponitur autem in mulieribus exemplum, quia deuotior est sexus, & facilius obedibilis in bonum.* Non segregat noui instrumenti pagina fœminas à Christi consortio, & contubernio, ab Apostolorum sodalitio, vtrumque enim sexum Dominus vocaturus, & fide sanaturus aduenerat, nec contemni debuit conuentus fœminarum, in quibus pietas solet esse vberior, & administrationis obsequium feruentius. Hæ tamen Euangelicæ administræ fide, & amore superant eas Isaiæ mulieres, quæ virum ad proprium patrocinium solicitant dicentes: *Panem nostrum comedemus,* ne virum onerent sustentationis earum cura laboriosa: at Maria, Iohanna, Susanna, & reliquæ, viro vni Domino Iesu, eiusque discipulis alimoniam præbent: *quæ ministrabant ei de facultatibus suis.*

Tertul. | Tertul. | Alb. Magn. *Mulierum Christum sectantium, nomenclatio, & illius arcana interpretatio.* | Albert. Mag.



Apprehendent septem mulieres virum vnum: aufer opprobrium nostrum.

Parergon discursus præcedentis, & Euangelicarum Mariarum encomium.

Cælestis paradisi lignum, æternæ vitæ fructum, & gaudium mulier prima ante viros apprehendit; inglorios titulos omnes fœminei sexus expungit, & decus fœminis amissum restaurat.

6. QVAMPLVRIMA conuicia & maledicta congerit aduersus mulierem Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 1. *Euam te esse nescis. ignominiam dico primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ; viuit sententia Dei super sexum istum in hoc sæculo, viuat & reatus necesse est. Tu es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es diuinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit, tu imaginem Dei hominem, tam facile elisisti.* Valde similem improperiis plenam redargutionem proponit Sanctus Chrysologus sermone 64. de Lazaro à mortuis suscitato, cum ea verba Ioannis cap. 11. *Vbi posuistis eum,* examinat; & argute, & lepide sententiam illustrat, existimat enim hunc interrogatorium Christi sermonem censorium esse, crisis plenum, & obiurgatorium sexus fœminei: *Ille sic interrogans exigebat fidem, scientiam porrigebat, vt astantes scirent, quod mors, quod sepulchrum, quod corruptio, quod putredo, quod fœtor non ex conditione Dei, sed ex delicto hominis, hominibus accidisset. nam cum dicit vbi posuistis eum, mulieres increpat, mulieres arguit: hoc est quem ego posui in paradiso, in regione vitæ, ecce vos vbi posuistis eum.* Sciebat Iesus quod Lazarum regio mortis dira clausum retineret, sed scientiam dissimulat, vt originem fœminam vniuersalis ærumnæ demonstret: aduersus beatæ vitæ statum omnia infausta homini mulier intulit. Adamum, quem in horto deliciarum Deus posuit, de paradiso mulier eiecit, & condidit in sepulchro; aduersus immortalis vitæ possessorem, & cælorum candidatum, quæ nisi mulier esse posset artifex mortis, quæ Adamum circumamictum æternitatis splendoribus, toga damnati pellicea indueret, conditiuo mortis traderet, in vermes, putredinem, puluerem, & cinerem fatiscentem? quem Deus in paradiso posuit, in regione vitæ, mulier collocauit in regione mortis, abscondit in tumulo.

Maledicta & conuicia aduersus mulierem, ex Tertulliano. | Tertull. | D. Chrysol.

7. Has omnes contumelias repulit mulier cum Christus à mortuis resurrexit; fœminei sexus vindicē testor Oseam c. 6. v. 1. *In tribulatione sua mane consurgent ad me: venite & reuertamur ad Dominum: quia ipse cœpit, & sanabit nos; percutiet,*

Oseam. | *Pia mulierū Euangelicarum sedulitas vt Iesū rediuiuum inueniant, à Vate Osea prædicitur.*

percutiet, & curabit nos, viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sciemus, sequemurque, vt cognoscamus Dominum. Celebre vaticinium arcanis omnibus resurrectionis Christi plenissimum, vt concors est primorum Ecclesiæ sensus, & vox. Sed singillatim illud vsurpat Tertullianus de pia fœminarum sedulitate, qua ante diei lucidum candorem properarunt Dominica Resurrectionis ad sepulchrum. lib. 4. aduersus Marcionem cap. 45. hunc Oseæ locum consonum adstruit cum cap. 24. Lucæ; sic scribit: *si nec mulierum illarum officium præterit prophetia, quæ ante lucem conuenerunt ad sepulchrum, cum odorum paratura. De hoc enim per Osea* (loco præallegato) *vt quærant inquit, faciem meam, ante lucem vigilabunt ad me, dicentes, eamus, & conuertamur ad Dominum, quia ipse eripuit, & curabit nos, percussit, & miserebitur nostri, sanabit nos post biduum, in die tertia resurgemus. Quis enim hæc non credat in recogitatu mulierum illarum volutata, inter dolorem præsentis destitutionis, qua percussæ sibi videbantur à Domino, & spem resurrectionis ipsius, qua restitui rite arbitrantur.* Omnia virtutum decora in media noctis caligine in fœminis refulgentia proponit vates, celerem cursum ad disquisitionem Christi, si forte in speluncæ latibulo adhuc somno mortis consopitus requiesceret; an exacta mortalis soporis meta ad immortalitatem migrauerit? Vnguentarium munus, & paraturam odorum, quâ corpus inungerent, & mortis latebram redolenti halitu suffirent. Quas meditationes in cursu itineris secum voluerent; & contemplationes comminiscerentur; quæ verba proferrent se ipsas excitantes, vt depulsa formidine, & despecto mortis discrimine peruenirent ad destinatum locum sepulchri, perspicue patent ex ipso vate: *Mane consurgent, ante lucem vigilabunt.* Cùm vespere sabbathi quæ lucescit in prima sabbathi veniunt Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum. In vespere peccasti ad auroram redimeris; quæ vespertino tempore inuenit mortem, ante diluculum manicauit, vt vitam inueniat. Nocte inuigilant Mariæ desidiam à se exuunt, ægrumque soporem, & genus humanum informant, quod expedit præuenire solem ad benedictionem Domini. Fœmina prior properauit ad lapsum, sed citius cucurrit ad veniam. Prior fœmina præceptum Dominicum in paradiso contempserat, & à Dei vultu recesserat, ideo prima gratiosam, & fulgentem faciem Christi cernere anhelat, pedes eius festinat amplecti. *Venite & reuertamur ad Dominum.* à cuius conspectu recesseramus. *Et viuemus in conspectu eius. Sciemus sequemurque vt cognoscamus Dominum.* De sacrarum mulierum vigiliis, & festinantia ad domicilium vitæ scribit Rupertus lib. 8. offic. cap. 18. *in lacrymis peruigiles amore, nimiumque longa retardantis sabbathi mora fatigatæ, quo nec operari, nec plus mille passibus ambulare licitum erat Iudæis: mox vt illud onerosum sabbathum abiit, recessit, transiuit, nec quieuerunt, nec dederunt oculis suis somnum, non luciferum ad proficiscendum præstolatæ sunt. Noctem pro die, desiderium pro duce, lunam rapuere pro Sole. Luna quippe nocti non defuit, quia tunc septima decima extitit.* Vbi cernis mulierum animositatem cum summo amore, & eximia pietate coniunctam, properantium velociter inter condensa saltus, vt suum Iesum inueniant; ductabat eas Luna iam iam occidua, & pergens ad occasum, ad rediuiuum Solem, vt illuminarentur splendoribus æternitatis; noctem, quod tarda iret, & auroram immorantem, & dormientem incusabant; itineris molestias prorogantes sacris colloquiis.

Tertul.

Rupert. *Inuigilant Lacrymis & vt desideriũ videndi Iesũ imbleant, lunam nocti rapuere pro Sole.*

8. Adhuc sapiens veritatis indagator inculcabit singularem commentationem in illa sententia Oseæ: *mane consurgent ad me.* Quam illustrabat Tertullianus eleganti illo scholio: *mulieres ante lucem venerunt ad sepulchrum cum odorum paratura.* Cur vnguenta, muscum, balsama secum deferunt piæ fœminæ? Dices: vt vngerent Iesum, quem adhuc existimabant in conditiuo mortis iacentem. Hoc verum. sed ad aliud arcanum nos manuducit pium hoc facinus. Id fiet perspicuum ex Lazaro vita functo, ad cuius sepulchrum Iesus accedens, & operimentum lapidis tolli imperans, respondit Martha: *Domine iam fœtet.* Ioannis cap. 11. vers. 39. hunc fœtorem spirituali naso discernens Sanctus Chrysologus sermonis Marthæ Aristarchus, ait serm. 65. *Mulier & quod fœtet, cuius est? nam fœtet, modo ad te pertinet, quod à te venit: ad sepulchrum non sentires fœtorem, si in paradiso suasorem noluisses audire: iam fœtet sed dicendo sic, testaris mortem quam tu mulier intulisti.* Quod corpus humanum soluatur in cineres exedatur vermibus, putredine tabescat, horridum, & intolerandum exhalet fœtorem de muliere præuaricatrice venit. Adam corpus ante lapsum cælestium odoramentoium spiramina fundebat, per paradisi pomaria longè latéque redolentia; at post præuaricationem, & mortem, quæ orsa est à fœmina, à blattis inficitur, à putrilagine corripitur, & compage corporis dissoluta; omnia membra horrida sanie, turpi tabo dilabuntur, pestilenti teterrimoque fœtore nares implet. Hanc offensam nobiliori naturæ, iniuriam illatam pulcherrimo figmento, solicitius fœmina procurat abstergere; ideo pretiosorum odoraminum paraturam deferebant ad sepulchrum, vt malum odorem expiarent delicti, vt homini essent odor vitæ, quæ fuerant odor mortis ad mortem; hinc est quod primæ vnguento gratiæ delibutæ, & vnctæ, & spiramento cælesti resurrectionis, & immortalis vitæ afflatu corripiuntur, vt à fonte corruptionis, & putredinis, diuinæ vitæ flamina, immortalitatis odoriferi halitus in hominem refluant. apposite S. Bernard. Serm. 75. in Cantica scribit: *Sic vos ô bonæ mulieres, cui nam, quæso, excubias exhibetis? Cui aromata comparatis, paratis vnguenta? si sciretis quantus is sit, quamque sit inter mortuos liber mortuus iste, quem vngere pergitis, vos forsitan petiissetis ab eo, potius vngi. Nonne iste est, quem vnxit Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus suis? Beatæ eritis vos si gloriari potueritis reuertentes, & dicere: quia & de plenitudine eius & nos accepimus. enim vero factum est ita. Nam reuera vnctæ remeant, quæ vnctura venerant. Quid ni vnctæ tam læto nuntio noua odoriferaque resurrectionis? quam speciosi pedes Euangelizantium pacem Euangelizantium bona? Missæ ab Angelo, opus faciunt Euangelistæ: factæque Apostolæ Apostolorum, dum festinant ad annuntiandum mane misericordiam*

Oseæ. *Veniunt mulieres ad sepulchrum cũ odorum paratura vt fœtorem mortis quem corporibus humanis inuexerant, abolerent.*

Ioan.

S.Chrysol.

S.Bern. *Mulieres vngere veniunt Iesum sed ab ipso vncta remeant.*

Mulieres Euangelistæ, & Apostolæ Apostolorum in Christi resurrectione.

ferico diam Domini, dicunt: in odorem vnguentorum suorum currimus. Apposite, & scite huc vsque dulciloquus Bernardus. Consciæ propriæ infirmitatis, quantam in homine tragædiam mortalitatis, & corruptionis excitauerint, aperte recognoscunt; quapropter vnguentarium, & expiatorium munus vsurpant, in cadauere in sepulchro iacentis Christi putrilaginem præcauere solicitant, nescientes adhuc resurrectionis sacramentum, myrrham, aloe, aromata deferût, vt corruptelam inhibeant, quam induxerunt humanæ naturæ, & incorruptionem pio vnctionis officio, & aromatum artificio restaurent. Apposite Hesychius apud Photium in Biblioth. num. 269. ait: *Inuenerunt vnguentum ferentes mulieres, quod per Euam amiserunt.* At Iesus, in quo tota vnguentorum gratiæ plenitudo diffusa est, pretioso vnguento, & balsamo incorruptionis, & odoriferæ resurrectionis fœminas inungit: *vnctæ remeant, quæ uncturæ venerant.* Vt fœminarum sedulitate, & industria plenitudo vnctionis, olei redolentis immortalitatem effusio ad Apostolos deriuetur: solicitantibus mulieribus bonus iam Christi odor sumus, ipsisque præeuntibus in odorem vnguentorum rediuiui saluatoris Apostoli currunt; & ad lignum vitæ, & immortalitatis fontem accurrût.

Hesyc. Phot.

9. Celebrat Euangelicarum mulierû Apostolatum, & restauratam hominibus gloriam Magnus Isaias c. 27. venerando vaticinio v. 11. *Mulieres venientes, & docentes eam, non est enim populus sapiens.* Vbi LXX. seniores locum efferunt, & illustrant mirifice, legentes: *Mulieres venientes à spectaculo, venite: non est enim populus habens intelligentiam.* Aquila legit: *mulieres venientes illuminant eam.* Et Symmachus: *mulieres venientes, & docentes eam.* Cuius loci assumptum præclara est commendatio fœminarum, quæ instar ceruæ matutinæ properantes ad fontem viuentium aquarum, hauserunt fluenta cû gaudio de fontibus rediuiui Saluatoris, & gloriæ primitias Domini resurgentis prælibarût. Quas Iesus, & Angelus suis vocibus impulit, vt admirandum, & nouû spectaculû hominis de morte triumphantis, Apostolis annûtiarent; pulchre S. Cyrillus Alexandrinus locû expendit: *Præcipit sanctis mulieribus Seruatoris nostri resurrectionem euangelizare. vos sapientes mulieres venite, & euangelizate fortissime resurrectionem eius, qui mortem occidit.* Postea vero admirandam seruatoris dispensationem in his sapientissimis mulieribus commendans, perquirit, cur sanctis discipulis, vtpote diuinorum dogmatû sacris dispensatoribus, & nuntiis, ante alios non iubet faustû resurrectionis nuntium prædicare? *Cur potius illi non viderunt primi Iesum potentiam mortis dissoluentem? sed mulieribus apparuit, & dignitate apostolatus illis tributa, ire iubet, discipulisque referre Christum excitatum à mortuis; & primæ eius gloriam spectarunt?* Et respondet sapientissimus Pontifex solerter, & argute: *oportebat igitur, oportebat gratificari mulieribus, primisque euangelizare resurrectionem, cum enim prima, & antiquior mulier Adamum in transgressionem induxisset, dictis serpentis subseruiens, fuissetque illa mortis procuratrix, & conciliatrix: cur non illa debuit tam grauium criminum caussa apostolatu depellere. Vbi enim inquit* (Paulus ad Roman. 5.) *abundauit peccatum, exuberauit gratia. Datum est salutis Euangelium fœminæ, quæ mortis ministra fuit. Dictum enim est his necessario: auete, ab eo qui maledictionem imposuerat in principio.* Sanauit morbû fœminæ Iesus, prouidit muliebris sexus indemnitati, & amissum decus gratia vberiori restaurat, dum mulieres instituit, & ordinat doctrices, illuminatrices, euangelizatrices, & Apostolorum Apostolas; hac enim laurea coronatæ in lyceo supramundanæ sapientiæ ab ipso gymnasiarcha Iesu; mirabilis resurrectionis disciplina Apostolos imbuunt, iam hominem fœmina erudiuit ad vitam, quem instruxerat ad mortê; diuinis splêdoribus illuminat corda mortaliû, in quæ inuexerat maledocta à serpente caliginem erroris; & maledictionis notam, in quam mulier incurrerat, ineffabili clementia, insolita salutatione Christus expungit dicens: *auete.*

Mulierum apostolatus, & resurrectionis annuntiatio celebratur ab Isaia præclaro vaticinio.

Isa. Lect. Lxx. Aquila. Symmach.

D. Cyr. Al.

Cur Apostolis Ecclesiæ magistris & diuinorum dogmatum nuntiis, non iubet Dominus sed fœminis, vt resurrectionem promulgent.

D. Cyr. Al.

Mulier quæ fuit mortis procuratrix, & transgressionis, debuit grauium criminum causa apostolatu depellere.

10. Cum quatriduanum Lazari cadauer fœtidum, de faucibus inferi, & corruptelæ voragine parat Iesus abripere, approximat côditiuo sepulchri, & mortis latibulo, vt amici diripiat spolium. *Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi.* Ioan. c. 11. v. 20. Religiosa fœmina resonante nuntio dominici aduentus, ad Iesum accurrit, & oblita recessus, & domesticæ mâsionis, quæ solent esse augustioris fœminæ decora, & virginis symbolum, relinquit domesticos lares, per medias turbas ad magistrum conuolat, pênis, quas ei indidit amor, & solicitudo fratris defuncti. Huius Marthæ cursus pensiculator argutus est S. Chrysolog. serm. 64. *Sic seruus nô fuit, non proximus, non amicus, certe qui aderat consolator, vt mulier sola medias per turbas, per castrum totum, extra ciuitatem & luctus tempore, venienti occurreret Saluatori?* Post acerbum mortis fatum alicuius propinqui, domi se côtinent nobiliores fœminæ, donec tempus expleat luctus, lamentationis, & plâctus, pullato velamento, & tenebris inhorrescens, cubiculum custodiunt, & sibi inhibent amici luminis visum; cur Martha destinatum mœrori, & caligini tempus abrumpit, foras erumpens ad occursum Saluatoris? aderant clientes, & amici fideles, quos delegaret ad Dominum, vt ei annuntiarent fratris excessum, sororum ærumnam. Solerter it obuiam huic percunctationi eruditissimus Antistes Rauennatis: *Fratres in his personis non causa currunt, sed sacramenta signantur. Mulier currit pro morte, quæ cucurrit ad mortem: festinat ad veniam, quæ festinauit ad culpam, ad redemptorem pium peruenit, seductor pessimus quam præuenit: resurrectionem quærit, quæ quæsiuit ruinam, & ipsa quæ mortem viro attulit, vt vitam viro referat, hæc anhelat.* Et argute subiungit Christû expectasse fœminæ aduentum, nec ad domum contendisse, nec ad sepulchrum diuertisse, nec ad Lazarû propter quê venerat, festinasse: *Sed mulierem sustinet, muliere remoratur, mulierem primam suscepit, quam primâ suasor infecit: à muliere perfidiam fugat, ad mulierem reuocat fidem: vt quæ fuit perditionis obsequiû, salutis eadem sit ministra: & sit tandem per Deum viuentium mater, quæ per diabolum diu mater extitit mortuorum.* Non est oblitus infirmioris sexus Iesus, vt crimen fœminæ per fœminam expiaret, & per mulierem piaculum aboleret: eadem via, & industria quâ hostis sepem humanæ tutelæ diruit, Dominus redintegrat, & reformat: vt prima mulier quæ cucurrit ad lapsum, festinet ad veniam, quæ mortem introduxit in orbem terrarum, vitam inferat beatam; ideo prima auiditate fœminea festinat, anhelat, vt immorta

Cur Martha tempore plâctus & recessus in domo, per medias turbas accurrit ad saluatorem. S. Ioan.

D. Chrysol.

D. Chrysol. *Prima festinat ad veniam, quæ festinauit ad culpam, & vitam viro afferre anhelat, cui attulerat mortem.*

D. Chrysol.

immortalitatis præripiat palmam, & lucernam æternitatis splendore fulgurantem manibus apprehendat, vt viam demonstret viris, cælestis paradisi decus amissum restauret, & fiat omniũ viuentium mater per gratiam, quæ facta erat mater omnium morientium per culpam. Hoc felix auspicium inchoatum est per Mattham, plenissime obtentum per Marias.

11. Earum fidem, & euangelicam enuntiationem resurrectionis panegyricis orationibus celebrant Ecclesiæ primores ad id Matth. c.28. *Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum, & ait eis Angelus: cito euntes dicite discipulis eius quia surrexit.* Et postea: *ait illis Iesus: ite nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Et Lucæ cap.24. cùm ab Angelis acciperent resurrectionis nuntium: *regressæ à monumento nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.* S. Ambros. mulierum Euangelizatricum constantiam prædicat, & earum consulit honori lib.10. in Lucam: *Sicut in principio mulier auctor culpæ viro fuit, vir executor erroris: ita nunc quæ mortem prior gustauerat, resurrectionem prior vidit, culpæ ordine, & remedio prior, & ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret: quæ culpam viro transfuderat; transfudit & gratiam, veterisque lapsus compensat ærumnam resurrectionis indicio. Per os mulieris mors ante processerat, per os mulieris vita reparatur. Mulierum per Iesum non solum culpa soluitur, sed etiam multiplicatur gratia, vt pluribus suadeat, quæ vnum ante deceperat.* Nec dissimilis est sanctus Hilarius canone 33. in Matth. *Dominus mulierculis per Angelum adhortatis occurrit, & consalutat: vt nuntiatura expectantibus discipulis resurrectionem, non Angeli potiùs, quàm Christi ore loquerentur. Quod vero primum mulierculæ Dominum vident, salutantur, genibus aduoluuntur, nunciare Apostolis iubentur, ordo in contrarium causæ principalis est redditus: vt quia à sexu isto cœpta mors esset, ipsi primum resurrectionis gloriæ & visus, & fructus, & nuntius redderetur.* Ipsa prior vidit lignum in horto Edem quod esset pulchrum oculis, & ad vescendum suaue, deditque marito, & comedit; idem ordo in præuaricatione, & redemptione seruatur: fœmina ante viros vidit lignum vitæ Christum splendore resurrectionis gemmantem, fructus æternitatis parturientem, sub eius vmbra requieuit, & experta pomi dulcedinem, & mirificum odorem expiantem corruptionis fœtorem, paradisi fructum, & lignum ad Apostolos detulit.

S. Matt. S. Luc. *Mulier omnes compensat, & abolet quas inuexerat ærumnas.* D. Ambr. S. Hilar. *Mulier, ex qua incœpit mors, resurrectionis gloriæ visum & fructum, & nuntium reddit.*

12. Percontatur Sanctus Gregorius Nyssenus, cur mulieres primæ annuntiandæ resurrectionis munus vsurpant, mellifluumque illud verbum *Auete* Matth. c. 18. de ore Saluatoris suscipiunt? Et respondet oratione 2. de Resurrectione: *Oportebat primum muliebrem sexum, & ab Angelo bonum Resurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre, & primam ab eo vocem audire: auete. quoniam mulier prima audierat fraudem serpentis, & contra præceptum viderat ligni interdicti fructum & pœna tristitiæ, ac doloris condemnata fuerat. Quapropter etiam adorare seruator, & pedes apprehendere, & contrectare permittebat, vt iis quæ prima desciuerant, & alienata erant ab eo.* Vt quæ prima Dominici præcepti iugum excutiens ad partes aduersarij transierat contempto dominatore suo, nunc à Domino reducatur: non solum tangendi, sed & tenendi copia tota conceditur: *illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Matth. cap.28. v.9. vt animi mobilitatem mulieres excludant tenentes firmissime, & apprehendentes Saluatorem, vt in iis complementum suum teneat illustre Isaiæ vaticinium: *apprehendent septem mulieres virum vnum.*

S. Matt. S. Gre. Nyss. *Prima mulier pedes Iesu apprehendit, & salutationem illam audit: aue.*



Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.

Isthæc verba infra expenduntur & illustrantur ad versiculum quintum: & creabit Dominus super omnem locum montis Sion & vbi inuocatus est. *De suauissimo nomine Iesu, & illius magnalibus.*

VERSICVLVS II.

In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui saluati fuerint de Israel.

COMMENTARIVS.

1. IN *die illa.* De quo tempore vsurpandum huiuscemodi vaticinium, dubium proponit & soluit sapienter Sanctus Cyrillus: *Quia ambigunt quidam* (inquit) *quo nam tempore hoc de Iudæorum mulieribus, siue de tota eorum regione per vocem Prophetæ prædicta sunt, ante vel post Seruatoris aduentum: certo persuadet horum verborum sensus, & his non aliud nobis tempus denotare prophetam, quàm illud ipsum quo propter impietatem in Christum, miseri in eum deblaterarunt, maximeque dignam pœnam luerunt, cum obsideretur Ierusalem ab exercitu.* De captiuitate itaque Romana hæc verba iuxta Cyrillum accipienda. Alij vero Patres de tempore aduentus Christi in mundum, & dispensatione in carne facta vsurpant.

S. Cyr. Alex.

2. *Erit germen Domini.* Mirabili consensu, & plausu Ecclesiæ primores, & commentatores vaticinium hoc existimant esse de Christo Domino, Hieronym. Cyrillus, Basilius, Procopius, Thomas, Rupertus lib.1. in Isaiam c.11. Bernardus infra referendus, Glossa ordinaria, & recentiores. Et Iudæorum oraculum Chald. Paraphrastes: *In tempore illo erit Christus Domini ad gaudium & ad decorem.* S. Thomas, & Glossa in hunc modum adaptant Christo litteram vaticinij, vt magnificentia *sit miraculorum operatio; gloria resurrectionis, fructus sublimis quantum ad ascensionem. erit quoque sublimis per venerationem nominis*

Germen Domini Christus. D. Hieron. S. Cyr. Alex. D. Basil. Procop. D. Thom. D. Bern. Rupert. Gloss. Chald.

S. Bern. *nominis Iesu.* Audiendus est Sanctus Bernardus qui serm. 2. de Pentecost. prophetiam mirifice expendit: *Germen Domini Iesus Christus solus de mundissimo conceptus semine. Istud germen, quod de virga Iesse virore virgineo pullulauit, in magnificentia fuit cum resurrexisset à mortuis. Quanta autem ascendentis gloria, cum medius Angelorum, & animarum sanctarum ad Patrem deduceris, & triumphatrice palma cælis inuectus, susceptum hominem in ipsa diuinitatis claudis identitate? quis cogitet, nedum loquatur, quàm sit fructus terræ sublimis, in consessu ad dexteram Patris. Veniat ergo exultatio Domine Iesu his qui saluati sunt de Israel Apostolis tuis, quos elegisti ante mundi constitutionem.* Hæc Doctor mellifluus.

Germen Domini Iesu in magnificentia, & gloria, cum surrexit, & in cælum ascendit.

Cur Iesus dicatur germen. 3. Primam hanc expositionem, & piam valde, in hunc modum illustra. Hoc gaudet Iesus insigni nuncupari germinis. ad insinuandam vtramque naturam, & diuinam quam habet à Patre, & humanam, quam ex Maria suscepit. Sic enim verissime ait Sanctus Athanasius lib. 2.
S. Athan. contra Arrianos: *germen Patris filium esse*, ad demonstrandam eiusdem consubstantialitatem, & idemtitatem naturæ, vt genitus non sit passio, vel quiddam diuisum ex diuina illa substantia, sed vnigenitus eiusdem naturæ, semper cohærens Patri, & in ipso immanens. sicut virgultum quod ex arbore germinat, & in ipso manet. Et sicut frutex, & germen ex aluo virginis tanquam ex intacta terra in tempore pullulauit, vt noua plantatione innouaret orbem, & cælestem vitam homini restitueret. Sic Ieremiæ cap. 23. v. 9. dicitur: *suscitabo Dauid germen iustum.*
Card. Chaldæus: *Messiam iustum.* Et Zachariæ cap. 6. v. 12. *Ecce vir oriens nomen eius.* Vbi ver-
Heb. bum צמח ortum germinis indicat ex arbore, vt
D Hieron. Hieronymus annotat: *Ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit.* Et S. Cyrillus ait: *vocem*
S Cyr. *oriens hebræa editio voce germinis expressit.* Et postea: *intellige igitur ipsum esse orientem, hoc est germē.*

Nexus huius capitis cum antecedenti. Lect. LXX. 4. Quo in sensu mirum in modum conglutinantur verba hæc cum anterioris capitis sententiis, ibi enim vers. 11. *væ impio in malum.* Et iuxta LXX. *consiliauerunt consilium pessimum aduersus semetipsos dicentes: alligemus iustum quoniā inutilis est nobis.* Nam Iesus, qui in concilio iudæorum apparuit ligatus, inhonorus, & abiectus valde inter filios hominum, & morti adiudicatus, hic apparebit magnificentia circumdatus, gloria & honore coronatus sedens ad dexteram Patris, qui abiectus est à Pharisæis, & Pōtificibus tanquam telluris inutile pondus, homo iniucundus, sterilis, inutilis, erit in magnificentia, & glorioso decore conspicuus, fructus, & prouentus illius qui nuncupabatur infrugiferens, adeò vberes, & sublimes, vt orbem terræ repleant. quare LXX. seniores sibi cohærentes alludentesque ad Concilium vituperationibus & ignominiis plenum, in quo capitale iudicium subiit seruator, aliud conclaue cælestium potestatum, & consilium gloriosum purpuratorum imperatoriæ aulæ æternitatis proponunt in præsenti legentes: *die autem illa illucescet Deus in consilio cum gloria super terram.* Quam lectionem sectantur Hieronymus, Basilius, Cyrillus, Chrysostomus, Procopius; quem opprimere voluerunt Iudæi, gloriam obscurare, nomen, & memoriam expungere, comprehensione militum & turpi morte; cum diuini splendoris affulgentia apparuit super Angelos, & homines sublimis, famulantibus, & adorantibus supernis potestatibus, in consilio sanctorum conspicuus, & gloriosus.

5. In secundo sensu litteræ valde consentaneo *germen Domini* vsurpatur pro Christiano populo; apud eumdem vatem cap. 60. v. 21. Ecclesia Christi dicitur: *germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Ezechiel. cap. 34. cum Christum promisisset, subiungit. v. 27. *Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum.* & v. 29. *Et suscitabo eis germen nominatum.* Extincto etiam antiquo populo per cladem à Romanis intentatam, quam in præcedētibus tragicè descripsit Isaias, noui populi fidelis felicitatem, & incrementum, per germen, & nouellas frondium, ex arbore pullulantium, proponit. Magnificentiam, & gloriam Ecclesiæ Christianæ opponit opprobrio, & abiectioni populi Iudaici, & vberrimam Ecclesiæ Christi fœcunditatem tantis filiorum cæteruis coronatæ, ex aduerso obiicit synagogæ sponso suo Christo viduatæ, omni specioso decore, & glorioso ornamēto vrbium, & incolarum spoliatæ.

Germen Domini Christianus populus. Isa. Ezech.

6. Prædicta interpretatio se se magis insinuat, & aperit, si iuxta veritatem statuas germen Domini germanè nuncupari illam primitiuam, & primariam Apostolorum Ecclesiam, & discipulorum congregationem, Christiani nominis sectantium primitias, humanam naturam fermentantium, ad saporem cælestis vitæ, & perfectionis Euangelicæ: nam populo iudaico deuastato, siue Romanorum gladio, siue igne, ex illa vastitate, & incendio quasi ex abscissa arbore, & non eradicata, sed radice germinis in terra relicta, rursus frondescit, & gemmantium virgultorum sumit speciem, & ornatum, incendioque purgata terra, in partus se se effundit vberiores. Rite Sanctus Chrysologus serm. 164. agricolarum solertiam commendat dicens: *ager quoties longa incuria siluescit, & toto luxuriæ agrestis sordescit horrore, peritissimi cultoris vtique semper aperitur, purgatur incendio: ac studio benigno cultor ignis apponitur, vt exustis sentibus reueletur prima facies campi, fiat facilis via vomeri, fit germinis ferax sterilis diu terra: & longa ac mœsta otia læto lætissima iam repensēt in fructu.* Siluam iudaicam spinis scelerum, & dumetis perfidię inhorrentem, Romano exussit incendio Dominus, vt congregatio Apostolorum quasi nouum germen ex illo cespite erumperet, & destinaretur ad vberiores prouentus nationum. Hanc autem nouali terræ purgationem, & renouationem igne perficiendam indicant verba subsequentia: *si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.* Hebraicæ est: *expiauerit de medio eius spiritu incendij.*

Ecclesia primitiua. S. Chrysol. *Germen fœcatius de terra exustis vepribus pullulat.*

7. Alia commentatio iucunda, & valde affinis veritati hauritur ex vltimo commate huius numeri 2. *Et exultatio his qui saluati fuerint de Israel.* LXX. *vt exaltet, & glorificet residuum Israel.* Hebræa versio iuxta Forerium & Vatablum habet: *iis qui euaserint Israelitis.* Arias Montanus: *Et frater ad gloriationem & ad decus euasioni Israel.* Iuxta quæ germen Domini nuncupat Apostolorum sanctorum, & Christo credentium congregationem, qui effugerunt aciem gladij

Lect. LXX. Lect. Hebr. Forer. Ar. Mont.

Digitized by Google

gladij hostilis, & erepti sunt de incendio, & captiuitate Romana; qui dicitur populus electus à Domino, & prædestinatus ad gloriam. Quanta autem gloriatione fuerit ornatus expendunt cum Vulgato Lxx. *in magnificentia, & gloria.* & Sanctus Cyrillus legit: *ad exaltandum & glorificandum residuum Israël.* Et sic illustrat: *Non enim perijt in totum, sed conseruatæ sunt reliquiæ, quæ euectæ sunt, & glorificatæ, & sanctitate enitescentes. Verum esse propheticum sermonem in primis eorum, qui seruati fuerunt in Sanctis Apostolis, qui & subuecti vere sunt, & gratuitis Dei muneribus illustrati, & hac gloriæ claritate ditati.*

Lect. Lxx. S. Cyr. Alex.

8. Ex quibus licet cernere quantum gloriæ incrementum accesserit Ecclesiis ex eo quod iuxta Vatem superiori versu descriptum panem suum Eucharisticum comederint; & quam mirabilis multiplicatio populi fidelis, ex inuocatione nominis Domini, quam supra ipsas refundi septem fœminæ solicitius ambiebant, quanta gloria, & exaltatio fuerit subsecuta: hoc enim illæ religiosæ mulieres desideria primitiuarum Ecclesiarum præseferentes optabant, vt auferretur opprobrium sterilitatis, quod ita factum; nam ex hoc sacro connubio Christi, & Ecclesiarum per semen fidei, & verbi Dei, mirificum incrementum fidelium, vberesque partus credentium in lucem prodierunt. Maximeque gloriæ accessio redundauit non solum Ecclesiis, & matribus spiritalibus, viro quoque, & sponso ipsarum Christo, sed etiam germini hoc est populo fideli, & hoc indicare videtur Rupertus cùm lib. 1. in Isaiam cap. 15. ait *Erit germen Domini magnificum, & gloriosum, de illa gratiosa, & uniformi copula septem mulierum, de vnica fide multarum in toto orbe Ecclesiarum.*

Ex septẽ mulierum matrimonio spiritali, qualis & quantus fructus prouenit.

9. Denique iuxta propositas interpretationes mirabilem sapientiam, & leporem claudit lectio Lxx. seniorum: *Die autem illa illucescet Deus in consilio cum gloria super terram, vt exaltet, & glorificet residuum Israel.* Iuxta vulgare proloquium sacræ paginæ apparet, & fulget Deus in consilio suo gloriosus: cum disturbatis hostium insidiis, & irrito conatu persequentium iustos, aut contra Deum deblaterantium, de ipsis victor, & triumphator apparet: vel gloriosus ostenditur, & magnificus in consilio suo, cùm causam, & sententiam iustificat aduersus calumnias impiorum, infidelem Iudæorum populum repudians, & abiiciens, alterum verò populum fidelem admittit in suum contubernium & tutelam, eumque reddit gloriosum: gloriosus enim, & magnificus illucescit Deus, cùm vnum humiliat, alterum exaltat, & honorat: supra cap. 3. v. 14. tribunal & iudicium iustæ abiectionis proposuit Vates: *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui & principibus eius.* Nec hoc habitu splendenti & glorioso apparuisse describitur, quia exercenda seueritas punitionis, ne in hominum ærumnis, & animaduersionibus gloriari videretur; quando vero ad iudicium, venit vt exaltet & glorificet residuum Israël, & vt munera largiatur: *illucescit Deus in consilio cum gloria.* Adde, ex populi sui gloria, decus Christi accrescit, nam corona, & gloria Patris filius est sapiens, vnde cùm filios exaltat, se ipsum honorificat.

Deus populũ iudaicũ humilians, & Christianum exaltans gloriosus, & magnificus apparet. Lect. Lxx.



Erit germen Domini magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.

S. Bernard. *in consessu ad dexterã Patris.* S. Bern.

S.Thom. } *Sublimis quantum ad ascensionem.* S. Thom.
Glossa } Gloss.

Discursus I.

Secura per descensum euectionis, & sublimitatis felicitas; firma, & incommutabilis exaltatio conregnantium exaltatorum vberrima frugibus, quæ despicientiæ nititur, abiectione radicatur.

1. GERMEN Domini ex contemptu, & abiectione Iudæorum vberiorẽ comam nitentis viriditatis assumpsit, & gloriosos apices gloriæ; ex terrena humilitate, & paruitate factus est fructus, & prouentus sublimior. Veridica est illa sententia S. Antiochi hom. 70. *Modestia animi sese vltro demittentis, siue humilitas hominem altiuolum efficit, & aerivagum. Quanto enim quis se infra deijcit, tanto hunc sublimius subuehit Deus, & alleuat:* Confirmat id exemplo Moysis, qui postquã cum Deo familiarissime congrederetur intromissus ad sublimissimam notitiæ Dei altitudinem, & illius sapientiæ contubernium, eximia, & augustissima Dei visione perfruitus; vt ipsum ad maiorem altitudinẽ eleuaret, ipsius legislatoris de se modestissime sentientis humilitatem expectauit; vt hic talis ac tantus vir sese submitteret soceri sui Iethro sententiæ, illius consilium neutiquam aspernaretur, sed cum esset caput, & doctor populi, se abiiceret ad pedes monentis, & formandum permitteret alienigenæ hominis institutis *Verum quæ ille suggesserat* (ait Sanctus Antiochus) *hæc effecit, eoque ipsum Deus præter cæteros omnes, qui in terra morabãtur, euexit in sublime.* Ingressus est adytum sapiẽtiæ Moyses, & insinuatus in Domini familiaritatem singularem ex fauore, & gratia; ad ascensum vero sublimẽ, & mortalium omnium apicem per humilitatis scalam, & abiectionis ascensus exaltatus est. Constituit enim hominem humilitas altiuolum per æthera vagantẽ; deiectio maior viam parat sublimioris gloriæ culmini; sese abiicienti, & reptanti per cognitionis sui & nihili profundam voraginem, alas indit humilitas, vt præpeti volatu scandat gloriæ fastigium.

S. Antio.

Humilitas sublimem & altiuolũ hominem efficit.

S. Antio.

Moyses soceri sui monitis se subyciens, inter omnes efficitur sublimior.

2. Qui exaltatus erat super omnia Deus factus est infra omnes, vt per hanc viam humiliationis, ad eamdem, quinimo maiorem gloriam remearet. Hanc mentem perspicuis verbis proponit Oseas cap. 13. v. 15. *Adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem.* Vbi S. Hieronymus seruatorem nostrum nuncupat ventum æstiualem, seu etesias flantem, vt venas mortis, & fontes flagitij exiccaret, & omnem viriditatem diabolicæ potestatis exureret. Illud tamen sapienter inculcat, cur nuncupetur ventus ascendens de deserto? Et respondet: *Ventus*

Cur ventus æstiualis, & ascendens de deserto saluator nuncupetur apud Oseam. Ose. S. Hieron.

De humilitate carnis ad excelsa conscendit, & nos secum duxit ad Patrem.

tus *ascendens dicitur, quia de humilitate carnis ad excelsa conscendit, & nos secum duxit ad Patrem.* De humiliatione carnis parauit sibi celsitudinem, gradusque firmauit, per quos scanderet vsque ad cœlorum verticem. Est enim desertum triplex ad quod Christus descendit, vt de ipso ascenderet. Differit de hoc descensu Sanctus Bernardus serm. 18. ex paruis, examinans sententiam Ioannis Theologi cap. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit.* Et prolata illa mirabili sententia: *Descendit siquidem quo inferius non decuit, ascendit quo celsius non potuit.* Argutæ mentis libra ponderat verbum illud *descendit*, ita subiungens: *Descendit autem, dictum est, non cecidit: quia qui cadit, sine gradu ruit, qui autem descendit gradatim pedes ponit. Sunt ergo gradus in descendẽdo. Primus gradus est à summo cælo vsque ad carnem, secundus vsque ad crucem, tertius vsque ad mortem.* Alterum gradum descensionis exponit serm. 22. in Cantic. *Sedebas ô homo in tenebrosis, & vmbra mortis per ignorantiam veritatis, sedebas vinctus catenis delictorum. Descendit ad te in carcerem, non vt torqueret, sed vt erueret de potestate tenebrarum.* Illud tamen valde arridet, quod mors eius in patibulo desertum nuncupetur; quia derelictus à Patre, qui subtraxit protectionem, nec adfuit ad defensionem eripiens à morte. Derelictus est à suis, quia omnes relicto eo fugerunt. Ad hanc solitudinem, & squalentem eremum plenam amaritudine venit Iesus, de hoc deserto euectus ad gloriam. Pulchrè Sanctus Bernardus hæc annectit: *Vidimus descensum, videamus & ascensum. Sed & ille quoque triplex est, & eius primus gradus gloria resurrectionis. Secundus potestas iudicij, tertius consessus ad dexteram Patris. Et de morte quidem meruit resurrectionem, de cruce Iudicij potestatem: vt quoniam in illa iniuste iudicatus est, de illa iustam obtineret iudicis censuram. Ipsam vero serui formam, id est carnem, in qua passus, & mortuus est, resuscitatam euexit super omnes cælos, & super omnes Angelorum choros, vsque ad dexteram Patris.* Hæc sunt itinera æternitatis eius, per quæ sese demisit, & condescendit ad nostræ conuallis ærumnas, vt per eadem obtineret vniuersæ gloriæ fastigium; illapsus est fons vitæ, & depressus ad ima mortis, & inferi; vt exiliret ad suprema gloriosæ potestatis. Tanto enim aqua salit pulchrius, ascendit superius, horti ambitũ guttarum stillicidio roтulento inspergit vberius; quanto illius latices ad infima, & humilia per æreos siphunculos depressi prolabuntur. Sed in singulis semitis humiliatæ deitatis occurrit Dominus, vt omnes industrias artificis demissionis, multiplicatis gloriæ insignibus coronaret. De morte gradum fecit ad vitam, dum calcata morte ascendit super occasum, orientem apprehendit luminosum resurrectionis, & mortalis vmbræ repulsa caligine, splendoribus æternitatis induitur. De Crucis opprobrio scalam constituit, vt scanderet ad supremæ potestatis iudiciariæ subsellium: qui adiudicatur Cruci iustus iniuste, viuorum, & mortuorum iudex supremus delegatur à Patre. Ipsa vero serui forma in qua subiit omnia craciatuum experimenta, & ærumnosi criminis dispendia, & tributa passionum, suspensa patibulo, oppressa mortis amaritudine, & tumulata sepulchro, euecta est super omnium Angelorum excelsa fastigia, ad dexteram Patris collocata, eiusdem supremo digna consessu.

D. Bern. S. Ioan.

Ex descensu inferiori ascendit in locum subliniorem.

Iesus descendẽdo non cecidit, & quales fuerint descensionis gradus.

S. Bern.

Quales fuerint in Iesu gradus ascensionis, & quã eximia eorũ sublimitas.

3. Omnium abiectionum, & probrorum congeriem, quas sustinuit Iesus in passione psalmographus expressit cùm illum vermi comparat Psalm. 21. v. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo opprobrium hominum, & abiectio plebis.* annotat hic Vatablus similitudinem vermis appositam, iuxta commune proloquium Iudæorum, homines viles, & omnibus modis abiiciendos vermes nuncupantium; consentit Theodoretus vim verbi aperiens, ac si diceret, idem est: *vt vermis vilis visus sum, & ridiculus factus.* Nec contemnenda Hebraica versio: *vermis factus sum, & non amplius homo sum, fabula hominum, & contumelia vulgi.* Eam illustrat scholio suo Campensis: *Ego vero vermis esse videor magis quàm vir, sterquilinium Adæ, & infimæ plebis fax.* Vermis quoque iuxta censuram purpurati Hugonis, qui inter fimum repit, ab omnibus calcatur. Sancta Birgitta inter alia lumina superna, quæ à Christo accepit, illud recẽset lib. 4. reuelat. cap. 99. & lib. 2. cap. 26. *Se à Iudæis vermẽ reputatũ, qui quasi mortuus in hyeme iacet, in quem transeuntes expuunt, & calcant.* In quibus luce clarius micat, ad quanta dehonestamenta, & vilipendia sufferenda, sese reduxerit, & abiecerit Dei maiestas; tanquam vermiculus inter fimũ, sordes, & fæces sese volutans, ab omnibus protritus & despectus, sputaminibus obrutus. De hoc despiciẽtiæ Iudaïcæ stercore Dominus eleuauit pauperem, vt solium gloriæ teneat. de hoc luto humiliationis margaritã pretiosam hominibus contemptam eruit, in cœlorum atrio collocauit: ideo huius sacri hymni titulus præfixus, felix auspiciũ occinit, à triumphali Seruatoris gloria exordium sumit: *in finem pro susceptione matutina.* Hieronymus in epist. 139. & q. 9. ad Heluidiam legit: *pro assumptione matutina,* in commentario Psalmorum inquit: *Matutina assumptio resurrectionis Dominicæ, & ascensionis ad Patrem significat Sacramentum.* In hoc autem arcano mirificauit Dominus sapientiam suam, cùm vermem lutulentum, & immersum in limo profundi, despectum passione euexit supra omnes cœlos; ei, qui volutabatur in terra, alas indidit supra auri solisque splendorem speciosius refulgentes, vt ad cœlum euolaret. Prodigium illud de antiquitate famosum, de censura physiologorum, & asseueratione testatum de vermiculo, qui immutatur in alitem, ex quo Phœnix renascitur, huic lemmati mirum in modum congruit. De quo Beatus Petrus Damianus opuscul. 52. cap. 11. scribit quod Sacerdos Heliopoleos post Phœnicis ferale bustum: *Cineres curiosè perscrutans, inuenit vermiculum valde pertenuem, sed eximij odoris suauitate flagrantem. Secundo die rediens reperit eum auiculam per plumas, & alarum remigia figurantem.* Idque adiungit hunc vermem esse Saluatorem: *Qui nimirum prius reperitur esse vermiculus. Ille profecto qui dicit: ego autem sum vermis, &c. Deinde phœnix plumesacta, & in aërem alarum remigijs armata, sustollitur: quia victor mortis Dominus, ad Patris vsque consessum coniubilantibus vndique supernis virtutibus eleuatur.* Plus emicat diuina virtus in hac migratione mirabili de vermiculo in speciosam auiculam splendoribus renidentẽ, de luto ad cœlum, de carnis ergastulo reformatam

Cur humiliatus Iesus dicatur vermis. Psal.

Theodor.

Lect. Hebr.

Campen.

Mirabilis Iesu abiectio in similitudine vermiculi declaratur. Hugo. S. Birg.

Assumptio matutina, saluatoris resurgentis, & ascendentis gloriam innuit. D. Hier.

Physiologia vermiculi, qui migrat in alitem, & mutatur in Phœnicem Christo adaptatur, in cælum volãti. Petr. Dam.

tam in beatam vitam. Quo spectaculo abiecta hominis natura ad terrenorum munerum contagia, multata incinerationis, & corruptionis maledicto, vermium pastu, in spem erigitur indubitatam recuperandæ sanitatis, migrandi de cœno ad cælum, de fœtore sepulchi ad habitum vitæ, ærumnæ mortis, & mutabilitatis expertem. Pulchrè Sanctus Hieronymus addit: *Duo habitacula fecit Deus, cælum, & terram: cælum habitatio Angelorum, & terra habitatio vermium. Fecit Deus vermem ascendere in cælum, & Angelum in terram. Christus per humilitatem super omnes Angelos ascendit, & diabolus per superbiam proiectus est in terram.* Non profuit cælum superbo Angelo, nec obfuit terra vermiculo; dissita valde vtriusque contubernia, illud proximius gloriæ, istud ignominiæ; at Deus non ex domibus, sed ex moribus, & humilis disciplinæ institutis, merita contubernalium suorum discernit; Angelus lapidum pretiosorum operimentis adornatus germinans vt Cedrus, comatus gratiarum insignibus, assurgit corona Deifici decoris inter arbusta paradisi redolentia varietate pigmentorum; arroganti impudentia turgens, securi diuinæ iustitiæ abscinditur, Tartari detruditur busto, subter illum sternitur tinea, & habet operimentum vermes, corrodente conscientiam verme, qui non moritur; at vermis de luto formatus homo, demoratus in habitatione ex cœno, & latere ruinoso compacta, diuersarum ærumnas portans passionum, de paradiso expulsus, subigédæ aratro terræ pœna multatus, scandit atria cœli, Solem, Lunam, & sidera calcat: hanc metamorphosim humilitas effingit, vermes in cælites transformans, cœlum fimo permutãs, de vermibus vermiculata monilia conflat humilitatis gratia.

D.Hieron. *Cælum habitatio Angelorum, & terra habitatio vermium. Vermis ascẽdit in calũ, & Angelus descendit in terram.*

4. Inter alia encomia viuificæ Crucis, quæ de penu amoris, & pietatis eduxit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, illud eximium est, in quo Crucem scalæ Iacob æquiparat: *Quam adorandum mihi* (inquit) *hoc lignum; vt ego illud reputem pro scala illa cælos tangente, in qua Christus innixus est.* Postea vero stupore correptus mirabilis spectaculi Angelorum sursum deorsum cursitantium. Genes. cap. 28. vers. 12. *Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam.* Hunc conceptum verbis suis exprimit: *Ascendebant enim quodammodo Iesu modicum quid præ ipsis minorato, & humiliato, propter cruciatum mortis. Confestim autem descenderunt descensu infinito, cum crucifixum viderent supra omnem principatum & potestatem euectum.* Hæc Germanus orat. de Sancta Cruce apud Gretserum tom. 2. Præ Angelis minoratum nuncupat ex morte, quia cælestes spiritus sicut corporis expertes, ita & mortalitatis; at Christus mortuus est ex carnis infirmitate; immortalitate prælatus est Angelus Christo, Saluator moriens Angelis minoratur; de hoc minori, & minimo maximam sibi gloriam, & ineffabilem magnitudinem, nobis eximium salutis emolumentum, & parilitatem Angelis comparauit. Occumbente Christo in patibulo, Angeli ab interitu extranei quodammodo per scalam ascendebant; cum vero redintegrata, & innouata natura in cœlos ascendit: *Confestim descenderunt descensu infinito.* Quia euectus supra omnem potestatem, & principatum ad sessionis paternæ æqualitatem, infra se omnes spirituũ acies relinquebat, & redemptoris gloriosi dignitas incomparabilis ab Angelorum muneribus in immẽsum distabat; Angeli descensu infinito descendunt, cum Christus ad dextram Patris ascendit.

S. Germa. *Crux scala cælos tangens cui Christus innititur.*

Genes.

S. Germa. *Iesu in morte minorato, ascendebant Angeli, Iesu in calũ euecto, descenderunt descensu infinito.*

5. Aliter, & valde argute Sanctus Bernardus minorationem Christi inter Angelos assignat: ait etenim supernos spiritus legatos esse salutis, ad ministrandum fidelibus à Domino missos, vt Deo offerant orationes, & recte facta fidelium. Angelus litat Deo aliena, non sua laboriosa, nec se ipsum immolat sacrificium salutare, nec deuouet Deo sui ipsius holocaustum; at Iesvs se ipsum immolat diurna hostia. Audiendus est Sanctus Bernardus serm. 1. de Sancto Michaele, dicens: *Quæras fortasse in quo minoratus videatur ab Angelis, cum ministrare venit, quandoquidem in ministerium mittuntur & illi:* & respõdet acuminis indagatione solertissima: *in eo vtique quod non modo ministrauit, sed ministratus est, eratque vnus & idem, qui ministrabat, & ministrabatur.* Vt mentem suam aperiat in medium profert locum Cantic. cap. 2. *Ecce venit is saliens in montibus, trãsiliens colles.* Discrimenque mirabile constituit inter salire, & transilire Christum: *Ministrans enim saliit inter Angelos, sed & ipsos transiliit ministratus. Ministrant enim Angeli sed de alieno, offerentes Deo nostros sudores, non suos; nostras, non suas lacrymas: nobis quoque eius munera referunt, & non sua. Non sic minister ille sublimior cunctis, sed humilior vniuersis, qui semetipsum obtulit sacrificium laudis, qui Patri offerens animam suam, nobis ministrat vsque hodie carnem suam.* Paruitates, & minutias Christi collocat Bernardus, non solum in oblatione cruenta, quâ se seruator litauit pro omnium redemptione, sed etiam pro incruenta, & mystica Eucharistiæ immolatione, quâ quotidie Dei agnus sacrificatur, integer, & incorruptus perseuerans; hæc est enim mirabilis Dei exinanitio, qui se minorauit Angelis, dum ad cibandos conuictores suos, & exaturandos humanitatis, & diuinitatis epulo suaui in amoris symposio, iis corpus suum administrat. Ad quam minorationem subsequuta est Domini glorificatio magnifica; nec solum æterni decoris coronatur insignibus, quia se humiliauit vsque ad mortem, sed quia eiusdem mortis reliquit monumentum, primitiuæ cœnæ memoriale perenne, eximiæ dilectionis pignus, & argumentum certissimum; ideo Psalmicen præclarè subiungit hæc verborum lumina: *gloria, & honore coronasti eum.* Vt geminatã Christi humiliationem morientis, & mortẽ rememorantis honorificentia, & glorioso decore redderet conspicuã, & illustrẽ. Nec omittẽda argutia Euthymij, qua verba Psalmographi dispungit, ait enim posse legi sententiam illam: *Minuisti eum modicum quid supra Angelos.* Et addit: *quia verba vltra sensum iam redditũ, idem etiam significant quod supra Angelos. Intellige, quod gloria & honore eum Deus supra Angelos coronauit.* Vt artificem humilitatis potestatem designet, quæ in sui diminutione nanciscitur magnitudinis fulcrum, exaltationis compendium; nec sola magnificentia Domini Angelis præfertur, sed modicum quid diminutionis assumptum, immẽsam celsitudinem supra omnes Angelos promeruit; id quod infra Angelos minoratum est, supra cælestes spiritus est.

Qua ratione Iesus minoratus inter Angelos.

S. Bern.

Iesus ministrat, & ministratur.

Cant.

S. Bernard.

Iesus salit inter Angelos ministrãs, ipsos transiliit ministratus. Angeli ministrant de alienis laboribus; Iesus se ipsum obtulit sacrificiũ & quotidie carnem suã ministrat.

Quia minorationis suæ Iesus reliquit monumentum gloriæ & honore in cælo coronatur.

Euthym.

Psalm.

6. Argumentosam disquisitionem Angelorū pro foribus cælestis atrij excubantium, Christique ad superos ascendentis satellitum, sacra lyra occinit Dauidicus pastor. Psal. 23. v. 7. *attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Cum describit Christi seruatoris triumphalem pompam, cui adstant acies sublimes candidatorum, ad cæruli templi valuas gradum sistentem introducit, non vt ascendētis potestatem imminuat, sed vt adaugeat gloriam, vigilum plausu, cui demandata est custodia portarum; cui enim vltro patefacta sunt inferorum claustra, & confracti ferrei vectes, nulla obsistent Angelorum repagula, cuius imperio, & nutui paradisi fores, cælorum ianuæ sunt patulæ: cur ergo portas cœli aperiri imperant, eleuari, sustolli ad præsentiam Christi, ad Regis ingressum? Pulchre it obuiam quæsito Sanctus Ambros. lib. 4. de fide, dicens: *quasi eum quem emiserant, cæli portæ capere non possent, licet eius nunquam capiant maiestatem, maiorem viam quærebant aliquam reuertenti, adeò nihil exinanitus amiserat.* Vt documentum mortalibus inferat eximium: ex humiliatione decus non imminui, sed insignia honoris cumulari. Hæc enim tergiuersatio sublimium potestatum adstruitur mirabili consilio, dum cælestia hærere videntur opinionis incerto, vt ab Angelis, & hominibus auscultetur admonitoriæ suadelæ præconium, Dominum exinanitum, sed nunquam imminutum, ex angusto vteri, ex circumscriptione sepulchri, ex confusione patibuli dilatatam in immensum gloriam, quam cæli capere non possint. Alias rationes eleuationis, & erectionis portarum subiungit idem Ambrosius: *debuit tamen nouo victori nouum iter parari: semper enim victor tanquam maior, & præcelsior æstimatur.* Et statim vim verbi *eleuamini*, expendit. *Non mutantur vtique, sed eleuantur: quia non vnus homo sed totus in omnium Redemptore mundus intrabat.* Aperitur, & eleuatur porta maior victori manubiis mortis, & dæmonis laureato; dilatatur porta, vt cohærentes, & conregnantes sibi possint intrare; solus descendit, in ascensu innumeras turbas populorum credentium in regiam æternitatis introducit. Veneranda mens immensæ subtilitatis, & sapientiæ Doctoris Ambrosij.

Cur cæli portas eleuari, & sustolli imperant Angeli vt Iesus intret. D. Ambros. *Maiorem viam quærebant reuertenti, quia ex exinanitione maiestas Domini ampliata.*

D. Ambr. *Victori nouo paratur via tanquam maiori & præcelsiori. Non solus Iesus sed totus mundus cum eo intrat.*

7. Illud tamen poteris prædictis annectere ad propositi lemmatis argumentum, & iucundam testificationē; eleuatæ, & amplificatæ sunt fores, vt Iesus erecto, & exaltato capite placidè posset intrare. demittitur enim caput ad sufferentiam passionum; ad remunerationis coronamen extollitur; elatum itaque caput ex vndis laborum eleuatiorem portam vendicat. Hac metaphora vtitur Dauid Psalm. 109. v. vltimo: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* In cuius enodatione mens est sublimis Chrysostomi, & illius sectatoris Euthymij, existimant enim his dictis indicari Christi frugalitatem, in victu & potu temperantiam, vitæque Christianæ exempla sua tenuitate exhibuisse, à deliciis, & fastu alienam. Ex ore aureo hæc effluunt verba: *Hic ostendit humilem, ac vilem eius viuendi rationem, tenuem victum persequens, & adeò tenuem, vt ex torrente biberet: qualis enim erat ei mensa, talis fuit quoque potus: mensa panes hordeacei, potus aqua de torrente. Propterea exaltauit caput. Humilitatis enim vitæque austeræ hic est fructus. Hæc autem non dicta sunt de diuinitate, sed de carne, quæ bibit ex torrente, quæ fuit exaltata. Non modo ei nihil detrimenti attulit hæc tenuitas, sed etiam ad ineffabilem euexit altitudinem.* Consonat menti verbisque Chrysostomi Euthymius: *propterea exaltauit caput, propter humilitatem, ac tenuitatem vitæ suæ exaltabitur, & ascendens in cælum glorificabitur, sedebitque à dextris Dei: quia hæc non modo eum nihil læserunt, sed in ineffabilem eum sublimitatem inuexerunt.* Mercedem humilitatis, coronam temperantiæ proponit vates; propterea quod se se demisit Iesus creator fontium, & fluminum, more viatorum peregrinantium haurire potum de eorum laticibus; nec enim satellites stipabant eius latera, aut, apparatus seruulorum, qui ipsi porrigerent calices, & phialas ad potum, aut malluuium ad lauacrum. quia enim vitam à luxu alienam instituit, consuluit temperantiæ, parsimoniam, & sobrietatem dilexit, glorificatus est à Patre, qui eum ad ineffabilem sublimitatem supra omnium Angelorum fastigium inuexit. Hæc frugis Christi vita, & tenuis ab omni fastu, & pompa aliena, eruditio est, & obiurgatio splendide epulantium, qui mensas sibi apponunt sybariticas, epulasque omni condimentorum genere apparant deliciosè. Iesus autem strictioris victus seueriorem disciplinam adinuenit, vt per tenuitatem, & paupertatem, gloriam sibi compararet æternam. Adhuc Christum, cum se demittit ad hauriendum potum de torrente, ipsum intueor exhaurientem calicem passionis; immersus est enim præcipiti fluento cruciatuum, vt se se doloribus, & pœnis ingurgitaret; ideo cùm calicem mortis moriendo gustaret, inclinauit caput: *& inclinato capite tradidit spiritum.* Ioann. c. 19. v. 30. nimirum vt de torrente amaritudinis biberet. inclinato autem capiti ad obediendum, & moriendum inferioris mensuræ porta sufficit. Cum vero erecto, & coronato vertice rediuiuus, & gloriosus ascēdit, porta exigitur latior, & sublimior, & ideo supernæ potestates imperāt vt cælorum fores non tantum aperiantur, sed eleuentur, & extollantur earum fastigia.

Elatum & exaltatum Iesu caput ex vndis laborum eleuatiorem portam vendicat. Psalm. D. Chrysost. Euth. *Iesu frugalitas in victu & potu eximia.* D. Chrys. *De torrente bibebat, & mensa panis hordeacij parabatur.*

Vita parsimonia & tenuitas ad ineffabilem altitudinem euexit Saluatorem. Euth.

Cum Iesus inclinat caput ad bibendum calicem mortis, inferioris mensuræ porta sufficit. S. Ioan. *Cum erecto & coronato vertice gloriosus ascendit necesse est cæli portas eleuari.*

Isai.

8. Cùm cerneret Isaias cap. 6. Dominum Iesum in excelso throno sedentem, & regnantem, & auscultaret seraphicas doxologias, & repetitas cantilenas, compunctus est corde ibi. v. 4. *& dixi: væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Dum seraphicæ virtutes dulce melos intonant suaui plectro linguæ sanctum acclamātes, & continuant hymnodiæ functionem; diuinus vates respondens occinit lugubri næniа, & lamentatione, recensens suas ærumnas. Rite Sāctus Basilius ait de Isaiæ humilitate: *Dominus eum audiuit lamentantem suas afflictiones, & ærumnas, summque peccatum tacito mentis conceptu confitentem.* Et Sanctus Chrysostomus: *visio hæc Prophetam ad confessionem suæ dignitatis perpulit, vtque vtilitatem propriæ materiæ agnosceret, effecit.* Ad Seraphinorum laudes, & clamores, ad Isaiæ eiulatus & threnos, quid subsecutum sit, recenset Propheta. vers. 4. *commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis.* Quin potius cum in singulari assignet postis commotionem, à voce clamantis, ad Isaiæ clamorem referri videtur conquassationem cardinis. Lxx. & Chrysostomus eleganter transferunt: *eleuatum est superliminare.* Cùm se vates peccatorem, & immundum fatetur, & vilitatem suam

Isaiam visio diuina maiestatis perpulit, vt vilitatem suā agnosceret. D. Basil. D. Chrys. *Cùm vates se deicit, superliminare templi ampliatur, quia in conspectu Dei magnificentior redditur.* Lect. Lxx. D. Chrys.

suam prædicat, superliminare portæ templi eleuatur; cùm enim abiectius, & demissius de se sentiret, non est minoratus coram Deo, sed magnificatus, & excelsus reputatus, ad virtutis culmen ait extulisse caput, ideo longiori mensura portæ & sublimiori indigebat, vt per humilitatem magnificus, & sublimis in templi cælestis portam introiret.

S. Chrys.




Translationem LXX. seniorum

Illucescet Deus in consilio cum gloria super terram, vt exaltet, & glorificet residuum Israel,

Exornat Discursus secundus.

Hominem terrenum in sæculo exulantem docuit Iesus ad paradisum, & patriam intendere, à terrenis leuari, sursum scandere, ad cælorum vestigia conuolare.

1. LLVD operatus est Iesus germē Domini ascensione mirabili, vt homines ex lutea substantia compactos, terrenis aggrauatos passionibus, redderet expeditos, & extricatos laqueis sæculi, pennigeros ad ambienda cælestia. Seruatori se se supra nubila libranti, calcanti sidera, scandenti æthera occinit epinicion Habacuc Vates cap. 3. v. 3. *Deus ab austro veniet, & Sanctus de monte Pharan.* Prophetico lumine intuitus est Iesum de cælis ad terras aduentantem, de terris ad cælorum atria regredientem: vnde pro *monte Pharan*, LXX. transtulerunt, *de monte vmbroso, & condenso.* In cuius opaca densitate, & nebulosa caligine intelligentiæ, affulget luminare Ecclesiæ magnum Sanctus Augustinus, qui intertextam condensitatem difficultatis diuidet, & in vmbra nemorosa facem præferens, mentem clarificabit interpretationis suæ lumine. Sic enim fatur tomo 9. lib. de pastoribus cap. 16. *Dominus veniet, quomodo ergo à monte vmbroso? Euangelium iam lege: de monte Oliueti Christus ascendit in cælum. Sanctus de monte vmbroso, & condenso, id est à monte Oliueti vnde ascendit in cælum.* Iuxta Hebraicam significationem *Pharan* sic transferes apposité: *& Sanctus de monte laudis, pulchritudinis, & glorificationis.* Vt vbi auditi gemitus, & suspiria IESV pro flagitiis hominum deprecantis in monte Oliuarum, ibi exaudirentur concentus Angelorum; vbi diuexatus humanis ærumnis in mœrore, & agone constitutus, totus immadescens stillicidiis sanguinei roris, conspicuus appareat, & gloriosus accinctus indumento luminis. Forsitan Habacuc ex Psalmographo vocem, & laudem mutuat, aut ei triumphali hymno per totum consonat. Nam Psalmo 67. v. 34. in hunc modum personat sacra pastoris lyra. *Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem.* Cur vero IESVS qui orientis nomine, & insigni gaudet, adorientem, cælum cæli transgreditur? Respondet Sanctus Hilarius: *Ascendentis super cælum cæli ad orientem Dei honor poscitur: ad orientem vero idcirco, quia ipse secundum Prophetam oriens ex alto sit, vt regressus eò, vnde descenderat, oriens nosceretur, ipseque sit omnibus in hunc cælestis sedis ascensum auctor oriundi* Descendit æternus oriens in mortalitatis incolatum, & contubernium, vt natus in tempore experiretur occasum, de mortis ærumna pararet sibi inextinguibile lumen, & ortum totius mortalitatis expertem. Nec apud se abscondit radios luminis, aut fulgurantes felicitatis æternæ splendores cohibuit, vt taliter homines redderet beatitatis extorres, illuminationis extraneos; orientem suum, & solem condecorat fulgurum nouorum prouentibus, æternitati, & cælo natorum partubus; de ascensu terrenorum ad cælestia atria redit splendidus, & magnificus, ideo subiungit vatidicus Lyricen: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Quæ autem sit virtutis loquela? Quod robur in voce, & clamore Dominico? subiungit Sanctus Hilarius: *Nunquid vlla vox potest maioris esse virtutis, quàm dissolutorum corporum puluerem in formam cogere, soliditatemque membrorum, & vitam rursum in homines, animasque renouare, & corruptionem naturæ imbecillis, naturæ cælestis incorruptione mutare.* Nec dissonum est eiusdem hymni subsequens comma: *Magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.* Elegāter S. Hilarius hæc annectit: *Idcirco virtus eius in nubibus est: quia his qui vltra terrenam originem mortalemque degentes, se in sensum cælestem, & vitam, vt ita dicam aëream extulissent, obuiamque elati in nubibus astitissent, his esset proprium virtute Dei, magnificentiaque lætari.* Quæ gaudij ratio vberior, quàm quod terrenum, & ponderosum figmentū, & lutulentum tabernaculum, quo anima militauit, in spiritalem qualitatem, & diuinum habitū reformetur, & depositis exuuiis humanę infirmitatis in cælestē vitam transferatur? Quid condignius admirabilitate, quàm ponderosam molem corpulentæ substantiæ tot inquinamentis oppressam, retinaculis vitiorum irretitam, instar lenis flatus & vaporis in nubem coagmētati, diuina virtute in aëre se librare; & tanquam nubē leuem aureo & roseo splendore rutilantem, nitoribus solis æterni splendidam ad superos volitare; in his nubibus de terra ortis in cælestia migrantibus virtus Orientis ad Orientalem plagam scandentis ostenditur. *Magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.*

Habac.

Lect. LXX. *Apud Habacuc Deus venit de monte vmbroso, quia de mōte Oliueti Iesus in cælum ascēdit.*

D. August.

Psalm. *Cur Iesus ascendit ad Orientem.*

S. Hilar. *Iesus auctor oriundi omnibus in cælū ascensum.*

Vox virtutis dominicæ est, humanis corporibus vitā, & cælestem incorruptionem donare.

S. Hilar.

2. Ex his locis Dauidico, & Prophetico quasi circulis aureis inter se cohærentibus ad splendorem, & magnificum decus triumphatoris æterni Iesu, & speciosum monile gemmeum ascensionis mirificæ; varios ritus adorandi Dei hauserunt tum Iudæi, tum Christiana professione inclyti. Nam illi versus australem mundi tractum, hi verò cōuersi ad orientis solis plagam Deum adorabant. Cuius venerationis, & cultus discrimen sapienter assignat S. Athanasius q. 37. ad Antiochum, dicens: *ad austrum intēdere Iudæis Prophetæ præceperunt, quod ex Austro, quoad Ierusalem, scilicet ex Bethlehem nasciturus erat Dominus, ideo dixit propheta* (Habacuc c. 3.) *Deus ab Austro veniet.* De Christianis vero cur facie ad Orientem conuersa Deum adorent, hæc subnectit: *eam ob causam qui fideles sumus adoramus ad Orientem, quod Spiritus Sanctus per Dauidem prophetā præcipit, qui dicit* (Psalm.

Iudæi Deum ad austrum adorabant, quia in australi plaga oriturus.

S. Athan.

Christiani ad Orientē adorant, quia versus Orientem steterūt pedes Domini in cælum ascendentis.

(Psalm.131.v.7.) *adoremus ad locum vbi steterunt pedes Domini. Quod si Iudæus obyciat: vbi nam stetere pedes Domini? Zacharias Propheta docet* (cap. 14.) *in oriente pedes Domini stabunt in monte Oliuarum è regione Ierusalem.* In memoriam reuocat Magnus Athanasius feruentis fidei cultum, & religionem, quâ Christianorum primitiui prosequebantur Dominicam Ascensionem. Cùm enim Dominus Iesus in monte Oliueti conuersus ad Orientem gloriosam migrationem ad superos inchoaret, reliquit in terra sacrorum pedum impressa vestigia, vt stantis Domini, de morte triumphantis, sese supra sidera euehentis æternum permaneret monumtum, quod prodigium inter alios confirmat Sanctus Paulinus epist. 11. suis verbis: *In Basilica Ascensionis, locus ille tantum, de quo in nube susceptus ascendit, ita sacratus diuinis vestigijs dicitur, vt nunquam tegi marmore, aut pauiri receperit. Semper excussis, solo respuente, quæ manus adornandi studio tentauit apponere: itaque in toto Basilicæ spatio solum in sui cespitis species virens permanet, & impressam diuinorum pedum venerationem calcati Deo puiueris, perspicua simul, & antiqua venerantibus arena conseruat, vt vere dici possit: adorauimus vbi steterunt pedes eius.* Natiua tellus dominicorum pedum statione consecrata, quasi cera liquefactiua virtute mollescens, diuini ponderis oppressa attactu, iuxta plantarum mensuram cauitate relicta, artificem manum, & incrustationem argenteam, vel auream respuebat; excutit operculum gleba, vt aperto cælo sit patula ad quod suus creator ascendit; vt admittere possit fidelium amoris suauia, lacrymarum irrigua, vt religiosâ pietate, & veneratione sit ditior. Ad memoriam igitur reuocantes Christi sectatores illius vestigia in cespite signata, & impressa, ad Orientem solem conuertebantur cultus, & venerationis causâ; non quia in ea plaga mundi aliquo modo Deus circumscriptus inhabitet, nec creato lumini cultum exhibentes, sed ex elemento omnium splendidissimo, omnium elementorum, & luminum lucidissimum creatorem venerantes. Apposite subiungit Athanasius rationem alteram huiuscemodi adorationis: *Sancti Apostoli Christianorum Ecclesias. ideo iusserunt orientem versus, suas fundere preces, vt ad paradisum, vnde excideramus, respicientes, suppliciter à Deo petamus, & à nostro Domino, vt in antiquam nos patriam, & locum vnde excidimus, restituere velit.* Veneratio illa non solùm extima, sed sacrata, sed mystica, nec orbata diuinitatis consortio, cùm Deum ambit ceremoniæ compendio: gratulatur sibi homo orientis, intuitu, cælestem basilicam seris ferreis, vectibus æneis criminum occlusam, imperuiam; claue Crucis, & Crucis clauis reseratam, de patibulo seruatoris patulam; olim asperam paradisi viam, ascendentis Domini virtute mirabili complanatam, & peruiam. Cherubici mucronis flammei pro foribus Eden peruigili cura excubantis, & arcentis ingressum, cruoris sacri fluento laureati ducis extincto incendio; Adamum exulem ad patriam reducem, excubitor, qui inhibebat aditum, amplectitur, manuducit ad vitæ lignum; redempta est patria cælestis homini, qui instar palabundæ ouis morsibus patens aduersantis lupi vagabatur exterris; iam lætus, & lubens prospectat domesticos immobiles paternæ hæreditatis sacros lares, tanquam cohæres Christi de propè salutat visionis Deificæ sacratum domicilium.

D.Paul.

Pauimentū in quo impressa Domini ascendentis vestigia, nullum tegmen admisit.

D Athan.

Christiani adorabant versus orientem, ad paradisum vnde exciderat homo, reduci deprecantes.

3. Fulget in sermone Oseæ singularis lepos, & in contextura verborum perdifficilis explicatu sensus, asperaque compositio, multa & solerti indagatione indigēs, vt illustretur cap.11. v.7. *Et populus meus pendebit ad reditum meum.* Quam sententiam, si iuxta arcanam, & spiritalem protheoriam expendere velis, affulgebit lumen obscuro, & recondito vaticinio: si mente concipias Dominum reuertentem ad paternam dextram, filiosque suos attrahentē sicut Magnes ferrum, & prouocantem, vt contritis laqueis conuersationis terrenæ, sese suspendant, & eleuent ad superna. Hic fructus ascendentis Christi, vt populum ad cœlum eleuatus eleuet, supra nubem libratus corpora nostra suspendat. Argutè Guarricus Abbas serm. 1. de Aduentu, scribit: *Pendebit populus meus ad reditum meum. Pulchrè omnino & propriè pendebit tanquam inter cœlum, & terram: & licet adhuc apprehendere cælestia non valeat, non velit tamen tangere terrena. Et si aliquando tangit, non nisi summis articulis, id est extremis partibus animæ, propter necessitatem scilicet corruptionis nostræ, cui cogimur seruire. Vulgo dicitur male expectat, qui pendet. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & in ipso suspendio mortem ossa mea: vt perseueranter in Cruce ista pendere merear, donec immoriar. ô Domine Iesu cum animam potestate positurus esses, & quo genere mortis id facere velles, tuo subesset arbitrio, suspendium elegit anima tua, vt exaltatus à terra, nos quoque ad te traheres, & à terrenis suspenderes.* Non sæuum hoc, sed dulce suspendium, non inhonorum, sed clarum, quo homo alta petit, cœlum scandit, terrena fastidit; moriatur anima mea morte iustorum, suspendiosorum, appensa, & suffixa lignis gloriosi patibuli, & trabe Crucifixi, vel cum laqueus propter tutamentum fidei, Euangelij præconium, resonante loquela Dei, guttur strangulat, spiritum vitæ intercludit, vt constrictus coactus passionis doloribus impellatur ad petenda sidera; ideo Iesus in Cruce exaltatus, in aëre suspensus, à terra eleuatus occidit; vt te à terrenæ mortalitatis contagio extolleret, ad tabernaculum supernum eleuaret. Interdum dum in agone vitæ contendimus, & brauium non arripimus, placebit inter cœlum, & terram esse suspensos, euehentes animos suspiriorum flabris, flammeis flatibus amoris ad patriam paradisi, dum in terra subseruientes necessariis corporis refouendi curis ingemiscimus, adhuc compediti volantes, libertatem præstolantes filiorum. suspendium illud respue Absalonis, cuius capillamenti aureis cincinnulis intertextis, & implicatis quercinis frondibus, velut resti longa, & funiculo parricidij suspensus detinebatur. lib. 2. Reg. cap.18. vers. 9. *Adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit.* Huic sublimi in arbore pendenti, cum morte colluctanti lugubrem næniam cecinit os aureum. in Psalm.3. *Poterat ergo videri Absalon suspensus in medio cœli, & terræ. Cœlum eum non admittebat. Si enim primum insurrectorem eiecit diabolum, quomodo ipsum insurrectorem secundum admisisset? Terra eum auersabatur, non ferens pollui passibus parricidæ.* Huic Tyranno,

Ose.

Fructus Ascensionis Christi, vt hominem ad cœlum eleuet.

Guar.

Quid præferat inter cœlū & terrā suspensio.

Suspendium in cruce elegit anima Christi, vt exaltatus à terra homines, ad se traheret, & à terrenis suspenderet.

Infelix Absalonis suspensio.

Lib. Reg.

D.Chrysost.

Tyranno, qui primarij perduellis Satanæ partes sectabatur, & sub eius vexillo militabat, qui ausu temerario parentem morte petebat, & genitoris sanguine bibere anhelabat, cælum auersatur, & ianuas occludit; nec terra temerari sustinet funestis gressibus parricidæ, tremit ne corruat ne labatur iactata pódere horrédi piaculi: At quos Iesu amor suspendit, ad se trahit, ne lædant patris clementiam, pro fide seruanda parenti, suspenduntur; hi per patibuli scalam, ascensionum machinam, æthera scandunt, eorum ianuæ iis patulescunt; quorum tellus gaudet irrigari cruore, passibus consecrari, cælo inuidet cum sua germina, & pignora transmittit ad cælum. Alterum à terra suspensum inclytum & gloriosum amplectere nimirum Iacob, qui cum nocte surrexisset, vt sacras celebraret excubias, vsque ad auroram cum Deo luctatus est. Certaminis sacri merces claudicatio est supplantatoris cælestis. Hæc autem summo mane & exoriente sole perficitur. Genes. c.32. v.26. *Iam enim ascendit aurora.* In aurora nostræ salutis negotium peractum est, cùm Iesus transacta lucta & agone mortis, quem voluntarius sustinuit in filiis Iacob infirmatus violenta potestate, de sepulchro rediuiuus illuxit, & postea ad cælos remeauit, ideo *ascensum auroræ* nuncupat, & allegat Dei filius athleta. Lucrum vero mystici luctaminis expertus est sanctus Patriarcha ibidem v. 31. *Ortus est ei statim Sol: ipse vero claudicabat pede.* Grauiter ex hac pugna claudicantem Iacob his præconiis honorat Rupertus Abbas lib.8. in Genesim c.9. *At ille grandi quidem spiritus commodo, sed, & magno carnis suæ vicit detrimento. Denique claudicat is, qui vicit, quia tetigit qui victus est neruum fæmoris eius, & emarcuit: quo modo claudicat? videlicet vno pede terra innitens, alterum à terra suspendens. Iste claudus salit vel ascendit sicut ceruus, terramque vix tangere dignatur, nam conuersatio eius in cælis est. Verumtamen ex parte, vno enim tantum pede, nunc interim illuc suspensus est, donec veniat quod perfectum est.* Clarus pugil Dominus, qui cum sese demittit placidus, & voluntarius ad mortem subeundam, de caligine, & vmbra sepulchri velut sol splendidissimus emergit, reuertiturque in cœlum; nec finit infructuosam colluctationem existere Israëli, quinimo per nerui fœmoris contrectationem, & percussuram erudiuit alumnum viosos affectus superare, ac frangere, vt claudicantem illum à terra suspendat, & cælitibus inserat; recta hominis claudicatio, quæ extricare animum docuit à terrenis passionibus, & incedere non lubrico, & labili, sed firmo, & inuariabili vestigio; cùm claudicat, vno pede iam dedignatur terram contingere, per infirmitatem ipsam de terra sustollitur, dissolui cupiens à mortalitatis contagio, piis suspiriis anhelans migrat ad superos, & toto conuolat affectu.

Suspensus inclytus & gloriosus Iacob.

Genes.

Rupert.

Cum claudicat Iacob, vno pede terræ innititur, & altero à terra suspenditur.

4. Cum Cœna peracta, Iesus sacris sermonibus Discipulos instrueret apud Ioannem cap.14. post recondita Sacræ Theologiæ dogmata, concionem finiuit his verbis. v.31. *Surgite eamus hinc.* Quid verba ista præseferant? aperit S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 147. ad Eutonium Diaconum scribens: *Christus vt genus humanum ab humilibus, & abiectis rebus ad sedem mundo sublimiorem eueheret, clamabat, surgite abeamus hinc. Huic enim voci vim suam admi-*

S. Ioan.

Christus voce sua à rebus abiectis ad sedem mundo sublimiorem discipulos auocat.

S. Isid. Pel.

scens, eorum, qui in cælum prouolare cupiebant, vires confirmauit: adeo vt opinione hac, qua prius imbuti erant, longum valere iussa, caleste iter arriperent. Iam enim aquila illa sublimis, quæ de altis sedibus ad prædam humanæ naturæ conuolauerat, super pullos volitans, alasque potestatis expandens, exacuebat, & prouocabat ad volatum, vt sequestrati à terrestris compaginis contubernio, cæleste iter arriperent. Hunc enim sublimem scopum collimabant Theologicarum ratiocinationum argumenta firmissima, quibus Apostolorum animos post abiectissimũ pedum suorum lauacrum, in illo sapientiæ lyceo præceptor erudiebat. Descendit enim, vt ipsi ascenderent ad superna, omnibusque votis cœli alta contingerent, nec fineret volutari in huius sæculi puluere, quos ad sublimia & maiora formauerat. Quos nunc verbis animat, postmodum prodigiosis operibus naturam superantibus prouocat, & confirmat, cùm primus ipse exurgens, à terra suspensus, hominis naturam in cælos inuexit, & orbem totum scandere docuit. Audiendus est Eusebius Emisenus serm. 4. de Pascha: *Apertus enim tartarus* (inquit) *reddit mortuos: innouata terra germinat resurgentes: cælum reseratum suscipit ascendentes: denique ascendit latro in paradysum, Sanctorum corpora ingrediuntur in sanctam Ciuitatem: ad viuos mortui reuertuntur, & prouectu quodam in Resurrectione Christi ad altiora cuncta elementa se tollunt. Tartarus quos habet, mittit ad superos: terra quos sepelit, mittit ad cælum: cælum quod suscipit, repræsentat ad Dominum: & vna eademque operatione Saluatoris passio eleuat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis.* Hæc Emisenus, vel iuxta aliorum placitum S. Maximus.

Euse. Emis.

In Christi resurrectione omnia renouata.

Tartarus, & sepulchrum quos sepeliunt, admittunt ad cælũ.

5. Assumpsit Iesus omnia pastoris, & pastoralis solicitudinis insignia, Isaia teste c.40. v.11. *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Nec solum ductauit gregem ad paradisi pascua, & cælestis doctrinæ fluenta, sed corpus suum exhibuit epulandum, & bibendum sanguinem, vt famelicas oues, & agnos satiaret, & sitim eorum extingueret; sed & pratum flosculentum suorum vulnerum, vbi sacramenta sunt Christi, præparauit ad meridianum accubitum, & apricam requietem; Crucis baculo manum instruxit, vt fugaret tartareum lupum, & leonem rugientem. Illam tamen demonstrationem amoris immensi, qua gremio suæ clementiæ omnes amplectitur, verba illa indicant: *In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Solet pastor oues fœtas grauedine remoratas, tardasque gressibus, proximas partui imponere scapulis, & earum imbecillitati esse subsidium; simplices, & teneros agniculos recens natos, immaturos labori, impingentes, & prolapsos cespitibus, pio fauore amplexu, & pectori applicitos tenera voce balantes, ad tugurium, & mappalia inuehere. Nec dissimili cura, sed altiori Iesus humanæ naturæ ouem ad Patris tabernaculum reduxit. Epithasim habet verbum illud: *In sinu suo leuabit.* In Hebræo est: *eleuabit, extollet, exaltabit.* Impleuit pastor bonus, quod Isaias promisit. Rite sanctus Epiphanius orat. de Ascensione inquit: *Pastor bonus errabundam ouem quæsiuit, inuentam atque humeris clementer impositam, ad cælestem portum adduxit, & cælesti Patri muneris*

Isa.

Assumpsit Iesus omnia pastoralis solicitudinis insignia.

Heb.

Ouem errantem Iesus in cælum eleuauit, & Patri obtulit.

S. Epiph.

loco obtulit. Hæc tamen sublimis eleuatio corpulentæ substantiæ, & abiectæ naturæ per varios criminum errores vagantis, consummata est in Christi Ascensione, inchoata in Cruce. Vnde Cantic. c. 8. v. 5 cùm præmisisset Salomon virtutum cælestium stuporem circa sponsam illustratam candore lucis æternæ, & albentibus meritorum gratiis ascendentem ex istius vitæ deserto senticoso, & exilio salebroso, ad illud florens topiarium indeficientis iucunditatis, dicentium: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Huius immutationis, & immigrationis causam statim subiungit sponsus Iesus: *Sub arbore malo suscitaui te.* Legit S. Ambrosius: *sub arbore mali eleuaui te.* & de hac eleuatione subiungit lib. 6. de Isaac. c. 8. *Si Nathanael bonus, in quo dolus nullus erat, sub arbore fici visus est; vtique bona anima quæ sub arbore mali eleuata est ab sponso suo. Plus enim est eleuari, quam videri, plus etiam ab sponso eleuari.* Pulchrè S. Hieronymus in Psal. 91. *Ascendit in Crucem, vt nos eleuaret.* Vidit Nathanael sub ficu dubia fide sedentem, vt Adamum innueret sub arbore mortalitatis prostratum, criminis ruina oppressum; sub arbore scientiæ cecidit, sub ligno Crucis eleuatus est; iam Christi dextra protegebatur sponsa, vt in thalamũ vnionis æternæ duceretur à sponso, eiusdem regni consortio frueretur, vt veritas Vaticinij staret firmissima quod *illuxit Deus in consilio cum gloria vt exaltet & glorificet residuum Israel.*

Cant.

Sub arbore malo Iesus animas in cælum eleuauit.

S. Ambr.

S. Hieron.



VERSICVLVS III.

Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem.

VERSICVLVS IV.

Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicij & spiritu ardoris.

COMMENTARIVS.

1. RABBINI, & Hebraizantes eorumque sectatores hæc verba vsurpant de felicitate populi reducis ad Ierusalem ex Babylone, libertate donata à Cyro, & Dario, vocat sanctos eos qui rediere voluntarie, comparatione multorum, qui infecti moribus Babylonicis, & amore temporalium rerum, quas ibi acquisierant fixi, sedes mutare noluerant. Alij vero dicuntur scripti in vita in Ierusalem quia principum familiarum nomina in censum, seu catalogum relata, quæ redierunt in Ierusalem, vt constat ex lib. 1. Esdræ c. 2. quæ interpretatio iure reiicitur à Glossa, illiusque suffragatores Christianos, ait: *Magis in hoc iudaizare, quàm Iudæos.* Et plurimis rationibus refellitur. Primo quia vt sæpe probatum est non de captiuitate Babylonica, sed Romana in pœnam deicidij, in antecedentibus sermo est. Secundo quia Isaiæ promissa non conueniunt habitatoribus vel captiuis Babylonis sed Ierosolymæ vrbis, ait enim qui residuus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, non in Babylone; vt reliquiis captiuitatis Romanæ in Ierusalem manentibus hæc quadrent. Tertio minus possunt vocari Sancti qui de Babylone redibant, cum omnes essent maximis flagitiis inquinati, præsertim sacerdotes, nec Iesu filio Iosedech excepto, quia contra præceptum Domini vxores alienigenas duxerant. Vnde de ipso Iesu post libertatem dicitur Zachariæ c. 3. *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis.* Teste Hieronymo: *Eo quod & ipse cum cæteris alienigenam accepisset vxorem.* Et Malachias post captiuitatẽ Babylonicam peccata Leuitarum coarguit c. 2. v. 8. *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege. Irritum fecistis pactum Leui dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis.* Decernat lector quo pacto hæc congruant cum Isaię verbis loquentis de residuo populi, quod sit germen Domini in magnificentia & gloria: & quod nomine sanctitatis decoretur. Quarto quia concors est Sanctorum Patrum mens exponentium hęc cõmata de Ecclesia primitiua Apostolorũ, nimirũ Hieronymi, Basilij, Cyrilli, Procopij, Ruperti, Glossæ, Thomæ, Forerij, Montani & aliorum. Quinto quia facile percipi non potest quo sensu post dissolutionem Babylonici iugi, Dominus abluerit sordes filiarum Sion in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Certe antecedentium, & subsequentium maiestas verborum augustius & diuinius complementum exigebant, nimirũ in Ecclesia Christi; quare nobis nõ licet sensum abiicere ad temporaneam, & terrenam populi felicitatem, nec permittimus animum inter commenta Rabbinorum serpere.

An de felicitate terrena libertatis tempore Cyri hæc verba sint vsurpanda?

Esdræ. Glossa.

Zachar. S. Hieron.

Malac.

S. Hieron. S. Basil. S. Cyr. Procop. Rupert. Glossa. S. Thom. Foret. Mont.

2. *Relictus in Sion, residuus in Ierusalem.* Cohæret sibi Vates, & veluti auream catenulam innectit ex præsentibus sententiis: vtrobique relictum, & residuum nuncupat populum superstitem, qui euasit aciem gladij Romanorum, & vastitatem deuorantis incendij, nempe fidelium illam primam, & primariam congregationem ex Apostolis, & Apostolorum discipulis coalescentem, vt prædictum est. Præmiserat Isaias Deum venire ad consilium maximo splendore conspicuum vt hanc familiam numero exiguam, fidei, & virtutum omnium incrementis maximam, exaltaret & glorificaret. Quæ autem sit hæc magnificentia, & glorificatio, perspicuis verbis aperit: *Sanctus vocabitur.* Euexerat Iudæorum populum miraculis, & prodigiis, fecerat protectione sua percelebrem, eum de neruo Ægyptiorum eduxit, & ad Palæstinam reduxit, vt prædixerat Isaias c. 1. *Filios enutriui, & exaltaui.* Hæc autem electi populi fidelis glorificatio multo excellentior, & augustior est, consistit nimirum illa iucunditas, magnificentia, & decoris ornatus in sanctitate vitæ. Sola enim sanctitas, & virtus eximium splendorem, verãm gloriam, & amplitudinem confert: futurum est enim, inquit, vt Ierosolymæ incolas post Romanam cladem superstites sanctos nuncupent. Quod ita factum mirabili consensione vatidicæ promissionis, & illius euentus,

Relictus in Sion dicitur, qui euasit gladium Romanorum.

Magnificentia & gloria, vita sanctitas.

euentus. Hac enim nomenclatione honorifica sanctorum insignitur primitiua illa Ecclesia,& fidelium congregatio. Actor c.9. de Paulo eam insectante: *Quanta mala fecerit sanctis tuis*, & Paulus ad Romanos cap.1.v.7. *Dilectis Dei vocatis sanctis*. & 1.Corinth.2.Ephes.c.1.v.1. Philip.cap.1.v.1.ad Rom.cap.8. v. 28. *Iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*. Olim enim omnes Christiani appellati sunt sancti, non actu, sed vocatione, professione, debito, vocabantur enim ad sanctitatem vitæ. Quia Deo, & Christo sacrati in baptismo, gratia abluti,& sanctificati, ad sanctam vitam, moresque vocati;vt castos se ab omni labe puros, ab omni immunditiæ vitio incontaminatos se custodirent. Addit S. Cyrillus huius gloriosæ nuncupationis rationem alteram: *Sunt ergo euecti Israelitæ, qui tanquam in censu ac sorte harum reliquiarum fuerunt superstites. Etenim digni habiti sunt honore, ac gratia à Christo, filij vocati sunt Dei, fratresque eius, & amici, gloriæque eius socij ac participes: Digni etiam habiti sunt, vt in supero, & cælesti libro describerentur, & ciues nuncupati sunt intelligibilis Ierusalem, quæ est mater Sanctorum.*

S. Paul. — S.Cyr.Al.

3. *Omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem*. LXX. legunt: *Sancti vocabuntur omnes scripti ad vitam in Ierusalem*. Chaldæus transfert: *Ad vitam æternam*. Ad litteram agit de censu iustorum in libro vitæ. Ad hæc verba videtur respexisse Iesus Lucæ cap.10.v.20.cum Apostolis fatus: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis*. Quid autem intelligatur in sacra pagina veteris, & noui testamenti, per librum vitæ, breuiter discutiendum. Vt veritas facilius emergat, obruenda est falsitas Origenis asserentis librum vitæ, seu viuentium, esse cælum, in quo sint descripti ac notatati omnes euentus, & in quo tanquã in tabulis legerit Iacob, quæ filiis vaticinatus est, qui hanc fabellam ex apocrypho libello recenset.lib.2.contra Celsum, & apud Eusebium Cæsariensem lib.6. de præparatione cap.9.legitur. Quid autem sit liber vitæ, sapienter expendit S. Thomas.1. p. q.24. art.1. corpore dicens: *Ipsa prædestinatorum conscriptio dicitur liber vitæ. Vnde ipsa Dei notitia qua firmiter retinet, se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, dicitur liber vitæ*. Hoc voluit Venerabilis Beda in catena aurea eiusdem Angelici Doctoris ad caput. 10. Lucæ *Per hoc quasi litteris annotatus apud Dei memoriam sit æternaliter affixus*. Et ibidem Theophyl. *scripta sunt enim nomina sanctorum in libro vitæ non encausto, sed memoria Dei, & gratia.*

Quid liber vitæ præseferat. — Lect. LXX. — Chald. — S.Luc. — Orig. — Eus. Cæs. — S.Thom. — V. Beda. — S.Thom.

4. *Si abluerit Dominus sordes &c*. De purgatione animi, & ablutione peccatorum, quæ appellantur sordes, & sanguines, quæ fit per lauacrum regenerationis, & pœnitentiæ sacramentum, interpretantur hæc verba Cyrillus, Basilius, Thomas, Clemens Alexand.lib.3. pædagogi cap.9.at sanctus Irenæus lib.4. c.39. de pedum ablutione Discipulorum à Christo facta ait: *Ipsum verbum per se abluit sordes filiorum Sion cum lauit pedes Discipulorum*. Quem iuxta accommodatitium sensum recenset Glossa.

Lauacrum regenerationis animarũ sordes abluit. — S. Cyr. — S. Basil. — S. Thom. — Clem. Alex. — S Iren.

5. *In spiritu iudicij, & spiritu ardoris* De purgatorio igne, in quo crimina expiantur, accipiunt sanctus Basilius hic, sanctus Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei cap. 25. Bellarminus lib.3.de purgatorio cap.5.

Purgatorius ignis. — S.Bas. — S. Aug. — Bellarm.

6. Iuxta litteram duplicem expurgationem, & expiationem proponit vates, vnam sensilem, & corpoream; alteram insensilem,& spiritualem. Prima fit calamitatibus rebusque aduersis; vnde captiuitas illa Romana, vrbis Ierosolymitanæ vastitas, & deflagratio, ignis fuit expiatorius, qui in camino tribulationis quasi in conflatorio fæces criminũ,& sordes flagitiorum tum hominũ, tum fœminarum, præcedenti cap.3. relatas, excoxit,& perpurgauit, vt ex illa massa Iudæorum, pars quędam purior tanquam argentum, & aurum igne examinatum, & purgatum septuplum conflaretur, ab omni ferrugine,& scoria vitiorum sequestrata; ideo enim excidium, & incendium Romanorum eis Deus immisit; vt abluerentur, & expurgarentur, vt sordiciem à se omnem reiicerent, vt probrum quod ex Deicidio, cædibus iniustis, rapina, oppressione pupillorum, fastu, & propudio fœminarum, contraxerant, per incendium abstergerent. Eleganter S. Chrysostomus scribit in commentario huius loci: *Vtique in metaphora persistit ab his deriuata, qui conflant metallicas materias: quemadmodum enim illic aspiratio venti incidens in conflatorium fornacem, & flammam ipso afflatu excitans, carbonesque reaccendens, scoriam omnem absumit; itidem & hic vindicta à Deo emissa. Vt enim hostium impressio semel adorta est ciuitatem, instar ignis in eam grassatur, ignis inquam non in totum disperdentis, sed incendentis, sed expurgantis, punientis, & ad rectitudinem reuocantis.* Ad hoc incendium & conflatorium alluserat Vates cap.1. dicens: *Excoquam ad purum scoriam tuam*. Vnde in præsenti legit Hæbræus: *In spiritu combustionis.*

Duplex purgatio & expiatio, altera per tribulationis conflatorium; altera spiritalis per baptismum. — S. Chrysost.

7. Dicitur autem hoc fecisse Deus in spiritu iudicij, quia iuxta verbum Hebraicum שפט *saphat*, quod proprie denotat iuxta legum præscriptum, & normam iudicare, causam,& controuersiam dirimere, vt iusti & boni defendantur, mali condemnentur, & puniantur; ostendit iuste iudicasse Dominum in hac vastitate, cùm pessimos, & incredulos concremandos igni tradidit, residuum verò populi iusti, & quod bonum est sectantis, in Christum credentis, à cæde, & busto eripuit, illudque honoribus auxit, & magnifica gloria extulit. Hoc est tribunal, & iudicium, de quo immediate prædixerat Vates: *In illa die illucescet Deus in consilio cum gloria super terram, vt exaltet & glorificet residuum Israel*. Hoc enim sæpissime intendit Deus Isaiæ verbis, non ex furore iracundiæ, aut zelo solum vindictæ hanc punitionem processisse, sed ex recto, & incorrupto iudicio, & omnimoda æquitate, quod populum suum destinauerit pœnæ; residuum illius, & reliquias, in quibus fidem inuenit, elegerit ad gloriam, & exaltationem.

Iustum vastitatis iudicium.

8. *Si abluerit Dominus*. Verbum istud quod de aquæ lotione dicitur, appositum est, vt teneas mentem Vatis. Nam aduersitas non solum est pyra, & bustum expiatorium, fornax probationis,& conflatorium purgationis; sed etiam lauacrum quod maculas eluit: sicut enim torrens aquarum spurcitias omnes,& reiectamenta vndis suis inuoluit, agros, & vrbes limpidis laticibus abluendo purificat, sic tribulatio, & iusta Domini punitio vitiorum stercora, criminum

Aduersitas lauacrum quod maculas eluit.

inimum immunditias abstergit. Preclare sanctus Cyrillus ait: *Emundationem fieri dicit in Iudæorum populo per calamitates bellicas, & per ea, quæ passi sunt. Purgant enim & emundant punitiones, & omnium iudice dari pœnas, subinde à multis delictis liberat.* Ierosolymorum flagitia vocat. *Sanguinem*, vt primorum cædes, & rapinas innuat. Vide quæ diximus ad cap. 1. *Manus vestræ plenæ sunt sanguine,* Vbi capitale crimen Iudæorum intelleximus nomine sanguinis, nempe deicidium. Vt autem ab hac purificatione, viri quoque non essent extranei rite legit sanctus Chrysostomus: *Abluet Dominus sordem filiorum, & filiarum Sion.*

S. Cyr. Al.

S. Chrysost.

Spiritalis ablutio sordium.

9. Altera expiatio, & expurgatio spiritalis est, qua fæces peccatorum, sordes criminum penitus absterguntur: hæc autem perficitur in regenerationis lauacro primum, postea verò in pœnitentiæ Sacramento, in quo Christi merito, & gratia, melius, & efficacius quàm nitro, herba borith, aut fullonum, inquinatum flagitiis animi indumentum eluitur, supra niuem, & solem candidatur. Hæc autem ablutio & dealbatio, sanguineam Christi effusionem, cruorisque eius roseos latices supponit, quibus quasi in mari rubro immergitur anima, Pharao tenebricosus originarij criminis, eiusque satellites dæmones, cohorsque actualium peccatorum suffocatur; & depositis exuuiis terrenæ, & criminosæ vetustatis, homo renouatus conualescit. Ideo Iesus dicitur à Paulo ad Hebræos c. 1. v. 3. *Purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Vbi legit Chrysostom. & Oecumenius: *per semetipsum mundatione peccatorum nostrorum facta.* Vt amorem eximium nostri Pontificis, & hostiæ dignitatem, & ablutionis vberem efficaciam agnoscas, quando semetipsum victimam obtulit, per semetipsum & effusione sui sanguinis omnia flagitia expiauit. Sessio autem ad dexteram Patris, & tanti magnitudo honoris velut merces expurgationis donatur, vt annotat Chrysostom. hom. 1. in epist. ad Heb. *Non simpliciter dixit consedit, sed post mundationem, inquit consedit.* Vt Paulus Isaiæ consentiat, qui supra germen Domini Christum Dominum futurum promisit, in magnificentia, gloria, & sublimitate, si abluerit sordes, vel postquam abluerit sordes peccatorum. Ex hoc etiam fonte oritur illa celebris & honorificata nuncupatio sanctorum, eo quod abluantur baptismi, & pœnitentiæ, & lacrymarum lauacro, sanctificantur, & immunditia criminum reiecta, induunt sanctitatem, ipsum Iesum, & Domini gratiam. Describuntur quoque ad vitam qui in baptismo nomen dant Christo, & in Christiana militia censentur, ad percipiendam annonam, & donatiuum gloriæ. Præterea sacramentum pœnitentiæ, & exomologesim operans peccator, tribunal quoddam instituit, in quo se ipsorum obiurgat, accusat, condemnat, retractat crimina, cor dolore scindit, & conterit; ardore, & flamma charitatis maculas exurit, animam expiat, in quo proprie dicitur quod Dominus *abluit sordes, & sanguines in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.*

S. Paul.

S. Chryst.

Spiritus sanctus in flamma ardente sordes abluit.

S. Bern.

Denique de spiritu sancto in flamma ardente, linguisque igneis adueniente super Ecclesiã illam primitiuam Apostolorum verba illa: *In spiritu iudicij & spiritu ardoris.* Accipiunt S. Bernardus serm. 3. de Pentecost. dicens: *Veniat spiritus tuus bonus, qui sordes abluat, & infundat virtutes in spiritu iudicij, & spiritu ardoris* Dei. sapienter & eleganter S. Cyrillus Alexand. scribit: *Ardoris vero spiritum dicimus gratiam in sacrosancto baptismo non absque spiritu nobis ingeneratam, Baptizati autem & loti sumus non aqua nuda, sed nec cinere vituli emundati sumus ad solam carnis purificationem, quemadmodum inquit beatus Paulus; sed spiritu sancto, & igne diuino ac intelligibili, qui sordes vitiositatis in nobis detersit, & absumit, & peccati inquinationem liquat, & excoquit.* Denique Iesus cùm spiritum sanctum promisisset, eum nuncupat arguitiuum, quasi in forensi iudicio cum hominibus contendentem, vt fidem proborum, aut perfidiam impiorum exploret. Ioan. c. 16. v. 8. *Nisi enim abiero Paraclitus non veniet ad vos, & cum venerit ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Recte ergo nuncupat Isaias *spiritum iudicij.*

S. Cyr. Alex.

S. Ioan.



Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.

DISCVRSVS I.

Exterior ablutio, omnis baptismus, omne lauacrum extra salutarem, & cælestem seruatoris fontem, & vndam, emortuum, viduatum gratia, & spe salutis; nec peccatoris expiatorium est, nec eius animum ab inquinamentis flagitiorum emundat.

1. QVANTVMCVMQVE homo se immergat mari, & omnes fluctus Oceani super se accumulet, & fluentorum crepidines, niueis aquis, & limpidissimis se abluat, sine Christi gratia, & potestate, criminũ sordes nõ absterget: ideo clamat Vates: *Si abluerit Dominus sordes.* Quia potissimum Domino sanctificationis animę & ablutionis delicti pręrogatiua defertur. Iisque verbis Iudæorum baptisteria, & ablutiones infrugiferas respuit, quæ animum non emundant, sed inquinant, vt testatur Ieremias meretricios mores Ierosolymæ redarguens c. 2. v. 22. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.* Demonstrat hoc adagione Vates summam huius meretricis se lauandæ curam studiosam, exquisitamque mundandi sui sollicitudinem. Licet tibi lixiuium certamque fulloniam coacerues, aut candidam glebam; vt alumen, saponem, nitrum, terræque salsugines, & spumas, ex limo & aqua coalescentes, æstiuisque solibus maturatas, aut canescentibus siccitate littoribus. Tametsi asciscas tibi purificatorium omne smigma, & mundi muliebris medicatum fucum, vt nitor in cute splendeat; grata eris tuis amasiis, quorum oculos perstringit extima candoris species; ego vero inquit Deus, qui interiora cordis & animi prospecto, inquinatam video & contaminatam; veram illuuiem, & atrorem in animo insidentem, nec artificio emundatorio abstergere potuisse sordes, animi, sed fœdam & immundam

Ierem.

Nulla ablutio artis fullonis animã candidare potest.

S. Chrysost. Cat. Græ.

immundam remansisse. Pulchrè S. Chrysost. in catena Græcorum Patrum margaritis fulgentia lucidius, hæc fundit verborum lumina: *Facta per aquam lustratio nihil prodest, quo etiam modo sibi purgari videbantur, nitrum enim, & quam appellat herbam, sordes quæ in ipsa corporis superficie sunt, lauare solent, at corpori quod colorem imbibit, & veluti tincto nullam afferunt medicinam. Hoc itaque dicere vult, quod non potes per hæc, quæ sordes detergunt, iniquitatum consequi remissionem.* Sicut enim purpura multo saturata conchylio, quæ medicatum rosei coloris fucum altius imbibit, non valet insitum, & quasi natiuum eluere colorem, sic animus criminum sordes intimas, & penitius inhærentes, & radicatas, nulla emundatoria gleba, aut expurgatorio artificio absterget, nisi sanguine agni & feruenti croco, cuius abstersoriam functionem per latices, & canales baptismi, & pœnitentiæ accipiat. Eumdem conceptum indigitat verbis suis Theodoretus: *ποίαν idest herbam appellat, herbas purgatorias quæ nascuntur è terra & per hæc tropicè docet, quæ secundum legem sunt aspersoria, non procurare liberationem à peccatis: sed synceram pœnitentiam, & auersionem à nequitia.*

Theodor.

2. Insectatur hæreticorum omnium antesignanos egregius ille Catholicæ Ecclesiæ Alcides Epiphanius, verticesque insultantium capitonum tanquam hydræ lerneæ detruncat validissimis iaculis de panario suo, omnium armaturarum capsula eductis, impetit in primis scribas & Pharisæos Iudaismi hæresim excindens lib. 1. capite 15. demonstrans in lauationibus suis spurcitias, & maculas. *Non solum secundum legem viuentes* (inquit) *sed etiam abundantius vrceorum demersiones, ac purificationes seruantes poculorum, item ac patinarum, & aliorum ministerij vasorum, tanquam videlicet ad sinceritatem ac sanctitatem dispositio. Crebro manus lauantes, crebro item purificationes quasdam per aquas, & lauacra detergentes.* Hi enim in vndis, & lauacris se immergentes, nec de sordium flagitiis emergentes, abluendis manibus semper intenti, animum de superstitiosa purgatione defœdantes; Iesum, & eius alumnos apud Euangelistas sacros arguebant de incuria lotionum, quod ad epulandum non accederent, lotis manibus, quasi sacrum foret, & arcanum emendandæ conscientiæ prauis operibus contaminatæ munus despicere; manus, & vultus munditiem, & elegantiam studiose sectari: hi de exteriori cultu conspicui, de interiori cordis turpitudine deformes, & monstrosi, exterioris sinceritatis ambitum affectantes, cum interdum animus omnium flagitiorum inquinamentis sese volutat. Quid prodest de repetito lauacro albescens manus, cum puluerem, & fimum non excutiat auaritiæ, inhiante animo ad lucrum, & rapinam. Quam fragilis, & caduca sit eorum sententia, quàm vanis spebus confractæ arundinis eorum persuasiones fulciantur, replicata confutatione demonstrat idem Constantiæ Cypri Episcopus capite 17. *Redarguit enim ipsos conscientia ipsorum dum quotidie baptizantur, tanquam spes hesternæ diei apud ipsos mortua sit, fidesque ac sanctificatio, quando hodie quidem lauantur, non corporum ablutionis gratia, sed propter peccata: cras verò rursus lauantur, pronuntiant præteritum heri baptisma mortuum esse: si enim non pridianum mortuum esset, postera die non alio opus habuissent ad purificationem peccatorum.* Postea hac conclusione caput finit idem Epiphanius: *Neque enim Oceanus, neque omnia fluenta ac maria, fluuijque perpetui, ac fontes, vniuersaque imbripara natura in vnum congressa, peccata delere potest: quandoquidem non iuxta rationem. Neque ex præcepto Dei fit. Pœnitentia enim Purificat, & vnum baptisma per mysteriorum nominationem.* Redarguit Iudæos Hemerobaptistas sese quotidie baptizantes, seu in aquam mergentes, vt abluantur, & sanctificentur ab omni piaculo. Si enim hesterna ablutio impotens fuit ad emundationem delicti, quid præstabit hodierna? Comprobat arguitiua testificatio conscientiæ vtramque emortuam, nec munditiem animo præstare potuisse. Mortua est enim aqua nisi spiritali sanctificatione fœcundetur, & viuificetur, vt animam peccato mortuam viuificet. Hi & similes alij hominem à cacabo, & olla, & phiala non discernunt, cum eiusdem aquæ lauacro emundent hanc à fuligine, istum à crimine; quomodo abluet spiritum aqua sine spiritu, nisi adsit diuina virtus, quæ per lauacrum in animum influat, ipsumque sanctificet, & emundet.

S. Ephip. — *Iudæorum lauacra & purificationes superstitiosa.*

S. Epiph. — *Baptisma Iudæorum tanquam mortuum & inutile, teste conscientia accusat.*

S. Epip. — *Nullum fluentum aut Oceanum mare peccata abluere potest.*

3. Improbat compluribus & exprobrat Iudæorum, & gentium insaniam Clemens Alexandrinus, sibi suadentium satis esse ad animi sanctificationem corporis, & vestimenti ablutionem, cumque retulisset Homeri carmina recensentis Penelopem & Telemachum se lauasse prius, quam venirent ad vota, & preces.

Ad animi sanctificationem non sufficit corporis & vestimenti ablutio. Clem Al.

> *Cum hausit aquam mundas gestans in corpore vestes.*
>
> *Penelope venit ad preces, Telemachus autem Ablutusque manus pelago, edit vota Mineruæ.*

Hæc verba subiungit: *Hic erat mos Iudæorum vt etiam sæpe in lecto tingerentur. Bene illud quoque dictum est: non lauacro mundus esto, sed animo. Est enim perfecta vt sentio, mundities, quæ est mentis, & operum, & cogitationum, & præterea sermonis quoque sinceritas, & vltima peccati in somnijs vacuitas. Est autem sufficiens homini purgatio, perfecta firmaque ac stabilis pœnitentia, si cùm de præcedentibus nos damnauerimus actionibus, anterius procedamus, postea intelligentes, & mentem immersam sustollentes tam ab ijs, quæ per sensum delectant, quam à prioribus delictis.* Cernis in quo veram hominis sinceritatem constituat Alexandrinæ scholæ Doctor, non in candidatione vestimenti, sed animi; non in ablutione sordidantis corporis, sed purgatione spiritus, quòd bonis moribus, & vacuatione improborum affectuum splendeat. Prima solicitudo iusti est, de corde mundando, nec ei obest si corpus iniuria, & despectione sordescat. Exacta vero animi mundatio, & dealbatio perficitur pœnitentia, quæ corda supra niuem reddit candida, de qua argute dictum ab eodem Clemente: *Mentem immersam sustollentes.* Quod geminæ contemplationis capax est. Vel quod mentem criminum profluuio immersam, & limo vitiorum profundo infixam, reddit defæcatam,

Perfecta mundities est operum & cogitationum.

Perfecta purgatio, firma & stabilis pœnitentia.

catam, & sustollit ad superna. Aut quod peccator immundus, sobrietatis, & salutis cupidus, petat altitudinem maris Oceani diuinæ clementiæ, in ea se immergat roseisque laticibus, qui de Saluatoris vulneribus scaturiunt, se intingat; animi sospitatem redintegret, & reformet, & dealbatus in agni sanguine, præ solaribus radiis illum reddat conspicuum.

Fraudulenta & plena inquinamentis Pilati ablutio.

4 In pessimo homine iniquam ablutionem inuenio plenam doli, & fraudis spurcitia, inquinamento hypocrisis turbidam, nimirum in Pilato apud Matth. cap. 27. vers. 24. *Accepta aqua lauit manus coram populo, dicens innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Resultant in aqua tanquam in speculo improbitates omnes Præsidis fraudulenti, ferina crudelitas prætextu pietatis, & compassionis operta, cum tradit innocentem agnum luporum immanium arbitrio. Eminet impudens mendacium iudicis, cum iustum sui ipsius testificatione proclamatum, damnat iniuste, & se ipsum nuncupat innocentem: *Innocens ego sum.* Quid enim scelestius quàm in consortium malitiæ innocentiam ipsam rapere, aut crimen alio crimine dissimulare, & obuelare voluisse? nisi forsan exotica nuncupatione inuehere parat in forense iudicium innocentiam criminosam: inquinare manus retributionum puluere, munerum sordibus, subscriptione sententiæ iniquæ, & cupere sanctos, innocentes, impollutos apparere rectores de ablutione manuum. Rite obiurgat, & expudoratum, pudore suffundit Præsidem sanctus Leo serm. 8. de passione: *Nec purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aspersis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur.* Abstergit manus aqua, sed atterere non valet delictum, quod inhæret animi penetralibus, non expiatur flagitium iudicis iniusti fluento, sed retractatione fideli rescindendo rescriptum, obuiando aduersis conatibus impiorum. Pulchre etiam Rupertus lib. 13. in Ioannem inquit de Pilato: *Recte vulpi comparandus est, quia cum libenter postulationem Dominicæ mortis acciperet, defendere se illum finxit, & accepta aqua, manus quidem, sed non conscientiam lauit.* Nec facile creditu est tam obscurum, & crassum velamen erroris suis induxisse, vt non cerneret improbitatem suam omnium oculis patentem; licet apparere voluisset in ipsa improbitate rectus, in iniustitia iustus prædicari; quare si internoscimus causam formidinis ipsius, comperta erit arcana intentio delitescens in illo magnifico ritu, & apparatu abluendæ manus. Vnam & alteram indigitat solerti argutia sanctus Athanasius in orat. de passione Domini dicens: *timuit iudex reum suum, & magis quàm ipse reus videbatur condemnari, metumque in se condemnati sensit, atque ipsemet suam in Christum quasi in se latam sententiam cohorruit. Atque ideo etiam suas manus lauit.* Reum se Pilatus, & damnatum indicat, & promulgat, cum capitalem sententiam Saluatoris artificioso inuoluntarij iudicio format. Cohorruit in ipso reo prorsus insonte iustum indicium damnationis suæ, se ipsum adstringens indissolubili nexu criminis, & reatu impendentis pœnæ; ideo ad lauacrum inane, & aquarum fluentum quasi ad asylum confugiebat, abluens manus, vt ablutione ipsa tantum expiaret crimen, & auerteret supplicium: quasi diceret: si sordesco de impio facinore, aqua me abluit, digitos subscribentes sententiam purificat. Ideo iuxta suum malemoratum ingenium subiungit: *coram populo.* Nec grauabor asserere in Athæorum peruersum dogma incurrisse, qui non inficiantur Deum prouidentiæ gubernaculo destituere, nec humanis rebus attendere, asserere præsumunt. *Lauit manus coram populo* (inquit Albertus Magnus) *sed non coram Domino.* Cuius numen nec reuerebatur, quod explorat cordis latebras, & malarum cogitationum recessus, nec eius se tradebat imperio, qui nutu suo excelsas subruit potestates. Nec apud homines, nec apud Deum tam immane piaculum purgatum est. Incurrit etenim in mortalium omnium inuidiam, & detestationem, & in Dominicam offensam, quæ vniuersis de cælo complutis imbribus lauari nequit: *Manus quidem sed non conscientiam lauit.*

5. Mat. — *S. Leo.* — *Non expiatur aspersis aqua digitis quod famulante impia mente committitur.* — *Rupert.* — *Vulpi Pilatus comparatur, cum fingit Christum defendere, manus sed non conscientiam lauat.* — *S. Athan.* — *Timet reum iudex, cum condemnat, horrorem condemnati sentit.* — *Albert. Mag.* — *Lauit manus coram populo, sed non coram Domino.*

5. Tergiuersantem, & remorantem Moysen vt ad Pharaonem adeat, & sermonem sacrum intimet de liberatione populi, allegantemque omne aditum interclusum, ad loquelam, & aspectum Regis; huius muneris ardua omnia Dominus complanauit admonens, & indicans opportunitatem, quam nancisci possit facillimam, ad Pharaonis occursum, & affatum, Exodi cap. 8. vers. 20. *Dixit quoque Dominus ad Moysen: consurge diluculo, & sta coram Pharaone: egreditur enim ad aquas.* Cur ad lacunas, aut fluenta Nili egrediebatur Pharao perquirit Abulensis, & recenset varia Doctorum placita: *Aliqui volunt quod veniebat causa adorandi aquas, quia Ægyptij colebant aquas, Chaldæi colebant ignem; alij volunt quod hoc faciebat veniens ad adorandum Apim Deum Ægyptiorum in figuram bouis.* Eadem recenset Guillelmus Exodi cap. 8. clausula 3. dub. 1. censet tamen idem Abulensis esse congruentius, asserere Pharaonem egressum diluculo ad mysticam, & arcanam purgationem, & immersionem in Niliacis vndis: *Veniebat Pharao cum seruis suis ad aquas vt lauaret se ibi, non solum à contagionibus, & facibus corporis, sed etiam à maculis cordis: quia putauerunt antiqui aquam lauare posse vtrumque. qui error pœnè ab exordio mundi apud mortales inoleuit: nam Hercules* (inquit Abulensis) *qui fuit de antiquissimis tempore iudicum Israel, & ante Troianum excidium, putauit crimina per aquam ablui, ideo cum per Lybiam pugnando domandoque discurreret, quemdam gratissimum fontem inuenit, in quo se abluens ab omnibus facinoribus putauit esse solutum.* Hunc ritum superstitiosum valde, & exitiosum animabus, omnis Turcarum, & Sarracenorum turba, & impia colluuies auidissime hausit, per suum Guadoc, & inquinatissimum lauacrum ab omni crimine putantes abstergi, nec hoc omitti passus est idem Tostatus: *Hoc tamen apud omnes Sarracenos commune est, ideo in Oratorijs suis, siue phanis, delubra quædam, idest congregationes aquarum à delendo dicta habent; quia ibi putant se omnium obtinere veniam peccatorum:* Quorum ingenia de omni fæce turpitudinis coagmentata, de volutabro Veneris, & Priapi horridum fœtorem exhalantium, irridet Lactantius lib. 5. diuinarum institutionum capite 20. *Flagitijs omnibus inquinati veniunt*

Cur ad fluenta Nili egrediebatur Pharao? — *Exod.* — *Abulen.* — *Adorabat tanquam Deum elementum aqua & Apim in bouis figura.* — *Guill.* — *Abul.* — *Existimabat Niliacis aquis animum expiari.* — *Hercules censebat crimina per aquā ablui.* — *Abulen.* — *Sarracenorū superstitio cogitantium in delubris crimina expiari aquarum lauacris.* — *Lactant.*

ueniunt ad precandum, & se pie sacrificasse opinantur, si autem lauerint, tanquam libidines intra pectus inclusas; vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent. Lauant corpus à sordibus, spiritum non expiant à criminibus, maris aut vndarum aspergines; non enim tanta vis inest aquarum naturæ, vt maculas criminum, Creatoris offensas, quæ altius insident animæ omne aquarum profluuium possit abstergere; nisi spiritus vndam sanctificet, & foueat, vt ex iis homo nouus ales cœli renatus exurgat depositis exuuiis flagitiorum, & obsoleto Adami habitu, vt nouum, & splendidum Christi induat: qui Baptismi Seruatoris aut pœnitentiæ fonte non abluitur, animæ piacula nō abstergit, dum immergitur gurgitibus marinis non emergit animus expiatus, sed summergitur, & suffocatur, iniquitatū pondere descendens in profundū.

Libidines intra pectus inclusas nulli amnes abluunt, nulla maria purificant.

6. Venerabantur Persæ Mithram in specu fontibus scatente, vt auctor est Porphyrius in antro Nympharum ex 13. Odyss. superstitiosum cultum sui supremi numinis mutuantes ex Isaiæ cap. 33. vers. 16. vbi habet Vulgatus: *Iste in excelsis habitabit, aqua eius fideles sunt.* Legunt Septuaginta: *in excelsa spelunca petræ fortis.* Quem locum Diabolus interuertens, & in eo veritatem, ipsas res Sacramentorum diuinorum confundens, in simulacri Mithræ mysteriis, & spelæo æmulatus est. Quare Tertullianus de iis, qui mysteriis Mithræ initiantur, & suæ militiæ signantur cauterio, scribit lib. de præscriptionibus aduersus Hæreticos cap. 40. *Tingit & ipse quosdam vtique credentes, & fideles suos, & expiationem delictorum de lauacro repromittit.* Hæc canonica Mithræ in milites suos, & alumnos promulgata, quòd de iugi scatebra in eius scrobis voragine erumpente, se proluant ad ablutionem, & expiationem flagitij: sic impostores suos dementat Diabolus fraudulentus, dum laxat habenas improbitatibus impune perpetrandis, & in omne scelus mortales ruere compellit, adstipulata grandioribus verbis de facili venia, & aquæ expiatricis subsidio. Sic anguis sub floribus promissorum obtegit olida sterquilinia, in eisque placide latitat; de aqua venenatum poculum porrigit, animum interimit, dum vitam spondet. Rite eos coarguit diuinus Vates: *Aqua eius fideles sunt.* Clamitans: vnda, & ablutio Domini fidelis, aquæ Diaboli infideles, nec purgationem præstant oblatam criminum, nec immunditiam lauat immundus dæmon de lauacro suo, sed fæces adauget de cœnoso suo gurgite eructatas continuo. At limpidissima aqua nitidi, & impolluti IESV emundatoria est cuiuscumque criminosæ eluuionis. Fidelis est vnda, quæ fidem parat, fideles constituit, infidos repellit; nec potest non stare emundandarum mentium decretis, qui origo est puritatis æternæ. Hoc lauacrum idem Propheta cap. 55. vers. 3. vocat: *Misericordias Dauid fideles.* LXX. legunt: *Sancta Dauid fidelia.* Pœnitentiam nuncupat, in qua Dauid indulgentiam criminis inuenit, indeficientis largitatis, & misericordiæ fontem, in quo adulterio, & homicidio sordidatam animam abluit, sanitati, & sanctitati restituit, expertus fidelitatem promissorum Domini: pulchre sanctus Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone inquit: *Haud quaquam namque in*

Persæ Mithrā in specu fontibus scatente colūt. Porph. Isa. Lect. Lxx.

Tertull.

Diabolus expiationem flagitiorum de lauacro repromittit.

Vnda, & ablutio Domini fidelis, aqua dæmonum infideles.

Isa. Lect. Lxx. *Sācta Dauid fidelia pœnitentia nuncupatur.*

S. Iust.

balneum vos misit Isaias, vbi cædes, & delicta alia ablueritis, quæ neque maris ipsius vnda satis sit vt lustret, purificetque, sed pro eo atque decet, hoc illud antiquitus salutare lauacrum fuit, quod eos est consecutum, qui pœnitentiam resipiscentes egerunt. Et de pœnitentia Dauidis subiungit quæst. 97. agens de inefficacitate legis ad indulgentiam peccatorum, ea enim tot lustrationibus, victimis ratione carentibus, & diuersis baptismorum purificationibus, criminibus lapsos non absoluebat sine gratia Christi, & pœnitentia delictorum: *Neque aliquam,* (inquit,) *habet lex potestatem, vt eiusmodi criminis reum quemquam, per benignitatem baptismorum lustrationibus, & rebus diuinis faciendis, saluet. Gratiæ autem permagna est aduersus delinquentes vis, & potentia. Hac namque lege adhuc dominante, nisi Regem Dauidem duplici capitali peccato implicatum excepisset, eique pœnitentiæ fores aperuisset: non inuenisset ille apud legem, quæ peccatores seruare posset humanitatem.* Sciebat enim in tot ceremoniarum, & baptisteriorum magnifico apparatu, non imaginem viuam, sed vmbram mortuam remissionis adhiberi; ideò cum sordidatum se cerneret vtriusque flagitij cœno, non festinauit ad pontum immergendus marinis fluctibus; non requisiuit lauacrum fluuiatilis riui de niuatis rupibus deriuati; non ad templi lacunas, & purgatorias aquas adiuit; sed ad securum pœnitentiæ portum, & tutelarem peccantium Domini clementiam, quæ in profundo pelago pietatis flagitia pœnitentium absorbet, & ab iniquitate animum emundat: nulla enim inuenta benignitate in aqua legis emortua, & illius lustrationibus, manuductus à pœnitentia fores tenuit misericordiæ, quæ in gremium tranquillitatis suæ susciperet delinquentem, & in fonte domui Dauid patente, in ablutionē peccatoris, & menstruatæ, iuxta ipsius Regis votū, & suspiriū, ipsū amplius ab iniquitate lauaret, & à peccato mundaret.

S. Iust. Baptismorū lustratio in lege Mysi non saluat sed baptismus & gratia Saluatoris. Dauidi duplici capitali crimine implicato, miser cordia fores aperuit pœnitentia.

7. Mulierem Samaritanam tergiuersantem potum aquæ dare Christo sitienti, apud Ioan. c. 4. legimus, tenacē in suæ legis obsequio, ab exhibitione pietatis extraneam, suis amasiis valde placatam, Christo verò asperam, & horridam, meretricem turpitudine plenam, & adhuc scrupulosam. Ioan. c. 4. v. 9. *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Nec mireris, id enim ferebat Samariticę sectæ cultus, & ritus, S. Epiph. teste, lib. 1. contra Hæreses, in nona secta: *In aquam,* (inquit) *se vnà cum vestibus immergunt, vbi contigerint alium ex alia gente: inquinationem enim putant aliquem attingere, aut alium quemdam hominē alterius dogmatis tangere, aut cum eo conferere sermonem; habent enim huius multiplicis dementiæ consuetudines antiquas.* His superstitionibus erudita, & imbuta fœmina, vitabat sermonis Christi cōsortium, & pietatis officiū; ne extranei hominis habitu contaminaretur; aut suæ obseruantiæ incurreret vel leuissimum contagium. Iesus autem qui eius salutem sitiebat, puritatem, & candorē animæ requirebat, vt de fonte gratiæ ascenderet dealbata; vndā terrenæ fœcis haurire nō patitur, fluenta gratiæ paratus est largiri, ad purificandam fœminā impudicam fluenta omnia, & totū misericordiæ fontem ad illius animam deriuare. Scite, & argutè S. Max. hom. 1. de Elecmosynis ait:

Cur Samaritana in alloquendo Iesu à leō scrupulosa.

Ioan.

S. Epiph.

Samarita inquinatos se existimant si hominem alterius secta tetigerint, ideò aquis se immergunt vt expientur.

Iesus Samaritanæ fontē vitæ indulget ad emūdationem. S. Maxim.

Fons gratiæ mirum in modum sedet supra puteũ.

ait: *Aquam putei reprobat, sed fontem vitæ perennis indulget.* Et statim: *mirum igitur in modum fons super puteum sedens, misericordia ibidem fluenta producit, & mulierem sexto iam viro, sed adultero fornicantem, viui meatus vnda purificat.* Et homilia 1. de Eleemosynis eumdem conceptum replicat solerti acumine: *Mulieris Samaritanæ sordes melius Christi vnda diluerit, quàm Samariæ aqua purgauerit; & quod mundius misericordia deterserit peccata quàm puteus, detergit maculas: quia putei aqua tantùm corporis cutem abluit. Misericordia autem bonitas animæ interna purificat.* Indicat verbis suis Taurinensis Antistes aquam putei haurire voluisse mulierem non solum ad potum, sed etiam ad lauacrum; fons ille Iacob propter reuerentiam, & sanctimoniam Patriarchæ in veneratione erat Samaritis, & forsan fœmina aquæ viuæ vndam haurire cupiebat, vt seipsam ablueret, & purificaret; sed latex ille nitorem cuti, & candorem impertiens, maculas criminum ex corde non abstergit; sola vnda Christi purificat animam sordescentem, & maculosam reddit albidam, & splendidam.

S. Maxim. Samaritanæ sordes melius Christi vnda quam Samaria aqua diluit.

Samaritana putei Iacob aquam haurire cupiebat ad lauacrũ.

8. Denique hanc fœminam Samariticam figuram Ecclesiæ protulisse existimat idem sanctus Maximus, quæ relictis fæcibus criminum, sordibus superstitionum; quæ erat immunda, & atra, facta est immaculata, & formosa ablutione delicti, eique quadrare censet parœmiastæ sententiam Prouerbiorum cap. 30. vers. 20. *Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit: non sum operata malum.* Continet energiam, & leporem lectio LXX. Seniorum apud sanctum Ambrosium libro de Salomone: *Talis via mulieris meretricis, quæ cum fecerit, postquam abluta est, nihil dicit se fecisse mali.* Non nihil immutat sanctus Maximus homilia 1. de Eleemosynis: *Eiusmodi est iniqua via mulieris meretricis, quæ cùm se ablueret, nihil se dicit fecisse prauum.* Et homilia 2. locum illustrat comparans Propheticam, & Euangelicam meretricem: *Huic Euangelicæ mulieri illa prophetica meretrix conueniret, quæ postea quàm viua aqua se lauit, obliuione possessæ prauitatis, nitore puritatis exultat, Neque enim de meretrice huiusmodi talem sententiam propheta diceret, cuius pollutio non solum aqua non diluitur, sed etiam polluit ipsa quod tangit, dicente Apostolo (1. Corinth. cap. 6.) Qui autem se iungit meretrici, vnum corpus est. Quod si vnum corpus tactu suo efficit, & in cohærentem sibi ignominia sua membra transfundit: quomodo potest purificari ipsa cum polluat? Quæ ergo sit ista meretrix, quæ ista Samaritana mulier, cuius adulterij sordes fons Christi deterserit, sollicitius requiramus. Ego hanc mulierem Ecclesiam esse puto de gentibus congregatam, quæ & transactis annis quinque millibus, cùm in sexto millesimo anno idolorum fornicationibus subiaceret, omnem ignominiam suam aduenientè Christi fonte purgauit, & maculas quas adulterinis sacrilegijs contraxerat, fide Saluatoris abstersit, ac relinquens sicut inanem hydriam, priorem patrium cursum, vniuerso orbi Domini annuntiauit aduentum. Hæc, inquam, illa est meretrix, quæ postea quàm lota est, nihil se dicit fecisse prauum. Postea quam enim Ecclesia Baptismi nitore purgata est, Diabolicæ impietatis non meminit, religione veritatis exultat, factaque de meretrice Virgo, non recordatur priorum, sed gloriatur in integritate.* Hæc præclare admodum Taurinensis Pontifex Maximus firmissimo testimonio confirmans Isaiæ Vaticinium quod ablueret Dominus sordes, & maculas criminum filiarum Sion, Baptismi, & Pœnitentiæ lauacro.

S. Maxim. Meretrix immunda, redditur mũda.

Lect. LXX. D. Ambr.

S. Maxim.

Mulier aqua viua se abluens, nitore puritatis exultans. Ecclesiã innuit de gentibus congregatã.

Omnẽ ignominiam ex idolorum fornicationibus contractam, Christi fonte purgauit. Inanem hydriam, superstitionis patrum, cursum reliquit.



Si ablueritDominus sordes filiarum Sion.

Discvrsvs II.

Lacrymarum fluentum Baptismus est, & lauacrum, quo expiatur delictum, crimen abstergitur.

1. De purgatione animæ, & ablutione criminis, quam pœnitentia, & lacrymæ operantur, propositum lemma exposuimus in commentario, cui adiicimus modo hoc discursus insigne, supponentes S. Athnasij verba, terna baptismata adstruentia. q. 72. ad Antiochum: *Tria baptismata purgantia,* (inquit,) *cuiuslibet peccati Deus naturæ hominum donauit, puta aquæ, & rursus sanguinis proprij, & tertium per lacrymas, per quod meretrix purgata est, & etiam Petrus ipse sacrorum Apostolorum primarius, post negationem lacrymatus est, receptus, & seruatus.* Et illico: *Sciendum enim, quod perinde ac baptismus fons lacrymarum purget hominem. quamobrem multi per lapsus fœdantes baptismum sanctum, per lacrymas purgati, & iusti recepti sunt.* Præter baptismum, quo regeneramur in nouam vitam adiungitur aliud lauacrum lacrymarum, quò verè pœnitens peccator abluitur, emaculatur, candidatur; in hoc fluento de misericordia Domini præparato, de humanorum oculorum fonte elicito ad emundationem animi, Magdalena se lauit, atrorem criminosæ vitæ absterſit; Petrus Apostolorum apex post lapsum, amarissimi fletus vndis sese iactauit, eluit maculam criminis, & ad primitiuum ordinem pristinæ dignitatis reductus est.

S. Athanas. Tria baptismata peccatum purgantia.

Baptismus fons lacrymarum.

2. In hac aqua expiatoria expurgari docet animum ab omni immunditia Aquila; cuius ingenium innouationis prædicat sacratus Lyricen Dauid Ps. 102. v. 5. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Omitto in auium regina alia renouationis insignia; quibus ad primitiuum florem iuuentæ redit abolitâ senectute. Illa tamen huius volucris physiologia sublimior, modus nimirum, & industria, quâ senium respuit, ad iuueniles annos, & pennas se reuocat, & ad vitæ longæuitatem; immergens se in aquarum fontem, veteres pennas exuit, nouas illico repullulantes induit. Testatur id sanctus Hieronymus tom. 9. epist. 29. & in regulis cap. 17. de laude religionis scribens: *Aquila quoque cum senuerit, grauentur eius pennæ, & oculi, & quærat fontem, & erigat pennas, & colligat in se calorem, & sic oculi eius sanentur, & in fontem se mergat, & ita ad iuuentutem redeat.* Et Sanctus Epiphanius in physiologo cap. 6. cum senescit aquila, *In altum sese attollit, & in præruptum se proiicit rupem, ad quam rostrum allidit, & se frigidis immergit aquis, aduersusque solarios radios se opponit, tuncque ex oculis cadunt lippidines, ac iterum iuuenescit.* Quæ omnia ad

Psalm. Aquila senescens, vt redeat ad iuuentutem, in fontem aquarum se immergit.

D. Hieron.

S. Epiph. Aquila in præruptã rupem rostrum allidit, & frigidis aquis se immergit, aduersus solis radios se opponit, vt cadant oculorum lippidines.

Euthym. S.Epiph. Hæc physiologia aquilæ, adaptatur peccatori exomologesim operanti.

ad pœnitentiam accomodat Euthymius: *eodem pacto (inquit) per pœnitentiam renouaberis, vt aquila renouatur.* Argutior est eiusdem Epiphanij Apodosis: *Tu igitur ô spiritualis homo, cum multitudine peccatorum fueris oppressus, in altum ascende, hoc est in tuam ipsius conscientiam, atque te ad petram, scilicet ad fidem orthodoxam proiice, defle peccatorum tuorum multitudinem, & perpetuis te aquis id est lacrymis abstergens, solis radiis incalesce, hoc est in cœtu fidelium, & in sancto spiritu, ad calorem pœnitentiæ propera, lippidines, id est peccata abiice, statim enim renouabitur vt aquila iuuentus tua, & iustus vocaberis apud Deum.* Instruit quemque criminosum aquila per amarulenti maris lacrymarum turbines transilire ad vitæ innouationem; ipsa vt migret ad splendidiorem, & florentem vitam primitiui decoris, gurgites aquarum solerter requirit, vt iis immersa, & exagitata plumarum flabris, labore, & aspectu solis incalescens, poros aperiat, pennas abiiciat veteres, renouata plumescat; melioris solis homo radiis ictus incalescit, igneo flatu amoris correptus, & splendoris æterni, & aspectu solis, vt improborum affectuum exuuias deponat; perquirat tamen necessum est fontem pietatis, cuius vndis aspersus, obsoletæ vitæ habitum respuat, vt nouæ partus nobiliores exuberent. *In fontem se mergat & ita ad iuuentutem redeat.* Ex Hieronymo: *perpetuis te aquis, id est lacrymis abstergens.* Ex Epiphanio. quam dulce lauacrum lacrymarum, quarum crystallinis riuis omnis flagitij macula abstergitur; irrorantur genæ specioso fluento, quod hypocaustum pectoris fornace amoris diuini corde succenso, euaporat, & liquatum per scaturigines oculorum exudat. Huius balnei calidis aquis, & salutiferis abluitur anima, & induratam concupiscentiæ lippitudinem abstergit; pretiosæ thermæ, quibus non tantum inspergitur, sed immadescit totus homo præclaris stillicidiis, & liquoribus, quos ex corde elicit Dei amor, & offensæ diuinæ dolor: in hoc mare salsum anima iactatur, aquis intingitur, immersa emergit volucris sacra, quæ alta petat, omne caducum respuens, immigret ad cælites. Didicit hanc physiologiam Aquilæ, præcentor cælicus, & in se ipso expertus est primus, vt exemplari magisterio erudiret exomologesim operantes. Psalmo 6.v.7. de se ipso fatur: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Vbi S. Hieronymus, Pagninus, Caietanus, Vatablus legunt: *natare faciam lectum meum.* Vt abluat adauctum homicidio adulterij crimen, lacrymarum fluenta multiplicat, vt natatoriam constituat oculorum de lacunis repletam, quâ se abstergat; spondam in qua concubuit, & lectum tanto contaminatum flagitio, emundat. Pulchre Theodoretus scribit hæc pronuntiasse Dauidem quasi diceret: *continenter lacrymor, & ea, quæ à me audacter commissa sunt, deploro, atque etiam meum cubile iniquitate contaminatum, semper lacrymis abluo, tentans si per hasce illud purgare queam.* Inundationem fletus requirebat, vt tota supellex quæ inquinata fuerat, & polluta adulterij flagitio, de lacrymarum irriguo emundaretur; auebat Rex pius vt non tantum animam, & corpus, sed culcitræ peristromata alienæ carnis, & illicitæ voluptatis attactu sordidata, purificarentur lacrymarum fluentis. id vero

D.Hieron. S.Epiph. Peccator aquarum, hoc est lacrymarum riuis se abstergit. Psalm. Lacrymarum natatoria in Dauide. Theodor. Cubile iniquitate sordidum Dauid semper lacrymis abluebat.

quod idem pœnitentium Doctor, & antesignanus adiungit, ad eumdem voluntarium mœrorem & squalorem pœnitentis habitus spectat: *turbatus est à furore oculus meus.* Vbi Caietanus legit: *tineauit oculus meus.* Cur autem oculos suos quasi tinea corrosos, & blattis exesos præ fletûs acrimonia, diu noctuque multiplicato luctu describat? argute respondet Caietanus: *Ad significandum itaque quod recognoscit se culpabilem, quod oculus suus specialiter fuit causa, quod oportuit ipsum tantum flere, quod sicut corrosi sunt oculi ab ira Dei considerata, vsus est metaphora tineæ. & vere tineauit oculus Dauidis, quando vidit mulierem lauantem se pulchram valde, hoc enim fuit causa, quare velut corrosi sunt postea oculi flendo.* Abundantior fletus, labor, & dolor vbi extitit origo delicti, languescunt oculi lacrymando, qui obnubilati caligantesque redditi ex visione alienæ pulchritudinis; intumescunt palpebræ planctu largissimo profusi liquoris, quæ annutu suo conniuentes fœmineæ formæ, & eius turpitudini arriserunt. Reuoca ad calculum Aquilinæ renouationis solertiam, quæ ad restituendam oculis perspicuitatem abiectis squamis dirigitur. S.Hieronym. inquiebat: *oculi eius sanentur, & in fontem se mergat.* Et S.Epiphanius: *frigidis se immergit aquis, tunc ex oculis cadunt lippidines, ac iterum iuuenescit.* Vitium, & mœrorem oculorum, quem Dauid contraxerat ex libidinoso aspectu, lippitudine oculorũ lacrymãtium abstergit. His calidis aquis, & crystallinis fontibus sordes luminum eluit; nebula, & vitiosa caligine dispulsa, vitreis lacrymarum riuis abluta resplendent, & margaritis pretiosis apparẽt decora; hac macie, hoc luto nõ sordescũt, non turpificantur oculi, sed magis ac magis clarificantur. In hoc fonte lauit oculos, & vidit, quàm clemens est Dominus: in hoc fonte iuuenescit. Licet enim assiduo fletu oculus turgeat, & macie liquescat, & vultus corrugata, & arata cuti contrahatur; ex deflorescenti, & squalida hac specie vegetior, & speciosior surgit animus repullulante iuuentute virtutis, & gratiæ.

Caiet. Dauidis oculi criminis fontes, corrosi sunt fletibus, & lacrymis. In aquila renouatione, præcipua oculorum purgatio. S.Hieron. S.Epiph.

3\. Arridet valde ad præsens institutum illa comparatio oculorum sponsæ cum lectissimis piscinis, & stagnis, tum propter eorum speciem, tum propter arcanum sensum; non tam quia pellucidi, nitidi, in cuius crystallino humore speciẽ sponsi regerunt quasi in speculo, perpetuã stabilitatem, & serenitatem annuntient; sed quia cõtinuo ex iis scaturiant lacrymarum flumina pro suis, pro alienis delictis, quibus lumẽ, & splendorem adaugent. Cant.7.v.4. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon.* Sub hoc inuoluto sermone in deplorante Ecclesia alienas calamitates, & suas, magnificentiam, & decorem oculorum describit. Argutè Aponius inquit: *In oculis scilicet Ecclesiæ, pro eo quod piscinis Hesebon comparatur, illi videntur ostensi, siue qui pro suis communibus aliquando, siue qui pro alienis criminibus fontes proferunt lacrymarum.* Piscinis sunt similes illacrymantes oculi, quia pellucidi liquores ex corde scaturiunt, & tanquam cælestes imbres illorum cauitates replent, per genas exterius diffluentes interiora animi plantaria irrigant. Adhuc piscinarum similitudo principaliorem theoriam exigit, nam in his oculorum fossis lacunas condit homo, vt sæpissime se abluat ab ingruenti criminum, & de

Cur oculi sponsæ sacra stagnis & piscinis comparati. Cant. Apon. Pro suis & alienis delictis fontes proferunt lacrymarum.

& defectuum limo; bonus lacus, in quem peccator descendit, vt ascendat iustificatus. Et rite *Piscinæ Hesebon* nuncupantur, quod interdum sonat *cingulum mœroris.* Dum enim anima passiones circumcidit, luxuriantes impetus coarctat, & pœnitendo quasi quodam cingulo pœnitudinis, & mœroris cor coarctatur, pectus constringitur, erumpunt vberiores lacrymarum riui quibus peccata obruat, animum abluat. Veneranda natatoria quæ de supernis oculorum fontibus gurgites intumescentes ostendit, vt indumentum spiritale maculis intinctum, his riuis, & canalibus mersum, super omne fullonis artificium, & industriam candescat. Pulchre de hoc lauacro sanctus Chrysostomus philosophatur, dum baptismi, & pœnitentiæ expiatoriam, & lustralem virtutem prædicat. tom. 5. homilia ad baptizandos: *Nunc igitur* (inquit,) *sordes corporis iudaicum lauacrum emundabat. Diuina autem gratia lauacrum, non corporis sed animæ maculam, sordesque mundare consueuit, etsi mollis, etsi fornicator, etsi idolis seruiens, etsi totius malitiæ nodis astrictus, cum ad illam natatoriam venerit, cùm illius fontis diuinos senserit riuos, solis radiis mundior eleuatur.* Et apte subiungit. *Sicut scintilla ignis exigua in profundi maris pelagus cadens aquarum copia non paulatim, sed statim extinguitur, & illico nihil esse demonstratur: ita, & omnis humana malitia quando ad natatoriam cælestium fontium valuerit peruenire, illius scintilla facilius extinguitur ardore.* Appositissimũ discrimen statuit os aureum inter lauacrum legis, & gratiæ, nam illud sordes corporis emundabat, istud verò animum purificat ab omni flagitio; nullum est enim genus improbitatis humanæ, quod sacer hic gurges non absorbeat, & ad nihilum redigat. Ad hanc natatoriam venit peccator lepra peccati infectus, & eleuatur purificatus; tenebroso squalore turpitudinis deformis, & horridus, & ascendit dealbatus super omnes solares radios nitidus.

Obsimum cingulũ pœnitudinis, & mœroris quo animus constringitur.

D. Chrys.

In laicum lauacrũ sordes corporis abluebat, gratiæ lauacrum animã mundã reddit, supra solis radios splendentem. Sicut scintilla ignis in pelagus cadens statim extinguitur sic malitia aboletur in natatoria baptismi, & pœnitentia.

4. Celebrat Psalmographus. 77. carmine prodigia à Domino patrata ad emolumentum populi in palæstinam peregrinantis; illud tamen decantatissimum est, & ore vatum subsequentium celebratum, quod ibi recensetur versu 14. 15. 20. de fonte aquarum de silice educto, vi, & gemino ictu Mosaycæ virgæ, nec prodigiosi riui scaturiginem limpidissimam, sat sibi visum est præcentori sacro citharizare vno modulo, sed eiusdem scatebræ miraculum replicat cantilena: *Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos velut in abysso multa. Et eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* Agnoscebat per prænotionem spiritus Regius Vates, & Psaltes petræ arcanum, aquas largissimas de percussura euomentis, ideò velut sitibundus os aperit, & applicat labra ad iucundam scatebram, vt mystico fluento, & poculo ingurgitetur, mel de petra lambat, & blanda quadam suauitate sensus, & affectus demulceat. In petra Christus, in percussura lateris vulnus, in aquarum riuis donorum, & gratiarum flumina de hac petra fluentia in ænigmate adumbrata sunt, vel primoribus Ecclesiæ testificantibus, quibus facem præfert Paulus. Singulari acumine Nyssenæ Ecclesiæ lux, & ornamentum Gregorius, sacram vndam censet esse pœnitentiæ Sacramentum, quod de latere Christi promanauit, sic fatur in libro de Moysis vita: *Moyses vero rursus per lapidem inundare aquis eremum fecit: quæ res quantum qualeque sit pœnitentiæ Sacramentum docet: nam qui postquam semel biberunt è lapide, quamuis ad ventrem, & Ægyptias voluptates lapsi, bonorum priuatione, ac doloris perpessione in Ægypto condemnentur: possunt tamen virtute pœnitentiæ, lapidem quem dereliquerunt inuenire, ac fontes, quos delinquendo obserarunt, pœnitendo reserare.* Peregrinantibus suis ad pristinas improbitates prolabentibus, tentantibus, exprobrantibus, exasperantibus Domini, seruique clementiam, expiatoriam aquam ostendit Deus de petra continuo profluentem, peccantes prosequentem, ad animi expurgationem, & lauacrum inuitantem. Aquarum exitus, quos flagitium occlusit velut sera firmissima, pœnitentiæ clauis aperit: vtinam adsit virga timoris: quæ petram humani cordis, (vt de petra homo eruditionem accipiat, & ebibat salutarem,) percutiat, induratum cor scindat, & liquet, in lacrymosum liquorem soluat, quo peccator eluat terrenæ contagium corruptelæ. Apposite iuxta mores conceptum melleum, & iucundissimum sugit de hac petra Hugo Carensis dicens: *Interrupta petra adaquauit eos, id est, aquis lacrymarum refecit eos, & hoc velut in abysso multa. Satis habent vnde flere deberent, quia cor peccatoris vere est abyssus multa. Et eduxit aquam lacrymarum de petra, id est, de duro corde, & deduxit tanquam flumina aquas. aquæ fluminis abundantes sunt, quia iugiter fluunt, & dulces sunt: sic lacrymæ peccatoris pœnitentis debent abundanter, & iugiter fluere.* Et bene abyssus nuncupantur lacrymæ, quia abyssus lacrymarum abyssum inuocat misericordiarum Dei; exundent oculorum flumina, & aquæ largissimæ immensa profunditas, vt vorticibus suis obruant pondus omne flagitij; hisque gurgitibus de pœnitentis animi procella intumescentibus totius labes criminis, vitiosa affectuum lues, & turpitudinis maculæ proluantur. In hoc proposito sublimior est, & argutior ingeniosa cogitatio sancti Isidori Pelusiotæ ad Athanasium epistolam 408. dirigentis: *Præclara quidem, & laude digna est pœnitentis animi resipiscentia: sed pauci eam consequi possunt, Deus igitur, qui nos vitam per resipiscentiam obtinere cupit, de pectore tuo aquam educet, quæ tibi pro altero quodam lauacro sit, ac voluntaria piscina, conscientiam tuam ab inquinamentis repurgans: vt Angelis, quos peccando in mœrore coniecisti, lætitiæ causam præbeas.* Propensionem ad fletus, & lacrymas in homine natura inseuit, vt de præteritis flagitiis resipiscens possit placare diuinum numen; in hoc irriguo, & lacrymarum fluento, quod de cordis scaturit profundo, per oculorum fontes emergit, & funditur, inuenit voluntarium lauacrum, spontaneam piscinam, nec indiget Angelo motore, & aquarum turbatore; pœnitens namque homo sibi Angelus est, & patronus, qui dum in harum aquarum balneo immergitur, à criminibus suis perpurgat animum, vestimentaque sua lauat in sanguineis agni fontibus, & per aquam, & sanguinẽ viam præparat ad mansiones supernas. Alludit forsan Pelusiota in his verbis: *De pectore tuo aquam educet.* Ad superiorem deserti petram, aut ad Publicanum exomologesim operantem apud sanctum

Psalm.

Deserti petra percussa aquas enormiter iste Sacramentum innuebat.

D. Gregor. Nyssen.

Hugo.

Cum de duro peccatoris corde Deus lacrymarum flumina deducit; earum dulcedine reficitur tãquã in abysso multa.

Isid. Pelus.

Lacrymarum flumina lauacrum sunt, & voluntaria piscina ab inquinamẽtis repurgantia.

Quare publicanus pectus percutiebat.

S. Lucam. sanctum Lucam cap. 18. qui inter alia resipiscentis animi magnalia, illud adiungit, vers. 13. *percutiebat pectus suum.* Cur pectus tundit? Respondet Sanctus Theophilus in aurea catena: *Cor quodammodo pungens causa cogitationum prauarum, necnon, & excitans, vt dormitans.* Tundebat pectus, sed ad misericordiæ ianuam pulsabat, vt aperiret, & Dominum qui præsto adest afflictis prouocaret ad veniam; pugno pectus, sed manu cæli alta contingit; est enim vox Deo, & cælicolis omni plectro suauior, quæ de pectoris pœnitētis tunsione, quasi de pulsati psalterij fidibus resultat: cur autem Euangelista nō dixit: tundebat pectus, pulsabat, verberabat? sed: *percutiebat.* Vt contriti cordis, & pœnitentiæ magnitudinem insinuet, vt de sagittantis amoris ictu apertum vulnus suscepisse cogites; vt saxeum pectus suum extitisse demonstret, quod manus percussura quasi Mosaica virga largissimum lacrymarum torrentem effunderet. Ad hunc enim gradum magnitudinis euehit seruator pœnitentem, vt fluentum felicius, & mirabilius, Deo gratius voluntate sua possit elicere. Extrema verba Isidori: *Vt Angelis, quos peccando in mœrore coniecisti, lætitiæ causam prabeas.* Ansam præbent perscrutandi sublimiorem protheoriam, quam in Angelorum descensu per Iacob scalam contemplatur Philo hebræus. Genes. cap. 28. v. 12. *Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* Sic enim de missione supernorum spirituum expendit libro de somniis: *Purgatissimas quidem mentes solus Deus omnipotens insensibiliter, inuisibiliterque dignatur inuisere. Sic enim legimus in quodam oraculo viro sapienti reddito.* (Forsan alludit ad Exod. cap. 29. v. 45.) *inambulabo in vobis, & ero Deus vester. eas vero que adhuc lauantur, nondum abstersis omnibus sordibus contractis ex corpore, interuisunt Angeli, & exhilarant aspectu honestissimo.* Choros agunt Angeli, & lætitia inenarrabili perfunduntur, cum prospectant criminosos sese lauantes lauacro, & piscina lacrymarum, & reiecta malitia, sordes quotidie eluere de terreni tabernaculi corruptela contractas.

Theoph. *Cor suum quodammodo pungebat & velut dormiens excitabat.*

Vt saxeum pectus pœnitentia emollitum educeret lacrymarum torrentem.

D. Isid. *Lacrymæ Angelis lætitiæ causa sunt.*

Phil. heb. Genes.

Peccatores se lauantes à criminum sordibus interuisunt Angeli, & exhilarant, aspectu iucundissimo.



VERSICVLVS V.

Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio.

VERSICVLVS VI.

Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine & pluuia.

COMMENTARIVS.

1. TERNAM expositionem continent sententiæ propositæ, primam de Ecclesia Christi, secundam de Beata Maria, tertiam de sacris familiis Religiosis.

Prima expositio. *Ecclesia proponitur, & expenditur.*

EAm sequuntur Hieronymus, Cyrillus, Basilius, Chrysostomus, Procopius, Augustinus, Rupertus versu præcedenti relati, & per singula verba sic procedit.

D. Hieron. S. Cyril. S. Basil. D. Chrysost. D. August. Procop. Rupert.

1. *Creabit.* Verbum Hebraicum ברא bara. *Creare, rem nouam formare, seu fingere.* Genes. cap. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* & cap. 5. *in die, qua creauit Deus hominem.* Quo verbo congruenter vtitur vates, vt denotet, quod ex vastitate illa Ierosolymæ supra descripta, ex tenebris ruinæ velut ex nihilo mundum nouum Ecclesiæ Euangelicæ, & nouam generationem iustorum Deus creat, & format, ad meliorem formam, & sublimiorem gloriæ exaltationem humanum genus euehit.

Quid denotet verbum creabit. Genes.

2. *Super omnem locum* Hebræus habet: *super omnem cœtum eius.* Optimeque expendit versionem istam Vatablus dicens: *super Ecclesiam Ierosolymitanam, & super omnes Ecclesias illi similes.* Hebraicum verbum כון denotat locum & habitationem firmissimam, inconcussam, & bene radicatam. Idem verbum reperitur supra cap. 2. erit *preparatus mons.* Firmissime fundatus & radicatus. Et Psalm. 79. vt innuat nouam Ecclesiam bene radicatam, immobilem, inconcussam, non labefactandam; nec dimouendam aduersis; mobilis è contra fuit synagoga penitus euulsa radicitus captiuitatis turbinibus, & à Deo derelicta.

Cœtus & congregationes sacræ. Vatab. Hebr.

3. Pulchre legit in præsenti Forerius: *super omnem conuentum, & congregationem.* Est enim proprium Christi ad vnitatem fidei congregare populos, & nationes, sicut in sensu mystico fuerat prædictum à Iacob patriarcha. Genes. cap. 49. de Gad tribu: *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.* In Hebræo habetur: *Congregationem congregabit.* Et in tribus Iudæ benedictione ad litteram vaticinatur de seruatore nostro: *& ipse erit expectatio gentium.* Vbi legit Aquila: *& ipsi congregatio populorum.* Et Sanctus Ambrosius lib. de benedictionibus Patriarcharum ait illustrans hoc vaticinium: *Donec veniat cui repositum est, vt Ecclesiam Dei congreget ex conuentu nationum omnium.*

Forer. Genes. *Gad accinctus congregationem congregabit.* Aquila. D. Ambr.

4. *Et vbi inuocatus est.* Hebraicum קרא vocationem, lectionem, cœtum, congregationem, Ecclesiam, conuentum denotat. Hebræi legunt: *super omnes vocationes, vel inuocationes eius.* Sic legit Rabbi Salomon in Isaiæ commentario, *& super cœtum. Hæ sunt conuocationes, & congregationes in medio eius.* Et Rabbi Dauid Kimki super Isaiam: *Vocabitur propterea iste locus Ecclesia, quoniam conuocabuntur ibi ad cœtum, & concionem à facie sapientum.*

Inuocationes & cœtus in Ecclesia. Hebr. Rabi Salom. Rab. Dauid.

5. Hinc collige quid præseferat Isaias in illis verbis: *apprehendent septem mulieres virum vnum: inuocetur nomen tuum super nos.* Cùm enim exoptarent fœminæ sub culmine, & protectione tanti viri pacate viuere, eius auxilium implorant, illa deprecatione: *Inuocetur*

Septem mulieres inuocationem, accipiunt viri sui.

tur nomen tuum super nos. Nunc ait vates, compotes votorum factas, illius viri nomen fuisse super ipsas inuocatum, & per consequens sub illius tutamine susceptas, ideo adiungit: *& vbi inuocatus est.* Vt autem constaret quæ essent fœminæ seu mulieres inuocationem nominis postulantes, nunc verbis suis aperit Vates, dicens esse cætus, congregationes, Ecclesias, quæ gaudent nuncupari à Christo Christianæ, & tam eximiæ nuncupationis dignitate, & decore gloriantur. Hic enim est mos prophetarum, quod prius enuntiant sub inuolucro sermonis occultatum, postea illud manifestis sententiis, & perspicuis verbis aperire.

Hebraizantes nubem accipiunt protectionem populi post captiuitatẽ Babylonicã.

6. *Nubes per diem.* Hebræi Hebraizantes, & eorum sectatores hæc, & sequentia verba vsurpant de singulari præsidio, quod habuit populus Israëliticus tempore Cyri, cùm confracto iugo captiuitatis Babylonicæ, Domini prouidentia, & singulari dilectione reductus est ad patriam Ierosolymæ; in qua reductione non minorem indulgentiam, & protectionem Domini expertus est populus, ac cùm de ergastulo Ægyptiorum mirabiliter est ereptus. Cuius interpretationis princeps extitit Rabbi Dauid Chimchi, qui ait: *à principio fuit nubes gloriæ operiens tabernaculum, & domum sanctuarij: sed in reditu captiuitatis videbitur nubes gloriæ super domo sapientum, & magnatum, & misericordiam facientium.* Nos autem sequimur agmen patrum, in quibus est spiritus vitæ, & sensus veritatis, qui fere ab exordio Euangelicæ prædicationis propositum vaticinium accipiunt de Christi protectione mirabili, quam Ecclesiæ suæ exhibuit quod quidem præsidium, & tutamẽ nomine nubis, & splendoris elegáter ostendit. prima enim Ecclesia, & congregatio in Ierusalem collecta duplicem protectionem experta est, tum quod à famosa calamitate, vastitate, & incendio mirabiliter erepta; tum etiam quod eam Deus non dereliquit, sed quod instar nubis protegentis opitulamen suum, & tutelam super ipsam expandit, quin immo sub vmbra alarum suarũ, & manus suæ tegmine commorabatur secura aspectabilibus, & inaspectabilibus hostibus inuicta: quod auxilium ad omnes alias congregationes, & Ecclesias per orbem propagatas, & ab illa Sionis tãquam à matrice, & metropoli manantes, deriuatum est & diffusum. Nec minus aderit Christianis, nec minorem tutelam, & incolumitatem præstandam promittit; sed longè nobiliorem, & maiorem indulgentiam ostendet quàm olim Deus Israëlitis. quæ omnia nubes præsefert.

Rab. Dauid.

Protectio Christi Ecclesiæ donata.

Alludit vates ad nubem protectricem populi in deserto peregrinantiũ.

7. Alludit proculdubio Vates ad magnificum illud tutamentum, quod Deus præstitit Israëlitis de Ægypto egredientibus, ad Palæstinam peregrinantibus, quod portentum prædicant sacræ paginæ apertissima testimonia. Exodi c. 13. v. 21. *Dominus præcedebat eos ad ostendẽdam viam. Per diem in columna nubis: & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tẽpore.* Et Psalm. 77. v. 14. *deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* Idem Psalmicẽ hymno 104. v. 39. idem replicat miraculum; *expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem.* Eiusque filius Sapiens Sapientiæ c. 10. v. 17. *deduxit illos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.* & c. 18. v. 3. *ignis ardentem columnam ducem habuerũt ignotæ viæ, & solem sine læsura.* Et in lib. 2. Esdræ cap. 9. v. 19. *tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem, vt duceret eos in viam: & columna ignis per noctem, vt ostenderet eis iter, per quod ingrederentur.*

Exod.

Psal.

Sapient.

Esdr.

Nubis fulgentis protegentis munia & decora.

Phil. Iud.

D. Gre. Nys.

8. Huius columnæ, & nubis munera describit Philo Iudæus lib. 1. de vita Moysi; *Præcedebat populum nubes in magnæ columnæ speciem solari splendore lucens interdiu, noctu vero flãmeo, vt eius ductu absque periculo erroris incederent.* Et S. Greg. Nyss. lib. de vita Moysi de hac nubis columna recenset: *quæ in die solis ardores temperabat, & noctu in ignem versa, noctis frigora temperabat, & tenebras remouebat.* Hinc est quod sapiẽtes viri solerter asserunt vnam eamdemque esse & columnam nubis, & ignis, quæ diu noctuque populum dirigeret, viam demonstraret, & ab impendentibus periculis, & serpentium assultibus, & morsibus præcaueret; alterã vero nubẽ protectricem, supra vniuersam multitudinem expansam ipsumque populum ambientem, cuius officium erat protegere, inumbrare aduersus æstum diurnum tantam hominũ multitudinẽ, tum etiam ad remouendam pluuiam, frigus temperandum, & temporum iniurias remouendas. Sic Lorin. Psal. 104. v. 39. *Expandit nubem in protectionem eorum.* Et Salianus to. 2. Ann. mundi. 2544. à num. 178. ad vtramque nubem alludit Isaias in præsenti, vt mirabilem tutelam Christi erga congregationem suam prædicet: nam illa omnia typi fuerunt, & rerum verarum simulacra, veritas autem in Christo, & per Christum. Ipse enim in Ecclesia dicitur, & est columna nubis propter multiplices causas, quas Patres comminiscuntur.

Psalm.

Cur Christus dicatur columna nubis.

S. Gregor. Nazianz.

Humanitas instar nubis Deitatem Christi abscondit.

9. Primo dicitur Christus columna nubis, quia fulgorem diuinitatis humanitate tẽperauit, & obtexit. S. Greg. Nazianz. orat. 49. ait: *Vt enim sol cum in nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cæcatur, & lumen illud, quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, paruo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur: sic & homo ille, quem Dominus Saluatorque noster (id est Deus Dei filius) induit, Deitatẽ in illo non intercepit, sed abscondit.* Gregorium Theologum æmulatur Rupert. lib. 2. in Exod. c. 28. *Quis nã est hic dux itineris, nisi qui & dux, & via nobis est Iesus Christus filius Dei? Ipse nempe colũna ignis, quia verus Deus: ipse idem columna nubis, quia verus homo est. Sol vt tolerari posset venit in nube, id est Deus vt cũ hominibus conuersaretur, venit in carne.*

Rupert.

Deus vt esset tolerabilis, venit in nube.

Dicitur columna propter firmitudinem, & quia ad superna nos prouehit.

D. Cyr. Al.

10. Secũdo dicitur nubis columna propter firmitatẽ inconcussam, & illabefactatum robur, quod in se continet, & præstat suis asseclis, & quia in sublimia nos euehit, vt extricati à terrenis, cæli altitudines contingere possimus. est S. Cyrilli Alex. lib. 3. de adorat. vbi Palladio respondet cur seruator colũna nubis nũcupetur? *Primũ quidẽ quia columna & firmamẽtũ veritatis est; deinde quod nullo modo cõcuti, ac disturbari potest, necnon terrã in sublime sustinet, nam in Christo desiimus, quæ carnis sunt sapere, ac per terrena volutari mala: ac veluti sursum eius ope tollimur, cum ea, quæ sursum sunt, sapimus, & in cælo versamur.*

D. Cyr. Al.

Nubes ratione protegentis vmbraculi.

11. Tertio est eiusdem Antistitis Alexãdrini illustrantis præsentẽ Isaiæ locũ, sicque illũ vertẽtis: *Omnẽ locũ mõtis Sion, & omnia quæ in circuitu eius sunt, obũbrabit nubes die. nimirũ dici nubiferã columnam ratione protectricis integumenti, & vmbraculi,*

vmbraculi, quod exhibet tentatis, & afflictis: libera Ierusalem filios sua coronans gratia, felices reddidit, & veluti protector quispiam illis extitit: tantum non veterem illam nubem repræsentans, quæ olim in deserto obumbrauit Israëlem.

D. Cyr. Alex. *Christum ductorem, & directorẽ sequitur Ecclesia.*

12. Huic congruit eiusdem Cyrilli 4. ratio lib. 1. de adorat. quia Christum directorem, & ductorem sequitur Ecclesia, sicut columnæ nubis ductum ad standum, & progrediendum sectabatur tabernaculum. ita enim ait: *Discedente nube tabernaculum quoque simul proficiscitur, & consistente simul consistit, & vna cum illa idem faciebant filij Israel: Christum enim vbique sequitur Ecclesia, sanctaque illa credentium multitudo, ab eo qui vocabatur in salutem, nunquam disiungitur.*

Nubes diu obumbrans noctu collucens Eucharistia Sacramentum. Glossa. *Refrigerat concupiscentiæ æstum.* Drog.

13. Alij verò nubem diu obumbrantem noctu collucentem existimant esse mirabile Eucharistiæ Sacramentum. Sic Glossa ordinaria hoc Isaiæ vaticinium expendit: *Nubes Eucharistia Sacramentum; quod dicitur nubes refrigerans concupiscentiæ æstum, & ignis flamma propter charitatis incendium: ideò dicitur amoris Sacramentum. Dicitur etiam fumus incensorum, quia celebratur cum orationibus sanctorum.* Nec dissentit Drogo Hostiensis Episcopus lib. de Sacramento Dominicæ Passionis, cum mysterium aperit nubis populum Israëliticum per deserta ductantis, sic enim ait: *Tu ipse quondam præcedebas filios Israel in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem, & ad nutum tuum deponebant tentoria, & rursus erigebant. Quæ est nubes quæ præcedit veros Israëlitas nisi verissimum, & sanctissimum corpus tuum, quod in altari sumimus in quo velatur nobis altitudo Dei, immensitas maiestatis tuæ, cuius & calorem, & splendorem mortalis infirmitas sustinere non posset, nisi mediatrix nubes interposita, & ardorem temperaret desuper, & tutam subtus te viam demonstraret? Hanc nubem totus exercitus tuus sequitur Domine Rex Sabaoth: qui autem non sequitur eam, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quò eat.*

Nubem Eucharisticam totus Ecclesiæ exercitus sequitur.

Et verè nubes in Eucharistico Sacramento Christus est Dominus, qui Deitatis, & humanitatis solem, viuidos igniculos, & splendores fulgurantes exinde erumpentes obtegit, & temperat accidentiũ tegminibus, ne noster hebetetur obtutus, aut opprimamur à gloria; nubes quæ mœstis solamen infundit, ignitis tentamentorum Diaboli telis æstuantibus gratum præbet vmbraculum, & fœcundiori gratiæ aspergine mentes irrorat, cœlestis paradisi semitam demonstrat in hac vita peregrinantibus.

Lect. Lxx. Patr. Græc. *Nubes in transfiguratione obumbrans.*

14. *Nubem per diem.* Lxx. legunt: *obumbrabit nubes.* Quam versionem sectantur Græci Patres. Vbi sapienter annotat Leo de Castro Græcè ferè idem verbum reperiri ac in sacris Euangelistis, cùm de nube transfigurationis Apostolos protegente, & obumbrante disserunt, nempe ἐπεσκίασεν νεφέλη Matthæi cap. 17. v. 5. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Marci cap. 9. v. 5. *Et facta est nubes obumbrans eos.* Et Lucæ cap. 9. v. 34. *Facta est nubes, & obumbrauit eos.*

S. Matth. S. Marc. S. Luc.

Vt primarium veritatis complementum haberet Isaiæ vaticinium in illa nube in mõte Thabor à Domino creata, & expansa ad tutamen super illam primitiuam Ecclesiam, & Apostolorum congregationem. Factum est enim quod Isaias tot retro sæculis promiserat: *Creabit nubem per diem.* Et iuxta Lxx. Seniores: *Obumbrabit nubes.* Id quod asseruit de futuro, Euangelistæ pronuntiant de præterito: *Facta est nubes obumbrans.* Innuuntque sacri Euangelistæ hanc nubem Thabor fuisse simillimam ei, quæ data est populo Israëlitico non tam in formam fastigiatæ columnæ ad dirigendum, quàm in modum operculi, & velamenti ad inumbrandum, & protegendum.

Nubes in transfiguratione non columnaris, sed rotunda, & concaua ad domicilium, & velamentum. Abul.

Quare Abulensis solerter delineat formam, & figuram nubis in transfiguratione apparentis tom. 4. in Matth. cap. 17. quæst. 74. *Dicendum quod non fuit columnaris, sed magis extensa vel concaua, & rotunda, quia talem figuram acciperet ad quale opus erat, & tamen erat ista nubes ad operiendum, quia dicitur in littera: ecce nubes lucida obumbrauit eos, id est, operuit, vel circumdedit. Et etiam videtur fuisse concaua, vt intra se contineret Christum, & Discipulos nam Lucæ 9. dicitur: Et intrantibus illis in nubem. Etiam quia ista nubes videbatur dari eis tanquam domicilium. Sic dicit Hieronymus qui carnale ex frondibus, aut tentatoriis quærebant tabernaculum, nubis lucidæ operiuntur vmbraculo: esset ergo nubes concaua in modum domicilij.* Hæc Abulensis, quod autem Isaias in suo vaticinio prospectarit nubem transfigurationem asserit S. Basilius in commentario Isaiæ: *Eiusmodi erat nubes lucida Discipulos vndique cingens, quo tempore transfiguratus est Dominus.*

D. Basil. Albert. Mag. D. Thom. *Nubes obumbrans, vt cõcupiscentiã extinguerent.*

Affirmat Albertus Magnus in cap. 17. Matth. eius quoque discipulus Angelicus Doctor in Matth. cap. 17. scribens: *Apparuit in nube lucida, ad designandam claritatem, & extinctionem omnis concupiscentiæ Isaiæ 4. Et vbi inuocatus est nubem per diem.* Quæ nubes apertè demonstrat profusissimam Domini erga suos indulgentiam, & prouidentissimam curam, quâ illos custodit sicut pupillam oculi, vt nihil illis noceat, ab iis omne malum, & calamitatem procul arceat, in eos omne bonum inuehat.

Nubis fulgor rutilans.

15. *Et fumum & splendrem ignis flammantis in nocte.* Splendorem ignis meritò nuncupat Isaias, vt allusisse videatur ad columnam ignis Hebræorum ductricem, quæ non ignis columna simpliciter appellatur, sed quasi species ignis vt constat Numeror. cap. 9. v. 15. *A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis vsque mane. Sic fiebat iugiter per diem, operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis.* Vt statuat non fuisse verum ignem, sed rutilantem fulgorem qualis apparet in nubibus densioribus, & opacis, in quas sese opportune radij solares insinuant.

Numer.

Sic censet Abulensis in cap. 13. Exodi, & cum eo Pererius disput. 7. in idem caput, & Cornelius in Numeror. cap. 9. Salianus tom. 2. anno mundi 2544. num. 184. & verbum Hebraicum נגה naga splendorem, & illuminationem denotat primo illucescentis diei, seu auroræ. Daniel cap. 6. vers. 19. *Tunc Rex primo diluculo consurgens*: Græcè reperitur: *Sicut lucis ignis ardentis in nocte.* In qua lectione sanctus Chrysostomus ignem accipit pro pyra, busto, & strue lignorum ardentium, in hoc capite, & sic commentatur Vatis sententiam, & verbum Græcum. Lxx. nimirum πῦρ per struem lignorum accensam, cum insinuat splendorem, qui vna cum consolatione interuenit. *Quod enim in æstu est nubes, hoc in tenebris, & profundissima nocte accensa ignis splendore pyra. Accensa pyra discutit caliginem: porrò illustrem eius aduentum splendori accensæ pyræ comparauit.* Sic quoque Plutarchus in

Abul. Perer. Salian. Hebr. Dan. Lect. Græc. D. Chrys. Lect. Lxx. *Pyra ignis noctu splendescit, & caliginẽ discutit.*

Luminaria in aduentu regis accendebantur.

Camillo: *Per multos ignes suum aduentum significauit*, & lætitiam aduentantis regis, & festiua gaudia populus per ardentes ignes, & tædas accensaque luminaria insinuare consueuit. Hoc igitur symbolo diuinus Vates gratissimum Christi Redemptoris, & liberatoris aduentum designat. Sapienter existimat sanctus Thomas sanctum Simeonem ad hoc Isaiæ vatinium respexisse, illudque illustrasse iis Cantici verbis cap. 2. Lucæ vers. 32. in quibus IESVM In templo oblatum nuncupat: *Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* Vel potius denotat Vates aduentum Spiritus sancti in igneis linguis, & ardentibus super capita Discipulorum insidentibus, primitiuam illam Ecclesiam sacramque congregationem, & cœtum sanctissimum Ierosolymis coactum protegentis, illuminantis, amore diuino inflammantis. Hic est ignis de quo supra Isaias illa verba protulerat: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu ardoris.* Hebraicè: *combustionis.* Sic Rabbi Dauid Kimchi, licet à fide alienus, à veritate ipsa coactus, mirificè hanc sententiam exponit in Isaiæ commentario: *Et incumbet spiritus Domini lingua illa depurationis, & ablutionis, & ablutione abluet, & considere faciet discurrens ad significandum multitudinem exustionis, qua non relinquetur humor, vel reuirescentia peccati. Sermo translatius, vt cùm ventus desiccat, & arefacit aliquid.* In quibus verbis apertissimus commentarius continetur historiæ Euangelicæ Actuum Apostolorum cap. 2. in quo de aduentu Spiritus sancti sermo est. v. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto*, &c.

S. Thom. — *Spiritus sancti aduentus instar ignis.* — Rab. Dad. — *Spiritus sanctus linguis igneis apparens, vt peccata exiccaret, & exureret.* — Act. 2.

Inter primã columnæ apparitionem supra populum, & Spiritus sancti aduentum super Apostolos consensus. — Abulen. — D. Lucas. — Glossa.

16. Si verò in allusione columnæ ignis perseueres, mirabilem consensum inuenies inter primam apparitionem columnæ supra populũ, & primum diuini Pneumatis aduentum; nam sapienter annotat Abul. in Exod. c. 13. q. 14. *Cùm congregatus esset totus populus Hebræorum in Ramasse, apparuit super eos nubecula columnaris in anteriori parte exercitus.* Et S. Luc. c. 2. Act. Apostol. v. 1. ait: *Et cum complerentur dies Pentecostes erãt omnes pariter in eodem loco, & factus est de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis.* Officia quoque præstita à nube, & columna ignis, & Spiritus S. super Apostolos diffusi gratia; quoad signum visibile, parilia constituit Glossa cum scribit in hoc Is. c. 4. *Fuit columna nubis in protectionem contra æstum solis de die, columna ignis contra tenebras de nocte, & hoc fuit in figura gratiæ Spiritus sancti dandæ Christi Discipulis in signo visibili. Act. 2. quæ protegit ardorem contra concupiscentiam, & illuminat contra tenebras ignorantiæ: quæ tanto melior est ista columna ignis, & nubis, quanto veritas est melior vmbra. Et ad litteram signum illud gratiæ Apostolis data habuit speciem ignis lucentis non comburentis. Potest etiam probabiliter dici quod apparuit ibi nebula lucida in signum diuinæ præsentiæ specialis per gratiam sicut in Dedicatione tẽpli Salomonis. 3. Reg. 8. de quo potest exponi quod dicitur Act. 2. & impleuit totam domum vbi erant sedentes.* Hæc Lyranus in Glossa.

Spiritus sancti ignis protegit contra ardorem concupiscentiæ, & illuminat tenebras ignorantiæ. In aduentu Spiritus sancti apparuit nebula lucida in signũ diuinæ præsentiæ. Colũna ignis Spiritum S. innuebat, & quærebat. — Drogo.

17. Adde quod Ecclesiæ primores, qui de Spiritus sancti aduentu in specie ignis hoc vaticinium vsurpant, in columna nubis, & ignis, ad quam respicit Vates, portendi, aiunt, Spiritus S. lumen, & gratiam. Drogo Hostiensis Episcopus lib. de Sacrament. Dominicæ Passionis: *Columna ignis per noctem Spiritus sanctus est, qui super Apostolos in igneis linguis apparuit, qui cæcitatis nostræ caliginem illuminat, & sursum erigit, vt sapiamus ea, quæ sursum sunt, non quæ super terram.* Elias Cretensis in commentario sancti Gregorij Nazianzeni orat. 15. *Per ignis, & nubis columnam Spiritus sanctus designari queat: vtpote qui per scientiæ lumen, eos qui erroris nocte circumfusi sunt, ad veritatem deducat, & eos, qui turbulentarum permotionum æstu non flagrant, obumbret, & refrigeret.* In eandem mentem conspirat Nicetas in commentario orat. 39. num. 29. eiusdem Nazianzeni: *Iam nubes beneficij illius, quod à Spiritu sancto accepimus, figuram gerebat: qui quidem spiritus animi nostri perturbationes opprimit, flammamque ab iis excitatam mitigat, & refrigerat.* Rursus idem Nicetas ad ea verba orat. 42. eiusdem Theologi: *Si ex Ægypto excesseris, ignis, mihi crede, ac nubis columna tibi die, ac nocte iter præmonstrabit.* Gregorij mentem tenens, illius verba arguto commentario illustrat: *Columna ignis rursus Spiritus sanctus est, qui ad Apostolos in ignis forma accessit. Hæc itaque ignis columna in erroris nocte vagantes ad veritatem ducit, scientiæ nimirum facem præferens.* His adiunge Amalarium Fortunatum Episcopum Treuerensem de Ecclesiast. offic. lib. 1. cap. 18. de Cerei paschalis benedictione scribentem: *Pars columnæ, in qua legitur nubem habitare protegebat populum Dei: pars altera illuminabat. Namque de Spiritu sancto legitur, & virtus altissimi obumbrabit tibi: quod enim obumbrat, protegit. Si enim cereus rutilans illam humanitatem designat, quæ illuminauit omnem hominem venientem in hunc mundum; profectò, & personam Spiritus sancti in eodem Cereo debemus intelligere, quæ obumbrat casto corpori, ne inficiatur æstu concupiscentiæ.*

D. Gregor. Nazianz. — Nicet. — Nicet. — Amalar.

18. *Super omnem enim gloriam protectio.* Particula *super* aut potest esse affirmatiua, aut comparatiua; si sumatur per modum affirmantis, sensus erit: quod omnem gloriam suam proteget Deus. Qualis autem sit omnis gloria sua, decusque, liquet ex præfatis: *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria.* Seu magnificum, & gloriosum; germen autem populus Christianus est, nouaque Ecclesia, quæ nouellas plantationes velut fœcunda mater per totum orbem protulit, & germinauit; hic cœtus, congregationesque, omnis gloria Domini nuncupantur, quia Discipulorum prouentus Doctoris gloria est, sicut aiebat populus: *Vos estis corona mea.* & 2. Corinth. 8. v. 23. *Apostoli Ecclesiarum gloria Christi.* Sapienter locum expendit Vatablus: gloriam pro viris gloriosis accipit: *Super omnem locum, inquit, in quo fuerint viri gloriosi, & sancti, hoc est in Christum credentes, erit diuina protectio.* Hic sensus genuinus, & planus est, quem aperte sequitur Rabbi Dauid Chimchi legens: *Quia super omnem magnificentiam protectio.* Quæ autem sit omnis magnificentia aperit subiungens: *Super omnem locum, super omne sanctuarium. Erit gloria Domini protegens, & ambiens eos.*

Cœtus & congregationes dicuntur gloria Domini, & super hanc gloriam datur protectio. — S. Paul. — Vatabl. — Rab. Dauid.

19. Si particula *super* vsurpetur comparatiuè, sensus ille, & interpretatio non ambigua indicatur, quod super omnem gloriam protectionis, quam Deus præstitit tabernaculo fœderis, arcæ, propitiatorio, & altari, Moysi, & Aaroni aduersus

Protectio Christi supra Ecclesiam maior, quam super synagogam.

Aduersus rebellis populi furorem, & minas, ibi se tuentibus, & latitantibus: gloriosior erit, & mirabilior protectio populi Christiani sub velamento, & præsidio Christi Domini, & Spiritus Sancti culmine, in tentamentis hostilibus, & rebus aduersis. Respicit Isaias ad tutelarem nubem, & auxilium opportunum, quod sacram supellectilem seruabat incolumé, quodque impendebat principibus, ducibus, & vniuerso populo, quæ quidem nubes gloria Domini nuncupatur sæpissime in sacra pagina. Exodi, c. 16. v. 7. *mane videbitis gloriam Domini.* & v. 10. *& ecce gloria Domini apparuit in nube.* Prospectarunt nubem speciosius solito fulgentem, mirisque splendoribus rutilantem, vt Moysen & Aaronem aduersus calumnias populi defensaret. Rursus Moyse, & Aarone, ex manibus, & violentia populi murmurantis, fuga subductis, & in tabernaculo fœderis latitantibus: *quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.* Et Numer. 20. oborto murmure propter aquam contradictionis, Moyse, & Aarone Dominum deprecantibus in tabernaculo: *apparuit gloria Domini super eos.* In signum acceptationis orationum, & protectionis diuinæ. Abulens. q. 3. ait: *fuit ista gloria fulgur nubis existentis super tabernaculum: nam quamquam semper fulgeret, tamen ibi magis monstratus est fulgor.* Nam vbi maior aduersitas, splendor diuinæ gloriæ cumulatior, est & hæc demóstratur in nube splendida, aut coloris aurei. super hanc igitur gloriam, seu magnificam protectionem Domini, quam ostendit antiquitus, erit nouum tutamen, & subsidium sublimius, & diuinius exhibitum populo Christiano Euangelicæ gratiæ temporibus: apposite Lxx. legunt: *omni gloria protegetur.* Verbum autem Hebraicum חפה *thapah*, denotat: *occultare, protegere.* Hieronymus idem verbum tráslulit. Deuter. 33. *quasi in thalamo tota die morabitur.* Accipitur pro thalami protectione, vnde Hebræi vertunt locum Deuteronomij: *protegens super eum tota die.* Inde quoque deducitur verbum taphe, quod innuit quid purum, mundum, & immaculatum. Proteget enim, inquit Isaias, Dominus Ecclesiam suam quasi thalamum suum, & super eam tota die inumbrabit, nequis eum prophanus violet.

Exod. Nubes dicitur gloria domini cum populum in aduersis protegebat.

Num.

Abul.

Gloria Domini pro thalami protectione accipitur. Deut. Heb.

20. *Et tabernaculum erit in vmbraculum,* non solum erit Deus Ecclesiæ suæ nubes protegens, dirigens, illuminans, & inumbrans, sed etiam fideles suos quasi in tabernaculo claudet, vt hostibus fiant inaccessi. Est enim præsidium hoc, & validissimum, plenum quoque inenarrabili dulcedine, & indulgentia mirabili; cum enim vexati ærumnis, & calamitatibus ad Deum confugiunt, tam securum auxilium percipiunt, ac si admissi fuissent intra intimas Domus Dei latebras, quo nulli penetrare inimicorum licet. Sic enim Moyses, & Aaron, vt superius notabamus, euaserunt rebellantis turbæ insectationem, & lapidationem, à Domino recepti in tabernaculo, apparente, & tutante gloria Domini, itaque in Deo tutissimum asylum nanciscuntur iusti, & in rebus turbidis possident diuini amoris pignus, non minus tuti delitescentes, ac si intra sacra adita fuissent. Protectio itaque Domini est iustis pro domo, refugio, ac tabernaculo. Hoc iucundum præsidium eadem similitudine exprimit Psalmographus. Psal. 26. v. 5. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Quod Apollinarius nuncupat *immortale tentorium.* Pulchre Euthymius ait: *in die periculorum meorum abscondit me protectione sua, quam ideo tabernaculum appellauit, quia fugientem ad Deum in periculis beatum Dauid, diuina protectio tabernaculi cuiusdam instar, hospitio quodammodo suscepit, at susceptum seruauit.*

Deus vexatos ærumnis aut periculis quasi in tabernaculo claudit.

Psalm. Apol. Euth.

21 Verba Hebraica, quæ in originali reperiũtur epithesim habét צל *tsal vmbraculum, obũbrare, vmbram facere, præsidium exhibere.* Genes. cap. 19. *Ingressi sunt sub vmbra culminis mei.* Et psal. 16. *sub vmbra alarum tuarum protege me.* Pro tabernaculo Hebraicè est סכך *cooperire, velare, tegere, protegere.* Et singillatim denotat inumbrationem, & protectionem alarum Cherubim super arcam, & propitiatorium. Exodi cap. 25. *tegant, expandentes alas.* Ezechiel. cap. 28. *tu Cherub extentus & protegens.* Exodi. 40. velo inumbrare. *dimittesque ante illam velum.* Hebræi legunt: *velabis seu proteges arcam cum velo.* 3. Reg. cap. 8. *& protegant Cherubim arcam.* Psal. 90. *scapulis suis obumbrabit tibi.* Ex quo themate deducitur vmbraculum, tabernaculum, seu tentorium & psal. 104. *expandit nubem in protectionem eorum.* In quibus verbis Isaias alludit ad omnia illa præsidia, velamenta, tegmina, vmbracula alarum Cherubim, expansa super arcam, & sanctuarium, vt indicet his omnibus maiora, & præstantiora subsidia à Christo Domino, & spiritu sancto impendenda Ecclesiæ suæ, quæ omnia in illis antiquis tegminibus figurabantur.

Heb. Gen. Protectio & vmbraculum alarũ Cherubim. Lect. Hebr. Exod. Ezech.

Lect. Heb. Lib. Reg. Psal.

22. *Ab æstu.* Æstus nomine quæuis aduersitas, & vexatio notatur. Sicut enim viatori ex nimio solis ardore radios suos exsufflantis, anhelanti, & æstuanti, concameratio opaca frondium, & virgultorum, dulce præsidium, & tegmen, gratissimumque præbet vmbraculum, & refrigerium; sic tentatis, & afflictis, cùm virtus illumbrat altissimi, non solum in tuto collocat, sed amabile præbet solatium, & refocillationem. Pie admodum Sanctus Bernardus in Psal. 90. serm. 4. ad ea verba: *scapulis suis obumbrabit tibi.* ait: *sub his enim abscondimur, sub his in occursu accipitrum, & miluorum protegimur, quæ sunt aërea potestates: sub his vmbraculum salubre refrigerat nos, & repellit nimium solis feruorem: sub his quoque alimur, & fouemur.* Et de Spiritu sancto Paracleto canit Ecclesia.

In æstu aduersitas denotatur.

S. Bern. Sub scapulis domini protegimur, & fouemur.

Consolator optime, dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium in labore requies,
In æstu temperies, in fletu solatium.

Et in sabbatho quatuor temporum deprecatur: *vt qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.*

23. *Absconsionem.* verbum סתר sathar *celare, abscondere, protegere.* Innuit quoque locum absconditum, vel occultum, latibulum, protectionem, & refugium, latebras hostibus, scrutatoribus inaccessas. idem significat verbum Græcum apud Lxx. interpretes ἀποκρύφῳ σκεπῆς quod transtulit sanctus Basilius: *in abscondito, siue in absconsionem protectionis.* Et vim verbi tali paradigmate declarat: *sit vnus aliquis qui ab hostibus quidem quæritur, à domesticis vero, & familiariter notis in quadam domuncula alicui obseruatur, & custoditur in loco perquam difficili inuentu*

Absconsio Dei mira protegens quasi in latibulo difficili inuentu ab hostibus. Lect. Heb. Lect. Lxx. D. Basil.

inuentu. & quidem tale aliquid intelligendum est fieri à nube illa diuina protectionis circa sanctum, vt ne facile intercipiatur hostium manibus. Tale latibulum, & refugium expertus est Dauid fugiens insidias hostiles. Vnde Psal. 118. v. 114. ait: *adiutor meus es tu.* Pro: *susceptor*, legit Sanctus Hieronymus: *protectio mea*, alij legunt: *absconsio mea, latibulum meum.* Tale etiam nacti sunt Ieremias, & Baruch cum persequeretur eos Ioakim, Rex Iuda: *abscondit autem eos Dominus.* Ieremiæ cap. 36. v. 26. *similis absconsio fuit Dauidi: aranea tela, quæ diuinitus obtenta dicitur Dauidi intra speluncam, in qua erat etiam Saul.* Vt recenset Lorinus in psal. 26. v. 5. itaque Vates mirificis verbis amplificat auxilium diuinæ protectionis cum iustos suos apud se, & in se ipso absconditos custodit; reperiunt namque in ipso protectionem, munimen inoffensum, refugij domum, & latebram, in qua latitantes nihil verentur contradicentium linguas, aut tribulationes quaslibet, perinde ac si non pertinerent ad eos. Præterea hoc latibulum, hæc absconsio præsefert securitatem, abundantiam consolationum, magnamque dulcedinis multitudinem, quam ex Deo percipiunt, & hauriunt tanquam ex vberrimo fonte tribulati. itaque non solum ab hostibus sese mirabiliter subducunt, & effugiunt præsentissima discrimina, aduentus malorum præciditur, & eorum impetus repellitur; verum eos Deus in tuto collocat, refouet, & conquiescere facit sub tegmine suæ virtutis, & quasi in amœno vmbraculo occulit, ita vt sensum, & molestiam ærumnarum Deus tollat, faciatque genialiter viuere, ineffabili percepta ex tribulationibus ipsis voluptate.

Psalm. S. Hilar. Ierem. Lorinus

Omne genus tentamentorum, per turbinem, & pluuiam prædicitur.

24. *A turbine, & à pluuia.* Omne genus tentamentorum, & angustiarum exprimit his verbis, vel quæ propter violentum impetum, qualis est turbo, casum iusti, & impulsum sollicitat; vel propter abundantiam, & continuum incursum emollire satagit animi robur, & in sufferendo constantiam. Forsan se se refert vates ad omnia illa integumenta, saga cilicina, operimenta varia, quæ Dominus construi iussit, vt tutarentur arcam, & sanctum sanctorum ab imbribus, turbinibus, chaumate, & pluuiis. Sententiam egregie expendit S. Cyrillus: *Rursus tentationum vehementiam, & acerrimum assultum comparat asperitati, & pluuiis.* Et concludit: *Erunt enim sub operculo, & velamento eius, qui seruare potest, & qui extra omne malum collocat.* Et solerter Sanctus Chrysostomus hic: *erit in vmbraculum diei. quæ hæc erit vmbra? Dei auxilium ait, & in sustinendo conflictu commilitium. Nam quemadmodum in æstu vmbra, & vt hiatus absorpta terra, aut certe latibulum sub exesa rupe ac spelunca, quam disrupit vis pluuiæ vehementioris, eum illic in tuto conseruat, qui ad se confugit; ita sane Dei auxilium, quem tutandum susceperit, nihil sinet pati intolerabile.* Sed maiorem vim habet latibulum & absconsio iuxta vulgatum, vt supra dictum est.

D. Cyr. Alex.

D. Chrys. *Deus ad se confugientes tutum asylum præstat, & in sustinendo conflictu commilitium.*

* *
*



Ea Verba.

Creabit Dominus super omnem locum, super omnem congregationem.

illustrat similis locus Machab. lib. 2. c. 2. v. 7.

Donec congreget Deus congregationem populi, &c.

DISCVRSVS I.

Sacrorum cœtuum, venerandarum congregationum Iesus institutor, erector, propagator, quas muneribus pietatis, & protectionis suæ decorauit insignibus.

1. Locus perdifficilis, & valde obscurus verborum inuolucris, occurrit lib. 2. Machabæorum cap. 2. à numero 5. Cum enim Ieremias propter impendentem Babyloniorum cladem, tabernaculum, arcam, & altare incensi, consepelire, & occultare voluisset in specu, & quidam vestigia portitorum sequerentur, vt notarent locum: *vt cognouit Hieremias, culpans illos, dixit quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur.* Propter hæc verba, magna concertatio exorta est inter auctores, an arca Domini postea comparuerit: aliis affirmantibus soluto iugo captiuitatis Chaldaicæ à Cyro, arcam fuisse manifestatam; aliis primum reiicientibus arcæ manifestationem differunt ad diem orbis extremum, cum Dominus ad iudicandum venerit. Vtriusque opinionis patronos cernes apud Villalpandum tom. 2. lib. 5. disput. 4. cap. 70. Salianum tom. 5. anno mundi. 3609. à numero 95. Riberam Aggæi cap. 1. à num. 14. Verosimilius tamen est arcam fuisse consumptam, & abolitam, nec in templo secundo post libertatem populi, extitisse, nec in fine sæculorum resuscitandam; ad quid enim tunc ostenderetur Iudæis arca? an vt iterum (inquit Ribera) ad iudaismum redeant. Veridicum enim est illud Ieremiæ affatum cap. 3. *In diebus illis, ait Dominus, non dicent vltra, arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet vltra.*

Lib. Mach. *Arca in captiuitate à Ieremia occultata, an postea comparuerit*

Villap. Salian. Rib.

Arca consumpta & abolita.

Ierem.

2. Quare in eam sententiam animum applicui, in illis verbis Machabæorum, Ieremiam prophetice fuisse locutum, & in Christo Domino vaticinium adimpletum. Hic est enim qui congregationes populorum in vnitatem fidei, & charitatis congregauit, quibus propitius factus est, cùm eorum scelera suo sanguine expunxit, vt testatur Sanctus Ioannes c. 11. v. 50.

Locus Machabæorum de Christo ad litteram expenditur.

S. Ioan.

&

Iesus Congregationem congregauit.

& sequentib. recensens Caiphæ prophetiam: *cum esset pontifex anni illius prophetauit quod Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Prædictum sensum magnificis verbis exornat S. Ambrosius lib. 3. officior. cap. 14. eaque recenset, & approbat Glossa ordinaria : *Congregationem porro populi nunc tenemus, propitiationem Domini Dei nostri agnoscimus, quam propitiator operatus est passione. Arbitror quod nec ignem istum possumus ignorare, cùm legerimus quia baptizaret Dominus Iesus in Spiritu Sancto, & igne. ille ignis typus Spiritus Sancti fuit, qui descensurus erat post Domini Ascensionem, & remissurus peccata omnium.* Loquitur Ambrosius de igne transmigrantium Iudæorum, quem, Ieremiæ iussu, secum detulerunt, vt in eodem loco Machabæorum dicitur : *iussit eos ignem suscipere, qui transmigrabantur.* Rursus Lyrani glossa addit: *hanc congregationem, & propitiationem expectant Iudei futuram in aduentu Messiæ, & nos intelligimus esse factam in aduentu Christi.* Quod autem huius vaticinij Ieremiæ adimpletio non fuerit in secundo templo post alleuiatũ iugum Chaldæorum, nec de congregatione populi ad Ierosolymam tunc temporis reducti, possit intelligi, patet, quia in illis verbis promittitur: *apparebit maiestas Domini, & nubes erit.* Vbi loquitur de nube, & columna ignis Iudaicum populum dirigente; in secundo autem templo nunquam legitur dominum in nube, aut caligine apparuisse, aut illud complesse Dei gloriam. columna autem nubis in transitu Iordanis, & possessione Palæstinæ cessauit, vt notat Abulensis in Numeror. cap. 9. q. 43. & in Matth. cap. 1. quæst. 16. dicens : *De columna nubis, qua per quadraginta annos Hebræos direxerat, & peruenerunt ad Iordanem, vbi iam non erat necessaria columna, desiit esse, & nunquam vltra visa est.* Teneamus ergo commentationis veritatem in hac prophetia, quæ exitum suum habuit in Christo.

D. Ambr.

Columna nubis in transitu Iordanis & possessione Palæstinæ cessauit.

Abul.

3. Enim verò si mysteria Christi sese in Thabor transfigurantis, aut de monte Oliueti in cælum ascendentis, attentè perscruteris, verba tanti vaticinij ad vnguem exacta conspicies, quæ omnia vt fiant perspicua, annotanda sunt prodigia à Sancto Epiphanio, Sancto Thoma, & Dorotheo, in synopsi, de vita Ieremiæ recensita : quæ patrata sunt in arca tumulata, & in saxo latitante, quæ quidem ex Hebræorum fontibus hausta videntur, & si de arca materiali accipias, suspectam fidem habebunt, si vero de Christo, qui est veridica arca testamenti vsurpes ad ornatum, & decus mysteriorum seruatoris nostri famulabuntur. Sic scribunt præfati Patres de Ieremia Propheta, cum arcam in montis antro vellet recondere : *Loquutus est sacerdotibus plebis, & quicumque aderant, maioribus, profectus Dominus à Sina in cælos, sed reuertetur in maiestate, & virtute diuina* : & hoc *iudicium aduentus spiritus ipsius erit, quando gentes vniuersæ lignum adorabunt.* Simillimum est veritati, hæc verba Ieremiam coram cœtu primorum, & sacerdotum protulisse, vt eos erudiret, & formaret in vera Messiæ fide; eaque confirmant, spiritu diuino prospectasse veram Christum arcam, in ea, quam mandabat latebris, & obliuioni, adumbratam, & figuratam. Lege Euangelistas, & seriem rei gestæ cum Iesus transfiguratur, & cõperies apparuisse Iesum humanis aspectibus *in maiestate & virtute diuina.* Et iuxta Petri Apostoli sententiam : *in magnifica gloria.* Et iuxta Sanctum Lucam c. 9. v. 30. *Erant autem Moyses & Elias visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Illud adiiciunt Epiphanius, & Dorotheus: *tunc saxum sigillauit digito, scribens nomen Domini, & factus est typus instar sculpturæ ferri.* Nonne de Christo euidenter prædicat Sanctus Ioannes Theologus cap. 6. v. 27. *Hunc enim Pater signauit Deus,* nec solum signauit charactere similitudinis, & diuinæ naturæ idẽtitatis, sed etiam ligno passionis, & ferreo signaculo clauorum & cuspidis lanceæ. De arca ibi sepulta adiũgit prodigium Epiphanius: *nubes petram cooperuit, in noctibus porro nubecula nitet modo ignis.* Vel iuxta Dorotheum : *nubes lucida obtexit nomen Dei. Et noctu velut ignis locum hunc obtegit, iuxta quod olim factum est. Nunquam enim deesse potest gloria Dei, à nomine Dei.* Quod si de arca ibi abscondita proferatur, nusquam ibi comparuisse nubem, aut ignem à sacra pagina profertur. In transfiguratione nubem prospectabis : *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Et de nube vox Patris auditur, Iesum designans filium, legislatorem, & Doctorem, & completum prospicies à Machabæis prolatum Ieremiæ vaticinium : *Tunc Dominus ostendet hæc,* nimirum in veritate facta per Christum, quem arca velut typus adumbrabat: *& apparebit maiestas Domini.* Cum transfiguratus est, & resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta sicut nix; aut in cælum ascendens, cum eleuata est in nube Domini magnificentia supra cælos: *Et nubes erit* obumbrans discipulos, & protegens; aut vehiculum seruatoris facta, cum æthereas regiones triumphator scandit. Tunc Dominus congregationem populi congregauit transfiguratus, & propitius factus est, cùm de excessu passionis, & mortis disseritur; vel cum supra sanctum illum cœtum, de cuius conspectu euectus est ad sidera, spiritum paracletum in specie ignis missurum spondet. itaque Machabæorum, & Isaiæ locus ad amussim respondent. *Et creabit Dominus nubẽ per diem; & nubes erit. Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & apparebit maiestas Domini.* Et in arcanum sacramentum reconciliationis humanæ in transfiguratione Domini coëunt, & conciliantur; nec deest diuina protectio: *super omnem enim gloriam protectio:* cùm Iesus ait Discipulis trepidantibus : *ego sum nolite timere.* Nec deest tabernaculum, quod Petrus exoptabat : *tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu.* Hæc autem tuitionis, & præsidij cælestis decora ad congregationes diriguntur apud Machabæos : *Donec congreget Dominus congregationem populi.* Et apud Isaiam : *Creabit Dominus super omnem cœtum, super omnes congregationes.* Prima enim Domini congregatio in Thabor erecta est, illius præfectus est Iesus. Assistentes Moyses, & Elias, Consiliarij Petrus, Iacobus, & Ioannes; ex lege, Prophetis, & Euangelio conflatur. nec formidare debet aduersa, quæ sub velamento alarum Domini Iesu, & diuini Spiritus vmbraculo fidam tenet custodiam.

Epi. Dorot. D. Thom.

Ieremias in subterraneo specu arcam occultãs vaticinium edidit de adorando crucis ligno.

Mysterium transfigurationis Christi.

Petr.

S. Luc.

S. Epip. Dorot.

Saxum Dei nomine sigillatum.

Ioan.

Epip.

Nubes obtexit arcam, & nomen Dei.

4. Primus cœtus, & quidem venerandus, à Iesu pusione in lucem hanc effuso, adhuc vagiẽte & quiritante in exigui scrobis latibulo conflatus ex pastoribus fuit; nec dedignata est rudis, & imbellis infantia agni immaculati, ad contubernium,

Prima congregatio ex pastoribus constituitur à Iesu cum in Bethlehem nascitur.
D. Chrys.
S. Thom.

tubernium,& amicitiam pastores asciscere: Angelo internuntio mira claritate fulgente, conuocantur ad cœtum, vt prospectent lumen æternum in tenebris exortum rectis corde; nec congregationem suam Deificus pupus de magnatibus,& sapiẽtibus format, vt annotat os aureum in catena S. Thomæ: *Non autem Angelus iuit Ierosolymam, non requisiuit scribas,& pharisæos: erant enim corrupti, & præ inuidia cruciabantur. Sed hi erant synceri. Est autem semita quædam ad philosophiam perducens innocentia.* Sapienter ergo Euangelista Lucas iuxta Dei mentem verba profert, c. 2. *Et postquam erant in regione eadem vigilantes,& postquam discesserunt ab iis Angeli sermocinabantur pastores: transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus,& ostendit nobis, & venerunt festinantes.* Vt inueniant in stabulo panem Angelorum, alimentum vitæ. rite Beda inquit: *Transeamus abiectis concupiscentiis carnalibus, toto mentis desiderio vsque in Bethlehem, id est domum panis viui.* Iam in exortus sui prima luce Iesus panis vitæ in vnitatem fidei,& Charitatis fideles suos cõgregat, nam per omnia in vnum tabernaculum, & mãsionem, chorumque canentium, Christi corpus Angelos, & homines coagmentat; nec pacifici Regis natiuitas, quæ pacẽ terris,& cælicolis inferebat, homines, & corporis expertes Spiritus ab vno eodemq; sodalitio disgregat,& bene nũcupat pastores *vigilantes*, seu iuxta mẽte Theophylacti,& Euthymij: *in agro canentes, quidam interpretantur* (ait postremus) *in agro tibiâ canere; siue fistulâ vti.* Itaque psalterio, aut rusticâ cheli, & pastoritia cãtilenâ solabantur tenebrosæ noctis mœrorẽ, à se ipsis excutiebãt somni soporẽ; hymnos canentes rusticanos Angeli visitant,& conuocant ad stabulum, vt æterno soli in humani corporis nube apparenti dulce melos fũdant,& canoris fidibus concrepantes sacrã immurmurent cãtilenã. Nec vacat mysterio locus pascuæ apricus, in quo stabulabantur pastores, erat enim iuxta turrim Ader, in quo mansionẽ instituit Iacob Genes. c. 35. *Extendit tabernaculũ suũ iuxta turrim Ader.* Hieron. locum expendit in quæstionib. Hebraicis, dicens: *turrim Eder turrim gregis significare: hoc est cõgregationis,& cœtus.* & statim: *iuxta Bethlehem locus est vbi Angelorũ grex in ortu Domini cecinit.* Turris congregationis,& cœtus nũcupatur Ader veridico præsagio futurorum, quia inito fœdere pietatis Angeli,& homines in venerationem,& laudem Dominici corporis in præsepio recumbentis coirent populi gentium, & Iudæorum datis dextris, dirigente infantulo, congregarentur in Ecclesię domicilio, fide,& charitate sociati, quæ est glutinũ animorum. Hanc congregationem variatã personis rituum & morum parilitate conspicuam demirati sunt pastores,& omnes, qui ab iis audierunt. nam vt ait auctor Græcus in catena Sãcti Thomæ: *Quo modo non erat mirandũ videre cælicolã in terrenis,& terrã pace conciliari cælestibus, & ineffabilẽ illũ infantulũ numine quidẽ cælestia, humanitate verò terrestria connectentẽ ad inuicem, & sui cõpagine fœdus mirandũ præstantem.* Huius igitur primææ congregationis rector est Iesus, & infãtulus institutor. imo vt illã formaret carnẽ nostrã suscepit, iuxta Sancti Ambr. placitum præfat. in Psalm. 35. *aduertimus ergo quod propter congregationẽ populi, formam susceperit seruitutis.*

S. Luc.

V. Beda.

Pastores erãt in agro tibiã canentes
Theophyl.
Euth.

Turris Ader congregationis & cœtus.
Genes.
D. Hieron.

D. Th.

D. Ambr.

L. b. Reg.

5. Celebris festiuitas prædicatur lib. 2. Reg. c. 6. quã in magno clangore buccinarum, sonitu cymbalorũ,& concrepitu cithararum deducta est in iubilo arca Domini de domo Abinadab; quia verò Dauid in spiritu præuidebat arcam Dominici corporis esse figuram,& typũ cum cãtoribus suis citharã percutiebat, cantans, & iubilans inenarrabili gaudio: *arca mirabilis* (ait Rup. lib. 2. in lib. Reg. c. 26. *arca totos in se continẽs thesauros vniuersæ diuinitatis, fabrica est humani corporis, quod Dei filio Spiritus Sãctus de virginali vtero cõpegit,& huius arca illa typus extitit. nam reuera super hanc arcã inuocatũ est nomen Domini exercituũ, sedentis in cherubim super eam; imo ipsa vocatur Dominus exercituum propter plenitudinẽ scientiæ, totiusque diuinitatis corporaliter inhabitantis in ea.* Sed sapientissimus Rex totus pietate plenus,& erga hanc arcam dulcedine delibutus, congregationẽ instituit psallentiũ,& saliorũ, qui sacris choreis coram arca luderent, & citharizãtes in citharis suis, hymnos cęlestes suaui modulo occinerẽt,& diuinas doxologias celebrarẽt. Erant huius cõgregationis principes Azaph, Idithum, Eman,& Ethan, quorũ arcanã ætymologiam prodit Rup. eodem loco: *id est cõgregãtes, & transilientes, robusti,& fortes, cõgregantes videlicet spiritualia, transiliẽtes carnalia, robusti ad mala toleranda, fortes ad bona peragenda.* Quorũ argutã nomenclationem Tuitiensis Abbas ex clarissimo Ecclesiæ lumine Aurelio August. videtur mutuasse, nã hic in exordio psal. 76. cuius titulus est: *in finem pro Idithum psalmus ipsi Asaph.* sic scribit: *in finem quid sit, nostis. finis enim legis Christus ad iustitiã omni credenti. Idithũ interpretatur transiliens eos, Asaph interpretatur congregatio. Loquitur hic ergo congregatio transiliens, vt perueniat ad finem, qui est Christus Iesus.* Ad hoc enim hic sacer cœtus videbatur institutus, vt coram arca rotaret,& exiliret,& in mysterio omnia caduca,& labentia huius sæculi transiliret, vt perueniret ad Christum, qui omne insigne transitoris, salientis montes, transilientis colles mundialis illecebræ, decus vsurpat. Pulchre S. Aug. ibi: *etenim tandiu transilire debemus, quidquid nos impedit, quidquid irretit, quidquid visco quodã illigat,& onere aggrauat volatũ nostrum, donec perueniamus ad id, quod sufficit, vltra quod nihil est; infra quẽ sunt omnia,& ex quo sunt omnia.* In cuius cõgregationis trãsilientiũ coram Iesu censu, fuisse subscriptũ Philippum Apostolũ subiungit Aug. cùm enim Domino saluatori diceret apud Ioan. c. 14. *ostende nobis Patrẽ,& sufficit nobis, tanquã tãdiu trãsiliendũ esset, quidquid aliud esset, donec perueniret ad Patrẽ, vbi iam securus assisteret,& quid ei vltra requirendũ esset, non haberet. Hoc est enim sufficit.* inquit Aurelius. ô bonum sociũ,& solertẽ congregatũ à Iesu,& per Iesum. Patrẽ sibi aggregantẽ, vt per ipsum,& in ipso quiescat, ad fontanã plenitudinem diuinitatis, & principiũ carẽs principio aggregari cupiebat, vt transiliens vniuersa, in quibus non inuenit anima vbi requiescat, sequestratus à terrenis oblectamẽtis, ab omni inquinamẽto malitiæ segregatus, vniuersorũ fõti,& Domino aggregaretur, ipsius Patris,& filij coiret in cœtũ, ex quo omnis probitas, omnis cõgregãtiũ,& transilientiũ sufficiẽtia promanat.

Arca Christi Domini typus.

Rupert.

Qui coram arca testamenti ludentes canebant, vocantur congregantes, & transilientes.
Rupert.

D. August.
Transiliunt ex rebus humanis, vt perueniant ad finem, qui est Christus.

D. August.
Extricandus animus à terrenis vt perueniat ad id quod sufficit. Solus Deus in quo sunt omnia homini sufficit.
D. August.

7 Sponsa Christi ductans cœtum populorum, qui copulati sunt domino, fatigata,& vexata sęculi huius ærumnis, ipsius sponsi desiderabat vmbram, sciebat enim in ligno Crucis extendisse manus, vt omnes protegeret pietatis, &

gratiæ

Cant.

S. Amb.

Cōgregatio religioſa ſub Chriſti vmbra,& Iubilæo anno requieſcit.

gratię velamento Cant.c.2.v.3. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi,& fructus eius dulcis gutturi meo.* Quæ ſint ſacræ ſponſæ vota expendit S.Amb.in Pſ.118.octon.5. *Caro Chriſti velut murali diuinitatis claritudine circumſepta,cæleſtis habuerit protectionē gratiæ;*& poſt ſubiungit,perſonamq; introducit, quæ in hac ſcena amoris loquatur: *Dicit ergo cōgregatio religioſa,vel ſancta anima in vmbra eius concupiui & ſedi. Vmbra eius eſt Iubilæus annus.* Schema proſpexerat in arbore malo,& pomo Venerabilis Sacramēti,in quo eſt fons gratiarū;ideo cateruis gentiū comitata feſtinat ad Iubilæum annum,& animi ſui ſolatiū panem vitæ,vt pietatis Dominicæ lucretur gratiam, abſolutionem obtineat criminum , & de abundantia remiſſionis diſſoluat omniū peccatorum reatum. Euaſerat enim huius mundi aſperas,aridas,& præruptas manſiones,in quibus omnia ſpecioſa amœni,& virentis agri, libidinis flatus,& æſtus exurit,ideo ſtatiuum opportunum nacta in Chriſto gloriatur, in quo aſpirat aura cæleſtis refrigerij, quæ noxios temperat ardores , & rorem ſaluificum clementiæ abundantioris infundit.

Pſalm.

Exultat vniuerſa terra, cum Ieſus Eccleſiam ex gentibus congregauit.

S. Amb.

7. Hanc populorū congregationē ex vniuerſo orbe coaleſcentem,& Domino piis deprecationibus ſupplicantē,feſtiuis gaudiis celebrat vniuerſa terra.Pſ.47.v.13. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion,latera Aquilonis,ciuitas regis magni.* quę autē ſit cauſa lætitię,& gaudij per omnē terrę tractū dilatati,aperit S.Amb.in hunc Pſalmū: *Quæ ſit exultatio vniuerſæ terræ euidēter expreſſit, quoniam Dominus Ieſus Eccleſiā ſibi ex peccatoribus congregauit.Itaq;qui erant ante latera Aquilonis, id eſt ſocij,& inhærētes diabolo,facti ſūt Chriſti fideles.* Tranſmigrationē mirabilē nationū ex cœtu,& latere diaboli,ad Chriſti contuberniū , & ſocietatē,hymnis celebrat feſtiuis ex creaturis omnibus coagmētata moles;humanæ enim felicitati, & beatitudini, affectu quodam pietatis , & lætitiæ creaturæ conſentiunt , quia propter ipſum creata ſunt omnia;& ſicut in aduerſis horrore quodā & condolentiæ cuiuſdā mœrore marceſcūt;ſic in eius proſperis,& ſecūdis exultant iubilo. Tenebat diabolus nationes ſuo reuinctas imperio,voluntati copulatas ſuæ, obſecūdātes nutibus.Rite addit Mediol.Antiſt. *Ipſius erāt latera,hoc eſt, aſpirabant cum eo ; latera erant diaboli qui faciebant ipſius voluntatē. Ij ergo nunc ſunt mons Sion,qui Deū ſpeculantur æternum, & ipſi noctibus,& diebus intendūt.* Et ſtatim. *Quia congregatio plebis Dei,quæ erat Aquiloni coniuncta per culpam, Eccleſia Chriſti eſt facta per gratiā.* Stipatores erant antea Aquilonaris tractus,& hoſtis antiqui,qui in eo habitat , ipſius halitu noxio viuebant,qui prunas ardere facit,tempeſtates aſperas,& procellas humanis mouebat affectibus;ſed deſerentes iniquū latus,& adhærētes Chriſto , viuunt ſpiritu Chriſti,& illius gratiæ recreantur odore ſuaui , quæ omnē appetentiā complet corporū,& animorū. Cōglutinati diabolo,& operibus eius, addicti erant pœnæ earumdē paſſionū, & domicilij tenebrarum;nunc verò deſtinati ſunt gloriæ,& nutrimēto cæleſti; quæ omnia de latere Chriſti,cui adhærent , redūdāt.Gratificatur itaq; Chriſto creatura omnis aſpectabilis,& inaſpectabilis,quod ad ſe ipſum collegerit cōgregationē gentiū.Sed inter omnes ſacer Eccleſiaſtes grates Deo repēdit,gratulatur ſibi,cū cernit ad ſacri verbi certamē & theatrū, ſtipati & confluētis populi accursū, & recurſū.

S. Amb.

Gentes quæ erāt Diaboli latera,congregatæ ſunt Chriſto.

Similē gaudij demonſtrationē ſuis verbis exprimit Ger.Patriar.Conſtat.orat.de Crucis exaltatione: *Rurſus feſtiuitatis myſticæ ſolēnitas nobis illuxit. Rurſus populus meus myſticas choreas agitat, & in concionē plenus gaudio huc cōuenit,confeſtimq; congregatur,& in orbem circūquaq; me ambiunt,& omnium oculi in me reſpiciunt,hortanturq; vt dē illis eſcā in tēpore opportuno.Et ego oculis vndiq; circumactis,videnſq; filios meos ad matrē ſuā Eccleſiā collectos , exilio præ voluptate , & immenſa lætitia complector,delectatus inſigni hoc confluxu populi, qui inſtar vndarum ferit, & leniter circumluit ſacrum hunc ſcopulum,in quem aſcendi.* Hæc ille.

Germa.

Quod cateruæ populorū ad Eccleſiā confluant gratiſſimum diuini verbi præconibus.

8. Habuit Eccleſia Chriſti primitiua ſuas factiones & cœtus,quos reſpexiſſe videtur oculo vatidico Iſaias,quorū negotia,& munia proponit Tertul.in apolog.aduerſus Gent.c.39. in eo clariſſimū ſpeculū proponit,in quo faciem perpulchram conſpicias primæuæ Eccleſiæ,& congregationū ſacrarum normam. *Coimus* (inquit) *in cœtum,& congregationē vt ad Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt.Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum, & poteſtatibus , pro ſtatu ſæculi, pro rerum quiete, pro mora finis.*

Primitiua Eccleſia congregationes, & confraternitates; earumque munia.

Tertul.

Deum orationibus ambiebant , pro Imperatoribus,& populo deprecabantur.

9. *Cogimur ad diuinarum litterarum commemorationem,ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit , aut recognoſcere. Certe fidem ſanctis vocibus paſcimus , ſpem erigimus , fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus.*

Spiritalis lectio.

10. *Ibidem etiam exhortationes,caſtigationes, & cenſura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu,ſummumque futuri iudicij præiudicium eſt , ſi quis ita deliquerit,vt à communicatione orationis,& conuentus & omnis ſancti commercij relegetur.*

Exhortationes.

11. *Præſident probati quique ſeniores honorem iſtum non pretio,ſed teſtimonio adepti. Neque enim pretio vlla res Dei conſtat. Etiam ſi quod arcæ genus eſt, non de ordinaria ſumma , quaſi redemptæ religionis congregatur : modicam vnuſquiſque ſtipem,menſtrua die,vel cum velit,& ſi modo velit,& ſi modo poſſit apponit : nam nemo compellitur , ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt,egenis alendis,humandiſque,& pueris,ac puellis,re, ac parentibus deſtitutis,iamque domeſticis ſenibus,item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodijs.*

Congregationum præfecti electi de probitate vitæ.

Voluntaria ſtips donabatur, ad pietatis depoſitum, pro pauperibus, & orphanis alendis.

12. *Sed eiuſmodi , vel maxime dilectionis operatio notam nobis inurit penes quoſdam. Vide (inquiunt) vt inuicem ſe diligant ; & vt pro alterutro mori ſint parati. Fratres nos vocamus. Quanto dignius fratres & dicuntur , & habentur , qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum ſpiritum biberunt ſanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiuſdem , ad vnam lucem expauerint veritatis.*

Concordia, & amor fratrum.

13. Quæ omnia cœtuū decora mutuaſſe videtur Tertul.ex S.Iuſtino Mart.qui apolog.2. pro Chriſtianis,& prædicta omnia recenſet in commendationem Chriſtianæ confraternitatis , & maiora accumulat: *Ad fratres* (inquit) *eo adducimus,vbi illi congregati ſunt ad communes preces,& ſupplicationes.Solis qui dicitur die,omniū qui vel in oppidis,vel ruri degūt, in eumdē locū conuentus fit. Deinde lectore quieſcēte,præſidens orationē,qua populū inſtruit,& ad imitationē tam pulchrarū rerum cohortatur,habet. Precibus peractis,panis offertur,& vinū & aqua. Et diſtributio cōmunicatioq; fit horū in quibus gratiæ ſunt actæ,cuique præſenti* &c. omnia prædicta pulcherrima ſunt ad confirmādam

S.Iuſt.

Die dominico communicabant.

vel excitandam pietatem cœtuum, congregationum, fraternitatum, curiarum, commerciorū, refugiorum tutelarium pauperum, infirmorum, sub augustinianæ Trinitatis ambitu, Saluatoris Christi patientis, aut dolentis, sancti spiritus patrocinio, & vmbra erectorum; sed præsertim ad venerandarum congregationum decus, & splendorem, ad festiua gaudia Iubilei quadraginta horarum celebranda, Augustissimæ Eucharistiæ omnibus patentis & conspicuæ cultū dedicatarum; has enim Societas Iesu non sine ipsius numine, & fortunatissimo omine, tanquam cæleste quoddam inuentum ad remouenda Bacchi adhuc eructantis orgia, & Bacchanaliorū insaniam falsam dirimendam, promouendam pietatem, & sacri epuli frequentiā, sapienter ordinauit, & instituit. Quarum ordinē institutum, & formam prospicis in Tertulliani, & Iustini traditionibus. quæ omnes Isaiæ vaticinantis tenent, & custodiunt promissa benedictionis, & protegentis gratiæ, cum ait: *Creabit Dominus super omnes cœtus, & congregationes nubem, vmbraculum, tabernaculum.*

Creabit Dominus super omnem cœtum, & congregationem, nubem per diem.

Nubes Eucharistiæ Sacramentū. Ex Glossa.

DISCVRSVS II.

Mirabile prorsus amoris artificium per carnem suam in Eucharistia Iesus architectatus est, dum non solum in suo, & Deitatis cœtu nos collocat; sed etiam Patri nos congregat, & coagmentat, vt inaccessibilem parentem capiamus, & ipsum quodammodo manducemus.

1. VALDE accommoda veniunt pro præsentis discursus exordio verba illa à S. Diadocho Episcopo prolata lib. de perfectione spirituali c.22. de non scrutando curiose fidei profundo: *Profundum fidei si scrutemur, turbulentū quidem est; tranquillum vero si simplici animo contemplemur, non enim patitur profundum fidei, quod est aqua obliuionis, vt curiosis cogitationibus illud contemplemur. Simplicitate ergo intelligentiæ in eisdem aquis nauigamus, vt sic ad portum voluntatis Dei perueniamus.* Quod aliud fidei profundum nisi Sacramentum fidei, in quo latet diuinitatis Oceanus, in quo exundant gratiarum gurgites, & contemplationū cælestium mirabiles elationes maris? Procellosum pelagus superbis qui transuadare tentāt aut vrinari curiosæ perscrutationis bolide profundam immensitatem, fontanam plenitudinis scaturiginem, aut flumina ante sæculum profluentia. Erit tamen permeabile, placidum, & tranquillum simplicibus, præuio ductore spiritu sancto, qui non tam rimari altitudinem, aut pelago immergi, quàm solidis speculationibus, tanquam vndarū aspergine irrorari cupiunt. Itaque Deus Eucharisticam nubē ad congregationes suas, & cōgregatos expādit, & declinat, vt diuinitatem suam redderet accessibilem, eique aggregaret dispersos, & segregatos à Deo variis affectibus animos.

S. Diado.

Fidei profundum non est perscrutandum nimis curiose, sed simplici animo contemplandū.

2. Exoptabat sponsa sacra sponsi Christi sectari, & legere vestigia, & tanquam animosa virago non tantum per blanditias, & oblectamēta duci, sed per aspera, & mascula, & laboriosis explorationibus plena exempla raptari cupit, cum vota sua conspicua facit adolescentulis. Cant.c.1.v.3. *Trahe me, post te curremus, in odorem vnguentorum tuorū.* Variis modis ad se nos Deus trahit, & impellit, promissionibus supernæ patriæ, aut minis ignis gehennæ; attrahit nos diuersis donis, impellit ad virtutem flagellis. Trahebat animam ad se variis sacrificiorum, & victimarū nidoribus, & forma perpulchra creaturarum, huius mundi, quasi per gradus quosdam, ascensiones disponebat in corde, vt perueniret ad Creatorem. Sed minus agilē in cursu experta est animū, donec prælibandam, & prægustandā in hac vita mortali ipsius diuinitatis dulcedinē expectat; hoc philtrum amoris præstolabatur anima, vt adhærens lateri sponsi, & in ipso immanens, & pausationē inueniens, inter aduersa properaret ad sequelam. Pulchre Orig. hom.1. in Cātica ait: *Si hæc omnia solo nomine eius effecta sunt, quid putas faciet ipsa eius substantia? quid ex illa adolescentulæ istæ virtutis, quid vigoris accipiēt? si quo pacto potuerint aliquando ad ipsam eius incōprehensibilem atq; ineffabilem substantiā peruenire? ego puto, quod si ad hoc aliquando peruenerint, iam non ambulent, neque currant sed vinculis quibusdā charitatis eius adstrictæ, adhæreant ei, ne vltra mobilitatis alicuius, vllus in eis resideat locus, sed sint cum eo vnus spiritus, & impleatur in eis illud quod scriptū est.* (Ioan.c.17 v.21.) *sicut tu Pater in me, & ego in te vnū sumus, ita & isti in nobis vnum sint.* Nec distulit tantū ad patriā diuinæ dulcedinis haustum conuiuantibus Iesus, sed in hac regione mortalitatis vberem copiam suauitatis infundit, cū per carnis Christi epulum, diuinitati suæ adhærentes tenet, & spiritalē succū suauissimum propinat animæ, hic sub velamento occultatus propter infirmitatis humanæ captum, illic clarè visus, cùm infirmitas confortatur, & fulcitur superno lumine; sed substantia Dei eadē est, dulcitudinis haustus simillimus; illic de torrēte voluptatis potātur iusti, & inebriātur. Hic de roruulenta aspergine delectationis suæ inspergitur anima, oleo inungitur spiritali, quod in omnem cordis appetētiā illabitur, & infunditur, & mirifica iucunditate cōplet, & aduersus hostiū cateruas reddit inuictū. Hanc mentē, & Origenis sententias illustrat magnificis verbis Alb. Mag. accōmodans verba Sapiētis, de manna prolata, Eucharistię: c.16. ait Salomō v.20. *Angelorū esca nutriuisti populū tuū, & paratū panem de cælo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentu in se habentem, & omnis saporis suauitatē. Substantia enim tua dulcedinē tuam, quā in filios habes, ostendebat.* Verba sensumq; effert Albertus cùm ea expēdit de Augustissimo Sacramēto in Lucæ c.14.f.246. scribens: *Quis enim sapor deest, vbi sapit dulcedo sanguinis; confortat nutrimētū corporis. Cōdit omnia condimentū gratiæ exuberantis, in eo quidem Sacramento anima virtus infunditur, & anima, quæ vnitur Deitati, suauitatem immensam inducit spiritus, ab eo, qui in sacramento est, secundum Deitatē procedens: beatitudinis delectationem causat Deitas in sacramento contenta.* Si ad conspectū humani sanguinis, quanto magis ad haustum homo inhorrescit; sed amor archimagirus talē temperaturā indidit, & cōdimētū saporis carni, & sanguini in alienis speciebus occultatis, vt omnia oblectamenta superēt, & supra terrestrē, & sensilē gustū, qui ex creato pabulo relinquitur, alium saporē mirificum animus discernit plane cælestem, cui sapis

Cant.

Animus, prægustata diuinitatis dulcedine currit ad creatorem.

Orig.

Cum ad Deum perueniens ipsū tenet, iam non ambulat sed in eo manet vinculis Charitatis adstrictus.

Albert. Mag.

Sap.

Mirifica Eucharistiæ dulcedo.

Anima quæ vnitur Deitati immensa suauitas infunditur.

Digitized by Google

sapit Deitas,& prælibatum quoddã beatitudinis gaudium *animæ, quæ vnitur Deitatis, suauitatem immensam inducit spiritus.* Nec corpus tantummodo humanum corpori suo Christus innectit mirabili vinculo, sed animũ nostrum euehit ad maiorẽ copulam cum ipsa Deitate vt ipsi cohæreat,& quodãmodo commisceatur;quid ni promanet ex immensurabili gaudiorum fonte, nisi immensa spiritus suauitas,quæ defæcatum animæ palatũ,ab omni acerbitate,& acore vitiorũ perpurgatum repleat:felix anima,quæ ad ipsam fontanam plenitudinem gaudiorum,&dulcedinum os patulũ adiicit, vt omnia penetralia viuificet, & compleat. Nec inexaminatum relinquas alterum Magni Theologi acumẽ:*ab eo,qui in sacramento est secundum Deitatem procedens.*

Ab eo qui est in Eucharistia secundum Deitatem procedens, homo communicans Deitatis Oceano inundatur.

Videtur enim inter emanationem filij, & spiritus sancti illud assignare discrimen, quod filius ex vi sua formalissima secundũ Deitatem procedit; Cum ergo ille, qui in Sacramento continetur, procedat actu secundum Deitatem,totam in se hauriens,& recipiens;illud perficit per carnem suam Christus, vt homo illi adhærescens per mysteriorum participationem, Deitatem in se recipiat,de Deitatis Oceano scaturientibus, & inexhaustis riuulis inundetur, immensam diuinitatis dulcedinem prægustet.

Orige.

Quocirca aptissimum alloquium proferebat Origenes de sapiẽtiæ suæ arcano:*Ego puto quod si ad hoc aliquando peruenerint,iam non ambulent, neque currant, sed vinculis quibusdam charitatis eius adstrictæ adhæreant ei.*

Qui Deitatem tenet, quid aliud exoptet?

Sistitur anima in ipsa Deitate filij,quid amplius anxia perquirat,cum teneat omne bonum,cesset cursus cum iam teneat in hoc mortalitatis stadio omnibus votis exoptatũ brauiũ; tumultuatur in incerto huius sæculi salo,æstuãte variis passionum turbinibus, præoccupauit Deitatis portum securum,& inoffensum, charitatis rudentibus tenetur adstricta, secura conquiescit in Deo suo, omni mobilitate depulsa; exultat tanto Deitatis commercio, & dum inseritur cœtui,& senatui Beatorum; in filij Dei contubernium, in Deitatis conclaue se ascitam, & consociatam valde miratur.

Schema Diuinum diligendi hostes.

3. Si alicubi,in hoc sacro epulo mirificus resplendet amor filii Dei erga Parentẽ, epulandũ se dedit hominibus munificentia, & dilectione mirabili,vt homines perferret ad Patrẽ,vt perfruãtur mortales tanto genitore. Ingrati populi iurgia, & murmur sustinet Deus in mansione Raphidim, cùm aquæ penuria impatiens ille murmurat contra Moysen. Exodi c.17.v.3. *Cur fecisti nos exire de Ægypto,vt occideres nos, & liberos nostros,ac iumenta siti?*

Exod.

Deus autem nouis,& magnificis muneribus infringere contendit eorum audaciam,reprimere obiurgationum insolentiam, schema proferens perpulchrũ diligẽdi hostes, cùm ingratis animis maiora beneficia impendit;cùm lapidationẽ minitantibus,de petra percussa educit aquarũ fluenta;& ori patulo ad conuicia,& iurgia de cælo complutũ panem intulit. Tunc enim maius munifici Creatoris decus,& gratiæ virtus emicat,cum officia præstantur immeritis,beneficia repẽdũtur ingratis. Pulchre Rup.l.3.in Exod.c.19.ait:*Sola igitur glorificetur gratia Dei, quæ & tunc murmurantibus contra Dominũ,& iurgia concitantibus, & manna de cælo,& aquam de petra produxit.*

Creatoris dilectio, & gratiæ virtus plus emicat, cum beneficia præstat immeritis,& ingratis.

Rupert.

Et ad magnifica dona Gentibus præstita conuertens sermonẽ subiungit: *Et nunc blasphemantibus Iudæis atque Gentibus,ita clementer astitit,vt panẽ vitæ,& aquã salutis perpetuæ ori eorum apponeret. Cum pane & aqua occurrens nobis inimicis suis,cum pane inquam corporis sui,& aqua,quam percussa petra,idest Christus ipse Crucifixus effudit,nos Deo Patri in reconciliationem venire deposcit.*

Inimicis blasphemantibus, panem vitæ, & aquam salutis apposuit Deus in ore eorum.

Non imminuit diuinæ largitatis magnitudinem,& copiã, ingrati animi & Deo aduersantis, proterua vituperatio; quin potius nouis,& mirabilibus officiis obruitur,vt in tenebrosa ingratitudinis nocte corũ splendor effulgeat;occurrit cum pane,& gratiarum scaturigine Dominus incredulis, vt esca capiat, pelliciat,& deducat ad Patrem, vt hoc amoris blandimento refugas inhibeat,reuehatque in domicilium paternum & consortium; hoc enim sacri epuli inuento Iesus reconciliationis cum Patre ambitum requisiuit, vt panis reddat parenti filios, & sodales, quos vetitus cibus fecerat extorres.

Cum pane corporis sui, & aqua de latere scaturiente,occurrit Christus inimicis suis, vt reconciliet Patri.

4. Arduum mandatũ iniungitur Iudęis in celebritate phasæ, & agni conuiuio.Exod.c.12.v.9. *Caput cũ pedibus eius & intestinis vorabitis.*

Exod.

Cur præcepit Deus Iudæis vt caput agni vorarent,cum caput sit gulæ imperuium.

Quod ventriculus cum longis orbium anfractibus deuoretur,non est perdifficile; caput tamen agni non bifidatum,non confractũ,sed integrũ iuxta legis tenorẽ: *Nec os illius confringetis.* Exod.c.12. v.46.imperuium est humanæ gulæ, nec traduci potest per oris canalem,ad stomachi officinam. Nunquid lex diuina impossibilia imperat? sapienter se extricat ab hoc intelligentiæ tergiuersantis discrimine S.Dion. Alex.in admirabili epistola ad Paulum Samosat. in agno quasi in typo Christum,in eius capite suum Patrẽ recognoscens,sic enim scribit: *At illi non poterãt caput cum pedibus vorare. Quo modo enim caput agni in Pascha apud Iudæos voraretur,cum lex iuberet os ex eo non cõminuere?* Occurritq; dubio valde argute: *Qui se ipsum exinaniuit Christus Iesus habẽs in se caput Patrem,caput enim Christi Deus est,fecit potentiam in brachio suo, & exaltauit humiles, vt in eis capi posset altissimus.*

Caput Christi Pater est, exinaniuit se Christus in Eucharistia, vt capiamus Patrem.

Quæ autem extiterit isthæc exinanitio paulo ante prædixerat: *Accipite hoc & diuidite inter vos,nouũ testamentũ est. Hoc tremendũ sacramentum dicit Apostolus cum ait:quod se ipsum exinaniuit,non relinquens Patrẽ, vt à nobis capiatur,absit.* Et statim subiũgit. *Immo ipsius verba proferam:ego inquit, & Pater ad eum veniemus,& mansionem apud eum faciemus.* Ioan. c.14. v.23. mirificæ sunt Alexandrini Dionysij sententiæ,& sequenti pẽsiculatione dignissimæ. Iudæi ab omni pietatis officio extranei, si filiũ Dei,quanto minus Patrem nec capere, nec deuorare queunt. Illius obturantur maiestate,huius scandalizantur humanitate; caput tamen Christi propter Iudaicam diffidentiã osseâ quadam austeritate obduruit. Nec ossa penetrabilis est facta ad pectus incredulitate fastidiosum, continuis maledicentiæ ructibus sacris cibis reluctans. Inclinauit diuinus symposiastes epulũ, & poculum ad pios,& fideles animos interioris hominis esurie ad cæleste pulmentũ inhiantes; exinanit se diuina Maiestas non solum in Virginis thalamo,sed etiã in mensæ sacræ triclinio,vt hominem ampliaret, redactus est Iesus ad paruam micam, vt augustiorem donaret gloriam; immensus coarctatus est. Ad panis frustum, vt ad maiora gratiæ incrementa assurgeret paruulus homo. in hoc tamen pietatis sacramento,& amoris artificio ipsa caro Christi ascensio facta est,vt altissimum diuinarum Personarum verticem, velut sacrum quoddam anima vsurparet spolium; *Fecit potentiam in brachio suo, vt capi*

posset altissimus. Altissimum nuncupat Patrem iuxta Angelicum oraculum ad Mariam directum de filio suo: *Filius altissimi vocabitur.* Luc.c.1. vncino enim fidei non solum ad se inflexit germen Domini delectabile, sed arborem ipsam & originariam radicem deprædata est, vt comedens filium homo in sacramento se se occultantem, acciperet Patrem in ipso filio immanentem. Si regnum cælorum Pater est, vim quodammodo patitur cum violenti diripiunt illud. Erat enim inaccessibilis illa maiestas, & reuerendissima Paternitas, timore plena, supremis spiritibus formidanda, ab illius aspectu, gustu, experientia humanus animus segregatus, sed per carnem suam filius ad hominem inflexit, inclinauit, nec fecit solum appropinquantem, sed mirabili modo intimum, & inhærentem. Nec intelligas quod ex vi verborum consecrationis in Eucharistia adsit Pater; sed quia non venit solitarius Iesus, cùm ipsum manducas, nec segregari potest à parente natus; Pellexit, & traxit te ad se per carnem tibi notam, & innatam, vt dum tibi copulatur mirabili nexu, etiam Patrem reciperes, & cohæreret tibi, quē habet in se non otiosum, sed semper generantem. O ineffabile commercium naturæ terrestris non solum cum prole diuina, sed etiam cum prolificante! none redundabunt perennes influxus diuinitatis immensæ ex principio coniuncto, quos Filius cōtinuo haurit, qui natum possidet in se immanentem, & diuini splendores increati, & geniti radij, à sole profluentis illuminabunt animū, & albescere facient candore solis & lucis æternæ? suscepisti pedes deifici hominis per mortem humiliati, sed à pedibus peruenisti ad caput, quod Pater est, vt pedes tui non titubent in huius sæculi lubrico, vt caput tuum humanę mobilitatis vertigine non circūagatur ad vetita præsumenda, sed sanū, & rectum possideas verticē, diuinæ prudentiæ, & sapientiæ consilio stabilitum.

5. Amoris sui diuini mirabile ingenium, & robur stabile ostentauit Iesus, cum illum nunquam intermissum, nec tempestate, & fluctibus passionum remissum, vsque ad vltimū vitæ halitum prorogauit. Quinimo in ipsa mortis paratura velut ignis inextinctus inter medios fluctus emicans, maiora flammarū incremēta protulit. Ioannis c.13.v.1. *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta,* &c. Quem locum de summa vnione per communionem carnis Christi S. Dionysius Areopagita expendit lib. de Ecclesiast. Hierarch. *Negotiū communionis benefice confecit, quo genere cōmunionis suam in nos charitatem filius Dei ita cumulauit, vt eam ad summum perduceret.* Christi in Eucharistia participationem, & vnionem, dilectionis apicem, & fastigium æquo iure vocat, vt amoris nexum inter amantem, & amatum indicaret; in quo vires suas omnes amor exerit, ad summum, genus humanum dilexit beneuolentia Creatoris, cùm in singulis fidelibus sese immiscet communione mirabili, & certaminis sui finem, & occasum memoriali perenni, per singulos dies rediuiuo vitalem reddit, & continuo resurgentem. Sed præter commentationum variarum placita, quæ in mentibus Patrum verbū illud *in finem* exponentium discernuntur, non erit abs re si nomine *finis* æternum generantem Theologus Ioannes intelligat, in quem velut finem, & scopum mirabilium operationum Iesus

S. Ioan.

S. Dion. Are.

Per communionem suā Christus ad summum dilectionis nos deducit nēpe Patrem.

collimabat, & intendebat. Hoc perspicuè indicat idem Dionysius: *Hoc facite in meā commemorationem, vt ad summum cum diuinissima carne, & membris, propter bonitatē suam vniret.* Quæ verba recenset Turrianus tract.1. de Eucharist. c.10. ad summum illud, & primū diuinitatis fastigiū, & omnipotentis Creatoris creaturā aduehere, & adiungere satagebat, qui cum filio fatus in mūdi exordio se se apparabat cōsilio mirabili creaturam rationalem condere; vt hominē per noxium cibum diuaricantem, & distractum à Patre, & iusto inimicitiarum diuortio à paterna hereditate extorrem, interueniente carne, & vitali alimonia, ad suū principiū importet. Quod perspicuè indicauit Iesus in sermone post cœnā prolato. Ioan.c.17.v.26. *Notū feci eis nomen tuū, & notum faciā: vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* Veridica est enim illa S. Athan. sententia dial.1. contra Macedonium: *Quemadmodum ad filium per patrem, ita ad Patrem per filium vocemur.* Caro autem Christi huius vnionis vinculum est. Quod sapienter comprobat S. Hilarius lib. contra Arrianos dicens: *Perfecta per Mediatorem vnitas doceretur, cum nobis in se manentibus, ipse maneret in Patre, & in Patre manēs, ipse maneret in nobis; & ita ad vnitatē Patris proficeremus: cumque in eo naturaliter secundum natiuitatem inest, nos quoque naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.* Itaque hoc amoris inuentum & cōsummatę vnionis institutio ad finē tendebat, vt dum ipse manet in nobis per communionem carnis, & in ipso semper immaneat Pater, Pater quoque maneret in nobis, & sacramento mediante ad vnionem Patris proficeremus.

S. Dion. Are.

S. Ioan.

S. Athan.

Per filium vocamur ad Patrem.

S. Hilar.

Per communionem, ad vnitatem Patris proficimus vt in nobis permaneat.

6. Cùm ad sacrum epulum inuitaret Iesus turbas, & animis hominū insereret credulitatē communicationis æternæ vitæ, ex pane Eucharistico prouenientis, sic sermocinatur apud Ioānem c.6.v.27. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signauit Deus.* Quod autem sit signum, quod Pater huic cibo impressit, expendunt passim primores Ecclesiæ, quod Pater signauit sua diuinitate, seu charactere, & sigillo suæ diuinitatis, vt & humanitas Christi sigillata permaneat diuinitate filij, qui est imago, & Character Patris. Rupertus Abbas l.6. in Ioannem aliter aperit hanc Patris signaturam, *Quo autem signo hunc signauit? magno planè, & reuerendo signo, scilicet nomine suo. Dixit enim de hoc pane viuo, & est nomen meum in illo.* Sicut enim annulus in molli cera, aut creta magnalia, & insignia, quæ habet insculpta imprimit, & format, placenta panis, crustis & emblematibus sigilli cælatur; sic panis hic viuus decoratur genitoris insignibus, & Patris nomine præclaro, in quo est expresse regalis imago, & viua similitudo Patris, vt censoria & iudicialia potestate hunc cibum ab aliis cum tempore labentibus discernat, & quasi in tabula, & rescripto subscriptio Patris appareat, sigillum pendeat, & irreuocabile testimoniū conferendi mortalibus æternitatem vitæ felicis. Itaque per hunc panē habet homo publicū instrumentū sacri muneris de diuinis venis defluētis encaustico, rubricatū; Patris quoq; sigillo, & subscriptione subornatū, vt valida perēnet tantæ fidei, & spei vitæ nūquā morientis prouisio, quę tā venerāda testificatione firmatur. Adhuc tamen hanc signaturā panis cælestis

S. Ioan.

Quo sigillo signauit Pater vitæ æternæ cibū.

Rupert.

Signauit nomine suo.

Tolet.

cæleſtis ſapienter expendit Cardinalis Toletus in Ioannem, adſtruit ibi cauſam aſſignaſſe Seruatorem, cur ſua caro cibus poſſit eſſe vitæ æternæ: *Ea autem eſt, quia hunc Pater ſignauit Deus, ideſt huic homini Pater, velut ſigillo diuinitatem impreſſit, & vniuit, propterea adiecit Euangeliſta vltimo loco Deus, vt ſigillum hunc eſſe Patris diuinitatem, quæ in filio eſt, & humanitati vnita eſt, ſignificaret.* Itaque humanum corpus ſigillatum Patris diuinitate manducat homo, vt etiam Patri communis diuinitas humano Chriſti corpore vnita, eſſet cibus veſcus animæ; cum ipſa contraheret ſpiritalem & intimam copulam; & mirabile conſortium.

Pater ſigillo diuinatem impreſſit Chriſto.

7. Ad ſublimiora diuinitatis faſtigia ſeſe euehit ſancti Bernardi acumen aperientis votum ſponſæ auidius exoptantis, & poſtulantis Dominici oris ſuauium. Cant. c. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* De æterna ſapientia, & progenie de ore Patris procedente primogenita ante omnem creaturam, ſententiam Cantici enuntiat, naturam, & arcanum oſculi enucleat ſermone 8. in Cantica, fatus: *Itaque Pater Filium oſculans pleniſſimè illi arcana ſua diuinitatis eructat, & ſpirat ſuauitatem amoris, ſcriptura hoc ſignificante cum ait* (Pſal. 17.) *dies diei eructat verbum.* Et poſtea: *audi oſculum de ore: ego & Pater vnum ſumus. Ego in Patre, & Pater in me eſt. Oſculum eſt ore ad os ſumptum, ſed nemo appropiat.* Quæ enim appropiare auſu temerario voluerit creatura, opprimetur à gloria; ſi lapidibus obruitur, qui appropinquare tentauerit ad radices montis, in quo Deus apparet, nonne lapidabitur, & tanquam cera fluet à facie Dei, qui accedere præſumpſerit ad labia, & oſcula tam ſublimia? *Sed nemo appropiat.* Cur ergo ſponſa pluſquam fœmineâ animoſitate ſe erigit & extollit in auſus quoſdam diuinitatis cancellos attingentes, qui captum ſuperant Angelicum, & humanum, vt in illius amplexũ ruere, atque illi oſcula dare ſpiritalia concupiſcat? Occurrit Theodoretus protector ſponſæ pro ipſius decore verbis pugnans, factus interpres, & nuntius arcanorum, quæ diu in pio pectore verſabat: *Ne quis oſculorum vocabulo perturbetur, conſideret, quemadmodum myſtico ſponſi tempore, ſponſi corpus ſuſcipientes, complectimur, & oſculamur.* Erat homo ſequeſtratus ab ore Paterno, & oſculo, à quo in immenſum diſtabat, ſed interueniente, & cooperante artificioſa charitate factus eſt prope, qui erat interminabili diſtantia ſegregatus. Infixit enim humanæ naturæ adeò intimum ſuauium eam amplexatus, ſibique copulans verbum, vt indiſſolubili nexu vnita permaneat in illius hypoſtaſi, itaque voti cõpos facta ſponſa, de ore paterno ſuſcepit oſculũ, & quotidie recipit eũm Chriſtum in Sacramento comedit. In Sacræ Synaxis participatione labiis oſculamur, corde amplectimur, ipſi implicamur ſuauiſſimæ charitatis nexibus. Capimus verbum, quod dẽ ore paterno eructatur, filium, quem labiis ſuis oſculatur Pater, vt ſcribebat Bernardus; ſuſcipientes Patris oſculum nos quodammodo oſculatur, & labiis apprehendentibus Chriſtum, Pater imprimit ſuauium. Itaque caro Chriſti inuitat, & allectat Patrem ad os, nexum, & oſculum animæ, vt non detrectet permanere in pectore hominis, & conſortio, os, & labium, vbi habitaculum, & manſionem elegit ſuum oſculum.

Cant.

S. Bern.

Pater filium oſculatur, cum ei arcana ſua diuinitatis eructat.

Ad hoc oſculum nullus appropiat; quo pacto.

Theodor.

Qui corpus Chriſti ſuſcipiunt ſponſum oſculãtur, & appropiant patris oſculo.

Creabit Dominus ſuper omnem cœtum, & congregationem, nubem per diem.

Nubes: *Euchariſtiæ Sacramentum.* Ex Gloſſa.

DISCVRSVS III.

Formam viui, ſpeciem, & vultum mortui continet Deus: quæ harum forma potentior ad pelliciendos, & conciliandos affectus rationalium animorum? Homines à ſimulacro viui refugiunt; conuocantur, & colliguntur ab imagine mortui.

1. ERAT nubes illa populi conciliatrix, vt turbæ non palabundæ & diſperſæ, ſed conglobatæ & in vnam inuictam manũ coëuntes Domino militarent, & in promiſſam glebã felicitate redundantem pergerent in nube Euchariſtia virtus maior, & auguſtior, vt in fidem Dei conſentiant, & conſpirent gentes, & qua mirum in modum diſcernitur, an viui Dei, an mortui effigies ſit validior, & ſolertior ad coitionem voluntatũ, & conſenſum cordium. Hoc arcanum præcognouit Michæas Vates c. 2. v. 12. dum triſtibus, & amaris annuntiationibus hoc lætum, & dulce vaticinium permiſcet: *Congregatione congregabo Iacob totũ te.* Vbi mirũ in modũ verba efferunt LXX ſeniores legentes: *De ſtilla populi huius congregatus Iacob.* Quam lectionem ſectantur S. Cyril. & Origenes hom. 2. in Cant. & poſtremus inquit: *in libello duodecim Prophetarũ gutta quidẽ futura dicitur, quæ congreget populum.* Licet pro Michæa citet Malachiam. Ibidẽ comparat hunc locum cum illo Cant. c. 1. iuxta verſionem Græcam: *alligamentum guttæ.* Vt vtraque auctoritas in eamdẽ mentem coëat, apertéque demonſtret virtutem mirificã in gutta, & ſtilla congregandi populum? quæ autẽ ſit guttæ colligatio? proponit S. Amb. in Pſ. 118. ſerm. 3. *Corpus enim ſuſcipiens Dominus Ieſus, charitatis ſe vinculis illigauit, & non ſolum ſe membris noſtris, & paſſionibus naturalibus, ſed etiã Cruci vinxit.* Ex quibus verbis effulget quod ſit: *Guttarum alligamentum:* Cum enim Seruator Cruci ſe dedicauit, & clauorũ terebrationibus pedes, & manus, factus eſt quaſi gutta, & ſtilla, dũ ſacri cruoris ſtillicidio madet: & de apertis ferro venis rubicundis fõtibus purpuraſcit, & irroratur rore purpureo. Sic vita moritur, ſeparat, & diſiungit amara mors à corpore animũ, ſed non auellit animos à corpore vita functo, ſic totus ſanguineus, & ſaucius *congregans congregat Iacob.* Sic ſanguinei latices, & alligamenta guttarũ colligationes facta ſunt animarũ, & glutinũ cordiũ. A liuido cadauere vibicibus deturpato, & hiantiũ vulnerum horrore deformi non ſequeſtrantur, ſed ad illud congregantur mortales, qui hominis morte turpiſſimâ condemnati ſolent auerſari conſortiũ; ad ſimulacrũ Dei in Cruce occumbentis citato curſu conuolant: nec iam diſplicet imago mortui, à quo vita promanat. Pulchre S. Athan. hom. de

Mich.

Gutta & ſtilla Domini congregat populos.

Lect. LXX.

S. Cyr. Al.

Orige.

S. Ambr.

Corpus Chriſti patientis, & ſtillicidijs ſanguineis affluentis, alligamentũ guttarum dicitur.

Ad ſimulacrum Dei in cruce occumbentis gentes citato curſu conuolant.

D. Athan.

de semente coarguens Apostolorum ignauiam, turpemque fugam, cùm Magister comprehenditur à militum cohorte: *Omnes relicto eo fugerunt*. Matth. c. 26. postmodum Apostolicæ indemnitati prouidens, famæ prospiciens scribit: *Fugerunt quidem à viuo, sed ita vt pro eodem crucifixo mortem oppetant*. Nec mireris Apostolos ipsos audaciores, in Iesu captura fugaces, ignobili terrore consternatos, sapientes, & constantes viros à Iesu latere disparuisse quærentes latebras; certatim à Deo adhuc viuo dilabuntur, sed paulum expecta: moriatur Deus, occumbat in ligno, per omnia cruciamenta Iudaicæ, & artificiosæ malitiæ sufferentia Christi comprobetur, ad Deum mortuum alumni confugiunt, patibulum exambiunt, de patientia maioris opprobrij, & horribilioris supplicij contendentes; pati, flagellari, trucidari, crucibus suffigi habent pro deliciis. Cernis quantum præualuit imago Dei mortui ad homines colligendos, animos conciliandos, non solù ad gratitudinis amorem, sed ad passionis æmulationē.

Apostoli fugerunt à viuo; sed pro Deo mortuo mortem oppetunt.

2. Potiora signa & prodigia coram Pharaone patranda Deus Moysi spondet Exodi cap. 4. Mosaicam virgam in colubrum transformandam, manum lepra infectam ad pectus applicitam, emundandam, & dealbandam; mirabile verò tertium, flumina & fontes pro aqua sanguine fluentes, tanquam augustius ostenditur. ibi. v. 8. *Si non crediderint tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam: sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam; & quidquid hauseris de fluuio vertetur in sanguinem*. Quod autem per signum sanguinis increduli remanserint, & contumaces, induratis prè chalybe cordibus, liquet ex cap. 7. vbi fluuiis, & fontibus cruore redundantibus Pharaonis, & Satraparum corda indurata recensentur. Quare sanctus Cyrillus Alexandrinus ad enuntiandum Christi mysterium, illa verba à Deo prolata existimat, sic enim ait lib. 2. de adorat. *Vltimum mundo signum Christi mors fuit, & illa per aquam, & sanguinem ablutio, adiuncto nimirum etiam sancto corpore, quod per aridam significatur: effluxisse autem nobis aquam, & sanguinem ex illo sanctissimo latere lancea perfosso, nil attinet dicere, cum omnibus sit notissimum*. Et statim subiungit: *Tertium signum quod idem nouissimum esse ait, Christi mors fuit, quo data fides est subsequuta. Si enim non crediderint tibi, inquit, neque audierint vocem signi prioris, credent voci signi sequentis. Vides vt fidem apertè, ait, consecuturam, non primo signo edito, sed post vocem signi postremi: neque enim voce caret ipsum Christi sacramentum: immo verò vniuersos vocat per totum orbem, excelsa quadam, præclaraque prædicatione, ad aqua, sanguinisque lauacrum. Et quidem etiam ad viuificationem, quam sanctæ carnis illius participatio præstat*. Prodigium illud postremum aquæ in sanguinem immutatæ portendebat fidem Gentium ad illius conspectum affuturam; dum enim in primo ostento Deus regalem virgam, & sceptrum dominantis demonstrat, & in secundo pœnam criminis, quod velut lepræ immunditia in genus humanum irrepsit; obstitit saluti suæ homo extento collo, & dura ceruice erectus aduersus Creatorem. Cum sanguis effunditur iusti, & de latere Dei mortui lanceâ compuncti, aqueus, & sanguineus latex effluxit, credulitas est subsecuta, & coactio populorum. Quàm vocale, & arguitiuum prodigium, ait sanctus Cyrillus, Dominicum Sacramentum, caro enim Iesu, & sanguis mysticus schema perpulchrum Christi in ligno morientis, vociferationes profundit per omnes terræ cardines reboantes, nec resonant vindictam, sed clementiam, non animaduersionem, sed dilectionem: *Vniuersos vocat per totum orbem*. Districtio iræ, excelsæ maiestatis insignia, conspicabiles creaturæ diuinæ potestatis stemmata, non adeò pelliciebant animos, nec humanos conciliabant affectus; vbi Deus mortuus adest, aut imago Creatoris in passione agonizantis, in patibulo animam efflantis ostenditur, subsequutum est obsequium, & credulitas vniuersarum nationum. Simulacrum illud Verbi mutum piâ quadam, & profunda taciturnitate conticescens, nec iam vocem doloris emittens, omni cithara sua uius concrepat, ad fidem demulcet auditum. Os illud exangue, sacrum linguæ plectrum conquiescens ad corda loquitur, & ea intensioris vocis præconio ad se colligit, itaque Dei viui loquela me creauit, morientis Dei reticentia me redemit; Adam à Dei immortalis iugo & loro se soluit; mortalis Dei vinculis validius se innexuit.

Exod.

S. Cyr. Alex.

Vltimum signum vt mundus crederet, Christi mors fuit, cum sanguis, & aqua de latere scaturiebat.

Christi Sacramentum non mutum, sed per totum orbem vocalissimū.

3. Mirum valde est quantus timor, & horror inuaserit humana pectora ex visione Dei viui. Pro fatali, & infausta hanc visionem vsurpabat vulgus Hebræorum: forsan hæc formido exordium sumpsit ex illa sententia Domini Exodi cap. 33. vers. 20. *Non enim videbit me homo & viuet*. Et Exodi cap. 24. recensetur quod populi, & capita populorum *viderunt Deum Israel*. Et postea pro mirabili signo subiūgitur versu 11. *Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel misit manum suam*. Vbi Abulensis exponit quæst. 14. *Quod Deus non misit manum suam super eos, qui longè recesserant, idest super populares percutiendo, aut occidendo eos*. Pro ostenso refertur quod ex visione Dei viui manerent incolumes & gloriantur mortem euasisse, vitam redemisse; ideo in signum lætitiæ lautum conuiuium instituunt. Quocirca illud rectè subiungit Abulensis quæst. 15. *Sic etiam summum Sacerdos Hebræorum, qui semel in anno intraturus erat in Sancta Sanctorum, quod graue erat periculum, scilicet, quia si indignus fuisset, occidebat eum Dominus; cum inde exibat tanquam à morte liberatus, faciebat conuiuium, magnum amicis suis*. Aditurus summus Antistes adyta plena formidine, arcana responsa auscultaturus intra velum, visione Dei viuentis fruiturus, horrore correptus obibat sacra munia, ne pœna capitis plecteretur, si cælestis imperatoris aulam indeuotus, aut inofficiosus ingrederetur; quare ministerio functus suo, & libertate donatus, quasi tunc rediuiuus conuiuio celebrat vitæ largitatem, quod post visum, & colloquium Domini maneret superstes. Domum Abrahæ, & sacræ scholam disciplinæ hic timor peruaserat, his institutis erudita ancilla cùm ab herili domo exulat sequestrata, piâ quadam admirabilitate corripitur, cum post visionem Dei viuentis, adhuc frueretur huius lucis visurâ. Genes. capite 16. vers. 13. admirabunda dicebat Agar: *Profectò hic vidi posteriora videntis me*. In Hebræo est: *Etiámne iam video*, lucem

Infausta apud Hebræos visio Dei viui.

Exod.

Abul.

Abul.

Sacerdos ingressus in sancta & vita superstes faciebat conuiuium in signum lætitiæ.

Agar miratur se adhuc viuere, post visionem Dei.

Genes.

lucem hanc aspicio, & viuo post videntem me. Quid autem hæc ancillulæ sententia præseferat expendit Nicolaus Seratius noster in Iudic. cap. 6. quæst. 14. *Quasi diceret, & tamen istud cum viderim, viuo, quod fieri non posse credebam.* Nec dissentit Oleaster sic legens: *Nonne etiam contritio erit mihi, quoniam vidi posteriora videntis me? quicumque enim Dominum videbat, se moriturum arbitrabatur.* Itaque sententia mortis statuta Deum viuentem cernentibus, non tam apud vulgares, quàm apud primarios viros inoleuerat, quam quidem opinionem hauserat muliercula hæc; sed quæ imbuta fuerat arcanis in domo sapientis, non mirum si loquatur mysteria, licet enim à facie Dei viuentis, & confabulantis ancillæ gressus retardentur, & à viuente Deo obstupefactâ, impendentis periculum mortis super caput suum recidere pertimescat: Cùm Dei posteriora prospectat in stabilem incolumitatis fiduciam erigendus foret fœmineus animus. Quid sunt posteriora Dei, nisi Crux, passio, & mors, vt ait Glossa, quas vltimis temporibus Deus assumpsit; ex visu, & alloquio Dei viuit stupet ancilla, vtrumque censet mortis ominosum; cum Deum mortuum in vmbra, & typo cernit non est mors formidanda, sed vita expectanda, ex Deo viuente merces mortis, ex Deo moriente lucrum vitæ promanat. Sequestrat hominem species viui, ne perimat, allectat imago mortui, ne pereat, sed viuat.

Ser.

Agar cum vidit posteriora Dei in spem vitæ assurgit.
Posteriora Dei crux & mors.

4. Disserens Dominus Iesus de extremo iudicio mirabilem illam sententiam protulit Lucæ c. 17. v. 37. *vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Vbi metaphorâ sumptâ à cadauere deiecto, ad quod certatim conuolant alites carniuoræ, occursum, & concursum exprimit iustorum, qui aquilarum instar à terrenis suspensi, & eleuati, & ad sublimia conuolantes, ad seruatorem congregabuntur. Illud tamen disquisitionem singularem in præsenti exigit. Cur Christus nuncupetur corpus mortuum, seu cadauer? Illud enim denotat verbum *corpus*, & aquilarum similitudo confirmat. Quare ritè legut Chrysostomus, Cyrillus, Caietanus, *vbicumque fuerit Cadauer.* Additque os aureum in catena Græcorum Patrum: *cadauer vocans Domini corpus propter mortem: nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus.* Appellitetur cadauer IESVS, cùm spiritum exhalauit in ligno, deponitur de patibulo, cùm humeris suis illud Ioseph Abarimathæus baiulat, eximius polinctor, nobilis parentator IESV funeri iusta soluens, & reclinat in tumulo; appelletur mortuus, cùm requiescit somno mortis sopitus tribus diebus, tribusque noctibus in conditiuo sepulchri. cùm redit de cælestibus stipatus Angelorum clientelâ, & satelhtio triumphator mortis, magnificâ gloriâ conspicuus, nuncupetur viuus: vbi mors vltra non erit, non audiatur nomen mortui. Sic de regione viuentium abiectam cadaueris nuncupationem hæreditauit? Nunquam rectiùs stemma viui, & insignia viuentis promeruit, quàm cum iustis præmia, improbis pœnas discernit; gaudeat viuentis magnalibus cui vltra mors non dominatur, & qui semper viuit ad interpellandum pro nobis. Cur ergo *corpus mortuum*, seu *cadauer* dicitur, cùm mortales indicaturus venit? Solent Reges inter alia gentilitia, & adoreas, seruare sibi augustius insigne, quo glorientur, sicut Dauid qui Deodatus, filius saltus, rufus, præliator, præco, vates, gloriosus citharista dicitur, Dauidis tamen nomen prætulit, hoc est *manu fortis*, quasi glorians de nobiliori Goliæ triumpho; sic Iesus inter magnifica gloriæ suæ ornamenta *mortui* seu *defuncti* gloriosum titulum elegit, per quem sibi incomparabilem felicitatem peperit, peccatorum reconciliationem, affectus pios animorum lucratus est, Congregentur immortales ad mortuum, viua corpora ad cadauer, vt ostendat quanto suauiùs allexerit humana corda imago defuncti, & ad vitam collegerit æternam. Domestici Dei, & paradisi contubernales coguntur, coaceruantur instar aquilarum ad cadauer; quia à mortali immortalitas, à mortuo vita, à defuncto gloria profluit. Argutè Caietanus in hoc loco scribit: *omnino corpus pro corpore mortuo. similitudine enim sumptâ ab aquilis concurrentibus ad cadauer, vt pascantur, declarat non solùm locum, sed etiam modum, & affectum, & fructum, intendit siquidem quod electi diuinâ electione sic assumentur, quod velut volantes, & tanquam esurientes ad fruendum Christo congregabuntur ad locum in aere, vbi erit Christus, ad fruendum ipso: quemadmodum aquilæ congregantur ad comedendum corpus mortuum.* Non solùm enim prædicatur in illa sententia vis illa attractiua mirabilis, quæ ex cadauere diffunditur, vt sacros illos cœtus resurgentium cogat; sed pios affectus aquilarum, seu corporum glorificatorum, quæ amoris pernicibus pennis ad corpus Christi conuolant, vt membra capiti coaptentur, vt eo perfruantur, ipsum amplexantia dissuauientur; properant ad amicum corpus Christi sibi bene notum, cuius cælestibus delıciis in hac vita pascebantur; vt quod credebant in conuiuij mysterio, prehendant modo dulci intuitu, suaui attactu. Mysterium enim Eucharisticum in hoc Euangelistæ commate Sanctus Chrysostomus recognoscit, dum prædictis hæc adiungit: *Aquilarum enim, non graculorum hæc mensa est: & tunc ocurrent è cælis descendenti, qui nunc dignè fruuntur.* Singulariter tunc agnoscent corpus Christi gloriosum, qui in hac vita dignè suscipiebant accidentium tegminibus obuelatum, dulciori amoris nexu ei copulabuntur. Pulchrè subiicit Albertus Magnus de beatarum aquilarum agminibus ad corpus Dominicum confluentibus: *Illuc congregabuntur & aquilæ; quæ aquilæ ab acumine visus & olfactus dicuntur, quo longè vident, & olfaciunt tale corpus præparatum sibi in escam. gloriosum corpus eius in iudicio, & meritum mortis eius, & vaporatio dulcedinis eius tanta erit, quod omnes Sancti qui aquilæ sunt, propter visus acumen ad veritatem, & propter vim discretiuam, ad bonitatem eius, quæ per olfactum designatur, statim percipient veritatem ipsius.* Dominicum corpus myrrhâ, & guttâ, & cassiâ, omnium gratiarum affluentiâ delibutum, per cœlorum, & aeris spatia mirificos, & cælestes odores sparget, & omnium pigmentorum suauissimis aromatibus complebit beatorum nares; quibus suauissimè attractæ aquilarum cateruæ concurrent agnoscentes propter visus acumen, & vim discernendi virtutis vnguentum, & Christi odorem, illud esse corpus animi pabulum, spiritûs

D. Lucas.

Cur Iesus venturus ad iudiciũ gloriosus, cadauer nuncupetur, ad quod aquilæ congregantur.
D. Chrys.
Cyrill.
Caietan.

Iesus apparens in maiestate regnaturus, inter magnifica gloria suæ decora, mortui, seu defuncti gloriatur titulo.

A mortali immortalitas, à mortuo æterna vita & gloria profluxit.
Caiet.

Electi velut aquilæ volãtes & esurientes ad fruẽdum Christo congregabuntur.

D. Chrysost.
Aquilarum non graculorum mensa Eucharistica est.

Alber. Mag.

Omnes sancti qui aquilæ dicuntur ad euaporationẽ dulcedinis & suauissimi odoris corporis Christi attracti confluent.

ritûs escam, & vtriusque substantiæ fulcimentum: inter omnia balsama, & odorata condimenta suauiùs spirat suffitus passionis, odoramen mortis, & vtriusque meritum, & opobalsamum sanguinis pro sceleribus humanis effusi, omni musco, cinnamomo, & succino suaueolentiora odoramina fundit, quo incitata turba beatorum ad suum desiderium, amorem, decus, & præsidium congreganda confugit.

5. Sacer ille lanista Samson, qui, à quibusdam reputatus est Hercules, descendens Thamnata, vt celebraret fœdera nuptiarum, sæuum leonem strangulauit. Iudic. cap. 14. cumque post aliquos dies reuerteretur: *Declinauit, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.* ibidem vers. 8. laudabunt alij in hoc facinore Herôis, & pugilis inuictum robur, quod exutus omni munimento armorum, lacertosis artubus comprehendens belluam ferocientem, in frusta discerperet; illud tamen ad mysticam contemplationem spectat, quod in ore leonis mellificarent apes; solent enim in arborum crustis, aut ligneis aluearibus condere mella, hîc autem in putido pectore, & ore amaricante fauos confingunt, & ceras, vt animum Samsonis proueh
erent ad prænotionem mysterij in officina mellis, & cadauere leonis delitescentis: idcirco problema proposuit vt exerceret animos iuuenum ad sacram disciplinam, & sacramentis cælestibus erudiret. Ea indigitant LXX. interpretes, dum legunt: *& ecce congregatio apum in ore leonis erat.* Dum viuit leo, nulla structura fauorum in ore reperitur, nec apes gregatim confluunt, vt mella componant; post obitum leonis turmatim conglobantur, & noua examina emergunt; agnoscis in leone cæleste sacramentum, victor leo de tribu Iuda, moriens cœtus sacros ex populis nationum congregauit. Argutè sanctus Augustinus mysteriū discernit serm. 107. de tempore: *De comedente, id est, de morte, quæ cuncta deuorat, atque consumit, exiuit cibus ille, qui dixit ego sum panis viuus, quem humana exacerbauit iniquitas, eique aceti, & fellis amaritudinem propinauit, atque ab eo plebs gentium vita dulcedinem conuersa suscepit: ac sic de mortui leonis ore, id est, de Christi morte, qui accubans dormiuit vt leo, apum, idest Christianorum processit examen.* A comedente omnia, atque deuorante morte, cibus exiuit, quia solum alimentum vitæ pectore suo nec concoquere, nec consumere valuit; quia cibus vitæ exiuit ad vitam, nec sepulchro detentus, à corruptione ereptus ad immortalitatem euasit. Sed quare panis, qui ad nutrimentum æternæ vitæ largitus est, processit à morte, nisi quia à Saluatore iam agonizante, & in voto moriente, & mortem suam repræsentante, mirabile prodiit Sacramentum. Epulabatur splendidè in sui pectoris triclinio alimoniam suauem nempe beneplacitum paternum. Suus enim cibus erat, vt faceret voluntatem Patris; de comedente hanc escam, & pectore saturo hoc cælesti prandio, exiuit cibus vitæ. Iam in cadauere leonis maior refulget gratia ad apicularum confluxum, & condimentum liquoris dulcissimi, magis gratus, & aptus est leo mortuus, quam viuus, ad mysticum leonem Christum in Cruce occumbentem cohortes nationum, & castra fidelium conglomerata properant, vt gustent, quàm suauis est Dominus, sugant mel de petra, & de foliis arboris vitæ melle roscidis, succum dulcissimum, ac saluberrimum, & cælestis voluptatis mellilegium hauriunt.

Iud.

In ore cadaueris leonis examen, seu congregatio apum.

Lect. LXX.

D. August.

De morte omnia comedente exiuit cibus vita.

De Christo mortuo Christianorum processit examen.




Super omnem cœtum, & congregationem, nubes & splendor ignis.

Spiritus Sanctus est.

DISCVRSVS IV.

Eximium superni Pneumatis facinus, qua crimen disgregat, & seiungit; amoris glutino, dilectionis compagine reducere ad sensus congruentiam, & vnitatis concordiam.

1. N eo potissimùm cōmendatur diuini Spiritûs virtus, quod coactione mirabili in vnitatem conspirare solicitat animos, & linguas dissidentes: vt disturbaret iniquorum consilia arcem superbiæ architectantium, cuius fastigiū attingeret æthera, diuisionem linguarū, & confusionem alloquiorū introduxit, conspiratione, & vnitate consilij sui, sanctissima Trinitas. Genes. c. 11. v. 7. increata sapientia fatur: *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Dei bonitas & prouidentia labij, & linguæ vnitatē dirimit, quæ turgido fastu belligerabat aduersus potentiā Domini; erat in impietate, & despectu creatoris consensio animorum, quos nexus, & glutinū malitiæ, & improbitatis ad consensum redigebat; ideo ibidem asseritur, quòd terra erat vnius labij, linguæ, & vocis, in quo existimat Philo Hebræus lib. de confusione linguarū. *Significari magnorum, ineffabiliumque malorum consonantiam.* Dissidebant homines ritibus, diuersarum illecebris passionū, male moratis affectibus voluntatis, sese mutuo impetētes, & conturbātes; ad perfidiam, & sacri numinis despicientiam mutuo fœdere conserebant manus, & erat discordia cōcors; ideo Deus hanc coitionem iniquam, & factionē superbientium, impudentiæ vnitatem disgregat, & dissoluit, vt ablatâ linguæ vnitate, ab impiis conatibus insanæ structuræ cessarent. Subierat iustam animaduersionē tota hominis natura causâ transgressionis, & primæui flagitij; hic autem aduersùs labium, & linguam decernitur supplicium, vt quæ de vnitate perfidiæ loquela gloriabatur, & deblaterabat; permixtis vocibus, conturbatis alloquiis, miseram subiret confusionis ærumnā. Sed non in perpetuum ira hæc Domini desæuiit, sicut enim machinamentum Babylonis & vrbis impiorū spiritus superbiæ construxerat, & discrimen linguarum inuexerat; Spiritus dulcedinis, & amoris, vt ciuitatem iustitiæ & pacis conderet, nexum cordium, consensum sententiarum, & diuinorum operum suauissimum concentum aduentu suo perduxit, reddens gratum, & pacis, & vnitatis amicum fœdus, restaurata multimodæ linguæ varietate non ad dissensum, & improbitatem; sed ad fidei, & pietatis confœderationem. Comparat argutè diuersita

Genes.

In malorum vnitate, & consonantia Deus linguas diuisit.

Phil. Heb.

diuersitatem linguarum cœmentariorum turris Babel, & Ecclesiam architectantium Apostolorum Sanctus Cyrillus Archipræsul Ierosolymitanus cathechesi 17. *Facta est* (inquit) *confusio multitudinis audientium. Alia sanè confusio ab illa mala, quæ fuit in Babylone. nam illâ confusione linguarum, facta est diuisio voluntatem: quoniam sapere illud fuit contra Deum. Hîc autem restauratio est, & vnio sententiarum: quoniam pium erat hoc studium: sicut per illos, casus, & defectio à Deo, sic per hoc reductio ad Deum, per quæ sit defectio; per eadem reductio.* A Cyrillo non dissonat Rupertus Abbas lib. 4. de processi. Spiritus Sancti cap. 20. *linguarum diuisio, quæ propter superbiam acciderat, reformata est per eiusdem paracleti Spiritus Sancti aduentum, vt in ore eorum omnium genera nasceretur linguarum.* Plaga illa inueterata diu confusionis linguarum sanata est per aduentum Spiritûs sancti, sed alterâ confusione Act. cap. 2. v. 6. *Factâ autem hâc voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque linguâ suâ illos loquentes.* Est autem confusio hæc ad placabilitatem cordium, & dulcem concentum animorum, quæ non turbationem infert, sed sacrum quemdam stuporem, & mirificam pectoris tranquillitatem. Diuisio illa linguarum dissidium voluntatum, sententiarum diuortia induxit; at igneæ linguæ per Apostolorum apices dispertitæ, animi sensus, & motus ad concordiam reducunt. Hæc sacræ discrepantia loquelæ hominem à Deo sequestratum, qui ab eius fide desciuerat, ad Dei fidem allicit, & congregationi fidelium coagmentat: itaque cælestis spiritus consensionem cordium, quam homo amiserat, felicius restaurat.

S. Cyrill.

Per confusionem linguarum in structura turris Babylonicæ, facta est diuisio voluntatum & defectio à Deo.

Per diuersitatem linguarum in Apostolis creatur vnitas animorũ, & ad Deum reductio.

Rupert. Act.

2. In primo mundi nascentis exordio mirabile enuntiatum ore Dominico prolatum recenset Moyses Genes. c. 1. v. 9. *Dixit verò Deus congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum: & appareat arida, & factum est ita, & vocauit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellauit maria.* Quæ verba sic dispungunt, & illuminant Septuaginta seniores in Bibliis Sixti V. *Et dixit Deus congregentur aquæ, quæ sub cælo, in congregationem vnam, & appareat arida, & factum est sic. & congregata est aqua, quæ sub cælo, in congregationes suas.* Quæ versio à priscis patribus adstruitur. Basilio hom. 4. in exam. Chrysost. hom. 1. in Genes. Theodoret. quæst. 12. Ambros. lib. 3. c. 5. in qua illud exercere videtur animum diligentis perscrutatoris, quod non iuxta vota Domini, & imperata, opus respondet; promittit collectionem vnam aquarum, & quamplurimæ apparent congregationes; si omnium aquarum molem in amicam concordiam, & vnionem coëuntium, comparare iubet, cur subiungit aquarum disgregationes, & dispersiones æquoris varias? Argutè nectit, & dissoluit nodum huius quæstionis S. Anastasius Sinaita anagogicarum contemplat. in Hexaëmeron. c. 3. *Vna ergo congregatio tota aqua. & quomodo dicit congregentur? Congregetur enim, dicit, & fit in dispersis?* & subiungit: *aqua in abysso, ecce vna congregatio: aqua oceani, ecce rursus etiam alia congregatio: mare ipsum rubrum ecce aqua quarta congregatio; fluuij ex Edem, ecce magna aqua congregatio: Physon, Geon, Tygris, & Euphrates, ecce quatuor congregationes aquarum.* Si ergo iusserat Dominus quod aquarum eruptiones non essent diuiduæ, sed in vnam congregationem coëuntes, cur in tot, ac tantas collectiones inter se dissitas, disgregat, & secernit? Posset tamen non difficulter extricare animum ab hoc nexu, dicens: quod licèt variata sint maria iuxta diuersos orbis tractus, vt aliud sit mare Indicum, aliud Ponticum, & aliud Tyrrhenum. Aliud sit Propontis, aliud Helespontus, aliud maximum mare, quod nonnulli vocant Atlanticum, quidam verò oceanum. Terra tamen hæc omnia æquora quodam amicitiæ fœdere copulat, & quasi quibusdam brachiis amplectitur, vt per occultos sinus, & meatus sese coniungant, & in vnũ mare coëant. Recurrit tamen Patriarcha Antiochenus Anastasius ad subtilem protheoriam, dicens: *Dicit Deus congregetur aqua, quæ est sub cœlo, hoc est, vniuersa multitudo Gentium, quæ sunt sub cælo, congregentur in congregationem vnam vera fidei, Ecclesiæ, quomodo est congregata aqua, quæ est sub cœlis, multitudo, inquam, potestatum Angelicarum, in vnam Dei congrationem, in concordiam, in vnam gratam animorum consensionem, in hymnodiam vnam.* Quis autem extiterit congregator aquarum, collector congregationum, dilucidius proponit in subsequentibus: *qui prius ferebatur super hanc aquã, nunc autẽ in ea cohabitat, & coniungit omnes aquas gentium, quæ prius erant remota ac distãtes, in vnam Ecclesiã congregationẽ: & fient omnes vna aqua vitæ.* Sicut enim tot ac tanta fluminum diuerticula, & immensa aquarum diuortia impellens spiritus cogit, in vnam abyssi coagmentatã plenitudinem; sic diuinus ille spiritus, qui disgregata consociat, disparilia conglutinat, varias gentiũ nationes distractas ritibus, diuaricantes moribus, sicut è regione fluentes aquarũ tramites, & gurgites, in vnũ fidei consensum, & dilectionis glutinũ appositas reddit, & cohærentes.

Genes.

Aquarũ congregationes mirabiles in mundi exordio.

Lect. LXX.

Cur iubente Deo coëant aquæ in congregationem vnam apparent plures congregationes aquarũ.

S. Basil. D. Chrysost. Theod. D. Ambros.

Anast. Sin.

Plures congregationes aquarum in mari recensentur.

S. Anast.

Vniuersa multitudo Gentium in vnitatẽ vera fidei, & Ecclesia congregata.

Aqua super cælestis multitudo Angelorũ, in gratam consensionem, & hymnodiam vnam cõgregata.

Spiritus Domini congregat vniuersas gentium aquas.

3. Disquirit S. Bernardus, ad ea verba Ioãnis c. 16. *Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos.* Cur ex Iesu absentia, Sancti Spiritûs subsequatur præsentia; ipsoque Iesu in terris adhuc commorante, paraclitus quasi præpeditus detineatur, abundansque charismatum inhibeatur influxus? Sic refuga est columba à capite, in quo insedit, & complacuit; aut reformidat Spiritus descensum ad sodalitium, in quo ille conuiuit, ad Iesum, à quo ipse procedit? Sic auersari videtur carnem, quam calore diuino in Virginis aula ipse Spiritus compegit? Sic enim demiratur hanc Spiritus remoram, & tarditatem S. Bernardus serm. 3. de Ascensione Domini: *quid est quod Christo commorante in terris, Spiritus sanctus ad eos venire non potuit? An carnis illius consortium abhorrebat, quæ de ipso, & per ipsum in Virgine, & de Virgine matre cõcepta erat, & nata?* Vt in inuestigatione, & solutione huius arcani, mellilegium suggerat mellifluus Doctor, quamdam velut zelotypiam, & mirabilem adstruit inter diuinum Spiritum, & Christi carnem. *Ad hoc enim* (inquit) *carnem eius proposuit, vt omnem cogitatum eorum ab humanis rebus ad carnem suam, (quâ & mirabilia dicebat, & mirabilia faciebat) adunaret; & sic de carne transferret ad spiritum.* & statim: *sed illi sanctissimæ carni eius assuefacti, verbum de discessu eius audire non poterant, vt eos relinqueret pro quo omnia reliquissent.* Erat caro illa Christi æternæ vitæ proferens verba, inaudita ostentans miracula, quasi quoddam diuini amoris philtrum, quo Apostoli

D. Ioan.

Cur remoratur Spiritus sancti aduentus, Iesu in terris commorante.

S. Bernard.

Carnem suã proposuit Iesus vt discipulos carni sua vniens transferret ad spiritum.

stoli in Magistrum transformabantur, & velut aureâ catenâ deuincti tenebantur. Erant humanitatem illam admirantes, sacrum illud corpus cælestium operum officinam amantes: auebat Spiritus Dei, qui erat in Christo, reddere Apostolos volucres, & aligeros, vt auulsi, & translati à terrena substantia in ipso spiritu, & vita Dei primario figerent mentem. Nimia Deificæ carnis dilectio erat speciosum, & suaue retinaculum, ne volaturirent ad ipsius carnis principium, & fontem; ait ergo amor zelantissimus suæ dignitatis, nostræ incolumitatis, & prouectionis ad excellentius sanctimoniæ fastigium: tollatur de hoc mundo caro, vt amorem Spiritûs suspirent; remoueatur, & eleuetur ad superos carnis velamen, vt adire possit homo adyta, & audire spiritûs oraculum. dum adhuc rediuiuus contubernalis adstat in suo sodalitio Christus, sui alloquij suauitate pelliciuntur, eius amore inescantur oculi; sequestretur ab humanis obtutibus caro, vt pertingat ad agnitionem, & amorem diuini Spiritûs: *& sic de carne transferret ad spiritum.* Curabat ergo Spiritus Dei ad se colligere omnium sensus, & voluntates, vt illius vita viuerent, & amoris indissolubilis nexu vincirentur; remoliebatur ab hac purgatissimæ mentis copula, nimia vehementis affectionis propensio ad præsens bonũ, quod oculis subiacebat, ideo segregatur ab aspectu Apostolorũ, vt amore diuino, & à sancto Spiritu ad Deitatem purissimam congregentur.

Trãsit Christi corpus ad calũ vt discipuli in ipsa vita Dei & in ipso Spiritu, primario figerent mentem.

4. Cherubici ductores triumphalis quadrigæ apud Ezechielem cap.1. vbi erat impetus spiritûs, illuc præpeti volatu gradientes, supernam vocem de cælestibus tonantem obseruant, tanquam imperatricem, & ductricem; ipse verò Vates pennarum collisionem, & strepitum sese motitantium validè demiratur. ibi versu 24. *& audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei.* Tinniebant aures prophetæ ad dulcem, & fortem alarum concentum, qui ita increuerat acutis sonis, vt præseferre videretur vocem omnipotentis Dei. Nullus ambiget in hoc Cherubinorum schemate Apostolorum aciem prætendi; in omnem namque terram exiuit sonus eorum, quos amor Dei aligeros reddidit. Quis autem sit sonus Dei sublimis, argutè exponit Rupertus lib. 1. in Ezech. c. 15 *Vbi factus est* (inquit) *repentè de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritûs vehementis, repleuit totam domum, vbi erant sedentes Apostoli; illic ex tunc audiri cœpit sonus alarum animalium cælestium.* & statim: *sublimis Dei Spiritûs sancti.* Tunc intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, vt excitaret horrore mortis impendentis animos trepidantes, & quodam torpore marcidos, pennigeros redderet, & exultantes ad prælia Domini. quâ ergo ratione componat Ezechiel vocem sublimis Dei, & sonum aquarum multarum non erit cuiuis perspicuum; nisi reducat mentem ad animarum prouentus, quos Ecclesia illa primitiua suscepit post aduentum sancti Spiritûs, & Apostolorum præconium. Aquæ multæ populi multi sunt, ad Creatoris agnitionem confluentes, vt eleganter demonstrat S. Gregorius Magnus homil. 8. in Ezech. *Postquam diuinitatis eius prædicatio in mundo diffusa est; quanti iam paruuli, quanti grauiores, quanti fortes iuuenes, quanti imbecilles, quanta conuersa peccatrices, quanta anosæ Virgines, per fidem, per spem, per amorem ad cælestia euolant? Quis dicere, quis æstimare sufficiat?* Et statim: *Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quia ille virtutum sonus, qui in aurem Dei prius ex paucis sanctis factus est, postmodum ex aquis multis, id est ex innumerabilibus est populis multiplicatus.* Ad sonum sublimis Dei, & sancti Spiritûs de alto resonantis, turbatæ sunt aquę populorum, commotæ sunt ad fidei veritatem, aggregatæ sunt ad suum fontem, & Creatorem, & relictâ salsedine impietatis, & improbitatis, clementioris auræ susceperunt blandimentum, & vitæ dulcedinem: iam ad concentum suauem Spiritûs de cœlo concrepantis, albescentes vndarum cumuli alliciuntur suauiùs, exultant iucundiùs, abyssi iubilant, flumina plaudunt manibus; quia creatorem in primitiis fidei nationes recognoscunt. Sed quid est quod ad cantum, & modulos cælestis spiritûs, aquarum multarum resultatio, & cantilena subsecuta est? Nisi quod ad concentum cælestis alitis animus iubilat, amore diuino cor incalescit, & exæstuat, & velut gemebundæ peccatores columbæ, lacrymarum riuos per fontes oculorum fundunt: itaque dum sonus sublimis Dei auditur de supernis, sonus fluentium aquarum, quæ velut Margaritæ genas irrorant, in congregatis populis, & conuersis exaudiuntur.

Ezech. 1.

Sonus sublimis Dei ex pennis Cherubicis resultans, sonus erat aduenientis spiritus vehementis.

Rupert.

Greg. Mag.

Apostolicæ prædicationis fructus mirabiles.

5. Adhuc arridet sonus, & cantus vocis sublimis spiritûs Dei videturque cõsonus tono, & sono super Apostolos resultãti in die Pẽtecostes Actor. c. 2. *Factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritûs vehementis.* Profusum in domo Apostolica sonum declarat sapientissimus Salmeron in Acta: *Sonus hic vel suauis extitit ab Angelis in aëre effectus quemadmodum Ioannes Euangelista audiuit sonum citharœdorum, citharizantium in citharis suis.* Quasi quid martium, & bellicum intonaret hic quasi musicus sonus, quo Apostolicorum Heroûm animi exacuerentur ad pugnam; iam diuinus spiritus aduersus dæmonem, & mundum classicum canebat. Mos hic apud Ethnicos inualuit, & fortissimos duces, citharæ, fistulæ, rhythmorumque cantu prouocare milites ad pugnam. Plutarchus in lib. musicæ inquit. *Eorum animos molles, ac teneros ad modestiam, atque moderationẽ musicâ componi, & temperari oportere existimabãt; atque in primis ad bellicos terrores, ad quos alacriter ac fortiter capessendos, & sustinendos, alij vt Lacedemones tibijs canentibus, castorium appellatum modum, instructâ, ornatâque acie, cum hoste conserturi manus promouebantur.* idem de virtute Alexandri lib. 2. scribit: *Musicam honore prosequens, quæ vires faceret, quaq; instinctu lymphatico, impetuque impleret eos, qui in ea ritè educati essent, nã, & ipse,* (Alexander) *olim Antigenide tibicine, Harmation modum modulante, vsque adeò mente captus modulamenti incitatu exarsit, vt concussis armis proripiens sese, manus in adstantes intenderet. Testimonium Spartiatis prœbẽs, illud canere solitis: vrget enim in ferrum, scitè fidibus canere.* Musicus sonus robustum virilium cordium incitamentũ ad præclaras bellorum functiones; ex eo enim animus bellicos spiritus ebibit, furenti Martis afflatu correptus, in hostes irruit, postposito timore mortis; vt ergo discipuli ad arduũ prælii excitarẽtur, vt impauidi irruerent in cruciatus, cruces, ignes, gladios, concrepante cœlitus multiformi

Act.

Sonus sancti spiritûs super Apostolos diffusi, sicut citharœdorũ, & citharizantium.

Salmer.

Plutar.

Acies consertura cum hostibus manu cantu & musicâ incitabatur ad prælium.

Plutar.

Alexander Magnus modulamẽti incitatu quasi furore captus proripiebat se ad prælium.

tiformi modulo, & sono diuini Spiritûs;sacro illo,& cordato furore afflati redduntur, vt omnes diruant aduersantiũ munitiones. Quare Salmerõ luculenter expendens huius soni in die Pentecostes naturã, ait spiritale bellum portendere,ad ineundem,& conferendã cum infestis hostibus manum,induebantur discipuli virtute ex alto:*initiũ belli spiritualis fuit,fuitq; victoria,& lætitiæ symbolũ.* Iam enim epinició,& pœana diuinus spiritus cãtitabat, replens commilitonũ animos magnis spebus triumphorum.Cerne lector, quàm luculenter procedat modo Ezechielis eloquiũ, vocisq; diuinæ sonus cũ Actis Apostolicis cõsentiat,ibi enim de Sãctis animalibus dicitur:*cum ambularẽt,quasi sonus erat multitudinis,vt sonus castrorum.* Etenim iuxta modulamẽ variũ Spiritûs septiformis, procedunt ad præliũ,& concorditer pugnant.*Castra enim,*(ait S.Greg.Magnus hom.8.in Ezech.)*multitudines appellantur exercitus,cum in procinctu pergunt:castris ergo via est vita præsentis sæculi,omnibus concorditer tendentibus sanctis.* Quid resonaret ex cãtu illo cælesti nisi animorũ consensio,& cócordia voluntatũ,& quædam castrorũ æquabilis disciplina,& ex variis imperatorũ,& militũ phalangibus, & muneribus ; sicut ex disparilibus vocibus,& tonis cõpacta coitio,resultat suauis actionũ concẽtus:ideo enim supercæleste spiritus plectrum concrepauit de supernis,vt varias,& diffidentes nationũ voluntates in vnum coïre spiritũ, & consensum fidei,quasi suauẽ modulũ formaret.

Spiritûs sancti sonus spiritalis belli & victoriæ symbolum.

Greg. Mag.

6. Prædicta omnia confirmant portenta,de recondito penu immensæ eruditionis erũta Clem. Alexandrini,qui lib.6.stromat.scribit in hũc modum,*dicunt autem ij,qui conscripserunt historias,esse in Britannia insula quamdam speluncam monti subiectam , in fastigio autem hiatum : cùm autem ventus incidit in speluncam,& in sinu fossa alliditur,audiri vocem cymbalorum,quæ numerosè pulsantur.* Et de campo Persico à Magis dicato: *Tres montes in longo campo deinceps esse positos:eos autem,qui locum transmittunt,cum ad primum quidem montem peruenerint,audire vocem confusam veluti clamantium nõ paucorum millium hominum, perinde ac si essent in acie:ad medium autem cum venerint, maiorẽ simul, & euidentiorem strepitum apprehendere:tandem autẽ audire in fine canẽtes pæana,perinde ac qui vicissent.* Quæ autẽ fuerit tam vocalis strepitûs causã subiungit:*cuiusuis autem soni causa est,vt existimo, & locorum leuitas,& concauitas, reiectus itaque, qui est ingressus spiritus,in eundem locum procedẽs sonat vehementius.* Nec iam miraberis,lector,quid supernus Ales in altis reboãs,in sacris Apostolis velut in leuigatis montibus ex innocentia,& puritate, impellente vehementiùs spiritu, & reflante violentiùs quasi tinnitus in cymbalis benesonãtibus resultaret,qui omnẽ mundum peruaderet,& perueniret ad aures Regum, & tyrannorũ;factus est repentè sonus ingrediente in illud Sacrosanctum triclinium spiritu,appulsoque ad mõtes Dei sanctos concentus personuit castrorum,militum, & manuum irruentium ad pugnam,pœana canentiũ, reciprocisque tumultibus,& vocibus concrepantium Io triumphe. Nec mirũ si spiritus signaculũ triumphales ornaret dextras eorum , qui induebantur diuinã virtute ex alto;cum spiritũ Dei recipiunt triumphorũ omnium hauriunt auspiciũ. Prædicta omnia eo fine in medium producta à Clem.Alex.vt fiat patulum quod in die quinquagesimo datæ legis in monte Sinai, tubarũ ductilium ferebatur sonitus, qui absque vllis inspiraretur instrumentis. *Cum autem esset nubes*(inquit) *& mons altus,quo modo nõ poterat diuersus exaudiri sonitus,dum per operantem causam moueretur spiritus.*Hic autem spiritus perflans,reddensque sonitum,sicut & ignis montem ambiens Spiritũ sanctum innuebat,*denotabatur insuper*(ait Clemens) *veritas,quæ de cœlo venit desuper ad congregationem Ecclesiæ.*Iam enim Deus instituere parabat sacros cœtus,aut ex minis,& timore,aut ex amore conflatos. Ritè Hugo Cardinalis Actor.c.2. *Spiritus vehementis,*ait: *non tamen aliquem terruit, sicut in datione legis,vbi populus longè stabat,præ timore:hîc verò congregati erant ex amore.* Pulchrè Theophylactus , & Chrysostomus in Acta Apost. subscribunt:*Illud quoque animaduersione dignum,quod cũ in oratione , & precibus, & mutua charitate perseuerabãt discipuli,tunc Spiritus sanctus ipsis accesserit.* Denique non te prætereat Dauidis intẽtio, quam habuit in inueniendis modulis harmonicis, quã expressit S. Augustinus de Ciuit.Dei lib.17.c.14. *Erat autem Dauid vir in canticis eruditus,qui harmoniam musicam non vulgari voluptate,sed fidei voluntate dilexerat, eâque Deo suo,qui verus est Deus, mysticâ rei magnæ figuratione seruiens,& diuersorum nomine sonorum rationales moderatosque concentus concordi varietate compactam, bene ordinatæ ciuitatis insinuat vnitatem.* Sciebat enim diuinus Spiritus cantico , & musicã demulceri humanos animos, & allici suauiùs ad amorem ; ideo de cœli sedibus resonat sonus tanquam in castris, vt incitet ad prælium, tanquam in cœtibus pacificis, vt inuitet ad tranquillitatem stabilem ; ipse in bello, & pace præcentor , & ductor,occinit tanquam in composita, & perpolita lyra,ex diuersis ordinibus coalescente in hoc orbe,& tam dulcis resultat cantilena, vt acutos, altos, infimos , intensos, remissos disparilium nationum mores,& tonos ad mirificam,& suauissimam concinnitatẽ charitatis, nutu, & flatu, præeunte,& præsidente spiritu diuino,tanquã cælesti phonasco,reducat.

Clem Alex.

In Britannica specu , impellente spiritu audiuntur sonus cymbalorum numerose pulsatorum.

In campi Persici tribus montibus vox resonat pugnantium,& post victoriã pæana canentium.

Mirabilis sonus resultat ex impulsu vehementiori spiritus.

In monte Sinai cum lex promulgaretur sonitus audiebatur ex motione spiritus.

Veritas notabatur,quæ de cælo venit ad congregationem Ecclesiæ.

Hug.Card.

Sonus in datione legis homines deterrebat , à monte separabat;in aduentu spiritûs sancti per amorem conciliabat.

D.August.

Musicus concentus à Dauide inuentus ad animorum concordiam & sodalitatis vnitatem.

7. Prodeat rursus in medium S.Anastasius Sinaita,lumẽque sapientiæ suę inter tenebras abyssi primitias, & obscurum aquarum elementum, dilucidiùs emergat, iubarisque candore affulgeat mentibus iucundã,& argutã commentatione:lib. 3.in Exameron reducit ad calculũ ea verba Genes.c.1.iuxta c.1.iuxta Lxx. lectionẽ,*congregetur aqua,quæ sub cælo est,in vnam congregationem:*Censetque,superno, & mystico afflatu Moysen verba protulisse, nõ solùm vt commemoret seriem rerũ creatarum, sed sub earum vmbra delitescentium ordinem mysteriorum : animo conuolat ad statũ orbis,cum Christus Euangelicam Ecclesiam condit atque , tunc temporis conflatas extitisse in aquis nationum congregationes criminum;cœtus impietatis,factiones lasciuientium, *Alia* (inquit) *erat Synagoga seu congregatio Apollinis,Synagoga Saturni,Synagoga Ammonis,& alia Serapidis,Synagoga Mercurij, Synagoga Pythiæ,& Dianæ.* His adiungit Synagogam iudaicam,& hæreticorum conciliabulum;*propter has ergo impias Synagogas,& cõgregationes,& quæ in eis sunt populorum, & Gentium execrãdas disciplinas,& doctrinas Deus iubet magnã voce dicens : congregetur aqua quæ sub cœlo est in vnam fidei cõgregationem.*Proponit postmodum mysticarum aquarum obsequium , sicut enim in mundi Genesi aquæ fluxæ ad imperium Domini cursu concitato , & præcipiti impetu, metu ac tremore correptæ, se inuicem accumulantes,& stipantes albescentibus cumulis,& verticibus

S.Anast.

Genes. Lect.Lxx.

Deorũ varietas & eorum multiformes Synagogæ ante spiritûs Sancti aduẽtum.

Iubet Deus in mũdi exordio, vt cõgregẽtur populi gentium in vnam fidei congregatiõnem.

ticibus vndarum, currebant, confluebant, vt in vnam congregationem Maris coïrent: *Boreales* (inquit) *Australes, Occidentales, Orientales orbis terrarũ vnda & fluenta, se inuicem præuenĩetes, & in fluctus assurgẽtes, tanquã ab aliquo violẽto, & diuino spiritu, & qui super ipsas ferebatur, acta & impulsa, vt vna congregatio, & mare essent omnes aqua terra.*

Anast.Syn.

Aquarũ gurgites à Diuino spiritu in vnum mare coiuat.

8. *Ita licet videre omnes gentes, & maximè illo die Pentecostes, ab illa voce violenta, quæ facta est spiritûs, qui nunc etiam fertur supra gentilem fidelem aquam, quæ congregata est in vnam fidei congregationem, & vnita in vnam Ecclesiæ congregationẽ concurrentes. Vide enim non solùm rebus, sed etiam ipsis verbis consonantem, & conuenientem vnionem illarum aquarum, & harum Gentilium aquarum. Spiritus, qui ferebatur super aquam, tunc ipse spirans, eas coëgit, & vniuit in vnam congregationem; & hic ipse Spiritus adueniens, & spirans fecit Gentium vnionem: illic scriptum est, Spiritus insedit: & hic scriptum est, sedit super vnumquemque ipsorum Spiritus. In illo primo die ignem Deus fecit, & in eodem primo die Dominico in aquis igneu aduenit lumen Spiritûs sancti. Illic scriptum est: tertio die congregata est aqua; hic congregata ex omni gente, quæ est sub cælo, vnanimiter omnes aquæ gentiles, Parthi, & Medi, & Elamitæ.* Quid illustrius, aut ad præsentem scopum collimandum, & ornandum aptius.


Aquæ Gentium à voce violenta cælestis spiritus in fidei vnitatem conspirant.



Splendor ignis flammantis per noctem: super omnem gloriam protectio.

Discvrsvs V.

Si te vexauerit tentatio, & ærumna, Spiritum sanctum habes aduocatum, qui pondus tentationis alleuiet, præbeat in agone commilitium, & triumphum.

1. Abemvs pugnacem spiritum, & certatorem, qui hostilium copiarũ insanos impetus retundit, & agonizantibus pro salute animæ inuictum præbet commilitium, & præsidium, ipse hominem congressurum cum callidi hostis manu instruit tegminibus spiritalium armorum, ducatum præbet; in foueam, in scamma producit, & in ipso certamine Epistates est. Spiritus sancti aduẽtum, & militarem eruditionem vaticinatus est Isai. c.59.v.19. *Cùm venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit.* Quem locũ de Spiritu sãcto accipiunt Patres obiter, sufficiat vnius Hieronymi auctoritas pro mille, in cõmentario Isaiæ scribẽtis, *Si scire volumus, quomodo Spiritus sanctus fluuius violentus sit, acta Apostolorum relegamus, vbi factus est subitò de cælo sonus, quasi spiritus violentus.* Oppugnaturus trini hostis tyrannidẽ, venit quasi fluuius: cũ militari magisterio vrbes orbis duces expugnant, deriuare solẽt flumina operosâ aggerum mole, vt præcipiti tramite defluentia, domos, & incolas inundent, & stagnantes aquæ demersionem inuehant, & ruinam. Venit ergo spiritus quasi fluuius, vt noxium ignem, & calorem, qui vitalia cordium humanorum depascit, extinguat. Et ritè: *quasi fluuius violentus*, vt exundantes gurgites maris purgationem peccatorum faciant, lustrent, & expient mortales animos; & quidquid terrenæ sordis, & vitiosæ fæcis adhæserat, diluant limpidissimo torrente. Aliter, hunc locum dispungit Theodotio legens: *quasi fluuius oppugnans.* Vt propositam mentem indicet, & in spiritu ipso decertatoris ingenium. Pulchrè Varablus versionem effert: *Spiritus Domini vexillum excitabit contra eos.* Habes spiritum strenuum pugilem, vexilliferum, ad arma commilitones suos conuocãtem, classicum canentem aduersus hostes: iuxta Sanctum Hieronymum Aquila legit: *quasi flumen angustum spiritus Domini signaculum eius.* Signat enim spiritus in fronte milites suos cum veternoso serpente colluctaturos, imprimit in fronte Crucis signaculum, symbolum, & pretiosam tesseram Christianorum, quæ ipsos ab impiis discernat, & velut splendore micantis, & fulgurantis gladij hostes territet, & vertat in fugã: nec signatura, & character discordat à Pauli Apostoli doctrina: ait enim in Epist. ad Ephes. c.1.v.13. *in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* quẽ locum fulgoribus faciei Mosaicæ confirmat, & illustrat Sãctus Athanasius lib. de Incarnat. Christi dicens: *Moyses faciem signatam impressamque habebat spiritu sancto, quum accepit legem à Deo, & nemo in eius faciem poterat oculos suos intendere, expressum enim erat in eum lumen vultûs Domini.* Magnos, & mirificos prouentus hausit Moyses ex illo cum Domino congressu, & familiari alloquio, quòd ad eius animum cælestia Spiritûs deriuarentur lumina, ad caput resultarent, & prodirent sacrati fulgores, & supra frontem micarent; signaculum suum Deus, & caracterem spiritus in arce corporis impresserat, tanquam fulgurantes radios, qui Mosaïcum vultum redderent venerandum amicis, & hostibus formidabilem; erumpebat splendor in speciem cornu, seu regiæ potestatis, quo inimicos ventilaret, omnia immutaret elementa, & prodigiosa patraret facinora: itaque frons illa serena, tristitiæ, & acoris nebulis inaccessa, mundanis omnibus certior, quæ continuò ad cœlestia prospectanda; & contemplanda exporrigebatur, cœlorum superciliis augustior, ornatur signo Spiritûs corusco, & Dominici vultûs luminari magno ad clementiam, ad custodiam, ad tutamentum, ad triumphum, vt hoc ostenso redderetur aduersis inuictus, aduersariis terrificus, & formidandus.

Isai. *Spiritus sancti aduentus quasi fluuius & aër violẽtus.* D Hieron. Theodot. *Quasi fluuius oppugnans, & vexillum excitãs spiritus.* Vatab. S. Hier. Aquila. *Flumen angustum, & spiritus Domini signaculum cruciforme.* S. Paul. S. Athan. *Moyses habuit faciem spiritu sancto signatam, cum legem accepit, ideo Iudæi non poterant in vultum eius intendere.*

7. Cùm legis apud Matthæum cap.4. v.1. *Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo*, & apud Marcum cap.1. v.12. *spiritus expulit eum in desertum.* Apud Lucam cap.4.v.1. *agebatur à spiritu in desertum.* Facilè discernes cælestium cõtemplator sermonum, quàm diuersis, & oppositis documentis erudiat terrestrem Adamum, & cælestem Dei spiritus: illum æqualitate naturæ extraneum, blandimento verborum, & amplexu paterno confouens collocat in loco deliciarum, vnde exulabat aduersitas, vbi omnia commoda & beatitate plenissima exuberabant; hunc verò, à quo esse, viuere, & dulcedinem amoris habet, durè tractat ad locum dumetis, spinis, saxis horridum, naturæ commodis vacuum, squalentem horrentemque eremum proiicit; opus peregrinũ erga Iesum ostentat, cum eum expulit in desertũ, velut à se proiiciens, vt probet, & laboribus induratum

D. Mat. S. Marc. S. Lucas. *Diuersa eruditio data ab Spiritu sancto, Adamo terrestri, & cælesti.*

induratum approbet suum esse principium, & æterni Patris Filium; at felicior Iesu extitit locus horroris, & vastæ solitudinis inamæna solitudo, quàm Adamo locus voluptatis, & deliciosum topiarium. Per aduersa ducitur homo ad pascua cœlestia, qui per prospera deuiauerat; firmiùs stabilitur in Domino per repulsam, qui per blãditias à lacertis Domini sese excusserat ad lapsum. Bona reiectionis seueritas, quæ à repellente non segregat sequestratum, sed solidius firmat; quare serpens transgressionis exordium nactus est inter paradisiacos flores, & amœna vi-rentia, quod inuenire non potuit inter horridos tribulos deserti. Hic spiris coluber inuolutus agnoscitur, conculcatur, & vincitur; ibi inter fortunata beatæ vitæ commoda latitans nõ discernitur sibilans, nec dirimitur virulenta suggestio. Pulchrè Rup. Abb. lib. 1. de operibus Spiritus S. cap. 19. ait: *Etenim hoc maximè ex aduersis respondet, quod ad illum terrenum hominem, Diabolus in serpente dimissus est; super istum cœlestem hic Spiritus S. in specie columbæ emissus est. Vnde & ille per illum serpẽtem in tentationem incidit; iste per columbam, id est, per istum spiritum pietatis tentatorem vicit.* Non legimus Adamũ præuium spiritũ habuisse ductorẽ, qui in certaminis discrimine eriperet à transgressionis lapsu. Habuit serpentẽ suasorium, & callidũ, qui alloquio demulceret, & pelliceret ad ruinam; in IESV tamen spiritus in specie columbæ dilabitur, in congressu cum cacodæmone adest, alis suis protegit cœlestem Pancratiasten, & primitiuum Ecclesiæ præliatorem, Satanæ triumphatorem; vt in agone virtutis decertantibus exhiberet pulcherrimam formã victoriæ. Itaque in IESV non extitit inhonora Spiritus S. repulsa, quæ stabilimentum præbuit collapsæ in Adamo hominis naturæ. Cum flatu suo Iesum expulit ad eremũ, aurâ suâ luctatorẽ refouit, & flabro vitalis halitus, & spiramẽti cœlestis reddidit insuperabilẽ; passionũ amaritudinem euacuauit, & dulcescere fecit, tẽperaturâ suauitatis, & solatij omnia aduersa mundi.

Adamus in amœna paradisi deliciarum intercidit; Christus à Spiritu in desertum expulsus.

Rupert. *Adamus per serpentem in tentationem incidit; Christus per columbam tentatorem vicit.*

3. Expertus est idẽ Rup. Abb. Spiritus S. inuictum robur aduersus inaspectabilium hostium acies. Describit suum cum dæmonibus conflictum, & spiritus præliantis, & adiuuãtis triumphum. lib. 12. in Matt. cap. 16. *Iacebam (inquit) non valde sopitus, multorumque spirituum horribilium, & facie crudelium quasi castra contra me consistebant. Ego vt aliquoties eatenus nomen Spiritus sancti, per somnum quoque, horrore aliquo ingruente, proferre solitus erã, nihil aliud contra eos dicere dignatus, hoc solum nomen teterrimis eorum vultibus obieci; Spiritus sanctus. Ipsum testor, quasi magno turbine retroacti penè resupinabãtur, non ferẽtes virtutem nominis.* Postea subiungit diuini spiritus multiplicatas suppetias aduersus spiritus improbos, seque instar pupi, qui è sacro fonte à patrono suscipitur, tutelarẽ diuũ Spiritum S. habuisse, sub alarũ suarũ occultasse velamento, suo circũuallasse lumine, vt aduersantium, & insectantiũ hostiũ oculos perstringeret, conatus impios disturbaret, omnia machinamenta irrideret. Est enim amicis suis supernum Pneuma securum tutamentum, & firmissimum præsidium.

Rupert. *Spiritus sancti inuocatione inferorum larum turmatim irruentes Rupertus Abbas à se propellit.*

4. Percunctatur Isaias cap. 63. quæ potestas (populo mare rubrum transuadere optante) immensos fluctus coëgit in cumulum, & vndas in semetipsas repressas curuauit, vt soliditatẽ reciperet liquor, & solum maris aresceret in pulverem, cognatis spoliaretur aquis, vt pedestris turba per profundum siccâ plantâ, pòst marmora premeret: ibi v. 12. *Qui scidit aquas ante eos, vt faceret sibi nomen sempiternum, qui eduxit eos per abyssos?* Et v. 14. respondet: *Spiritus Domini ductor eius fuit.* LXX. legunt: *Descendens spiritus à Domino.* Et S. Athanas. lib. 2. de propriis personis initio, hunc locum recensens, ait: *Vides ergo esse hunc Dominicum Spiritum S. qui eduxit filios Israel de terra Ægypti.* Habuerunt Spiritum sanctum itineris ductorem, ponti bifidatorem, patronum in fluentibus, tutorem in aduersis, præsidium in periculis, tyrannicæ Pharaonis potestatis triumphatorem. Hostes, Spiritus sancti annutu, aquis demerguntur, & descẽdunt in profundum quasi lapsis, dum amicus populus è mediis fluctibus purior ascendit, & quasi cœlestis Ales renouatus emergit, vt profusâ cantilenâ celebret victricem spiritus Domini dextram. Alludit haud dubio diuinus Vates ad nubem ductricem, & protectionem, eámque spiritum Domini nuncupat, cuius est manus in torrido tentationis æstu inumbrare, & opacam auxiliaris gratiæ concamerationem exhibere tribulatis, & à periculis impendentibus, aut iam instantibus eripere. Locum illustrat, & propositũ theorema verbis suis S. Greg. Nyss. lib. de vita Moysi: *Cùm vndique circumdatus inimici viribus sit, tunc necessariò (non enim datur alius exitus) mare diuinitus ita scinditur, vt per illud ambulare possit, ad quod nubes (id enim duci nomen) ductu suo deducit, quâ quidem nube, Spiritus sancti gratiam multi etiam ante nos significari rectè asseuerarunt. à spiritu enim ad bonum reducimur, spiritum, qui sequimur, aquam pertransimus. Spiritus iter ad se per aquam præparat, spiritu libertas confirmatur, spiritu, is, qui nos in seruitutem trahere conatur, aquâ conteritur.* Postea passionum nostrarum, & hostium nos continuo vexantium acies in Ægyptiorum curribus, armatis equitibus ac peditibus adumbratas præclarè demonstrat: *Quæ omnia cum duce suo præcedente virgâ fidei, ac potestate illuminantis, ducentisque nebulæ, Spiritus videlicet sancti, fidelibus quidem, qui ad eam refugiunt, vitam præstat, persecutoribus autem mortem infert.* Præclara munia, & munimenta, quæ clientibus suis solet exhibere Diuinus Spiritus, sententiis suis delineat Nyssenus. Cum hostis vrget hominem aduersis, vias omnes effugij, & libertatis occludit, quasi in amœniori tellure currentum, & non impingentem equum prosperè dirigit ad metam, & brauium, omnia aspera, & prærupta complanans; cùm enim tumentes æquoris fluctus, & gurgites salsæ aduersitatis, & asperi dæmonis incursus ingruunt, dispersionem patitur à spiritu operatam liquidum, & fluidum elementum, redditurque stabile, & stupidũ, religiosè ambiens, & admirans vexatum, fluctibus interclusum, & liberum, quasi crystallinâ thecâ custoditum reuerenter. Quid mirum si à spiritu in nube thronum constituente illuminetur fulgoribus, semitam pacatam nanciscatur in abysso. Paracletus enim ad se auocat, & allectat tentatum, vt per fluctus salebrosos, recurrat ad columbæ velamentum inoffensum, & securum; vt dum ipse sub culmine placidissimo sabbathizat, hostes intercepti turbinibus moriantur, & pereant: est enim spiritus supernus amicis præsidium, & decus placidissimum, vita, libertas; inimicis mors, dedecus, & exitium. Colludit Nyssæ Episcopi verbis Eusebius

Isai. *Quæ potestate diuisa, & in muros solidata rubri maris vnda?*

Hoc facinus Spiritus sancti opus esse. Lect. LXX. D. Athan.

D. Gre. Nyss.

Spiritus Domini iter ad se per aquas præparat. Qui spiritum sequitur, aduersum aquã securus pertransit, & hostem conterit.

Spiritus Domini ad se refugientes vitã præstat, persecutoribus mortem infert.

Digitized by Google

Euseb. Emis. Christum, & Spiritum sanctum in columna nube dustabant Hebræos. Iudæi dum Moysi obediunt, Dei habuere comitatum, lux præcessit, fluctus expanit.

Eusebius Emissenus Antistes, cum hom.3. de Pascha scribit: *Dux quidem eis erat beatus Moyses, sed eos in columna lucis, & nubis, filius, & Spiritus sanctus præcedebat. Ergo filij Israël ad libertatis, & quietis, & regni sedem per difficiles ituri vias, dum Moysi ducis, & Sacerdotis sui non reluctantur imperio, Dei meruere comitatum. Nec immeritò eos hostis non attigit, lux præcessit, fluctus expanit.* Liquet in his quantum nostris commodis militet diuina virtus, iis, qui hominis nutui fideliter in rebus etiam arduis obtemperant, præbet nō solùm ducatum, sed tutamentum; dum non recedunt à Prælati sui eruditione, & arbitrio, habent lateribus suis cohærentes socios, filium, & Spiritum sanctum, qui à dextris, & à sinistris alumnos non reluctantes, sed obtemperantes cingunt; cum per medios fluctus animosi viam insolitam aggrediuntur, omnem protectionis cœlestis paraturam experiuntur; superna, inferna, elementa omnia obtemperantibus obsecundant, vt famulentur clientibus signatis charactere fidelis obsequij: ad conspectum populi obedientiæ loris conspicui, fluctus frœnantur assurgentes in cumulum, dum diuino, & humano cohærent nutui, propriæ voluntatis, & appetentiæ cursui reluctantes; Maria diuiduntur, & vndarum peregrina, & inaudita diuortia, solidam, & securam præbent semitam. Attamen quem hostem pertimescent filij Dei, & sancti Spiritus cincti, & ornati satellitio? Nonne irridebunt falcatos currus cataphractos equites, & innumeram militum copiam tali præsidio communiti, quod hostibus reddat inaccessos, & ad eorum conspectum imperturbatos, & eos salubre flabrum spiritus, & aura pacatissimè refoueat.

Cur Petrus ambulans super mare, in primò mergitur ambulacro, in secundo verò non mergitur? S. Matth. S. Ioan. Rupert.

5. Placet hoc in loco prospectare solertiùs geminum Petri inambulacrum super aquas maris. Primum recenset Matth. c.14. in quo Petrus immergitur, nec soliditatem in fluctuū voluminibus experitur. ibi. v.30. *Et cum cœpisset mergi.* Secundum recensetur Ioan. c.21. v.7. *Tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mari.* Nec periclitatus describitur in incessu super vndas. Huius ratio discriminis annotatur à Rup. lib.6. de operibus Spiritus S. lib.1. de fortit. c.7. in primo aquarum ingressu deuorationem minātium, in quibus non stabilitatem, sed voraginem nanciscitur; Petri timiditatem adumbratam existimat ad mulierculæ vocem titubantis, in trinæ negationis nimbum prolabentis; in altero verò gratia spiritus confirmata esse lubrica vestigia; in vno labilis naturæ infirmitas, in altero protectricis gratiæ firmamentū adstruitur; ibi ad præsumptionis humanæ pondus in mare dilabitur, quod aperto ore inhiat deuorare, & sepelire de viribus suis præsumentē. Hîc proprij capitis periculo edoctum, humilitate aligerum vnda subleuat, præbens plantis inconcussum pauimentum; cū quibus cōmentationibus cōgruunt verba præceptoris, Apostolorū coryphæum obiurgantis, actionum Petri arcana diuulgantis. Ioan. c.21. v.18. *Amen amen dico tibi: cum esses iunior cingebas te, & ambulabas, vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & & ducet, quò tu non vis.* Audiendus. Rupertus verborum Christi argutus, & perspicuus interpres: *Igitur quæ in mari præfigurata fuerant, eadem veritas ore proprio confirmabat, quod scilicet Petrus, qui de sua virtute præsumens, quodammodo semetipsū cinxerat, dicendo animam meam pono pro te, & statim negando, totus penè submersus est; idem alio cingente, id est, Spiritu S. mentem eius confirmante, cunctarum tribulationum aquas omnes superaturus esset.* Cernis quantum noceat hominis nobilioris ingenio propria voluntas, etiā in magnanimorū ausuū promissis; omnem virtutem animi labefactat, & primarij viri decus infuscat, robustiorem virtutē arrodit, reddit frigilem, & lubricam; bonus balteus, quo miles accingitur ad præliū passionum, vt sic imperatori suo militans, si necesse fuerit, paratus sit mori; sed arrogantiā cingulum dissoluit, & strenuissimā armorum paraturā diruit. Animi elatio in rebus diuinis aggrediendis galeam, & cristam fidei exuit, & abiicere clypeū in prælio cogit militem robustiorem. Petrus dū nimium sibi confidens se accingit, discingitur, & denudatus gratiæ tegmine, maiora subit discrimina. Expectabatur aliena, & firmior manus diuini spiritus, quæ Apostolorum apicem, & sacrorum pugilum antesignanum accingeret ad cruciatus tolerantiā, eâque sic stabilitus, & confirmatus est, vt super sacrum Crucis lignum non dubitaret innatare proprij sanguinis rubro mari, habebat enim trabeam S. Spiritus cœlesti robore ex alto inductem, in gratia confirmantem, ad portum cœlestis patriæ dirigentem, vt imperturbatus calcaret omnes fluctus passionum. Felix Petrus, qui talem agonothetam promeruit, & præfectum spiritualium armorum, qui ad omne luctamen hostile, pectus instrueret, & muniret cingulo fortitudinis, & indissolubili gratiæ nexu.

In primo Petri timor adumbratur ad vocē ancillæ titubātis.

In secundo ex humilitate aliger redditur.

Petrus cum à Spiritu S. cingitur, & confirmatur, omnium tribulationū aquas superat.

Indurata consuetudo peccandi cū syrtibus, & sirenis in littore commorantibus cōparatur.

6. Mūdi illecebras, & noxias voluptates peccatorū voragines, & præsertim cōsuetudinē peccādi, quæ multiplicato recidiuo, & multorū annorū obducto callo obduruit; comparat Clem. Alexand. in exhortat. ad Gent. cum syrtibus, scopulosis ponti dorsis, & breuibus, quæ solent esse insidiosa, & exitiosa nauigantibus; cumq; Sirenis in littore commorantibus, præsentissimo hominum naufragio, & tumulo famosis, vbi cātus vinculum, & mellitæ vocis dulcedo incautos decipit, & perimit miserabili exitio; quæ omnia vt solerter deuites in hoc seculi salo, & vitiorū decumanis fluctibus profundo, auscultandus est exhortatorius Clem. serm. *Fugiamus ergo consuetudinē, fugiamus tanquā scopulū difficilē, aut charybdis minas, aut fabulosas Sirenes. Suffocat hominē, à veritate auertit, abducit à vita. Est laqueus, est barathrum, est malū ventilabrū consuetudo. Fugiamus, fugiamus ô socij. Hac vnda ignē eructat, mala est insula accumulata ossibus, & cadaueribus. In ea autem canit formosa meretricula voluptas, quæ publicâ oblectet musicâ.* Et statim animū periclitāriū instruit salubri documento, vt subterfugere possit impēdentia discrimina, decipulā euadere illecebrosæ voluptatis, & noxiæ cātilenæ, quæ mortaliū vulgus incantat, & infatuat, hæc subiungens: *Sine eā possidere cadauera; fert tibi opem diuinus spiritus, si solùm velis, vicisti interitum, & ligno alligatus, eris solutus ab omni exitio. Gubernabit te verbum Dei, & ad portum cœlorum te adducet Spiritus S.* Tali gubernatore, patrono diuini verbi ductore, & directore cœlesti spiritu quid formidet homo? cerne, quàm facilis via, & cōpendiosa eruditio ostēditur à Clem. *Si solùm velis, vicisti interitum.* Non est carni operosus triumphus, totū negotiū vincendi est tibi in manibus: si velis, nec suauitate deceptus scopulos incurres quinimmò tantam patieris prætcrire dulcedinem; meliorem nexum,

Clem. Alex. Sirenarum crudelitas.

Earum insula occupata cadauerum aggeribus.

Formosa meretricula voluptas musica oblectat.

Clem. Alex. Vt sirenas fugias fert opem diuinus spiritus, ab exitio liberās ad cœli portū deducens. Facilis via vincendi, si velis vincere.


nexum, & firmiorem in ligno Crucis habes, quàm Ithacus, aut Vlysses in nauis malo, vt pericula dulcissonæ vocis vinctus euadas. Blando amoris susurro diuinus spiritus obstruet auditũ contra noxiam dulcedinem, tinnituque blandiloquo suauissimi spiraminis reddet patulas aures ad loquelam suam, indet felicissimam surditatem ad Sirenarum plectrum, & melos, & despecto vitiorum lubrico oblectamento, alis suis obumbrabit supercœlestis columba, viridique fronde oleæ diuinæ clementiæ ornabit victoris caput, & ad portum cœlorum protelabit.



Vmbraculum ab æstu.

DISCVRSVS VI.

Cùm passionum æstus, ignitos, & noxios radios in animum exufflat, Spiritus Sanctus prætendit vmbraculum, & suauiter refrigerans lenimentum; vt corpus quodammodo fiat spiritale, & caro iuxta qualitatem, & legem spiritus viuere assuescat.

1. ROPOSITVM theorema præseferunt verba Magni Gregorij Nazianzeni mysteria recondita columnæ ignis in propatulo cõstituentis, & corusco sapientiæ fulgore ornantis orat. 42. *Hoc si feceris,* (inquit, *atque ita ex Ægypto excesseris, ignis, mihi crede, ac nubis columna tibi die ac nocte iter præmonstrabit, desertum mitigabitur, mare tibi scindetur, Pharao demergetur.* Mentem autem Gregorij Theologi in prædictis sententiis delitescentem optimè percalluit Nicetas in Nazianz. commentario scribẽs: *Columna igitur nubis, vt Paulo quoque placet, Spiritus sanctus est, qui homines in turbidis animi motibus comprimendis laborantes, inumbrat, ac refrigerat, & Solis in malam partem accepti, æstum atque ardorem, à nobis arcet.* Egregium diuini spiritus facinus in columna nubis exprimitur operatum nobiliori miraculo. Illa enim nubes inumbrabat viatores, & arcebat Solis materialis incendia, vt Sol per diem non vreret, neque Luna per noctem, materiale terrenis præbebat vmbraculum; at nubes spiritûs spiritale tegmen exhibet fidelibus, vt dulci gratiæ refrigerio, & frigidâ temperiæ moderetur noxium corporis ardorem, temperans æstus passionum, & tepido cœlestis auræ flabro extinguat flammas vitiorum; cùm cernit aut vexatos ærumnis, laborantes in comprimendis motibus animi, & petulcæ carnis insultibus coërcendis agonizantes, alarum suarum, & protegentis auxilij velamento inumbrat, & & rorulentâ dulcissimi refrigerij aspergine refrigerat, & refouet.

Greg. Naz.

Nicet.

Nubis colũna Spiritus sanctus qui laborantes in cõprimendis affectibus inumbrat.

2. Decantat Oseas triumphum Christi de morte, & Tartaro reportatum; posteà vaticinium suum diffundit ad spiritus gratiam super fideles suos aduentantis. c. 13. v. 15. *Adducet ventum vrentem Dominus de deserto ascendentem, & siccabit venas eius, & desolabit fontem eius.* Similia sunt Ezechielis verba in eodem sensu Sacramẽti cœlestis copulata. c. 19. v. 12. *Ventus vrens siccauit fructum eius, marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ roboris eius: ignis comedit eam.* Quæ flamma, & igneus flatus sit iste desiccator fontium, deuorator viridis frondis, & speciosi germinis: Expendit Rupert. lib. 6. in Oseam: *Ventum vrentẽ in hoc loco Spiritum sanctum dicit.* Et statim: *Hoc fieri non desinit per ventum de deserto ascendentem. Ventum vrentem, id est, carnis petulantiam, & humores vitiorum suo calore desiccantem.* Sicut enim clauus clauo expellitur, ita etiam ardore diuino calor noxius extinguitur: Sciebat enim vates carnis illecebram totius criminis, & corruptelæ fontem esse, ideò noxij humoris redundantiam quasi vitiorum profluuium æstuante flatu diuini spiritus inhibendum, & arescendum promittit. Quid simile operatus est morte suâ Christus vexillo Crucis erecto in loco, vbi Adami cranium tumulatũ iacebat, vt cœlestis medicus applicaret antidotũ sanguinis, & medelã primæuo fonti humanæ naturæ, vbi Diabolus infuderat virulentã criminis escam. Arguté Theophyl. in c. 19. Ioan. ait: *Caluariæ locũ dicebant sicut narratio prodit quod illic sepultus sit Adã, vt, vbi principiũ mortis, illic & casus eius fieret.* Et statim: *Vnde & Dominus, vbi fons mortis, illic moritur, vt illum siccet.* Christus in primordiali exordio humanæ naturę nimirũ protoplasto exiccauit mortẽ; Spiritus autem Sanctus arefecit venas mortis, appetentiã carnis, & voluptatis illecebram modificans. Nec immeritò Spiritum S. Oseas nũcupat ventum vrentẽ, seu subsolanum, hic enim in vigore æstatis perflat post caniculæ exortũ, & etesiis flaminibus omne germẽ telluris exurit, succosam, & irriguã glebam reddit arentem, & squalidam, fontiũ scatebras inhibet exhausto terræ succo, & humore. Sic ventus vrens, & flatus spiritus superni lasciuientẽ carnem frenat, & profluuium passionũ coërcet, aut exiccat, ne præcipiti, & lutulento profluente inuoluatur animus: sedat potentiori igne mẽbra depascentem noxium ardorem, vt temperaturã cœlesti animus reddatur à crimine innoxius, desideriis non vratur.

Oseas.

Ventus vrens apud Oseam Spiritus sanctus est.

Ezech.

Rupert.

Ventus vrens dicitur, quia carnis petulantiam, & humores vitiorum suo calore desiccat.

Theoph.

In caluariæ loco Christus crucifixus, moritur, vt fontem mortis siccet.

3. In pugna populi cum Amalec totum pondus prælij ad Moysi deprecationem deuoluitur, in ponderosis, aut aligeris in oratione manibus signa prætendũtur, vt discas, aut populũ esse victũ, aut victorẽ. Exod. c. 17. v. 11. *Cùmque leuaret Moyses manus, vincebat Israel, sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Habes formã victoriæ in spiritali certamine, cũ arma sumit aduersus animũ hostis nocentior: carnis enim rebellium, & molestã pugnã præseferebat belligerans Amalec vel Greg. Magn. teste, qui lib. 5. in 1. Reg. c. 12. scribit: *Inter labores spirituales contra stimulos carnis fortes sumus, sed quasi fessi à soluta conuersationis rigore torpescimus, vel mollescimus; dũ paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt, qui quasi depositis Moysi manibus Israëlem vincunt.* Si insurgunt Amalecitæ, corporisque motus fortitudinem cordis quatiunt, & labefactare tentant firmissimum animi propositum custodiendæ puritatis: ascendat tuus animus tanquam Moyses in superiorem mentis arcem, & speculam exploraturus hostis thecnas, rhomphæa precum bis acutã dimicaturus, & deprecationis intensione tanquam splendenti iaculo, & acuto transfodiat hostes; si enim corruptibile corpus aggrauat animum, & grauedine passionum ad ima prouat, excitandus est sanctarum precum subsidio, stabiliendus orationis fulcro, vt diuinarũ contem

In bello Moysi contra Amalec pugna carnis, & spiritus significata.

Exod.

D. Greg. Magn.

Cum oratio feruens offertur, contra carnẽ fortis est animus; cũ torpescit, aculei carnis insurgunt.

contemplationum pennis per altum volitet, nec sinat passionum appetentiam ad infima, & terrena proruere. Quia tamen natura fragilis, nec in eodem tenore deuotionis semper consistens, remissione quâdã, & tepore lãguescit, deorsumque suopte pondere fertur; torpescente virtutis vigore, redintegratur, & augetur pugna hostis validiori virtute insurgentis; ne despõdeas animo: Aaron, & Hur suggerent auxiliares copias, eorumq; manus firmissimæ, erunt tibi pro amico, & inconcusso fulcro. ibi. v. 12 *Aaron autem, & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte.* Aaron montẽ denotat, Hur *ignem* significat. Habes montem, & ignem stabilimenta firmissima, quæ infirmitatem tuam suffulciant. Audiendus est S. Greg. Magn. hom. 33. in Euang. *Aaron mons fortitudinis, Hur ignis interpretatur. quem itaque mons iste fortitudinis significat, nisi redemptorem nostrum aut quis per ignem nisi Spiritus Sanctus figuratur, de quo idem Redemptor dicit: ignem veni mittere in terram.* Habes in prælio munimenta firmissima, in tentatione, & impetu hostis fulcimenta cælestia, ne labaris; montem, cui innitaris, & fũdes spem victoriæ, cui securus incumbas, super quem ascendas, vt extricatus terrenis, cæli alta contingas. Habes ignem, vt tepescens virtutis studium reaccendas, animum tuum ignire non cesses, frigiditate ignauiæ depulsa. ignis hic ad cælestia excitat, & inflammat affectum, & diuini amoris busto excoquit vitia, prauos affectus consumit, vt continuo succendens flammis humanum pectus in ignitorum spirituum transferat regionem.

D. Gre. Mag. In pugna contra carnẽ homo à mõte fortitudinis Christo iuuatur, & Spiritûs Sancti igne fouetur.

4. Immolauit Aaron victimas, & holocausta expiationem criminis, simulque cum Moyse egressus de tabernaculo fausta imprecatus est populo, ipsumque benedictionibus repleuit. quo peracto, miraculosum quoddam prodigiũ visum est à populo. Leuit. c. 9. v. 24. *Et ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum, & adipes, qui erant super altare.* Statas leges holocausti consumendi, nunc ignis transiliit; lenta enim flammæ viuacitas, & remissa quædam ignitio tardè, & cunctanter carnes torrebat, & vorabat; nunc autem Dominicus ignis incunctanter, & velociter deuorando absumit. Quis ignis hic velocior, & vehementior tanquam regales epulas victimam celeriter glutiens? Respondet argutè Radulp. Flau. lib. 7. in Leuit. c. 1. & primò ponderat in hoc sacrificio igniendo discrimen: *Non enim in consumptione carnium iuxta morem lenta vis ignium fuit: sed egressus ignis à Domino de tabernaculo scilicet exiens, aut de cælo descendens, vel fortè de ipso altari, per Dei voluntatem solito vehementiùs exardescens, horâ eâdem vorauit holocaustum.* Et statim tanti mysterium ignis aperit: *ignis enim egressus à Domino Spiritus Sanctus est, qui à Patre Filioque procedit: De quo ipse Dominus: ignem veni mittere in terram. Hic ergo ignis in terram missus, idest, hominibus datus, holocausta vorat: quia perfectorum corda in suum amorem rapiens, & ab affectibus mundanis secernens omnem eorum virtutem, & studia ad diuinam transfert militiam.* Expiare & sanctificare cupit in igne ardente corda mortalium, vt segregata à mortifero terrenorum contagio, edoceantur viuere vitâ, & spiritu Dei, vt mentibus suis ad superna, & cælestia suspirent, & tanquam milites adscripti militiæ cælestis exercitus, vitam instituant spiritualem, & cælestem supernorũ spirituum institutis decoram. Nec inexaminatum relinquas Radulphi placitum existimantis, hunc ignem supermundanum aut descendisse de cælo, aut de ipso altari eructatum, vt fluuium igneum continuò de sacra Eucharistiæ mẽnsa scaturientẽ portenderet, de quo S. Chrys. homil. 45. in c. 6. Ioan. ait: *Resurgit enim vehementiùs igne fluuius, neque incendit, sed abluit tantum quidquid comprehenderit.* Et paulò antè prædixerat: *à mensa hac prodiit fons, qui fluuios spirituales diffundit: iuxta hunc fontem non steriles salices germinant, sed arbores cælum ipsum attingentes, quæ fructus tempestiuos, & solidos semper producunt. Si quis æstuat ad hunc fontem se conferat, & recreabitur. mundat squalorem, & sordes; æstus mitigat non solares, sed quos ignita sagitta imprimũt. Multi huius fontis riui, quos paracletus diffundit.* Itaque mirari desine, quod fluuius igneus ab altari profluat, in quo est fons vitæ, & Spiritus Paracletus, qui riuos gratiarũ & diuisiones flammarum in cõmunicantes diffundit. Bonus ignis, qui nescit exurere, nisi sola peccata, vtinam depascat pectus, & corripiat cordis affectus, vt sordes exurat, & naturæ viscum, quo animus adhęrescit, & infigitur profundo passionum, vt tanquam testa immortalitatis æmula ariditate solidata, nec tentamentis labascat, aut diffluat; sed omnes hostiles ictus retundat tanquam petra: illud tamen alloquium aureo ore prolatum, attentum pensiculatorẽ requirit, cum de Eucharistiæ, & Spiritûs Sãcti fonte ignes eructante, ait: *si quis æstuat, ad hunc fontem se conferat, & recreabitur, æstus mitigat.* Si ad refocillationem captãdam in opaca acclinatione excitaret animam, non esset insolitum; sed æstuantem inuitare ad æstum, & igneũ torrorem, & caminum ignis, vt suscipiat refrigerium, exoticus videtur sermo. Sed aduertas, quod hic ignis, nõ vtique virgultis vilibus cõcretus, paleis, aut stipulis coagmẽtatus; sed spiritualis est, qui animas corripit, & depascit, sordes abluit, corda purificat, æstus enim ignis Dei absumit calore diuino noxios flatus, & æstus passionum, suoque tegmine præbet amænantis vmbræ refrigerium.

Leuit. Quis fuerit ignis de tabernaculo egrediẽs, qui deuorauit holocaustum.

Rad.

Spiritus Sãcti ignis holocausta vorat, cum humana corda à terrenis secernit, & ad diuinam transfert militiam.

Fluuius igneus de mẽnsa Eucharistica, & altari profluit. *D. Chrys.*

Fons de mẽnsa mystica manans cælestes arbores nutrit, æstus corporis noxios mitigat.

Huius fontis riuos Paracletus diffundit.

5. Nec nouum est ex igne profluxisse suauiter recreans auræ spiraculum, quandoq; enim diuina virtus secat in igne vim combustiuam, & cõuertit in tepidum, & frigidum flatum, sicut cecinit Dauid Ps. 28. v. 7. *vox Domini intercidentis flãmam ignis.* Vbi de ignis camino Babylonico ambientis, & refocillantis pueros, sermonem instituit, existimat S. Basil. scribens: *eadem flamma Dei precepto intercisa, in se recepit spirantem auram, nempe per quam suauem ac iucundissimã respirationẽ, atque refrigerationẽ pueris tribuens, veluti sub vnius alicuius arboris peramabili vmbra trãquillo, ac requieto in statu constitutis. Longè est admirabilius ignis naturam intercidi, quàm mare rubrum in partes diuidi.* In ipso clibano inter crepitantes flammas sublimiùs volitãtes nanciscuntur sacri pueri amænissimũ topiarium, roriferumq; flatũ aspirantis auræ lenissimæ, quæ incendia temperabat, adolescẽtes refrigerabat in altissimi vmbra: inhibuit ignis crassiorẽ effectũ cõbustionis, & lenienti spiraculo refocillationis afflauit. ardebant malleola, & stupa flammis corripitur; corpora puerorũ, in quibus flagitiorũ non erãt stipulæ, ignis non exurit, flamma verax retroacta veneratur: adolescentibus ieiunio aridis castimoniâ immaculatis, viuentibus non iuxta carnales

Psal.

D. Basil. Flãma ignis spirantem auram iucundissimam pueris Babylonicis tribuebat.

carnales ſenſus, ſed iuxta ſpiritum, ignis velut ſpiritualis redditur; ſuauem ac iucundam ſpirationem refrigerantem afflans velut ſpiritu roris ſuaui ſpirantem ſibilo; ſpiritus ille tenuis, & roſcidus profluens ab igne, iuxta decreta ſpiritus viuere docebat, vt ſpiritales iuuenes redderet ſpiritualiores, auroq; purgato puriores. Aptiſſimè appoſita poſtrema illa Baſilij ſententia: *Longè eſt admirabilius ignis naturam intercidi, quàm mare rubrum in partes diuidi.* Nonne parilem admirabilitatem ingenerat, quod liquidum elementum non fluat, aut vorticibus vndarum exundet; ſed ſuſpendantur fluctus, & gelido ſtupore frenentur in mari; quàm ignis in camino diffuſus approximantem, & in ſe incluſam materiam non exurat, non noceat, aut infuſcet fuliginis attactu? Sed ſi ritè perpenditur, triumphat ignis nobiliori miraculo: aquarum incurſus coërcentur, ne noceant, ne obruant tranſeuntem populum, aut gurgitibus ſuis ſepeliant; aqua tamen non lauat, non purificat, non refrigerat Iſraëlem in ingreſſu, & in ipſo inceſſu per maria trepidantem: illud refrigerans lenimentum, & tranquillum vmbraculum ſibi ignis vſurpat. Ex eo enim ille tenuis, & ſuauiter aſpirans flatus manat, & vitæ purioris ſpiraculum, quod in medio flammarum conſtitutos tanquam in alicuius frondoſæ concamerationis amabili vmbrâ, ſuauiter ſpirante aurâ refoueat.

Mirabilius eſt ignis naturam intercidi, quàm mare in partes diuidi.

6. In oſtenſo illo mirabili, quod Moyſi occurſauit, & interpretum cœtus repetitis Theorematibus toties celebrauit, venit examinanda illa ſententia Exod. c.3. v.2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* In hoc igne mirabili adumbratum Spiritum S. recenſet S. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu S. c.16. *Vox ergo,* (inquit,) *de flamma, & in rubo flamma, & flamma non noxia. Vrebatur enim rubus, & non exurebatur, eo quod illo myſterio Dominus figuraret, quia illuminaturus ſpinas noſtri corporis adueniret: nec conſūpturus ærumnoſos, ſed mitigaturus ærumnas: qui baptizaret in Spiritu ſancto, & igni, vt gratiam tribueret, peccata conſumeret.* Iam de illo ſacro rubi ſuggeſtu, & ignis inhabitaculo diuinum quoddam alloquium fundebatur ad aures Moyſi de flamma, in vmbra illa cernentis inſtituēdos fore Eccleſiæ magiſtros per ignis flammam, quæ redderet verbis profluos, & charitate feruidos; quod enim emolumentum afferet animæ ſermonis oraculum, quòd flammâ charitatis non prodiit ignitum, nec ad amorem excitat audientem: itaque Dominus in flamma, & ſermo Domini ex flamma reſultat qui Diſcipulos inflammet. Flamma tamen illa non noxia corripiebat ſentes, non exurebat: *Necnon ſumpturus Dominus ærumnoſos, ſed mitigaturus ærumnas.* Et cordato iudicio non ad ſiluaticas arbores, non ad pomariorum virgulta ſpecioſis, & ſuauibus grauida frutibus, ignis ille deſcendit; ſed ad ſenticoſum fructicem, & aſperum tribulis inhorrentem. Sic enim apparuit noſtri pectoris gleba poſt tranſgreſſionem, quæ ſpinas, & tribulos germinauit; poſtquam enim germen Domini eſſe contempſit, & planta cœleſtis abundans fructibus vitæ, & virtutum floribus in rhamnum, & rubum adoleuit, vbi lacerantes abundant ſentes paſſionum, & variis curarum ſtimulis ſæpe compungitur, amiſimus enim decoris, & ſecuritatis gratiam, & ſtimulantibus tribulis ærumnarum circumdamur. Sed vide Domini clementiam, ignis diuinus ad naturam noſtram ſpinis obſitam deſcendit; non vt crem aret, & conſumeret miſeros, ſed miſeriam alleuiaret: argutè inquiebat Mediolanenſis Pontifex: *Ne conſumpturus ærumnoſos, ſed mitigaturus ærumnas.* Nec enim verruncauit cœleſtis agricola de hominis pectore carduos, & paliuros ſpinis paſſionum acutis ſurgentes, ſed illos tanquam ſepem hirtam reliquit, qui animum obuallarent aduerſus elationem, & in humilitate continerent. Dum in memoriam reuocamus qualia primum flagitium protulit germina: itaque ignis Dei, & ſupernus ſpiritus ſeſe placidè demittens ad hominis fragilitatem, & miſeriam laborioſam, dolores attemperat, duritiem ærumnarum, mollem præſtat, cuſpides moleſtiarum ſuâ virtute tundit, amaritudinem animi melleam reddit, mœrentibus, & mœſtis ſolamen infundit.

Exod.

D. Amb. *In flamma rubi innoxia oſtendit Dominus, quod non venit cōſumpturus ærumnoſos, ſed mitigaturus, & illuminaturus ærumnas. Ignis rubi illum innuebat, qui baptizaret in Spiritu ſancto, & igni.*

7. Degebat Dei populus duriſſimo iugo Babylonicæ captiuitatis oppreſſus, ſuſpirans, & eiulans, vt aliquod cœleſtis auræ ſpiramentum ſuſciperet, hæc verba protulit apud Ieremiam Threnorum c.4. v.20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: in vmbra tua viuemus in gentibus.* De Chriſto prolatum eſſe vaticinium, concors Patrum ſenſus eſt. Poſtremam ſententiam ad propoſitum lemma vſurpo, quod nam eſt Seruatoris vmbraculum, à quo vita fidelis populi profluit? Reſpondet Origenes hom.3. in Cant. c.2. his verbis: *Vides ergo, quomodo Spiritu ſancto permotus Propheta vitam de vmbra Chriſti præberi Gentibus, dicit: & quomodo non vitam nobis præbeat eius vmbra cum & in conceptu corporis illius ad Mariam dicatur: Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi? Si ergo obumbratio fuit altiſſimi in conceptu corporis eius meritò vmbra eius vitam gentibus dabit.* Meritò Chriſti vmbraculum nuncupat Spiritum ſanctum, qui obumbrauit Virginem alarum ſuarum velamento, vt Seruatorem gigneret, & vitam homini donaret; Dedit tamen à diuino ſpiritu profluentem, quæ viuentem hominem redderet conſpicuum vitâ ſpiritali, vt non iuxta Adam veteris, & terreni hæreditatem, vitam ageret terrenam; ſed homo ſecundus de cœlo cœleſtis, iuxta cœleſtis Curiæ canones, & decreta vitam inſtitueret; cámque in ſuis alumnis formaret. Itaque Filium Dei aſſumentem corpulentam ſubſtantiam, non ſolùm tuetur protectricis gratiæ velamento, ſed nouam ei hominis vitam influit, vt factus homo viuat iuxta legem ſpiritus, & hæreditariam vitam ſpiritalem ſuis aſſeclis refundat, vt qui appellantur fratres, cohæredes regni, & Chriſtianorum cognomen, & decus accipiunt, viuāt ſpiritu Chriſti.

Ierem.

Orig. *De vmbra Chriſti datur gentibus vita.*

Maria in Spiritu ſancto inumbrata, vt corpus formaret, quod daret vmbrā vitæ.

Erit germen Domini in magnificentia, & gloria.

Secunda interpretatio de SS. Deipara.

1. HABET non infimæ notæ patronos, Gloſſam Lyrani, & inter lineas exaratam, purpuratum Hugon. Ariam, Montanum, & quod caput eſt, S. Gregorium Magn. lib. 1. in 1. Reg. c. 1. S. Bernardum ſerm. 2 de Penteceſte, Petrum Bleſenſem ſer. 44. Guerricum

Gloſſa. Hugo. Ar. Mont. D. Greg. Magn. D. Bernard. Petr. Bleſ.

Guerric.

Guerricum Abbatem serm. 4. de Purificatione cohæret commentatio contextui, eámque antecedentia, & subsequentia capitis commata perspicuè comprobant. Cùm enim abiectionem populi Iudaici præmisisset Vates, & illius vastitatem; nouum germen Messiam repromittit de terra sancta, & virginea oriundum; post enarrationem tristium Isaias, iuxta morem propheticum, lætam terræ faciem ostendit nouo germine; etsi sacratiori indagine vaticinium perscruteris, priorem naturæ statum Adami transgressione corruptum, antiquatum, & obsoletum reiiciendum fore, annuntiat Isaias, vt Arias Montanus censet; Rursus verò mundum egregiâ quâdam humanarum rerum facie, splendidoque, & honorato vultu diuinitùs renouandum, & stabiliendum per Christum: sicut enim in mundi exordio, cùm esset terræ facies inuisibilis, & incomposita, iussu Domini germinauit, assumpsitque honorabilem cultum, & ornatum; sic terra Virginea Maria Verbo per auditum fidei admisso, IESVM germinauit, concepit, & peperit, cuius virtute, & efficienciâ, maximo tum honore, tum fructu humana natura deinde aucta, renouatáque est, quæ antea sterilis effecta, ac maledicta squalebat. Perpendamus singula.

Expositio de Deipara expenditur, & confirmatur ex contextu.

2. *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria.* Germen Domini nuncupatur IESVS ex secunda generatione, quam habuit ex Virgine, sic enim prædicatur à Patriarcha Iacob. Genes. cap. 49. iuxta Septuaginta interpretes: *Ex germine, fili mi ascendisti.* Vbi sanctus Ambrosius aptè expendit versionem seniorum libro de benedictionibus Patriarch. cap. 4. *Eo quod tanquam frutex in aluo Virginis germinauit, & vt flos boni odoris ad redemptionem mundi maternis visceribus in splendore noue lucis emissus ascenderit.* Consonat Glossa Interlinealis, & Lyra. *Germen Domini, & fructus terræ, id est, Mariæ filius.* Et sanctus Gregorius Magnus supra relatus: *Fructus terræ sublimis, nam, quem Virgo genuit, non solùm sanctus fuit, sed etiam potens Deus; terra quippe fructum suum dedit, quia, quem virgo peperit, non concepit materiali opere, sed Sancti Spiritus obumbratione.* Illæ tamen sententiæ: *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.* Per contrapositionem quandam dictæ sunt ad Adamum, & Euam, qui, licèt germen Domini fuerint, non tamen in magnificentia, & gloria persistentes, sed præuaricantes, germen inglorium, inhonorum, & noxiale extiterunt sibi, suisque posteris, totam humanæ naturæ massam in præcepti transgressione damnantes, à gratia, & gloria reddiderunt decidentem; at germen IESV, & Mariæ decorum, magnificum, & gloriosum homini perdito decus amissum restaurans, in æternas mansiones inuehens: per vtrumque enim facta est salutatio, filij & matris promeritis scribuntur iusti in libro vitæ. Vnde peccati originalis architectis Adamo, & Euæ opponit Isaias gratiæ artifices IESVM, & Deiparam, & à communi labe primæuæ transgressionis exceptat. Pulchrè ait Petrus Blesensis, Archidiaconus, & Magnus Regum Britannorum Cancellarius sermone 44. hunc locum Isaiæ expendens: *Mala arbor fecerat fructus malos.* (loquitur de Eua, & Adamo,) *Concupiscentiam scilicet carnis, originale peccatum, malorum seminarium, communis corruptela fermentum, & generale nostra perditionis initium. Quia ergo malo originali, per bonum originale mederi oportebat, de mala illa arbore damnata perditionis exempta, & sanctificata est caro Mariæ Virginis, quæ licèt ab vtero Matris suæ plenitudinem gratiæ, & sanctitatis acceperit: superueniens tamen Spiritus sanctus in conceptu verbi exuberantiùs, & accumulatiùs ei plenitudinem gratiæ cælestis infudit.* Originario crimini, originalis gratiæ medicamentum per Iesum, & Deiparam occurrit. Et ritè nuncupat originarium bonum IESV, & Deiparæ gratiam, quia ab exordio, & instanti vitæ sanctificati sunt. Duplex priuilegium gratiæ Blesensis proponit, primum quo caro Beatissimæ Virginis exempta, & præseruata primitiuo piaculo. Secundum, quo eius caro protecta est, vt Virgo remanens conciperet verbum. *De mala illa arbore damnata perditionis exempta, & sanctificata est caro Mariæ Virginis.* Ecce priuilegium primum, postea subiungit secundum, cum ait: *In conceptu sacræ prolis vberiorem, & cumulatiorem gratiæ plenitudinem accepisse.*

Iesus germen Domini dicitur cùm oritur ex virgine.

Genes. Lect. LXX. S. Ambros.

Glossa. Lyra. D. Gregor. Magn.

Adamus, & Eua, germen Domini inglorium per transgressionem.

Iesus, & Maria germen magnificum, & gloriosum.

Petr. Bles. *Mala arbor facit malum fructum originale peccatum.*

De mala illa arbore exempta, & sanctificata est caro Mariæ.

3. Vtramque prærogatiuam perspicuis verbis antecedentibus proponit Vates. Septem nanque mulieres apprehendunt virum vnum, nempe IESVM, vt ab eis adferat opprobrium peccati originalis, & aliorum, vt censet Rupertus in Michææ c. 4. supra relatus, per quæ filiæ iræ dicebantur prognatæ de terrenis parentibus Adamo, & Eua, vt remissione perceptâ, cognomine filiarum Dei ornentur, at Maria inter fœminarum turbas non deprecatur, vt remoueatur opprobrium, in nullam enim criminis primitiui ignominiam, aut dedecus humanæ naturæ incurrit. Ideò Isaias contumeliæ originali fœminarum, cuius illæ exoptant repulsam, opponit IESV, & Mariæ germen magnificum, illustre, conspicuum, & gloriosum; imò de frutice gratioso, & præclaro omnis sublimitas; omnis honor, & dignitas accessit. Ipsa enim, quæ ineffabili modo virum in vtero circumdedit, singulari nexu in primo vitæ exordio virum apprehendit præseruata à lapsu, & criminis ruina.

Cùm septem mulieres postulant vt tollatur ab iis opprobrium peccati Maria tamen id non deprecatur.

4. Idem theorema confirmatur in subsequentibus: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu iudicij; & spiritu ardoris.* Eluit sordes originarij criminis filiarum Sion Dominus in Baptismo, & animæ lauacro, vt primâ expositione annotauimus; Maria verò, quæ nullas sordes nec originalis, nec actualis criminis contraxit, præseruatricis gratiæ puritate mundissima reddita est. Sapienter Guerric Abb. ser. 4. de Purific. cum in hunc locum Isaiæ incurreret, inter ablutionem à sordibus filiarum Sion, & Deigenitricis gratiam protegentem, discrimen assignat: *Cùm ergo filiæ Sion, quæ mollius, & dissolutius viuunt, & ardorem forsitan experiuntur carnis, meritò purificandæ sint spiritu iudicij, & spiritu ardoris; virgo perpetua, ac singularis, quæ sola spiritus obumbratione concepit, sola est purificata spiritu gratiæ, & refrigerio roris omnium sanè purgationum, quibus conditio reparatur mortalis, hæc beata purificatio Virginis, mitissima, atque felicissima fuit.*

Filiæ Sion peccatrices purificantur in spiritu iudicij. Maria quæ peccatum non contraxit, felicissimâ purgatione redditur mundior Spiritu S. & gratiâ. Guerric.

5. Illa tamen Isaiæ enuntiatio, & veluti conclusio ex antecedentibus deducta, mirificè commendat prærogatiuam gratiæ. Supplicabant fœminæ septem viros pro sua incolumitate, vt

sub

ſub illius tutela, præſidio, & vmbra viuerent pacatè, ſine iactura honeſtatis, decoris, & famæ; cùm annuit hic vir præſtabilis ſuis votis; ſubiungit Vates germinis,& terræ benedictæ ſub alarum Domini velamine ſecuritatem, & auxilium,& ſingulare gratię propugnaculum incomparabiliter glorioſum, & conſpicuum: *ſuper omnem enim gloriam protectio*, &c. quæ propoſitio,ſi ſolùm ſit affirmatiua,hunc ſenſum admittit,vt germen Domini, & terram benedictam eius Genitricem appellet Vates omnem gloriam,& omne decus Dei,quia ex tali parente, & filio omnis gloria,vniuerſa exaltatio Angelorum, & hominum laudatio ad Deum redundauit. Si verò comparatiuè vſurpetur Iſaiæ ſententia, perſpicuam commentationem admittit. Quaſi diceret: ſuper omnem gloriam protectionis, quam Deus præſtitit tabernaculo fœderis, arcæ,propitiatorio, & Altari,erit glorioſior, & illuſtrior protectio Mariæ. Sicut enim populus in imminentibus aſſiduè periculis in protectione Dei cœli commoratus, ſub alarum ſuarum inhabitans velamento, ſeruabatur incolumis à morſibus ſerpentium,incurſibus beſtiarum, hoſtium inuaſionibus, ſuper hanc omnem protectionis gloriam,illuſtrior,& glorioſior erit protectio Mariæ à primo Dæmonis incurſu.

Super omnem gloriam gratia protectionis glorioſior, & illuſtrior protectio Mariæ.

6. *Super omnē gloriā protectio.* Vberior exaltatio, & maior glorificatio in Deum refunditur ex protectione Mariæ, quàm ex rerum omnium aſpectabilium, & inaſpectabilium creatione. Super omnem gloriam creandi, iuſtificandi, glorificandi Angelos, fundandi cælos, Solem, Lunam, & ſtellas, creandi orbis,ſuper omnem gloriam formandi protoparentes Adamum,& Euam,ſuper omne decus, & ornamentum, quod ad Dominum redundauit ex arcæ protectione à caumate,imbribus,elementorum incuria, eam cherubicis alis inumbrando, Iordanem diuidendo,Dagonem trucidando, ſuper omnem hanc gloriam Mariæ protectio eſt. Arca enim illa,quæ appellatur in ſacra litteratura gloria Domini, venit in hoſtium manus, & captiua ducitur ab Allophylis, poſtea verò redimitur. At Maria arca puriſſima, nunquam ſubiit hoſtilis captiuitatis ærumnam; vbi protectio maior, gloria Dei vberior, ideo ſuper omne tutamen arcæ glorioſior protectio Mariæ. Maius enim beneficium eſt,in gloriam Domini auguſtiorem reſultans, cùm flagij contagium præciditur, ne in creaturam ſerpat, quod naturali, & hæreditario reatu debebat infundi; & prærogatiua præſeruationis, quæ erat inſolēs maſſæ corruptionis humanæ, vberiori gratiæ largitate de principis clementia donetur. Plus enim Deus de creatione, & patrocinio Mariæ, quàm de rerum omnium formatione gloriatur. Cùm enim de theſauro omnipotentiæ ſuæ Mariæ animam in lucem educit, & immaculato corpori coaptat, vniuerſæ ſalutis exordium inchoatum eſt.Nihil creare, nihil redimere,nihil gratificare decreuit, niſi ex intuitu Mariæ, & tantæ matris, & conſiliatricis arbitrio. gloria maior filij præſeruare à lapſu parentem, ne rueret in originarij criminis lutulentam voraginem, quàm eleuare, & deducere poſt ruinam.

Deus magis glorificatus ex protectione Mariæ,quam ex rerum omnium creatione.

7. Septuaginta aptè tranſtulerunt: *omni gloriâ protegetur.* Vt Mariæ conceptio fieret in gratia, ab omni Dei, & Angelorum glorioſa inumbratione protegitur. Verbum Hebraicum, vt in prima interpretatione annotauimus, trāſfertur à Sancto Hieronymo *thalamus*,ſeu commoratio in thalamo, & illius protectio. Vnde Chaldæus legit prædictam vulgati ſententiam: *quia augebit à gloria,quam, dictum eſt, venire ſuper eam maieſtas, erit protectio ſuper illam in thalamum.* Deipara autem thalamus cæleſtis ſponſi eſt,& immaculatus accubitus, in quo ſe placidè reclinauit diuina maieſtas.Zelo zelatus eſt Deus filij ſui thalamum, ne quis prophanus, aut immundus, illum contaminaret originarij criminis ſordibus; ne tartareus draco per momentum temporis in hoc puriſſimo reclinatorio,quod ſoli Deo parabatur,recubaret. Maneret vtique ſponſus inglorius, & inhonorus, ſi in thalamo ſuo primus diabolus accumberet. *Super omnem gloriam erit protectio. Quaſi in thalamum.*

Omni gloriâ Dei & Angelorum Maria protegitur, vt in gratia generetur.

Lect. heb.

Lect. Chald.

Deus ſuum thalamum Mariam zelatus eſt, ne quis prophanus illum attingeret.

8. *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu.* In his verbis altera eximiæ dignitatis Mariæ prærogatiua continetur, & ſecunda protectio,quâ in conceptione verbi Dei ab Spiritu ſancto inumbrata, vt virgo permanens,& abſque viri conſortio fœcundiſſima fieret Mater Saluatoris. Inumbrata etiam eſt, vt nullo æſtu libidinis vreretur,aut noxij caloris flamine,aut impulſu taminaretur. Inumbrata denique, & protecta, vt Deitatis immenſum pondus ſexûs fragilis infirmitas ſuſtinere poſſet; ne totius diuinitatis incendium in clibano vteri virginalis ſuſcipiens, conſumeretur, diuini ignis & amoris buſto ignita, & concremata;ſed infirma fœminæ natura poſſet ſubſiſtere. Quæ annotauimus in priori expoſitione harum ſententiarum,quàm maximè conducunt ad Mariæ gloriam. Vbi diximus, alluſionem fieri ad velamentum, & tegmen alarum Cherubim ſuper arcam, de quo in diſcurſibus diſſerendum.

Secunda Mariæ protectio facta ab Spiritu ſancto, in Chriſti incarnatione.

9. *In abſconſionem.* In primaria commentatione aduertimus,verbum Hebraicum *Sathar* potiſſimùm innuere ruſculum ſolitarium, latebram, latibulum, refugium, hoſtibus ſcrutatoribus inuiſum, & inacceſſum, & argutè Sanctus Baſilius vim verbi expendens ait: *Sit vnus aliquis, qui ab hoſtibus quidem quæritur, à domeſticis verò, & familiariter notis in quadam domuncula obſeruatur, & cuſtoditur in loco perquàm difficili inuentu. tale aliquid intelligendum eſt fieri à nube illa diuina protectionis, vt ne facilè intercipiatur hoſtium manibus.* His enim verbis ſolerter aperitur, quæ nam ſit illa diuina, & ſingularis protectio, quæ Deiparæ promittitur; dum enim Maria concipitur,abſcondit Deus puellam virginem, & dilectam ſponſam in tabernaculo, domunculâ, aſylo,latebrâ, in ſinu, & amplexu ſuo, in abſcondito faciei ſuæ, immortali tentorio protectricis gratiæ ſuæ, peramanter cuſtoditam & abſconditam: *In loco perquam difficili inuentu à nube illa diuina protectionis, ne facile intercipiatur hoſtium manibus*, vt aiebat Magnus Baſilius. Nil enim illuſtrius excogitari potuit iuxta hanc commentationem de Deipara in omnibus verbis Iſaiæ prædictis ſibi cohærentem,ad commendandam protectionem, protectricem & præſeruatricem gratiam, vt à contagio originarij criminis redderetur immunis.

Maria in domuncula & latibulo gratia abſcondita,ne inueniretur ab hoſte.

S.Baſil.

A turbine originarij criminis erepta Deigenitrix.

10. Confirmant subsequentia verba: *à turbine & à pluuia.* Sicut enim area variis integumentis reddebatur intacta ab imbribus, turbinibus, & pluuia, ita Deipara intacta,& immunis reddita est, dum à Deo absconditur in latibulo protegentis auxilij, à turbine & pluuia peccati originalis. Quod per pluuiam,& turbinem primum peccatum denotetur, liquet ex Iob. c.3. *pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: conceptus est homo: noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Vbi S. Hieronym. Beda, Philippus interpretantur his verbis: *præuaricationem Adæ detestatur. Turbo, id est, diabolus, qui diem felicitatis homini abstulit.* Ab hoc vento validissimo,& vorticoso,& furenti nimbo, qui omnes Adæ filios inuoluit, erepta est Deigenitrix, & seruata in gratiæ sacello, beneuolentiæ latibulo, & manus omnipotentis asylo,& refugio. Quadrant Beatissimæ Virgini verba Dauidis. Psal.90.v.1. *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Vbi S. Hieronymus legit: *qui habitat in abscondito excelsi, in vmbraculo omnipotentis commorabitur.* Alij vertunt prima verba: *qui habitat in secreto, occulto penetrali.* Chaldæus verò legit postrema: *in vmbra nubium gloria Omnipotentis.* Quæ omnia Deiparæ adaptat sapientissimus Lorinus in suo commentario. *Sub hac protectione post Christum nullus magis commoratus, quàm ipsius Mater, verè abscondita, quia alma, quod est nomen Virginis, & obumbrata, & pallio sponsi simul ac filij tecta,& ab omni peccato, ac fomite protecta, & summo honore affecta.*

Iob.

D.Hieron. Beda. Phil.

Psal.

Maria in protectione Dei cæli, & vmbra nubium gloria à vitæ exordio commorata.

S.Hieron. Chald. Lorin.



Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.

Discursus I.

Nobilissima germina, & pulcherrima plantaria, præclaris suis fœtibus, aut floribus, vel cùm ab igne seruantur immunia, prærogatiuam gratiæ singularis, & indemnitatem originarij criminis in Maria ostentant.

1. NOn mirum si arbores speciosæ, & digniores frutices decus siluarum, nemorũ,& pomariorum ornatus, surculis, floribus, fœtibus prætendant,& ostentis suis illustrent Mariæ dignitatem, quæ arbor est vitæ,& Iesse virga, ex qua flos Iesus prodiit,& immortalitatis fructus pullulauit. Rami,& frondes de lignis nemorosis diem festum Mariæ agunt, belluæ rationis expertes nos erudiẽt ad festiua gaudia. De elephanto mira recenset Gresner. tom.1. de Elephanto fol.388.n.30. ex Plinio, & Solino: *Nitescente lunâ nouâ gregatim ad amnem descendere, ibique se purificantes solemniter aquâ circunspergi, atque ita salutato sidere in syluas reuerti.* Et ibidem hæc ex Æliano adiungit: *Elephantos quâdam natura reconditâ notione ex silua primùm vbi pascuntur ramos decerpere, eosque deinde sublimes ferre, tum verò ipsos ad lunam suspicere, ac leniter ramos mouere, tanquam supplicationem quamdam lunæ prætendentes, eis ipsa vt propitia existere velit.* Quanto meliora vota, & gaudia nuncupabit homo fidelis in honorem suborientis lunę Mariæ, lustralibus pœnitentiæ lymphis immersus, de misericordiæ Dominicæ fluentis inspersus, & purus, vt salutato nobiliori, & candidiori sidere hominibus familiari, ad Dominici sacramenti reuocetur pascua. Cùm enim prænitet, & fulget luna Mariæ candida, inter conceptûs sui auream lucem,& primitiui halitûs vitæ fulgores, & gratiæ primordia, frutices,& arbusta decora præferat magnalia tantæ Virginis insignia, piam, & rationabilem deprecationem instituat, lunam solis parentem precibus ambiat, supplicationem prætendat, vt clientum faueat votis, sitque propitia. Age ergo diem festiuum Mariæ, agitẽt flores celeberrimi frõdesque, Palma, rosa, Heliotropium, malus persica, salix.

Gresn.

Elephanti nitescente nouâ lunâ se aquis purificant & sidus salutant.

Ælian.

Ramos decerpunt, sublimes ferunt supplicationem lunæ prætendunt, vt eis sit propitia.

In luna Mariæ prima luce, homines emulentur animantium gaudium.

2. Ordior à nobiliori ligno, à sacratiori pomo, illudque inuenio Leuitici c.23.v.40. *Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium,& salices de torrente,& lætabimini coram Domino Deo vestro.* & v.42. *& habitabitis in vmbraculis septem diebus.* Instituta sunt hæc omnia apud filios Israel ritu solemni, vt celebrarẽt festum tabernaculorum, beneficio redemptionis priscæ refricantes memoriã, quod eruti sint manu excelsâ de potestate tenebricosi, & tyranni Pharaonis, peregrinantesque filios suos Deus ad Palæstinã, habitare fecerit in tabernaculis, seu mapalibus in nobiliori seruatoris incolumitate, quã erepti sumus de potestate tenebrarũ, & translati ad Dei lumẽ,& regnũ, assumendũ germẽ arboris speciosæ,& mysticis cõtemplationibus nobilitandũ est. Hoc lignum decorũ,& illustre esse citrum, seu malum Persicum existimant Iosephus lib.3. antiquit. c.10 Hebrçorũ magistri Salomõ, Abenesra, Moyses, Comestoris historia scholastica in lib. Num.c.47. Magallanius in lib. Iosue cap.5. sect.2. annot.6.n.5. Chaldæus Paraphrastes legens: *sumetis vobis fructum arboris citrorum.* Adstipulatur S.Bruno, asseritque in hac arbore Deiparam adumbratam. Sic enim scribit tom.3. lib. de ornatu Ecclesiæ c.5. *Pulcherrimam verò arborem, citri arborem Hebræi intelligunt, quæ vtique & odore,& sapore,& fronde & flore,& ipsius fructûs magnitudine, & pulchritudine tam nobilis est, vt difficilè inueniatur, quæ ei dignè comparari possit. Per hanc igitur pulcherrimam, humilemque arborem beatam Virginem Mariam intelligimus, de qua scriptum est: & terra nostra dabit fructum suum.* Sicut enim inter volucres Aquila, inter belluas Leo, sic etiam inter ligna siluarum frondesque nemorum, citri arbor Regiam dignitatem sibi vsurpat. Et ritè arbor Regia, quæ pomaria, & topiaria Regum ornat; ad indicandũ cælorũ Reginæ decus assumitur, quæ ramorũ teretum flexili natura, viridi nitore foliorũ, aurei maiestate pomi,& mirifico florum odore gemmantium, suauissimè redolentium, excelsi decoris præfert insignia: omnis Mariæ gloria à filio, & pulcherrimæ decus arboris ab aureo pomo Angelorum, & hominum delicio, quod splẽdore diuinitatis, & rubore cãdido humanitatis rrutilãs, sicut malũ persicũ pendẽs in arbore, sic vitę pomũ Iesus adhæret Mariæ vberibus & imma-

Malum persicum & citrum.

Leuit.

Fructus arboris pulcherrimæ citrum seu malum persicum.

Ioseph. Rab.Sal. Rab.Moys. Rab.Aben. Comest. Magall. Chald. S.Bruno.

Maria arbor pulcherrima filij Dei terrana fructu.

Malum citrum preseruat à veneno, pestis corruptela, & serpentium morsu. Plin. Solin. D. Isidor. Auic. Athe.

& immaculatis nectitur lacertis. Malum citrum præseruatorium est à veneno, procul abigens virulentos serpentium halitus, & morsus, aduersus maleficia amuletum, præsidiumque tutelare contra mortis corruptelam de quo Plinius lib. 12. cap. 3. ait: *arcet animalium noxia,* Solinus, c. 59. Sanctus Isidorus. lib. 17. c. 7. *malum eius inimicum venenis.* Auicena lib. 2. Canon. tract. 2. de carne citri: *probibet tineas, & eius odor rectificat corruptionem aeris, & pestilentiam.* Athenæus lib. 3. fol. 64. *sumptum citrum ante quodvis alimentum, omnibus venenis resistere.* Hancque prærogatiuam incolumitatis confirmat exemplo Ægyptij Prætoris: *in maleficio deprehensos quosdam ille ad serpentum morsum damnauerat, quos oportebat omnibus eiusmodi bestiis lacerandos obiici, &c. mulier quod in manibus tunc habebat, & rodebat malum citrum dedit: acceptum illi comederant, & paulo post ingentibus, ac ferocissimis anguibus oblati, nihil læsi sunt.* Rite ergo in mali Persicæ, seu Medicæ fronde cum fructu suo auulsa, Deipara exprimitur, iuxta Sancti Brunonis mentem, vt indicet in pomo, & fructu Iesu vim præcauendi, & seruandi maternam arborem à criminis contagio, à veneno originariæ labis, à serpentis veterni morsu. si pomum citricum manditur à malefactoribus, & criminosis, odore suo inhibuit ferocissimorum anguium morsus, & dilacerationem, ructus, & flatus citrei mali incolumes seruauit, & illæsos; si halitus eius odoratus omnibus venenis resistit, aërem corruptum expiat, pestilentem, & venenatam luem procul arcet; quanto melius fructus arboris pulcherrimæ Mariæ pomum suaue, odorumque citrum Iesus cælestium odoramentorum suauitatem efflans; omne opus pigmentarium, vnguenta mirifica vitæ, & gratiæ redolens, in generatione matrem seruaret incolumem à pestilenti criminis lue, arborem, de qua gignendus, ramum de quo oriundus; germen venustum, de quo postmodum pullulat? Nec pomum decerptum ramo, aut ramum pomo viduatum proponitur, sed virgultum decorum semper vernans partus ornatu; expiauit pomum gratiæ suffitu maleuitiatum truncum humanæ naturæ criminis corruptela, quæ in parentes inoleuerat, vt de Iessea radice virga pulcherrima oriretur diuini germinis fructu decora, qui omnem maleolentiam originarij piaculi gratiæ odoramento propulsaret. arboremque Matris de citri, seu filij odore intactam redderet.

Malefactores ad angues damnati & abiecti, ex mali citri esu à serpentium morsibus redduntur immunes.

Iesus velut pomum, & citrum suaue matrem seruauit intactam à serpentis annosi morsu, & originarij piaculi veneno.

Malum persicum pomũ aureum nuncupatur. Virg.

3. In malo autem Persica adhuc mysterium latitat, cuius vber partus pomum aureum nuncupatur, quam denominationem iuuat Dioscorides supra relatus, pomum arboris Medicæ describens: *colore aurum imitans.* Eius fructus aurea mala vocat Virgilius Buccolicor. ecloga. 3.

——Siluestri ex arbore lecta.
Aurea mala decem misi.

Hercules interempto dracone peruigili aurea mala de horto Hesperidum sustulit. Boet.

Vbi existimat Erasmus allusum ad mala aurea Hesperidum à prophanis vatibus decantatissima, qui cum Herculis facinora, & labores celebrant, illum recensent, quod aurea mala in Hesperidum hortis, interempto prius dracone peruigili, qui ea custodiebat, sustulit, Huic audaciæ, & eximio facto occinit Boëtius lib. 4. de consolat. metro. 7.

Herculem duri celebrant labores,
Poma cernenti rapuit Draconi
Aureo læna grauior metallo
Cerberum traxit triplici catena.

Nat. *Draco centum capita habebat variisque vtebatur vocibus.*

Et Natalis Comes mytholog. lib. 7. inquit: *Draco, qui mala aurea custodiebat, centum capita habebat, variisque vtebatur vocibus, eo igitur interempto, Hercules aurea mala decerpsit.* Semper enim gentes cæcultantes in lumine manifestæ in sacra pagina veritatis, togatis fabellarum lacernis vestiunt, & obscurant diuina mysteria, mendosissimorum numinum commentis sacri sermonis perspicuitatem, & synceritatem permiscent; annutu tamen prouidæ sapientiæ dispositum, vt inter densissimas errorum tenebras aliquod iubar Christianæ veritatis affulgeret: quid enim in Hesperidum horto nisi paradisum portendebatur, in quo antiquus coluber pulcherrimæ arboris visu, nitidi, & fulgentis pomi illicio primos parentes inescauit, & ferreis criminum vinculis innexuit; cuius dominatus post præuaricationem hominis in omnes gentes, & nationes inualuit, cuius innumera sunt capita, & artes nocendi, quibus mortales adoritur; fallacem & virulentam linguam in varia discrimina vocum versat, adulatione & suadela mirabili, nocẽdi cupidus, auidus deuorandi genus humanum, malis nostris semper inuigilans. Hunc draconem semper attentum, & excubantem ad hominis perniciem, Hercules, hoc est inuictum verbi robur, quod sicut Heros, & gigas exultauit ad currendam viam, interemit, & sicut catulum ad stipem ferrea catena colligauit, impetus retudit, vires, & dentes infregit, vt iam non pro libito noceat, nec spiris suis se contorquens, & sibilans territet, nec nisi volentes, & vltroneos mordeat. Attende tamen perillustre facinus nostri Herculis, & inuicti cum dæmone, & peccato luctatoris æterno dignum præconio. possidebat draco in huius sæculi nemore, & pomario, quo pacatè fruebatur, omnium hominum turbam; qui vario decoris ornatu velut aurea rutilant poma. in hoc pomarium firmissime clausum, tyrannicâ potestate munitum pro foribus excubante vigili draconis custodia, vt omnes in introitu vitæ, & exitus raperet, & possideret, fortior Heros, inuictus pugil omnipotens sermo Domini intrauit, ligauit fortem, vasa eius diripuit, duoque aurea poma ipso prospectante, & lamentante rapuit validâ manu, seruauit ab incuria criminis, à morsu serpentis; Christi Iesu humanitatem, & Mariam Deiparam, aurea poma iure nuncupo, quia pulchra, iucunda, suauia, quæ omni virtutis & gratiæ specie nitent; hæc à dracone peruigili Verbum Deus rapuit, vt à communi labe eximerentur, vt nullus flatus serpentis eorum inficeret nitorem, nullum extaret nocentioris dentis infixi vestigium. Hanc tamen immunitatem habuit Iesus per naturam; Maria verò ex priuilegio gratiæ.

Triumphus Mariæ ab originario crimine reportatus. Cant.

4. Draconis vigilantia, & diuini Herculis solertia maior, iuuat ad sublimiora huius facinoris incrementa inuestiganda. Forsan alludit sponsus sacer. Cant. cap. 4. ad hoc egregium factum cùm sponsæ dilectæ verticem cingere iubet glorioso coronamine. vers. 8. *veni coronaberis de capite Amana. de vertice Sanir, & Hermon.* De triumpho Mariæ ab originali

Picus.

nali crimine reportato verba accipit Picus Carthusianus lib.2. in Cant. c.13. *Quasi gloriosius non fuerit antiqui serpentis caput virtutis pede obtriuisse, & malorum omnium archetypum superasse.* Conceptum iuuant montium significata, de quorum capite, & vertice retulisse palmã dicitur Maria. Hermon *retiaculum.* Sanir idem est ac: *dormiens lucerna.* De retiaculo, in quo cadunt omnes triumphauit, quia ipsam nõ inuoluit; quid autem denotet *dormiens lucerna*, vt teneas mentem singularis nomenclationis, altius repetenda est discursus series subtilioris, quem proponit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus orat. in adorat. sanctæ Crucis, qui de Adami statu in paradiso commorantis, & tanquam eius ore loquentis fatur: *Data est mihi lucerna splendida, vt tantas opes custodirem. diligenter ad custodiam attendere iubeor. ego vero nescio quid passus, ad ipsam lucernam dormitaui. oculum autem bonis meis adiicit nocturnus prædo Satan, cuiusdam ex familiaribus persona assumpta,* &c. *mihique malorum ille sator, & auctor lucernam extinguit. Lucerna enim diuina lex est.* Data est lex inhibitoria epuli, & originalis iustitia Adamo, quæ in ipso tanquam lucerna resplenduit; at malorum Sator draco humanæ felicitati semper inuisus, per vigiles insidias parans exitium, cum dormitantem cerneret Protoplastum, & oscitantem ad Domini obsequium, & clientelam; luminis dormiente custode, lucernam diabolus extinxit, & qui inhabitabat in lumine Dei, & charitatis ardore, mansit in tenebris, & in regione vmbræ mortis. Itaque Germanus Patriarcha primi parentis transgressionem, & prolapsionem in originale flagitium, extinctam lucernam, dormitantem lucernam æquo iure nuncupat *ad ipsam lucernam dormitaui.* Quid ergo est Mariam *de vertice Sanir.* vel *dormitante lucerna* coronatam, nisi de primitiuo piaculo reportasse palmam, & in parentis transgressionem non incurrisse; habuit Deipara semper inextinctam gratiæ lucernam, & charitatis lampadem, vt exultans obuiam iret cælesti sponso, & incontaminati vteri aula reciperet. Adæ filij vitam ordiuntur sine lumine hæreditariæ caliginis offusa in eorum animis nocte; cùm enim inuidentiæ spiraculo, & deceptoriæ loquelæ flatu, Adæ lampadem diabolus extinxit nati omnes tenebris circumfusi iacuerunt; Maria vero circumamicta tutamine splendoris æterni, illuminata de lucerna agni, qui semper in cælis fulget, non prætulit facem somniculosam, aut dormitantem; instar fatuæ virginis Euæ, sed semper splendentem, & luminosam; erepta est ergo de dormientis periculo lucernæ, & hostis draconis fraude semper vigilantis egregio robore, & industria filij, diuinique Herculis, qui in vincula iniecit draconem, eiusque halitum auertit, ne Mariam inhalaret, aut illius luminare extingueret.

Hermon retiaculum dicitur. Sanir dormiens lucerna.

German.

Data est Adamo in paradiso lucerna splendida, vt opes gratiæ custodiret. Adamo ad lucernam dormitanti nocturnus prædo Draco lucernam extinxit.

Maria habuit gratiæ lucernam semper inextinctam.

Salix.

5. Ex arbore pulcherrima gradum facio ad salicem: *Sumetis vobis salices de torrente.* Septuaginta interpretes, S. Hieronymus, Zachar. c.14. & Mathiolus apud Dioscoridem lib. 1. c.116. nuncupant *arborem agni*, vel *agnum castum.* vt videre est apud Lorinum Leuit. c.23. v.40. quæ autem arbor, quæ agnum protulit eximia castitate, & virginea puritate fulgentem, nisi Deipara, quæ Iesum agnum Dei fructum ventris procreauit; ex alma parente, ex Iessæa radice, candidior niue, solaribus radiis purior agniculus germinauit. Cuius vellere hominum peccata suffunderet, de cuius lanicinio vestem immortalitatis intexeret, nuditatem Adami tegeret. Pro tunicis pelliceis animantium mortuorum, adiiceret indumenta mutatoria vitæ. De salice mirum prodigium recenset S. Methodius Martyr apud Photium in Bibliot. fol. 913. colum. 1. *Vidi* (inquit Methodius) *in olympio monte Lyciæ ignem sponte sua in montis cacumine ex imo terræ enascentem, iuxta quem stirps Pyragnus nomine* (in margine alludens ad Leuit. 23. hæc habet: *salicem torrentis vertit Leuit.* 23.) *existit adeo florida, virens, & opaca, vt è fonte potius nata videatur: quam igitur ob causam cum naturæ corruptibiles sint, & corpora ab igne consumantur, hæc sola stirps, non solum non exuritur, sed magis etiam efflorescit, quamuis natura facile exuri possit præsertim ad ipsius radices igne eructante? Ramos ergo ex circumiacentis silua arboribus in ignem illic erumpentem conieci, qui subito flammis correpti in cineres redacti sunt. Quid ergo sibi vult hoc miraculum? signum, & indicium futuri diei Deus hoc exhibuit, vti sciamus flammis olim omnia absumpturis, corpora, quæ in puritate, & iustitia vitam transegere, per ignem nõ secus, ac frigidam aquam transitura.* Hæc S. Methodius. Sed pace, & venia tanti viri, non minore iure, quinimmo cum maiori proportionis similitudine, hæc omnia Dei Genitrici adaptabis, ipsa enim sola, & singulariter electa vt *pyragnus*, seu *arbor agni* seu agnifera foret; arbor paradisiaca pro pyro, & pomo agnum Deum fructificauit. Cerne in fonte ignis natiuum originalis flagitij incendium, quod de Adami pectore, & corde eructauit, cuius flamma omnes homines depascit, & speciosa sæculi ligna comedit. Inter hos igneos globos, & vorans incẽdiũ, salix, arborque agni Deipara seruatur incolumis à noxio, & deuorante peccati primæui igne, à calore aduerso, à flatu æstus criminosi, à scintilla piaculi, à fœda ignis fuligine; hoc gratiæ diuinæ miraculum in illo naturæ ostento præludebatur in famoso Olympiæ monte, & Theatro. Prouida natura salicem seruauit intactam ab igne, in arbore agnifera venerans Mariæ typum; & prouidentior gratia Mariam, pulcherrimamque salicem, quæ agnum proferebat, à primi peccati flammis eripuit: *Hæc sola stirps non solum non exuritur, sed magis etiam efflorescit, quamuis natura facile exuri possit, præsertim ad ipsius radices igne eructante.* Progenita est Maria de radice humana peccato originali vitiata, æstu hæreditarij criminis adulta; ex hoc trunco ad cuius vsque radices noxius ignis eructauit, Maria tanquam salix pulcherrima omni gratia vernans, & efflorescens consurgit incontaminata. *Extitit adeo florida, virens, & opaca, vt è fonte potius nata videatur.* Si naturam attendas proximus erat noxius peccati ignis, sed erat proximior gratiæ fons, quæ radicem irrigabat vberioribus fluentis, vt ignem inhiberet, & fumei flatus, aut ventus vrentis ardorem dissiparet, vt germen delectabile Mariam parentes germinarent. Vt è fonte potius amoris, & gratiæ, nata, & genita planta Deifera, quam ex igne videatur. Dictis omnibus de Salice quid simile recenset Plin. de fraxino. lib. 2. c.107. disserens de mirabilibus terræ rogis: *In Nymphæo*

D. Hieron. Matth. *Salix arbor agni dicitur, vel: agnus castus.* Lorin.

Maria arbor agni mundissimi.

S. Method. *Salicis iuxta ignem florentis, & virentis, mirum prodigium.*

Ad ipsius radices igne eructante, magis efflorescit.

Rami ex aliis arboribus in illum ignem coniecti, in cinerem redacti sunt. Extremi indicij ignis, corpora quæ in puritate vitam agũt, non consument.

Salicis seu arboris agni Deigenitricis immunitas ab originarij criminis incendio.

Plin.

mirabilibus terræ regis: in Nymphæo exit è petra flamma, quæ pluuiis accenditur. viret æternò hunc fontem igneum contegens fraxinus.

Palma.

6. Viget etiam in palma triumphi laus virginei, ipsa enim destinata est ad trophæum, & solet manum ornare victoris. Sponsus sacer cum palma comparat Deiparam. Cant. c.7.v.7. *statura tua assimilata est palmæ.* Quia sicut palma erecta semper virens ex mortua radice repullulans, imposito ramis pondere nunquam fatiscens; sic Maria nunquam curuata pondere noxæ, semper stabilis per gratiam, nec oppressa criminis originarij ruina. Pulche Alanus apud Delrio ait: *statura Virginis gloriosa assimilatur palmæ. ipsa enim processit de radice horrida, de peccatrice synagoga, tanquam de spina rosa.* Dionysius Carthusianus de Deiparâ, & palmæ assimilatione scribit: *nunquam enim per culpam est incuruata, sed in omni virtute, & sapientia iugiter stetit erecta, ac gloriosissime de inuisibilibus hostibus triumphauit. Vnde victoria palma meruit insigniri.* Adde his, palmæ victorialis ostentum, quæ intacta permansit in incendio Ierosolymę, de qua Sanctus Cyrillus Ierosolymitanus catech. 10. proferens de Christo seruatore testimonia, ait: *palma, quæ est in valle* (iuxta aliam versionem in Pharinge) *testatur, quæ exhibuit ramos iis, qui tunc benedixerunt Christo.* Quæ verba recentens Lorinus in psal. 1. v. 3. amplificat & illustrat: *Palmam ex qua ramos Iudæi decerpserunt, vt obuiam Christo irent, quasi in triumpho, intactã permansisse diuina quadam prouidentia testatur, etiam si arbores aliæ obsidionis tempore, quæ sub Tito fuit, essent excisæ.* In communi Ierosolymæ vastitate, & incendio dum reliquæ stirpes ferro, aut igne excinduntur, sola palma illa ex qua decerpti rami, vt obuiam Christo irent senes, & paruuli, eripitur ab incendio, à securi & flamma siluas omnes depascente seruatur illæsa. Sic Maria, quæ de se annuntiat verba Eccli. c. 24. *quasi palma exaltata sum in Cades.* Ab incẽdio, & igne peccati originalis omnes hominum plantas deuorante, Sãctissima Deipara ab vniuersali excidio humanæ naturæ, victrix permansit, à flamma criminis omnino deuorãte, & consumente, seruatur intacta, quia non ramos, non frondes exhibuit Domino Deo ad se aduẽtanti, sed ventris hospitium, viscerum receptaculum, de sacris vberibus alimentum, vt armorũ humanis tegminibus munitus, & instructus aduersus hostes procederet, gloriose triumpharet; ideo Iesus victoriam reuecturus & trophæum, prius de communi hoste triumphauit in Matre, noxialem rogum cohibuit, ne flammæ matris palmam adlamberent.

Cant. — Alan. Delr. — *Maria assimilatur palmæ, quia de radice horrida processit, tanquam de spina rosa.* — Dion. Cart. — *Nunquam per culpam incuruata, semper erecta per gratiam, insignitur palma victoriæ.* — S. Cyr. Ierosol. — *Palma ex qua rami decerpti vt Iudæi irent obuiam Christo intacta permansit, in Romano Ierosolymæ incendio.* — Lorin. — Eccl. — *Maria quasi palma exaltata à communi peccati incendio seruatur incolumis.*

Rosa.

7. Post palmam micat, & vernat Rosa. Maria pulcherrima paradisi terrestris, & cælestis Rosa. Ecclesiastici. cap. 24. *Quasi plantatio rosæ in Iericho.* Deiparam rosam Patres nuncupant Chrysippus Presbyter Ierosolymitanus in serm. de laudibus Virginis, ait: *& cultura spinarum ferax rosam tuam producit.* Sãctus Bernardus epist. 174. *Eua spina fuit, Maria rosa extitit. Eua spina vulnerando, Maria rosa omnium affectus mulcendo: Eua spina infigens omnibus mortem; Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem.* Et Hugo Victorinus tom. 2. serm. 65. *Sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam.* Thomas de Kempis in opusculis 3. p. serm. serm. 6. *Recogitate diligenter antiqua sanctorum Patriarcharum gesta, de quorum stirpe orta est Mater Dei Maria tanquam rosa inter spinas, sine spina.* Sicut enim rosa germinat primum inclusa granoso cortice, quæ mox nutrimento intumescit, & in virides alabastros fastigiatur, paulatim instar purpuræ rubescens dehiscit, & conuolutos foliorum panniculos expandit, innixa calicis viridis medio, & amplexa illius apices, recessu quodam à sentibus & grati odoris aspiratione gratulatur naturæ, de spina verius quam frutice ortam, sentibus superiorem, & intactam efflorescere. Sic Maria de senticoso frutice spinis obsito caudice parentum assurgit ostentans indumenta iustitiæ, & primæuæ candorem gratiæ redemptoris sanguine purpuratum, illæsa à criminis sentibus, superior spinis assurgit in gratiarum verticem. Est enim Maria lilium, & paradisi rosa. iuxta illud Catic. c. 2. *Ego flos campi, & lilium cõuallium.* Vbi Chaldæus legit: *ego similis sum lilio viridi, ex paradiso voluptatis, & opera mea pulchra sunt sicut rosa, quæ est in campo horti voluptatis.* Rosa autem in paradiso non vepribus horrida, sed mollis, & tenera sine tribulis vernabat, compta, ad speciem, sine puncturis ad gratiam, nondum enim subierat maledictionis opprobrium, vt spinas, & tribulos, germinaret. Audiendus est Magnus Basilius homil. 1. in exam. *Rosa tunc sine spina erat, postea vero ad floris pulchritudinem spina adiuncta est, memores peccati ob quod spinas & tribulos nobis proferre terra damnata est.* Eadem repetit serm. de paradiso: *florida est rosa, sed mihi tristitiam inducit, quotiescumque enim video florem peccati mei recordor, ob quod terra ad spinas & tribulos ferendos damnata est.* Et S. Ambros. lib. 3. examer cap. 11. locutus de paradisi deliciis: *surrexerat ante floribus immixta teneris sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine vlla fraude vernabat. postea spina sepsit gratiam floris.* &c. itaque spinæ partus sunt primitiui flagitij, & humanæ conscientiæ vberes prouentus sentes, quæ ipsam stimulant ad damnationis monimentum, vt continuo recordetur stimuli, & mœroris, quem acquisiuit ex transgressione; & fælicitatis, quam amisit. Itaque spina licet ad speciem, & ornatum adiuncta sit rosæ, infausta tamen venustas est, quæ floris innocentiam, & simplicitatem temerauit, vt amisso blandimento, & teneritudine frondis, tribulorum vallata præsidio inhorresceret, nec enim esset innocua, sed lacerare, & cruentare disceret apprehendentis manum. Ad rem ergo, merito nuncupatur paradisi rosa Maria, quia in execrationem terræ, & frondis non incurrit; nec fuit obnoxia germinationi spinarum; roseus flos Maria sublimis, immaculatus, innoxius, in quo spinarum nulla offendat asperitas, sed semper gratia circumfusa clarescat; non habuit spinam rosa, quæ mater est Creatoris, qui in parentum fronde, tanquam in foliorum puberum caule spinas retunderet, & pulcherrimus flos Mariæ sine fraude vernaret, & primo vitæ exordio halitu gratiæ animata viuisceret. In rosis adhuc obsitis spinarum iniuria, primitiuæ fulget decus Marianæ gratiæ; licet enim fruticem tribulorum horror obsepiat, ipse tamen flos rosæ dum exoritur, aut virtute genitali succi vitalis animatur; fugit spinarum consortium, in sublimiores apices erecta sequestratur à tribulorum iniuria, à læsura spinæ pungentis, ne lædat, aut

Ecclesf. — Chrysip. — S. Bern. — *Eua spina, Maria rosa de senticosa Iudæorum stirpe orta.* — Hugo Vict. — Th. Kem. — Cant. Card. — *In paradiso orta est sine spinis rosa.* — D. Basil. — D. Ambr. — *Sola Maria rosa sine spinis.*

aut sauciet tenerum decus, & inclytum rosæ. Licet enim Deipara de peccato compunctis parentum frondibus germinet, prodiit sine sceleris spina, illæsa peccati compungentis tribulo. Ideo patres iure clamitant, & Mariam nuncupant *rosam de spinis sine spina.*

Guillel. *Cur de Beata Maria canit Ecclesia quod circumdabant eam flores & non rami rosarum.*

8. Confirmat hanc thesim piissimus, & sapientissimus Guillelmus Dominicanæ familiæ decus, qui in sermone, quem ipse inscribit *de immaculata conceptione*, pendit cur in responsorio officij Beatæ Mariæ. *Et circumdabant eam flores rosarum*, non canit Ecclesia *& circumdabant eam rami rosarum, sed flores rosarum.* Et argute respondet accommodans Deiparæ magnalia rosæ. *Rosa*, (inquit) *& si cum vepribus, & sentibus nascatur spinosis, nullum tamen ab ipsis trahit aculeum, &c. de parentibus originali peccato infectis tanquam rosa de vepribus, & sentibus nata, nullum ex parentibus contraxit originalis culpæ aculeum.* Et subiungit: *ideo canit Ecclesia sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum. Quare non dixit rami rosarum? quia rami rosarum sunt spinosi, flores aculeis expertes, & ideo sancta mater Ecclesia, vt profiteretur immaculatam Deigenitricem Virginem Mariam in sua benedicta conceptione de parentibus originali peccato infectis, tanquam purissimum rosæ florem de ramis spinosis nullam contraxisse peccati spinam, suppresso ramorum nomine, de solis floribus facit mentionem, & sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum.* Additque ipse Guillelmus in officio & festo Conceptionis suis temporibus hanc antiphonam ab Ecclesia cantari: *sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam.*

Rami sentibus pleni, rosa aculeis expers.

Maria de parentibus originali peccato infectis concepta, ipsa immunis peccati.

Heliotropiũ. Psal. Heb.

9. Venio ad Heliotropium cuius similitudinem, & æmulationem inuenies in ornatu sponsæ Psal. 44. v. 15. *Circumamicta varietatibus.* Verbum Hebraicum *richmah* denotat vernam, & florigeram cycladem, variegatam floribus versicoloribus. Vnde Hieronymus transtulit: *discoloribus, multicoloribus.* Ezech. c. 16. & Pradus ibidem: *aureos flores expressos.* Hispanè: *Bordados tornasolados.* Vt alludere videatur ad solarem herbam. Vnde Plinius lib. 21. cap. 8. de vestium æmulatione cum floribus, ait: tres potissimum imitari: *Vnum in cocco, qui in rosis micat, vnum in heliotropio.* Esse autem heliotropium florem; qui se cum sole circumagit, in quo ambitus sectilium foliorum radiorum aureorum coronam format, qua cingit caput, & in turba florum imperiale ostentat coronamen; intus fulgent splendentes circuli in viriditate, & palore aureo renidentes, speciosa floris regij monilia. Quid mirum si in Reginæ indutu, qui totius orbis referebat imaginem magnificus, & pulcherrimus flos iste fulgeret, ad augmentum decoris, & maiestatis. In Deiparæ vero vestimento gratioso, cuius varietas verbis illis Psalmographi prædicatur ex communiori Patrum calculo, regerentis imaginem solis species floris eminebat, vt singularis prærogatiuam gratiæ intus delitescentem floris symbolo, & æmulatione prætenderet; de flore solis sectatore, seu Heliotropio mira recenset Plinius lib. 18. cap. 27. cum agricolis fatus. *Cur cælum intuearis agricola? Cur sidera quæris rustice? ecce tibi inter herbas tuas spargo peculiares stellas. Dedi tibi herbas horarum indices, & vt ne sole quidem oculos tuos à terra auoces Heliotropium, ac lupinum circumaguntur cum illo.* Habet pratum agricola

S. Hieron. Ezech. Prad. *Maria amictus versicoloribus flosculis respersus, Hispanè Tornasoles.* Plin.

Plin. *Inter herbas habet agricola peculiares stellas horarum indices.*

renidens, & ridens cæli æmulum, diuersis flosculis quasi quibusdam sideribus stellatum, habet Heliotropium, quod ad ortum, & occasum verticem inflectit, & in se ipso regerit motus varios, & gyrationes solis. Idemque Plinius lib. 22. c. 21. ait: *Heliotropij miraculum sæpius diximus cum sole se circumagentis, etiam nubilo die: tantus sideris amor est. Noctu velut desiderio contrahi cæruleum florem.* & lib. 2. cap. 41. *Herbam vnam, quæ vocatur Heliotropium abeuntem solem intueri semper, omnibusque horis cum eo verti, vel nubilo obumbrante.* Et de virtute Heliotropij aduersus serpentium noxia, subscribit lib. 22. c. 2. *Namque & serpentibus, & scorpionibus resistit. vis ad omnia venenata, & phalangia, & contra scorpiones præcipuè illita. non feriuntur habentes. Et si terram surculo Heliotropij circumscribat aliquis, negant scorpionem egredi.* Quid mutuaret de sole herba, de illius viuido influxu, & prospectu sideris, & vultu ad illud inflexo, nisi salutiferum haustum, & succum cælestem præcauentem serpentium incursum, & scorpionis læsuram? in Reginæ cælestis Mariæ aurea pallia intertexti apparent Heliotropij flores, vt in ipsa ostentent mirifica gratiæ magnalia, totius peccati immunitatem. Flos Mariæ totus de lumine pendens solaribus radiis innutritus, modo sublimiori quàm Heliotropium, renuit caliginosam noctis vmbram, ne temeret vultum decorum, aut horrore tenebroso florigeri cæli nitorem infuscet: flos solaris noctu velamenta obtendit foliorum mirabili artificio complicatorum ad tutelam. Ideo Marianus flos, qui solem amat, tenebras respuit criminis, & offulam mortalibus originarij piaculi vmbram non sentit, quia in tutela luminaris est diei, cui sola felicitas est prospectare lucem, & viuere de Sole. Mirabilior in Maria ad Solem iustitiæ perpetua, & inuariabilis conuersio. Cum primum Dei Mater concipitur, conuertibilis est cum Deo, sicut Deus homo concipi nequit mente aut apprehendi sine Matre, sic Dei Matrem non est intelligere sine Deo; si in puncto Deum tollas à Maria matrem destruis, quæ subsistere nequit sine prole diuina. Vix auspicium vitæ sumpsit, & orsa est conuerti, anhelare ad lumen æternum, & inclinari ad Dei solem: quam mentem subsequentia Heliotropij insignia exornant, quod scorpionibus, & serpentibus resistunt hi flores, & præcauent venenum. Pulchre Plinius aiebat: *non feriuntur habentes.* Vt cernens Mariam hoc flore ornatam pro comperto habeas ictum & morsum scorpionis & colubri euasisse cælestis virtute Solis, & aspectu iucundo protectam, & munitam.

Heliotropium cum Sole circumagitur, ipsum semper intuetur, etiã nubilo die. Plin.

Heliotropiũ aduersus serpentes & Scorpiones amuletum præsentissimum.

Maria indumentum Heliotropij flosculis ornatum quia semper solem gratia intuita, serpentis veneno intacta.

10. Magnam arborem pulchram, & proceram in spiritu prospectauit Nabuchodonosor, cuius apices cælum contingebant, ramorum brachia terram omnem amplectebantur, cuius folia pulcherrima fructus vberrimi; sub eius culmine & vmbra animantia, volucres commorabantur, donec de vigilum cælestium decreto succiditur, & excinditur, nec à pietate immunis sententia decernitur, sed clementia temperatur. Danielis cap. 4. vers. 12. *Verumtamen germen radicum eius in terra sinite.* Veridicam interpretationem arboris de Regno, & Rege Nabuchodonosor proponit fidus enuntiator arcani sermonis Daniel, eodem

Arbor procera, & pulchra à Nabuchodonosor visa Deiparam adumbrabat.

Daniel.

Digitized by Google

Peter.

dem capite. At iuxta sensum mysticum enucleat visionem, & totam arborem euiscerat eruditissimus Pererius lib. 5. in Danielem, ait enim quod arbor illa pulcherrima procerissima, pulcherrimis frondibus, floribus, & fructibus compta & ornata: *Adumbrauit miram statùs primi hominis ante peccatum felicitatem, eadem mox bonis suis omnibus, atque ornamentis expoliata, & excissa. Seruata tamen radice vnde rursus crescere, florescere, ac fructificare posset, significauit eiusdem primi hominis statum, postquam lapsus est in peccatum, quo omnis eius posteritas vitiata, & perdita est. Fuit tamen radix, & germen eius seruatum: intelligo autem per radicem Beatissimam Virginem Mariam peccato Adami nullatenus infectam; per germen autem radicis Christum Dominum interpretor, qui arborem humanæ naturæ vitio Adami destructam, & corruptam, non tantum in priorem, quæ condita fuerat dignitatem, sed in multo etiam ampliorem, ac florentiorem reparauit.* In illo communi hominum excidio radix Maria seruata est, vt fructum benedictum germinaret: & sapienter adiungit sacer textus hominis ruinam non solum fuisse decretam, sed etiam radicis præseruationem de cælestium purpuratorum, & superni Imperatoris aulæ senatorum iudicio, & decreto: *de sententia vigilum decretum est.* Vt Isaiæ vaticinatio complementum suum acciperet: *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.* Omnes itaque frondes nobiliores, gratiosæ stirpes, pulcherrimi flores diem festum agunt Mariæ ab omni peccato immuni.

Primus homo gratia ornamentis exutus excisione arboris portenditur.

Radix & germen arboris, Iesus & Maria peccato Adami immunes.



Super omnem gloriam protectio.

DISCVRSVS II.

Diuinæ tutelæ ac patrocinij monumenta in arca lignea adumbrata, egregiis singularis prærogatiuæ coloribus, & gratiæ præseruantis insignibus, in vera, & viua Dei arca Maria refulgent.

Arca testamenti Deipara typus. S. Ephr. S. Epiph. S. Chrysost. And. Cret. S. Damasc. S. Amb. S. Iustinian.

1. ARCAM typum extitisse sanctissimæ Deiparæ nullus est, qui ambigat, id enim passim prædicant Patres in sacris sermonibus. Ephræm, Epiphanius in orat. de Deipara. Chrysost. in liturgia, Andræas Cretensis orat. 2. de dormit. & orat. de Annuntiat. Damasc. orat. 1. de Natiuit. Mariæ Ambros. serm. 81. Iustinianus serm. de Natiuit. Mariæ, aliique cõplures. Cùm ergo iuxta propositam interpretationem, aliam nobiliorem protectionem, & gloriosiorem in Deigenitrice demonstrandam, promittat Isaias, quàm extitit illa, quæ donata est arcæ, inuestigandum est hoc munimentum gratiæ præclarum; vt veridicum illud celebretur oraculum: *erit super omnem gloriam protegendi arcam, protectio Mariæ.*

2. Ab arca Noë bene auspicatum sumimus exordium; quam, in illo aquarum cataclysmo, furentibus, & vorticosis nimborum flatibus, assurgentibus super montium iuga, & saxorũ apices aquarum cumulis, ac vorticibus vndarum, nec mare læsit, nec fluctus absorbuit, nec turbinum, & ventorum violentia inclinauit ad lapsum; sed velut serena tranquillitate tenebat firmum nauigationis portum inter maria ludentia. Nec absque cõsilio proditum sacris litteris illud eloquium Gen. c. 7. v. 17. *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terrâ.* Et v. 19. *& aquæ præualuerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cælo.* Quas sententias ad immaculatã Virginis Cõceptionem placide trahit S. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus, cuius verba recenset eruditissimus Crespetius Cælestinus monachus in summa Catholicæ fidei in verbo *Maria. Constat eam* (ait Ildephonsus in speciali libro de virginitate Mariæ) *ab ipso peccato originali fuisse immunem, per quam non solum Euæ matris est diluta maledictio, verum etiam omnibus condonata benedictio. Quod quidem prætendebat arca illa iussu Domini à Noe fabricata, quæ aquis diluuij vniuersam terram & altissimos montes supergressis, sola ipsa supernatans ferebatur in sublime. audis litteram, audi & mysticam intelligẽtiam. Arca est virgo Maria, per quam à peccati naufragio totum genus humanum, & à damnationis æternæ diluuio liberatum est, quãuis igitur sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, tanquam montes excelsi virtute, & sanctitate vitæ obruti sint aquis, & inundatione peccati originalis; ipsa tamen arca nostra vniuersos montes istos supergressa ferebatur etiã in ipso conceptionis initio in sublime puritatis, nec est immersa huic voragini sordis originalis.* Perpulchrum schema exhibuit Deus Marianæ immunitatis, cum influentibus aquarum molibus arca illa mystica ab vniuersali naufragio immunis superfertur. Cum enim irreuocabilis effusio originalis flagitij, tanquam ingentiũ prolapsio fluctorum, excelsos Sanctorum montes, & sanctitatis fastigia inuoluerit, cõmunis corruptelæ vorticibus immersos extinxerit: tunc eleuata est arca Deifera super summum aquarum exundantium, de primæuo flagitio victrix; peccatiq; originalis diluuiũ, diuersis, freti modo, fluctuãs passionibus, naufragij immunis arca illa cęlestis calcat. Quam prærogatiuam sacra textus dictio aperte indicat, cum ait: *& aquæ præualuerunt nimis super terram.* Nam peccati originalis diluuium, & alternantes in singulis hominũ sæculis fluctus pręualuerunt super terram, & corda terrestria, quæ terrena sapiunt inundarunt; trames enim primitiui piaculi ad lutea habitacula defluxit, in quibus præualent incursus passionum, & ad malum propensio, & innata visceribus corruptela morum inoleuit; at Maria tota à sæculo sequestrata velut cœlitus delapsa institutione vitæ, & morum disciplina resplenduit. Nec terrestrem Adamum paritura destinatur, sed hominem de cœlo cælestem. Quæ supra terram est eleuata à terrenorum contagio, non obruitur primitiui criminis cataclysmo; solum enim irruit in eos, qui Adami æmulantur mores, & terrena sapiunt: *Aquæ præualuerunt super terram.* Non præualuerunt super arcam Mariam, quæ cælũ, & purior cœlo, & supra cælos cælorum est. Porro aquæ illę, quę in

Genes.

S. Ilde.

Cresper.

Omnes montes sanctorũ diluuio peccati cooperti, sola Deipara ferebatur in sublimi in ipso conceptionis initio à sordis originalis voragine libera.

Digitized by Google

in filiis Adæ ferale crimen vindicabant, in arca adumbratam Deigenitricem reuerebantur, nec procelloso turbine iactabant, aut violentis fluctibus tundebant latera, sed vorticibus vndarum coronantes, niuea rorabant aspergine; & velut pacificis ambiebant, & salutabant amplexibus.

3. Accipe aliud gratiosæ prærogatiuæ in arca documentum; non solum fluctus arcam in dorso, & vorticibus portant, & eleuant eripientes à voragine; sed fluidi elementi impetus, & incursus ad arcæ interiora non penetrant. Nec deerat arcæ fenestra, aut rimula, per quam sese insinuarent fluctuum stillicidia; vt perspicuum fit Genes. c.8. v.6. *aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat.* Per hanc rimulam infundebatur lumen diei in interiori camera latitantibus. Sed si aperiebatur ad hauriendam lucem, statim sese infunderent aquarum fluenta; nec tam inseruiret fenestra subsidio, quàm naufragio. Quæstionem proponit, & dissoluit eruditus Oleaster Genes. c. 8 *egrediebatur, &c. esset hic merito disquirendum* (inquit) *qualiter fenestra, quam fecerat, lucem arcæ præbere potuerit? si erat lignea, & clausa, non potuit lucem præstare; si aperta, aqua diluuij in arcam intrassent, nec est verisimile fuisse vitream.* Sapienter, & argute respondet. *Nescio aliter soluere, nisi quod Dominus prohibuit, ne aqua de cælo descendentes intrarent per fenestram in arcam.* Pulchrum effatum, & egregia Marianæ immunitatis prælusio; non sese infundebat per fenestram aqua, coërcente Domino fluctuum ingruentium incursus, & introitum aquatilis asperginis prohibente; arcam à prolapsione fluentorum protexit, & manus suæ tuto sepiuit munimine, ne vaga diluuij fluenta penetrarent intus. Quid demiramur, si originarij sceleris diluuium, & falsi fluctus mortis ad Christiferæ arcæ fenestram non ascenderent, non intrarent. *Deus prohibuit ne aquæ intrarent per fenestram in arcam.* Nonne melius, & securius fenestram occludere, ne periculum dilapsus in aquarum mole immineat? maius decus suæ potestatis ostentat Deus, vbi facinus operosius eminet. Si obserata firmissime arca, per rimulas aquæ non defluunt, non miraris. Si aperta fenestra, & vndique circumfluentibus vndis, de cælo dilabentibus stillicidiis, arca non fatiscat, maxima numinis exaltatio est, quòd protectrix manus aquas remoueat, ne intus dilabantur. Habet Mariæ arca fenestram originariam Adami, & Euæ naturam, & carnem per parentes ad filiam traductam, eo quod caro est Adami peccatoris; de carne peccatrice orta, patula est ad originale flagitium, & primi peccati diluuium, quod omnia pectoris penetralia peruadit. Hanc rimulam, & fissuram occupauit Deus, manuque sua protexit, ne acciperet inimicum imbrem, aut turbinem noxium criminis: *Deus prohibuit ne aqua intrarent per fenestram in arcam.* Per hanc cæli fenestram non aqua primi piaculi amara dilabitur, sed gratiarum pelagus infunditur, & lumen æternum, quod illuminat sedentes in tenebris, à peccatorum vorticibus naufragantes eripit. Cerne quanto iure de hac Mariæ arca Isaias verba illa proferat: *erit super omnem gloriam protectio à turbine, & à pluuia.*

Genes. *Quo pacto per fenestram arcæ lumen, non aqua infundebatur.*

Oleast.

Dominus mirabiliter prohibebat, ne aquæ diluuij intrarent per fenestram.

In arca Mariana, fenestra est Adami natura ad originale flagitium patula.

Hanc fenestram in Maria Deus manu sua protexit, ne in gratiarum mare dulcissimum, aliqua amara peccati stilla dilaberetur.

4. Ex arca Noe ad sacratiorem testamenti arcam gradum facio. Cuius structura describitur Exodi cap.25. vers.10. *Arcam de lignis Setim compingite.* Compacta est sacra illa theca ex Setinis tabulatis & asseribus, de senticosa arbore dolatis: est enim Setim genus arboris spinæ albæ simile, de his tamen sentibus licet colligere vuas, dulcemque potum, quo satietur animus; & rosas conceptuum, quibus Deiparæ vertex coronetur. In primis Albertus Magnus ad ea verba cantici *Magnificat: quia fecit mihi magna.* Disserens de lignis setim ex quibus fabrefacta est arca, scribit: *Quæ sunt ligna spinæ albæ imputribilia, & incombustibilia, sicut dicunt sancti; spina enim alba est compungens pœna sine culpa: nigra autem spina est compungens pœna cum culpa.* Supponit enim sanctissimus Antistes in arca Setim Deiparam aperte adumbratam, quæ licet spinis dolorum, & compassionum fuerit sæpe compuncta, & pœnarum tribulos ad maius meriti cumulum experta, spinæ tamen isthæc albescunt de immaculatæ puritatis candore; in aliis Adæ filiis, qui sortiti sunt terrenam substantiam, spinas, & tribulos criminum germinantem, nigricant sentes de originario piaculo; in Maria candescunt de primæuæ gratiæ albore conspicuo; datæ sunt spinæ non ad fructus indiuiduæ naturæ, & hæreditarij reatus monimentum, sed ad maius gratiæ decus, & ornamentum: *Spina enim alba est compungens pœna sine culpa.* Expediebat creari fœminam totius criminis expertem, hæreditarias protoplasti pœnarum ærumnas perpetientem; vt exemplari magisterio animosos redderet, dolores, & aduersa sustinentes, quos immaculata vita ab omni sceleris remorsu aliena commendat. Insuper in spina alba emicat virtus mirabilis ad arcendos serpentes, & præcauendum virulentum afflatum, vt testatur historia plantarum lib.14. ex Dioscoride lib.3. c.13. de spina alba scribente: *Amuletum ex ipso appensum serpentes fugare.* Et Plinius lib.24. c.12. ait: *Spinæ albæ semen contra serpentes auxiliatur.* Arcetur serpentis morsus, & halitus alba spina, nec accedere tentat ad spinosum fruticem coluber, potius refugit tanquam sui interitus ominosum vt recedentem draconem tartareum, fugam meditantem cernas ab alba spina Maria; nec accedere ausum ad suam interemptricem, & triumphatricem, candore gratiæ velut amuleto instructam. Nec mireris triumphum matris, quando auxiliares copias suggerit natus: *Spinæ albæ semen contra serpentes auxiliatur.* Attestante Plinio, non mirum si semen mulieris Iesus contra lubricum primi peccati anguem robur, & adiutorium firmissimum præstet genitrici. Illustrat hanc Thesim Iacobus Episcopus Christopolitanus in cap.1. Cantic. cantico suo secundo scribens: *Setim est arbor spinosa non multum alta, cuius lignum postquam est mundatum à spinis, & leuigatum à pelle, fit albissimum, & imputribile, & incombustibile. Per quod lignum figurabatur caro beatissima Virginis Mariæ quæ licet esset traducta, & propagata ex Adam, tamen ante animationem fuit mundata à spinis Adam per virtutem Spiritus sancti, quia in ventre matris fuit sanctificata illa caro, antequam animata.* Non per gratiam sanctificantem (inquit sapienter) cum caro inanimata

Exod.

Arca de lignis Setim compingitur.

Albert. Mag.

Spina alba est compungens pœna sine culpa; nigra spina est compungens pœna cum culpa.

In Maria arca spina alba, non nigra peccati.

Spina alba contra serpentes amuletum.

Dioscor.

Plin.

Iacob.

Spina alba caro Mariæ ante animationem mundata per Spiritum sanctum à peccati spinis.

mata non esset capax gratiæ, sed per virtutem mundatiuam Spiritus sancti, sicut exorcizatur aqua, & oleum consecratur in chrismate: *Ita caro Virginis fuit per virtutem Spiritus sancti, & ab omni fomite mundata, & facta alba imputribilis, & incombustibilis, ne anima in eius consortio posset fædari, sed anima absque omni labe & iniuria posset creari.* Hæc sapientissimus Antistes Iacobus Augustinianæ familiæ decus.

S. Bern.

5. In hanc quoque mentem inciderat sanctus Bernardus serm. de Beata Maria, cuius exordium est: *Aue Maria.* De arca & lignis setim mysteria eruens dulcis sapientiæ claue reserans arcam, ait: *Arca testamenti typum tenet sanctæ Dei genitricis. Illam fecit Bezeleel, istam condidit Emmanuel. Bezeleel Oliab socium habuit, & Virgo Virginum condita, prælecta, præseruata, & ornata per Spiritum sanctum, & eius omnipotentem Filium fuit. Bezeleel interpretatur vmbra Dei, Oliab protectio mea. Prior ille Spiritus sancti typum tenet. De lignis setim condita est arca, quia licet Maria de Patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, prælecta tamen per Spiritum sanctum, & præseruata ad purum.* Duo Fabri, & Architecti cœlestis illius moliminis arcæ, duos illos fabricatores, & conditores Marianæ arcę adumbrabant, non discordante vtrorumque nomenclatione arcana, nimirum *Bezeleel vmbra Dei, Oliab protectio mea.* Tantæ enim molis erat supercœlestem Mariæ arcam condere, vt dum construitur ex purissima Annæ substantia, & ex Iesseo trunco theca dolatur, reconditorium cœlestis alimenti, & viui legislatoris, Spiritus sanctus eam obumbret, & seruet incolumen ab omni contaminatione peccati, & Filius Emmanuel in constructione prima firmissimo præsidio protegat congenitæ gratiæ. Sublimius, & mirabilius hoc tegumen quis inficiabitur, quàm duorum Cherubim & alarum velamentum, nobiliori cantilena prædicandum; quanto nobilius, & sacratius munus præstatùra erat hæc arca, in qua Dominus, & Saluator carnem indueret, qua filios Dei pasceret in hoc sæculo, & bearet in futuro. De lignis quoque setim exciduntur tabulata, quia ex arbore vitiata per culpam pullulat, spina tamen criminis, quæ nobiliora ornamenta naturæ humanæ lædit & sanciat, rescinditur, vt prælecta per Spiritum sanctum & Filium præseruetur ad purum, quia purissimam & incontaminatissimam Patris progeniem paritura; in ea enim generatione Mariæ stimulus peccati retunditur, sentes originarij sceleris inhibentur, ne lædant in primo flore virgineam virgam, de qua flos Iesus purissimus ascendet. Prima hæc superni Pneumatis inumbratio cohæret cum secunda: idem Spiritus carnem præseruaturus in filio, à culpa præcauet in Matre. Et vtriusque prærogatiuæ idem operator est. Pulchre rationatur de Conceptione Christi sanctus Hilarius libro 2. de Trinitate agens de Spiritu sancto. *Ipse sibi in hac operatione famulãte & sua videlicet Dei inumbrãte virtute, corporis sibi initia cõsecrauit, & exordia carnis instituit.* Carnem enim Mariæ purissimi Spiritus habitaculũ, non ad criminis spurcitiam ipse abiecit, sed gratiæ dedicauit, vt idem Spiritus Sanctus vsurparet sibi vitæ exordium in Matre, qui primitiuũ vitę haustũ sibi vendicabat in Filio: ex quibus liquet quàm apposite Isaias hoc mysterium prospectans, vaticinium illud protulerit de tuitione sacratæ arcæ Mariæ: *Erit in vmbraculum ab æstu, & erit super omnem gloriam protectio.*

Arca Mariæ cõdita, prælecta, præseruata per Filium & Spiritum sanctũ.

Maria de natura peccato vitiata ducens originẽ, Dei vmbra & protectione præseruata ad purum.

Bezeleel idẽ est ac vmbra Dei Oliab protectio mea.

S. Hilar.

Carnis Marianæ initia Spiritus sanctus sibi consecrauit.

6. Adhuc resplendet in arca typica prærogatiua immunitatis Mariæ, ipsa enim pulchritudinẽ suam cõmendans, arcæ operculis se cõparat, Cant. c. 1. v. 4. *Nigra sum, sed formosa sicut pelles Salomonis.* Arcam nimirum obumbrantes, & protegentes ab incursu turbinis, & pluuiæ, de quibus argute scribit Picus Carthusianus de Mariæ immunitate à peccato originali: *Illa licet propria conditione essent, vt tabernacula Cedar, pluuiæ, & caumatis passibiles, nunquam tamen aliquid tale memorantur experta, diuina gratia præuentu. Formosa sicut pelles Salomonis, quam non ex conditione, sed pro sola clementia, tanto honore dignatus est altissimus, vt per gratiam (ceu olim typici pelles Salomonis) illius tam detestãda iniuria immunitatem acciperem.* Sic in persona Virginis fatur hîc Picus, & eruditus autor. Sacræ arcæ operimenta ianthinarum pellium, & sagorum ab omni caumate, cœli iniuria reddebantur immunia, nec cœli imbribus sunt madefacta nec experta inimicam elementorum intemperiem, à Deo protecta in gratiam arcæ; ideo speciosa nuncupatur Deipara, iuxta sapientem Picum, sicut pelles Salomonis, quarum decus & nitor non est obfuscatus, aut obscuratus elementariis plagis, quia ipsa immunis reddita ab omni nimbo, & pluuia, & inimico originarij piaculi imbre; protegente Deo arcam suam, & tegmina Marianæ carnis, quibus obtegendus, & muniendus erat ad pugnam Deus, & in ipsa tanquam in cœlesti tabernaculo stationem firmissimam collocaturus.

Cant.

Pic. Cart.

Arca & illius operimẽta pluuiæ, & caumatis immunia.

Maria detestanda iniuria peccati originalis immunitatẽ accepit.

7. Simile prodigiũ accidisse recẽsetur ab optimę notę autoribus in eo loco, in quo Euãgelista Ioãnas litteris mãdauit Euãgelium Christi, vt sapiẽtissimus Abulẽsis annotat prol. 3. in Matt. q. 3. illius verba sunt: *Non solũ Deus cõcessit B. Ioãni, vt loqueretur altiora mysteria, quæ nũquam dicta fuerãt, sed etiã quod locus ille, in quo scriberet, ab elementis venerationi haberetur, nã fertur quod in cãpo scripserit sub dio, & tamẽ dum scripsit, nulla pluuiarũ, aut ventorũ, æstus, aut frigoris turbatio fuit: sed maxima in loco ipso rerum temperies; quam vsque hodie reuerentiam omnia elemẽta ipsi loco seruare asserunt.* Hunc tamen officiosum, & reuerentem cultum ab elementis exhibitum, ait quæst. 6. propter illa verba potissimũ, quæ plena sunt sublimiori, & inexhausta sapiẽtia: *In principio erat Verbum. Et Verbum caro factum est.* Itaq; locus ille Euãgelicæ Ioannis litteraturæ destinatus, priuilegium accepit immunitatis, vt omnes arcerentur elementorum iniuriæ, vt nec hyemali glacie, ventorum turbine, torridis æstus flatibus læderetur, aut ingruẽtium pluuiarũ stillicidiis immmadesceret, sed protectione mirabili seruaretur incolumis à caumate, ab æstu, à pluuia, à nimbis ventorum, tanquã paradisus cõstitutus in placidissima aeris, cœlique tẽperie. Si verbis, & chartis, in quibus scribebãtur arcana cõsilia, Ioãnis manu exarata, tantũ deferũt honorẽ, & venerationẽ elemẽta, vt scribẽtis mãsio, & liber seruaretur innoxius, quia in tabulis materialibus, & mortuis attramẽto exprimebat: *In principio erat Verbũ. Et Verbũ caro factũ est.* Quid mirũ si tẽplum Domini

Abul.


Ioãnes Euangelista scribens sub dio nulla elemẽtorum iniuria, locus ille læsus.

gloriosũ Dei tabernaculũ, volumen magnum, librumq; nouum Mariam, in quo stylo hominis Pater artifici Spiritus sancti manu inscripturus Verbum, & exaraturus vnione mirabili in carne virginea tanquam in leuigata, & nitida membrana; immunem redderet ab originarij criminis pruina, à turbine & à pluuia primitiui piaculi: omnis animæ aduersa, & noxialis tempestas reuerita est tabulam Paterno Verbo scribendo præparatam, nec illam ausa est taminare vel leuissima hæreditarij criminis iniuria.



DISCURSUS PARS II.

Superna arcæ protectio cum Dagone pugnantis, ipsumque prosternentis, gloriosiori Marianæ arcæ protectioni præludebat, Draconis caput conterentis, & strangulantis.

8. ENIO ad maiora arcæ sacramenta, vt Deiparæ immunitas à primæuo peccato sole clarior effulgeat. Aduerso marte pugnarunt Israelitæ cum barbaris, tergaque dantes hostibus, solitariam reliquerunt arcam Dei, quæ data est in potestatem Philistinis, iique alacres, & ouantes tanto pignore, & potiori spolio gloriam Dei reuehentes in triumphum, in celebratissimum sui conficti numinis delubrum intulerunt 1. Reg. c.5. v.2. *Tuleruntque Philisthim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon.* Arcam adumbrasse sanctissimam Deiparam, compertissimum est. Id aperte confirmat S. Gregorius Thaumaturgus sermon. 1. de Annuntiat. dicens: *Verè Beatam Virginem esse arcam sanctissimam intrinsecùs, & extrinsecùs deauratam, quæ vniuersum sanctificationis Thesaurum suscepit.* Quod vero portentosum Dagonis idolum dæmonis potestatem prætenderet, & originale peccatum, insinuat Dagonis forma, structura, & nomenclatio; forma quia præseferebat imaginem piscis, seu draconis, vt annotant Glossa, & Mariana noster, vnde in Hebræo habetur: *Idolum piscis magni figura.* Et deducitur à Dagh, quod piscem denotat, vnde superne referebat simulacrum hominis; in piscis seu marini colubri imaginem infernè desinebat; vt serpentis insidias, & suadelam ostenderet mysticè, à qua hominis natura vitiata, & corrupta. Si vero ad primitiuum, & originarium cultum monstri, mentem reducas, vera est illa Diodori eruditio lib. 3. cap.2. *Dercetam Ascalonitem, quod Semiramidem stupro genuisset, pudore victam, se in lacum ad Scalonem abiecisse, conuersamque in piscem, Syrios ideo piscibus abstinere, eosque vt Deos colere.* Vt Ethnici superstitionibus dediti omnia sua numina ad fabulosa commenta reducant. Denotat Dagon ex S. Hieronymi placito: *piscem doloris, seu tristitiæ.* Vt dolorem, tristitiam, anxietatem, ærumnas innuat, quas Diabolus, & originale peccatum, in naturam hominis antea felicem inuexit. Nec obscurè id indicat Rupert. lib. 1. in lib. Regum cap. 14. dicens: *Omnis massa dæmonum intelligitur per illud idolum, nomen Dagon interpretatur piscis tristitiæ, significans qui in mari est cetum magnum Leuiathan serpentem vectem tortuosum.* Et Angelomus addit: *in capite Dagon superbia diaboli abscissa significabatur à quo initium peccati fuit.* Placet modo in hoc amphiteatro honoris cernere celebrem conflictum inter horrendum illud monstrum, & arcam; in prophano delubro arena certaminis instituta, in ipsa commentitij numinis ara vtrinque digladiatum, vt quem quis vinceret, & triumpharet, liquido appareret; vel plaudentibus Angelis, arcæ victrici; vel Philisthinis, deo suo victori, & triumphatori. Hanc enim mentem iniecerat diabolus barbaris, hominibusque prophanis, vt ad latus sui diui arcam constituerent, tanquam virium suarum ostentum, & vinci nesciæ potestatis, victoriæ suæ manubias præclaras; vt arcæ illuderent, & in ea supernum, & verum numen irriderent. *Tulerunt Philisthim arcam Dei, & statuerunt eam iuxta Dagon.* Argute Lyranus in Glossa ait: *Intulerunt eam in templum iuxta Dagon, attribuentes sibi victoriam, & arcæ captionem, propter quod Dominus ostendit contrarium.* Et Abulensis q.11. *Posuerunt Philisthim arcam iuxta Dagon, in signum victoriæ.* Dominus autem arcæ vindex & protector *ostendit contrarium*, vt inquiebat Lyranus, nec arcam extitisse captiuam, nec deuictam; vt hoc autem esset vniuerso orbi conspicuum, Deus honoris, & dignitatis arcæ zelãtissimus, portenti miraculo demonstrauit, quod eodem c.5. l.1. Reg. v.3. recensetur: *Cumque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini, & tulerunt Dagon & restituerunt eum in locum suum. Rursumque manè die altera consurgentes inuenerũt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen: porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Vidisti miraculum: attende mysterium, & iuxta litteralem intelligentiam valde sublime documẽtum; apex boni, & cælestis verbi non te prætereat, nec minimam tanti prodigij particulam inexaminatam relinquas. Cur pronus iacet Dagon, non supinus, Rotans, corruens, & prostratus apparens pedibus arcæ: ad ostentationem sat esset inclyti triumphi, cum ipso habitu, & abiectione inhonorã prædicaret imbecillitatẽ suam, & arcæ potestatẽ? Constituitur Dagõ pronus, & cernuus, vt ipso casu, prostratione, vultu ad terram demisso, mutum simulacrum clamitet, se arcam non vicisse, sed reuerenter coluisse; nec extitisse captiuam, sed liberam. Pulchrè Lyranus inquit: *Ecce Dagon iacebat pronus, quasi faciens ei reuerentiam.* Et Sapientissimus Abulensis subscribit valde luculenter quæst. 12. in cap. 5. l. 1. Reg. *Dicitur autem quod erat pronus, quia non solum erat iacens, sed etiam super os suum iacebat, vt poneretur tanquam adorans arcam Dei. Si tamen fuisset iacens, & non pronus, sed supinato ore, non videretur adorans. Hoc antẽ magis exprimebat dignitatẽ arcæ.* Cur autem in contentiosa erectione idoli coram arca post ruinã, Angelico ministerio abscissæ sint manus, amputatũ caput, trũco remanẽte corpore immanis portẽti, subiũgit iucundã rationẽ q. 13. *Ideo (inquit) abscissa sũt illæ partes, quæ ad adorationẽ pertinẽt. Scilicet caput, quia illud bene curuanit & manus, quia illas nõ bene eleuauit* coram

Lib. R. 8.
Arca collocata iuxta Dagon vmbra Deiparæ.
S. Gre. Thau.
Gloss. Marian.
Dagon magni piscis figura.
Diodor.
Illius cultus origo.
S. Hier.
Dagon piscis doloris seu tristitiæ.
Rupert.
Dæmonem & peccatum originale denotat.
Gloss.
Philistim posuerant arcam iuxta Dagon, in signum victoriæ ipsius, & arcæ captiuæ.
Illustri miraculo ostendit Deus Dagon non fuisse arcæ triumphatorem.
Abul.
Cur Dagon pronus iacet, non supinus.
Lyran.
In signum reuerentiæ.
Abul.
Positus est Dagon tanquam adorans arcam Dei.
Abul.
Abscissæ sunt caput & manus Dagon, quia iis arcæ reuerentiam non intulit.

teram Domino. Quis dubitet ad decus & gloriam Mariæ Deiparæ hæc omnia facinora fuiſſe perpetrata, nam omnia illa in myſterio contingebant; & victoriam ſingularem arcæ ſanctiſſimæ adumbrabant. Nec enim horrificum illud peccati originarij monſtrum, quod inſtigante dracone, & colubro tortuoſo, Eua parturiit, & Adami conſenſu tranſgreſſionis, adoleuit, Deiparam arcam attigit; nec deuicta eſt à tyranno, qui Regum, Imperatorum, omniumque mortalium vertices æquo pede pulſat. Vt intacta, inacceſſa, inuicta oſtenderetur à filio, cuius cuſtodiæ, & tutelæ commiſſa eſt arca. Dagon in maiori niſu corruit, vt manifeſtũ compareret argumentum, nunquam in arcam ſuam præualuiſſe; quod voluit ſuæ ſignum eſſe victoriæ. Dagon ſeu piſcis triſtitiæ, vertitur in manifeſtæ abiectionis, & vituperationis indicium. Oſtendit Deus Dagonem arcam ſuam viuam non viciſſe, dum ante illam ipſe venerabundus proſtat; retia captiuitatis, & decipulæ vertuntur in monumenta pretioſa præſeruantis gratiæ. Ad omne Adami progenitorum vulgus habet Dagon, & draco caput, quo illabatur in animas, obtinet manus quibus irretiat, & in ſuam redigat ſeruitutem. Vix viuere incipiunt; & miſeras ſubeunt originalis captiuitatis ærũnas. Ad Mariam vero truncus capite, & mutilus manibus eſt, omnes inſidiæ, & artes inualidæ, quia arca Maria draconem decapitauit, caput eius contriuit; habitu, nutu clamitat ad arcam Mariam non præualuiſſe, potius ante ipſam dum pronus in terram corruit, tanquam cælorum Reginam, Domini omnipotentis parentem venerabundum procubuiſſe.

Horrificum primaeui peccati monſtrum, arcam Deiparam non attigit, ſed illam eſt veneratum.

Arca Maria Draconem decapitauit.

9. Nec potiſſima Dagonis nomenclatio vacat ab hoc myſterio: interpretatur enim, vt diximus: *piſcis triſtitia, & mœroris*. Sic enim diabolus, & peccatum originale nuncupantur. Iob. c.40. *Behemoth* quod ſonat *in ipſa mors*. Quia à fœmina exordium ſumpſit peccatum. Dicitur etiam *Leuiathan*, id eſt: *copulatio vel additamentum*. Pulchre S. Iſidorus Hiſpalenſis lib.8. ætymol. cap. de diis gentium ſcribit: *Quorum additamentum niſi hominum, quibus in paradiſo ſemel per culpam preuaricationis intulit mortem*. (& de myſtico Pharaone dæmone dicitur Ezechiel. c.29. *agglutinabo piſces fluminum tuorum, & vniuerſi piſces tui ſquamis tuis adhærebunt*. De Lucifero vaticinium accipit S. Hieronymus iuxta ſignificatum nominis *Pharaonis*, quod idem ſonat, ac: *qui à Deo ſeparat*. Nos enim à Deo ſegregauit per culpam, inter creatorem, & hominem inimicitiarum maceriam conſtituit, & tanquam piſces homines retibus ſuis intercepit, & ſquamis malitiæ, & contumaciæ adhærere fecit. Hunc Draconem, hunc piſcẽ homines tanquam incautos piſciculos lateribus ſuis colligantem, Maria penitus excidit; illius interitum, huiuſque triumphum prædixerat Iob eodem cap.40. v.24. *Numquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?* Septuaginta legunt: *puellis tuis*? quem locum de Deipara expendit Sanctus Bruno ſerm.2. qui eſt de Natiuit. Mariæ, dicens: *Nec ipſi fortes ligare potuerunt; ego tamen per vnam ancillam meam ego ligabo, & fortitudine priuabo. Hæc eſt illa nobiliſſima ancilla Beatiſſima Virgo Maria*. Ligauit fortem, qui ludebat in aquis ſæculi, innatãs fluctibus paſſionũ, vt infringeret robur, quo præualebat in filios Adæ, & tanquam iumentum capiſtro ligatum, lupatis frenatum, in triumpho circumtulit; ne quantum vellet, præualeret in paruulos, & hianti rictu deuoraret. Hæc ſola ancilla inſidias, & conatus eius irriſit, & tanquam alitem paruulam volaturientem ligatam funiculo poteſtatis, & gratiæ ad terram deiecit, pinnas infregit, formidoloſos auſus eluſit. Veneretur ergo arcam Dagon, & in terram pronus corruat, & puluerem pedum Mariæ lingat, vt oſtendat annoſi ſerpentis perpetuam triumphatricem. Deus illuſtri victoria tutatus eſt arcam ligneam ab inſultu Dagonis; arcam Deiparam nobiliori miraculo incolumem à primęuo Draconis impetu intactam ſeruauit, vt veridicum oſtendatur Iſaiæ alloquium: *ſuper omnem gloriam arca protectricem, Maria protectio eſt*.

Iob.
Leuiathan id eſt: copulatio, additamentum.
Peccatum originale innuit.
D. Iſid.
Ezech.

S. Hieron.

Iob.
Lect. Lxx.

S. Bruno.
Leuiathan ab ancilla Deipara ligatus & illuſus.



Erit ſuper omnem gloriam protectio.

DISCVRSVS III.

Primus Angelus à Deo creatus, vt Deiparam obumbraret, & protegeret; cuius tutelam vt deſpexit, cecidit; eamque ſancti Angeli officioſo famulatu exambiunt.

1. AGGREDIOR, Deiparâ auſpice, non ingratam ſpiritibus ſupernis theſim illuſtrare. Condidit Deus in arcano ſapientiæ ſuæ conſilio Angelicam naturam ad Parentis ſuæ famulitium, & patrocinium, & primario ſpiritui hoc munus iniunxit, vt Deigenitricem alis ſuis obumbraret, ab eaque ſolerter omnes criminis arceret iniurias; quod ſi recte ſaperet, & non tam citò elatione deſiperet, pro fauſtitatis ſuæ exordio nobilem hanc, honeſtam, & gratam functionem vſurpare debuiſſet. De creatione primicerij ſpiritus vaticinatus eſt Ezechiel. cap. 28. in quo omnia illius ornamenta naturæ, & gratiæ dinumerat grandioribus verbis, vberibuſque ſententiis; quibus omiſſis, ad finem, & ſcopum primo Angelo propoſitum venio. Ibi enim v.14. dicitur: *Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei*. In confirmanda ſententia aſſerentium in præſenti de Lucifero eſſe ſermonem non immoror, cum à primoribus Eccleſiæ, & neotericis commentatoribus receptiſſima ſit. Scripturarum phænix Hieronymus nos ab omni onere, & labore inueſtigandæ veritatis alleuiat; cum enim hunc locum de primo Angelo eſſet interpretatus, ſubiungit: *extentus, & protegens ſubauditur arcam Dei, & propitiatorium*. Et Dionyſius Carthuſianus interpretatur: *creatus ad protegendum*. Et Septuaginta pro *Cherub protegens*, legunt: *Cherub obumbrans*. Quis autem ſibi perſuadeat, ad hunc finem creatam nobiliorem ſpirituum naturam, vt illam materialem protegeret, & obumbraret alis ſuis arcam, conflatam iuſſu Moyſi? imperio Salomonis ex

Ezech.

Lucifer Cherub creatus vt arcam Dei protegeret & obumbraret Mariam.
S. Hieron.

Dionyſ. Carthuſ.
Lect. Lxx.

lignis oleaginis sculpta Cherubinorum simulacra, vt extensis pennis vmbraculum, & tutamentũ præstarent arcæ. At Cherubinis viuis, & ratione præditis potestatibus, munus iniũctum vt arcam præstantiorem, & ratione vtentẽ Deiparam alis suis obtegerent, & ei vmbraculum præstarent, quam in spiritu ostensam Angelis viatoribus dubium non est. Itaque ad tegumen, & vmbram Mariæ Angelus primus est cõditus, vt eam ab omni hostili impetu redderet incolumen, ab ea omnem puluerem, & maculam incuriæ criminosæ vigilanti sollicitudine arceret. Vnde vers. 15. Ezechiel subiungit *perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ.* Vel iuxta Septuaginta: *fuisti immaculatus à die, qua creatus es.* Immaculatus creatus est Angelus, & ab omni piaculo immunis, vt Mariam immaculatam, & ab omni peccato liberam protegeret. Nec versiculus 13. anterior, ab hac mente discordat: *Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.* Quæ autem sint ista foramina aperit versio Hebræa: *Aurum tympana tua, vel tympanorum tuorum.* Et Tigurina legit: *Opus tympanorum tuorum, vel fistularum tuarum.* Vt harmonicis vocibus, & concentibus tanquam campanulis aureis benè sonantibus dulci melodia concrepantibus. Mariæ prȩconia celebraret; hymnos, cantilenas, rhythmica arte compositas effunderet, tibiis, & fistulis reboantibus suauissimo concentu Angelicas acies prouocaret ad choreas, & modulamina dulcissima, vt omnes filij Dei iubilantes, concrepantes, Deiparæ magnalia, & singularis gratiæ protegentis vmbraculum occinerent: itaque iussus est Angelus, vt Mariam obumbrans laudaret, collaudãs, & cantitans obumbraret. Cum ergo Deus luciferum regalibus insulis ornatum, omni lapide pretioso coruscantem, diademate decoris cinctum creasset ad Mariæ vmbraculum, & præconium: *Creatus ad protegendum arcam,* superbia tumens, & munia prȩstare contempsit; inuisũ, & indecens æstimauit Angelicæ naturæ, & principi sublimiori, Angelorum apicibus accito, organa pulsare, hymnos modulari, acroama Mariæ intonare; lyristæ, psaltriæ, tympanistriæ munus, & obsequium præstare fœminæ. Toruo aspectu, & depresso supercilio tantum munus protectoris despiciens, nec alas expãdit ad velamentum; sed despiciẽtia quadã colligit, & contrahit. Ideo tanquam miles discinctus, & omni integumento pretioso exutus, vniuersa gloria orbatus reiicitur, & propulsatur de domo, & paradiso Dei, principis militiæ cælestis Michaelis potestate, & ministerio. Quæ omnia non obscure indicat Euangelista Ioãnes Apoc. c. 11. v. 19. *& apertum est templum Dei in cælo, & visa est arca testamenti in templo eius.* Per arcam, & templum Iesum, & Mariam intellige iuxta S. Ambros. & S. Bernardinum Senensem, qui existimat in hoc demonstrari mysteria Angelis in exordio mundi proposita. *Primum est persona Christi, secundum est persona Virginis Matris.* to. 1. serm. 59. art. 2. cap. 2. & tom. 3. serm. 9. *de septem verbis Beatæ Virginis.* Mariani cantici celeberrimi sententiam illustrans: *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles,* ait: *Beata Virgo regratiatur Deo de beneficiis iustitiæ, & misericordiæ simul. Vnde subiungit dicens: deposuit, scilicet Christus, potentes, scilicet dæmones de sede: ecce effectus iustitiæ, & exaltauit humiles, scilicet Angelos, qui*

Primus Angelus immaculatus creatus, vt in creatione Mariæ, protegeret illam immaculatam.

Ezech. Lect. heb. Tigur.

Creatus Angelus vt Mariæ præconia dulci concentu celebraret.

Angelus superbia tumẽs tantum munus protectionis despexit.

Apocal. *Arca in cælo apparens Christus & Deipara.* D. Ambr. D. Bernard.

Alio gratiarum Mariæ, quia superbos Angelos de sede deiecit, eos qui se humiliauerunt

Christo se humiliauerunt, & Beatæ Virgini. Itaque Angeli in quibus Deus reperit prauitatem, fastidio, & arrogantia elati, nullo tueri obsequio, nec obseruantia, & comitate Reginam Deiparam reuereri voluerunt: de thronis suis repulsi pulchra Domini æquitate: *deposuit potentes de sede:* at spiritus recti tribuentes Mariæ officium protectionis, & cultum diligentem, in canticis, & hymnis illius decus, & gloriam celebrantes, ad eximium dignitatis apicem euecti sunt: *& exaltauit humiles.*

Christo & Mariæ, exaltauit Deus.

2. Sancti Angeli mirificis laudationibus compensare satagunt officium pietatis, munus clientelæ erga Deiparam, illius facti tanquam tutelares diui, & cælestes patroni; quæ omnia hymno 47. commendat lyricen supernus, Regiusque Psaltes, vbi sensus litteræ de fundatione Sionis, Ciuitatisque Regiæ Dauidis, & structuræ Ecclesiæ per Christum; ad conditionem, & structuram Deiparæ leniter extẽditur; de ipsa enim versiculi tertij verba: *fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis ciuitas Regis magni.* Singillatim Sanctus Ioannes Damascenus vsurpat orat. 2. de dormit. Mariæ, vbi illam *Dei ciuitatem* nuncupat. Et Arnobius, aliique plures. Cui quidem aptiori similitudine consentiunt lectiones huius loci variæ. Biblia Complutensia legunt. *Bene fundata:* Dydimus, & Ambrosius: *Bene radicata, stabilita, firmata, gaudio vniuersæ terræ.* Cum enim Mariana ciuitas à Deo conditur, illius gratiæ fulcrum cælestis, & terrestris orbis plaudunt. Caietanus legit: *pulchra sponsa.* Campensis in enchiridio Psalmorum: *speciosa nympha est, & decus vniuersæ terræ.* Et verbum Hebraicum נוף *noph* vt annotat Ricardus Cenomanus, & approbat noster Lorinus, innuit: *germen, sponsam, fauum mellis.* Est enim Maria pulcherrima nympharum, speciosissima fœminarum, humani generis decus, & venustas, germen Domini nouum, & mirabile, virgaque Iessea & Regia, ex qua dulcis flos Iesus prodiit; quid ni appellem Mariam fauum mellis iucundum, quæ suis delinit blanditiis induratos peccatores criminibus. Quæ ex cera humanitatis condidit cellarium, in quo totum diuinitatis saporem reconderet, & mellitam dulcedinem suauitatis, & gratiæ mortalium cordibus funderet? Collimant non obscure mentem propositam verba subsequentia: *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* Regis enim magni potentia mirabilis in hac Regia, & basilica, in hoc Mariæ palatio demonstrabitur. Hieronymus pro illa sententia: *cum suscipiet eam,* legit: *in auxiliando.* Hebræus: *ad eleuationem, & protectionem.* Chrysostomus: *ad eruendum eam.* Campensis ex Hebræo vertit: *Deus protectione in ea notus est.* Caietanus: *Deus agnitus est protegendo.* Alij in scholiis Septuaginta: *Deus agnitus est in eruendo eam.* Deus enim magnificus, & gloriosius prædicatur in Mariæ protectione, notissima enim facta est Angelis, & hominibus Dei omnipotẽtia, & gratia, cũ dilectam matrem, formosam sponsã, omni Musa, & Nympha, aquarumque Dea gratiosiorẽ, à primi piaculi contagio eruit, ab incursu, & lapsu in originarium crimen protexit, cum in maiori naturæ humanæ discrimine eam seruauit, eripuit, manu sua suscepit, protexit, eleuauit; ne lutulenta peccati voragine mergeretur, aut cœnosi gurgitis aspergine taminare

Psalm. *Ciuitas Dei Maria fundatur, & stabilitur exultatione vniuersæ terræ.*

S. Damasc.

Bibl. Comp. Dydim. S. Ambr.

Caiet. Camp.

Lect. Heb. *Maria speciosa nympha, sponsa, & fauus mellis.*

In Maria auxilianda, protegenda, eruenda, eleuanda, potentia Dei agnoscetur, & magnificentia. S. Hieron. Lect. heb. S. Chrysost. Camp. Caiet. Schol. Lxx.

minaretur, vt veridicum semper constet Isaiæ effatum: *Erit super omnem gloriam Dei, protectio Mariæ*. Cum enim natura inclinabat ad lapsum pondere hæreditarij parentum reatus, decoram pupam, visendam Nympham, præclaram sponsam, & puellam suis vlnis suscepit, amplexatus est auxiliaribus brachiorum lacertis, eleuauit ad sidera, super omnes Angelorum apices constituit exultatione vniuersæ terræ. Perpulchram coronidem adiicit suis verbis huic thesi Lorinus noster dicens de Deipara: *Fundata, concepta, nata ciuitas hæc exaltatione vniuersæ terræ. Mons Sion velut altissima specula versus austrum cælestibus radijs, & ardoribus exposita. Mons specioso germine præditus, ipsam denotat, cuius omnis à germine, filioque suo Christo species, ac pulchritudo existit. Denique pulcher, mons est climate. Et Symmachus: ab initio prædefinita splendore, quia nulla nubecula vllius peccati adumbratur, sed serenissime, & splendissime collucet.* Hęc ille. Quia verò Aquilonarius flatus, & incursus inuisus, & aduersus ab exordio extitit humanæ naturæ, firmissima Deus munimenta gratiæ, & auxiliares Angelorum copias instruxit, ne læderetur Maria sponsa; ideo solerter, & argute diuinus cantor illud adiungit: *Mons Sion latera Aquilonis.* Theodoretus, & Euthymius legunt: *Montes Sion.* Priorque has sententias adiicit: *Atque etiam montibus ipsam circundedit, vt Aquilonis damnum declinet. Ab Aquilone enim, inquit, accendentur mala super omnem terram. Et rursum Aquilonem expellam à vobis. Montes autem, qui boream expellunt, idest ciuitatem incolumen custodiunt, esse Angelos.* Semper Aquilonaris plaga formidolosa est; nam ab eo, qui in lateribus Aquilonis thronum suum erigere, & sedere contendebat, vt esset similis altissimo, origo extitit peccati; ideo à regia sua, & basilica Deus in qua carnem assumere, statuit; boreales iniurias dæmonis super tractum Aquilonis dominantis, propellere in primis contendit; vt ominosi Aquilonis damna declinet, erexit propugnacula Angelorum argentea, quæ auctoris peccati iniurias, & ærumnosos flatus auerterent: spiritibus supernis tantæ Reginæ demandata est custodia, & munimentum.

Lorin.

Mons Mariæ specioso germine præditus.

Ab initio prædefinito splendore fulget, nullius peccati nubecula adumbrata.

Theodor. Euth.

Montes angelici aduersus peccati Aquilonem Mariam circumdant.

3. Quod quidem Moyses in accurato schemate Cherubinorum arcā obumbrantium delineauit. Exodi cap. 25. v. 18. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi, Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero: vtrumque latus propitiatorij tegant expādentes alas, & operientes oraculum.* & v. 21. subiungit: *Inde loquar ad te de medio duarum Cherubim, qui erunt super arcam testamenti.* Obsequia Cherubinorum proponit sanctus Augustinus q 105. in Exodum: *Duo Cherubim pennis suis obumbrant, idest honorant velando.* Vt sancti Angeli decus, & honorem rependant arcæ, quem apostata Angelus exhibere recusauit. Cum enim obseruantiam deferunt arcæ, ipsam venerantes, dignitatis suæ gloriam accumulant; nec exaltationis suæ iacturam censent, sed cumulum gloriæ, arcam protegendo venerari. Et argute ait munus impositum protegendi vtrumque arcæ latus: *Vtrumque latus tegant.* Et iuxta Hebræum, & Caietanum: *Duas extremitates.* Quia vbi maius instat periculum, solicitior exigitur custodia; ortus enim, & occasus hominis præsentissimis subiacet ærumnis. Vnde in arca Deipara vtramque extremitatem, vitæ exordium, & extremum septum tenent vigili custodia, vt præsidium impendant incolumitatis, ne inauspicatus sit primus vitæ halitus, caligine originalis maculæ, aut criminosæ mortis vmbra, alarum velamento obtegunt primum arcæ latus, firmissimo gratiæ præsidio; ne formidolosus sit exitus vitæ, nec pateat incursibus hostis infensi, obuallatur Angelorum satellitio aliud latus, vt honore superni patrocinij resplendeat. Nec solum in extremitatibus arcæ, sed etiam in cortinis, & velis tabernaculi, simulacra, & imagines Cherubinorum arcam alis suis obumbrantium, opere polymito, seu phrygionico etant expressæ. Exodi c. 26. v. 1. de cortinis dicitur: *Variatas opere plumario facies.* Hebraice pro *variatas*, legitur: *Cherubim.* Hancque lectionem sequutus Oleaster, inquit: *Facies illas cortinas ad modum Cherubinorum, idest tegentes domum, quemadmodum Cherubim alis suis propitiatorium tegunt.* Obiter effigiata in sacris illis oraculi, & arcæ ornamentis Cherubica species expansis alis obumbrans, & tegens; vt ipsa forma prætenderet patrocinandæ arcæ de mandato ministerio gaudere, & exilire; nec indecorum sibi æstimat angelicæ naturæ sublimitas operire, & opacare pennarum opitulamine fœminam, quam inumbraturus erat altissimus. Ipsa quoque Cherubinorum statio, iuxta Salomonis dispositionem in templo Domino præparata, subtilem protheoriam ingenerat mentibus, altiori consilio Dei arcana perscrutantibus. lib. 2. Paralip. refertur c. 3. v. 3. *Ipsi autem stabant erectis pedibus.* Pulchre Venerabilis Beda lib. de templo Salomonis cap. 13. de hoc Cherub habitu Theologizat: *Stabant erectis pedibus Cherubim, quia à via veritatis, in qua mox vt conditi, sunt positi, nunquam aberrauerunt.* Non enim vt lucifer lubricæ fidei, aut incertarum partium huc, illucque versatilis, & vtroque pede fidei, & amoris claudicans; sed erectione, & statione firma indicant sanctorum spirituum in gratia stabilimentum, in obsequio Domini inconcussam, & immutabilem sententiam. Circaque munus tutandæ arcæ Mariæ sibi commissum, vtroque pede stare, summa vi, summoque nisu in Dei genitricis tuitionem incubuisse; in acie enim aduersus dæmonem, & originale peccatum partes Mariæ tuentur, & instar palæstritarum scitè pedes in tanto conflictu defigentes, nec locum, aut stationem deserentes, donec reportaretur victoria. Adhuc sapiens Salomon argutior apparet in Cherubinorum fabrica, sciebat à superno spiritu afflatus ea omnia imaginem portendere futurorum. Cur enim non statuit Cherubinos toto, & plano pede sese firmantes, integrasque plantas, ad nisum maiorem, in pauimento collocantes, sed viribus innituntur, vt sese erigant, & extollant, summisque digitis pedum elati, veluti puncto quodam pauimentum contingunt? *Stabant erectis pedibus.* Vt ipso habitu, erectoque statu innuant Mariæ arcam, nec momento, aut puncto temporis à gratia recessisse, aut in peccatū prolapsam iacuisse, sed semper stabilem, firmam, semper erectam, Cherubicarum alarum velamento tutatam. Sicut enim statione propria prædicant naturæ suæ concreatam gratiam (vt aiebat Venerabilis Beda) & in ipsa firmitatem; sic sacræ arcæ Mariæ gratiam congenitam ostendunt, nec momento

Exod.

Duo Cherubim alis suis obumbrabant arcam, & honorabant velando.

S. Aug.

Lect. Heb. Caiet.

Vtrumque latus, seu duas extremitates arcæ protegebant.

Exordium vitæ & extremum Mariæ arcæ Cherubini protegunt.

Exod. Heb.

Oleast.

In cortinis simulacra Cherubim apparebant arcam, & propitiatorium protegentium.

Lib. Paral.

V. Beda.

Cherubini stabant ante arcam erectis pedibus, quia semper in gratia stantes nunquam cadentes.

In pugna Mariæ cum peccato toto nisu Cherubim in victoriam incumbunt.

Cur Cherubini non se firmant toto & plano pede, sed summis digitis stant erecti?

Vt innuant arcam Mariam nec in puncto temporis à gratia recessisse.

Digitized by Google

momento temporis vacuam, sed semper plenam, & in ipsa semper firmatam. Venerabili Bedæ subscribit ex eâdem Benedictina schola aliud decus, & columen Rupertus lib. 1. de Victoria Verbi Dei c. 30. dicens de Angelis sanctis: *Fortitudinem Creatoris in magna creatura deiectione viuant, gratiam, & misericordiam Creatoris eiusdem in semetipsis agnouerant, qua sese, ne & ipsi corruerent, præuentos fuisse non ignorant. Eiusdem quippe conditionis cum essent, suam in perditione illorum salutem reseruatam, statumque retentum, non leuiter attendere potuerunt, aut possunt.* Et mox subiicit: *Verè ergo beati, quia verbo Domini sic firmati sunt, & spiritu oris eius, sic firmata est omnis virtus eorum, vt nullius vnquam instabilitatis timere possint euentum.* Commendant Angeli perpetuis hymnis Domini misericordiam semper commendabilem, quam sunt experti in collegarum casu, quod fuerint à Creatore gratia præuenti, ne caderent; auxiliatrice virtute Domini præseruati, ne corruerent; spiritus superni consilio illuminati, ne luciferi apostasiæ præberent suffragium. de clementia Domini venit, quod in gratia confirmati, & radicati, sine timore delinquendi consistant, de bonitate Creatoris profluxit; ideò misericordias Domini in æternum cantitant. Hinc est quod ascendente Domino Angeli stantes describuntur. Actor. cap. 1. *Ecce duo viri astiterunt.* Statio ista iuxta Hugonis Cardinalis argutias, est signum: *Quia infirmitatis, & culpæ, & mortis expertes sunt.* Quæ omnia gratiæ ornamenta, & beneficia Angelis collata ipso habitu, & erecta statione ostendunt. Hinc fit quod Salomon Cherubinos plenos sapientia ad arcæ Deiparam præseferentis collocat, & statuit latera; vt expansis alis, erecta stabilitate, de simili gratia præseruatrice fœminæ diuini numinis largitate donata, collaudent Creatorem, in MARIÆ semper stantis, nunquam cadentis prærogatiua. Cúmque eius extrema alarum satellitio cingunt, se beatos prædicant de vmbraculi, & tutelæ arcæ munere suscepto.

Rupert. Angelorum allis gratiarum, pro sua stabilitate, & à lapsu immunitate.

Angelica firmitas Mariana stabilitatis symbolum.

4. Hoc tamen fiet valdè perspicuum ex libro 2. Paralipom. cap. 5. in quo festiua solemnitas, & triumphalis pompa describitur, qua in templum Domini erecta est arca, & in adytis collocata. Verba sunt textus sacri ibi. v. 7. *Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est ad oraculum templi, in Sancta Sanctorum subter alas Cherubim, ita vt Cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, & ipsam arcam tegerent cum vectibus suis.* Chaldæus legit in libro 3. Reg. cap. 18. *Ipsam arcam obumbrarent.* Hunc textum Glossa ordinaria de Beata Virgine accipit: *Per arcam,* (inquit,) *figurata fuit Beata Virgo Maria.* Nec silentio inuoluenda annotatio doctissimi Nicolai Lyrani in libro 3. Reg. caput 8. *Et protegebant arcam, & vectes eius desuper.* ibi enim scribit verba Rabbi Salomonis, & approbat: *Vectes sic apparebant ibi sicut duæ mamillæ mulieris sub veste sua, & ad hoc inducit illud Canticorum 1. Inter vbera mea commorabitur.* In typo adumbratur arcanum Incarnationis Domini Sacramentum, quod manifestum est Angelis; pleno ore laudant Cherubini, summisque præconiis commendant, beatum Mariæ ventrem nuncupantes, & beata vbera, sacrasque mamillas, quæ Dominum lactauerunt. Totius festiuitatis magnificus apparatus, & cultus portationis arcæ, IESV, & lactationis muneribus à Deipara præstatis, dedicatur; ob hancque gloriam, & eximiam dignitatem tuitionis, & inumbrationis MARIÆ, officium solemne, & sanctum exequuntur Cherubini, pennarum tegminibus obumbrantes arcam reuerenti cultu, officioso famulitio. Quanta autem solertia, & pietate Cherubicæ potestates vmbellæ, & tutelæ munus impleuerint, disertissimis verbis scribit Iosephus libro 8. antiquit. caput 2. *Soli vero baiulantes Sacerdotes, inter duos Cherubim eam deposuerunt: quæ effigies coniunctis alarum extremitatibus (sic enim artifex eas fecerat,) arcam velut sub vmbella aut tholo protexerunt.* Vel iuxta aliam editionem, & translationem verborum Iosephi ex Abulensi mutuatam lib. 2. Paralipom. cap. 8. quæ in hunc modum procedit: *Sacerdotes arcam collocauerunt inter duos Cherubim, qui eam suis alis complexi sunt. Sic enim erant ab artifice facti vt arcam velut quoddam tabernaculum, aut camerationem protegerent.* At ipse Abulensis, addit ex propriis, quæst 24. *Quilibet istorum Cherubim habebat alas multas ex omni parte, & duæ, quæ erant ad latera extendebantur in latum; aliæ autem quatuor extendebantur ante, & retrò, & flectebantur, itaut efficerent quandam occultationem, siue camerationem inter se, sub qua, quasi sub quodam tabernaculo, siue arcu, esset arca recondita.* Quid pulchrius? Mirabili artificio Salomon de futuris mysteriis instructus, Cherubicas alas tanquam versicoloribus plumis, pallidoque auri nitore refulgentes coaptauit, vt nubeculæ, aut vmbellæ protegentis formam prætenderent, quæ occuleret arcam, intúsque clauderet, arcens eam à prophanis oculis, & pulueris appulsu, architectatus est ex alis cameram, seu capellam sacram, triumphalem fornicem, sacratum domicilium, vt incuruis alis, & inflexis, quasi testudinibus deauratis, & laquearibus pulcherrimis, esset abdita, & occulta, quæ omnia Isaiæ sententiam illustrant, vbi de protectione loquitur Ecclesiæ, & Mariæ: *Erit protectio super omnem gloriam. Erit in absconsionem.* Quasi in latibulo abstrusa, quasi in quadam domuncula, & recessu hostibus imperuio & inaccesso; vt tutamentum firmissimum ostendat vndique clausum, prætendentibus alas Cherubinis, vt sacram puellam in maiori discrimine, velut in gratiæ auxiliatricis, & præseruatricis adyto, penetrali intimo, & refugio tegerent, & reconderent. Verba ex Iosepho, & Tostato supra recensita, iuxta mysterium vsurpanda; iure quidem optimo Cherubini Mariam in arcæ typo *Quasi sub vmbella protegunt.* Quam alarum suarum velamento inumbraturus erat altissimus: *Eam sub quadam concameratione occultant.* Quæ in aula veteri virginalis regia reconderet, & circumdaret virum: *Eam suis alis complexi sunt* Cherubim, quæ strictis manuum, & brachiorum lacertis, sacro apprehensura gemio ad pectus, & vbera applicatura paruulum Deum: occultant pennarum velamine, illam, quæ thesauros omnes gratiæ, gazasque sapientiæ, & scientiæ Dei recondit. Hoc munere Cherubim decus tutelaris subsidij erga arcam Deiparam, ab improbis Angelis despectum, & amissum, restaurant, vt de sanctis Angelis tot alarum propugnaculis præditis, veridico patrocinio prolatum

Lib. Paral.

In templo Domini arca Cherubicis alis protecta, & obumbrata.

Chald.

Glossa. Arca Maria figuratiua.

Lyra.

Rab. Sal. Vectes arcæ sicut duæ mamillæ mulieris apparebant.

Collaudant Cherubini Virgineas mamillas Deum lactantes.

Ioseph. Cherubini arcam alis velut sub vmbella, & tholo protegunt.

Abulen.

Abul. Cherubim pennis suis efficiebant quamdã camerationem & occultationẽ, vt arcam tegerēt, & seruarēt.

Cherubini arcam Mariam occultant, vt esset hosti inaccessa.

latum

latum sit: *Tu Cherub extensus, & protegens arcam*, Deiparam. A beatis autem Angelis fuisse protectam testatur sanctus Anselmus libro de Excellentia Virginis cap. 3. cuius verba sunt: *Nulli denique dubium, castissimum corpus, & sanctissimam animam eius, funditus ab omni fuisse macula peccati, iugi Angelorum custodia protectam; vtpote aulam, quam suus, & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in sua persona vnitatem, ineffabili fuerat operatione suscepturus.* Hæc Cantuariensis Archipræsul sanctissimus, & sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in serm. de dormitat. Virginis tomo 2. Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ, sic Deiparam compellat, & illustri laudationis insigni ornat: *Superum limen cœlestium arcanorum, quod Seraphim alis tectus velat.* Sic ille: vt non solos Cherubinos, sed Seraphinos, Mariæ Deiparæ alarum tegminibus, & vmbraculis, firmissimum munimen exhibuisse ostendat.

D. Anselm.

Maria iugi Angelorum custodia, & præsidio ab omni peccati macula præseruata.

S. Germ.

Maria limen superni cœlestium arcanorũ quod Seraphim alis velat.




Creabit Dominus nubem per diem.

Erit super omnem gloriam protectio.

Discursus IV.

Illud à Deo fœdus veræ amicitiæ sancitur, vbi maius instat discrimen, validiores copias auxiliatrices prætendere, & scuto protectionis obtrudere latus infirmius, hostium incursibus peruium.

1. ERÆ amicitiæ officia in periculis, & aduersis dignoscuntur; cùm hostium insidiis ex vtroque latere cingimur, (si experiamur amicam manum defensoris pro amico præliantis, aut protectionis scutum prætendentis, quod præueniat à ruina, aut de hostium potestate in ipso conflictu eripiat. Sic Deus solet adesse suis asseclis, & contubernalibus, vt prouidam curam Patris, & Imperatoris; inuictumque propugnaculum probent in rebus desperatis. Nec in solis periculis solet esse subsidio, sed mirabili cautione anteuertere discrimina. Cùm dilecta synagoga Deus hoc munus amicitiæ cumulatè impleuit, cùm enim à tyranno Pharaone insectaretur ad internecionem, & vastitatem, protectricis nubis alas expandit, vt sub eius patrocinio incolumis viueret. Similique munimento seruatam, & ereptam Deiparam, canit Salomon Canticorum cap. 1. vers. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Similitudo incolumitatis ostenditur in MARIA, ex ea, quam contulit synagogæ; cùm enim appropinquaret Pharao ad populum Domini, & aduersariorum phalanges districtis gladiis, præsentissimum minarentur excidium, vndique teneretur conclusus excelsis rupibus, vasta solitudine, & mari carectoso, auxilium diuinum velut è cœlo dilapsum impenditur. Exodi capite 14. vers. 19. *Tollensque se Angelus Dei qui præcedebat castra Israël, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum, & castra Israël, & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem; itaut ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.* Præibat in nube Angelus ductans exercitum, motu, aut statione præscribens mansiones, & progressus pedestribus agminibus; nunc retrogrado gressu ad posteriora copiarum conuolat, vt conturbaret formidine hostes, amicorumque tergora inoffensa custodiret, & hostis à tergo adoriens, & insequens, populum non insequeretur, sed superno appulsu, & obstaculo remoueretur: *Priora dimittens, post tergum stetit.* Nec existimandum est, Angelum, qui omnia mirabili sapientiæ ratione metitur statutum locum, & ordinem inconstanti leuitate variasse, vt priora agminum loca deserens, ad posteriora relaberetur; nisi vt suppetias ferret mira pernicitate populo periclitanti, & tutelari officio perfungeretur. Pulchre Philo Iudæus hanc peregrinam remigrationem nubis, & columnæ demiratus libro 1. de vita Moysi ait: *Accidisse ingens naturæ miraculum, quale nunquam auditum fuerat post hominum memoriam: nubes, quæ hactenus viæ dux solita erat præcedere, tunc retrograda in extremo visa est agmine, quasi ad eius custodiam.* Addit Glossa interlineas expressa, vt refert Guillelmus: *Post tergum stetit, vbi erat maius periculum.* Contemplabatur de columna, quasi de specula, supernus vigil, perscrutator Angelus, & custos, validissimi, & infestissimi hostis conatus, & consilia, cúmque prospectaret illum iam iam vestigia premere populi suffugientis horrore conturbati, ipsúmque manibus iam penè apprehendere, & velut volucrem retibus interclusam occupare; tanquam aggerem, & munitionem firmissimam inter inimicorum, & amicorum agmina seipsum interiecit, vt Dei populum attingere hostis non valeret: *Itaut ad sese inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.* Quæ autem fuerit virtus, quæ Ægyptios inhibuit, ne læderent, nec tangerent Hæbræos, sapienter enuntiat Abulensis, quæstione 3. in capite 14. Exodi: *Cùm autem veniret Pharao contra Hebræos, oppressurus fuisset eos, nisi Dominus prohiberet, ideò Angelus mouit nubem ad partem posteriorem exercitus, obscurando partem illam, quæ erat contra Pharaonis exercitum, vt non viderent Hebræos, & sic tota nocte ad eos accedere non valuerunt.* Et quæstione 5. addit: *Quia videbant aliquas visibiles visiones non permittentes eos illuc accedere.* Angelus prouida solicitudine tutatus est populum, vbi apparebant maiora discrimina, tanquam murum se obiecit firmissimum, qui totam hostis dirimeret violentiam, retunderet impetus insanos, irritos redderet conatus Ægyptiorum, tota nocte apprehendere Israëlem connitentium. Nubes itaque diuidui, & oppositi muneris functione conspicua, hostibus caliginosa, cæca nocte obũbratis apparebat, vt cæcutientes tenebriones

Præseruationis Marianæ preludiũ in protecta synagoga à Pharaonis infestatione, præcessit.

Cant.

Exod.

Colũna nubis in maiori discrimine retrograda post tergum stetit, ad custodiam populi.

Phil. Iud.

Guill.

Post tergum stetit, vbi erat maius periculum.

Abul.

Deus ingenti miraculo inuisibiles fecit Hebræos, vt tota nocte Pharao ad eos accedere non valeret.

tenebriones in terram impingerent, & corruerét lapsu miserabili dum prætétare anhelát inuisos sibi Hebræos; at nubes populum Dei inter tenebras cãdida cœlestis luminis fulgoribus irradiabat; eius tenebrosum velamen præbebat latibulum, & absconsionem amicis: illius lux facem præferebat, vt fuga se subducerent ab insidiantibus; inimicis catenam tenebrarũ nectebat, qua præpediti, nec sibi consulere, nec alijs nocere posset. Quo autem pacto, (inquies) nubes priora dimittens, post tergum stans, suis posset illuminare fulgoribus Iudam, qui inter primores duces, & vexilliferos præcedebat tãquam antesignanus familiarum? Respõdet Abulensis quæst. 4. in Exodi c. 14. *Angustabantur radij eius apud vexillum Iuda, & illuminabant quasi quamdam viam.* Quia vniuersa hæc tuitionis festiuitas, & præseruationis populi miraculum ad tribum Iudæ, & Mariam ex illa oriundam destinabatur; ideo cum hoc equitatu comparabat Salomon Deiparam, quia illum Pharao, Deiparam vero tyrannus dæmon, & originarium crimen, quod ille præseferebat, insectabantur. Quare Theodoretus ait Pharaonem tenebricosum esse *communem aduersarium nostrum, quem in aquis baptismi demergimus.* Veniebat enim phalangibus instructus, phalcatis curribus armatus, draconum, & serpentum agminibus cinctus, vt in Deigenitricem impeteret, sed diabolum machinationibus subdolis aggredientem repulit magni consilij tutelaris Angelus: de Maria, eamque protegente gratia, potiori iure dictum existima illud effatum: *Nubes in extremo visa est agmine, quasi ad eius custodiam, & tutelam.* E toto noctis tempore in quo culpa grassatur, & obtenebrescere facit animam, tegumen gratiæ Mariam abscondit, inuisibilemque reddidit, sicut nubes Hebræos, vt toto noctis tempore mysticus Pharao cum satellitibus suis ad eam appropinquare non valeret. *Ægyptij* (ait Abulensis) *conabantur accedere ad tenendum, obstabat nubes.* Anteuertit discrimen sponsæ suæ Deus, & latera cinxit munimine sempiterno, ne pateret insidiis draconis. Ideo Maria à cœlesti sponso nuncupatur *amica mea.* Quod enim beneuolentiæ præconium, aut necessitudinis commercium celebraretur in sponso, si in familiaribus humanæ naturæ ærumnis labantem dimitteret, nec manum omnipotentem prætenderet, vt dilectam præcaueret à lapsu? omnimodæ familiaritatis indicium est stabilire ne corruat, aut tenere prolapsuram, Amantis primas tenet, qui amasiæ auertit hostilis ictus percussuram, qui remouet à poculo venenum, gratiosa anticipatione præmunit salubri antidoto; quàm qui medicamen infundit vulneribus sauciatæ, aut virulentum poculum viscera occupans, vitalia depascens, euacuare nititur, violentiori & penitus exacerbante subsidio.

Nubes hostibus caliginosa, amicis splendida.

Abul.

Nubis radij ad Lunæ vexillum dirigebantur, vt ei viam luminosam ostenderent.

Theod.

Pharao tenebricosus originale peccatum.

Magni consilij Angelus Mariæ tutelaris, ne in exorientis vitæ discrimine, ad ipsam appropinquaret.

Psalm.

2. In calamitatibus suis implorat Dauid impendi sibi auxilium supernum Psalm. 16. vers. 7. & 8. *Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te à resistentibus dextera tua, custodi me, vt pupillam oculi.* Hasque sententias, & subsequentes Deiparæ adaptant sanctus Hilarius lib. 2. de Trinitate, Euthymius, & Theophylactus in Lucæ cap. 1. vers. 35. & Hugo Cardinalis hîc. Quid pulchrius, & elegantius quàm Mariam nuncupare oculorum Dei pupillam? vt teneritudo amoris pateat, & secura custodia, qua seruata est ab originariæ noxæ mortisque discrimine. Hebræi iuxta primam vocis originem, pupillam vocant: *Ischon, quoniam in pupilla conspicitur imago viri.* Vt annotat sapienter Lorinus. In hac enim Dei pupâ, teneráque puellâ, & pupilla semper viri Dominici imago, & figura resplendet, filij simulacrum indiuisum est à parente; quæ in Dei oculis recondita latitabat, vt verbum gigneret, Dei imaginem regerebat hostibus venerandam, puluerulento flamine incontaminatam. Verba singula hymni sacri abundant arcanis: *Mirifica misericordias tuas.* Argute Lorinus verbum *mirificare* discutit: *Est quidem* (inquit) *mirificare mirabile aliquid facere, idest, segregare à communi serie aliorum.* Alij legunt ex Hebræo: *Segrega gratias tuas.* Et Chaldæus vertit: *Mirandam exhibe puritatem tuam, separa merita tua.* In vniuersis Adæ natis mirabilis Deus in gratijs, conspicuus in meritis, prædicandus puritate; cum de tenebris emergere facit ad lumen, de seruitute peccati ad libertatem filiorum Dei, de lutulenta vitiorum, aut primæui criminis voragine eripit, abluit sacris lymphis, aut pœnitentiæ fluento, redditque super niuem candidos, & splendidos, copiosa passionis, & mortis redemptione vitæ meritoria redimit; in Maria puritatem suam, merita sua, suamque mirificauit gratiam, cum à communi, & trita serie redimendi, insolita præseruantis gratiæ redemptione seruauit. Hoc gratiæ portentum mirabile ostendit pupillæ custodia; cautiori enim munimine Mariam protexit gratia, quam pupillam oculi artificiosa solersque natura. Cerne quanto hæc apparatu adornauerit pupillę propugnacula; eam integumentis muniuit crystallinis & splendidis, palpebrarum velamine, hirsutis pilis vallato, & condensis superciliis, vt pulueris, & aeris læsionem repelleret. Quæ omnia sanctus Basilius contemplatus homil. 11. in examer. ait: *Inter membra hoc vnum tangi se non sinit. Pilorum acicula circumposita, nec puluerulentam vllam materiam sinunt adire propius oculi pupillam. Per eiusmodi palpebrarum pilos peculiaris quadam, & accommoda munitio nos vndique cingit. Non mediocre emolumentum suppeditans custodia tutelaris.* Et de superciliis subiungit. *Est ipsis propugnaculum peculiare.* Nec dissimilis est sanctus Ambrosius libro 6. exameron capite 9. commendans munitionis satellitium, quod obtinent pupillæ: *Ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur pilis hinc inde consertis, velut quodam vallo per circuitum muniuntur.* His primoribus annecte Hugonem purpuratum fantem: *Custodi me vt pupillam oculi, quæ tenerrime diligitur, & custoditur, & pro qua tuenda ponitur manus.* Parilia, quinimmo maiora præsidia ad tutandam Genitricem suam Deus meritorum, & gratiæ constituit. Vt protectionis diuinæ fieret Mariæ tam sollicita, & tuta custodia, vt tenerrimam, valdeque dilectam oculorum suorum pupillam inexpugnabili gratiæ vallo munire dignaretur, vt virgunculæ, & pulcherrimæ Nymphæ, quæ ad gloriæ suæ ostentum, & gratiæ prodigium creabatur, innocen

S. Hilar.

Euth. Theoph.

Hugo. *Maria oculorum Dei pupilla.*

In pupilla conspicitur imago viri; & in Maria viri Deifici semper imago resplendet.

Lor.

Maria gratia mirifica à communi aliorum serie segregata.

Lec. Heb. Chald.

Quanto natura propugnaculis pupillam adornauit, vt incolumis seruetur.

S. Bas. *Pupilla tangi se non sinit.*

S. Amb. *Pilorum vallo circumuallatur, ne aliqua incidentis iniuria offensione lædatur.*

Hugo. *Pupilla tenerrimè diligitur, & pro ea tuenda prætenditur manus.*

Prædicta omnia pupillæ decora præseruationi Mariæ aptantur.

innocentiam, & integritatem primam nullus puluis criminosæ corruptelæ oblineret, aut originarij piaculi festuca vexaret. Hanc pupillam nullus fascinantis draconis halitus afflauit, cum eam obsepiret, & clauderet diuinæ beneuolentiæ tutelaris, & inoffensa custodia; redundaret enim ad Dei oculum super MARIAM semper inuigilantem, pupillæ Matris iniuria, si sudantis Adami vultus laboriosi puluis, aut sordes Dei pupillam inspergerent. Argutè prolatum à Basilio Magno: *Pupilla tangi se non sinit.* Quia sola Deipara à protoplasti inquinamentis intacta. Et ab Hugone Cardinali: *Pro qua tuenda ponitur manus.* Brachium suum exerit Deus, & omnipotentem manum prætendit, augustumque munimen, vt ipsam obtegeret, ab oculis remoueret hostilibus, ne qua criminalis iniuriæ offensione læderetur.

Omnipotentē manū Deus prætendit, ne tangeretur à crimine.

Cant.

3. Examinauit sanctus Ambrosius locum Canticorum caput 2. versu 9. vbi fatetur anima sponsum adesse, eiusque luminis, & amoris radios per cancellatas fenestras in animæ suæ penetralia suffundi, alloquitur sodales: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Septuaginta Seniores efferunt postrema verba versione mirifica: *Eminens per retia.* Quamque Mediolanensis Pontifex de Christo æquo iure vsurpat, qui super thecnas omnes, & peccatorum retia eminuit, sic enim fatur Ambrosiacum os tomo 5. in expositione Canticorum: *Benè eminens, quia solus est, quem retia non inuoluerint peccatorum; omnes intra retia erant, quia nemo sine peccato nisi solus IESVS, venit ad laqueos, sed voluntarius; venit ad retia sed securus. Venit ad laqueos, IESVS, vt Adam solueret.* Ipse solus tutus in periculis, liber inter nexus, nec colligatus est laqueis, qui Adamum à vinculis peccatorum absoluere veniebat. Superius est omnibus retibus verbum, quod sermone suo sanat vniuersa, quod restim longam, & colligationes impietatis enodat. Quod venit ad ergastulum, quod descendit ad carceris vincula pietatis est, non necessitatis; quod compeditorum catenas relaxat, cœlestis est potestatis. Sed quia his retibus Ambrosius censoria loquela vniuersos inuoluerat, simul cum IESV Mariam exceperat; de ipsa enim sermonem subtexit: *Virgo peperit, puer natus ex Virgine est, nihil debet muliebri hæreditati, quia quasi filius mulieris non tenetur.* Quia non solum à Patre habet IESVS, sed etiam à Matre, quia Virgo est aliena virili consortio prærogatiuam immunitatis, hæc enim singularis natiuitas, quæ modum excedit humanum, non incurrit in hæreditarium criminis reatum, nec Adami ærumnis, quæ per viri, & fœminæ copulam inuehuntur, adstringitur. Quia ergo quasi filius mulieris non tenetur, nec ipsa parens obligetur, necesse est; eripuit fœminam singularem à flagitij inuolucro per quam liber, & eminens super retia, expeditus à compedibus piaculosis, in mundum Redemptor venit. Quam ritè, & pulchrè adaptabis Mariæ subsequentes Ambrosij sententias: *Surge, veni, proxima mea. Noli timere retia, veni prope me, iam pulchra æterna vita decore, tota plena gratia spiritualis.* Et illas iuxta Vulgatum eodem capite 2. versu 13. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Vel iuxta versionem Septuaginta Seniorum, quam idem approbat Ambrosius: *In tegimento petræ iuxta præmunitionem.* Et in scholiis. Septuaginta idem Ambrosius legit: *In velaminibus petræ.* Obtinuit in filio gratiæ propugnaculum, tegmen, & munitionem firmissimam, vt præriperetur à lapsu, vt occultaretur ab hoste, vt tueretur à dæmonis incursu. Inaccessa, & inuestigabilis facta à piaculo, quod omnes explorat, & apprehendit, in suam redigens potestatem, septo beneplaciti custodita, rimulis vulnerum Saluatoris recondita, & sepimento meritorum passionis futuræ vallata. Corpus immaculatum quod Verbo redonauit Maria ad expiationem delicti, ipsi extitit pro tegimine, & vmbraculo, pro muro, & antemurali, quod anticipata redemptionis virtute à peccati contagione seruaret. *Veni prope me, noli timere retia.* Inquiebat Ambrosius. Lepida, & gratiosa alloquia, quæ in Virgineis auribus resonant ex Dei ore profluentia. Quem formidaret MARIA in suo conceptu, tali Dei satellitio munita, excelsi dextera protecta? Tali latere propugnatoris inuicti, cui nulla subest instabilitatis accessio, secura procedit. Primum vitæ gressum inchoans nullo correpta pallore titubantiæ, eminuit associata filio super peccati retia, expedita à laqueo venantium, pennigera euolauit super diræ tyrannidis aucupium, laqueus contritus est, incolumitatem obtinuit. Apposite MARIA post tantum triumphum, illud Dauidis Patris sui melos è gutture fundit Psalmo 140. versu 10. *Cadent in retiaculo eius peccatores, singulariter sum ego donec transeam.* Sanctus Augustinus legit: *Singularis sum ego.* Versipellis namque captator Diabolus in mundi exordio quodam delectationis aucupio, & pulchri pomi illicio Euam decepit, Adamum inescauit, errore diuinitatis obiecto, primos parentes elusit, simulque cum omni progenie tendiculis, & retibus peccatorum inuoluit irretitosque obtinuit, sicut auiculas laqueo. In hoc retiaculum MARIA non cecidit, sed superior eminuit. Pulchrè sapientissimus Lorinus ait: *In retiaculo Diaboli, quod est peccatum originale cæteri ceciderunt, ipsa singulariter singulari beneficio, singularis, & vna sola, id transierit, ac euaserit.* Hæc ille.

Lect. LXX.

D. Amb.
Peccati retiaculū omnes præter Iesum inuoluit.
Venit ad laqueos Iesus, sed securus, vt Adā solueret.

Iesu Mater à peccati retiaculo libera.

S. Ambros.
Iuxta Iesum & illius protectionem, & vmbraculū.

non est cur Maria timeat peccati retia.
Lect. LXX.

D. Ambr.

Psalm.

D. August.

Lorin.

4. Cecinit Psalmographus carmen illud nuptiale 44. in quo decus eximium, & dignitatem incomparabilem Deigenitricis celebrat versu 14. *Omnis gloria eius filiæ regis abintus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Et versu 10. prædixerat: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Postremam dictionem ad præsens institutum examinandam vsurpo, vt delectet varietatis amictus mentem, cum demulcet aures Dauidicæ citharæ canora dulcedo. Alij diuersitatem florum tanquam prati cuiusdam semper amœnantis speciem, aut depicti ruris candidulis, & purpureis flosculis verni temporis formam regerentis, existimant. Pradus in Ezechielis caput 16. inquit esse

Psal.

Maria amictus varius aureis floribus, ornatum significat.

esse telam auream ex versicoloribus liciis contextam, more phrygionico elaboratam, & acupictam, quam Hispanus nuncupat: *Tela de oro de primauera, recamado, florones de oro.* Sanctus Hieronymus mysteria in hac aurea contextura abdita, pandit lectione sua, sic enim vertit: *In scutulatis adducetur ad Regem.* Erat scutatus indutus Reginæ ornata cyclas scutulis, & parmis. De qua Plinius libro 3. capite 48. *Scutulis diuidere Gallia. Quam sola ars scutulato textu commendat.* Erat enim lapillis indicis, & fulgentibus distinctum vestimentum, & tanquam vmbonibus quibusdam ornatum, & munitum. *Scutulata vestis* (Addit Varro,) *quod sit veluti quibusdam scutulis distincta.* Refulgebat species gemmarum, veneranda clypeorum forma, ad tutelam, & custodiam, quæ arceret prophanos. Vniuersus MARIÆ amictus nitet protectricis gratiæ simulacris, & symbolis præclaris; non enim sicut fœmina ornata, cultu, & mundo muliebri compta, quasi in pinachoteca margaritarum ostendit ornatum ad superbiam, & fastum; sed omnia in diploide rutilant ornamenta gratiarum. Est enim sicut turris Dauidica, & mille clypeos habet insertos omnem armaturam robustorum. Tota in circuitu clypeata est MARIA subsidiorum cœlestium tegminibus, vt redderetur inoffensa, & intacta in prælio cum dracone; adamantinis squamis munita, vndique consertis sese prementibus, ne virulento serpentis spiramini pateret aditus. Perplacet nimis iucunda quædam, & singularis eruditio, quam ex Vincentio Bellouacensi refert noster Causinus symbolorum libro 11. capite 40. *Iaspidem inueniri amœna pulchritudinis, in qua species viri emineat, clypeum è collo suspensum gestantis, & subiectum pedibus serpentem calcantis.* Vt hoc symbolum adaptes, scutum non solum apud prophanos, sed etiam in diuinis protectionem indicat cap. Geneseos 15. Deus cum Abrahamo fatur: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum.* Hebræus habet: *Ego scutum tibi.* Et sanctus Chrysostomus homilia 37. in Genesim ait: *Ego scuti vice tibi ero. Ego pro te certo, Ego propugnator fio.* Et catena Lipomani in Genesim cùm varias Domini protectiones enumerasset hæc habet: *Beatam Deigenitricem non solum ab omni mortali, & veniali, sed etiam ab originali peccato protexit.* Deigenitrix circumdatur nobili palla floribus gemmantibus, & scutulis adornata, vt in ipso vernanti indutu omne genus diuinæ protectionis ostentet. Sunt enim insignia gratiæ singularis, quæ à prima vitæ aurora in MARIA refulsit. Natus parenti extitit scuti vice, pro ea decertans, propugnator factus in primæuo conflictu inito cum veternoso dracone, clypei appulsu, potestatis imperio propulsans arrogantem, & contumacem tyrannum; nec sibi arrogat humilis virgo victoriæ gloriam, sed in germen suum refundit. Quid ergo aptius, quàm quòd ipsa sibi appendat in amictu speciem viri, quem vtero circumdedit, qui circuit, & continet omnia, speciem clypei de collo suspensi præferentis, pedibúsque stratum, & contritum serpentem; singulare stemma suæ nobilitatis, & præseruationis demonstrans puerum IESVM scuto muniminis instructum, iaculo defensionis armatum, pedibus prementem colubrum tortuosum? Vt iuxta Isaiæ vaticinium cap. 61. Sancti Spiritus plectro pangat: *Induit me vestimentis salutis.* aut iuxta Hebraicam veritatem: *Induit me pro vestimento Iesum.* IESVS assumpsit scutum, & gladium, vt primum peccatum vinceret, inuasionem inhiberet, immunem redderet Matrem. Ideò scutulato anaboladio circumuallari gaudet MARIA, vt in ipsa sit Dei præclara, & gloriosa protectio.


[Margin notes: D.Hieron. — Plin. — Varro. — Clypeata fuit in circuitu Maria subsidiis cœlestibus aduersus primæui hostis insidias. — Vinc. Bell. — In lapide Iaspide, species viri effulget clypeum gestantis, & serpentē calcantis. — Genes. — Lect. heb. — D.Chrys. — Deus Abrahamo extitit scutum, & propugnaculum. — Cat. Lipom. — Deus Mariā ab originali peccato protexit. — Natus matri extitit scuti vice vt serpentē prosterneret. — Gloriosum Mariæ stemma & magnale. — Maria habuit pro scuto, & vestimento Iesum. — Heb.]



Erit nubes per diem, & super omnem gloriam protectio.

DISCVRSVS V.

Protectio maior de loquela Domini totius delicti præseruatiua prouenit; vbi enim Deus loquitur, exulat culpa, pœna recedit: Vbi de prima voce Dei lucem loquentis, & creantis.

1. 
DE columna nubis operatorio sermone magnus consilij Angelus IESVS incolumem seruabat populum, iuxta illud Psalmi 98. vers. 7. *In columna nubis loquebatur ad eos.* Ex ea enim fundebantur oracula, procebant loquelæ, quibus populum erudiret, aduersus hostes instrueret, præcaueret discrimina, omnes iniurias propulsaret. Vt eloquij Dominici magnalia celebrarentur, quod contubernales, & docibiles Dei reddebat inoffensos. Sicut alloquium Domini auspicium est felicitatis, & vitæ; ita Dominicum silentium infaustum solet esse mortalibus. Tacet Deus cum homo in barathrum peccati prolabitur, & illud contumacia coaceruat. Isaia attestante cap. 42. vers. 14. *Tacui semper, silui, patiens fui.* Vbi Hieronymus ait: *Est sensus, diu vos delinquentes sæpe portaui.* Vnde IESVS, silentium Patris tanquam infensum, & inuisum, à se repelli deprecatur Psalmo 27. versu 1. *Ad te Domine clamabo. Deus meus ne sileas à me. Nequando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.* Quid lateat in his sententiis perscrutatione dignum, & admirabilitate, recenset Venerabilis Beda subscribens: *Iratus non sileas, auersus à me.* Et statim explanat sanctus Doctor quid IESVS expostulet à parente: *Vt tu non taceas mihi ipsi, auersus à me, id est, vt non separes vnitatem verbi tui à me: etsi tacueris mihi, separando à me vnitatem verbi tui, ero similis descendentibus in lacum, id est, corruptionem carnis incurram. Ex eo enim quod æternitas verbi tui non intermittit vnire se mihi, in hoc vt non sim talis, quales cæteri, qui nascuntur in profundam miseriam huius sæculi, vbi tanquam sileas, non cognoscitur verbum tuum.* De verbo, & sermone Patris, quem in æternum loquitur

prouenie bat

[Margin notes: Psal. — Dei silentium mortalibus infaustum. — Isai. — S.Hier. — V.Beda. — Iesus auertere deprecatur à se tanquam infortunatum silentium Patris.]

proueniebat in Christo peccati immunitas, præseruatio à corruptione, ideo cohærentiam verbi huius immutabilem in se ipso deprecatur; cum enim perseuerauerit in ipso hæc Patris permanens locutio, potestates animæ vigent, & florent, caroque sua incorruptibilitatis perpetuæ munere vernabat. Iesum hæc sacra loquela beabat exornans prærogatiua intactæ puritatis, eximens ab iniuria originarij criminis, & incinerationis sepulchri: in aliis filiis Adæ, in quos Deus non loquitur, exundant flagitia, criminumque reatus. *Quales cæteri qui nascuntur in profundam miseriam huius sæculi, vbi tanquam sileas.* In quorum generatione Deus taciturnus ostenditur dissimulatione flagitij; eoque obmutescente, in omnium scelerum, & ærumnarum huius sæculi colluuione prolabuntur. Itaque ex Domini taciturnitate omnia infausta proueniunt; ex illius loquela felicitas resultat; ea ab errore reuocat, eripit à lapsu.

2. Quis sanctum Ioseph in florida iuuentæ ætate continuit in virtutis studio, ne ab illius curriculo exorbitaret inter tot aduersa, & discrimina, nisi Domini Verbum, dulceque alloquium, quod in eius animum se se insinuabat, mirifica suauitate complebat, vt temperaret acerbitatem passionum, & exasperantes fratrum contumelias? Huius veritatis Dauidem testem aduoco Psalm. 104. v. 18. & 19. *Ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius: eloquiũ Domini inflammauit eum.* Græcum *logos: verbum, aut sermonem significat*, vt annotat Euthymius, de cuius mirabilibus in Ioseph operatis adiungit: *eum in afflictionum, & calamitatum fornace tentatum constantem, atque inuictum reddidit, ac veluti igne examinatum purgatissimi auri instar, summa eum munditia, & puritate conspicuum demonstrauit, atque effecit, vt castitatis zelo succensus, dominæ appetentis laqueos, relicta veste, præterfugerit.* A Domini loquela in omni conflictu à Ioseph inito, aduersus hostes belligerante, apparata sunt subsidia, quæ redderent præclarum pugilem inuictum; cum blandiloquis sermonibus Ægyptiaca Siren adolescentis demulcebat auditum, cum iucunda, & arridente venustate oculorum, vultus ascititio nitore, artificioso splendore cumulata, ad pectus huiuscemodi tyrannidis inexpertum, missilia amoris adulatoria iaculabatur; intus Dominus ad cor eius mellita, & suada facundia sermocinabatur, suumque erudiens alumnum, aduersus insidias fœminæ præmuniebat: Cordatam loquelam virtutis, & sanctimoniæ suasoriam opponebat Deus in Ioseph, contra impudentem Ægyptiam, libidinis audacia, & furore correptam; à Dei verbo retinebatur, amplexabatur, cùm à fœmina pallij lacinia apprehendebatur, aperiente adulteræ petulantiam, operiente sacrati iuuenis innocentiam. Cum in pectore mulieris libidinosi ignis incẽdium, sufflante dæmone, excitabatur; sacratum pueri pectus intus inflammabatur à verbo, & vrebatur amore diuino: flammas flammis, incontaminatum charitatis ardorem tartareis facibus obiiciente: itaque tanto flagitio præmunitus est aditus à verbo, hocque incitatæ iuuentæ ad malum pronæ lupatum iniecit, quo

Euth.

Dei verbum constantem & purũ reddidit Iosephum in tentationibus, & aduersis, seruauit à lapsu.

præcaueretur à lapsu, nec in errorem, & decipulam lasciuientis audaciæ incurreret *eloquium Domini inflammauit eum.*

3. Sacros illos adolescentes damnatos ad bustum, & incendium Babylonicum flamma non attigit, sed reuerita est Domini sodales, compressaque voracitate vrendi virtutem cohibuit, in ventum roris placidissime flantem igneos flatus immutauit. Quæ potestas maior operata est istiusmodi prodigium in pueris inter crepitantes ignes sine fraude ambulantibus? Diuinas doxoloxias, sacrasque cantilenas, quæ externo iuuenum ore resultabant, tanquam versatilem gladium ignis efficientiam, & actiuitatem dissecasse, credendum est. Quare textus sacer miraculum suæ immunitatis cum eorum cantico, & hymno copulat. Danielis cap. 3. v. 24. *& ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino: stans autem Azarias orauit sic, aperiensque os suum in medio ignis, ait: benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in secula.* Profluebat ex ore commendabile verbum sacræ laudationis, quod furentis ignis ardorem inhibuit, & hymnidicos iuuenes reddidit intactos, & illæsos, audienda sunt encomia concentus, sacrique moduli in sacello camini Babylonici resonantis, à Chrysostomo prolata tom. 1. homil. de tribus pueris, vbi inquit: *& aperuit os suum: non audet ignis inuocantis Dominum fauces irrumpere, nec nubilo ductu vaporans eloquentis ora conturbat, quasi impetu sermonis tremula flamma subducitur.* Aggrediebatur ignis beatissimos pueros in camino ignis inclusos tanquam commune pabulum deuorandum, redigendum in fauillas, cuius impetus retardatur virtute cælestis alloquij, & cantici de ore musico collegarum Dei erumpentis. Sermonis sacri modulo resonante, incantatur ignis, in maiori combustionis nisu trepidans flamma subsistit, attonita veneratur escam, dulciori cithara Dei verbum concrepante, ignis vorago clauditur, facultas vrendi suspenditur. Gladio verbi crepitantis ignis infringebant pueri audaciam; ad sermonis impetum flammas cerneres fugitantes; igneæ linguæ in semetipsas compressæ conglobantur à lingua iuuenum, & à voce Domini interdicente flammas ignium. Quid plura? Ignei globuli ardentis rogi ab ipso barbaro Rege pauitantes fugitant, cum sentiunt ex illius gutture resonare faustam veri Dei acclamationem, & potestatis Dominicæ insolitum canticum. Danielis cap. 3. v. 93. *Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis.* Cur fluuius igneus de camino eructans, in Regem non refluit, sicut in ministros eius, & excitatores ignis refluxit? Textus sacer subiungit, versu 95. *Et erumpens Nabuchodonosor ait: Benedictus Deus eorum.* Benedictionis Dominicæ, & verbi Dei potestate de incendio ereptus, frænatus igneus furor busti. Pulchrè Sanctus Chrysostomus supra relatus hæc annectit: *Tunc exijt Rex ad ostium fornacis ignis ardentis, nec cum prope fuerit positus, flamma contingitur; necessario enim ab ipso igne cognoscitur, quia Dominum cœperit confiteri dicens: benedictus*

Sacra verbi cãtilena tres pueros in camino ab igne immunes reddidit.

Daniel.

D.Chrys.

Non audet ignis Dominum inuocãtis fauces irrumpere.

Dan.

Cur ignis de camino ministros cremat, regẽ verò non tangit.

D.Chrys.

Rex, igni proximus ab igne non tangitur, quia laudes Domini proferebat.

dictus Deus Sidrach. Symbolum, & tesseram in ore preferebat Rex Babylonicus, sanctũ nimirum Dei verbum, & præconium, vt ab igne cognosceretur, & illæsus redderetur: Dei verbum intùs in furno tres pueros, extra caminum Nabuchodonosorem à combustione præseruauit. Iam in hoc incendio priscum rubi ardentis, & incombusti renouabatur prodigium à Moyse prospectatum. Exodi cap. 3. vers. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Senticosus, & fragilis frutex à flãmis correptus cur seruatur illæsus? Quæ virtus maior in tenera planta, quæ torrorem, & edacitatem ignis infringit, vt viriditas seruetur in frondibus, nec folia incendium depascat, inter igneos flatus frigescant, ne ab adlambentibus flammis fuligine attrata compareant? Rationem indicat catena Græca in Exodum: *Obseruandum est*, (inquit,) *quod ignis in rubo Moysi non loquitur, sed Deus in igne.* Apertius explanat sanctus Stephanus Actor. cap. 7. vers. 31. sermonem instituens de Moyse ad rubum properante. *Accedente illo, vt consideraret, facta est ad eum vox Domini dicens: ego sum Deus Patrum tuorum.* A voce Domini in rubo resonante retardatus est impetus ignis, vt illuminationem infundens, rubum nec cremaret, nec consumeret; loquente Domino de medio rubi, senticosa natura prærogatiuam accipit immunitatis, vt seruetur incolumis ab elemento; quod omnia, quæ contingit, deuorat, & consumit. Hoc eodem gladio verbi arcebatur à paradisi viridario noxius serpentum afflatus, & incursus bestiarum, ne glebam illam prima felicitate decoram, noxij animantis temeraret vestigium. Genes. cap. 3. v. 24. *Et collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem.* Quid præseferat flammeus gladius, & Cherubicus, explanat sanctus Bruno in hoc loco: *Stant enim cum gladio spiritus, quod est verbum Dei.* Gladius hic paradisum Domini tutabatur ab omni noxâ, aditum præcludens omnibus ærumnis.

Exod. — *Rubus ab igne correptus non comburitur, quia Deus in igne loquebatur.* — *Cat. Græc.* — *Actor.* — *Genes.* — *Flammeus gladius Verbum Dei ab omni noxa paradisum tutabatur.* — *S. Brun.*

4. Ex dictis liquent loquelæ Dominicæ, & verbi magnalia, & priuilegia præseruatoria, quæ hominem seruant à scelere innoxium, & ab omni pœna sequestratũ. Hoc etenim reddidit Dominũ Iesum ab omni flagitio purum; retinuit in Iosepho incõstantiã naturæ, ne libidinis impetu labefactaretur; ab incendio eripit, flammigerãtibus flatibus reddit hominem aut intactum, aut indemnem, Dominus loquebatur, & rubus non exurebatur. De silẽtio Domini ruina, & vastitas subsequitur, de illius loquela immunitas à flagitio, & totius beatitatis cõpendium, quorsum hæc? Vt intelligas in aliorũ generationibus Dominum obmutuisse, & profundum silẽtium seruasse, vt culpa subintraret. In Mariæ verò generatione loquutum, dulcemque sermonis vocem emisisse, quæ peccatum repelleret, hostem conturbaret. Ideò sanctus Lucas cum Deigenitricis elogia exorditur, vt omni laudatione, & beatitudine repleat ventrem, qui portauit Dominum, & vbera lactentia, Iesum introducit turbas alloquentem c. 11. *Loquente Iesu ad turbas.* Quæ verba in quãplurimis Ecclesiis pro Euangelicâ lectione vsurpata celebrantur in festo intemeratæ Conceptionis. Vt conceptio MARIÆ Conceptioni Christi respondeat. Cum verbum carnem assũmit Deipara loquitur, nec sine loquela Virginis generatur. Cum Deipara gignitur, Deus loquitur, vt innuatur culpæ recessus. Quare S. Augustin. ser. 17. in Natali Domini Gabrielem introducit fantem cum Virgine: *Intuere Deum in cœli me vestibulo sustinentem, responde verbum, & suscipe filium.* Et S. Chrysost. in liturgia ait: *Gabriele dicente sibi: Virgo aue, cum voce incarnatus est omnium Deus in te.* Nec Verbum sine verbo fit caro, sed vocem emittit dulcissimam Deigenitrix, apud Deũ, & cœlites omni canoro plectro, & Angelorum linguis gratius, & dulcius resonantem: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbũ tuum.* Sacris auribus patulis ad Dominicam loquelam suscipit fidei vocẽ, profert humilitatis, & obsequij sermonem, vt generet Verbum, & Dei Filium, vt sicut Pater dicendo, & loquendo generat æternam Verbi prolem; Maria alloquens, & verba profundens, eiusdem Patris generet filium, de Mariæ alloquio suscepit Iesus incrementa gratiarum, ornamẽta virtutum, ab omni piaculo prærogatiuam singularem. Ac si diceret: *Fiat mihi secundum verbum tuum. Et fiat tibi secundum verbum meum.* Vt sicut ex verbo tuo prælecta, & facta sũ mater creatoris; iuxta verbum meum fiat Creator filius meus. De operatorio verbo consensu Mariano Christus formatur hominum redemptor, de operatorio eiusdem Iesu sermone formata est Mater tanti Redemptoris. At cùm Iesu alloquium resultat, iniuria totius criminis exulat: *Loquente Iesu ad turbas, &c. Beatus venter.*

Sacra loquela mirifica decora. — *In Maria conceptione Deus non silens, sed loquens introducitur.* — *S. Luc.* — *Cum Deus carnem assumit Maria loquitur.* — *D. August.* — *D. Chrys.* — *Ex verbo Dei loquente facta est mater, & iuxta verbum matris factus est Creator filius Mariæ.*

5. De hac generatione vaticinatus Iesus Sirach Ecclesiastic. capite 24. versu 14. scripserat: *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Quam sententiam de mirifica creatione Deigenitricis expendens Hugo Carensis, eius sensum arcanum eruens, hanc esse ait: *Ab æterno præuisa creari quodam priuilegiato modo: vel ab initio temporis gratiæ creata sum, id est, generata sum.* Priuilegium creationis, & prærogatiua generationis extitit in primo tempore concreata gratia, & immunitas à culpa. Aliud insigne gloriosum Marianæ generationis accipe ex eodem Sidracho ibidem, versu 5. *Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* De Deiparæ Conceptione sermonem institui in his verbis, nullus inficias ibit, sed cum Hugone, Dionysio, aliisque Patribus, de MARIA interpretationem amplexaberis: quare autem Deipara ex ore altissimi dicatur prodiisse? diuersa theoremata apud prædictos Patres, aliosque neotericos hauries. Illud videtur accommodum: quia Domino loquente formata est, nec sic loquutionem vsurpes vt per vocis organa, quidam sonus sermonis exiret, nec vt linguæ motus cœleste formaret alloquium, cuius sonitus per aëra resultaret; sed intellige imperium Dominicæ potestatis. Licet enim, ipso dicente, & iubente facta sint omnia, ad Deigenitricis fabricam specialis Dei accedit hortatus, nec inferioris dignitatis æstimanda Mater Creatoris, quàm Eua genitrix rationalium creaturarum, ad cuius structuram competum est ex sacra pagina sanctissimæ Trinitatis consultatio, & consilium: *Faciamus* ei

Eccl. — *Hugo.* — *Maria creata priuilegiato modo ab initio temporis gratia.* — *Hug. Dion.* — *Quare Deipara ex ore altissimi dicitur prodiisse? Domino loquente formata.*

Digitized by Google

ei adiutorium simile sibi. Prodit itaque Maria ex ore altissimi, quia trium personarum sententia, & suffragio fabricata est Mater tanti Dei. Prodiit in lucem ex ore altissimi, vt discrimen intelligas inter Deiparam, & reliquum natorum Adæ vulgus; ij enim ex primi parentis ore fœtido superbiam eructante, & maleolentem halitum, & lethalem gulæ ex pomi interdicti esu, spirante, putidum peccati odorem contraxerunt; sepulchrum patens extitit guttur eius, quod vniuersos in primo vitæ halitu tumulauit. Os vero diuinum, & altissimi guttur, & fauces dulcedo, qui est totus suauitas, de sub cuius lingua lactis riuulus, fauus mellis effluit: eius os paradisiacus fons, perennis scaturigo æternæ vitæ, & gratiæ spiritualis, quid enim de tali ore, & lingua, & palato Domini in primo vitæ flatu hauriret Maria, nisi dulcitudinem pietatis, omnium gratiarum fluentum, quæ vniuersa animæ penetralia complerent: Quorum stillicidia, & adspergines iucundæ ad homines redundarent; per os Domini quasi per auream fistulam, & aquæ ductum in Mariam deriuata sunt charismatum maria; genita est Maria in osculo Domini, sicut mortuus est Moyses; mel dilectionis, lac miserationis de ore eius suscepit. Quis non reformidet adstruere Deiparam lutulentam, peccati cœno inspersam, fœtore criminis sordidam, & horrentem processisse de ore diuino? Aut de Domini labiis in cœnosum peccati gurgitem corruisse? Potius velut margaritam eximio candore conspicuam, in mente æterna, & diuinæ voluntatis proposito clausam, è labiis, & ore Domini tanquam de quodam puritatis arcano, & cælo in hunc mundum dilapsam.

Ex Adæ fætido ore lethalis pomi odorem spirante omnes homines peccati malum halitum contraxerunt.

De ore Dei suauissimo vitæ & gratiæ odorem flatum spirante Maria prodijt.

Hug. Card. *Maria prima generatio præfigurata in primæuæ lucis creatione.*

6. Perplacet nimis altera Hugonis Cardinalis huius loci commentatio: *Ab initio, & ante sæcula creata sum. Vel ab initio creationis mundi creata sum, id est præfigurata creari per creationem lucis: de qua factum est corpus Solis:* Duplex laudis prærogatiua in creatione lucis præfertur. Prima quod creata sit ante solem, velut luminaris præambula; secunda, quod prima vox Domini loquentis in creatione lucis auditur. De illa primordiali luce ante solem creata referunt primores Ecclesiæ mira quædam scitu digna, quæ recenset Abulensis in cap. 1. Genes. v. 3. *dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux*: ait etenim: *dicitur hic lux quædam nubecula lucida, quæ fuit facta vbi nunc est Solis circulus*: & statim: *creditur solem de illa nubecula factum.* Sanctus Thomas recensitus in Glossa magna fol. 489. scribit: *alij dicunt quod ex illa nube formatum est corpus Solis*: & Sanctus Augustinus relatus à Glossa ordinaria: *ea parte lucem Deus fecerat, in qua hominem facturus erat, vt cum ab illa parte lux discessisset, vespera diceretur.* Quòd autem in primitiuæ lucis creatione immaculata Deiparæ conceptio fuerit præsignata perspicuè docent Sanctus Vincentius Ferrer. serm. 2. de Natiuit. Virginis, vbi inquit: *Dixitque Deus fiat lux: Ecce Conceptio Virginis Mariæ*: & sapientissimus Nicolaus Cardinalis Cusanus lib. 2. excitation. fol. 393. ex sermone *compleuit Deus*, cuius sententias valde præclaras, ad huius conceptus ornatum decerpo: *in æterna* (inquit) *prædestinatione, Pater in diuinis ab anti-*

Abul.

Prima lux nubecula lucida creata, de qua factũ prodijt corpus Solis.

S. Thom.

D. August. Gloss.

Ea parte Deus lucem primò creauit, in qua hominẽ facturus erat.

S. Vinc. Fer. *In prima lucis creatione Conceptio Mariæ Virginis significata.*

Nicolaus.

quo formauit in sua idea ineffabili hoc gloriosissimum vas reparationis humanæ conditionis miro, & ineffabili modo, & Moyses nobis hoc exprimens dicit: In principio creauit Deus cælum, & terram, id est cælestem, Angelicam, & humanam terrestrem vitam simul in Virgine Maria; quæ fuit altissima dignitate cælum, & infima humilitate terra; cælum purissima virginitate: & terra fœcundissima maternitate, & statim: *fuit quædam tenebrosa obscuritas originalis culpæ, & ferebatur, spiritus Domini super aquas, id est omnes gentes, & tunc Deus in secreto consilio suo dixit: fiat lux has tenebras pellens, & irradians, & facta est lux. Lux scilicet mundi, quæ erat valde bona.* Quæ sit autem ista lux sequentibus verbis subiungit, *ex Ioachim, & Anna genita est precibus, & repromissionibus Maria, & miraculosè concepta etiam sine peccato originali secundum obseruantiam Ecclesiæ hodie, tanta enim puritate secundum obseruantiam Ecclesiæ, quæ eius Conceptionem celebrat, fuit: quod nunquam habuit neque originale, neque actuale peccatum.* Floruit autem hic purpuratus Pater sapientissimus anno Christiano 1450.

Adumbrata in cæli creatione.

Maria prima lux ad reparationẽ orbis ex Ioachim, & Anna genita sine peccato originali.

7. Schema iucundum generationis Mariæ in creatione primæ lucis emicat. Vtraque primordialis dies naturæ, & gratiæ eximiam sortita est parilitatem: illa exordium sumit à rosea luce, de cuius nitido splendore recenti, læto vultu albicat: ista vero de Deiparæ formatione, & animæ creatione supra primitiuam lucem, auroram, & solis iubar refulgentis, auspicatissimum primordium suscipit. In primo tempore creationis lux refulget ab omni caligine immunis, & in primo nunc Maria, quæ tanquam noua lux oriri visa, resplendet splendoribus gratiæ. Cerne in recenti orbis luce adumbrata Deigenitricis magnalia. De illa lucida nubecula *factum seu formatum est corpus solis*, iuxta præallegatorum Doctorum placitum, & de Maria tanquam de nube leui nullo peccatorum pondere prægrauata, nulla originalis culpæ macula obtenebrata, sed supra omnem terrenam substantiam aligera, & euecta iuxta solis domicilium, compactum sancti Spiritus operatione corpus solis æterni mundialia omnia viuificantis. Pulcherrima est Abulensis sententia quod *lux prima dicitur quædam nubecula lucida, quæ fuit facta vbi nunc est solis circulus.* Nubecula est Maria parua propter humilitatem, quæ creata fuit luminosa, vt carnis nube, & vmbraculo obtegeret verbi diuini Solem. Nubecula fontanæ lucis plenitudini propinquior creata, in ipsius luminis, & solis habitaculo illuminata splendoribus luminaris immensi; nubem illam Deus in sede solis constituit, & hanc Marianam nubem, & Dei tabernaculum in sole posuit, & affixit: in Solis ipsius mansione creata, vt in creatione Mariam non disgreges à sole, non secernas à lumine. Addit Sanctus Basilius Magnus in glossa magna relatus: *Tunc enim ipsa natura lucis producta est: Nunc autem hoc solis corpus ea conditum est, vt illi primogenita luci vehiculum esset.* Illa lux primogenia formata est quasi quædam parens solis, vt de fœcundi luminis vulua luminare magnũ parturiret; velut amore correptus sol de vtero nubis eductus grates rependit matricis nubeculæ partui: alis suis quasi

Prima lux & nubecula parua Maria, de qua ortus est æternus sol.

Abul.

D. Bas.

Sol primogenita luce vehiculum.

quasi quodam vehiculo, & ferculo nubem parentem assumpsit, radiisque suis, & splendorum diademate coronatam, & circumdatam per cœlorum atria triumphali ritu circumuexit. Maria Salomonis ferculum, & rheda supercælestis, quæ solem Deum portauit in vtero, & in mundum inuexit, virgineis vberibus de cœlo plenis lacteis stillicidiis innutritum. Potestate sua supermundanus sol matrem tanquam nubem lucidam creat, candore lucis æternæ, & splendoribus gratiæ præfulgidam, ipsamque tanquam suæ gloriæ triumphale carpentum mirabile semper luminosum, in regione lucis compactum cælicolis ostendit.

8. Prædicta omnia ad thematis propositum reducuntur: cum lux creatur primus Dei loquentis sermo profertur. Sanctus Basilius ad prædicta verba: *Dixitque Deus fiat lux*, id annotat: *Prima vox Dei lucis naturam creauit, mundum clarum fecit.* & Sanctus Ambrosius lib. 1. examer. cap. 9. *Vnde vox Dei (inquit) in Scriptura diuina debuit inchoare nisi à lumine? Qui ædificium aliquod dignum habitaculo Patris familias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, vnde lucem ei infundat, explorat, & ea prima est gratia, quæ si desit, tota domus deformi horret incultu. Fiat inquit lux, plena vox luminis, non dispositionis apparatum significat, sed operationis resplendet effectu. Naturæ opifex lucem loquutus est, & creauit. Sermo Dei voluntas est.* Chaos illud mundi informis alto Domini silentio opprimebatur; primam loquelam fudit Deus, iocundata sunt omnia. Fons luminis vocis auspicium sumit à luce, candor fulgoris æterni orsus est loqui, & claritatem præfatus, tanquam exordium subsequentium sermonum, loquelam Domini primam lux promeruit. Vt intelligas in mundi reparatione, cum illam Deus in Mariæ formatione parat effingere, Dominum alloquutum: quem autem sermonem proferret nisi claritatis, lucis, & gratiæ, qua totam ipsam in exordio creationis suffunderet; alloquutus est imperio, & superna potestate voluntatis, quam subsequitur mirabilium operatio, vt ipso alloquente locus non daretur tenebris, sed splendoribus charitatis, & gratiæ. Appositam architecturæ analogiam ab Ambrosio ad propositum vsurpo: qui enim dignum habitaculum patrifamilias parat struere: *Antequam fundamenta ponat, vnde lucem ei infundat explorat. Et ea prima est gratia.* Cum enim Dominus Mariæ basilicam, & palatium conderet Magno Regi Summoque Sacerdoti, & Spiritui sancto sacrarium, antequam fundamenta poneret virginalis aulæ, & cælestis cameræ, explorauit vnde ei lumen infunderet, & ea prima est Mariæ gratia. Cum aliis Adæ filiis domus construitur, corpus affingitur, anima infunditur, fabricatur ædificium munitum, & clausum luci, imperuium lumini, originalis peccati tenebris inhorrescens; cùm templum Mariæ condit Pater, Filioque suo domum regiam parat, de luce infundenda primum consultat, & eloquium diuinum resultat: *fiat lux, & facta est lux.* Vnde lucem ei infundat primæ gratiæ explorat; nec ei, quæ facta est cælorum fenestra deerit ianua dominicæ dignationis, qua se lumen insinuet in animæ adyta; patent omnia Domini potestati. Mariæ fores Domino loquente patulæ ad lucem, & splendores gratiæ. Placuit inpræsentiarum adiicere encomiasticum, & panegyricum sermonem Guillelmi Pipini, pietate, & sapientia clarissimi, Ordinis Prædicatorum de immaculata Conceptione; de quo extat hoc elogium in Bibliotheca Fr. Antonij Senensis: *Frater Guillelmus Pipinus Ebrocensis, Gallus natione, sacra Theologiæ professor, vir ingenio præstans, grauitate morum ornatus, in Aristotelis, & scholasticorum doctrina egregiè doctus, iuris etiam Cæsarei, & Pontificij non ignarus, facundissimus autem Euangelistes, atque adeo omnibus gratus, vt vbique in concionibus, vt ipsi parem suâ ætate Gallia vix cognouerit, extitit. claruit anno* 1527. in volumine de aduentu Domini, seu de secretis secretorum sacrarum litterarum professor clarissimus fol. 237. hunc titulum præfigit.

D.Bas. Prima Dei vox incheat à lumine in formatione mundi. S.Ambros.

In mundi reparatione ordit ur à luce gratiæ Dei vox Mariā condens.

Cū Dei Basilica Maria construitur, & fundamentum ponitur, lux infunditur, & ea prima est gratia.



SERMO PRIMVS.

De intemeratâ Conceptione Virginis Mariæ.

1. SIc incipit feliciter: *Vidi librum scriptum intus, & foris signatum sigillis septem.* Apocal. 5. Tertius liber quem vidit Beatus Ioannes, dicitur liber Conceptionis Virginalis: qui quidem liber signatus est sigillis septem: per quæ designantur septem magna testimonia puritatis Virginis Mariæ, quam habuit in sua gloriosa Conceptione, &c. significantur septem testimonia probantia Christiferam Mariam immunem fuisse ab originali culpa in sua mirifica Conceptione.

Ap. Liber Conceptionis virginalis signatus sigillis septem.

2. Primum igitur sigillum est testimonium diuinarum personarum. Legitur enim Genes. 2. quòd post formationem Adæ dixit Deus Trinitas: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*: scilicet ad carnalem filiorum suorum propagationem; & per hoc præfigurabatur, quòd Dominus daret nouo Adæ, id est Christo, immaculatam Virginem in adiutorium simile sibi, ad peremptorum veteris Adæ filiorum generationem; & ad Christi fidelium multiplicationem. Vnde ad propositum dicebat deuotus Bernardus in quodā sermone de Assumptione ipsius Beatæ Virginis, qui incipit signum magnum apparuit in cœlo. *Et quidem, inquit, ad restaurationem humani generis sufficere poterat solus Christus, quoniam omnis sufficientia nostra ex ipso est. Sed bonum non erat nobis hominem esse solum, sed magis congruebat, vt adesset nostra reparationi sexus vterque.* Idem in alio loco dicit sic: *sicut sine ipso, scilicet Christo Deo, factum est nihil: ita sine ipsa, supple Maria, refectum est nihil.* Et quomodo Eua data Adę veteri in adiutoriū: quo magis foret sibi similis, ipsa fuit os ex ossibus eius, & caro de carne sua: ita & immaculata virgo data Adæ nouo in adiutorium: quo foret magis similis sibi, ipse fuit os de ossibus Virginis, & caro de carne sua. In significationibus autem

Primum sigillum testimonium diuinarū personarum. Genes.

D.Bernard.

Sicut Adamo data est Eua sine peccato creata, ita Christo data est Maria sine peccato concepta.

Digitized by Google

autem figuratiuis hoc ſemper commune eſt, & vniuerſale, quod figuratum ſemper præcellit figuram. Ergo ſimilitudo inter nouum Adam, & Virginem Mariam debuit eſſe præſtantior, quàm ſimilitudo inter Adam veterem, & Euam. Sed ſimilitudo inter Adam veterem, & Euam tanta fuit, vt ſicut Adam vetus formatus eſt ſine quacumque culpa, ita & Eua. ergo ſimilitudo inter Adam nouum, & immaculatam Virginem tanta debet eſſe, vt ſicut ipſe Adam nouus conceptus fuit ſine peccato originali, ita & immaculata eius Mater Virgo Maria.

Secundum ſigillum teſtimonium figuratiuũ. Geneſ.

3. Secundum ſigillum dicitur teſtimonium figuratiuum. Ipſa enim virgo intacta figurata fuit per illam mulierem, quæ caput ſerpentis erat contritura. Vnde Geneſ. c. 3. dicitur, quod Deus dixit ad ſerpentem: *inimicitias ponam inter te & mulierem; & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Nempe ſerpens ille antiquus, & callidus ſolitus erat crudelibus faucibus ſtrangulare ſingulos filios Adæ, impingendo in ipſos originalem culpam in primordio ſuæ Conceptionis, & hæc eſt cauſa, ſecundum Bernardum, in libro de decem gradibus humilitatis, propter quam naſcimur omnes morituri. *Naſcimur*, inquit, *omnes morituri, quia prius morimur naſcituri, & abortiui naſcimur mortui, quia in vteris matrum ſumus ſtrangulati.* Sed dum tortuoſus ille ſerpens aggreſſus eſt ſtrangulare Virginem Mariam ſicut cæteros Adæ filios, nihil mali paſſa eſt ab eo, quin imò ipſa ab inſtanti ſuæ Conceptionis tanta gratia, & virtute dotata eſt, quod caput eius glorioſè conculcauit; & contriuit; vbi aduertendum, quod caput ſerpentis infernalis originale peccatum deſignat: quia ſicut ſerpens naturalis ingrediens locum aliquem, primo præmittit caput, deinde paulatim totum corpus illuc pertrahit: ita & dæmon totus ſerpentinus volens habitare per peccatum in anima rationali, primo præmittit caput originalis culpæ, deinde pertrahit ad deteriora, videlicet ad actualia peccata. At vero Virgo Maria in ſua ſanctiſſima Conceptione dono Dei gratiæ contriuit caput eius, vt non tangeret, nec morderet eam per originalem culpam, nec ex conſequenti per actualem. Nam ſicut contrito capite animalis, in quo viget principium motus, & ſenſus ipſius animalis, nullas habet vltra vires ipſum animal; ſic ſerpente infernali in ſuo primo aggreſſu à Maria ſuperato, quaſi contrito capite, nullas vires in illam vlterius habuit; ſed omnem poteſtatem ſuper eam in perpetuum amiſit. Modo ſi dicatur quod fuerit in originali concepta, conſequens eſt dicere, quod fuerit à ſerpente ſtrangulata.

D. Bern.

Maria caput ſerpentis originale peccatũ contriuit.

Tertium ſigillum teſtimonium cõparatiuum.

4. Tertium ſigillum dicitur teſtimonium comparatiuum. Scriptura nempe Sacra comparat ipſam almam Redemptoris matrem multis rebus, quæ ſpiritualiter intellectæ, dant apertè nobis intelligere ipſius ſanctitatem, & immunitatem ab omni peccato tam actuali, quàm originali: ſicut ſpecialiter patet legenti XXIV. cap. libri Eccli, vbi myſticè introducuntur verba eiuſdem Virginis dicentis: *quaſi cedrus exaltata ſum*, &c. in quibus verbis multis rebus ſe comparat. Sed de multis tantum decem proſequemur.

Eccl.

Maria in conceptione immaculata comparatur Cedro.

5. Primò quidem comparat ſe cedro dicens: *quaſi cedrus exaltata ſum in Libano*, id eſt in Eccleſia: eſt autem cedrus arbor imputribilis, virorem ſuum ſemper retinens, & valde alta, itaut Rabanus ſuper Pſalterium vocet eam: *Dominam, & reginam arborum.* Hæc autem valde congruunt Virgini Mariæ, quæ fuit imputribilis in ſua Conceptione: imputribilis inquam per negationem actus, & ſi non per negationem potentiæ. Ex quo enim per commixtionem ſeminum fuit propagata; nata erat concipi cum originali peccato, ſi non fuiſſet diuinitus præſeruata. Secundò virorem gratiæ ſibi collatæ in ſua Conceptione ſemper retinuit, quoad vixit, per carentiam omnis actualis culpæ, fuit enim tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, ſupple gratiarum, quod fructum ſuum dedit in tempore ſuo, ſcilicet Chriſtum: & folium eius, id eſt viror gratiæ non defluet, ſupple per culpam. Tertiò fuit Domina, & Regina omnium arborum, id eſt omnium electorum, tam Angelorum, quàm hominum in ſua glorioſa Aſſumptione. Ecce quam bene comparatur cedro.

Comparatur Cypreſſo.

6. Secundò principaliter comparat ſeipſam Cypreſſo cum ſubdit, *& quaſi cypreſſus in monte Sion*, ſupple exaltata ſum. Hanc autem proprietatem habet cypreſſus, quod eſt arbor valde odorifera, propter quam cauſam inde ſolent fabricari throni Imperatorum, & Regum. Sic & Virgo Maria fuit etiam ab inſtanti Conceptionis ſuæ adeo odorifera per redolentiam omnis ſanctitatis, quod in ea ille, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium ſibi elegit thronum, & tabernaculum, in quo corporaliter habitaret ſecundùm quod ipſamet dicit Eccli XXIV. *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.*

Comparatur palmæ.

7. Tertiò comparat ſe palmæ, ſubdens: *quaſi palma exaltata ſum in Cades*: palma nempe ſignum eſt victoriæ, & titulus triumphalis, quo ſolet ornari, & decorari manus victoris: propterea de electis dicitur Apocal. VII. quod ſtant ante thronum, *& palma in manibus eorum*: & quoniam Virgo Maria fuit victrix aduerſus ſerpentem antiquum caput eius conterendo in ſua Conceptione, prout dictum eſt; ideo merito comparat ſe palmæ.

Comparatur roſæ.

8. Quartò comparat ſe roſæ cùm ſubdit: *& quaſi plantatio roſæ in Iericho*, ſupple fui. Roſa enim inter omnes flores habet hanc ingenitam conditionem, quod, etſi cum vepribus, & ſentibus naſcatur ſpinoſis, nullum tamen ab ipſis trahit aculeum. Ad propoſitum: ſpinæ frequenter in ſacra Scriptura ſignificant myſticè peccata, vt ibi Geneſ. 3. *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas, & tribulos germinabit tibi.* Quod myſticè exponunt communiter Doctores de terra noſtræ carnis, quæ originali peccato ſeminata germinat nobis ſpinas concupiſcentiarum, & tribulos libidinum. Congrue ergo Virgo Maria roſæ comparatur, quæ de parentibus originali peccato infectis, tanquam roſa de vepribus, & ſentibus nata, inter ſpinas, & tribulos libididum concepta, nullum ex parentibus contraxit originalis culpæ auleum: & hoc teſtatur noſtra mater ſancta Eccleſia, quæ de ea canit dicens:

Geneſ.

Tẽpore Guillelmi in Miſſa Conceptionis Mariæ hic verſus canebatur: Sicut ſpina roſam, genuit Iudæa Mariã.

Sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam. Item ad idem: *& sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium.* non autem dicit Ecclesia, quod circumdabant eam *ramis rosarum*, sed duntaxat *flores rosarum.* sed quare hoc? certe quia rami rosarum sunt spinosi, & hispidi, flores autem lenes, & spinis & aculeis expertes, & ideo sancta mater Ecclesia, vt profiteretur immaculatam Deigenitricem Virginem Mariam in sua benedicta Conceptione, de parentibus originali peccato infectis, tanquam purissimum rosæ florem de ramis spinosis nullam contraxisse peccati spinam, suppresso ramorum nomine, de solis floribus facit mentionem, dicens: *& sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium.*

Comparatur oliuæ.

9. Quintò: ipsa Dei genitrix Virgo Maria comparat se, in prædicto capitulo, oliuæ, dicens: *Quasi oliua speciosa in campis*, supple fui: habet enim oliua amaritudinem in radice, sed habet dulcedinem in fructu. Sic & radices dignissimæ Virginis Mariæ, de quibus habetur Matthæi 1. cap. *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*, &c. fuerunt omnes, & singulæ amaræ per originalem culpam; sed fructus talium radicum, id est Virgo Maria habuit omnem dulcedinem per gratiam in sua benedicta conceptione, ideo vocat se oliuam speciosam in campis, id est in vtraque Ecclesia. Primo namque fuit oliua speciosa in campo vteri Beatæ Annæ matris suæ per sanctificationem. Deinde in campo huius mundi per vitæ sanctimoniam. Demum nunc in campo Ecclesiæ triumphantis ipsa est multum decora, & speciosa per glorificationem, vnde Psalmista: *Astitit Regina*, idest Virgo Maria, *à dextris tuis in vestitu deaurato*, idest, in corpore glorificato, vt pie creditur: circumamicta varietate, idest quadruplici dote, videlicet agilitatis, claritatis, impassibilitatis, subtilitatis. Vnde illa potest dicere illud Psalmi: *Ego sicut oliua fructifera in domo Dei*, idest in Ecclesia militante, quandoquidem nobis attulit illum benedictum fructum ligni vitæ Iesum Christum. Item numquid & modo ista oliua est valde fructifera in domo Dei, id est in Ecclesia triumphante: quando scilicet non cessat ibi orare pro salute omnium nostrum? Ecce quomodo Maria conuenienter vocat se oliuam.

Math.

Comparatur platano.

10. Sextò: comparat se Platano cùm subdit: *Et quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis.* Vnde aduertendum quod platanus nomen arboris est, & dicitur à platos Græcè, quod est latum, vel amplum latinè, quia de facto dicta arbor ampla est, & lata tam in ramis, quàm in foliis: & ideo merito designat Virginem Mariam, quæ est tam ampla, & lata, vt omnes possit abscondere ab ardore solis iræ Dei. Ideo illi canit Ecclesia dicens: *Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris.* Ista ergo platanus fuit valde exaltata super cæteros Adæ filios, & filias iuxta aquas scilicet gratiæ, & sanctificationis in sua Conceptione. Sed vbi exaltata fuit? Certè in plateis, id est in Ecclesia militante, & triumphante, in quibus plateis dantur Deo laudes de ipsa sanctissima Conceptione, & hoc est quod canit Ecclesia in introitu Missæ hodiernæ: *Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore Beatæ Mariæ Virginis, de cuius Conceptione gaudent Angeli, & collaudant filium Dei*: de qua Conceptione possumus dicere quòd in consimili de eius Natiuitate dicit deuotus Bernardus: *Neque enim festis laudibus concepta honoraretur, si non sancta conciperetur.*

Introitus Missæ Conceptionis Deiparæ tempore Gulielmi valde mirabilis.

Comparatur odoriferis vnguentis.

11. Septimò, octauò, & nonò: comparat se vnguentis valde odoriferis, cùm dicit: *sicut cinnamomum & balsamum aromatizans, odorem dedi, quasi myrrhâ electa dedi suauitatem odoris*: quemadmodum ergo hæc tria sunt maximè redolentia, & contra ægritudines corporum proficua, ita & Mariæ Conceptio tam odorifera fuit, vt vsque ad nares Dei, & Sanctorum Angelorum ascenderit. Vnde ad hoc propositum potest dicere illud Canticor. secundo: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Per nardum autem arborem paruam, sed odoriferam significatur status Mariæ, quem habuit in sua Conceptione. Tunc enim fuit parua quantitate molis, sed magna quantitate virtutis, & redolentiæ singularis. Item hæc Conceptio deuotè eam colentibus est valde proficua contra ægritudines animæ. Vnde Sixtus Quartus dedit consimiles indulgentias vere colentibus hoc festum, quales collatæ sunt ab Vrbano IV. in festo Corporis Christi.

Cant.

Comparatur viti.

12. Decimò, & vltimò Virgo Maria comparat se viti, dicens vbi supra: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Vitis enim dum floret, hanc virtutem habet, quòd solo odore suo, aut expellit, aut extinguit bufones, & serpentes: ita & hæc Virgo sanctissima in sua intemerata conceptione tantum redoleuit per omnium Charismatum abundantiam, & sanctimoniam, quòd in ea penitùs extinctum fuit venenum serpentis antiqui, quod in cæteros homines quodammodo transfudit, videlicet peccatum originale, à quo penitùs præseruata fuit ex specialissimo Dei dono, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Noli tamen intelligere prædictum virus sic in ea fuisse extinctum, quasi prius eam infecerit: sed quia infecisset, nisi præseruata, & priuilegiata fuisset. Ecce quomodo ipsa Maria quasi vitis fructificauit, id est fructum fecit in sua Conceptione. Sed qualem fructum fecit? Certè suauitatem odoris. Nos autem cum concipimur, sumus quasi vitis siluestris, quæ fecit fructum amarum, & agrestem, & ideo fructificamus non suauitatem odoris, sed abominationem fœtoris, & horroris, adeo vt simus abominabiles Deo, & Angelis eius.

Quartum sigillum, testimonium Propheticum.

13. Quartum sigillum inuiolatæ Conceptionis Virginalis, dicitur testimonium propheticum. Huic enim mysterio testimonium perhibent Prophetæ. Et quidem Dauid, qui fuit eximius Prophetarum, Psalmo 9. satis adpropositum loquitur dicens: *quæretur peccatum illius*, scilicet Virginis Mariæ in sua Conceptione, *& non inuenietur.* Sed vbi quæretur? Certè in triplici lege; scilicet in lege naturæ, in lege scripturæ, in lege gratiæ.

Argumenta proponit, & dissoluit.

14. Primò quidem potest quæri peccatum originale in Virgine Maria secundum legem naturæ, sic arguendo: quemadmodum Adam acceperat iustitiam originalem pro se, & tota posteritate sua, sic eam perdidit per peccatum

suum

suum pro se, & vniuersa posteritate sua; sed sic est quod Virgo Maria fuit de posteritate Adæ tanquam eius filia secundum seminalem rationem ab eo descendens: ergo debuit priuari iustitia originali, & per consequens cum originali peccato concipi.

15. Secundò potest in ea quæri peccatum originale secundum legem scriptam, sic arguendo: vbicumque lex Vetus loquitur de peccatoribus, solum eximit Christum prophetatum in lege, nullam faciens mentionem de Virgine Maria, vt est illud Eccli. 7. *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Item in Psalmo: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Scilicet Christum, secundùm Glossam interl. Vbi autem scriptura loquitur ita vniuersaliter, & sine distinctione, nec nos distinguere debemus. Et nota quòd hic capio legem scriptam prout se extendit ad Prophetas. (Eccl.)

16. Tertiò potest quæri peccatum originale in Virgine Maria secundùm legem gratiæ. Paulus enim ad Romanos 11. dicit quod *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei,* id est iustificatione, per quam Deus apparet gloriosus. Item eiusdem 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Ecce quomodo triplici via, seu lege potest quæri peccatum originale in Virgine Maria. Sed reuera hodie loquendum est, vt plures, & præsertim vbi sapientes reputantur. Nempe hac tempestate in alma facultate Theologiæ Parisiensi nullus admittitur ad cœtum Doctorum, nisi prius præstito iuramento de dogmatizando Christiferam Mariam ab originali labe fuisse expertem, quod & ipse præstiti, quam vis indignus tanto cœtui annumerari. Ob eam rem, partem istam tuendo, & ad propositum redeundo, dico, quòd vbicumque quæratur originale peccatum Virginis gloriosæ, non potest veraciter ibi inueniri: nec euidenter concludi ex his, quæ adducta sunt ex triplici lege. (S. Paul.)

17 Ad primum igitur argumentum pro lege naturæ dico, quòd etsi Adam peccando, demeritoriè perdiderit iustitiam originalem, & gratiam, & virtutes pro se, & suis, non tamen alligauit diuinam misericordiam, & pietatem, quin potuerit vnum, vel plures eximere à perditione tanti boni. Et potest dari exemplum de patre offendente Regiam maiestatem, qui propter hoc meretur mortem, & exhæredationem quoad filios suos, Rex tamen potest vni, vel pluribus filiorum suorum facere misericordiam, & restituere hæreditatem paternam. Ita in proposito.

18. Ad secundum de lege scripta, dico in primis, quòd vt communiter dicitur, non est regula tam generalis, quæ in aliquo casu particulari non patiatur exceptionem. Præterea dico, quòd prædictæ auctoritates, & si quæ sunt aliæ similes, debent pie intelligi, videlicet de communi lege, siue de iure, sed non semper de facto: potissimè ita: *Omnes declinauerunt* &c. Ad illam autem, quæ est Salomonis, dico cum Lyra, quod sensus est: *Virum de mille vnum reperi,* scilicet sanctum, & virtuosum; *mulierem ex omnibus non inueni,* scilicet virtuosam; non quidem sic, quòd nulla fuerit talis, scilicet quia paucissimæ sunt tales: sicut solet dici quòd nullus est in sermone, seu in foro, vbi tantum pauci sunt. Potest etiam dici quòd solus Christus fuit impeccabilis per naturam: Maria autem fuit impeccabilis per gratiam, & per hoc solui possunt multa argumenta, vel dic, quòd vir vnus de mille repertus est Christus, qui solus potuit redimere humanum genus. Mulierem ex omnibus non inueni, quæ scilicet posset tantum opus peragere, neque etiam Beata Virgo, vt constat.

19. Ad tertium de lege gratiæ, satis patet ex dictis. Bene enim concludunt dictæ auctoritates quòd Beata Virgo contraxisset originale peccatum, si non fuisset præseruata, & specialiter priuilegiata.

20 Quintum sigillum probans sanctam fuisse Conceptionem Virginis Mariæ, dicit testimonium sacrorum Doctorum ab Ecclesia approbatorum. In primis nempe Beatus Ambrosius in sermone quodam de Beata Virgine loquens dicit sic: *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Item secundò Beatus Augustinus in libro de natura, & gratia dicit sic: *Cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo quæstionem de Domini matre facere, qua excepta, si omnes Sancti, & Sanctæ cum hic viuerent, interrogati fuissent, vtrum sine peccato essent: omnes vna voce clamassent: si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Item tertiò Hieronymus, *nullum,* inquit, *dubium est de Matre Domini, quin talis debuit esse, quæ de peccato redargui non posset, cùm hoc fuisset ad improperium filij sui.* Item idem ad Eustochium: *Quidquid,* inquit, *potest fari lingua carnis, minus est à laude Genitricis.* (Quintum sigillum testimonia patrum Ecclesiæ) (S. Ambr.) (S. August.) (S. Hier.)

21. Item idem Hieronymus: *cæteris,* inquit, *virginibus, per partes præstatur gratia: Mariæ vero se totam infundit gratiæ plenitudo, quæ fuit in Christo, quamquam aliter, & aliter; quia in Christo fuit plenitudo gratiæ tanquam in homine personaliter definita; in Maria vero vt in templo singulariter consecrato: Vel aliter in Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in capite influente: in Maria vero sicut in collo transfundente.* Hæc ille. Item quartò deuotus Bernardus in quodam sermone de Natiuitate eiusdem Virginis, qui incipit *de gaudijs ad gaudia,* dicit, *quòd caro Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.* Item idem in sermone de eadem Natiuitate, *puto,* inquit, *quod copiosior sanctificationis gratia in ipsam descenderit, quæ non solum eius sanctificaret ortum, sed & vitam ipsius ab omni peccato deinceps immunem conseruaret.* Item Venerabilis Anselmus in libro de conceptu Virginali cap. 18. dicit sic: *Decuit, vt conceptio illius hominis ex matre fieret purissima tanta puritate, qua sub Deo nequit maior intelligi; cui Deus Pater Vnigenitum suum, quem de corde suo genuit æqualem sibi: ita dare disponebat, vt etiam naturalis atque vnus, & idem Dei Patris, & Virginis filius substantialiter esset.* Item idem Anselmus in libro de exordio mundanæ salutis dicit sic: *Si Deus consentaneè confert: vt inter spinas à spinis remotum concipiatur lilium, simul & formetur, non potuit hoc facere filius Matri suæ? sequitur plane,* inquit, *potuit, & voluit. Quod si voluit fecit.* Similiter idem Anselmus in epistola ad Coëpiscopos Angliæ scribit, dicens: *non puto,* inquit, *verum amatorem Virginis, qui celebrare* (S. Hier.) (S. Bern.) (S. Ansel.) (S. Ansel.)

celebrare respuit festum suæ Conceptionis. Item
Ric. Vict. sexto Richardus de Sancto Victore in sermone, qui incipit. *Nondum erant abyssi*, dicit sic: *Non decuit, vt caro Mariæ qualitumque foret obnoxia culpæ: nam Dei sapientia indignum credimus, vt quam ad lucem gentium destinauit, prauitatis tenebris sineret inuolui. Nec erit ingratus propriæ matri, qui patri, matrique honorem præcipit exhiberi.* Sunt & aliæ multæ auctoritates hoc idem probantes.

Sextum sigillum testimonium infidelium. Lyra. 22. Sextum sigillum dicitur testimonium infidelium, & potissimè illius reprobatissimi viri Mahometi. Refert enim Magister Nicolaus de Lyra, quod in libro Alcoran, qui est authenticus apud Sarracenos, dicit Encorea, quod audiuit nuntium Dei dicentem: *Nullus de filiis Adam nascitur, quem non tangat Satan, & ideo plorat vociferans ex eius tactu, præter Mariam, & filium eius.* Si ergo impurus, & sacrilegus ille apostata Mahometus hanc reuerentiam exhibet immaculatæ Virgini, vt ipsam eximat ab illo generali filiorum Adam opprobrio, multò fortiùs nos Catholici hoc sentire debemus. Magnum enim est habere testimonium ab iis, qui foris sunt. Sed dicet fortassis quispiam, nos impertinenter allegare dictum tam scelerati viri in confirmationem tantæ veritatis. Maximè
S. August. cum dicat Augustinus, libro de vera religione, quòd non est religio à Philosophis quærenda. Audiat igitur talis non meam, sed eiusdem Augustini sententiam. Qui libro 11. de doctrina Christiana, loquens de doctrina Philosophorum dicit, *quod si qua vera Philosophi dixerunt, ab eis sunt tanquam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda.* Vnde in figuram huius legitur Exodi. 11. quòd filij Israel spoliauerunt Ægyptios, quando ab eis exierunt. Vbi per Ægyptios, qui interpretantur tenebrosi, significantur omnes illi, qui non habent lumen fidei. Per filios quidem Israel, qui interpretantur videntes, significantur Christiani, qui vident Deum per fidem in præsenti. Hi ergo rectè possunt spoliare quotquot non credunt in Christum, quantum ad id, quod verum dicunt, & quod potest facere ad suum propositum. Sicut quod scriptum est Prouerb. 9. quod Sapientia misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem.
V. Beda. Vnde Beda, & recitatur dist. 37. turbat. dicit, *quod si qua inueniantur vtilia in sæcularibus libris, id est in libris Gentilium*, vt dicit ibi Glossa, *quasi sua sumere licet, & huiusmodi vtilia, quæ in eis inueniunt, ad vsum sacræ eruditionis deuoti vertant.* Hæc ibi.

Septimum sigillum immaculatæ Conceptionis, testimonium legum imperialium. 23. Septimum sigillum, per quod sigillatur veritas, & puritas immaculatæ Conceptionis Dei genitricis Mariæ, dicitur testimonium legum Imperialium, secundum quas, tam Augustus, quàm Augusta legibus soluti sunt, & priuilegiati. Modo, sic est quòd Christus summus Augustus, vt pote Rex Regum, & Dominus dominantium, fuit à lege originalis peccati solutus, & liber: ergo etiam & Augusta, seu Imperatrix Maria. Item scribitur in Digesto nouo tit. de verb. & rer. sign. l. Princeps. Quod Princeps bona cōcedendo, videtur etiam obligationes cōcedere. Modò, sic est, quòd Dominus cōcessit maxima bona ipsi Beatissimę Virgini, vt potè quod esset Mater filij sui, quod conciperet, & pareret filium suum cum integritate Virginitatis, & huiusmodi. Sequitur ergo, quòd illam vniuersalem obligationem concedere debuerit, per quam omnes filij, & filiæ Adam obnoxij sunt culpæ originali. Et sic patet intentum, videlicet quò Beatissima Dei genitrix Maria fuit à labe originalis culpæ omnimodo præseruata, cuius precibus nobis donet Iesus Christus gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, Amen.




In Maria aureus earum sententiarum nexus.

Super omnem enim gloriam protectio.

Erit in vmbraculum diei ab æstu.

DISCVRSVS VI.

Maxima gratiæ prodigia in spiritus sancti obumbratione, & eximia virtutum decora in Maria inumbrata refulgent; & qua arte lumen Dei, à quo inumbratur, obumbret?

1. EMPER Maria sub regali Dei culmine tutabatur, & inumbrabatur experta præsidium sub manu Domini omni gratia ornatum, & munitum, dulci lenimento circumfluens; sed cùm dabat esse, & viuere vitæ, prodigiis plena vita viuebat in altissimi vmbra. Nec opacata est tenebris ex vmbraculo, sed illuminata diuinis splendoribus, & inter tot accensa lumina Deitatis, vmbra non fugabatur; cum ad superni nuntij affatum extimuit, expalluit roseo rubore genarum candorem perfundens, experta est diuina præsidia à sapiente Iesu Sidrach promissa timoratis. Ecclesiastici c. 44. v. 19. *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Omnia recenset Deiparæ magnalia in sacramento Incarnationis, & reconciliationis humanæ patefacta. Aperti sunt oculi miserationum, & gratiarum pleni super trementem ancillam, humilemque virginem, vt benedictionibus dulcedinis repleretur. *Protector factus est potentia* cum inualidiori sexui robur adiunxit mirabile, quo disturbaret insidias malignorum spirituum, fecit potentiam in brachio suo, vt fragilis fœminæ conditio onus deificum Angelicis humeris formidandum, omni Atlante, & Heroë fortior, & animosior virago sustineret; nec ingemuit gratiarum pelago ponderoso Maria, quando sub aquarum mole gemunt gigantes, & tremiscunt Angeli: *Firmamentum virtutis*, factus est Dominus puellæ, vt hominis naturam labantem firmaret, redderet vexatis in ærumnarum agone robur, & ab imbecilliori sexu firmitas proueniret animorum, & omnium virtutum lacerti infirmantibus accederent. Fundauit in ea Dominus stellatum firmamentum, charismatum splendoribus micans, *Quanta fuerint Deiparæ magnalia in sacramento incarnationis, & reconciliationis humanæ?*

cans, & nitore cælestis puritatis. *Tegimen araoris.* Aduersus cacodæmonis flatus, cuius halitus prunas ardere facit tegimen prætendit altissimus, vt nullo concupiscentiæ flamine, aut libidinis attactu pulsaretur in filij Dei generatione, sed diuini amoris incendium eius animum, & corpus possideret, & de torrente voluptatis ineffabilis dulcedo eam penitus inebriaret: *Et vmbraculum meridians.* Cum enim sol diuinus in meridiano charitatis tempore radios exufflans suos, exurens Angelorũ montes in feruentiori æstu ardoris intra vteri angustias sese recolligeret, & clauderet, amœnum prætendebat vmbraculum, & lenissimè refrigerante aura spiritus sancti refouebat, vt fragilis natura subsisteret, nec ab æstu consumeretur; altissimus enim flabro refrigerantis spiritus nimios solis temperabat ardores, ideo *deprecatio offensionis* facta est. Vt deprecaretur Patrem pro hominum delictis, quæ claudebat in gremio propitiatorium pro peccatis. Propitiatio enim Mariæ est omnium peccatorum, vt sicut ipsa protectionis gloriam & vmbræ lenimentum spiritalis præsentit; omnes ad tale præsidium confugientes, alarum velamentum, & protectionem placidissimam experirentur.

2. Occupauit Virginem tantorum collectio donorum, cum diuina prole ab spiritu sancto fœcundata est, nec fefellit Angelus omnium horum stipulationem præferens eloquio. Lucæ cap. 1. v. 35. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* In his verbis, quid lateat Sacramenti, recenset, & aperit purpuratus Hugo Carensis, tum ex propriis, tum ex Glossa, & Beda Venerabili verbis mutuatis: *Obumbrabit, contra omnem tribulationem protegendo. Vnde Glossa: abscondet te in Ægyptum fugiendo. Et non est adhærendum verbo quasi eam tantum in Ægypto protexerit, quia propositum est pro exemplo. Et est metaphora, quia sicut vmbraculo tegitur aliquis à calore solis, ne ei noceat, sic gratia spiritus sancti Virginem protexit ab omni infestatione. Vnde interlinealis: dabit tibi vmbram contra omnem tribulationem. Item obumbrabit tibi, non lædendo: sicut vmbra nec grauat, sed refrigerium præstat. Beda: virtus vegetans, vmbra refrigerans, spiritus eam fœcundauit, virtus à corruptione seruauit.* Seruauit in prosperis, protexit in aduersis, in vmbra manus suæ abscondit à facie tribulantis; vt à terra virginea, nec sata, nec corrupta, non humanis arata cultoribus, non vepribus obsita hæreditariæ maledictionis, dulcis flos Iesus prodierit, & germen Patris delectabile germinaret. Cuius protectionis argutus commendator est Guillelmus, qui ad Deiparæ mentem perscrutandam, cum in hac pausaret vmbra, altius subuolat: *Testis est Deipara, quæ spem ponebat in vmbra filij sui, quia sic ratiocinabatur: malus est dilectus meus, fructum simul præstans, & vmbram; fructum ad pastum, vmbram contra æstum, fructum ad refectionem, vmbram ad pausationem. Lignum vitæ est, salubriter viuitur de fructu, securè pausatur sub vmbra, per diem sol non vret pausantem, neque luna per noctem.* Hæc pius, & acutus Guillelmus.

S. Luc.

Beda. Hugo. Glossa.

Spiritus sancti vmbra, & gratia Mariam ab omni infestatione, & tribulatione protexit.

Guillel.

Iesus malus, præstans fructum ad pastum, vmbram contra æstum.

3. Sub hac vmbra, & tutela degere, & sedere cupiebat Deipara Cantic. cap. 2. v. 3. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Virginis amantis votum, requiescere sub arbore, versari sub vmbra deliciarum plena, vt primum fructum humilitatis dulcissimum prælicaret, nec ferueret æstu superbiæ, nec nutaret instar Euæ diuinitatis ambitu. Sedit, reclinauit caput ad vitæ lignum, inconcussa permansit summæ felicitatis promisso, nec fluctuauit variabili desiderio, quæ omnium bonorum coaceruata collectione impleta est. Pulchre Alanus apud Delrio inquit: *Sedi ego humiliata ad verba Gabrielis, sedi; id est requieui sub vmbra illius, id est sub protectione filij Dei per obumbrationem spiritus sancti facta, tempore enim Incarnationis gratia spiritus sancti fuit tabernaculum, vel vmbraculum in ea, contra concupiscentiæ incentiuum. Sub hac vmbra non steti rigida elatione, non ambulaui inquieta curiositate, non iacui resoluta voluptate sed sedi. Ideo plena gratia apud Deum per humilitatem; apud Angelos per virginitatem, apud homines per fœcunditatem.* Illud comma acumentis punge: *Sub hac vmbra non steti rigida elatione.* Non refriguit Mariæ charitas sub vmbra refrigerante, nec gelu superbiæ obriguit: sed humiliata est sub manu Domini, sedit ad infusionem gratiæ, vt eius fluenta pacato animo susciperet. Sedit vt intra mysteriorum condensa delitesceret ad inuestigationem, præcauens intempestiuam manifestationem, ne prophanis arcana diuulget. De hac opacitate castæ taciturnitatis loquitur sanctus Bernardus in Psal. 90. serm. 4. ad ea verba: *Scapulis suis obumbrabit tibi.* dicens: *Hæc igitur est absconsio, quam sub scapulis Domini præstari dixeramus: qualis forsitan absconsio fuit, vel obumbratio, qua Maria facta est ab spiritu sancto, ad celandum videlicet tam incomprehensibile sacramentum.* Inumbrata, vt profundo clauderet silentio mysterium Regis.

Alan.

Spiritus sancti tabernaculum, & vmbraculũ contra concupiscentiæ incentiuum.

Sub hac vmbra Maria sedit per humilitatem, non stetit rigida elatione.

S. Bern.

Obumbrationem, & absconsionẽ præstitit Mariæ spiritus sanctus ad celandũ incomprehensibile sacramentum.

4. Inumbrata, vt ad abyssum humilitatis redacta, spiritalis, & cælestis ædificij molem conderet. Illud altiori scrutamine inuestigandum, Cur Mariæ stipulante Angelo spiritus sancti vmbram: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Postmodum Elisabeth partus subiungitur: *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* &c. Lucæ cap. 1. *Numquid* (ait sanctus Bernardus homil. 4. *Super Missus est*) *forte dubiam adhuc, & incredulam oraculo, recentiori voluit confirmari miraculo? absit.* Non confirmat Angelus vacillantem, non erigit incredulitatis noxiæ voragine iacentem, quæ apud omnipotentis dextræ præsidium conuolans, omnia possibilia affectu pietatis, & assensu constanti credebat. Sterilitatis prodigio repulsam in medium protulit cælestis paranymphus, vt incitato animo Virginis ad humilitatis officium, adderet maiora incitamenta: iuxta eiusdem melliflui Doctoris mentem: *Vel ideo* (inquit) *adhuc nuntiatur Mariæ conceptus Elisabeth, vt audiens cognatam vetulam, & grauidam, cogitet iuuencula de obsequio.* Parabat spiritus supernus cogitatus intimos ancillæ obsequentis ad Incarnationem Verbi, vt supernus architectus ideam fingeret, pararet formam, ex cuius intuitu natus procederet in obediendo similis matri. Veridicum enim est illud axioma Philosophorum: *Imaginatio facit casum.* & iuxta imaginem in ipso conceptu contemplatam à genitoribus, imitata, & participata similitudine similem euadere prolem. Quod quidem ex agniculis Iacob nigricanti, & albicanti colore

Cur Angelus in Annuntiatione certiorem fecit Mariã de fœtu, & partu Elisabeth?

S. Luc.
S. Luc.

Vt, cum Christum gentrat, cogitaret Maria de humilitate, & obsequio.

Iuxta ideã, & formam, quã parentũ imaginationi præponitur in generatione, fœtus euadit similimus.

colore conspicuis, & stigmaticis ex varietate virgarum, quas in feruore coitus prospectarunt oues, perspicue adstruitur. Auebat Pater Filium suum gigni humilitatis, & obedientiæ stigmate notatum sæculi in lucem dari, ad commendationem, & suadelam virtutis, ad artificiosam paraturam redemptionis, vt qui ante sæcula ex Patris, & Imperatoris substantia procedebat ad imperium, & dominatum, cui creata obsecundarent omnia; ex Mariæ conceptu, & partu seruitutis, & abiectionis habitum indueret; ideo cum sacra iuuencula cogitat de obsequio, filium generat obsequentem, omnibus ministrantem. Modo tenes Pauli argutiam ad Philip. c. 2. v. 8. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Et sanctus Augustinus serm. 13. de tempore: *Solus enim sine peccato est natus quem sine viriti complexu, non concupiscentia carnis sed obedientia genuit mentis.* Maria cum cogitat de seruitutis munere exhibendo vetulæ matronæ Elisabeth, cum sese dedicat illius obsequio, generat obsequentem, format obedientem. *Factus obediens*, inquit, à Maria, vt qui à Parente genitus liber omnis seruilitatis iugo exemptus, à Matre fingeretur humilis, seruus, & obsequens. Ad hanc igitur obedientiam omnibus salutarem, filio refundendam protegitur mater, & obumbratur, vt sese abiiciens ad humilitatis obscurum centrum, secum traheret filium in cælis imperantem ad profundum humiliationis, vt qui degebat in lumine glorioso, viueret in Mariæ vmbra, & habitaret in vmbra mortis Maria tegitur à Patre, velatur ab spiritu in vmbra solicitæ clientelæ, vt Dei lumen æternum natum à Patre obumbraret, & indueret caligine seruitutis, obedientiæ vmbraculo.

Cum sacra iuuencula cogitat de obsequio, filium generat obsequentem.

S. Paul.

S August.

Iesum non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis.

Maria cum à spiritu sancto inumbratur, caligine seruitutis obumbrat natum.

5. In hac tamen regione vmbrosa quot virtutum, & magnalium incrementa Deiparæ accesserint, testatur Iesus Sidrach Ecclesiastici cap. 43. v. 7. disserens de luminari cæli minori: *Luminare, quod minuitur in consummatione, crescens mirabiliter in consummatione.* Perpende solertem argutiam sacri sermonis in lunæ encomio, sidere à natura dato in remedium tenebrarum, & fœcunditatem germinum. Quo iure decrescit in consummata luce, & orbis luminosi incremento? Perfectionis consummatio nullam creaturam imminuit, sed virtutem eius coagmentat. Si minuitur, quo modo in ipso decremento consummatur, & in ipsa consummatione minuitur? Incurrit in hoc discrimen dubiæ, & abstrusæ locutionis Hailgrinus Cardinalis apud Delrio in cap. 6. Cantic. & quid de illa sentiat solerter profert suis verbis: *Quod de luna materiali nequaquam intelligi potest, quæ non ante minuitur, & postea crescit, sed è conuerso. Nec minuitur in consummatione, sed post consummationem. Sed hic verborum ordo exprimit Beatam Virginem; nam ipsa cum audisset sibi promissam tantam magnitudinem, quòd foret Mater Dei, sese minuit vsque ad ancillam, & in hac minutione concepit, & facta est luna plena* Nec dissimilia profert sanctus Ambrosius l. 4. examer. cap. 8. *Minuitur luna, vt elementa repleat: hoc est vere grande mysterium. Donauit hoc ei, qui omnibus donauit gratiam. Exinaniuit eam, vt repleat, qui etiam se exinaniuit, vt omnes repleret.* Cuius Mater eamdem humiliationis æmulata est formam. Accepit enim in ipsa consummatione dignitatis, diminutionem abiectionis, nec exaltata promisso, sed imminuta suæ agnitionis profundo: ad summa erigebatur à Domino, ad ima deprimebatur proprio consilio; illudque Marianũ cælum inter duos polos placide voluebatur, cum ad capessendam Deitatem exaltabatur, ad ima exiguitatis humanæ rotabatur. De hac imminutione consummata est, accepit plenitudinem gratiarum, vt longo imbre noua luna, cælestia, terrestria perfunderet. Cerne cùm se ipsam diminuit, obscuram lunam, solis splendoribus amictam, immenso lumine refulgentem; humilitatis nubecula lunam obumbrabat, se que ipsam orbam lumine, indignam illuminatione reddebat, sed obscuritatis vmbraculo plus lucebat; obscuritas hæc Mariæ nitidior sole, puriorque sideribus. Cernere est in Maria consummatam tota plenitudine diminutionem, diminutam tota abiectione plenitudinem. De obscuritate luminosam, de vmbra solis fulgentem, clareque diescentem candore luminis æterni. Sidere suo obiurgat Maria Euá stultitiæ matrem, quæ vt luna mutata est, audiens serpentem ferale verbum immurmurantem: *Eritis sicut Dij.* Magna secum voluebat, nec cogitabat de submissione Domino exhibenda, sed de obsequio sibi præstando tanquam deæ; ambiebat in arce mentis similitudinem altissimi; Eua ad lucem Deitatis promissæ caligans cecidit, in ipsa plenitudine, & consummatione magnitudinis, gloriam dignitatis imminuit; non obtecta est velamento sapientiæ, non vmbra discernente abiectam naturæ conditionem refrigerium accepit æstus superbiæ; deficiente vmbra inuoluitur caligine exaltationis, & repulso lumine cælesti obtenebratur mœstitudine noctis. Maria ad vmbram abiectionis, veræ Deitatis iubar promeruit. Ei dies æternus lucescit ex vmbra, dies gratiæ, & æternæ hæreditatis emersit; abyssus Marianæ humilitatis splendorem paternæ gloriæ luminis abyssum inuocabat.

Eccl.

Qua arte dicatur de luna quod crescit, & decrescit mirabiliter in consummatione?

Hailg.

Maria luna virginea, quæ in consummatione magnitudinis minuitur, & augetur.

S. Amb.

Deus exinanit lunam, vt repleat, qui se exinaniuit, vt omnes repleret.

In Maria diminutio humilitatis tota gratia plenitudine consummata, & perfecta.

6. Mons opacus & vmbrosus Maria ad intuitum Deitatis, ad prospectum Incarnationis arcanæ, vt adyta penetret Trinitatis, eo ingrediatur ad interiora velaminis. In quo sensu Hugo Cardinalis illustrat verba annuntiantis Angeli Lucæ cap. 1. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ea solerter perscrutatur cum ait: *Obumbrabit tibi, id est, secretam hanc generationem te sola conscia operabitur. Vnde Beatus Bernardus: illi soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Id est illum modum, quo de spiritu sancto concipies, Dei virtus, & Dei sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget, & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur, & tibi.* Quam familiaris, quàm intima, & contubernalis Maria extitit Deo in operatione mysterij à sæculis absconditi, in arcano consilij sui de homine redimendo. In conclaue Trinitatis ingreditur, & clauditur. Velamina secreti obtenduntur remotis arbitris Angelicis, & humanis, intra splendores diuinitatis occulta. Solus cum sola operatur mirabile Sacramentum, vt occultetur Angelis, soli Deiparæ innotescat, ideo obuelatur sponsa Deitatis tegmine, gloriæ velamento obumbratur.

Mons opacus, & vmbrosus Maria, quia ipsa sola secreto Dei consilio obumbratam, vt modum agnosceret incarnandi filij Dei.

Hug Card.

7. Magnus Albertus altiori contemplatione perscrutatur Mariæ inumbrationem, & altiùs

Albert. Mag.

altiùs euolat ad montem Marianum gratia conspicuum, cuius condensam perplexitatem verbis de Propheta Habacuc mutuatis, reuelat.

Habac.

Cur Maria dicatur mons vmbrosus, & condensus?

Sic enim cecinit diuinus Vates in sua ignorantiæ Cantilena cap. 3. v. 3. *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* Vel iuxta LXX. seniores venturum Dominum promittentes: *De monte vmbroso, & condenso.* Nempe Deipara. Cur autem mons vmbrosus nuncupetur discutit sapientissimus Archipræsul prius de natura vmbræ philosophatus, vt Theologicis coloribus, & illuminationibus vmbram illustret. Est enim vmbra quoddam luminis temperamentum, ne visus solaribus radiis ictus cæcultet, ideo conditor oculos opacauit superciliorum, & palpebrarum tegminibus, vt species visibilium luminosæ quodam moderamine temperatæ, sese in pupillas infunderent, ideo in vehementiori radiorum solarium diuerberatione, aut eminus prospectantes patulam manum super faciei lumina prætendimus, vt fulgentes rerum imagines visum non lædant, sed recreent, ideo ad vmbram intentior est acies oculorum.

Vmbra visui temperat, vt luminosas rerum imagines possit recipere.

Alber. Mag.

Altissimus obumbrauit Mariam, vt visu mentis sua adunato mysterium Dei posset agnoscere, & diuina lucis globos comprehendere.

Eximia sunt Alberti verba in c. 1. Lucæ: *Habet vmbra visus temperamentum. In hoc enim, quod lucem temperat, lucem visiuam adunat, & adunando confortat. Sic igitur, ô Beata Obumbrauit tibi virtus altissimi, vt visu mentis tua adunato, mysterium posset à te cognosci.* & subiungit: *de monte vmbroso. Vmbrositas est virtus altissimi coadunatio visus intellectualis, vt tot, ac tantos mysteriorum absconditorum posset comprehendere globos lucis, & nobis salubriter reuelare.* Facta est vmbra iuxta Albertum ad lucis moderamen, & ad recolligenda lumina, coadunandos fulgores, congregandos radios solis, ideo visum mentis in Maria Dominus adumbrando firmauit, vt perspicaci intuitu cogeret, & coaceruaret fulgurantes radios immensi luminis, nè obtuso, aut hebetato intuitu in cælestem solem aciem mentis, sed absque conniuentia intenderet, & prodeuntia de diuinitate fulmina in centro cordis insereret, Angelos, & homines illuminaret.

Dei & angelicorum luminum multitudo conglobata est in Maria.

Conglobatam luminum multitudinem in Deo, tanquam in fontana plenitudine lucis, & splendoris inhabitantem per omnes Angelos trinæ Ierarchiæ diffusam, & dispersam Maria in animo suo collegit, & coadunauit ardentes charitatis faces Seraphim, illuminationes, & multitudinem sapientiæ Cherubim, thronorum prudens obsequium, & abundantiam spiritualium luminum reliquorum, quæ à luminari magno, & sole supercælesti vbertim diffunduntur; vt penetraret absconditum mysterium, & de plenitudine Sapientiæ Angelis, & hominibus in notitia huius Sacramenti caligantibus, Maria tota facta luminosa, & splendida, facem collustrationis, & agnitionis proferret.

Perdifficilis S. Athanasij locus de inumbratione Mariæ expeditur, & illustratur.

8. Ad altiorem apicem agnitionis euolat S. Athanasius, vt sublimem opacationem Mariæ rimetur largiori iubare collustratus. In hac vmbra fulgor perspicax illius ingenium orat. de sanctissima Deipara, fatur: *Obumbrauit virtus altissimi: corroborans eam, & diuina vmbra imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis, videre posset, quatenus possibile est, Deum formæ expertem in se concipi.*

S. Athan.

Magni Athanasij verba recondita sunt, nimisque implexa, & mentem minus intentam fugiunt; exemplar artificis formam depingentis assumit, qui prius in tabula obscuram vmbram imprimit; ad ea propalanda illud adstrue, verbum Græcum pro quo Vulgatus interpres transtulit: *Obumbrabit.* Non solum innuit auxilio alicui esse, illumque protegere, securumque reddere sub alarum velamento, vt Psalmo 16. *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Sed etiam denotat actionem pictoriam, nimirum prima imaginis lineamenta ductare, quod Hispanè dicimus *bosquejar*, vt annotat Theophylactus ad hunc locum Lucæ cap. 1.

Maria tanquam tabula pictoria, vt in ipsa Deus verbi imaginem pingeret.

Theoph.

Quocirca ad ea verba: *Ecce ancilla Domini* argutè in persona virginis fatur, ac si Maria diceret: *Tabula sum pictoria, pingat pictor, quod voluerit.* Mens ergo Athanasij vtrumque sensum complectitur in annuntiantis Angeli promisso: *Obumbrabit tibi.* Vt insinuet altissimi virtutem auxiliatricem Mariæ insolito, & inaudito concursu ipsam roborasse, vt absque consortio viri, diuino grauidaretur fœtu.

Maria virtute altissimi inumbrata, vt Dei similitudinem & ineffabilem notitiam Verbi in se concipiendi, formaret.

Rursusque intellectualem quamdam, & abstractissimam ab omni rationali mente Angelica, & humana cognitionem, claramque notionem diuini Verbi superno illapsu infudisse in eius mentem, quod est: *Diuina vmbra imaginem inducere.* Vt formato conceptu altissimo diuinitatis in animo per lineamenta quædam diuinæ Personæ, & Verbi, illius Incarnationem, & humanitatem in suo vtero, & corpore perfectam agnosceret, cerneretque incorporeum corporeum factum. Itaque supremus artifex iuxta suæ mentis ideam, & artem diuinam illius, & nouæ imaginis effigiandæ vmbram impressit in Maria, prima lineamenta ductando. Maria vero iuxta imaginis exemplar, quod Spiritus sanctus effigiabat in mente, illam picturauit in ventre, floridum, & viuidum colorem exprimens, succum, & sanguinem humanæ vitæ præbens. Hæc tamen notio, & species in corde Mariæ impressa, vt illius imitatione, & intuitu diuinum & humanum simulacrum formaret, alterius est instituti, & sphæræ, omni cognitione Angelorum, & hominum superior, nulli creaturæ communicabilis.

Hæc notio & similitudo in corde Mariæ impressa, alterius est sphæræ, omni cognitione Angelorum, & hominum superior.

Vis cognoscitiua Mariæ celsior, & nobilior in vmbra, quàm agnitio Angelorum matutina, aut vespertina in ipso sole, de hac vmbra Angeli illuminantur, & fulgoribus æternæ vitæ, & felicitatis resplendent.

Vmbraculum ab æstu.

Discursus VII.

Mariæ prætensum vmbraculum ad temperamentum, & fulcrum; istud, ne Deitatis oneri succumbat, aut immensa gloria opprimatur; illud ne toto Dei igne, & æternis ardoribus consumatur.

1. DATA est Mariæ robustissima, & mirabilis vmbra ad præsidium, & sustentaculum, vt sustinere posset diuinitatis incendiū. Nec fugit mentem ugonis Cardinalis hæc arguta cogitatio

Hugo. Card.

scribentis

Virtus altissimi Mariã inumbrauit vt obiectu carnis sustinere posset lumina & splendores Deitatis.

scribentis in cap. 1. Lucæ: *Obumbrabit tibi, id est obiectione carnis tibi vmbram faciet, vt possis sustinere lumen diuinitatis. Glossa: virtus altissimi obumbrabit tibi, dum incorporea lux diuinitatis corpus in ea suscepit humanitatis, vt sic posset Deum pati, quasi diceret: aliter non posset. Vnde nota quod vmbra corporis solet fieri aliquo corpore interposito luminoso, veluti cum aliquod corpus obiicitur corpori luminoso; sic caro de Virgine assumpta obiecta est quasi nubes luci diuinæ, & hæc obiectio facta est opere spiritus sancti, & ita obumbrauit Virginem, quia sine hac obumbratione non posset eum sustinere. Vnde Isaia 33. quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis. Deuteron. 4. Hebræorum. 11. Deus noster ignis consumens est.* Hæc disertissimus Hugo. Protecta, & obumbrata est Maria Domini dextra, vt non exureretur toto diuinitatis fulgurantis incendio in eius vterum dilapso. Experta est amatorium bustum flammigerantis dilectionis Dei, quæ ipsam incenderet, & concremaret amore diuino, non obrueret, aut flamma consumeret ad ruinam creaturæ; seruata est incolumis in medio sui claudens, & circumdans ardores Domini sempiternos, & ignem Deitatis omnia deuorantis. Verumtamen vt vniuersa lumina Deitatis sustinere potuisset, ipsa sibi mirabilis facta est architectatrix vmbræ, obiecit enim ex visceribus suis hominis substantiam, & mortale corpus opacum fulgurantibus, & ardentibus solis æterni radiis, & igni diuino, vt huius temperatura velamenti, ignis fieret creaturæ innoxius, ab ipsa sustentari, & portari sine læsura habilis redderetur. Felix, quæ incomprehensæ, & interminabili luci nubem obiecit, qua discerneretur ab humano visu, apprehenderetur à tactu, & à creaturis creator redderetur tractabilis.

Maria Deitatem inumbrat, cum à Deo obumbratur.

Itaque Maria obumbrat cum inumbratur ab spiritu, vt sola sine viri consortio in cælo vteri sui corpulentæ substantiæ nubem formet capacem, & lenitricem ignis æterni. Obumbrat cum mollem nubem, & opacam, de fidei afflatibus, de Sanctorum desideriorum aspirationibus, de voluntarij consensus flatibus, de supereminentis Charitatis vaporibus, de purissimis denique sanguinibus conflatam, & coagmentatam obiecit igni diuino, vt ad sufferendum redderetur valida, & sine combustione.

Maria vterus clibanus ignitus & inflammatus, vt vitæ panem susciperet. Genes.

2. Inflammatum, atque ignitum caminum Mariæ vterum merito nuncupabis, qualem prospectauit fidei parens Abraham Genes. c. 15. vers. 17. *Cumque occubuisset sol facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.* Cum enim Deus fœdus iniret cum Abrahamo, & aduentum seruatoris pacisceretur, ex cuius generatione Abrahami nominis fama celebraretur, eiusque fides, & genus totum occuparet, & ornaret orbem; tanti prodigij auspicium de inflammato clibano hausit, cuius intuitu in extasim raptus, & horrore superni numinis in igne aduenientis corripitur. Qualis est hic caminus ignis ardentis Patriarchæ ostensus?

Isych.

Isychius Ierosolymitanus Antistes lib. 1. in Leuitic. c. 2. ad Leuit. cap. 1. *Sacrificium coctum in clibano.* Perspicuum facit, asserens clibanum esse Dei genitricem: *Illa enim clibanus necessario nominatur, quia & panem ignemque desuper clibanus suscipit, sicut & Dei genitrix desuper vitæ panem, Dei videlicet Verbum in suo vtero, ignemque suscepit præsentia spiritus: Spiritus enim (inquit) sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Et statim: *Quando enim cælestis ignis spiritus videlicet in clibano vteri Genitricis Dei venit, vt totas accenderet multi partes, tunc testamentum Deus Abraham, id est gentibus disposuit, Abraham enim pater gentium nominatur.*

Quando cælestis spiritus ignis in vterum Virginis venit vt totum mundum accenderet, tunc Deus Abraham testamentum gentibus disposuit.

Descendit spiritus Domini ignis in vterum Virginis, vt ignea virtute spiritali, flammisque charitatis clibanum accenderet, & igniret, alimentum vitæ excoqueret, & panem calidum nobis in esum daret, & pabulum æternitatis; buccella Verbi igni, & de spiritus superni flatu, & idoneo torrore conditur; misit Dominus hunc ignem vt totum orbem inflammaret. Ex hoc igne accensas lucernas, & lampades Ecclesiæ Doctores, & sanctæ Virgines præferunt, vt mundum in tenebris commorantem illuminent, vt obuiam ire possint cælesti sponso. Vt immensos ignis globos, igneumque fluuium, & rapidum Maria sustinere valuisset, sustentabatur à verbo, tegebatur, & obumbrabatur à spiritu.

Rubus ardens incombustus virgo generans Deum sine corruptione. Exod.

3. Hoc mysterium Moysi præostensum in rubo flammis correpto, & incolumi seruato. Exodi cap. 3. vers. 2. *Et videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* A quo igne illuminati primores Ecclesiæ de Incarnationis Sacramento exponunt visionem mirabilem, quod in virgine fœcunda immaculata puritas resplenduit, illæsa, & intacta Virginitas seruatur in matre, quod conceperit sine corruptione, sicut frutex ardebat sine combustione. Si tamen mysticam verborum seriem perscrutemur, aliud ostensum & quidem magnum in Mosaico stupore præfertur vers. 3. *Dixit ergo Moyses: vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Liceat cum Moyse appropinquare senticoso virgulto, & colligere de spinis rosas, vt inflammemur de rogo Dominici ignis, quem Dominus in terram cordis nostri immittere disposuit.

Maior admiratio Moysi, maiusque miraculum, quod natura fragilis inter tot incendia diuinitatis stabilis subsistat.

Non tantùm demiratur Moyses rubum ardentem, sed teneram plantam commodum igni pabulum, inter tot vehementes ardores viridem, & vegetam viuere, igneis globulis circumdatam, integram, & saluam persistere, vt non solum stupeat natura virginem fœcundam, integram in generatione puerperam, maternum decus cum pudore virgineo, sed ad magnitudinem spectare visionis quod infirma, & fragilis fœminæ natura inter tot ac tantos æstuosos flatus Deitatis, & flammarum deuorantium incendia, stabilis, & firma permaneat.

S. Bern.

Acumen est sancti Bernardi sermone super *signum magnum.* Vbi mulierem Deiparam sole amictam comparat cum rubo ardente absque combustione: *Magna siquidem* (ait) *familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis, & mulieris. Quo modo enim in tam vehementi feruore tam fragilis natura subsistit? Meritò quidem miraris Moyses sancte, & curiosius desideras intueri. Vadam, inquit, & videbo visionem hanc magnam. Magna plane visio rubus ardens sine combustione, magnum signum mulier illæsa manens amicta sole. Non est rubi natura opertum vndique flammis manere nihilominus incombustum: non mulieris potentia, vt sustineat solis amictum. Non*

est

Sub spiritu altissimi umbraculo, sustinere potuit Maria solis & ignis amictum.

est virtutis humanæ, sed nec Angelicæ quidem: sublimior quædam necessariò est: Spiritus sanctus, inquit; superueniet in te. Et tanquam respondeat ille, quoniam Spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est: virtus ait non mea, non tua, sed altissimi obumbrabit tibi. Nihil itaque mirum si sub tali obumbraculo, talis etiam à muliere sustineatur amictus. Hoc verborum mellilegium, de mellifluo Bernardo collectum. Circumdabat solaris amictus mulierem, flexilem, & teneram frondem copia flammarum, non ad vexationem, & ærumnam, sed ad splendidum ornatum; vt esset ignis innoxius, virtus altissimi cælestis auræ flabro temperabat ardores, qui non perdere, sed illustrare veniebat humanæ naturæ teneritudinem; firmata est, ne corrueret immensa Deitatis grauedine, obumbrata ne periret tam vehementi inflammatione. Magna visio, stupendum miraculum flammæ moderamen, igneæ diuinitatis temperamentum, vt stupam non deuoret, aristam non consumat, his omnibus infirmior humana natura ad præsentiam igneæ Deitatis.

4. Promouet adhuc, & amplificat Mosaïcum stuporem de insoliti prodigij visu, & contemplatione procedentem, Rupertus Abbas, adiicitque suas, & solitas argutias, inter potestatem terreni, & diuini ignis diiudicans, in Exodum lib. 1. cap. 12. ait: *Rubus non comburebatur, & virgultis quorum de medio lucebat sanctus ignis, erat innoxius. Quid ergo hoc sibi vult? Illud nempe quia Deus noster ignis consumens est, verumtamen igni elementario multum dissimilis iste ignis est. Ignis namque corporeus, quo in corporalibus administrationibus vtimur, quod quartum mundi elementum dicimus, res ipsas comburit, quibus continetur, procul autem positis innoxius est. Deus autem noster verus, & perpetuus ignis suam è contrario naturam vel potentiam exerit, nam illis, intra quos est, non solum innoxius verum etiam salutaris, & clementissimus est: longe autem positis, & digne appropinquare nolentibus, nimium damnosus existit, de qualibus Psalmista dicit* (Psalmo sexagesimo septimo) *sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Assignatoque appositè discrimine inter vtrumque ignem, placide deriuat discursus seriem ad Beatam Virginem in rubo adumbratam, ex ipsius Abbatis calculo: *Quod* (inquit) *in Beata Virgine Maria clarius, atque conspicabilius est. Totus enim hic ignis, subauditur Christus Deus & homo, nouem in vtero eius mensibus habitauit, & leuem carnis, vel animæ eius stipulam, siue fœnum, non solum non combussit, verum etiam maiore cum Virginitatis honore gratiaque formati exinde hominis, quem assumpsit, perenniter illustrauit.* Ignis Dei à se remotos cremat, sibi intimos sine combustione illuminat. Quid simile in Babylonico incendio licet cernere, pueros, quos flamma circumcingit, & ambit, seruat incolumes; aduersarios ignem incendentes, & irritantes, consumit. Apparet in igne mirifica sapientia præbens amicis, & sibi notis refugium, aduersis, & ignotis exitium. Hac prudentia non ornatur elementaris ignis, vbicumque pabulum reperit, deuorat; remotioribus, & à se dissitis parcit, sibi adiacentes in cinerem vertit. In igne

Rupert.

Ignis elementaris res ipsas comburit, quibus continetur, procul positis innoxius.

Dei ignis, illis intra quos est, innoxius, & salutaris, procul positis, ignique non appropinquantibus damnosus.

Rupert.

Ignis Deificus nouem mensibus in vtero Virginem habitans, stipulam & fœnum carnis & animæ non combussit, sed perenniter illustrauit.

Deifico resultat de societate, & communicatione nō incommodum, sed incolumitas, dum sibi admotos, & adhærentes reddit inuiolatos, & incorruptos. Facinus hoc eximie in Beata Virgine præcellit, cum totum ignem Dei in vtero reconditum continens, fragilem, & debilem conditionem naturæ, quæ in comparatione Dei velut festuca, stipula, aut leuior stupa recensetur, apposita, & applicita igni diuino, non dissipatur, nec absumitur; corporis aut animæ detrimenta nō sentit. Quin potius ignis voracitas vertitur in tutelam, æstus in refrigerium, bustum in illuminationem; lignum humanæ naturæ illæsum seruatur ab igne, & Domino consecratur, vt illibatum seruans pudorem, proferat vitæ florem, vt in ara pectoris focum, & ignem Dei nutriat, & foueat, vt casto igne spiritus cælestes accendat, gentes illuminet. Quantum coërcetur, & retardatur ignis Dei ad consumptionem, tantum vires exerit, & erumpit vehementius ad charitatis ardores; vt quadam illuuione flammarum, & inundatione ignei maris immensi circumfusa, & immersa Deipara in Deificam speciem transformetur, diuini amoris busto excocta, ignita, & liquefacta supra Seraphinos, & quidquid Deus non est, reddatur purior, luminosior; felix vrbs, quam fluuius igneus spiritus Domini circumluit, illuminant verbi splendores æterni, igneæ Deitatis plenitudo inundat, incolumitate seruata.

5. quæ omnia Seraphim gestu, habitu, forma alarum velamine in se ipsis præferebant, Isaiæ cap. 6. vers. 2. *sex alæ vni sex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius.* Numquid vultus abscondunt obscuros & deformes Seraphini, qui omnem speciem florum, agri pulchritudinem, cœlorum splendidam serenitatem superant decore? Obumbrant versicolorum alarum vmbraculo faciem, ne fulgurantium radiorum diuerberatione, & repercussu de facie Dominica procedentium perstringatur Seraphicus obtutus, aut tam immensa opprimantur gloria, pennarum obtendunt velamina tanquam murum: hanc contemplationem aqud os aureum inuenies homil. 1. de verbis Isaiæ sic enim fatur: *duabus enim alis velabam faciem, simul excludentia radium è throno prodeuntem, eo quod ferre non possent immensam illius gloriam.* Huius lucis immensæ vmbrosum temperamentum protenso pennigero velamento Seraphici spiritus amore ardentes exambiunt ex humilitate sublimes, & stabiles; ex obsequio, & timore verecundi; ideo quasi interposita ante intuitum manu, alas erigunt, vt protecti à Domino obumbrentur, & vmbraculum in se ipsis exprimant, dum eius vultum exultantes intuentur, & sub velamento alarum Domini viuere beata vita gestiunt, ne comburantur exiliente ex ipsa Deitate splendore; aliter enim exinde euibratos, & iaculatos luminis ictus ferre non possent. Hoc autem schema Seraphicum S. Bernardus in Maria amplificat serm. in *signum magnum*, dicens: *illo igne Seraphim accenduntur, lōge vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis vndique, & circumfundi, & tāquam ipso igne concludi.* Adde incrementa gratiæ, & dignitatis ampliora, quod ipsum ignem corde, & ventre clauderet,

Isa.

Cur Seraphini faciem velant.

D.Chrys.

Eo quod sustinere non possunt gloriam & fulgurantes radios de facie Domini prodeuntes.

S.Bern.

Igne diuino quo Seraphim accenduntur, Maria vndique circumfusa, & clausa.

clauderet, & circumferret; non enim solum habuit pro indumento lumen, & ignem æternum, sed possedit pro Filio, noua & insolita generatione complectens, expandens sinus roseos, illumque suscipiens, vt omnia cordis, & genitalis vteri vitalia, & penetralia compleret. Longe sublimius est Deificum ignem, & æstum fœminam ventre circumdare, quàm ab ipso circumuestiri; minus est quod ignea sphæra, & fulgorum circuitus Mariam ambiat, mirabilius longe est quod immensi ignis incendium aula virginalis circumscribat; stupore dignius miraculum est Solem, & ignem nube humanitatis obtegere, esse solis fontem, ignis scaturiginem, quàm ipsis tanquam diploide vestiri. Si miramur Seraphim proprium alarum integumentum, vt solis Deifici temperata lumina hauriat, micantes splendores suscipiat; stupendum miraculum est Mariam in ipso diuinitatis, & æterni ignis oceano immergi, & in se ipsa continere cum carne sua vnitam ipsam diuini ignis substantiam; ideo nobilius integumentum, & vmbraculum requirebat non alarum Seraphim, sed ipsius Creatoris, & virtutis altissimi, ad naturæ stabilimentum, & indeficientem incolumitatem.

Longe sublimius, & mirabilius est Deificum ignem fœminam ventre claudere, quam ab ipso circumuestiri.

Maria nobilius vmbraculum supra alas Seraphim.

6. Ad professionem, & probamentum indubitatum veræ Deitatis Elias pugnaturus aduersus sacrificulos, & dementatos mystas Baal, mirabile altare condidit, & sacrificium instituit quod sacra Pagina recenset lib.3.Reg.c.18. v.32. *& ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & composuit ligna, diuisitque per membra bouem, & posuit super ligna, & ait: implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum & super ligna.* Cumque effusionem aquæ semel, iterum, & tertio fecissent, Elia deprecante Dominum: *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* In sacra victima Christi sacrificium agnoscunt Ecclesiæ primores à Glossa relati. idonea bos hostia ad holocaustum, vt Iesum in figura demonstret in ara Crucis oblatum pro delicto. ignem de cœlo dilapsum Spiritum sanctum censet esse Rupertus lib.5. in Reg. c.9. *Cecidit ignis de cælo, ignis inquam de quo idem, ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Per fossam vero in circuitu altaris excauatam, quid aptius intelligemus nisi Beatam Virginem, in quam omnes aquarum, seu gratiarum effusiones redundant; & bene hæc areola, per quam aquarum fluenta deriuentur aquæductus nuncupatur: *fecitque aquæductum* in circuitu altaris vt terræ aggeribus superinductis congregata fluenta continerentur. Maria enim congregatio omnium est fluentorum, & pelagus gratiarum, & aquæductus mirabilis, per quem ad nos deriuantur de fonte Deitatis cælestium copia fluentorum. Clamat per diuinam sapientiam Deipara apud Ecclesiasticum cap.24.v.21. *In me gratia omnis viæ & veritatis.* & v.40. *Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensa de fluuio. Ego quasi fluuius Dioryx, & sicut aquæductus exiui de paradiso. & ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.* Quare Sanctus Bonauentura in speculo Beatæ Mariæ lect. 7. ait: dicitur mare iuxta illud lib. 1. Paralip. 16. *Tenet mare & plenitudo eius, sicut in mare aquarum, sic in Maria sunt congregationes gratiarum. Vnde scriptum est Genes. 1. congregationesque aquarum appellauit Maria. Et congregationes gratiarum vocantur Maria.* Ad illam igitur Eliæ fossam, & lacunam placido dilapsu effusæ, & deriuatæ sunt aquæ; ad Mariæ vero pectus, & vterum tanquam ad immensum gratiarum pelagus omnium charismatum, & donorum tramites dilabuntur. In qua licet contemplari nobilius miraculum stupore plenissimum; in fossione terræ iussu Eliæ peractâ, aquarum accursum, & fluentum cælestis ignis adlambit, aquam ambitu suo præcingit circumfluus ignis, inter sibi aduersantes elementorum naturas, inito amico fœdere, & consensu mirabili. Nec ignis aquam desiccat, aut minuit, nec aqua ignem extinguit. Hoc igitur diuini ignis, & aquæ in Maria contubernium, & pacatum consortium luculentius eminet. Nec tam demiror ignem in aqua præualentem, quam feruentiorem ignem Dei aquam non absorbentem, nec consumentem calidissimis flatibus, & feruenti virtute aream, & foueam aquarum non arefacientem: mirabilis conuentus, & coitio ignis & aquæ, cùm hæc non decrescit, sed feruet de communione ignis, viresque colligit sine diminutionis iniuria maius suscipit incrementum. Fulgent in aquarum mole diuini ignis splendores, euibrata, & resultantia fulmina coruscant. Itaque Maria vt portet ignem Dei, nec ab ipso consumeretur, ad feruentiores illius æstus in se coeuntes, gratiarum aquas apposuit, vt temperet. *Cecidit ignis, aquam quæ erat in aquæductu lambens.* Cerne statutam familiaritatem inter ignem Dei, & gratiarum mare Mariam, ipsam enim in sinu suo fouet ignis, & protegit, quæ ignem diuinum, & Dei filium suo suscepit gremio, igneæ linguæ máre hoc latum, & profundum officiosius adlambunt, velut pacificis ambiunt, & salutant amplexibus.

Eliæ imprecatione ignis de cœlo cecidit super aquæductum & holocaustum Lib.Reg.

Rupert.

Maria aquæductus & congregatio gratiarum.

Ecclesiast.

S. Bonau.

In areola & fossa Eliæ aquarū fluenta cælestis ignis vngit & allambit, innoxiè.

In Maria mirabilis coitio ignis & aquæ sine vtriusque iniuria.

7. Recenset sapiens patrata à Domino prodigia in honorem populi dilecti ad Palæstinam properantis: inter reliqua illud eximium est, cap.18. v.3. *Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & solem sine læsura boni hospitij præstitisti.* Postrema verba congruenter vsurpabis de Beata Virgine; Hospita solis æterni Maria est, quæ peregrinantem Deum, quasi viatorem declinantem ad manendum, viscerum suorum suscepit hospitio. Mirum valde est in se habere inhabitantem & immanentem fulgentissimam cæli lampadem, & paradisi lucernam *sine læsura. Solem sine læsura boni hospitij præstitisti.* Græca locutio locum illustrat, sic enim habet apud Lorinum: *Solem autem innocuum pretiosi vel honorifici & magnifici hospitij, seu peregrinationis gratia præbuisti.* Bonum hospitium aula vteri virginalis, quia liberale, iucundum, incontaminatum, in quo requiesceret verbum, in quo mortalitatis amictum indueret. Pulchre Rupertus lib.1. cap. 1. in Cantic. hospitalem Solis domunculam Virgineum vterum appellitat, ad ea verba *decolorauit me Sol*, inquit: *verus Sol, & sole Deus longe pulchrior, semetipso me impleuit, de semetipso vterum meum tumentem reddidit,*

Sapient.

In aula vteri virginalis Maria solem æternum sine læsura hospitij suscepit.

Lect.Græc. Lorin.

Cant.

Non

Non solis materialis rotam calidam & igneam, qui dux, & moderator est siderum reliquorum, sed solem æternum æstuantem, omnia suo calore ignientem, & illuminantem, immensum, & interminabilem, suo vtero clausit, & circumscripsit, ardentesque faces feruidissimas sustinuit solifera Maria, in sacrati pectoris triclinio nouem mensibus durante solstitio. Magnum Patris luminare, semper ardentem & inextinctam cælitum, & Beatorum lampadem hospitata est in cubili domus angusto, sed augusto. Maria mirabili hospitalitatis functione Martha, vbi solem de cælis ad terram descendentem tanquam egenum, & pauperem nube carnis induit, pomellis dulcissimis purissimi sanguinis nutriuit. Mariæ vterus mensa solis diuinorum affectuum referta dapibus, & virtutum ferculis soli iucundis; ardentis charitatis suffitibus, odoratissimisque vaporibus. Iure ergo vterus Mariæ *bonum hospitium* nuncupatur, vbi ad clientelam solis Iesu, abundant mella suauia, nectarei lactis stillicidia, nitidus apparatus, immaculatus indutus, virginea tutela. Illud tamen verbum: *Et solem sine læsura boni hospitij.* Argutum pensitatorem requirit. Hospes sol incontaminatum diuersorium seruauit, nulla iura, nullas leges violauit Hospitij, nulla sordes de concupiscentiæ aut peccati lege manauit. Illud tamen pulcherrimum est, quod feruidus sol virginitatis florem non lædat; viridans, & gemmans lignum non exurat, fœnum humanæ naturæ non consumat torrido vapore, nulla iniuria languoris, aut depopulationis, sed radiis suis exufflans, creaturam decolorat. De sole Plinius inquit, lib. 2. c. 100. *Itaque solis ardore siccatur liquor: & hoc esse masculum sidus accepimus, torrens cuncta sorbensque.* At sol æternus Mariam non torruit, non absorbuit, nec diuinæ gratiæ fluenta desiccauit, sed auxit. Mariæ cum sole gratum, & iucundum contubernium. Aliis vero pernicies, & desolatio extitit solis accessus. Sicut in togata, & compta ad simulationem criminis, & mendacij Icari fabella describitur. Is enim Dædali filius à Creta fugax, fretus blandidularum pennarum fiducia, quas artificio suo de cera confinxit, cum vltra Patris iussa, aduersus solis radios altiùs euolasset, cumque solis ardore cera liquefacta difflueret, cecidit in mare, vt triuiali fistula prophani Vates cantitant. Similis, aut maior ruina Lucifero contigit; Diabolum in casu suo Icarum nuncupo, qui cùm ascititiis de ambitionis mollitie, & blandimento alis, non solum euolaret ad superos, sed Dei ardores, & splendores ambiret, vt esset siderum super cælestium imperator, cæli lampas, & Beatorum lucerna, & intra solis domum, & tabernaculum supersedere gestiret; cerealis alarum apparatus ad solis ictus liquefactus fluxit, & euanuit, vt in ipso adimpleatur: *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Psal. 67. confractæ & dissolutæ sunt alæ, quibus adnitebatur accessum solis; pro Dei lumine nactus ignem deuorantem, & ardores Tartari sempiternos; pro splendoribus, vmbram mortis, & horrore plenam caliginem; anhelans appulsus ad solem diabolo excidium fuit: appropinquatio ad lumen, ruina, & obtenebratio. Non sic Mariæ, quæ nata est ad confusionem superbi, cuius ad solem intimus accessus exordium sumpsit ab humilitatis profundo recessu; cui cum aduentantem iam solem ad suum thalamum sponderet Angelus, tam excelsæ dignitatis se iudicans indignam, humiliationis latibulum requirebat; in abscondito profunditatis immensæ latitantem, sol non lædit; latebræ, & tenebræ abiectionis, fulgent sicut meridies. Audiendus est Plinius quid de coitione lunæ cum sole scribat lib. 2. natur. historiæ cap. 9. *In coitu quidem non cerni, quoniam haustum omnem lucis auersa* (luna) *illo regerat, vnde acceperat.* Itaque luna in intimo ad solem accessu inumbratur, regerens omnia sua lumina, ad fontem ex quo mutuata, ideo tegitur in maiori coitus feruore, vt fiat lunæ cum sole stata, & menstrua coitio, sine fraude, & sine læsura minoris luminaris; & quæ videtur obscura sublunaribus, ad superiorem originem luminis, & ad moderatorem suum obiiciat congestos in vnum candicantes radios. Ideo in opaco solis, vel in coitu, terris obscurior apparet, sed nitidior refertur ad solem, & plenitudinem luminis suscipit inoffensa de supernis. Cerne in sole Iesu, & luna Deipara purissimum congressum, cum enim luminare Dei magnum ad vterum Mariæ dilabitur, tota opacatur de abiectione, obscuratur de ancillæ humilitate, contemplatione sui nihili tota deficit, & offunditur, vt in obscura luna sol deificus plus emineat, & in hac opacitate, & vmbra mirabili, inoffensa suscipiat totum luminis globum, & flammas ignis eructatas, luna Maria incolumis capiat, sine ruina portet.

8. Denique pro coronide huius discursus suscipe verba Ruperti Abbatis ex lib. 1. de operibus spiritus sancti mutuata cap. 9. expendentis Euangelica verba Lucæ cap. 1. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ibidem scribit: *Ad exponendam eius gratiæ magnitudinem, parum fuerat dixisse: spiritus sanctus superueniet in te, nisi addidisset, & virtus altissimi obumbrabit tibi: miro videlicet atque ineffabili modo, vt fortitudinem sustinere posset conceptus sui, virtus altissimi obumbrauit ei, virtus inquam altissimi, id est, idem ipse spiritus sanctus, spiritus amoris obumbrauit ei. Quid enim puella fragilis non modo sexu, sed & conditione mortalitatis suscepit, aut concepit, nisi validum verbum Deum, validam substantiam verbi, de optima substantia Patris Dei, quem tremunt Angeli? Etenim vel aspectum eius nulla valet ferre creatura, nisi hoc spiritu amoris præuenta sit, testante scriptura cum dicit; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Hæc autem Virgo non vtcumque aspectui eius præsentabatur, sed de secretis Paternis totum se inserebat illi Verbum Dei, Verbum Deus. Opportune igitur obumbrabit illi virtus altissimi, virtus miraculorum potens, fœmineam substantiam Deo Verbo conciliare valens.* Hæc pulchre Rupertus. Hanc protectionem Mariæ & nobilius vmbraculum inauditis miraculis plenissimum, in quo totam virtutem & robur exeruit altissimus, celebrat Isaias vaticinans: *Erit super omnem gloriam protectio, & vmbraculum ab æstu.*

* *
*

Marginalia (left): Plin. — *Sol masculum sidus cuncta torrens & sorbens, liquores exiccans.* — *Icarus ad solem euolans, cereis pennis liquefactis præceps ruit.* — *Lucifer cum Icaro comparatur.*

Marginalia (right): *Mariam in humilitatis profundo recessu latitantem sol Diuinus non læsit.* Plin. — *Luna in intimo accessu ad solem inumbratur.* — *Et regerit omnia lumina, vnde acceperat.* — *Maria in luminaris Dei magni congressu tota opacatur de humilitate, vt plus luceat, & inoffensa suscipiat luminis immensi globum.* — Rupert. — *Maria à spiritu sancto inumbratur, vt puella fragilis sustinere posset validum & robustum Dei verbum.*



Ea verba.

Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, & super omnem locum vbi inuocatus est.

Nouum lumen, & ornatum accipiunt de Sanctissimi nominis Iesu magnalibus.

S. Hier. S. Cyr. Alex. Orig. S. Thom. Glossa.

1. De quibus ea vsurpant Hieronymus, Cyrillus, Origenes, Thomas, Glossa, in prima expositione relati. Sed luculentæ sunt sententiæ Adamantij homil. 3. in Isaiam, qui de septem donis spiritus sancti super Dominum seruatorem requiescentibus, quæ Iesu nomenclatione insigniri exambiunt, vaticinium Vatis accipit. Eius verba sunt: *Verumtamen inuocetur nomen tuum super nos. Quod est nomen sapientiæ? Iesus. Quid est inuocetur nomen tuum super nos? ego sum sapientia, volo tuo nomine vocari, vt ego sapientia dicar Iesus; vt intellectus, & consilium magnum, & fortitudo & scientia, & pietas & timor Dei nominentur Iesus, vt omnia in omnibus nomen tuum fiat. Nomen tuum inuocetur super nos, aufer opprobrium nostrum. Reuera abstulit opprobrium Iesus.* Hęc Origenes Adamantius. Quæ idoneam, & iucundam opportunitatem suggerunt celebrandi melliflui nominis Iesu ampla decora.

Origen.

Encomia, & decora mirifica sanctissimi nominis Iesu.



Origenes: *Et fortitudo nominetur Iesus.*

DISCVRSVS I.

Nomen Iesu omni panoplia potentius, & locuples armamentarium est iusti; qui enim ipso munitur, aduersus aspectabiles hostes, epinicion canit, & certum sibi triumphum repromittit.

1. VICTORIAS, & triumphos canimus Iesu nominis inuicti, quod sectatores suos, & amicos pro scuto, galea, & machæra instruit, vt nullum reformident aduersantium impetum, quod in omni certamine palma triumphali ornet dexteram, verticem corona circumdet. Promiserat hoc infrangibile robur Abdias Vates c. 1. v. 1. *Legatum ad gentes misit, surgite & consurgamus aduersus eum in prælium* pro *legatum* septuaginta vertunt: *munitionem*. Quam lectionem sectatur sanctus Hieronymus verbaque Prophetæ, & septuaginta seniorum, de seruatore nostro expendit, inquiens: *Ipse legatus noster sit, & ipse munitio, dicens: surgite, & consurgamus aduersus eum in prælio; ac ne grauis nobis, & insolita pugna videatur, me, inquit, habebitis primum in acie. Ego verò Archistrategos præliorum, qui & Iesu filio Naue gladium tenens apparui, & Amalec Crucis vexillo, Moyse pugnante, superaui.* Verbum Archistrategos denotat magistrum, aut præfectum militiæ, qui non solum alios ad pugnam instruit, & digladiationem, sed in ipso certaminis & conflictus ardore, reliquos antegreditur, metum remouens, animos exacuens ad prælium, fortunæ lubricam subiens aleam, euentusque belli ancipites, obiiciens caput irruentibus vndique discriminibus. Hoc verbo Vates commilitantium pectora cunctantia, ac timida excitat, & corroborat, victoriæ securitatem ingenerat tali pugili, ac propugnatore præeunte Iesu; ipse enim est inexpugnabile munimentum, & imperator vinci nescius, qui commilitij sacri socios onerat, & ornat exuuiis triumphorum. Ipse enim Iesus sese obiiciens militantis habitu gladio armatus, obtutibus humanis Iesu Naue, eum instruebat, & parabat ad certamen, & victoriam, ipse cum vexillo Crucis antesignanus prælij in Moyse pugnabat, Amalecitarum acies superabat.

Abd.

S. Hier.

Iesus legatus noster, munimentū aduersus hostes.

Iesus noster militiæ præfectus.

2. Contra tentamenta omnia populi rebellantis, & increduli, aduersus linguas cote liuoris armatas, & iacula philtro inuidentiæ & veneno illita, verborum exasperantium liuore, & acore exacuminata; hoc Iesu nominis armamento præmunitus est Moyses, incolumis seruatus, nullamque sensit plagam. Cuius veritatis testem aduoco sanctum Gregorium Nyssenum in lib. de vita Moysi fantem: *Est horum telorum percussiuum scutum ipse Deus, quem armiger virtutum induit* (Paulus ad Romanos cap. 13.) *induite namque vos, inquit, Dominum Iesum. Hac infrangibili armatura Moyses armatus, maligni sagittarij arcum fecit inanem.* Tela penetrabilia & saucientia, aduersantium verba, quæ interiora pectoris vulnerant horribili plaga, cum maleuolentia, & operibus prauis, & diffamatione iustorum, beneficia potiora rependunt; cum exardescentis iræ furore beneplacita Deo conturbant & exasperant corda, excandescenti maledicto inurunt, fumanti nube mœroris obnubilant lacrymasque cient compatientis animi pro salute hostis effusas, in delicto suo gloriantis. Aduersus huiuscemodi volantes sagittas, odij missilia, flagella linguæ, ancipitesque gladios, qui honoris decus, & vitæ tentant abscindere; inuincibilis parma, impenetrabilis clypeus Iesus est, quo proteguntur, & circumdantur iusti, & ferocientium hostium impetus retunduntur, vt de resilientium iaculorum volatu, & repercussu prosternantur. Hoc Iesu scutum defendit, & lædit; vulnerat sagittantem, protegit in huius nominis virtute sperantem. Hac infrangibili armatura Moyses armatur, incolumis seruabatur, murmurans populus percutiebatur. Quapropter prudenter instruit milites Christi sanctus Laurentius Iustinianus, vt in omni tentamento, Iesu nomen implorent. Sic enim scribit lib. de disciplina monast. conuersat. capite 12. *Resumentes vires cum medullari cordis lætitia, & mentis constantia, reluctentur, & vincant. Clament, & ingeminent voce & affectu Iesus mellifluum, & sanctum nomen. Est enim aëreis potestatibus terror maximus, & intolerabile flagellum: ad cuius inuocationem tanquam ab igne resiliunt.* Hæc Protopatriarcha Venetiarum Laurentius.

S. Greg. Ny.

Infrangibili armatura Iesu instructus est Moyses aduersus hostes linguæ percutientes.

S. Laur. Iust.

Aëreis potestatibus est terror maximus & intolerabile flagellum inuocato nomini Iesu.

3. Ad

Digitized by Google

Iob omnium aduersantiũ certamina sustinuit Iesu nomine munitus.

3. Ad alium pugilem Iob venio in stadio virtutis desudantem, aduersus omnium ærumnarũ cohortes, aciesque Dæmonis terrificas strenue belligerantẽ: sustinuit certamina de cælis, de inferis, de terra, de igne, de costa sua, & latere nẽpe fœmina; probatus est familiarium iniuria, amissione filiorum, iactura omnium facultatũ. Quis reddidit inuictum Heroem, & adamantinum in tot sæculi aduersis? Ipse testatur, quo de fonte sustinentiæ virtus mutuata. c. 1. v. 21. *Sit nomen Domini benedictum.* Contra tot tentamẽtorum turbines, & excitatas à Dæmone procellas, spei anchoram fixit in Iesu lapide, eiusque nomine inuocato, pacatum, & firmũ salutis tenuit portum; quod ex Iesu nomine omnẽ susceperit firmitudinem & tolerantiam in aduersis. Existimat Origenes l. 1. in Iob vbi legit: *Sit nomen Domini benedictum in sæcula.* Vbi in commẽdatione huius nominis magnifici mirificus est in verbis, vberibusque sententiis. *Nomen Domini* (inquit,) *propter quod tot aduersa sustineo, aut suffero, propter quod omnibus, quæ mihi obuenerunt, superior existo. Sit Nomen Domini benedictum in sæcula. Nomen Domini quod mirabiliter cælos extendit, quod terram firmiter fundauit, quod abyssos terribiliter signauit.*

Iob.

Orig.

Iesu nomen mirabiliter cælos extendit terram immobiliter fundauit.

Tres pueri in fornace seruantur illæsi; Daniel in fouea securus extitit inuocatione nominis Iesu.

4. *Sit nomen Domini in sæcula, quod cum vidissent Leones in Daniele, in agnos immutati sunt. Quod cum flamma ignis agnouisset in Anania, & Azaria, & Misaele, foras a fornace fugit, atque eos qui extra fornacem erant, combussit, vt pote non habentes in se sanctum nomen Domini. Illis autem qui intra fornacem erant, non appropinquauit, quia terribile nomen Domini in illis conspexit. Hoc etiam & cetus cum videret in Iona obstupuit, atque illæsũ eum, quem de naui susceperat, reddidit, intaminatum remisit, quem viuum suscepit. Hoc nomen de quo dicunt sancti ex persona Dei non est nomen aliud datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*

Ionam à ventre ceti intaminatũ seruauit Iesu nomen.

In Angelorũ mentibus, in iustorum cordibus, in animabus castorum in congregationibus religiosorum Iesu nomen benedictum.

5. *Hoc nomen Domini sit benedictum in sæcula, sit benedictum in Angelis, & in hominibus, in cælestibus virtutibus, in spiritibus, atque in omnibus iustorum animabus, in gentibus, & in omnibus fidelium congregationibus. Sit* (inquit) *nomen Domini benedictum in animabus castorum, in cordibus piorum, in mentibus religiosorum, in Ecclesia sanctorum, in cõgregatione verissimorum Dei famulorum.* Hanc corollam laudationum sanctissimi nominis Iesu, ex sermone Adamantij quasi ex viridario sacro iocundis flosculis sententiarum vernante, licuit pangere. Speciosumque monile aureum tot lapidibus Indicis, & margaritis, quot verbis distinctum, & fulgens ad Iesu decus inclytum. Miramur in Iob sustinentiam insolitam, in tot plagis, & detrimentis naturæ, sed si recurramus ad originem, vnde fluenta placabilitatis, & tolerantiæ scaturiebant, quæ in ipsa asperitate dolorum, & acerbitate ærumnarum animam suam amœnabant, nempe Iesu nomen, mirari desines; cum enim illud Iesu dulce melos effluebat ex gutture, dulces reddebat in corde felleas & absinthias amaritudines vulnerum, & laborum, cælesti quadam suauitate, & dulcitudine condiebat; Iesu nomine circumuallatus inferias irridebat vmbras, insidias profligabat hostiles; corpus lacerum scaturiebat vermibus, sanie & putredine diffluebat. Sed Iesu nomen inuocans & exaltans, quasi quodam pharmaco, balsamo, & vnguento delibutus, intolerantiæ virus euacuante, cælestibus affluebat deliciis. Hoc scuto protectus de simi cauea aduersarios omnes, & Tartari potestates ad certamen prouocabat, dolores omnes, & lãguores alliciebat ad experimẽtum passionis, de tolerantia minime dubius; de victoria securus. Hac infrangibili Iesu armatura obtectum tenacem propositi patientiæ iustum, si fractus dilaberetur orbis, impauidum ferirent ruinæ. Nec amplificationem encomiorum nominis Iesu ab Origene excogitatam premas silentio. Inter Leones iactatus Daniel famelicis belluis circumdatus, Iesu nomine inuocato, seruatus. Hiantes rictus leonum, & voragines nouaculis, & aculeis molarium instructas clausit, furorem compescuit, voracitatem inhibuit; cum leonibus, quasi cum agnis lusit, & accubuit. In camino ignis ardentis tres pueri quasi in sacello sacro Iesu nomini hymnos dedicant, & cantilenas, ad quorum vocem suauem, & canoram stupentes flammæ & attonitæ subducuntur, nec audent attingere corpora, de quorum ore, quasi de cithara dulce Iesu nomen resultabat. Irritatores, & altores ignis flamma consumpsit, in quibus non erat Iesus. Ionam ab immani maris bellua deglutitũ, illæsum, & viuum prospectauit, & auscultauit Niniue; etenim Iesu nomine inuocato, solidatum, & induratum Ionam vterini & ferini foci calor non digessit. Pergamus ad reliqua victoriæ insignia.

6. Pugnabat aduersus Amorrhæos inclytus imperator exercitus Dominici Iosue, eosque cũ internecione deleret, vt fuga subductos hostes comprehenderet, & ditaret milites exuuiis opulentis hostium; cum cerneret vergentem solem in occasũ, obstaculo fore cumulatæ victoriæ, ne hostes quærerent latebras tenebrarum; imperio vocis fiducia plenissimæ, imperauit soli, vt rotæ suæ vertiginem sisteret, & collucenti lampade exercitus illuminaret, nec minus fortunatũ quàm protelatum redderet diem pugnæ. Iosue c. 10. v. 12. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aalon: steteruntque sol & luna, donec vlcisceretur gens de inimicis suis.* Dixit, & sol constitit, & rotantium mira celeritate orbiũ cursus inhibitus. Verbo Deus solẽ creat, & promouet ad cursum, verbo homo citatum cursum remoratur. vel in hoc Moyse felicior, qui non tantum terrenis, sed supernis imperabat. Hic sistit solis motum. Ille aquæ fluentum. Supermũdani nominis imaginem gerebat, & potestatẽ, cui terrestriũ, & cælestiũ genuflectitur. Qua virtute, quo robore valentiori detinuit Angelicam manum crystallinas rotas cæli impellentem, & concitantẽ ad curriculũ? Præsumebat in Christo & in Iesu nomine, quod gerebat. S. Hier. citatus à Glossa scribit: *Gratias agamus duci nostro Iesu illo enim duce, illo pugnante nos vincimus; ille imperauit soli, vt staret, & stetit ille imperabat, sed Dominus efficiebat.* Et S. Chrysost. nomini Iesu potestati attribuit hoc prodigiũ. homil. 27. in c. 2. ad Hebræos dicens: *Typus erat Iesu illud nomẽ, idcirco igitur hoc factum est. Etiam propter ipsũ vocabulũ reuerita est creatura. Quid ergo? alter aliquis non est vocatus Iesus nisi iste? sed iste ad hoc vocatus est in typo: etenim Auses dicebatur. Propterea mutatũ est nomen eius. prænuntiatio quippe fuit, & prophetia, quippe introduxit populũ in promissionẽ, sicut Iesus in cælum.* Obediebat Dominus orationi hominis vocalissimæ, quæ meritorum facinus acquirebat de nominis sui arcano; cum enim Auses nuncuparetur, nomenclatione mirabili postmodum

Ios.

Iesu nomine inuocato Iosue solem stare fecit.

S. Hier. Gloss.

S. Chrys.

postmodum insignitur Iesu, vt hoc insigni Domini omnipotentis saluantis, à discriminibus eripientis, in præliis triumpharet. Huiusmodi Iesu infulis adornatus imperator terrenarum manuum, constitutus est dominator cælestium, vt eorum volubiles vertigines sisteret: satellitij stellarum, cælestium luminarium statis motibus, & inuariabilibus choreis conspicui, interturbaret Ordinem; solis semper mobilis nunquam stabilis rotæ clauũ infigeret annutu suo, & imperiali alloquio. Nec solum iuxta mysterij oraculum, sed iuxta animarum prouentum statio solis ostenditur. Argute prouexit hoc miraculum ad mores hom. 1. in Iosue Origenes dicens: *Iesus ergo meus solem stare fecit, non tunc solum, sed multo magis modo in aduentu suo. Denique dum nos bellum gerimus aduersus inimicos nostros, sol nobis iustitiæ indesinenter assistit, nec desinit vnquam, nec festinat occumbere, quia ipse dixit ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* Adstat sol pectori tuo, radio suæ claritatis illuminans, rigescentem pusillanimitatis teporem repellens, robur maius adiiciens humanæ imbecillitati, vt non reformidet congredi cum hostibus animæ validissimis, ipsosque prosternat. In manu tua est solem ad occasum non vergere, sed semper stabili prouidentia, & potestate protegere pugilem, & victoria coronare.

Orige.

Cum bellum gerimus aduersus inimicos, Iesus solem iustitiæ stare in nobis & non occumbere facit.

7. Abraham non minus fide in domo Domini clarus, quàm militari robore, & præliandi magisterio, aduersus reges victores, in quorum potestate venerat Lot captiuus, copias suas eduxit, militum numero exiguas, virtute inuictas. Genes. c. 14. v. 14. *Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persequutus est vsque Dan.* Improuisa prouidentia milites instruxit celeriter, non tam pugnaturos, quàm triumphaturos, fiducia complens non volatica, & variabili præliaris fortunæ forte, sed superni numinis annutu, & præsidio; ideo in hostium acies per campestria diffusas diuidentium adeptas manubias, irruit; nihil territus fortissimus ille Heros eorum copiosam turbam, & arma fulgentia, sed tanquam terriculamenta & laruas, exterrendis pusionibus obtentas, grauis armaturæ manipulos, scutigeros, & hastatos despexit. Eruditus de futuris arcanis imperatoris cælestis in cruce occumbentis, & sub Iesu nomine subiugantis aëreas potestates; in tres turmas diuisit socios, tanti nominis auspicio victores, & felices. Hoc mysterium in pectore Abrahæ reconditum, suis insinuatum commilitonibus, prodidit sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 7. accurate perscrutatus, terminum internecioni aduersariorum destinatum ibi. v. 15. *Percussitque eos, & persequutus est eos vsque Hoba.* Legit Ambrosius: *vsque Coba.* Illumque connectit cum numero vernaculorum pugnantium, *Numerauit trecentos decem & octo.* Et hæc verba subnectit: *Et numerus vitalis est. In ipsa enim vita si credamus in passione in nomine Domini Iesu. Nam hæc est nominis interpretatio huius quod diximus Coba, id est vita. Scit exercitata mens, quos ad prælium cõsummandum sibi adhiberet, quibus armis instrueret, quibus ducat vexillis; non aquilarum præfert imagines, nec dracones sed in cruce Christi, & in Iesu nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.* Hic conceptus arcanus Ambrosij antiquitatem præcedit, reperitur enim apud Clementem Alexandrinum asserentem. *T.* litteram esse typum Crucis, quæ etiam denotat trecentos, Græcosque characteres, quibus numerus decem & octo initiatur nempe *I.* & *H.* Iesum significare, & octodecim. scribit lib. 6. stromat. c. 4. cuius verba sunt: *Dominici quidem signi typum quod ad figuram attinet, esse elementum quod significat trecentos, iotà autem ητà* (*I.* scilicet, & *H.*) *significare nomen salutare. Significari ergo eos esse Abrahæ domesticos, & ei coniunctos, quod ad salutem attinet, qui ad signum & nomen Domini confugerunt, & superasse eos, qui ipsos abducebant in captiuitatem, & plurimas gentes infideles, quæ eos sequebantur.* Dux arcanæ militiæ Abraham contubernales suos; & clientes instruxit ad prælium, pro tessera, & symbolo Iesu nomen inter illos diuidens, vt in ipsa irruptione atque conflictu, ipsum deprecantes, & implorantes territarent hostes, redderent inertes inualidosque ad pugnam; pro labaro, & vexillo erectum in animis fidelium propugnatorum Crucis & passionis lignum præferebat. Nullum stemma nobilius incitatorium prælij, victoriæ suffragatorium nactus, quam vitam in ligno morituram, & Iesu nomen præclarum mirabilium operatorium, vt sine sanguine reueheret trophæum, vt esset indicio quod barbaras infidelium nationes à luce fidei deuias, & Euangelicæ iugum legis abhorrentes, Domino subiugarent nati: vndè & pronepotes Abrahæ ad expeditionem, & expugnationem terræ promissæ, Israelitis castris eleuata vexilla præferebant, iuxta familiarum Heroes recensita diuersorum animantium; Dan, Draconis; Beniamin, Lupi; Simeon, hominis; Iudas, Leonis capita depicta; vt traditio est Hebræorum; at fidei apex, & antesignanus Abraham sub Crucis vexillo militare docuit vernaculos, Iesu opem implorantes, eius nomen inuocantes ad consummatam victoriam. Nec solum mystica, sed moralis concertatio est tyronum sub Iesu militia descriptorum, subiungit Ambrosius: *Ideo dicit scriptura quia reuocauit omnem equitatum Sodomorum, hoc est habenas tenuit, frena rationis imposuit, reuocauit culpam, strauit errorem.* Has omnes manubias, & triumphales palmas in delubro fidelis pectoris, & ara cordis appensas, Iesu nomini dicatas, Abraham iustus, officiosusque cultor venerabundus obtulit. Cernes postea in Patriarcha maiores progressus victoriæ, cum ad decus inclytum Dei familiaritatis assumitur, ad amplitudinem maioris certaminis ipsius nomen extenditur, & ampliatur. Genes. cap. 17. v. 5. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum Gentium constitui te, faciamque te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur.* Pactumque postea constituit abeo obseruandum circumcisionis. v. 10. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* S. Hieronymus in quæstionib. Hebraicis hoc gloriosũ nominis additamentũ examinat dicens: *Deus ex nomine suo litterã H. Abrahæ addidit.* Cum enim affectus improbos, qui velut luxuriantes frutices ex animo pullulant, mortificationis studio tanquam ancipiti gladio abscindit, & moderaminis frenum iniicit mẽbris, quę sunt super terrã, & militant aduersus animã; cælestiũ, & terrestriũ cumulata mercede donatur; vt progenitor sit Heroũ, qui imperiali diademate caput cingãt sunt

Genes.

Abraham, virtute nominis Iesu, victores reges subiugauit, & vicit.

S. Amb.

Abrahæ milites crucis vexillum & Iesu nomen præferebant ad prælium.

Clem. Al.

S. Ambr.

Abraham in nomine Iesu reuocauit culpam, strauit errorem.

Gen.

D. Hieron.

Abraham ad maiora facinora perpetranda, vno Dei nominis charactere donatur.

sint validissima viribus spiritalibus, qui animorū teneant dominatum, eruditi ad disciplinam inaspectabilis prælij, qui bene regere sciāt interiora pectoris gubernacula. Ad hæc facinora perpetranda vnico charactere nominis Domini decoratur, vt ex nominis auctario fieret noua, & insolita gloriæ, & dignitatis accessio, & amplificaretur fama triūphorum; si illustris reddebatur nomenclatione à parentibus mutuata, maiora reciperet laudis incrementa, de nomine quod os Domini nominauit. Si tot adjicit sibi decora, & ornatus de vnius syllabæ additione; quot honoris & victoriarū decora sibi asciscet, qui totius nominis Domini Iesu glorificatur insignibus?

Felix qui totius nominis Iesu decoratur insignibus.

8. Expugnatis à Iosue, & fortissimis bellatoribus suis, hostibus vrbis Gabaon, & quinque Regibus fugatis metu perculsis, quærentibus speluncæ latebras; magnifica præfert verba textus sacer in commendationem victricium copiarum Iosue cap. 10. vers. 21. *Reuersusque est omnis exercitus ad Iosue in Maceda, vbi tunc erant castra, sani, & integro numero: nullúsq; contra filios Israël mutire ausus est.* Cumulata felicitas prædicatur triūphatorum, sub Iosue disciplina militantium, cum aduersariis vsque ad internecionem deletis, inter tot belligerantiū discrimina, vibratos gladios, & tela hostilia, nullus desideratur miles, omnes superstites, & incolumes reuertuntur. Nec inferius prodigiū inter tot irruētium agmina pugnatorū, sine sanguine, sine cæde cōfligere quàm innumeras acies exiguam manum vincere. Horū mirabiliū Iesus operator est, cui eadem potestas suppetit, cum multis vel cum paucis trophæa erigere victoriæ & cōmilitones suos ictibus mucronum intactos reddere, à cæde, & sanguinis effusione leuare. Hæc portēta attribuit Iesu Glossa, recēsens Origenis verba hom. 11. in Iosue: *Qui autē pugnat sub Iesu duce, debet illud promereri, quod de illis bellatoribus scriptum est; & reuersus est vniuersus populus ad Iesum incolumis, nec mutiuit quisquā de filijs Israël in lingua sua. Qui enim sub Iesu militat incolumis debet redire de prælio, nec vsquā ex iaculis maligni ignitis vulnus accipere, nec corde, nec cogitatione pollui. Nullus mutiuit, quia nemo de victoria se iactauit, nec suæ virtuti adscripsit, sciunt enim quia ipsi Iesu victoria tribuitur.* Pugna illa præliatoribus Domini præludebat belligerantibus aduersus animæ passiones; impugnari, sed non expugnari tot monstris terrificis vitiorum, quæ gignit natura obnoxia primæui criminis maledicto, de ducis Iesu prouenīt suppetiis, qui alumnos suos superiores reddit vniuersis bellorum casibus, vt eos nullus lædat ictus, nulla supersint vulnerum impressa vestigia. Felix in omni conflictu, victor & incolumis, qui ad pedes Iesu adfert manubias de hoste quæsitas, nec arrogantia tumidus, nec lætis arridentis fortunæ cursibus elatus: nec sibi arrogat mirifica facinora, sed ea adscribit Iesu bonorum omnium auctori.

Iof.

Orig.

Mirabile nominis Iesu prodigium, quod qui sub eo militant à prælio redeāt illæsi & incolumes. Quod nullus de victoria se iactet, nec sua virtuti adscribat, sed ipsi Iesu triumphus tribuatur.

9. Faustum nuncium victoribus promissum auditur de ore prophetico Ioannis Theologi. Apocal. cap. 1. vers. 27. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Possidet victor inebriantem spiritus dulcedinem, & censorium calculum iudicis superni, quod pertinet ad vitam æternitatis. Sed perscrutandum est, quod sit nomen sculptum in gemma, aut candicanti lapillo? Nominis Iesu sculpturam, aut characterem censet esse sanctus Ambrosius in Apocal. & Glossa. Argute Hugo Cardinalis inquit: *Nomen erit omnibus fidelibus in illa gloria immutatum, quin qui modo in peregrinatione vocantur Christiani, in patria à Iesu vocabuntur Iesuani, idest saluati. Vnde Isaia 62. & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Quia seruos suos vocabit Dominus nomine alio.* Ex cuius placito fideles in patria à Iesu nomine Iesuani, seu Iesuitæ nuncupabuntur; vt qui sub Iesu vexillo militant sodales, & tanti Imperatoris stipendia promerentur, de glorioso decore, & diuino stemmate singulariter insigniti, in ipso Domino Iesu glorientur. Ipse tamen character præliaris est, & decertatorius, loco mercedis donatus, victrices lauros, & triumphalia diademata victorum signat: *Vincenti dabo.* Victoriale genium, & imperiale donatiuum triumphantium est. *Vincenti dabo* (subiungit purpuratus pater) *non coronabitur nisi qui legitime certauerit. Legaliter certat, qui benefacere inchoat. Legalius qui proficit in virtutibus, sed legitime qui perseuerat vsque in finem* Hoc decus inclytum perseuerantia promeretur eius, in quo rectæ operationis probitas in vitæ extremo refulget; exordium pietatis & finis charitatis quasi nexus aurei eius verticem circumdant. Iuxta sapientissimum Alcasar arcani sermonis, & ænigmatum Apocalyseos acutissimum, & celeberrimum inuestigatorem, & perscrutatorem. Hoc nomen, & decus Christi imitatoribus in hac vita donatum ad monimentum, & præsidium. Illius verba transcribo: *Proprius gemmarum vsus est in annulis, & idcirco nomen aliquod, vel insignia in eis calari solebant. In hac gemma scriptum promitti Iesu Christi nomen; & valde est ad rem, vt sermo sit de ipso nomine Iesus. Hæc gemma Christi imitatori datur, vt Christi virtute reddatur fortis, ac potens, & omnia possit in eo, qui ipsum confortat per sui imitationem. Quis non videat multo esse aptius, illi in sigillo sculptum Iesu nomen tribuere, quàm nomen, quo appellandus sit is, cui gemma tribuitur. Sic enim aptissime significatur Christi Iesu virtute ac nomine posse eum egregia quæque facinora aggredi, atque perficere, vt ea præstes regis annulo ac sigillo. Imitatio ergo Christi hominem quodammodo omnipotentem efficit.* Quia pietatis certatores pro virtute animi agonizantes Apostolus instruit, eos ad subeundum prælium quantumuis durum, & discriminosum hortatur, ex imitatione Iesu, cuius imaginis sculptæ, & nominis insignia in annulo impressa, continuo secum portantes ad bellum inflamment. Nec est cur reformidet pugil cum validiori lanista conserere manum, cum Iesu signatorio sigillo quasi quodam sacratiori stigmate, pugnæ & victoriæ symbolo, signatus sit ad prælium; quis formidabit cum subdolo, & nocentiori hoste congredi, & descendere in caueam, cum secum deferat Iesum socium commilitij, & discriminis, auxiliares copias abunde suggerentem in ipso conflictu; tali socio, qui dæmones strauit, orcum spoliauit, peccatum diruit, nouus quisque commilito redditur inuictus, & omnia potens in eo, qui illum confortat; tali propugnatore ad certamen prouocat quarumcumque aduersitatum cohortes, nec vllam pugnandi artem refugit: certus est enim inuocato Iesu nomine, quem in proposito æmulationis constan

S. Ioan.

Nomen nouum sculptū in calculo est nomen Iesu apud Ioānem.

Amb.
Glos.
Hugo.

In patria omnes iusti vocantur Iesuani, seu Iesuitæ.

Legitime certat qui in certamine perseuerat, vsque in finem.

Alcas.

In annulorum gemmis nomen aliquod, vel insigne calari solebat. Christi imitatoribus gemma Iesu nomine calata donatur vt fortes reddātur, vt aggrediantur egregia facinora.

constanti, tanquam in annulari cordis gemma portat, ad omnia fontem, & potentem reddi. Hac imagine, hoc signaculo Iesus, quem Pater ad prælium, & laborum discrimina signauit, cupit sponsus, vti sponsam; vt eam cordi, & lacerto imprimat, foris, domique gestet, tanquam de trophæis glorians signisque regalibus, & impenetrabili clypeo, corpus animumque circumdante; vt exemplo, & amore incitata, adeat pericula, pro inimicorum, & persequentium salute, mortem oppetere non extimescat. Cant. c.8. v.6. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Pulchre Theodoretus ait: *vult ergo Saluator noster, vt eum pro signaculo in contemplationibus, & in actionibus nostris habeamus, & notam ipsius in omnibus tum dictis, tum factis imprimamus. Sic enim erunt numismata regia, non adulterina, sed regiam imaginem praeferentia.* Hæc ille: illud adiunge, vocalissimum, & incitatorium esse hoc regiæ imaginis sigillum, & sacri nominis Iesu stemma, clamat etenim: *confidite quia ego vici mundum.* Vbi enim Iesus adest, victoriæ plausus perstrepit. Ritè Origenes ait homil. 1. in Iosue: *si rectè sequimur Iesum, primo occurret palma victoriæ.*

Cant.

Theodor.

Optat Iesus vt eum pro signaculo in contemplationibus, & actionibus habeamus.

Ex nomine Iesu numismata regia non adulterina, sed regiam imaginem præferentia sunt.

Orig.

Ritè sectantibus Iesum, occurrit palma victoriæ.

Apocal.

10. Celebris concertatio Angelorum describitur Apocal. cap.12. & Michaelis Archangeli triumphus de dracone, & antiquo serpente quæsitus v.7. *& factum est prælium magnum in cælo: Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone.* Quibus telis, & gladiis instructi sunt ad pugnam celebratissimam supernæ Angelorum acies? Non hastarum cuspides, nec fulgentium armorum iacula, aut missilia iaculata de arcu, validiori manu incuruato, nec fulgurantis rhompheæ, & versatiles eductæ ad vulnera. Vnicum Sanctorum Angelorum armamentum extitit nomen Iesu ad pugnam, & victoriã, vt testatur Sanctus Bernardinus Senensis tom. 4. fol. 180. colum. 1. *Boni Angeli præliantes dicebant: viuat Iesus, Iesus, Iesus, Iesus, Iesus, quia facta est salus in sanguine eius.* & tom.2. serm.49. art.1. c.2. expendens verba Redemptoris, Lucæ c.10. *Videbã Satanã sicut fulgur de cælo cadentē.* Ipsumque Iesum cum Apostolis fantem introducit: *Nolite mirari si nomen meum diaboli expauescunt: cum virtute eius Satanas cum omnibus Angelis suis de cælo expulsus ceciderit sicut fulgur. Vnde Apocal. 12. post prælium factum in cælo à Michaele cum Dracone, & ab eo de illa victoria iam obtenta, eiectoque illo in supplicia sempiterna, exultantes clamauerunt Angeli iam beati dicentes: facta est salus & virtus, id est ex nomine Iesu salutifica virtus, & pietatis Christi eius.* Felix exordium certaminis spiritalis, & fiducialis victoriæ, ab Angelicis cohortibus assumptum, semper inuicti, & victoris Iesu auspicio: vt æmulentur in terris homines præliandi disciplinam, & magisterium, quod acies Angelorum inito iam cum dracone certamine, in cœlis tradiderunt: dulcissimi nominis Iesu imploratio reddidit stabiles spiritus fideles; nutantes vero, & infidos, sicut iactato super eos fulmine Iesu nomen incendit, & deiecit de cœlorum regia ad tartarorum barathrum. Tanti nominis pia inuocatione resonante experietur diabolus antiquum, & valde expertum robur in agone humano pro virtute suscepto, qui in Angelico virtutem eius habuit compertam, cum proprij capitis periculo, gratiæ detrimento, & cælestium bonorum irreparabili iactura.

Boni Angeli in cælo Iesũ acclamantes malos Angelos vicerunt, & de paradisi regia deturbarunt.

D. Bernard.

D. Lucas.

Virtute nominis Iesu diabolus sicut fulgur de cælo cecidit.



Inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.

Super omnem locum vbi inuocatus est.

Origenes: *pietas & timor nominentur Iesus, vt omnia in omnibus nomen tuum fiat.*

Discursus II.

Ad honestatem, & meliorem vitæ frugem animos traducit; perfidiæ regna expugnat, vana gentium simulacra euertit mirabile IESV nomen.

1. ABstulit opprobrium, &, aboleuit à gentibus Dominus quando in Iesv nomine ab impura viuendi licentia sculptilium extracti, ad Christianam militiam, & pietatem transfugientes, nomen dederunt Christo. Hoc autem præclarum facinus à Iesv nomine perfectum, clamitat idem Isaias cap. 49. v.1. *audite insulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Non tam Israelitas, qui erant auscultatores de propinquo, sed Gentium populos in mortis vmbra viuentes sculptilia dæmonum venerantes excitat vates, vt fidem Christi ex auditu suscipientes, verbum veritatis auscultent commorantes nationes de longinquo. Pulchre Chaldæus transtulit: *Obedite insulæ mihi, & auscultent regna à longe.* A Regibus, & nationibus per omnes terræ tractus dispersis, longæque dissitis à Ierosolyma, per incolatum, domicilium, & mores, obsequium præstandum Christo spondet. Hoc opus nouum, & mirabile tunc temporis insolitum, perpetrandum prædicit virtute nominis Iesu. Hoc indicant perspicue verba quæ subiungit: *Dominus ab vtero vocauit me.* Phœnix, & primarius scrutator diuinorum Hieronymus, de Iesu nomine per Angelũ nuncupato, cum adhuc puer in Virginis vtero lateret, sapienter explanat. *Quod nunc videtur obscurum, postea cunctis gentibus notum fiet, quando Gabriel Ioseph de partu dixerit virginali: & vocabis nomen eius Iesum.* Quam sententiam apertè insinuant Lxx. legentes: *Ex vtero matris meæ vocauit nomen meum.* Aliis filiis nomen inditur, postquam de vteri tenebris fusi participant huius lucis vsuram; at nomen Iesu imponendum prædicitur ab Angelo, in vtero virginali cum adhuc sacer delitesceret fœtus; quod etiam vocatum est ab Angelo priusquam in vtero

Isa.

De virtute nominis Iesu præclarum Isaiæ vaticinium.

Chald.

S. Hier.

Adhuc existens in vtero matris vocatur Iesus.

Lect. Lxx.

vtero conciperetur. Et valde sapienter iuxta arcanum Paris consilium, & vulgati sententiam, Isaias pronuntiat verba illa in persona Saluatoris: *De ventre matris mea recordatus est nominis mei.* Non quia in paternam mentem irrepserit nominis obliuio, & illud post fortuita tempora in memoriam reuocauerit: sed Saluatoris nomen, quod fuerat æterna Patris generatione donatum, fuerit ab Angelo in tempore promulgatum; illud annuntians quod intra cancellos diuinitatis erat reconditum. Apposite Magnus Albertus ad ea verba Lucæ cap. 1. *Et vocabis nomen eius Iesum*, inquit; *Nomen mirabile, quod à Deo Patre per generationem æternam Filio datum est.* A quo enim hausit esse, viuere, nasci, accipit Redemptoris & Saluatoris insigne; iuxta hanc diuinam functionem, quam habet à Patre, prolatum ab Angelo Iesu nomen accepit, cui gentium redemptio, & officiosa seruitus regnorum, & regna debebantur. Ideo ad audientiam, cultum, & obsequium, ea Isaias impellit, quia Iesus adest, cuius virtute extrahenda de seruitute peccati, de errorum tenebris eruenda & numeranda in catalogo saluandorum.

Alb. Mag. *Mirabile Iesu nomen à Patre per generationē æternam Filio datum.*

2. Illud tecum subtilius adstrue: Illud nomen quod verbum habebat ex natura ei ex laborum tolerantia, & expugnatione placuit obtinere. Saluatoris substantiam, nominisque Iesu decus inclytum, quod in secreto pectoris Pater eructabat, participauit de naturæ æqualis, & indiuiduæ consortio, sine iniuria passionum, absque tolerantia peracerbæ mortis. At postquam in forma serui, ad humani generis incolumitatē accingitur, magnis laborum sumptibus, propriæ vitæ impendio, & sanguinis effusione in patibulo litati pro peccatorum remissione, nomen quod est super omne nomen hereditauit. Quod quidem mysterium Iacob oculo superne illustrato, in ipso limine mortis, antequam migraret ad superos, intuitus est, cum fausta imprecaretur filio Ioseph. Genes. capite 49. vers. 25 *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus vberum, & vuluæ; benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius.* Quæ verba sic dispungunt Septuaginta seniores: *Confortatus es super benedictiones montium, propter benedictionem vberum, & vuluæ, benedictionem patris tui, & matris tuæ.* Quam translationem sectatur sanctus Cyrillus Alexādrinus lib. Glaphyrorum in Genes. & his verbis illustrat: *In serui forma apparuit, ideo dicitur exaltatus, & nomen super omne nomen, veluti gratiæ & mercedis loco, accepisse. Benedictus ergo est causa vberū & vuluæ, nam postquam factus est homo hereditauit sibi nomē, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectetur.* Nec te verbum hæreditandi ad indissolubilē dubitationem inflectat, aut cogitādum minus dignum diuinitate cōceptum. Sapiēter S. Thomas ad Hebr. c. 1. *Hereditauit* annotat: *quod hæreditas sequitur originem.* Vnde Christus quod filius sit, quod Saluator sit, habet ex origine, & per naturam. At Christus vt Iesus est vtramq; includit substantiā, & diuinam, quam habet ex Patre, & humanam passibilem, & mortalem, quam participauit ex Matre. Si Deus non esset non haberet meritum æqualitatis in satisfactione, & expiatione delicti: Si non esset homo passiones non subiret, nec recōciliationis humanæ idoneum daretur remedium: quod pietatis, & cōpassionis est ex origine materna mutuauit, quod actu & in exercitio redimat in carne mortali, obtinet ex Maria, suscepit ex Virgine. Ideo nomen Iesu dicitur benedictū ratione Patris, & Matris. Quia vero Iesus denotat hominē mãsuetum, humilem, in plaga positum, virū dolorum, sciētem ferre infirmitatem, quæ omnia extranea sunt à Dei natura, perpessus tamen est ea in hominis habitu, quo eum induit Deipara; Iesu nomen ex materna origine proprie hæreditauit, deditque ei nomen, quod est super omne nomen, quando Iesu nomen imposuit. Vt benedictus dicatur Iesus benedictionibus Patris & Matris, nec incongrue asserebat Cyrillus: *Nomen super omne nomen mercedis loco accepisse.* Quia Christus vt homo nonnulla sibi propriis meritis comparauit quorum ius habebat; sed non visum, seu exercitium; corporis gloriam, exaltationem nominis, quod gentes hæreditaret, quod obedientiam nationes præstarent, quod nomini Iesu omne genu flectatur, passione promeruit, vt in amoris certamine nouo titulo doloris, & laboris lucratas nationes, eas sibi arctiori nexu adstringeret.

Nomen Iesu quod habet à natura, voluit Dominus ex laborum tolerantia, & expugnatione obtinere.

Gen. *Propter benedictionem vberum & vuluæ, benedictionem Patris, & Matris Iesu confortatus & exaltatus.* Lect. LXX. S. Cyr. Al.

Nomen Iesu veluti gratiæ, & mercedis loco hereditauit, & accepit.

S. Thom.

3. Difficultatem proculdubio ingeret lectori & studium arcanæ veritatis inuestigandæ, cum in illam versionum varietatem incurrit Genes. cap. 47. vers. 31. *Adorauit Israel Deum conuersus ad lectuli caput.* Septuaginta vertunt: *Adorauit fastigium virgæ eius.* Apud diuersos varia interpretamenta perleges; illud est singulare, quod Magalianus noster ad Timot. capite 1. sect. 1. Annotat. 7. recenset, in vmbra & typo prospectasse Israëlem Domini Iesu passionem, ipsúmque in patibulo occumbentem, & à moriente, Iacobum in mortis agone, subsidium implorasse. Illius verba sunt: *Eleuans oculos ad summitatem, siue fastigium, vidit tabellam in qua erat hæc inscriptio. I. N. R. I. quem titulum legens, summitatem virgæ, idest Crucis, adorauit. Quid agis Iacob? adora Iesum. Expectabo, inquit, salutare tuum Domine. Ipse Christus ob reuerentiam huius nominis inclinauit caput moriturus.* In ipsa mortis caligine augustiori diuinitatis lumine irradiabatur Iacob, & tenebræ eius erant sicut meridies; cum titulum Cruci affigendum agnouit, gloriosam inscriptionem, & Iesu coronamen, Iesu nomen veneratus est veri Regis qui regnum donaret æternum; amore flagrans ad suauissimam nomenclationem Iesu suspirat ardentius, in corde & in ore portans, aduersus hostium incursus Iesum inuocans, & baculo Crucis subnixa veneranda senectus, & in ipso placide recumbens immoritur. Sciebat enim tituli insignia perpetuo à Iudæis exprobrata maledicto, non esse ingloria, quæ cœlestis regni fores aperirent, & mortalibus, immortalitatis decora compararent. Ideo Saluator ob reuerentiam, & cultum venerandi nominis Iesu, inclinauit caput moriturus; de Crucis cathedra præcepta obseruantiæ, & reuerentiæ tradidit; vt cælites, superi, inferi, mortales Iesu nomini summum honorem, & venerationem deferrent. Super caput Christi quasi quoddā trophæum erigitur, fornixque triumphalis, cuius potestate mirabili Angelorum, & hominum primatum obtinuit, eique trabea Regis adiungitur, & imperialis auctoritas; vt insurgat imperare gentibus, & regales ei infulæ externa

Quod Iacob adorauit ad lectuli caput, & virga fastigium componitur. Gen. Lect. LXX. Magallan.

Titulum virga Crucis in quo erat: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, *Iacob vidit & adorauit. Christus ob reuerētiam nominis Iesu inclinauit caput moriturus.*

Virtute nominis Iesu Christo omnia regna obediunt.

externarum nationum prosternantur, merito passionis, & abiectæ mortis promeruit: capitis inclinatione cultum docuit, reuerentiam sui nominis demonstrauit. Ioann.c.19. vers.30. *& inclinato capite tradidit spiritum.* Inclinatio capitis signum est blandientis, & annutus, amicum compellantis; inclinans caput, in nomine Iesu gentes vocabat ad regnum, & hæreditatis diuinæ consortiũ, quod multis retro sæculis Ezechieli in visione capitis primi fuerat ostẽsum in Cherubinis, qui quatuor animantiũ formas & vultus in triũphali curru præferebãt. *quid sibi autẽ volunt quatuor facies?* percontatur Origenes, & respondet homil.1.in Ezech. *Quæ saluanda sunt genuflectunt Domino Iesu. Quæ autem genuflectunt Domino Iesu subiecta sunt ei, & quæ subiecta sunt, dicunt: nonne Deo subiecta est anima mea? apud ipsum enim salutare meũ.* A Iesu per quatuor cœli climata venit saluatio, per quatuor orbis terræ tractus Ortum, Occasum, Meridiem, & Septentrionem, tuba Euangelicæ annunciationis personuit; & liberis affectibus nationes omnes veniunt adorantes Iesum. Ideo quaternæ facies in sacris animantibus præfulgent, quia totum, qua late patet, orbem desiderio incolumitatis alienæ, sacris functionibus amplectuntur, speciosos gentium manipulos, & sacratas animarum exuuias de tartari faucibus erutas dedicant Iesu: Principaliorum animãtium stemmata affectuum animæ nobiliorum ostentant insignia, quæ ad aras Iesu gratanter suspendunt. Oculorum acies nitet in aquila volucrum regina, quam solis iubar non perstringit, nec obtundit, dum aduersus solis radios contuendos in aëra se librat: in leone animantium corona, apparet imperialis auctoritas, & insigne regium, quo perculsis formidine belluis, dominatur: inuictum robur in perferẽdis laboribus, & terræ prouentibus, apparet in vitulo. Sicut in homine, qui ratione vtitur, decus libertatis. Hæc sunt sæculi potiora commoda, in quæ inflammata hominum cupiditas rapitur, ingenij acumen, & sapientiæ præstantia, nobilitatis gloria, nominis, & stirpis amplitudo, emolumenta copiarum, libertas. quæ omnia in personatis Aquilæ, leonis, vituli, hominis imaginibus & vultibus, Iesu deuouent Cherubini.

S.Ioan.

Quid præseferunt quatuor facies Cherubim

Orig.

Omnes nationes genu flectunt Domino Iesu.

Principaliores affectus rationales animæ subijciũtur Domino Iesu.

4. Indicans Iesus quod in patibulo suspensus, & affixus, vitam finiret, ait Ioann.cap.12. v.32. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Ad se allectasse creatorem creaturas omnes, vt sua morte viuerent, & à terra eleuasse, non miror. Quæ tamen sunt ista omnia, quibus ad se euehendis incumbit? Numquid ligna, lapides, aquarum fluenta, aut elementum ignis attraxit? Vniuersalitatis verbum correlatiuum est sculptilium; omnia ad se, inquit, pertrahet gentium simulacra diruenda. Huius contemplationis eximiæ auctor est Sanctus Gaudentius Brixiensis Episcopus serm. 12. tom. 2. Bibliot. veter. Patrum: *Sed quod ait: omnia traham ad me ipsum, & non omnes: illud significari existimo, quod omnia creaturarum genera, quæ idolis, vel immolabantur, vel dedicabantur, Christus ad suam benedictionem reuocanda promiserit, suoque nomini consecranda.* Attraxit omnia quæ ad cultum pertinebant alienum, vt suo Creatori restauret. Aras, victimas, sacrificia, delubra, sacrificulos, homines dæmonum simulacra venerantes, in Crucis ligno moriens allexit, in funiculis amoris attraxit, clauis ferreis stabiliuit, vt respuerent vana figmenta, & fatidica responsa, & omnem ceremoniarum quæstuosum apparatum expungerent; attraxit sculptilia Deorum omnia; vt veneratio per tot capita, & portenta numinum diuidua, in vnum supremum, & verum Deum reformata religione coiret: pertulit ad se sculptilia aurea, lapidea, argentea, lignea, vera Crucis, & Crucifixi trophæa pedibus fidelium calcanda, zelo fidei conterenda, velut anathemata obliuionis fouea tumulanda. Hæc omnia facinora sunt nominis Iesv, quare Sanctus Gaudentius apte subiunxit: *suoque nomini consecranda.*

S.Ioan.

Quæ sunt illa omnia, quæ ad se attraxit Iesus in cruce exaltatus.

S. Gaud.

Omne creaturarum genus, quod sculptilibus seruiebat, Iesu nomini consecrauit.

5. Hinc fit quod duces strenui, plectro linguæ à superno spiritu pulsato, dulce melos Iesu intonant, vt idolorum cultum expugnent. Canticum auscultauit Isaias, & speciosis pedibus currentes prospectauit de propheticæ specula cap.52. v.7. *quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem.* salutis vice, legunt Eusebius Cæsariensis lib.6.demonstrat.Euangel.c.24.Procopius in Isaiam: *prædicãtis Iesum.* Origenes vero præfatione in Euãgelium Ioannis sectatur lectionem Pauli Isaiæ locum referentis in hunc modum: *annuntiantis bona.* interpretatur bona esse Iesum legitque: *annuntiantis Iesum*: additque: *nec miretur quispiam si nomine bonorum numero multitudinis exposuerimus: annuntiantis Iesum: facile enim intelliges quomodo multa bona sit Iesus. Vita bonum est, Iesus est vita, resurrectio bonum est, Iesus est resurrectio. Lux mundi bonum est, Iesus est lux vera: veritas, via, sapientia, potentia, thesaurus denique omnium bonorum Iesus est.* Omnia fausta, felicia, à Iesu proueniunt omnium bonorum fonte, & inexhausta scaturigine. Euangelizatores pacis cùm Iesum prædicant, omnia bona annuntiant. Vt humanam voluntatem quæ propendet ad bonum oblectans, ineffabili voluptate demulceant. Bonum Iesvs, quod malitiam explosit, crimen omne diremit, in ærumnosam hominis naturam beatitudinem inuexit. Fallebat gentes miseras in regione vmbræ mortis commorantes species aurea, argenteaque sculptilium, coronarum ornatus, & vestimentum purpureum; existimantes se de veneratione felices, de integumento protectionis ab hoste seruatas; illuxit Iesus, & tenebras dispulit erroris facileque comperiunt imbelle, & falsum esse figmentum, ab æterna morte nõn redimens: mendacissima, & fallacissima execrantur portenta, erecta de improborum luxu, conflata de opprobrio, canonice culta de colluuione flagitij. Imbonitas, & improbitas in numinum falsidicorũ statuis. Omnis bonitas, in Iesu. Quid ni alliceret Gentium animos omnis bonitas & felicitas cõgregata, suauis in gustu, oblectans in auditu, spirans odoramenta cœlestia omnium virtutum in odoratu, quæ caligantes & cæcutientes in commentitiis sectarum inuentis impingentes, illuminat, & erigit, & in perditissimos, & profligatissimos quosque clementiæ sinus expandit?

Isa.

Pedes pulchri annuntiantium, & prædicantiũ Iesum.

Eusib.Cæs.

Procop.

Orig.

Annuntiant omnia bona cum prædicant Iesum, qui est omne bonum.

Imbonitas, & improbitas in numinum falsidicorum statuis omnis bonitas in Iesu.

6. Cum Alexander Magnus clarus insignibus triumphorum, Ierosolymam pergeret de ipsa

triumpha

Digitized by Google

Alexander, Magnus viſis ſacerdotalis habitus, abſtinet à violanda & diripienda Ieroſolyma.

triumphaturus, victricis manus poteſtatem, & furorem pectoris formidabant maximæ vrbis incolæ, ne debaccharetur in ſancta & prophanis ritibus violaret. At contra accidunt omnia, nam ex ſummi antiſtitis aſpectu, & ornatu ſubito immutatus & correptus flamine ſuperno reuerentiæ, & pietatis (quod ante præſenſerat cœleſtis numinis monitu Iaddi, qui ſupremis ſacerdotij apicibus erat accitus) ſigna oſtendit maxima, vt teſtatur Ioſephus, & ex ipſo Rupertus Abbas lib. 9. de victoria Verbi Dei c. 13. his verbis: *Princeps Sacerdotum nomine Iaddi diuina viſione premonitus fuerat vt cõſideret, ſertiſq; ciuitatem ornaret, portaſque protinus aperiret.* Et ſtatim: *Alexander videns multitudinem veſtibus albis indutam, antiſtites vero cum byſſinis ſtolis, & Principem Sacerdotum cum tunica hyacinthina & aurea ſtola, ſuper caput habentem cidarim, & laminam auream, in qua ſcriptum erat Dei nomen, adijt ſolus, & nomen adorauit, & Principem Sacerdotum primus veneratus eſt.* Itaque Deo prouidente nihil ſæuum paſſi ſunt Sacerdotes, nec contumeliis affecti, nec conculcati ciues, aut deuaſtata ciuitas imperiali furore, vt Phœnices, & Chaldęi Alexandri ſatellites, exiſtimabant; quin potius depoſita ſæuitia, omnia oſtendit ſigna regalis clementiæ. Sacerdotalis venerabilis ornatus mentem immutauit Imperatoris, ad exultationẽ deiecit, ſed potiſſimum Dei ſanctiſſimum nomen, & ineffabile, ferociẽtem leonem in agnum manſuetiſſimum conuertit: itaut flexo poplite, inclinato capite, & humiliata ceruice illud veneraretur. Iam enim prælibabat Dominus cultus, & adorationis primitias nomini ſuo à gentibus exhibendas, victoriáſq; celebrabat nominis ſui virtute adeptas; cum Imperatores & Reges liberis affectibus adorantes Dei nomen vultu ad terram demiſſo, cernit. Apte ſubiungit Rupertus eodem lib. & cap. *Præclara victoria pars victoria nominis vel verbi Dei, dum Macedonum diadema Magnus Alexander in Sacerdotis ornatu nomen Dei nihilominus adorat.* Iam ex tunc veneratio nominis Ieſu in nomine quadrilittero, ſeu tetragrammaton, adumbrato, initiabatur, præſtanda non ſolum ab infimis, ſed à Principibus ſupremis. Quinimmo Eccleſia maiorem venerationem exhibet nomini Ieſu, quam nomini Deus, vt ſapienter annotat Abulenſis in Exodi cap. 20. quæſt. 6. & 7. *Eccleſiæ* (inquit) *communis, & laudabilis conſuetudo magis honorat iſtud nomen Ieſus, quàm iſtud nomen Deus, vnde audito iſto nomine Ieſus deuoti fideles, aut caput inclinãt, aut genuflectunt. Sed audito iſto nomine Deus, non flectimus genua, nec capita inclinamus.* Rationemque idoneam ſubiungit q. 7. *Cauſa autem maioris honoris in hoc nomine Ieſus, quam in hoc nomine Deus, eſt, quia Chriſto hoc in priuilegium donatum eſt à tota Trinitate, propter duram obedientiam quam compleuit, vt patet ad Philip. 2. cap. cum dicitur: Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod exaltauit illum Deus, & donauit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Abiectio vſque ad profundum occaſus inhonori, & infimi, exaltationem promeruit ſupra cœlorum apices, omnium Angelorum vertices; obedientia dura, & laborioſa ad crucem ſubeundam, confuſione contempta, nationum omnium famulatum, quod ipſi regna obediant, ſuæ legis iugo colla ſubmittant Imperatores, loco mercedis accepit, quod ei curuetur omne genu, & nouiſſimus virorum, & deſpectus inter filios hominum aſſumatur à ſupernæ Ieruſalem & terreſtris principibus vt caput, & princeps; hoc famulitium ſumpſit exordium in nomine Iehouah auguſte, ſanctéque venerato à Macedonum Rege Alexandro. Poſt Domini natiuitatem, reuerentiam, & cultum nominis Ieſu Eccleſia gentium cumulauit, cuius ſuaui odore Reges allecti, & ineſcati contemptis aulis opulentis, Ieſum quærunt in tugurio. De Magorum adoratione, audito nomine Ieſu, præſtita in ſpelæo, paruulo Deo, pulchre ſanctus Vincentius Ferrerius ſerm. 1. de Epiphania circa finem, loquutus de aduentu Magorum, ait: *Tunc Virgo ſciens quod pro bono veniebant, recepit Filium de præſepio, & oſtendit eis, qui dixerunt: Quomodo vocatur? Virgo Maria reſpondit, Ieſus. Quo nomine audito procidentes adorauerunt eum, & flentes oſculantur pedes eius.* Primitiua reuerentia, & primordialis fides Gentilis Eccleſiæ dedicat in Magis & Satrapis Chaldæorum officioſum famulatum exterius, interius vero corda flammantia charitatis ardore; ſoliſque iuſtitiæ ex Mariæ aurora exorto, calentis pectoris ſuſpiria ij offerunt, & lacrymarum irrigua, ſacra ſtillicidia, quæ non deuenuſtant ſeniles, cum decurrunt, genas, ſed honorant; pulchras inquam gemmas, quibus pedes infantis, & panniculorum fimbrias exornent: audito Ieſu nomine, iam felix Arabia procumbit, ſceptra, & diademata infantilibus plantis calcanda ſubſternit. Cum cernis Magos Emmanuelem amplexantes, & oſculantes, virum vnum apprehendentes contemplaberis: cum à Matre nomen Pueli, pij, & ſolertes arcanorum perſcrutatores perquirunt complementum ſumpſiſſe videtur Iſaiæ vaticinium: *Inuocetur nomen tuum ſuper nos.* Cum auſcultant à maternis labiis promulgatum oraculum: *Virgo Maria reſpondit Ieſus*, ſcopũm attigiſſe intelliges Iſaiæ ſententiam: *Super omnem locum vbi inuocatus eſt.*

Summus Sacerdos diuina viſione præmonitus vt portas aperiat Alexãdro, & vrbem coronis exornet. Alexander adijt ſolus veneraturus Dei nomen & Sacerdotem illud preferentem veneratur.

Rup. *Præclara verbi & nominis Dei victoria, quod Macedonum apex Alexander Magnus nomen Dei adoret.*

Abul. *Cur Eccleſia maioris cultus & reuerentia ſigna præſendit nomini Ieſu, quam nomini Deus.*

Hoc priuilegium Chriſto donauit tota Trinitas propter duram obedientiam vſque ad mortem Crucis.

S. Vin. Ferr. *Deipara à Magis interrogata quo nomine vocaretur pueri reſpondens vocari Ieſum, Reges procidentes adorauerunt eum.*

Magi Eccleſia primitia virum vnum apprehendunt, cuius nomen inuocatur ſuper eos.



Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos.

Et ſuper omnem locum vbi inuocatus eſt.

Origenes: *& fortitudo nominetur Ieſus.*

DISCVRSVS III.

Ieſus poſitus eſt in ſignum, cui contradicetur: nec mirum ſi ſectatores Ieſu inſectetur aduerſitas.

1\. SICVT Ieſu nomen ad exantlandos labores, ad ſuſtinentiam paſſionum, & tribulationum in homine redimendo datum; neſcio quam vim allectiuam poſſidet infortunij, contradi-

contradicentis, & aduersantis fortunæ. Sicut enim magnes ferrum ita Iesu nomen vbi adest, contradicta attrahit, aduersantia exambit, afflictiones, & calamitates comparat, ad earumque tolerantiam animum adornat. Testem aduoco huius veritatis Zachariam vatem cap. 3. vers. 1. Iesum in visione prospectantem: *Et ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum; & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Iam in typo Iesu Filij Iosedech, & in vmbra, Iesum seruatorem nostrum cernebat. Pro *Satan*, Sexaginta transtulerunt: *Aduersarius stabat.* Et vox Hebræa שטן *Satan* proprie denotat: *Odio habere, aduersari, detrahere, & calumniari.* Quem locum de Iesu nomine accipit Eusebius Cæsar. lib. 4. demonstr. capite 17. in eoque Rupertus Abbas ingenitum acumen indicat his verbis: *Cum non dixit vade Satan, siue desine aduersari. Videlicet quia multum profuturus erat sic aduersando Satan.* Eximiæ sunt sancti Cyrilli Alexandrini argutiæ: *Stabat à dextris quodammodo dextera destruens. Non enim sinistras res nostras, sed dexteras, & laudabiles oppugnat.* Illud tamen in hoc loco stuporem conciliat, Iesum non segregatum à Satan, sed indissolubili, & inseparabili illius satellitio stipatum, Zachariæ apparuisse. Quia Iesus dum in hac mortalitate vixit, nullis datis inducijs, obtrectatorum, vituperantium, & maledicentium linguas sustinuit. Non venit ad lenia, & huius sæculi suauia, quæ affectum demulcent, corpus impinguant; sed ad aspera, seuera, laboriosa; nec verus Iesus esset, nisi experiretur iniurias, & procacium iaculis impeteretur. Sicut enim vmbra solem subsequitur, ita Iesum, & sub eius vmbra commorantes, tribulatio. Scite sanctus Bernardinus tom. 2. serm. 49. de glorioso nomine Iesu Christi art. 1. cap. 2. ait: *Domini Iesu nomen est vexillum præliantium.* Et paucis interiectis hæc adiungit ex sancto Gregorio Magno: *Appropinquante Saluatore, appropinquat tentatio. Lucem rectitudinis sequitur vmbra tentationis, proinde si consurgit Diabolus contra te, ne timeas, sed erige contra eum vexillum salutis, quod est Iesus, inuocando illum.* Hæc Bernardinus. Mira consonantia Iesu adstantis, & Satanæ aduersantis; vbi Iesus auditus contradictio, & aduersitas resultat; sed formidanda non est, si erigas vexillum Iesu triumphale, ad cuius lumen, & nomen quærunt latebras lucifugi principatus. Iucunda semper respue, si vestigia Iesu legere curas, nam Iesu florem non nisi inter aculeatas sentes, & pungentes tribulos laborum apprehendes. Nec infructuosa extitit maledici, & procacis momi petulantia: adstat enim improbus sibi ipsi nociturus, Iesum vero promoturus ad gloriam, & ad eximij decoris incrementum. Sed quid est quod dextram ambit, obtrectaturus Sacerdoti magno de sinistris? quod accuset censorius criminator, & mendax humana, de liuore pronenit antiquo procax obiurgatio; vritur inuidia de prosperis, & gratiis Iesu; ideo dextram exambit, vt ea obscuret, & dirimat, vt mordacis vellicationis integumento obtegat ampla virtutum decora, nec comparentibus beatitatis fulgoribus, obtenebrescere faciat diem felicitatis, & luminis. A dextris adstat patronus mendacij, victoriæ manu dicata elatus, se se iactans procaciter, trophæum vsurpat; sed eleuatus est iactantia ad maiorem interitum & ruinam.

Stat à dexteris Iesu Satan, aduersarius, detractor, & calumniator.
Zach.

Lect. LXX.
Lect. Heb.
Eus. Cæs.
Rup.
Satanæ aduersitas multum profuit Iesu & illius sectatoribus.
S. Greg. Al.
Satan sodalium Iesu non res sinistras sed dexteras, & laudabiles oppugnat.

S. Ber.

S. Gre. Mag.
Iesum sequitur tentatio & lucem, aduersitatis vmbra.
Ingruentibus aduersis Iesu vexillū erigendum, nomen inuocandum.

2. Amicum fœdus inierant Gabaonitæ cum Principe exercitus Domini Iosue, excitati bellica illius gloria, sed statim experiuntur aduersam quinque Regum manum potentissimam, progredientium ad pugnam; vt vrbem Gabaon funditus euertant, & Gabaonitarum nomen expungant. Iosue cap. 10. vers. 3. *Misit ergo Adonisedech Rex Ierusalem ad Oham Regem Ebron & ad Pharan Regem Ierimoth, & Iaphia quoque Regem Lachis, & ad Dabir Regem Eglon dicens: ad me ascendite, & ferte præsidium, vt expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Iosue, & ad filios Israël. Congregati igitur ascenderunt quinque Reges Amorrhæorum, simul cum exercitibus suis, & castrametati sunt circa Gabaon expugnantes eam.* Antequam Gabaonitæ officiosi essent Iosue, & arctissimo necessitudinis vinculo copularentur, in pace erant omnia; cum illius familiaritatem, contubernium, & præsidium exambiunt omnia aduersa, & oppugnantia eos, circumdant, terrenis Regibus ad eorum perniciem incumbentibus. Lepores, & argutias Origenis Adamantij in medium producam, non tam Græco sermone, quam Latina toga à Beato Hieronymo induti, pro suggestu declamantis homil. 11. in Iosue, sic enim historiæ seriem ad mysticam, & moralem eruditionem prouehit: *Cum anima humana Verbo Dei se sociauerit, dubitare non debet, statim se inimicos habituram, & eos, quos habuerat ante amicos, in aduersarios esse vertendos; & ita fit vt qui amicitias expetit Iesu, multorum sibi sciat inimicitias tolerandas. Omnes qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur, oppugnantur etiam ergo nunc Gabaonitæ, cuiuscumque modi sint, propter amicitias Iesu. Licet vltimi meriti sis in Ecclesia, tamen hoc ipso quod ad Iesum pertines, impugnaberis à quinque Regibus. Sed tamen nec Gabaonitæ derelinquuntur, vel spernuntur ab Iesu, vel ab ducibus, ac presbyteris Israëlitarum, sed infirmitati eorum auxilium ferunt.* Et statim. *Hoc ergo modo Iesus cum ducibus & principibus suis adest ijs, qui pro nomine suo à contrarijs virtutibus oppugnantur.* Huc vsque dulce fluit magni Adamantij alloquium. Gabaonitæ, & quicumque ad partes Iesu transeunt, & transfugiunt fuga honorabili à terrenis declinantes, amicitias Iesu magnis impendiis tribulationum, & aduersantis fortunæ mercantur, vt tanti Imperatoris sint contubernales, & commilitones; maledicta, conuitia, impugnationes Regum pendunt pro canone, qui sub Iesu vexillo militant, & catalogo pugnatorum adscribuntur, aduersariorum inimicitias, potestatum simultates, velut propria donaria Iesu, & stipendia promerentur. Si ad Iesum non pertines, nec legalis patientiæ ipsius iura sectaris, blande forsan tibi arridebit sæculum, deliciis afflues, & tanquam maria ludentia, & albentia vorticibus vndarum, in cumulos assurget gloria, & diuitiarum opulentia. Si Iesu semper cum labore, & passione luctantis, vestigia legeris, dura & laboriosa sustineas necesse est. Nec familiaribus suis aliam semitam parat, nisi quam ipse præcucurrit, & strauit duram, &

Ios.

Orig.

Cum anima humana Deo se associat, statim infestatur ab inimicis.
Qui amicitias Iesu exhibit, multorum inimicitias necesse est, toleret.
Licet sis vltimus merito in Ecclesia, si ad Iesu sodalitium pertineas, impugnaberis à quinque Regibus.

& salebrosam, sentibus obsitam, proprio cruentam, & aspersam sanguine. Felix aduersitas quæ de Iesu prouenit beneuolentia, & gratia: eligibilius est omnium aduersantium mala subire, vt Iesu familiaritatem incolumem custodias, quàm amicitia dirempta, omnium bonorum, & beatitudinum splendore circumfluas. Nec desolatos in ærumnis relinquit Iesus sequaces suos. Propugnator est in prælio, victoriæ lauro decertantes coronat, potentiæ impenetrabili clypeo protegit, & circumdat benedictionibus replet pro maledictis, obnubilatum decus liuore hostili, de obducta maleuolentiæ caligine, cogit emergere nitidius, & sicut lux auroræ solisque iubar rutilare, disponit. Iesu duce tumulati sunt aduersantes reges in spelæo vere tenebrarum, ignobili interitu pereuntes. Gabaonitæ proclamati sunt victores: *Sic ergo Iesus cum ducibus, & principibus adest his, qui pro nomine suo à contrariis virtutibus oppugnantur.*

In stipendiario censu dimidij sicli, quem Israëlitæ pensitabant, obseruantia decalogi, & fides Iesu notabatur.
Exod.
V. Beda.

3. Mira sunt, quæ recenset textus sacer de tributaria filiorum Israël functione, cum describebantur, & annumerabantur ad pensi solutionem, pro redemptione animæ. Exodi capite 30. versu 13. *Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli, iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet.* In descriptione catalogi, & stipendiaria pensitatione dimidij sicli, seu denarij, ait Venerabilis Beda huius mysterij accuratus perscrutator, denotari: *Obseruantiam decalogi, & fidem Iesu Christi.* Quod vero nomina describerentur in tabulis, vt exigerentur tributa, quod sacra pagina *Transire ad nomen* nuncupat, idem Beda argutè expendit: *Nomen quoque Iesu apud Hebræos, & Græcos à Iotha incipit, quod vtrumque nota est denarij numeri, decem obolos in pretium animæ offerunt, qui in Iesum credentes, signum nominis eius, quod à denario numero incipit, in fronte, & professione preferunt.* Iuxta Bedæ Venerabilis Theoriam, in denario numero obolorum, qui pensitatur ab Israëlitis, (qui apud Hebræos, & Græcos à Iotha orditur, quæ est primus character nominis Iesu) mysterium latet Christianæ professionis, vt qui sub Iesu describuntur ad numerum, signum nominis eius in fronte, & professione circumferant; illa tamen lex à Domino præscripta, & obseruanda conditio in numero nuncupatorum, non est prætermittenda. Extat Sanctio eodem capite 30. Exodi vers. 12. *Quando tuleris summam filiorum Israël iuxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino. Et non erit plaga in eis cum fuerint recensiti.* Omnes validi, & corporis incolumitate fruentes recensentur ad numerum: graui afflictus morbo, aut plaga affectus à numero, & catalogo exploditur, nec in descriptione redimendorum asciscitur. Postquam verò redemptor factus est vir dolorum, in plaga positus, omnium ærumnas, & dolores perferens; sub Iesu amicitia redimendus nullus adscribitur, nisi qui fuerit induratus laboribus, maceratus ærumnis; nec ipse Dominus transiuit ad Iesu nomen, nisi viam parans per maledicta, & contumelias, vt præberet exemplar, illos describendos in codice Iesu, eorum nomina exaranda in libro vitæ, qui persecutionem patiuntur. Si sub Iesu militas, non iam in vmbra & typo sicut Israëlitæ, sed in lumine veritatis, non nummus exigitur, aut census, numisma Cæsaris aureum in quo sit superscriptio, aut regis imago terreni; sed stemmata contumeliarum, stigmata passionum, & omnium aduersitatum sculpta imago, quas deuorare in promptu sit, ad nomen Domini Iesu transituris.

In Iesum credentes, signum nominis eius in fronte, & professione proferunt.

Exod.
In iis qui fuerant ad pensum recensiti nulla erat plaga.

Transeuntibus ad Iesu nomen, via paratur per contumelias, & maledicta.

Magdalena oneratur opprobriis de pharisaico ore prolatis, cum ad Iesum transit.

4. Magdalena, cum derelictis, & repudiatis amasiis, ad amplexum, & osculum Domini conuolauit, vt adscriberetur IESV militiæ, cuius vexillum est amor, & prima primariáque in catalogo pœnitentium fœminarum recenseretur; statim à sæculari malitia irridetur, pharisaico fastu exprobatur, quamplurima subiens honoris dispendia; cum sese abiicit ad pedes Imperatoris, qui de recidiua improbitate, & indurata peccandi licentia triumphauerat, sub syrmatis pauimento sternens præclaras, & decoras manubias de petulca, & illecebrosa cupidine extortas; verborum tela præsensit aculeata; conuicia ex maledico Pharisæi ore prolata, in ipsam congeruntur. Lucæ cap. 7. vers. 39. *Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Hæc secum tacitus voluebat in animo. In iis verbis: *Quæ, & qualis* omnia perfrictæ frontis, & procacis fœminæ probra coaceruat, vrbis perniciem, iuuentis pestem, omnium illecebrarum, irritamentorum, & criminum profluuium nuncupat, quæ fœditate verborum, obscœnitate libidinis, luxuriæ contagio ciuitatem turpificauerat. Insana, & improuida crisi Pharisæus Magistrum, & pietatis alumnam insimulat. Hunc vt imprudentiæ, & inscitiæ nota, quasi de attactu fœminæ impudicæ fœdaretur; illam effusæ turpitudinis labe aspergit. Vix apud se statuit MARIA nomen suum IESV dare, & omnes contradere voluntatis affectus, & in ipsam peccatricem probrorum, & contumeliarum immanes fluctus exundant. Pellexerat amasios, conciliauerat affectus animorum oculis pulchre renidentibus, egregia specie, liberali forma, lenocinanti alloquio, blande sese insinuanti suadela; vt IESVM acquirat, illius familiaritatem comparet, non sat est genas rigare lacrymarum fluentis, pedibus infigere suauia, stringere charitatis lacertis, & irrigua sacri fluenti soluto capillitio abstergere, nisi IESVM dilectum maledictis, & conuiciis mercetur. Sed quid est quod Pharisæus habens IESVM socium conuiuij, consortem contubernij, non vexatur aduersis, contradicta non subit, fama illius, non læditur? Vt occurram quæsito, verba Hugonis Cardinalis scribo: *Pharisæus, qui vocauerat eum, sed non inuocauerat, quod melius esset; quia omnis quicumque inuocauerit nomē Domini saluus erit.* Vocauit Iesum Pharisæus, sed non inuocauit; introduxit in conclaui conuiuij, sed non aperuit Saluatori cordis penetralia, vt eius recumberet in mente: allexit ad triclinium, vt hospitantis intueretur fastum, & delicias, pauimenta depicta floribus, conuiuantis subministrata fercula, in phialis propinata vina, & vnguenta peregrinos spargentia naribus odores: at Maria non vocauit Dominum ad conuiuium, nec à symposiaste inuitata, sed à Domino suauiter attracta Iesum inuocabat toto mentis affectu, vt dissolutis

S. Luc.

Pharisæus habens Iesū commensalē, non vexatur aduersis, quia Iesū vocauerat, non inuocauerat ad salutem.
Hug. Card.

dissolutis criminum nexibus, & à vitiis reuocata, non rediret ad laqueos, abrenuntiationem vitæ criminosæ, & renouantis se fœminæ, & exomologesim operantis, vota susciperet. Non poculum de riuulo, sed fluentum gratiæ requirebat: non cibum, qui perit, sed alimentum vitæ; ingreditur alumna sapientiæ, & docibilis Dei in lyceum sacræ disciplinæ, vt illius documentis erudita, ordiatur vitam incontaminatam Angelicæ puritatis æmulam; deprecabatur in delubro pietatis, & ara clementiæ Domino, vt coruum iam in columbam migrantem, alarum velamento obtegeret, & sub vmbra sui culminis custodiret: Nec mirum si aduersus sectatricem IESV maleuolentiæ spicula obiurgatoria exacuat Pharisæus, mores traducat vitæ criminosæ, & rememoratis Mariæ anteactis criminibus, & tantis sordium vaporibus excitatis, pœnitentis Magdalenæ facinus obnubilare nitatur. Sola MARIA, quæ IESV amicitiam ambit, & ipsum quærit ad veniam, improbi, & pharisaici pectoris subit maledictum. Sed Iesus Mariæ, non pharisæi suscipit patrocinium, quia vt pulchre annotat Origenes homil. 8. in Iosue: *Iesus enim est cum iis, qui insectationes patiuntur, magis quàm cum illis qui persequuntur.*

Sola Maria quæ Iesu amicitiam ambit, & ipsum quærit ad veniã subit maledictum.
Orig.

5. Vt Iesus cæci aperiret lumina, totas repleuit luto oculorum lacunas, ipsumque puluerem sputo permixtum concinnauit, & animauit ad visum, vt de terrænæ fæcis substantia emergerent splendidi circuli, & crystallini pupillarum globi; aperuit oculos, prospectauit solis lumen, creatorem solis, & opificem oculorum fide agnouit, & veneratus est, pro ipsius decore aduersus calumnias pharisæorum acerrimus propugnator factus. Ioan. cap. 9. cum repetitis, & molestis interrogatiunculis inculcarent miraculum criminosi insimulatores, aculeis verborum eos pungit acriter cæcus iam conualescens, & restitutus huius lucis vsuræ. ibid. vers. 27. *Quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: dixi vobis iam, & audistis; quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?* Cernis quod Iesus cæco non solum lumen, sed vbertatem dictionis infudit; redditus est in sermone festiuus: facetiis, & argutis iocationibus, lepide eos carpit: *Nunquid & vos*: eos adducere satagit ad scholam Christi. Hugo Cardinalis ait: *Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri, sicut & ego volo discipulus eius fieri? per hoc enim quod dicit & vos, seipsum in discipulorum cætu ordinat.* Vix domum sapientiæ intrat, & in Iesu disciplinam cæcus traditur, & scribarum, pharisæorumque subiit inuidiam, execrationes sustinet, dirisque deuouetur. Christi Iesu lateri adhærebat affectu, & malarum deprecationum agmine cingitur, inuidentiæ spiculis veneno illitis impetitur, & tota à primordio vita moresque canino dente carpuntur: *Maledixerunt ergo ei.* Argutè, & lepide Augustinus apud Glossam: *Maledictio hæc super nos veniat, & super filios nostros.* Postea sancti cæci perseuerantiæ in Iesu discipulatu, & palæstra, noua accumulantur conuicia: *In peccatis natus es totus, & eiecerunt eum foras.* Sapienter Chrysostomus tom. 6. hom. de cæco, scribit: *Non solum conuitiati sunt, sed & persecuti sunt turpiter expellentes, quanta audiuit, quanta passus est, & per verba, & opera.* Quæ omnia in defensionem nominis Iesu cæcus perpessus est. Post incolumitatem aduersum interrogata iterato sermone intrepidus respondebat: *Ille homo, qui dicitur Iesus lutum fecit, & vnxit oculos meos.* In ipso Iesu nomine de salute gloriatur, & exultat pro nomine Iesu saluantis, redimentis, cæcitatem repellentis, oculos illuminantis, contumeliam pati: sectator Iesu insectatur maledictis.

S. Ioan.

Cæcus in discipulorum Iesu cætu constitutus, Pharisæorum subit inuidiam, & maledicentiam.

Hug Card.

D. August. Glossa
Maledictio orta propter Iesum, super nos veniat.
S. Chrys.
Cæcus Pharisæorum cõuitia, & persecutiones quantas sustinuit?

Gloriatur in Iesu de salute adepta, & aduersitate tolerata.

6. Perscrutatur magna ingenij, & acuminis solertia Origenes vbi primum in sacra pagina facta fuerit nominis Iesu nuncupatio, & illius agnitionis exordium? percurrit à genesi mundi catalogum Heroum, & virorum fortium, quos non minus bellica gloria, quàm decus virtutis commendat; & reductis ad calculum omnibus ab Adam ad Moysen, nullum comperit nominis Iesu ornatum insignibus. Sic enim Origenes orsus est librum Iosue, & homiliam primam: *Est autem nomen quod est super omne nomen Iesus: idcirco in multis generationibus, à nullo cognominatum est. Neque Abel Iesus dictus est; neque ille, qui cœpit inuocare nomen Domini Dei. Neque ille, qui placuit Deo, & translatus est. Neque ille, qui in generatione sua solus iustus inuentus est apud Deum, Noë: sed neque ipse quidem, qui repromissiones acceperat testamenti Abraham: nec ille, qui ex eo natus est Isaac: sed nec supplantator Iacob, nec quisquam ex filiis eius. Moyses fidelis erat in omni domo eius, & nondum tamen vocatus est Iesus.* Nec Adamus de pœnitentis habitu, aut spe promissi redemptoris, nec Abel de primitiua martyrij victima cruentam Iesu hostiam adumbrante; nec Enos inuocationis nominis Domini clarus decore; nec Enoch Deo placens ad superos translatus; nec iustus generatione sua resuscitans mundum aquis diluuij immersum, cuius sacrificij odore iocundo recreatus est Dominus; nec Abraham fidei parens, nec eius semen Isaac, cui facta est Iesu promissio, nec Moyses Pharaonis Deus à Domino constitutus, & Redemptor populi sub iugo Pharaonis tyrannico agonizantis, nuncupatur Iesus. Vbi ergo (disquirit Origenes) huius decantatissimi, & suauissimi nominis melos auscultari cœpit? Et post diuturnum, & profundum silentium Scripturæ Sacræ prima vox nominis Iesu cœlicolis, & terrigenis gratissima resultauit? Et respondet: *Sed Iesu nomen primo inuenio in Exodo, & volo intueri quando primo nomen Iesu cognominatur. Venit* inquit (Exodi cap. 17.) *Amalec, & expugnabat Israël, & dixit Moyses ad Iesum in Raphidim. Hæc est prima appellatio nominis Iesu.* Sequitur Adamantius versionem Septuaginta Seniorum hoc in loco, nam vbi Vulgatus habet Exodi capite 17. versu 8. *Venit autem Amalec, & pugnabat contra Israël in Raphidim. Dixitque Moyses ad Iosue.* Legunt Septuaginta interpretes: *Dixit autem Moyses ad Iesum.* Vbi aduersa, & ingruunt, & acies parat, & educit Amalec, vt Dei populum expugnet, & excindat, dux eligitur à Domino, & Moyse, eique nomenclatio à nemine priscorum patrum vsurpata, defertur Iesu; vbi enim Dei populus prouocatur ad pugnã, aduersis obsidetur manibus, laboribus, & ærumnis lacessitur, Iesus adest, cuius nomen tanquam vexillum extollitur, & tutelaris imago, ex cuius prospectu, & studiosa deprecatione,

Vbi primum in sacra pagina facta est inuocatio nominis Iesu?

Orig.
Nullus sanctorum ab Abel vsque ad Moysen vocatus est Iesus.

Orig.

Cũ Amalec expugnabat Israël, nomen Iesu, primisimo auditur, illoque appellatur Iosue.

Orige.
Lect. LXI.

deprecatione, aduersantium ictus non pertimescat, sed viam paret securam incolumitati, & victoriæ. Itaque prima appellatio nominis IESV faustum auspicium sumit à laboribus, & præliis, inter calamitatum tenebras subito erumpit nominis IESV fulgor, cùm peregrinatores suos cernit in tantis periculis constitutos Dominus, pene continere non valuit misericordiæ suæ viscera, quin annuntiationem IESV gloriosam promulgaret, & melle dulciorem nomenclationem effunderet: nec laboriosa certamina sine IESV parantur, ab agone, & conflictu IESVS abest, tanquam propugnator adstat amicis, præliaribus copiis dux, & antesignanus. Vbi prima auditur appellatio nominis IESV exercitum expugnantem, & aduersantem cernis.

Inter calamitatum tenebras primo erumpit Iesu nomen, & virtus ad auxilium præliatorum.

7. Mergitur in maris profundo tempestate iactatus, Ionas, & degutitur ore piscis immanis. De ventre cœti inter alias deprecationes, & lamenta auditur hic singularis clamor: *Omnes gurgites tui, & fluctus super me transierunt.* Ionæ cap. 2. vers. 4. non sat esset fugitiuo Vati tempestate iactari, molesque fluctuum, & cumulos vndarum super caput suum allisos, & irruentes experiri; cur omnia flumina, omnes gurgites, & tumentis maris aquatiles congregationes, & vortices procellosi in ipsum præcipites delabuntur? In Ionæ naufragantis vmbra Saluatorem æquora recognoscunt, qui tentatus est per omnia, & vniuersum genus ærumnæ, & aduersitatis expertus, vbi enim IESVS adest omnium acerbitas congregatur fluctuum, vniuersæ aduersitatis turbines conflantur. Pulchrè sanctus Hieronymus ait: *Quærimus autem quomodo omnes eleuationes, & gurgites, & fluctus Dei super Saluatorem transierint.* Et respondet in persona IESV: *Vniuersa ergo persecutiones, & turbines, quibus genus vexatur humanum, super meum detonuere caput. ego sustinui tempestates, & fregi turbines sæuientes, vt cæteri securius nauigarent.* Postea solerter disquirit cur propheta nuncupet fluctus, & gurgites Dei, asseratque non permansisse, sed transisse, & ad commendationem, & ornatum propositi thematis hæc subscribit: *Et quoniam omnes persecutiones, & vniuersa quæ accidunt, absque Dei non ingruunt voluntate: idcirco Dei gurgites dicuntur, & fluctus, qui non oppresserunt Iesum: sed transierunt per eum, minantes tantum naufragium, non inferentes.* inquit Hieronymus. Si ergo tumentes fluctus aduersantis sæculi velut agmine facto, & persecutionum nimbi impetum fecerunt in IESVM, & super illius magno fragore detonuere caput non mirum si commilitones, & contubernales illius adhærentes lateri, salsi maris acerbitatem in pressuris sentiant, & tolerantia passionum, & de vndarum IESV resultantia, tribulationum perfundantur aspergine. Hæ tamen vndæ non opprimunt, sed eleuant tempestate iactatum. Vnde LXX. *Omnes gurgites* vertunt *eleuationes.* Furentes, spumantes minantur naufragium, sed non inferunt. nam vt sapienter Chrysostomus tom. 5. orat. de expulsione ipsius, scribit: *Multi quidem fluctus, & vndæ immanes, sed summergi non vereor, quia super petram sto. insaniat licet mare, petram non potest commouere: insurgant quantumlibet fluctus, nauis Iesu obrui non potest.* Hæc ille.

Ionas in mari naufragus figura Iesu fluctibus passionum immersi.
Ion.

D. Hieron.
Quomodo omnes eleuationes maris, & fluctus super Saluatorē transierint.
Iesus omnes persecutiones quibus genus vexatur humanum, sustinuit, & fregit.
S. Hier.
Gurgites Dei vocātur quia aduersa per Dei voluntatē veniūt.
Dei fluctus & aduersa non oppresserunt Iesum, sed transierunt minantes non naufragium inferentes.

D. Chrys.
Licet sæuiāt aduersitatū vndæ, nauis Iesu obrui non potest.




Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.

Et super omnem locum vbi inuocatus est.

Origenes: *Et pietas nominetur Iesus.*

DISCVRSVS IV.

Qui pro amore Iesu patitur cœli dapibus, & deliciis pascitur.

1. MNIS ærumna, & tentationis asperitas de recordatione IESV accipit blandimentum, omnis fellea amaritudo de inuocati IESV iucunditate dulcescit. Hoc gratissimum mellilegium expertum est caput nostrum circumdatum salsi maris fluentibus, & amaritudinibus passionum, quas Ionas in seipso adumbrauerat, & cum de ceti voragine hæc verba tristis cantilenæ immurmurat Ionæ cap. 2. vers. 4. *Et proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me.* De IESV Seruatore nostro verba accipit sanctus Hieronymus dicens: *In corde maris, id est, in mediis tentationibus esse se memorat, & tamen cum inter amaras aquas fuerit, & tentatus sit iuxta omnia absque peccato: non sensit amaras aquas, sed flumine circumdatus est, de quo, & in alio loco legimus: fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, aliis bibentibus salsos fluctus, ego in mediis tentationibus dulcissima fluenta sorbebam.* Mirum est pelagi profundioris gurgitibus flumine circumdatum IESVM; etenim decumani fluctus passionum in ipsum irruentes, & detonantes, flumen diuinæ dulcedinis, & torrentem cœlestis voluptatis admiserant, qua inebriaretur Iesus, in ipsa dolorum acerbitate, & mœrore mortis, dulcissima de Deitatis fonte deriuata fluenta bibebat. Gratissimum illi erat pro homine dilecto pati, amorque salsedinem, & acorem tribulationum reddebat placidissimum, velut cœlitum nectare temperatum, vt de Domini beata experientia socij passionum Domini Iesu dulcissimum succum ebibant delectationis in aduersis constituti, & argumento indubitato comperiant, quod omnis amaricans potus aduersitatis, dulcescit ex Iesu, qui in ea simul propinat de calice suis labiis prælibato, & melle illito, supernæ dulcedinis abundans poculum. Do tibi vnum præ amoris Iesu dulcedine ebrium in ipsis laboribus Paulum, sicut ipse testatur epist. 2. ad Corinth. cap. 1. vers. 5. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Quantum autem fuerit in aduersis solatium, in passionibus cœleste refrigerium blandumque consolationis lenimentum, verbum: *Abundat* exprimit, vt annotat Theophyl. legens: *Sic, & per Christum exuberat consolatio nostra.* Additque: *Nec dicit quod consolatio afflictiones æquiparet, verum exuberat*

Ion.

S. Hier.
Inter amaras aquas Iesus tentatus per omnia, nō bibebat amaritudinē solam, sed dulcissimo fluento temperatam.

S. Paul.
Consolatio diuina non solum æqualis, sed superabundans passionibus.

Theoph.

& longe maior est ipsis afflictionibus: Tentamenti, & afflictionis molestiam supra modum exuperat recreatio consolationis, nec æquabili modo æquiparat pondus mœroris & leuamentum consolationis, sed cumulatiori mensura plenissima, & superaffluenti solatium compensat. Probat hoc sanctus Chrysostomus in Apostolo Paulo homilia 2. in cap. 1. Corinth. *Paulus cum videret quasi niuis cumulos tentationes quotidie ingruentes, non aliter quasi in medio paradiso vixisset, ita gaudebat, gestiebatque.* Idem confirmat in fidei testibus: *Si martyrem adhuc seminiuum leuiterque spirantem, à ligno seu sartagine deponas, reperies in illo tantum adhuc gaudij, quantum oratione consequi nemo possit.* Quæ autem sit huius exuberantis gaudij scaturigo, subiungit expendens verbum illud: *Passiones Christi.* Et ita fatur: *Per hoc quod Christi meminit, dicens huius esse afflictiones: quid enim, inquit dulcius quàm me Christi afflictionum fieri participem, atque hæc illius gratia perpeti.* Et concludit: *Ne doleas cum affligeris, cogitans quicum habeas societatem.* Superabundabat gaudio supercœlesti delibutus Paulus, & quodammodo exiliebat lymphatusque reddebatur, multa mala, & opprobria perpessus, quia ea tolerabat propter IESVM, quia cum ipso IESV inita societate, & commercio patiendi mirabili, non iam solus sustinebat aduersa, sed in ipsa sustinentia erat IESV socius. *Cogitans quicum habeas societatem.* Sicut viri opulentiores fœderari ad quæstum, & lucrorum commercia solent, & terrenæ mercaturæ inire societatem æqualiter subeuntes lucri compendia, aut dispendia diuitiarum: ita aduersitas & passio, cœlestis est, & quæstuosa mercatura, in qua cum ipso IESV societatem conflamus, in quo nequit esse iacturæ periculum, si fœdus non dirimitur. Quid beatius quam ipsum rerum omnium Dominum opulentissimum, fraudis nescium, adiungere sibi socium ad cœlestia compendia, qui omnes sumptus impendit ad lucra, auxiliares copias suppeditans, exigens à nobis liberæ voluntatis industriam, nec quidquam sibi lucri tanquam auarus vsurpat, sed omnia commoda, & emolumenta clementer homini largitur. Arguté sanctus Augustinus ad ea verba Psalmi 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* De mortis, & patientiæ commercio inter IESVM, & Martyrem inito, scribit: *Emit eam sanguine suo, quem prior fudit pro salute seruorum, ne pro Domini nomine serui fundere dubitarent, quod tamen eorum, non Domini vtilitati proficeret.* Hæc Augustinus. Omne adiutorium in passionibus præstat martyribus, omnem quoque eis vtilitatis prouentum defert. Stipendium quoque vberioris gaudij, & felicioris oblectamenti tribulatio, & aduersitas ipsi tribulato pensitant, inenarrabilis lætitiæ beatorum æmuli: *Non aliter quasi in medio paradiso vixisset, ita gaudebat, gestiebatque.* Quid mirum si fontem iucunditatis æternæ IESVM habet sodalem sustinentiæ fœdere sibi cohærentem.

S. Chrysost. *Paulus inter ingruentes instar niuis, cumulos tentationes quasi in medio paradiso viuebat, & gaudebat. Martyr inter ignes, & cruces gaudio delibutus ineffabili.*

D.Chrys. *Nil dulcius & amabilius, quam passionum Christi esse participem, & ipsius socium.*

Passio, & aduersitas, cœlestis est mercatura, in qua societatem inimus ad lucrum cum Christo.

D.August. *Inter Iesum, & patientem mirabile commercium, ad vtilitatẽ seruorũ proficiens.*

2. Non minus iucundum, quàm mirabile postulatum inuenio in illo sponsæ sacræ Amebæo carmine Canticorum caput 2. versu 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Crebro laborabat sponsa deliquiis animi, quibus arcendis, aptum fulcimentum malorum petit adhiberi, ne corruat. Sed implicatoria verba, & non bene sibi cohærentia amore ebria, & penitus linquens animo, videntur ex ore suo effluxisse. Eloquiorum dissonantia procedit ex Origene, qui secutus lectionem. Septuaginta interpretum, verba transtulit homilia 3. in Canticorum: *In Græco quidem habetur confirmate me in myrrhis. Myrrhin genus quoddam arboris nominans quod Latini putantes myrrha dictum, vnguenta interpretati sunt.* De arbore, ramis, succoque myrrhæ hæc habet historia plantarum libro 18. folio 1757. *Surculi cortice duro nigricante, spinis multis rigidis, & crassiusculis horrentes, in quibus multa copia bdelij comperta intus forisque valde amari.* Alteram verò translationem sectatur quoque ipse Origenes dicens: *Cubiculum regis ingressa est, & domum vini, locumque conuiuij ac sapientiæ, & in eo victimas, & craterem mixtum sacramentis eius aspexit, quasi in horum omnium admiratione stupens, & saucia postulat ab ipsis nihilominus amicis, & sodalibus sponsi, vt confirmetur, & quasi deficiens sustentetur incumbens paululum super arborem μύρρην, vel meliam.* Et de arbore melia subiungit: *Melia vero arbor, notum cunctis est quod non solum ferat fructum, sed & dulcissimum, & suauissimum ferat.* Et postea addit: *Sponsa velut refecta iam, & bene pasta fulciri in meliis se poscit, sciens in verbo esse sibi non solum omnem cibum, sed & omnes delicias.* Forsan hæc arbor deliciosa illa est, quàm Hispani vulgo vocant *Melapias*, poma iucundi odoris suauissimique saporis proferens; nunc ergo clarius liquent discrepantia verba, dissidentia postulata sacræ sponsæ. Nunc meliæ, nunc myrrhæ fulcra postulat, si quærit aspera, & dura; cur mollia, & suauia perquirit? Cerne virgas myrrheas, & melias, quibus exoptat fulciri; myrrheus surculus crusta dura, nigricante, aculeis obsita, crassiusculis sentibus, velut exacuminatis clauorum cuspidibus inhorrescens; eius fructus insuauis, peracerbus. Melia verò pulchrum & gracilem scipionem suggerit nullis obsitum spinis, aut nodis austerum, cuius fructus suauis, iucundus, aspectu delectabilis, tactu mollis, odore gratissimus. Quæ ergo hæc variabilis sponsæ cupiditas, modo aspera, dura, laboriosa; modo blanda, mollia exoptantis; nunc suaue melium, nunc myrrheum, & felleum fulcimentum suspirantis? Percalluit mentem, tenuit vota sponsæ Origenes cum scribit: *Quid est quod in myrrhis confirmari vult? Hic ergo sponsa confirmari se postulat, & reclinari super vnam arborem meliam.* Et statim: *Qui inuocant nomen Domini IESV Christi in omni loco ipsorum, & nostro. pro eo ergo quod inuocant nomen Domini nostri IESV Christi habent in semetipsis odoris quamdam ex ipsa inuocatione nominis suauitatem.* Egressa est ex Sacramentorum cœlestium cellario Christi amasia innutrita sacris epulis Eucharistici conuiuij, vulnerata charitatis iaculo, & ebria illius potu; pauerat oculos mētis scena sacra mortis, & schemate perpulchro sponsi patientis, inflammata cupidine aduersa tolerandi, & æmulandi sponsum in

Cant. *Sponsa linquens animo, videtur verba proferre implicatoria.*

Lect. Lxx. Orige

Genus arboris myrrhin, seu myrrha. Hist. Plant. *Myrrhæ surculi spinis inhorrentes bdeliũ proferunt valde amarum.*

Orig. *Sponsa craterem mixtum Sacramentis aspiciens, amore ebria, fulciri postulat super arborem myrrha vel melia.*

Melia arbor pomella fert dulcissima quæ Hispani vocant Melapias.

Sponsa fulciri optat in meliis in quibus sunt omnes deliciæ.

Spōsa si quærit aspera, & senticosa myrrha amaricantis in fulcra, cur mollia, & suauia melia perquirit?

Orig.

Sponsa Sacramentis cœlestibus saturata, cruciatus omnes habet pro deliciis Iesu inuocatione prouenientibus.

in plaga positi, cruciatus omnes habet pro deliciis, ferratos nexus pro monilibus, vnguium dilacerationes, & clauorum puncturas pro oblectamentis, spinas pro floribus, acerbitatem dolorum, & felleam amaritudinem passionum, pro mellita dulcedine. Non est mihi, inquit, ô sodales: myrrheum fulcrum asperum, & insuaue, cuius pungentes stimuli vulnerant, sed leue meliæ virgultum floridum, amœnumque, cuius fructus exemplo omnis amaritudo dulcescit: nec mirum inuocabat enim in pressuris, in laboribus nomen Domini Iesv, quod in mœroribus, ærumnis, & plagis infundit animæ placidissimum blandimentum, quod blanda quadam, & cœlesti voluptate corda demulcet. Ritè inquiebat Origenes: *Pro eo ergo quod inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, habent in semetipsis odoris quamdam ex ipsa inuocatione nominis suauitatem.* Etenim Iesvs athletas suos vngit oleo delinifico, & iucundo, & delibutos reddit vnguento suauitatis, in ipsaque asperitate dolorum & vulnerum Iesvs cœli delicium, & voluptas, sensus nostros, & potentias incredibili, & ineffabili suauitatis solatio confouet.

Orig.

3. Dabo tibi duos testes fidei mirificos huius olei lætitia perfusos, in ipsa tortura, in ipso horrore vulnerum, & dilaceratione membrorum. Primus sit militari toga inclytus Sebastianus, qui militiæ Christi adscriptus, gloriabatur pro nomine Iesu pati vulnera, & contumelias, de quo Sanctus Vincentius Ferrerius in sermone eiusdem Martyris ait: *Tunc Imperator præcepit ipsum sagittari, promittens sibi remissionem, si vellet Christum abnegare. In quolibet ictu dicebat Iesus.* Et statim de medicamine subiungit: *Dicatur de magno eius dolore in extrahendo sagittas à mulieribus, & ponebant vnguentum in vulneribus in nomine Christi, & curatus fuit.* Miles Christi, & inexpugnabilis quidam fidei murus impetitur sagittis, & figitur; sed pectus sagittatur ad amorem validiori charitatis manu, vt per vulnerum hiatus vocalissima in cœlum iacularetur cordis amantis suspiria; roseis, & puniceis oribus, quæ aperuerant iacula, profiteretur fidem Christi, contorqueret, & confunderet tyrannum impudentem, & petulantem ignominioso verecundiæ rubore suffunderet; ligatur ad palum ponitur tanquam signum ad sagittas, & repetitis missilibus quatitur, & traiicitur, vt denuò renatus pennis aliger ad cœlestia conuolet; sed nulla angitur anxietate virtutis athleta, quin potius immensa tranquillitate perfruitur, cum inuocationem nominis Iesv pro omni dolorum, & plagarum lenimento nanciscitur: *In quolibet ictu dicebat Iesus.* Iesv nomen extitit Sebastiano vnguentum sanitatis, solatium doloris, lenimentum infirmitatis, fons gaudij, quod in agone mortis omnem fletum absterfit, lætitiam cumulauit. Præterea in sacra illa viragine Catharina, & sapientiæ diua Pallade, blandimentum amoris Iesv omnem conflictum, & cruciatum suauiter permulcet, de qua idem eximius declamator sanctus Vincentius scribit in sermone de sancta Catharina: *Nuda fuit posita in eculeo, & cum scorpionibus percussa, riui sanguinis decurrebant, & ipsa respondit per patientiam dicendo: Iesus, Iesus. Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Postea cum percussuris, & tumentibus plagis saucia in tetro carcere truderetur, vt fame enecta periret, Iesvs ei affuit, qui est saturitas rerum, virginemque abstemiam cibi, & potus, ministerio cœlitum supernis dapibus pauit. Subiungit Vincentius: *Et venerunt Angeli, & illuminauerunt carcerem, & in nomine Iesu curauerunt vulnera, & plagas.* Inter purpureos latices, qui de repetitis plagis virginalis corporis decurrebant, non querula vox auditur, quam tortoris sæuitia extorqueret, sed dulcis cantilena nominis Iesv de ore Catharinæ resultat, quod inexpugnabilem fidem Virginis signans, in ipsa pugnauit, & vicit; nec in glorioso agone deiicere poterat terrena pœna, quam tutela Iesv diuina firmabat, ex qua dolor gaudio inenarrabili mixtus, & acerbitas passionis gloria temperata proueniebat; passio exasperans; & cruciatus vehementior ex Iesv memoria, & inuocatione dulcescit.

S.Vinc. Fer. *Inclytus Martyr Sebastianus, in quolibet sagittæ ictu dicebat Iesum.* *In nomine Iesu curatus.*

In Sebastiano, Iesu nomine inuocato, passiones & vulnera dulcescunt.

S Vinc. Fer. *Catharina aculeis, & scorpionibus percussa, Iesu nomine inuocato, cœlestis beatitudinis gaudia prælibabat.*

S Vinc. Fer. *Angeli per inuocationẽ nominis Iesu curauerunt Catharinæ vulnera, & plagas.*

4. Sæculi amaritudines hoc lenimine temperatas, hoc saccharo, & melle nominis Iesv conditas deuorabat Deipara, cuius suauitatem experta in intimis pectoris penetralibus hoc men reposuit. De qua sic fatur Guarricus Abbas sermone 2. de Annunciatione: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Iesus quippe impressus in corde, expressus in opere: sigillum plane, & munimentum est inuiolabile castitatis sponsæ suæ, & eo ipso quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam.* Ex cuius priori sententia dubitare quis possit an Dei Mater ipsius Iesv nomen impressum in corde haberet: *Iesus quippe impressus in corde.* Illud tamen compertum ex epist. 1. sancti Ignatij Martyris ad sanctum Ioannem Euangelistam Deiparam nuncupari *Mariam Iesu.* Optata sua proponit Ignatius videndi fideles: *Præcipuè Mariam Iesu, quam dicunt vniuersi admirandam, & cunctis desiderabilem.* Idem cognomen repetit Ignatius epist. 1. bis, & ter. In aduersis, & ærumnis solamen infundebatur Mariæ de Iesv nomine; quos autem sustinuerit labores scribit: sanctus Ignatius Martyr epist. 1. *In persecutionibus, & afflictionibus est hilaris, in penuriis, & indigentiis non querula. Iniuriantibus grata, & molesta re lætatur.* De Deipara ait Lorinus in Psalmum 9. vers. 16. *Maria frequenter vsurpabat, exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quid ipsa faceret in rebus turbidis docet sanctum Ignatium Martyrem in epistola eiusdem Beatæ Virginis ad ipsum missa, cuius verba gratissima sunt: *Sta, & in fide viriliter age, nec te commoueat persecutionis austeritas, sed valeat, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.* Hæc Maria sanctissima. Cumulatiori perfectione obseruauit parentis eius Dauid documentum, qui semper in tribulatione positus clamabat. Psalm. 9. versu 16. *Exultabo in salutari tuo.* cuius sententiæ arcanum aperit mirabili sapientia Venerabilis Beda scribens: *Semper exultabo ego, & mei, id est perfecte gaudebo intus, & exterius quantumcumque tribuler, & affligar. Et hoc non in mea præsumptione, sicut fecit Adam, sed in salutari tuo.* Hebraicè est: *Exultabo in IESV tuo.* Solida autem exultatio in Iesv qui dat vera cordis gaudia. Eleganter sanctus

Deipara, sæculi amaritudines suauissimo Iesu nomine condita apparebant dulcissima.

Guarr.

Iesus sigillũ in corde, & munimentũ inuiolabile castitatis.

S.Ignat. *Deipara vocabatur Maria Iesu.*

S.Ignat.

Maria frequẽter exultabat in Iesu.

Maria excitabat ad sustinentiam passionum virtute nominis Iesu, aliãnos suos.

Psal.

V. Beda. *Maria quãtumcumque tribularetur, exultabat interius, & exterius in suo Iesu.*

sanctus Augustinus serm. 2. de Assumpt. Mariæ, ait: *In sancto cantico cum diceret Virgo gloriosa: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus, signanter addidit in Deo salutari meo. Ac si diceret: anima mea, quæ magnificat Dominum, non in quolibet alio, sed in illo tantum exultat, quem amando magnificat.* Et postea subiungit: *Quod enim Hebraice Iesu, hoc Latinè salutaris dicitur.* Nec minus pie sanctus Bernardinus profert exultationem, & gaudium Mariæ in IESV, tom. 3. serm. 9. de septem verbis Beatæ Virginis. art. 2. cap. 1. *Exultauit spiritus meus extra omnem creaturam, & extra semetipsum, & iam præ immensitate gaudij saltauit in Deo salutari meo, id est, in Iesu, licet omnium, tamen singulariter meo.* Exultabat Maria in IESV suo, quem propriis genuerat visceribus; omniaque decora, & magnalia, quibus exaltauit Dominus humilitatem suam, à IESV nomine, & potestate accepta referebat; cuius mirabili virtute munita, & protecta, aspectabiles, & inaspectabiles, hostes detriumphauerat; nec solum gloriabatur in prosperis, sed immenso gaudio delibuta de Iesu sapore mirifico, gestiebat in aduersis, quidni Mater gloriaretur in filio, cuius nomen suaue splendores gloriæ, & gaudij fluenta effundit in Angelos, & rationales spiritus in cœli mansionibus beat? Nec constringebantur in Matre fluenta gaudiorum IESV, sed torrente voluptatis Deificæ submersa, in huius sæculi ærumnis superabundabat gaudio, & saltabat cor Mariæ in Iesu, & ad repetitos dolorum, & acerbitatum ictus, & sonos, choreas ducebat virtutum suarum conuentu, & satellitio stipatum; libabat cœlicolis gratissimam cantilenam. Ideò in eodem cantico tympanistria nostra subiungit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Cur addit *sanctum*? Respondent Venerabilis Beda apud Glossam: *In Græco Agion* (Latine sanctum,) *quod sonat extra terram, quia nominis eius consecrati, non in terra conuersationem, sed in cœlis debent habere.* Qui IESV nomini consecrantur, nullis præpediuntur obstaculis, quominus ad cœlum migrent, licet in hoc sæculi salo iactentur fluctibus passionum, & acerbitatibus dolorum exagitentur, extra terram sunt, iuxta mores cœlitum viuunt, & stillicidiis cœlestium gaudiorum irrorantur.

Bernard.

Maria cor exultabat, & saltabat præ immensitate gaudij in Iesu suo.

Sanctum idē est ac extra terram.
V. Beda.
Glossa.
Qui consecrantur nomini Iesu, nō in terra sed in cælis habent conuersationem.

5. Moyses conscientiæ suæ puritate fretus eloquia fundit in conspectu Domini, adiunctis querelis fiducia, & dilectione plenissimis. Exodi cap. 5. vers. 23. *Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, & non liberasti eos.* Vbi Domine est alienæ libertatis sponsio compromissa deprecationibus meis, & adstipulata inuocationi nominis tui? Ecce orationibus non intermissis defatigaui cœlum, gemitibus, & lacrymis canorum mei pectoris plectrum ad aures tuas resultauit, Dei viui nomine inuocato sæpissimè, adhuc populus sub iugo tyrannicæ seruitutis oppressus gemit, & laboriosa laterum exercitatione mœrens, & afflictus suspirat. Ex pia nuncupatione nominis tui labor increuit, & maior ærumnæ facta est accessio: *Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum.* Sic inuocatio nominis tui labores non minuit, afflictiones non repulit, sed attraxit? Nec mirum, ô Moyses! probat suos duris operibus Deus, vt ad hæreditatem suam pertinere demonstret, vt in ipsa defatigatione solamen gaudij cumulatioris infundat. Ipsa afflictio pro eius nomine tolerata, pro mercede donatur laborantibus. Aliter ad rixam carnis, & spiritus, quam experitur mortalis homo transfertur locus iste à Ruperto, in qua tota animi libertas, & triumphus passionum, de gratia IESV, & dulcedine spiritus eius pendet. Sic enim scribit Tuitiensis Abbas lib. 1. in Exodum cap. 23. afferens Apostoli locum ad Romanos cap. 7. *Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quando liberat ista Dei gratia? Tunc videlicet quando bellicosus animus post tentationes carnis adhuc in corpore manens consolationis spiritu demulcetur, & post colaphos stimulantis Satanæ aurea libertatis torque donatur.* Dura contentio fastidiosusque conflictus humanæ infirmitati delegatus ex carnis contubernio hæreditariæ transgressionis obnoxiæ maledicto; quæ ex ipsis visceribus innascentem, & prouocantem ad pugnam hostem sentit, nec subterfugere potest certamen homo, qui quocumque se vertat validum insidiatorem secum portat; inter dolores, & gemitus stimulis ipsis compungitur, & quasi talitro quodam percussum se sentit abiectum ad id ignominiam bestiarum. Hoc mortis corpus grauiter defatigans animam, & opprimens iugo seruitutis, euadere nequit nisi per IESV gratiam, quæ omnibus agonizantibus præsto adest, vt non succumbant oneri, nec solum exhibet fulcrum, sed solatium, quo animam demulcet, & voluptate spiritus inebriat, vt retundat impetus hostis superbientis, mitiores, & inualidiores reddat affectus. Vnde mirum non est si ad inuocationem nominis Domini sequatur afflictio populi à Pharaone inflicta, quia qui pie viuere volunt in IESV, persecutionem patiuntur. Ex ipso tamen nomine effluit dulcedo spiritus, quæ amaritudinem tribulationis temperat: *Consolationis spiritu demulcetur.*

Exod.

Cum Moyses ad Pharaonē ingreditur, & Dei nomē inuocat, crescit afflictio populi.

Afflictio pro Dei nomine tolerata pro mercede donatur laborantibus.

Rupert.

Bellicosus animus libertate donatur quādo post tentationes consolationis spiritu demulcetur.

6. Hortatur Christi fideles Apostolus Petrus epist. 1. cap. 4. vers. 13. *Communicantes Christi passionibus gaudete.* Talis passio iucundissima est, nec viduata est gaudio, quod de ipso fonte Saluatoris manat. Argutus est in præsenti Hugonis conceptus scribentis: *Primò enim oportet vt simus fratres Christi ex parte matris: vt tandem simus fratres ex parte Patris. Mater Iesu est Maria, quæ interpretatur amara; hæc est tribulatio, vel pænitentia. Vis ergo esse frater Iesu, necesse est, vt sis in tribulatione, vel pænitentia. Si vis habere secundum, vt sis frater in gloria, necesse est vt habeas primum, vt sis frater in pænitentia.* Bona felixque tribulatorum filiatio, quæ prouenit à Dei Matre, æternique filij Patre; faustissima fraternitas cum Christo IESV ex consortio, & communicatione passionum. Pater totus est gaudium, & summa iucunditas, exors ærumnæ doloris & pœnæ, fons æternus securæ dulcedinis; vt hæc portio, & diuina possessio deriuetur ad filios, vt tantæ gloriæ sint participes, necesse est vt sint fratres Christi ex parte Matris. Parens autem IESV Maria nuncupatur amara, seu amarum

S. Petr.

Hug. Card.
Vt simus fratres Christi ex parte Patris debemus esse fratres Christi ex parte Matris.
Maria interpretatur amara.
Qui vult esse frater Iesu in gloria, sit germanus Iesu in tribulatione, & pœnitentia.

Digitized by Google

rum mare; nec consolationis sodalitium cum Iesu quisquam promeruit, qui socius non est passionis; hæc tamen generatio gratiosa quæ deriuatur à Matre, & filio patiente sodalitas, licet sit plena doloribus, & cruciatibus, pœnæ tamen adiunctæ sunt gaudiis, quæ ex Iesu, qui est totus dulcedo, & ex Maria, quæ amaritudinis, & simul dulcitudinis mare extitit, ad contubernales, & socios patientiæ redundant; quia vt solerter annotat Sanctus Bernardin. tom. 2. serm. 49. de glorioso nomine Iesu Christi artic. 1. cap. 4. *Nomen Iesu est solatium patientium. permittit Deus seruos suos sustinere afflictiones, sed desperandum non est, nec obliuiscendum dulcis nominis Iesus, sed tamen maxime inuocandum.* Et statim addit: *menti inflammatæ amore Iesu, inæstimabilis lætitia est, pro nomine Iesu pati solum est in exebriatione sui amoris, & in appetitu similitudinis cordis eius, nullo alio premio expectato.* Hæc ille? Ipsa merces passionis, & amoris remuneratio iucunda, & plena dulcedine, pro Iesu pati.

D. Bern.

Nomen Iesu solatium patientium.

Menti inflammatæ, & inebriatæ amore Iesu, sufficit ipsum pati pro mercede, & gaudio.

Tertia Expositio.

De sacris familiis Religiosis.

1. De sanctissimis congregationib. Deo dicatis, hoc Isaiæ vaticinium accipiendum, fit perspicuum ex contextura, & serie sermonis. Nam vbi habet Vulgatus v. 5. *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion.* Legit Hebræus, vt sapienter annotat Forerius: *& creabit Dominus super omnem conuentum* Cumque Isaiæ Prophetia à Patribus, & Commentatoribus communiter vsurpetur de Ecclesia primaria Apostolorum Ierosolymis fundata, & de ipsius Ecclesiæ propagatione per omnes mundi plagas, illa autem fuerit primitiua Religio, omnium sacrorum cœtuum mater, & origo; omnia vaticinij commata sacris Religionibus, quæ sunt Ecclesiastici germinis nobilior portio & sacratior, congruenter aptabuntur.

Lect. Hebr.

Omnia commata huius vaticinij sacris congregationibus Religionum genuinè aptantur.

2. *Apprehendent septem mulieres.* Si non est indecorum, congregationes, & cœtus Ecclesiarum ab Apostolis institutos, nuncupare mulieres, vt in prima commentatione dictum est; non erit dissonum familias sacras hac nomenclatione honestare, quæ potius est honoris insigne propter speciem earum, & decorem; & quia in Domini famulitio solicitiorem exhibent alacritatem; in sacris functionibus, & studio pietatis maiorem animi ardorem impendunt. Eæ sunt selectæ amasiæ, & dilectæ sponsæ Christi sponsi, & Regis æterni deliciæ.

Religiones dilectæ Christi sponsæ.

3. *Apprehendent.* Si alicubi, in sacris cœtibus viget studium probitatis, Angelicæ vitæ integritas; illius enim sectatores, omni nisu incumbunt spiritalibus exercitamentis, quotidie in virtutis stadio, & curriculo decertantes, vt palmam possint apprehendere, & brauium supernæ vocationis, sibi violentiam inferunt, subiugantes improbos affectus animi, in arreptæ virtutis proposito nunquam lassescentes.

In sacris cœtibus viget studium pietatis, & æmulatio virtutis.

4. *Septem mulieres.* Hoc est septem sponsæ, septem familiæ, & congregationes: septenario autem numero pulchra varietas, & iucunda diuersitas venerabilium Religionum ostenditur, quæ virum vnum Iesum prehensant per specialia instituta, & vocationes ab Spiritu sancto architectatas ad Domini gloriam, & Ecclesiæ ornatum. Vel apprehendunt virum vnum, nempe specialem institutorem, & parentem, eius mores, virtutumque exemplaria magisteria auidius æmulantes, officioso famulitio ambientes, singulæ expressam similitudinem patris in se ipsis formare, regerentes sanctimoniæ paternæ viuum simulacrum. Sicut enim caterua filiorum ad demonstrationem amoris, & iucundæ obtemperantiæ prehensant limbum, aut lasciniam patrij induti, vt ipsi innitentes inambulent; nanciscanturque prouidam, & securam tutelam; sic sacrati Deo viri deprecationum manu, & ansa, prehensant patrem, cupidineque imitationis tenent, & velut tutelarem diuum, & præsidium opportunum in periculis implorant. De Religionum varietate pulchre S. Bernardus in apologia ad Guillelmum Abbatem Sancti Theodorici, ait: *Ecclesia quæ tam pluribus, tamque variatur dissimilibus ordinibus, vtpote Regina, quæ in (Psalmo 44.) legitur circumamicta varietatibus. Tunica Ioseph, non illius, qui liberauit Ægyptum, sed qui saluauit mundum notissima quippe est, quia polymita, id est pulcherrima varietate distincta.* Et postea nuncupat: *vestem Christi polymitam ob multorum ordinum, qui in ea sunt multimodam distinctionem.* Religiosis familiis scite adaptabis quod scribit Glossa in Psalm. 44. à Sancto Bernardo citato: *Circumamicta varietate, doctrina Apostolorum, & confessione Martyrum, & puritate virginum, & lamento pœnitentiæ ornatur Regina Ecclesia.* Quam Glossam refert S. Thomas 2. 2. quæst. 183. art. 2. vbi de diuersis statibus, & ordinibus Ecclesiæ disputat, illudque sapienter adiungit: *Sicut in rerum naturalium ordine perfectio, quæ in Deo simpliciter, & vniformiter inuenitur, in vniuersitate creaturarum inueniri non poterit, nisi difformiter, & multipliciter: ita etiam plenitudo gratiæ, quæ in Christo sicut in capite adunatur, ad membra eius diuersimode redundat, ad hoc quod corpus Ecclesiæ sit perfectum.* Et hoc ait pertinere *ad diuersitatem actionum, quæ sunt in Ecclesia necessaria. Oportet autem ad diuersas actiones diuersos homines deputari, ad hoc quod expeditius, & sine confusione omnia peragantur.* Demumque concludit: *hoc pertinet ad dignitatem, & pulchritudinem Ecclesiæ, quæ in quodam ordine consistit.* Sicut enim terreni imperatoris palatium exornatur nobilium satellitum varietate, qui diuersis muneribus perfunguntur; sic Dei aula, & domus Ecclesia, ad maiestatis, & amplitudinis ornatum, continet quamplurimos Deo militantium, & famulantium seruorum ordines, qui instituto, habitu, indumento quasi in multas acies, classesque essent distincti; vt cælites æmularentur, & cælestis Ierosolymæ quamdam, & quidem pulcherrimam præseferrent imaginem. In qua non vnus Angelorum ordo, sed tot ordines, tot Ierarchiæ, tot militiæ cœlestis exercitus, natura similes, munerum, graduum, officiorum varietate dispares, assidue supremo Ierarchæ Iesu famulantur. Et quasi quidam cælestes orbes, qui variis siderum, & luminarium choris rutilant. De hac varietate scri

Religionum pulchra varietas.

Familiæ Religiosæ suos institutores ad æmulationem virtutis exambiunt.

S. Bern.

Religionum varietas in veste Ioseph polymita adumorabatur.

Gloss.
S. Bernard.

S. Thom.

In vniuersitate creaturarum, ad multiplices actiones diuersi ordines reperiuntur.

scribit os aureum tom. 1. homilia de laude Monachorum.

Religionum primarius institutor, & auctor Iesus.

5. *Virum vnum.* Quia earum vnus est primarius institutor, & auctor Iesus; sponsæ multæ, & variæ, sed vnus sponsus, à quo pulcherrima filiorum prole fœcundantur. Asceticæ exercitationes variantur, munera diuersificantur; omnia tamen eumdem scopum sanctimoniæ collimant, ad vnum virum Iesum, & sponsum obtinendum, contendunt. Ipsæ per se infirmæ, omne robur, omne decus à Iesu participant, & omnem sufficientiam. Vt autem Dominum apprehendant, in singulis sacris cœtibus licet cernere varietatem sacrarum functionum vnitate mirifica temperatam. Nam iuxta Sancti Bernardi testimonium homil. de verbis Domini: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas; Religio negotiatio quædam est ad margaritam inæstimabilem Iesu comparandam: bonum est & iocundum habitare fratres in vnum. Videas illum peccata flentem, alium in Dei laudibus exultantem, hunc hominibus ministrantem, alium alios erudientem, hunc orantem, illum legentem, hunc miserantem illum, alium peccata punientem, hunc charitate flagrantem, alium humilitate pollentem, hunc in prosperis humilem, illum in aduersis sublimem, hunc in actiua laborantem, illum in contemplatiua quiescentem, & poteris dicere: castra Dei sunt hæc.* His sacris functionibus, tanquam quibusdam retinaculis, & lacertis retinetur, & comprehenditur sponsus, hisque gaudet retibus capi.

D. Bern.

Sanctorum functionum varietas in religiosis cœtibus.

Indumentorum, & alimentorũ diuersitas.

6. *Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur.* Vt indicent congregationum sacrarum in cibo, & indumento distinctionem, & varietatem; singulæ enim retinent decretam eduliorum abstinentiam, & temperantiam, in habitu sacro diuersam formam, speciali proposito & professione firmatam. Suumque panem nuncupant, quia dignus est operarius mercede sua: vt iuxta Pauli Apostoli sententiam ad Romanos cap. 14. v. 3. *Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit.*

S. Paul.

Sacri cœtus vnius summi imperatoris Christi patrocinii, & tutamẽ exoptant.

7. *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.* Licet diuersos parentes, patronos, & institutores obtineant, vnius summi Imperatoris Christi patrocinium, & tutamen exoptant, à quo summis benedictionibus repleantur: omnes cohortes sacræ sub Iesu militant ducatu, & sub eius vexillo Crucis, stipendia promerentur. Abraham vxores habuit, Iacob, & Dauid amasias temporis necessitati, & opportunitati vltro obsecundantes, potius quam libidini seruientes. Salomon sexaginta Reginas, octoginta concubinas; & adolescentulas quarum non erat numerus; vix vlla mulierum legitur deprecata, quod nomen Abrahæ, Iacob, Dauidis, aut Salomonis inuocaretur super eam: Hæc enim studiosa pietatis inuocatio sanctissimis Religionum Reginis à Christo dilectis seruabatur, vt sub illius præsidio & alarum velamento sancte, & pacate viuerent; & cum deprecatio assidua non cessaret, munerum functiones, quibus obstringuntur persoluere non intermitterent; de munificentia Domini tanquam de vberrimo fonte, & copioso quodam penu spiritales gratiarũ suppetiæ, & necessaria vitæ alimenta profusa largitate suppeditarentur.

8. *Aufer opprobrium nostrum.* Nostrum inquiunt, non (tuum, maius enim æstimant thesauro Ægyptiorum, gazis mundanorum, improperium Christi; cum ipso enim Iesu, & propter illius nomen pati contumeliam pro amplissimis, & gloriosissimis stemmatibus habent; ideo enim nomen Domini super se inuocari ambiunt, & concupiscunt, vt consortes sint passionum, & contumeliarum. Exoptant porro vt auferatur dedecus ab eis sterilium, & infœcundarum; carere enim connubio, orbasque reddi terrena filiorum prole, non solum non obiectatur pro probro, & maledicto, sed earum laudem illustrat, & accumulat; suus enim vir Iesus reddidit eas virginum, continentium feracissimas, sanctorum fertilissimas. Fœcundior enim est Religionum continentia, & immaculata castitas, sæcularibus nuptiis; innumeris enim examinibus natorum exuberant, quos regenerant Christo. Pulchre Sanctus Cyprianus libro de habitu virginis, cuius verba recenset S. Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana cap. 21. de virginibus Deo sacratis, inquit: *Gaudet per ipsas, atque in illis largiter floret sanctæ Matris Ecclesiæ gloriosa fœcunditas, quantoque plus gloriosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.* Iuxta subtiliorem vero protheoriam Origenis, auferre opprobrium, est delere, & remittere crimina, & recidiuum peccati, ne ad ea, quæ in Ægypto huius sæculi sponte animus reliquit, iterum reuertatur; tunc IESVS aufert opprobrium ab homine, cum nullis malefactorum stimulis angitur animus, sed pacata, & tranquilla mente in Sanctorum operum exercitatione perfruitur. Audiendus est Adamantius, qui ad ea verba Iosue cap. 5. *Hodie abstuli opprobrium Ægypti.* Afferens illud Pauli ad Titum cap. 3. *fuimus & nos aliquando insipientes, errantes desideriis & voluptatibus variis.* &c. ita fatur homilia 5. in Iesu Naue: *Non tibi videtur hæc opprobria esse, & opprobria Ægypti? Sed ex quo venit Christus, & dedit nobis secundam circumcisionem per baptismum regenerationis, & purgauit animas nostras, abiecimus hæc omnia, & pro iis assumpsimus cõscientiæ bonæ adstipulationem in Deum. tunc per secundam circumcisionem ablata sunt nobis opprobria Ægypti, & purgata sunt vitia peccatorum. Si enim post remissionem peccatorum vltra non pecces, vere ablatum est à te opprobrium Ægypti. Si vero iterum peccaueris iterum in te vetera reuertuntur opprobria.* Hinc liquet qualis sit illa sanctarum fœminarum deprecatio: *aufer opprobrium nostrum,* ne ad mundi laqueos, & carnis illecebras, à quibus sunt expeditæ gratia redemptoris, iterum redeant; ne in huius vitæ lubrico ad semel renunciata ex corde flagitia relabantur, sed iugi conuiuio, & incontaminatæ conscientiæ deliciis pascantur. Priorem sensum quod deleuit Iesus opprobrium, dedecus orbitatis filiorum, ipsemet Isaias protestatur. cum enim sacrarũ tribuum, & religiosarum familiarum personam, & causam agens, fuisset prælocutus, antecedenti sermonum serie; nunc ex proprio munere earum dignitatem, & nomen illustrat, antecedentis textus verba cum subsequentibus compaginans, & perspicua reddens omnia, quæ prædiximus, in sequentibus.

Religionum stemmata pro Iesu pati.

Religionum fœcunditas gloriosa.

D. Cyprian.

Orig.

Christus abstulit peccatorum opprobria.

Si post remissionem peccatorum vltra nõ pecces ablatum est à te Ægypti opprobrium.

9. *In die illa erit germen Domini in magnificentia*

Digitized by Google

Deo dicata familia germen Domini magnificum, & gloriosü.

centia & gloria, & fructus terræ sublimis. Ne quis reuocaret in dubium promissionem fœcunditatis, & innumeræ sobolis huius cælestis sponsæ; sacros cœtus nuncupat *germen Domini*, eius manu plantatum, gratiarum fluentis irriguum, in quod exuberat omne bonum: alluditque ad lignum vitæ & paradisiacum topiarium, quod plantauerat Deus à principio: nec insolitum est religionem vocare paradisum.

S. Anton.

Religio ortus voluptatis in se continens omnia paradisi decora.

S. Bern.

Sanctus Antoninus 3. p. tit. 16. cap. 10. §. 11. agens de statu religioso ait: *Simillimum esse terrestri paradiso, qui locus erat totus gaudij, & voluptatis, ac deliciarum, ipsius Dei-tanti, tamque sapientis artificis manu consitus, vt homines in eo felicissimam vitam agerent*, & Sanctus Bernardus serm. de margarita, has scribit laudes: *vere claustrum fratres mei, vere religioso est paradisus. ô religio vallo disciplina munita, in qua est pretiosarum virtutum fœcunda fertilitas!* serm. ad clericos cap. 11. fusius describit eximiis verborum luminibus huius paradisi delicias semper vernantes: *nec vero locum reputes corporalem paradisum hunc voluptatis internæ. Non pedibus in hunc hortum, sed affectibus introitur. Nec terrenarum ibi commendatur arborum copia, sed virtutum vtique spiritualium iucunda decoraque plantatio. Hortus conclusus, vbi fons signatus in quatuor capita deriuatur, & ex vna sapientia vena virtus quadripartita procedit. Splendidissima quoque ibi lilia vernant, & cum flores apparent, etiam vox turturis auditur. Illic nardus sponsæ flagrantissimum præstat odorem, & cætera quoque aromata fluunt, austro spirante, aquilone fugato: ibi media est arbor vitæ, malus illa de cantico cunctis pretiosior lignis siluarum, cuius & vmbra sponsam refrigerat, & fructus dulcis gutturi eius: ibi continentiæ nitor, & sinceræ veritatis intuitus oculos mentis irradiat: auditu quoque dat gaudium & lætitiam lenissima vox consolatoris interni: ibi quibusdam spei naribus influit iucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit: ibi auidissimè prælibantur incomparabiles deliciæ charitatis, & succisis spinis ac vepribus, quibus anteà pungebatur, vnctione misericordiæ perfusus animus in conscientia bona feliciter requiescit.* Hæc piè, & Pulchrè Sanctus Bernardus.

Bernard.

10. *In magnificentia & gloria*; vt à mundanis mentibus caderet inordinatum illud iudicium, quo magnum, & gloriosum tantummodo æstimant, quod oculis carnalibus nitet copiarum splendore, affluentiâ deliciarum, ambitioso & horrifico satellitio famulorum conspicuum; laceram togam, attritam, & centonibus assutis distinctam lacernam, ad modestiam, voluntariam abiectionem, & Euangelicam paupertatem, institutam viuendi formam despiciunt; clamat Vates quod creabit Dominus hunc statum religiosum valde gloriosum, omnibus conspicuum, & venerandum; ipso enim habitu, statu, totaque vitâ elucet eximiæ sanctitatis imago, quæ oculos prospectantium ad amorem cultumque alliciat, deuinciat, ac rapiat. Virtus enim & pietas res diuinior est, quæ admirabilitatem, & decus æternum conciliat. Extat in Prouerbiis promissa hæc felicitas viris, qui mentibus ad æthera euolant sublimioribus, quam sint illæ, quæ se immiscent humanæ Reipublicæ cap. 4. v 8. hos statuit sapientiæ fructus: *Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.*

Status religiosus valde gloriosus, omnibus conspicuus, & venerandus.

Prou.

Sanctus Basilius inter alias cohortationes, quibus sæculares excitat ad amplexandam religiosam disciplinam, illam adstruit præfat. in Ascet. *Qui id fecerit, ei etiam in terris magna sit parata gloria, quòd apud amicos erit in pretio, quod eum adiutorem, & deprecatorem in suis casibus adhibebunt; quòd vt strenuo militi alimenta suppeditabunt, eumque ad se inuitabunt, & lætabundi tanquam Angelum Dei excipient, & quemadmodum ait Apostolus, vt Christum Iesum.* Aptissimum quoque est illud sancti Chrysostomi effatum l. 2. aduers. vituper. vitæ Monast. *Qui in sæculo obscuri, atque infimo loco nati essent, quique si in sæculo permansissent, in eàdem ignobilitate semper iacuissent; iidem statu immutato, cœpti sunt ab ijs coli, à quibus anteà despiciebantur.* Vt patet in Arsenio Adolescentis Arcadij institutore, & magistro, qui eum in palatio insectabatur vsque ad necem; is tamen cum post diuturnas latebras compertus esset in Dei famulatu, Arcadius ad imperij infulas accitus litteras supplices rescripsit, quibus se, imperiumque suum illi commendabat: hocque inter centuplum Domino promissum reponit Ioannes Cassianus collat: vlt. cap. vltimo in Religiosorum commendationem: *dum pro nomine eius, à summis Principibus honorantur, ac licèt ipsi humanam gloriam non requirant, venerabiles tamen, etiam in persecutionum angustiis, iudicibus cunctis, ac potestatibus fiunt.*

D. Basil.

S. Chrysost.

S. Ioan.

11. *Et fructus terræ sublimis*; quia omnis gloria, & sublimitas ex rerum temporalium renuntiatione, & abdicatione procedit; sic enim extricati à corporeis, & terrenis, ipsaque calcantes, volucres facti æthera scandunt, vt ciues cælitum, & domestici Dei, mente in cælis, & inter superos, corpore in terra commorantes. Dicitur quoque fructus terræ sublimis, quia remotiores sunt ab omni labe criminis, & contagio corruptelæ, quasi in cælesti aura viuunt, quæ vitiorum male olente halitu non afflatur. Denique terræ fructus appellatur sublimis, quia eorum opera licet terrena, ex consecratione Deo præstita, ex coniunctione cum Deo, ex obedientiæ virtute meritoria redduntur, ex terrenis redduntur cælestia, ex terra, & luto, meritorum argentum, & margaritas conflant; rectius de obedientiæ industria, & potestate, quàm de Midæ artificio illud Ambrosij axioma vsurpa: *quidquid tangebat aurum fiebat.*

Religiosi à terrenis rebus sublimes.

12. *Et exultatio his, qui saluati fuerint de Israel.* Eorum animos complet spes firma æternæ salutis, deliciarum cælestium vnguento delibutos; quia eos Dominus à sæculo malignante discreuit, elegit ad claustra, velut à peccatorum flammis ereptos, & saluatos; viris Deo dicatis in hac spe viuentibus, aliud sæculum alacriter præstolantibus, claustrum, & solitudo quasi iuge conuiuium, supernis dapibus, & suauissimis ferculis consolationum abundans, arridet; in huiusmodi enim animos semper recolentes accepti beneficij vocationis memoriale, deificæ dulcitudinis stillæ continuo dilabuntur, & omnia animi penetralia vbertim irrorant: quæ maior exultatio quam possidere pignus æternæ hæreditatis? Innumeras alias suauitates huius tranquillissimi status homilia 18. complexus est Sanctus Macharius.

Religiosi status gaudiis, & deliciæ.

S. Machar.

Dei

Dei seruos (ait) *interdum sic se habere, vt qui in Regio conuiuio magnificentissimo accumbunt, omni lectissimorum ciborum copia referto, in quo satietate mirabili, & lætitiâ, quam nemo verbis æquare possit, exultant: alio tempore habere se vt sponsam, quæ in diuinis amplexibus, cælesti nescio quâ voluptate liquescat. interdum fieri, vt Angelos corporis expertes, tantamque leuitatem, ac simplicitatem acquirere, vt non magis corporis grauentur pondere, ac si eo carerent.* & statim: *sæpe in summo quodam silentio animam conquiescere suauissimâ tranquillissimaque pace perfruentem, quæ incredibilem in modum oblectetur.* Hæc Sanctus Macharius. Hanc verò exultationem, quam Isaias promittit Deo dicatis clientibus, ritè vsurpabis de gaudio, quod in animæ de corpore migratione cælitùs hauriunt, de qua scribit Sanctus Bernardus ad milites templi cap. 1.

S. Bern.

ô vita secura, vbi pura conscientia: ô, inquam, vita secura, vbi absque formidine mors expectatur, immo & expetitur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione. Idem serm. 26. in Cantica digressus à munere declamatoris ad funus, & obitum fratris sui Gerardi, ait, cigneâ voce modulantem suauissimè illud Psalmi: *Laudate Dominum de cælis.* feliciter ex hac vita ad superos migrasse. *Iam tibi* (inquit) *frater mi nocte adhuc media diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, insultantem morti: vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? iam non est stimulus, sed iubilus: iam cantando moritur homo, & moriendo cantat.* Hic, similesque alij in ipsa mortis amaritudine, & anxietate prælibant beatæ vitæ gaudia, quæ amarulentum fati poculum temperant: vt de iis ab Isaia prædictum videatur: *& exultatio his.*

Conscientia, & vita puritas hominē reddit in morte exultantem.

D. Bern.

13. Hæc autem iucunditas alitur, & saginatur spe animi ad superiora atria sese erigentis pro æterna vita, & hæreditate filiorum suspirantis, quam Deus spopondit in virtutis stadio vsque ad postremam vitæ metam strenuè decertantibus: quo in sensu verba accipe Salomonis Cant. cap. 8. v. 11. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus. Vir affert pro fructu eius mille argenteos.* cum luculenta Honorij Augustodunensis commentatione apud Delrio: *Vinea* (inquit) *fuit pacifico. intelligitur qualibet iustorum congregatio: in qua palmites sunt viri spirituales: vinum verò suauis doctrina, & hæc habet populos, scilicet ad religionem multos conuersos. Hanc tradidit verus pacificus Christus custodibus ad excolendum: scilicet spiritualibus Prelatis, vt Augustino & Benedicto ad erudiendum: pro fructu eius affert vir mille argenteos; quando quisque relinquit omnia quæ mundi sunt, & claustra intrat, vt centuplum recipiat, & vitam æternam possideat: vel quando Christus huic, qui in bono opere perseuerauerit vsque ad finem, vitam æternam dabit.* Hæc ille.

Cant.

Honor.

Vinea Domini religio, in qua inueniuntur fructus centesimus.

14. *Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vita in Ierusalem.* Est enim religio professio sanctitatis, non solùm quia eius institutum, & morum disciplina immaculatam puritatem præsefert, vtpotè à Domino omni labe criminis immuni, tanquam à fonte manans; sed quia strictioris vitæ vota nuncupans, ad sanctimoniam aspirare constringit, & ad perfectionis fastigium contendere. Quod enim innatum est virtuti religionis, sacri cœtus religiosorum hanc pro muneris functione singillatim vsurpant. Vt autem Theologi cum Sancto Thoma 1. 2. quæstione 81. decernunt: religionis flos quidam est sanctitas, cuius proprium est munus mentem nostram ab omni labe purgatam integram, & sine macula Deo offerre, eamque, & vires eius omnes illi consecrare; cuius muneris amplitudo ex eo liquet, quod aliæ virtutes morales vni illi omnes tanquam ministræ; ac famulæ inseruiunt; aliæ purgandæ voluntati, aliæ rationi illuminandæ, aliæ appetitui coërcendo; cuius duo sunt quasi partus, & fructus, vt annotat S. Thomas, oratio, ac deuotio, quarum altera in Dei familiaritatem, contubernium; amicitiam, & amplexus inducit; altera promptitudinem, & alacritatem tribuit ad omnia, quæ Dei cultus exigit. Hæc igitur religio tanquam regina cum suis ancillis, & clientibus, quæ ipsi inseparabiliter sociantur, ipsa forma, & tanquam anima est religiosi statûs, vnde ea omnia, quæ generalis virtutis sunt propria, hoc Sacrosanctum viuendi genus sibi vendicat. Tum præterea huius cælestis vitæ professores sancti vocantur, quia ex his cœtibus fructus vberrimus sanctimoniæ pullulant quotidie, illustres nempe viri, aut beatorum lauro, & diademate splendidi, aut in sanctorum album acciti. Sancti demum nuncupantur iuxta commune Sacræ paginæ proloquium, quia Deo consecrati; sanctum Domino vocatur, quod ipsi offertur, tanquam quid ab omni terrarum labe sequestratum: in quo sensu accipe Eusebij Cæsariensis verba lib. 1. demonstrat. Euangelicæ cap. 8. *In Ecclesia Dei duo modi viuendi instituti sunt; alter quidam naturam, & communem humana vita rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, & soli diuino cultui ex immenso rerum celestium amore addictus. Qui hunc modum amplexi sunt quasi ab hac mortali vita seiuncti, ipsumque duntaxat corpus in terra gerentes cogitatione verò, atque animo in ipso cælo degentes, quasi quidam cælites reliquorum omnium vitam despiciunt, quippe qui pro vniuerso genere, summo omnium Deo sacrati sunt.*

Religio est professio sanctitatis.

Euseb. Cæs.

Religiosi quasi quidam cælites in mundo.

15. *Omnis qui scriptus est in vita.* Hic est enim vel præcipuus fructus religiosi statûs, quòd expressum signum contineat diuinæ prædestinationis, Angelicus habitus tessera est eorum qui pertinent ad Dominum; cumque militaturi sacri tyrones sub sanctorum fundatorum, & imperatorum sacræ militiæ adscribuntur, pro comperto habeant signo, eorum nomina adscripta in libro vitæ. Stigmata enim seruorum Domini in ipsa professione circumferunt.

Religiosa professio pignus prædestinationis.

16. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.* Est enim religio velut quoddam gratiæ fluentum, & secundum regenerationis lauacrum, quod abluit sordes animæ, & indulgentiam confert omnium peccatorum; animaque depositis exuuiis criminum, & veteris Adami indumentis, renouata resurgit supra niuem dealbata: æquo iure à sanctis patribus Religio nuncupatur secundus Baptismus. Sanctus Hieronymus cùm Paulam, de obitu Deo dicatæ Blesillæ, consolatur, ait: *Cum propitio Christo, ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo propositi*

Religio quasi quidam Baptismus.

D. Hieron.

propositi se baptismo lauerit : & in cohortatione ad Demetriadem : *nunc quia sæculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu iniisti pactum cum aduersario tuo, dicens ei : renuntio tibi Diabole, & sæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis : serua fœdus, quod pepigisti.* Hoc religiosi instituti magnale perspicuis verbis statuit sanctus Bernardus, eiusque causam inculcat, & proponit his verbis in lib. de præcept. & dispens. *Audire vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundum baptisma nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, & singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præminens vniuersis vitæ humanæ generibus, huiuscemodi conuersatio professores, & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit. Immo diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo, instar baptismi* : & sermone de Margarita idem propositum inculcat, & probat : *O sancta vita! balneum animarum, mors peccatorum, & animarum purgatorium sordidarum. Tu mentium secreta purificas, tu conscientiarum squalorem diluis, atque ad Angelicæ munditiæ puritatem peruenire facis animas.* Quibus adiice Sanctum Gregorium Nazianzenum orat. 1. in Iulianum, de Religiosis scribentem : *Quorum lacrymæ peccati diluuium sunt, & mundi expiamentum.* Subsequentia autem sacri textus Isaiæ verba apertissimè comprobant hanc totam commentationem.

D. Bernard. — S. Bernard. — Greg. Naz.

17. *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem.* Hebræi communiter legunt cum Sanctes Pagnino, Forerio, Vatablo : *Creabit Dominus super omnem cœtum, congregationem, conuentum montis Sion.* Lumine Prophetico illustratus Vates prospectauit venerandos cœtus, in quos coirent omnium nationum homines famulaturi Deo viuenti, eosque mirabili honore conuentuum in vnum conuenientium, insigniuit: de quibus extat præclara illa Augustini commendatio libro de moribus Ecclesiæ cap. 31. *Quis non illos miretur, & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi illecebris, in communem vitam, castissimam, sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nullâ superbiâ tumidi, nulla peruicaciâ turbulenti, nullâ inuidentiâ liuidi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intensissimam in Deum, gratissimum ipsi munus offerunt, à quo ista posse, meruerunt.*

Vatab. Sant. For. — *Isaias de venerandis cœtibus vaticinatur.* — S August.

18. De his cœtibus, & communitatibus, quas Prophetali intuitu discreuerat deprecantes Dominici nominis super se inuocationem, supra dixit : *inuocetur nomen tuum super nos.* Nunc statuit voti compotes factas, desideria adimpleta, super easque nomen Domini inuocatum; licet enim sacræ familiæ decorentur cognomine, & titulo institutorum, & fundatorum, tota felicitas, & plenitudo bonorum de nomine Domini, & de nomine Mariæ venit; primario gaudent cognominari sponsæ, & filiæ Christi congregationes regis æterni, qui sacros religionum architectos ad illas condendas impulit, animauit, & varia instituta reuelauit. Dicuntur quoque ordines super quos Domini nomen inuocatum, quia per diuinas doxologias, & laudationis modulos nomen Domini in ore gerunt, & corde.

Tota religionis felicitas de protectione Iesu, & Mariæ venit.

19. *Nubem per diem.* Recole, quæ dicta sunt in prima interpretatione de nube protegente Dei populum de Pharaonis tyrannide erutum, ad Palæstinam festinantem, & eandem functionem nobiliori prouidentiâ præstitam comperies à Domino erga suos clientes, quos de potestate sæculi tenebrosa eduxit ad religiosum domicilium; vnicuique suæ vocationis formam, & imaginem delineare licebit, & illuminare viuidis coloribus temporis, modi, opportunitatis oblatæ, & aliarum circunstantiarum floridis pigmentis, de rutila, & aurea nube gratiæ vocantis, & auxiliantis, mutuatis, Protexit nubes per diem, cùm consilium, & propositum sublimioris vitæ ineundæ, & arripiendæ à spiritu sancto profectum, humanæ menti illuxit : *splendor ignis flammantis per noctem apparuit.* Cùm illuminatus animus splendore diuino, & charitate accensus, leniter aspirantes auras adulantis volupiæ seuerè dispulit, procellas ab hoste salutis humanæ excitatas, & conflatas, contempsit. Familiarium, necessariorumque tricas, & decipulas insidiantes disrupit; parentum lamentis & fletibus aures obstruxit, Christianâ animositate, piâ crudelitate. In hos viros remotiores à mundo, proximiores cælo, præsentissimum opulamen cæleste numen impendit in anxietatibus, in tribulationibus, aliisque huius vitæ ærumnis; intraque tutelaris prouidentiæ, singularisque custodiæ præsidium claudit: vberioribus diuinæ gratiæ splendoribus collustrat, cælestisque sapientiæ nitidiora, & puriora lumina iis infundit. Præclarè Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, de his sacris viris ait : *Ab amore alieni, sed diuino amore ardentes, quorum fons lucis, & quorum iam radij, splendorisque traiectiones, quorum purgatio, & tamen purgantur, quippe nullum ascensus, ac deificationis modum sui constituentes.* In prosperis, & aduersis, à dextris, & à sinistris tutelaris nubes eos ducat, præbens satellitium, tutamentum, ostendens omnium disciplinarum lampadem valde præfulgidam. Hanc tutelam Dominus expressit : Matth. cap. 18. v. 20. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quæ verba de Religiosis cœtibus accipit Sanctus Ioannes Damascenus in vita Sancti Iosaphat, Sanctus Basilius constitut. monastic. cap. 35. vbi annotat duorum, aut trium numerum, alium copiosiorem non excludere, vt Dominus assideat; multo verosimilius est adfuturum vbi multo copiosior, atque frequentior Deo sacratorum hominum multitudo congregata sit. Scitéque idem Doctor Magnus argumentatur : *Si Christus nobiscum fuerit, nihil nobis deesse posse, quemadmodum Israëlitis in vasta solitudine, propter Dei præsentiam nihil vnquam defuit.* Quæ verba cum retulisset nobilis ille auctor, & de religioso statu benemeritus scriptor Hieronymus Plati lib. 1. cap. 22. adiungit sequentia: *Cum igitur Saluator in medio religiosorum fore, & semper fore pollicetur, vno verbo omnia, quæ optari possunt pollicetur. Lumen in obscuritate, robur in infirmitate, solatium in mœrore, dolorum, si qui sint, abstersionem, victoriam in Dæmonum prælijs, constantiam, ac firmitatem animi, accessionem virtutum : denique* quod

Ad religionem vocatos excitat, & dirigit gratia protectio modis mirificis. — D. Gregor. Nazianz. — D. Mat. — S. Basil. — *Tutelaris custodia Domini religiosis semper adest.* — Hier. Plat.

Digitized by Google

quod bonum non habeant, qui eum habeant, in quo sunt omnia bona.

20. *Super omnem enim gloriam protectio.* Christus enim Iesus, eiusque parens Maria, singulari omnium religionum patrocinio gloriantur. Est enim Deipara omnium Religionum Mater. Omnesque sacri cœtus sub Matris magnæ, eiusque Filij velamento, & culmine, prouida, & suaui tutela viuere exultant, & decus magnificum æstimant. Vt ex earum annalibus liquido constat. De hac protectione nobis prædixerat Dauid, Psal. 104. vers. 39. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, vt luceret eis per noctem.* Quæ verba de beata Virgine interpretatur Hugo Cardinalis: *Potest hoc esse thema de Virgine beata, quæ dicitur nubes. Eccles. 24. Thronus meus in columna nubis. Hæc nubes media est inter terram, & solem, idest inter peccatores, & Deum, & eius ardorem, & iram mitigat. Item hæc nubes plena est imbre gratiarum. Lucæ 1. Aue gratia plena. Et hæc data est non tantum in protectionem, à feruore iræ Dei, sed in ignem, quia beata Virgo lux est. Est ergo ignis contra Diabolum, & tenebras peccatorum. Vnde bene competit ei illud Zachariæ 2. ergo ero eis murus ignis in circuitu, non enim tantum lucet nobis per exempla virtutum, sed & arcet insultus tentationis.* Quæ omnia pietatis officia religionibus sigillatim præstat. vt in discursu 9. fiet perspicuum.

Iesu, & Mariæ tutelare præsidium religionibus impensum.

Psal.

Hug. Card.

21. *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu.* Eos enim, qui ad domum Dei confugiunt, virtus inumbrat Altissimi, & alarum suarum velamento ab omni discrimine eripit. Proponit his verbis tutamentum quoddam inoffensum, & hostibus inaccessum, securumque refugium migrantibus à sæculo. De iis ipsis fatur P. Laurentius Iustinianus lib. de obedientia cap. 28. *Eo amplius quod possessorem suum eximit de mundo, à tumultibus sæcularium negotiorum segregat, & sanctæ religionis reseruat in tumulo, ibi enim illum requiescere facit ab æstu carnalium desideriorum, & à tentationum eripit turbine, à visibilium voluptatum illecebris, à fragoribus sæculi, à diaboli laqueis, & ab immanium delictorum multiplicibus casibus.* Nec minore pietate sanctus Bernardus serm. 4. in Psalm. *Qui habitat,* ad ea verba: *Scapulis suis obumbrabit tibi.* scribit: *Sub his itaque scapulis quatuor nobis beneficia conferuntur. Sub his enim abscondimur, sub his in occursu accipitrum, & miluorum protegimur, quæ sunt aërea potestates: sub his vmbraculum salubre refrigerat nos, & repellit nimium solis feruorem: sub his quoque alimur, & fouemur. Ait enim Propheta in alio Psalmo: quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum.*

Virtus altissimi religiosos à tentationum eripit turbine, & delictorum casibus.

S. Laur. Iust.

S. Bern.

Sub Dei vmbraculo quanta nobis à Deo beneficia impenduntur.

22. *Et in securitatem.* Hoc vnico verbo religionem nuncupat Isaias, me Hercule, curarum requiem, expeditam securitatem, animi tranquillitatem, quæ pars potior est beatæ vitæ; recessus enim, & solitudo vacua est periculis, quæ in conflictu sæculi abundant, in quo, Magno Leone, & Antiste summo attestante serm. 5. Quadrages. *Plena omnia periculis, plena laqueis, incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ.* In solitario autem rusculo feriatus animus ab anxia follicitudine terrenorum, liquidis gaudiis perfunditur cælitus illapsis. In hac arca Noë anima tanquam columba spretis vitiorum sordibus lutulentis, inuenit requiem, in silentio, & spe, fiducia, & fortitudine constituta, de quibus sanctus Gregorius Nazianzenus in carmine ad Helen. ait: *Mentem suam penitus addicunt, eique tanquam firmissimæ petræ rudentes suos alligant, vitaque in Christo abscondita initiantur.* Et orat. 1. in Iulianum: *In solitudine huius sæculi, alterius sæculi frequentiâ, ac celebritate fruuntur, qui voluptates abyciunt, & tamen perpetuam, atque inexplicabilem animorum oblectationem habent.*

In religioso instituto magna animi securitas, & tranquillitas.

S. Leo.

Sæculi quanta sint discrimina?

S. Greg. Naz.

23. *In absconsionem à turbine, & à pluuia.* Dum enim in sæculi turbinibus agitantur, & fluctuant variis passionibus improbi, vitiorum voragine immerguntur, certo animarum naufragio; viri Deo consecrati in claustrorum penetralibus seruantur incolumes à mundanis tumultibus, & procellis. His in montibus sanctis ad quos trasmigrauit religiosus, latibulum inuenit, & asylum perpetuumque refugium, quo se abscondat à tentamentorum turbine, fiatque hostibus inaspectabilis aut inuestigabilis; aut sacra Religio nuncupatur absconsio, quia cura est Deo dicatis viris, opera sua à conspectu multitudinis subtrahere. In quo sensu S. Bernardus verba Psalm. 26. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum.* vsurpat. serm. 4. in Psalm. 90. *Necesse igitur est abscondere interim, si quid habemus boni. Quoniam thesaurum regni cælorum, qui inuenit homo, abscondit, propter quod etiam corporaliter in claustris, & in siluis abscondimur. Etsi scire vultis, quantum in hac absconsione lucramur, credo, nullum hic esse, qui si quartam partem eorum, quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur, vt Sanctus, reputaretur vt Angelus: nunc autem quotidie tanquam negligens arguitur, & increpatur.* Et de Religiosæ vitæ solitudine serm. de Margarita idem Bernardus scribit: *O Religio pacifica, à strepitu maligni sæculi elongata, vbi Spiritus sanctus super humilem venit, & quietum, super deuotum Christi descendit! ore proprio Spiritus sanctus dicit: optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea. O beatissima vita solitaria! vita contemplatiua. Quando in solitudine contemplabatur Virgo Maria, tunc venisti in ea, & de ea carnem assumpsisti.* Hæc mellifluus, & Theodidactus Doctor.

Sacra religio latibulum, & absconsio à mundanis tumultibus.

S. Bernard.

In claustris Religiosi absconduntur, vt thesauri cælestis luminis fruantur.

Laudes vitæ solitariæ.

S. Bern.

Quando in solitudine contemplabatur Virgo Maria tunc venit super eam Spiritus sanctus.



Erit germen Domini in magnificentia, & gloria.

DISCVRSVS I.

Ecclesiæ magnificentia, & gloria ex multiformi sacrorum cœtuum varietate consurgit.

1. 
EX variegata pulchrorum forma species venustior, & gratior resultat: *Amœna vero vsquequaq; varietas,* inquit Plutarchus lib. de liberis educandis, quæ in tot huius mundi simulacris, & spectaculis gratissimis præfulget. Cuius opificem in eius constitutione, arte variegandi vsum fuisse, existimat Philo Hebræus libro de somniis dicens: *Requiritur etiam varietas litteris picturata,*

Quam iucunda, & amœna sit varietas.

Phil. Heb.

[illegible] probe omnibus, [illegible] temperata mixtaque, [illegible] Picturanis [illegible] terra segmenta, [illegible] me credere, [illegible] variegauit. [illegible] mas, & [illegible] tate variegatis [illegible] Terra [illegible]

[illegible]

S. Prosp. [illegible] dat Sanctus Prosper Aquitanicus [illegible]

[illegible]

S. Hieron. [illegible]

[illegible] fauerunt. Vnde vsque hodie per orbem ni-ge[illegible] quam [illegible] perseuerat ordo [illegible] [illegible] variegatam spe-[illegible] omnes [illegible] vata ele-[illegible] mundi plagas [illegible] Euan-gelium [illegible] *[illegible] perambula-te [illegible]* & equitibus [illegible] *[illegible] misit Dominus, vt per-ambularent* [illegible] S. Hieronymus aperit [illegible] *[illegible] in quatuor ventos cæli, [illegible] omnes mundi, & vniuersum orbem ter-rarum [illegible] Domini voluntatem, quibus [illegible] ab Angelo, ite, & perambulate ter-ram.* [illegible] *Euangelium* [illegible] interpretatio de diuersitate [illegible] placeat [illegible]

[illegible]

Religiosi ordines currus gloria Dei, Iesu nomen in omnes mundi plagas importantes.

S. Hier.

Caritas [illegible]

[illegible]

iam dicti ordines Ecclesiæ recipiũt: de medio montium æreorum quadrigæ istæ procurrent, idest, de communi legis, & Euangelij sensu, siue consensu seruabunt vitæ ordinem, scientiæ, vel doctrinæ puritatem.

Cur Zacharias quatuor ordines nuncupat vẽtos. Rup.

4. Cur vates hos quatuor ordines ibidem nuncupat ventos? *Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, vt stent coram Dominatore omnis terræ.* Respondet Rupertus: *Quid nisi quod sapientia dicit, quia multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum? idcirco quatuor quadrigæ istæ quatuor venti cœli dicuntur esse, quia sicut venti perflando, nebulas siue pruinas euertunt, aeremque, qui per quietem corruptus fieret, inquietando salubrem efficiunt: sic ordines isti, quod diximus, singuli in suis officijs stando, & cum tempus postulat, discurrendo, atque festinando, suscitant homines ad cognoscendum Deum Creatorem suum.*

Dicuntur venti cœli, quia discurrentes per orbem suscitant homines ad cognitionem Creatoris.

Cur equi varij egrediuntur ad terram Austri? Rup.

5. Cur æqui varij egrediuntur ad terram austri? Respondet Rupertus: *Nomine austri Spiritus sanctus solet designari. Et quæ terra huius austri, nisi sancta Scriptura legalis, prophetica Euangelica, quam vniuersam vtique Spiritus sanctus condidit? Quid igitur est, varios equos egredi ad terram austri, nisi docta fidei viros, eximere se omnibus curis sæculi, soli[s]que vacare, vel studere Scripturis sanctis, & verba tractare Spiritus sancti. Talium est enim huiusmodi negotium, propter ipsum quod non solummodo nigri vel albi sunt, sed varij, idest, non solummodo propositi sancti executores, vel sanctitate vitæ decori: sed & sancti pariter, & eruditi, quasdam habentes facultates sermonis & præclari ingenij, cæterorumque talium, quas non habent multi, qui sunt vitæ laudabilis, & accliores, quam sint isti, quia non dedit ipse Auster, cuius hæc terra est, non dedit Spiritus sanctus diuisiarum huiusmodi Dominus, diuidens singulis prout vult.*

Terra austri dicitur sacra Scriptura, quã Spiritus sanctus condidit.

Egrediuntur ad terram Austri, qui studio sacrarũ literarum vacant.

Varij dicuntur, qui sancti pariter sunt, & eruditi.

Rup.

Equi fortissimi nuncupati qui per omnem terrã discurrentes pro fidei prædicatione sanguinem fundunt.

6. De equis fortissimis præter dicta subiungit: *Qui erant fortissimi, videlicet, quos iam ante rufos dixit, quærebant discurrere, & exire in omnem terram, quia videlicet spontaneâ charitate fortissimi milites Christi, pro fide ipsius ad passiones cucurrerunt, spontanea deuotione tradiderunt corpora sua ad supplicia propter Deum, quia multos idolatria defensores habebat, quorum stultitia nihilominus quàm morte, vel sanguine Martyrum confundi, vel superari poterat.*

Sapientissimus, ac piẽtissimus Rupertus, sacrarum familiarum Encomiastes eximius.

7. Sacrorum Ordinum magnalia ex Ruperto transcripsi eximiæ pietatis, singularis acuminis, & eruditionis viro, qui omnes sapientiæ vires exeruit, vt encomiastes fieret sacrorum cœtuum, & diuersa eorum munia à Spiritu superno donata, mirificis laudibus æternitati commendaret. Hic pater illuminatissimus, & vnus de Principibus primis Benedictinæ familiæ adstrictas tenet pietatis, & amoris nexibus sacras familias, & acies spirituales, quas summus cœli Imperator subsequentibus temporibus in lucem eduxit, vt singularia illius encomia singuli ordines studio sibi deuotionis, & proprietatis vsurpent; in his enim equitatibus Domini versicoloribus, decoros equos inuenies, alios roseos, sanguinis cocco pro Christo effuso purpureos, alios candore virgineo albidos, & niueos, vel quippe purissimæ lucis æternæ albæ sunt, alios varios, & nigros, quos decor vitæ sanctioris, & bullæ sapientiæ aureæ, phaleræ, & monilia totius eruditionis exornant; de quibus Rupertus argutè dixerat:

Rup.

Non solum sanctitate vitæ decori, sed & sancti pariter, & eruditi quasdam habentes facultates sermonis, & præclari ingenij. Dicuntur verò nigri iuxta Doctorem maximum: *Obscuri & nigri Christi mysteria cognoscentes* Quia per contéplationis excessum intrãt in caliginẽ, in qua Deus inhabitat, & obscura mysteria perscrutãtes hominibus aperiũt. Nec dissonat B. Dionys. Areop. expẽdens locum Zachariæ, & ænygma quadrigarum, & equorum, qui licet de cœlesti Hierarchia, & spiritibus Angelicis explicet, leniter illius verba trahes ad Ecclesiasticã, & Religiosam Ierarchiam. Sic enim ait de cœlesti c. 15. *Equorum quoque figuram obedientiam in sanctis Angelis significare dicimus, quia diuinis obtemperãt iussis, qui siquidem albi sint, cãdorem ac diuinæ propinquitatem lucis, quam maximè signant: sin verò pulli, occulta diuinitatis infinuant: si autem rubei vigorem ignis, & strenuam efficaciam indicant: quod si ex albo nigroque permixti, vix illa signatur, quæ traducente nectuntur extrema, & primis secundis, ac secunda primis cõuersionis ac prudẽtiæ ratione iunguntur.* Hæc sapientissimus Pauli alumnus.

Obscuri & nigri coloris sunt qui mysteria Christi agnoscunt.

S. Dion. Ar.

In equorum figura obedientiam sanctis Angelis significatur.

Quid reliqui colores in cœlestibus Spiritibus denotent?

In varietate innuitur prudentia, quâ extrema primis nectũtur.

8. De Euangelicis verò curribus, & equis S. Ambrosius pulchrè fatur in Psalm. 118. octon. 4. *Ascendisti equos tuos, equitatus tuus sanitas* (Habacuc cap. 3.) *O bonorum equorum duodena iugum mirabile! quibus frena pietatis habenæ sunt charitatis, constricti inter se concordiæ vinculis, & iugo fidei subiecti, quatuor totis Euangelij mysterium totius orbis finibus inuehentes, vnum aurigam portantes Dei Verbum, cuius flagello fugatæ sunt illecebræ sæculares, exterminatus mundi istius Princeps, iustorum cursus impletus est. Currebant igitur equi, quia non dormiebat, qui ascenderat equos. Animarum igitur nostrarum auriga Iesus.* Hucvsque Ambrosius.

S. Amb.

Equitatus Dominici decem, & sex spiritalis ornatus.

Equitatus Dominici & Apostolici auriga Iesus.

9. De curribus, & equitibus varijs egrediamur ad superos, & in ipsis cœli sideribus suspendamus animum. De creatione stellarum fit mentio Genesis cap. 1. & Psal. 8. v. 4. *Lunam, & stellas, quæ tu fundasti.* Psal. 146. v. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Quæ autem sint istæ stellæ iuxta sensum arcanum declarat sanctus Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus anagogicarum contemplationum in Examer. libro. 4. locutus de situ, & ordine stellarum: *Quid si etiam dicendum est de earum positura. Nec ea quidem est impropria & sine mysterio. Nam aliæ quidem ex ijs ingrediuntur tanquam solitarij Monachi, vt ij, qui soli vitam exercent Monasticam in rupibus, in quibus non sunt fontes; aliæ autem simul binæ, aut ternæ, vt qui ex septuaginta duobus proficiscebantur, aut etiam qui duo simul exercebantur ad certamina ascetica, seu Monastica, vbi audissent eum, qui dicebat: Vbi sunt duo aut tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum. Aliæ ingrediuntur instar chori, aut coronæ, cuiusmodi sunt, qui dicunt: Ecce quàm Bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Et aliæ quidem perlucidæ, quæ quidem sunt valde lucida tenentes locum Doctorum, & Pontificum. Aliæ autem rursus tenent figuram Crucis, ex quibus erat, qui dicebat, qui suam carnem crucifixerũt cum vitijs & concupiscentijs.* Perpulchrũ schema proponit Anastasius sacrarum Religionum, in vario dispositione stellarum, quæ variantes in suis encursibus, & motibus.

Psalm.

S. Anast.

In multiformi siderum cœlestium positura varietas arcanorum innuitur.

Monachi solitarij & Anachoretæ.

Duo vel terni in certamine ascetico sese exercent.

Alij congregatim viuunt.

Alij perlucidi lucentes instar Doctorum & Pontificũ.

Alij Crucifixo Domino per omnia se conformant.

motibus,ſtatiſque & aſſiduis gyrationibus, manentes in ordinibus ſuis tanquam vigiles excubant, & militant Domino ſuo. Cernere eſt noctu exercitus ſtellarum ſub omnium ſiderum rectore ſole, qui vniuerſis lucem fœnerat, velut inſtructas, & ordinatas acies progredi ad Domini laudem, quarum vnæ apparent poſitæ in procinctu, cùm aliæ, à proſpectu noſtro ſubducuntur; aliæ ſolitariæ, a congreſſu aliorum ſiderum remotæ ingrediuntur cæleſte curriculum, vt monachorum vitam eremiticam innuant ab hominum contubernio remotam, qui vitam anachoreticam in ſpelæis, & vmbris nemorum, aut lauris inſtituunt; aliæ gregali ſocietate gaudent, vt diſciplinam cœnobiticam, & conuentualem vitam inſinuent congregatorum in vnum, quibus aſſidet Deus. Aliæ choreas, & coronas inſtituunt, vt choros indicent collaudantium Deum, eiuſque magnitudinem celebrantium. Aliæ ſtellæ valde rutilant, & fulgores ſuos circumquaque ſpargunt, vt Religioſos manifeſtent, qui vitæ puritate, & doctrinæ ſplendore mundum illuminant. aliæ denique geſtant figuram Crucis, qui mortificationem Ieſu præualidam, & nunquam interruptam in corpore ſuo circumferunt, qui quotidie crucem tollunt ſuam, & ſequuntur ducem Ieſum. Scitè Aſcanius Martinengus in Gloſſa magna expendens in ſideribus hanc Anaſtaſij ſimilitudinem Crucis, ait: *Hi Crucem in corde ſculptam gerunt quinque ferè plagis, & ipſi Crucifixo affixi, qui aiunt cum Diuo Paulo: Ego ſtigmata Domini Ieſu Chriſti porto: & promerentur interdum in membris quoque eas plagas inciſas geſtare, vt Seraphicus ille Franciſcus.*

Aſcan.

Seraphicus Franciſcus ſtella cruciformis, ſtigmata Domini Ieſu in carne portans.

10. Diſpoſuit Dominus in ſuperna cæli aula ordines ſtellarum, & Angelorum, in terris quoque varios cœtus diſtribuit, & ordinauit ſanctorum, quorum virtutibus, & inſignibus meritorum Chriſtus coronatur, & ſponſa Eccleſia tanquam monili pretioſo, & murenulis ex pellucentibus lapillis diſtinctis; ſic variis Religionibus velut candidis & inæſtimabilibus margaritis pectus exornat. Nec inſolitum eſt cum Angelorum claſſibus, & lapidibus pretioſis ſacras Chriſti familias comparare. Audi Petrum Bleſenſem Archidiaconum Bathonienſem epiſt. 97. de Religionum diuerſitate ſantem: *Hanc varietatem per Iſaiam inſinuans* (cap.54.) *dicit Dominus: ecce ego ſternam lapides tuos per ordinem. Fundabo te in ſapphiro, & iaſpide, & lapidibus ſculptis. Teſte Apoſtolo: in Domo Domini ſunt vaſa aurea, & argentea, lignea, & fictilia apta in miniſterium. nemo grauiter ferat diuerſitatem ordinum in hominibus, nam & in ſtellis ordo eſt. Luna etiam teſte Habacuc* (cap.3.) *ſtetit in ordine ſuo. Diuerſi Angelorum ordines diſtinguuntur.* Nec prætermittamus inexaminatum Iſaiæ locum ex cap.54. verſ.11. quem citat Bleſenſis, nam loco illius ſententiæ: *Sternam per ordinem lapides*, ait Forerius apud Hebræum legi: *Lapides varij coloru. Probantur enim paſſim pauimenta ex nigris lapidibus, candidis præſertim marmoribus immixtis.* Ait enim Vates ſtratum, & pauimentum Eccleſiæ collucentibus gemmis ornatum diſtinctis, & variantibus fulgoribus, præfulgidum, & decorum. Nec diſſonat Sanctus Chryſoſtomus in encomiis Religionum di-

Eccleſia & ſponſus eius Ieſus tanquã monili pretioſo, diuerſis gemmis pellucida, ornatur Religionum varietate.

Petr.Bleſ.

In ſtellis, & luna ordo eſt.

Diuerſi Angelorum ordines.

Iſa.

Petr.Bleſ.

Forer.

Ex lapidibus coloris varij pauimenta ſternuntur.

D. Chryſoſt.

uerſificans illas, quæ in eremo, & hominum contubernio degunt, ait enim tom.5. homil. de laudibus Monachorum: *Diuerſa enim ſunt ad virtutem via: ſi quidem & margarita inter ſe differunt plurimùm, vel ſi omnes ſint idem nomen ſortita, tamen hæc fulgentior eſt, & rotunda: illa verò haud parem habet decorem, ſed alium quemdam, & varium.* Et ſtatim varietatem explicat: *quemadmodum enim corallum artificio quodam productas in longum lineas nonnunquam habet, coloremque à candido etſi diuerſum, longè tamen delectabiliorem; viridis etiam iniectus color præter omnem viriditatem iuuat, item & flos quoddam coniunctum habet cum innata fragrantia, & ſanguinis colorem. Alius autem, qui glaucus fuerit, glaucitate ipsâ mare vincit, alius etiam erit purpureo colore ſplendidior: inſuper & ſolis colores varios eſſe inuenire quis facilè poterit: ſic & his ſimiles dici viri ſancti poſſunt, quorum nonnulli propriâ quâdam exercitatione & induſtriâ ſibi ipſis, plerique verò Eccleſiæ profuere.* Si enim Aaron, quantò meliùs ſummus Sacerdos Chriſtus pectori ſuo applicitos, & colligatos portabit varios ordines lapidum, nec ſine myſterio ait textus ſacer Exodi cap.28. verſ.17. *Ponesque in eo quatuor ordines lapidum.* Et Sapientiæ cap.18. v.24. *& parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant inſculpta.* Vt in ipſis verſibus lapidum pretioſorum, varios religioſorum ordines adumbraret, qui Chriſti pectus exornant. Itaque in margaritis, & gemmis ordinum varietas deſignatur. Sicut enim Sol iaſpidem gemmam viridi colore illuſtrat, & ſtellatam reddit aureis punctis, aut linea alba per tranſuerſum præcingit; ſapphirum reddit cærulei coloris inſtar cæli ſudi, cùm ſerenum eſt, aureis guttis, aut cryſtallinis collucentem; Amethyſtum illuſtrat violaceo colore albicante purpuræ deiectu, in quo refulget velut in purpura leniter roſeus nitor; Achatem vitreâ perſpicuitate: Sardonichem compingit quaſi quodam glutino ex nigricante aut albicante gemma; gemmam ſardium candidam, & tranſlucidam reddit; Chryſolitum auri ſimilitudine albicare cogit cum marini coloris ſimilitudine: beryllum gemmam ex glauco, & nigricante colore temperatam generat; topazion refulgentem, & fulgurantem; carbunculum, & ligurium inſtar ignis refulgentes, & in ſolo flagrantes, & contra illius radios ſcintillantes; ſic ſupercæleſtis ſol Ieſus Religionum ſanctarum gemmas de miniſteriorum decore, de munerum ſplendore reddit variegatas, vniformiter difformiter pellucidas,& ſplendentes;hos enim de ardenti animarum zelo reddit flammeos, & ardentes; de martyrij cruore purpureos;de vitæ candore albicantes; de amore eremi, ſolitudinis, & ſiluarum viridi ſplendore aureos;de ſapientiæ vbertate tranſlucidos;de ſacræ Theologiæ radiis refulgentes,& fulgurantes;de pœnitētiæ ſqualore ſubnigros;de ieiunij ariditate cæruleos,illos inclinat ad pietatis opera,& charitatis magnalia.

11. Denique Petrus Bleſenſis Religionibus ſacris hâc corollam laudationum pangit epiſt. 97. apud ſponſam *Chriſti non eſt abſurda varietas, cum ipſa circumamicta varietatibus deſcribatur, ipſa varietas vniformitatis cauſa eſt. Nam in cithara & diuerſitate chordarum, fit vniformis modulatio ad concentũ. Spõſa decorẽ videas in varietate*

Margaritæ inter ſe differunt plurimum magnitudine,& colore vario.

Coralli varietas in coloribus.

Ex viris ſanctis alij ſibi tantùm profecti, alij verò ſibi, & aliis.

Exod.

In quatuor ordinibus lapidum rationalis, varij Religionum ordines adumbrati, qui pectus Chriſti exornant.

Sol pretioſis lapidibus varios colores, & ſplendores infundit.

Sol idem Ieſus in Religioſis functionibus varius.

Petr.Bleſ.

Sponſa Chriſti circumamicta varietatibus.

Ex diuerſitate chordarum reſultat in cithara vniformis modulatio ad concentum.

ctuum, professionum, morum, opinionum, & ordinum, ideoque describitur in sacro elogio, quasi cedrus, quasi cypressus, quasi palma, quasi plantatio rosæ, quasi oliua, quasi platanus, sicut cinnamomum, & balsamum, quasi myrrha electa, &c. Hæc pulchrè sapiens Blesensis, cui adiiciendus Theodoretus pro huius discursus coronide in Historia religiosa capite 26. scribens: *Quemadmodum Reges hominum mutant imagines nummorum aliquando quidem leonum exprimentes imagines: aliquando autem stellarum: & aliquando Angelorum, nouo charactere tentantes aurum reddere pretiosius: ita etiam summus Rex vniuersorum, veluti quasdam figuras, ac characteres hæc noua & multiplicia viuendi instituta pietati vereq; religioni adijciens ad laudandum linguas excitat*. Hæc ille.



Erit germen Domini in magnificentia, & gloria.

Discvrsvs II.

Deo dicati cœtus, Crucis, & Passionis Christi sunt fœtus, & partus.

1. SPECIOSA Ecclesiæ, germina, quæ sunt familiæ, & tribus sacræ, omnis prouentus decorem & gratiarum ornatum à Cruci suffixo seruatore hauriunt; dedit terra deserti, & mortalitatis gleba fructum magnificum irrigata, & imbuta deifico sanguine, omni sanctitate, & perfectione decorum; hanc generosam, & religiosam prolem à Cruce prognatam intuitus est Isaias cap. 22. dum in figura Eliacim, Christi Crucifixi prodit mysterium. vers. 23. *Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domui Patris eius. Et suspendent super eum omnem gloriam patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas paruulum à vasis craterarum, vsque ad omne vas musicorum*. De Iesu Crucifixo vaticinium accipiunt sanctus Hieronymus, Arias Montanus, Hugo Carensis, huius verba sunt: *figam illum paxillum, hoc fuit quando Christus erectus fuit in Cruce*. Vocatur Crux diminutiuè paxillus, quia contemptibile lignum extitit, Iudæis scandalum, gentibus stultitia. Locus verò, in quo altè defigitur firmiter, & immobiliter radicatur, iure vocatur *locus fidelis*. Sanctus Hieronymus: *In loco fideli, vbi conuentus fidelium est*. Itaque paxillus, stips cum Christo in ea pendenti, & suffixo in congregationibus sanctis, Religiosis cœtibus, Deo sacratis conuentibus, defigitur, & extollitur, ad tutelam, ad æmulationem singularem vitæ sanctioris normam, vt ad exemplar tanti simulacri vitam, & mores componant. Illud tamen primariâ pensiculatione contemplandum venit, quod in Propheta subiungitur: *Vasorum diuersa genera*. Pro quo Symmacus, Aquila apud sanctum Hieronymum, Hebræus, & Forerius legunt: *Stirpes, germina, propagines, filios*. Vt progerminationes filiorum ex cruce pullulantes cernas, quæ autem illæ sint, Hugo sapienter expendit: *Diuersa genera vasorum, sunt diuersa genera ministrorum; vas paruulum Frater Minor. Vas craterarum Frater Prædicator. Vas musicorum Frater Cisterciensis, qui laudant assiduè. Omnes isti pendent à Christo*. Sanctus Hieronymus: *Et omne vas musicorum, eorum qui omni tempore in Dei laudes personant*. Itaque eos, qui cœlestibus contemplationibus assiduè animos suspendunt; sacris Doxologiis, & Dominicis laudibus celebrandis diu noctuque tempus impendunt, qui ministeriis variis, & prouentibus animorum enixè incumbunt, filios, & progeniem Iesu Crucifixi nuncupat. Nec dissonat vasorum nomenclatio, quæ sacros ordines reddit demonstrabiles, & illustres, vasa enim belli spiritalis sunt, & omnis armorum Domini structura, quâ impietatem excindunt, & exultantes hostes animorum prosternunt. Hos fructus, & germina speciosa Crux Christi progerminauit, sacras nimirum Religionum acies quibus, accommoda valde veniunt verba S. Bernardi Epist. 109. quibus, cum Gaufrido ex sociis eius religiosis fatur: *Non apparebit vltra vacua in vobis Crux Christi, quemadmodum in multis filys diffidentiæ, qui tardantes conuerti ad Dominum de die in diem, improuisâ morte subtracti, in puncto descendunt ad inferos; omnino refloruit, & nunc quasi de nouo lignum, in quo pependit Dominus gloriæ, qui mortuus est non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ipse, ipse colligit vos, qui diligit vos tanquam viscera sua, tanquam fructum pretiosissimum Crucis suæ, tanquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui*. Hæc scienter, & aptè Bernardus. Lignum Crucis antea sterile, & inglorium, cùm semel effloruit, floremque vitæ germinauit, qui odorem succisus reseruans, & attritus accumulans, pulchrius fusi cruoris colore vernauit; sacras Congregationum sanctarum gemmas, & Conuentuum frondes germinauit, flores inquam crucifixorum, qui mortificationem, & Crucem Iesu in habitu, corpore, moribusq; quotidie circumferunt; qui cohibentes validè corporis motus, & improbas animi passiones timoris clauis, & charitatis lacertis, se Cruci voluntariè suffigunt, & nectunt, hic prouentus Crucis est, & fructus Domini Crucifixi: *Taquam fructũ pretiosissimũ Crucis suæ*. Fructus solet regerere natiuæ arboris similitudinem, & filius trahit viuâ, expressamq; imaginem Patris; in familiis sacris, quas Iesus in Cruce parturiit, Crucifixi species, & forma resplendet. Ideo addit Vates iuxta Septuaginta Seniores: *Et erunt appensi ei in die illa*. Quia cum Christo & Paulo confixi sunt Cruci, mundo Crucifixi, à terrenæ labis & illecebrosæ corruptelæ cœnoso gurgite, sese in altum subleuant, à terra suspensi, Cruci appensi, præclarum suspendium, quod eligit animus, vt proximior cœlo sit, & vberiùs irrigetur rorifero gratiæ fluento. Beatiores hi, quàm Iacob in terra dormiens, cùm ad cœlum aspirãt, æthereasq; regiones per scalam Crucis scãdunt, innixi Crucifixi Domini

Isa. — *Christus fixus est quasi paxillus erectus in Cruce.* — Ar. Mont. Hugo. — *Locus fidelis conuentus fidelium.* S. Hier. — Sym. Aqui. S. Hier. Heb. Forer. Hugo. — *Diuersa vasorum genera, diuersa instituta, quæ à Christo crucifixo pendent. Crux Christi germina religionum germinauit.* — S. Bernard. — *Cùm quis mundum das religiosa militiæ, lignum Crucis de nouo refloruit. Religiosi, fructus sunt pretiosissimi Crucis & dignissima recompensatio effusi sanguinis Christi.* — *Religiosi cum Christo in Cruce appensi, à terrenis suspensi.*

Digitized by Google

Domini fulcro, affixi clauis, vt palmam victoriæ obtineant, & brauium vocationis supernæ, nempe Dominum Iesum, ad sequelam de alto culmine Crucis inclinato capite clamantem. Nec solùm nuncupat crucifixi germina Religiones Bernardus: *Sed dignam recompensationem effusi sanguinis sui.* Greges agnorum Deo consecratorum gignere, mysticúmque Religionis cœlum nouum, & terram nouam condere & fundare, mercedis loco donatur Christo sanguinem in Cruce fundenti, vt de Paradisi ligno, de terra viuentium abscisso, quod sacri cruoris vnda rigauerat, nouelli surculi, & frondes religiose pullularent,

2. Miram Iacobi industriam in eligendis sibi pecoribus mercede donatis, pro pastoritiæ custodiæ functione, sacra pagina celebrat; separauit sibi quos gignerent oues agnos maculosos, furuos, & varios; vt autem genitura gregis pulchra variis coloribus ornata procederet, decorticauit virgas, vt variegati coloris redderentur fœtus. Genes. capite 30. vers. 38. *Posuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua: Vt cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas & in aspectu earum conciperent. Factumque est vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa.* Septuaginta legunt: *Et concipiebant oues in virgas & pariebant oues subalbas, & varias, & cinericias sparsas. Segregauit Iacob subalbum, & omne varium in agnis.* Et antea prædixerat textus: *Cunctum gregem albi, & nigri coloris dedit in manu filiorum.* Cernis ad conspectum virgæ, quàm vberes partus oues effundant, in quibus decor sit naturæ, & species gratiæ refulgeat. In virga Crucem Dominicam, & Iesum Crucifixum facile est iuxta mysterium cognoscere cum sancto Cyrillo Alexandrino, qui lib. 1. Glaphyr. in Genesim ait: *Veluti in specie virga intellectus se ipsum quodammodo nobis proponit Christus vt mortuum, & suscitatum.* Quem æmulatur Cardinalis Hugo: *Christus virga fuit in passione decorticatus, id est, diuersis flagellis cæsus. Huius virga decorticationem si diligenter aspicimus, concipimus fœtus varios, idest, actus, & affectus, virtutum varietate fulgentes.* Sed quid si per arietes victimas aris destinatas, duces gregum, rectores ouium sacrarum familiarum institutores, & patres in Spiritu Iacob præuideret; qui haudquaquam decolores fœtus piæ mentis conceptione formarent; & greges agnorum cœtus religiosorum cerneret, sicut diuersis habitus coloribus, ita variis muneribus quasi punctis, & stigmatibus notatos sicut agni Iacob. de quibus accómoda veniunt verba Ambrosij l. 2. de Iacob, & vita beata. c. 4. Sic enim de Patriarcha hanc varij generis spiritalem sobolem meditante, fatur: *Quasi mercenarius ingreditur iustus, & rector est: qui sibi gregem multarum præstantiumq; virtutum splendore fulgentem Euangelicæ prædicationis ministerio colligebat.* Et statim: *Bonæ oues, quæ bonorum partus operum fidei sacra non degeneres ediderunt.* Formant hos greges sacros Religionum parentes ad fidei ornatum, pietatis decus, deuotionis augmentum, ad obsequium Christi, & Euangelicę prędicationis gratiam, ad Apostolicæ perfectionis opera celsiora. Præfulgent, claré in agnorum, & ouium colore vario,

Gen.

Ad conspectum decorticata virga, oues Iacob pariūt agnos varys coloribus respersos.

S. Cyril. Al.

Christus virga fuit in passione decorticata.

Hug. Card.

Religionum institutores, & patres, familias religiosas pariunt diuersarum virtutum splendore fulgentes.

S. Ambr.

diuersitas ordinū, variegatæ institutionis splendores sacrarum functionum. Ad cōspectum virgæ progeniti funduntur fœtus varij: hi agni pellucido, & nitenti albore candicant; alij punctati ex albicanti & nigra velleris speciosa macula conspicui, & varij: alij verò cinerei coloris splendore nitentes, vt supra LXX. Interpretes annotant. vt statim appareat in Ecclesia Christi religionū ornatus varius, habitu, cultu, & diuersificáre præclari muneris formâ. De quibus pulchrè scripserat Petrus Bles. Epist. 97. *In ouili Iacob sunt agni albi, & nigri, in vinea Sorech vua alba & nigra. Sponsa, quæ lilys conuallium prealbescit, ipsa dicit: nigra sum, sed formosa, ipsa varietas vniformitatis causa est.*

3. Varios alborum variantium in mixtura candoris, & nigritudinis, & in cinereo colore agnorum greges Iacob, illustrat Philo Hebræus lib. de somniis, agens de spiritali fœtura, & prole, scribit: *Elegantem enim prolem pariet, masculam, albam, variam, interspersam cinericys maculis.* De albis hæc prædicat: *Albi sunt clarissimi, & manifestissimi, aliquid perspicuum insigneq; significant. Proinde requiritur, vt anima sacra genitura grauida primogeniti fœtus albi sint, similes non sublustri colori, sed splendido, quales per meridianam serenitatem fulgent solares radij.*

4. De varijs, & cinericiis subiungit: *Post albos enim mox vidit varios eruditionis notis insignitos. Tertij sunt aspersi cinericij. Hos tamen quis sanus non dicat varios? Verùm hoc non tam de differentijs pecorum agitur, quàm de via ducente ad virtutem. Vult enim Propheta in hac incedentem aspergi aquâ, & cinere. Est ergo principium inuisibilis sapientiæ non obliuisci sui ipsius, & habere semper præ oculis suas origines. Quis enim cogitans, se aquam, & cinerem iam inde à creationis suæ primordijs, inflabitur, & cristas tollet per arrogamiam?* Hæc argutissimus Philo, luculenter expendit colores varios de diuersis ad virtutem viis, & itineribus, quibus ad æternitatem gradiuntur iusti. Albos agnos clarissimos nuncupat insigni nobilitate conspicuos, varios eruditionis notis, & sapientiæ cœlestis notionibus signatos. Cinereos habitu, & abiectionis affectu, præferentes paupertatis & humilitatis insignia.

5. Nec silentio tumulandum, quod textus addit: *Oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa.* Pro quo Hebræus habet, & Vatablus: *Vt conciperent in virgis.* Quia varij coloris imagines, & spiritales fœturæ, ex aspectu Christi Crucifixi, & in Cruce morientis formantur. Repete altius ex sancto Cyrillo, quod in virga ostenditur *Christus vt mortuus.* Ex Hugone. *Christus in passione decorticatus, diuersis flagellis cæsus.* Nonne cuicumque sacræ Religionis architecto iussio illa admonitoria defertur: inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in Christo Crucifixo monstratum est? Ad conspectum enim Iesu in patibulo suffixi, & in Cruce morientis religiosam fingit imaginem strictioris disciplinæ, quæ ducit ad vitam, diuinum quoddam, & pulcherrimum simulacrum format. In passionis angore, in doloribus, & pressura mortis Iesus velut fœcunda Mater sacras religionum proles enititur, bona, & beata germina vitæ, quæ Christus patiens roseo sui sanguinis purpurisso colorat. Felicior proles, quam mortuus confouet, & viuificat, & suscitat ad æternæ

Petr. Bles.

Phil. Heb.

Agni coloris candidi perspicuum, & insigne virtutis meridianâ solis claritate fulgentis, denotant.

Phil. Heb.

Varij sunt qui multiplicis eruditionis notis insigniuntur. Via varia & semita, ad perfectionem ducentes.

Aqua & cineris aspersio ad commēdationem humilitatis, & memoriâ Originarij pulueris.

Lect. Heb. Vat.

Singuli religionum architecti ad conspectum Crucifixi Iesu religiosam fingunt imaginem.

Cyril. Alex.

Agnorum crura fasciis reuincta velut consiliorum, & votorum nexibus.

æternæ candorem vitæ. Illud verò, quod Hebræus, & Vatablus referunt: *Et pariebant oues illa agnos, quorum crura diuerso colore veluti fasciis videbantur reuincta.* Sic accipe, quod Religionum parens Iesus eas velut tenerum fœtum, & natum pannis inuoluit consiliorum, & regularum fasciis reuincit, votorumque lacertis, & nexibus religat, vt in illis relúceat Euangelicæ institutionis censura, quâ admonet Religiosos Christus: *sint lumbi vestri præcincti.*

Psalm.

Dies virtutis Christi, dies mortis.

6. Arduum, & reconditum valde carmen cecinit sacri Pastoris lyra Psalmo 109. vers. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum.* In quo de Saluatore ad litteram sermo est. Cuius arcani sensûs thesauros eruere quis poterit, si supponat, quis sit dies virtutis eius, S. Hieronymus tempus passionis, & mortis intelligit dicens: *Hoc est tempore, quo patiebaris, & dicebas: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.* Et sanctus Chrysostomus: *Diem potentiæ potes dicere diem, quia iam fuit: an non tibi videtur esse maximum potentiæ argumentum, quando per mortem mors deletur? Qui*bus consonant lectiones variæ. Pro eo quod habet vulgatus: *In die virtutis tuæ*, legunt alij apud Lorinum: *In die triumphi tui. In die exercitus tui.* Alij: *Cum duces exercitum tuum.* Vel *cùm habebis solemnes conuentus.* Dies autem triumphi dies est mortis Christi, cùm aëreas potestates, & inferorum virtutes triumphauit in semetipso. Qui autem sint solemnes conuentus, celebresque cœtus, & inuictæ acies, quas secum educet, & ductabit, pendet ex priori verbo: *Tecum principium.* Seu *principatus.* Vel iuxta lectionem sancti Hieronymi: *Duces spontanei*, vel *populus tuus cum spontaneis oblationibus.* Vbi iuxta Lorinum alludit Interpres *ad actionem principiorum in acie castrisque apud Ciceronem, Liuiumque, illud etiam sibi voluerunt, qui duces transtulerunt ex Hebræo.* Hæc est enim Crucis Christi magnificentia, & decus mirabile, quòd moriens non fuerit à principibus primis, & hominum excelsis capitibus derelictus, sed Imperatorum fortium, & strenuissimorum militum ductauerit acies sacras, & inuictas manus; ex quo enim in Cruce erectus caput hominum, & Angelorum Iesus, & vexillatus, ad ipsum conglobati exercitus Domini concurrerunt, ipsumque circum gyrauerunt Imperatores & Duces sanctorum Conuentuum, cœlestium Congregationum Institutores, ferre Crucem post Christum parati, & quotidie crucifixi; veniunt enim ad suum Regem piis affectibus animorum, & cum oblationibus spontaneis hostiarum se ipsos offerentes sacrificium sanctum, immaculatam hostiam viuentem rationabilem, tria obedientiæ, paupertatis, & castitatis vota, non coactè, sed voluntariè offerentes. Æquum enim est, vt se offerant Deo suo, qui factus est hominum victima in ara Crucis litata pro hominum flagitiis. Ferax lignum Crux, frugiferum bellè germinans, alticomum, frõdosum, quod fructum præclarum progenuit in die virtutis. Qualis autem sit explicat Chrysostomus hoc eodem Psalmo: *Ecclesia vbique terrarum germinabant, chori Virginum consistebant, & Monachorum ordines.* Hæ sunt Crucis nouellæ, & frondes, hæc Crucifixi germina, Virginum & Monachorum ordines toto orbe diffusi; vidistis insolitam

S. Hier.

Lect. Var. Lorin.

Dies virtutis Christi cùm eduxit solẽnes conuentus & exercitus ad triũphum.

S. Hier. Lorin.

Christus moriens ductauit sacras acies ducum fortissimorum afferentium spontaneas oblationes.

S. Chrys.

Chori Virginum, Monachorum ordines Crucis Christi germina.

generationem, & prolem mirabilem; cum clauis terebrantur pedes, & manus, ferreorum cuspidum acerbitate, & stimulis dolorum punctus, & compunctus, cùm in Cruce occumbit inglorius Iesus, diráque lanceâ perforatur latus, cœlestem hanc parabat genturã in Crucis thalamo, vt de costæ, & lateris vulnere tanquam de spiritali vulua, de lanceato corde charitate inflãmato, prodiret genimen sacrum, & caterua Deo se dedicantium filiorum. Et solerter vatidicus lyricen obiurgat, & suppudefacit Iudæos quorum improbitas, & perfidia contentiosa conabatur principatum, & regnum à Christo dirimere; tecum ait principatus est, & principium in die virtutis, in die mortis tuæ, cum te Imperatores circundant ambitioso famulatu procurantes consortium Crucis, societatem Passionum. Tecum principium fuit, cum in morte familias sacras genuisti Diuinitatis virtute fœcundâ; sicut enim tui ipsius Pater principium est, similiter principium extitisti filiorum, vt sacræ huius militiæ Pater, & principium nuncuperis; illud tamen omnem admirabilitatem superat, quod Psalmographi canoro ore postmodum funditur: *In splendoribus Sanctorum.* Quid autem sibi velit hæc splendorum adiectio, luculẽter explanat sanctus Chrysostomus tom. 6. orat. de æmulatione dicens: *Lux quidem à Deo procedens simplex est, sed radios habet differentes, non naturâ, sed operatione. Adueniens, multos apud nos splendores efficit, splendorem eleemosynæ, splendorem temperantiæ: splendorem hospitalitatis, splendorem fraterni amoris. Apud Deum quidem splendor est vnus. Hic verò, cum ad nos transmissus fuerit, diuersos operatione suâ fulgores producit. Illic quidem splendor vnus est, in nobis autem multi, sicut scriptum est: tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum tuorum.* Mortuus est sol Iesus, sed non sine luminibus; sol iste, quem oculis corporeis cernimus, cum occumbit, caligine mundum inuoluit; lucerna solis Iustitiæ cùm in ara Crucis extinguitur, super luminaria cœli tenebras expandit, aliud tamen cœlum nobilius claris distinxit sideribus, nouasque faces accendit Sanctorum, coruscantes splendoribus gratiæ, quæ Imperatoris vitâ defuncti caput, & corpus ornant, & coronant; & hoc valde mirabile, quod nox Christi, mortisque obscura vmbra diescat ad gratiam, & mentes Sanctorum variis munerum, & honorum splendoribus illuminet. Habebat Iesus simplicem, & indiuiduam lucem Deitatis, cùm moritur; sed hæc varios diuidebat splendores quasi munerum diuidua charitatis fluenta ad sanctorum ordines deriuata, qui filij lucis sunt non solùm Filij Dei, qui æternæ vitæ insignibus clarescit, sed etiam in Cruce morientis, cuius luminis emanationes sunt sacra sodalitia, in quibus gratiæ iubar vberius, & sublimioris vitæ coruscationes emicant.

S. Chrys.

Lux à Deo procedens simplex est, in sanctis viris diuersis virtutum splendores efficit.

Cùm sol iustitia in ligno Crucis extinguitur, nouas faces Sanctorum accendit.

7. Passionis, & sanguinis Christi mira facinora recensens sanctus Gregorius Nazianzenus de suggestu orat. 42. *Nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum est. In quo exigui cruoris guttæ orbem vniuersum instaurarunt, atque idem quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes, & constringentes.* Duplicem efficientiam mirabilem sanguinis Christi prædicat

S. Greg. Nys.

Sanguinis Christi miraculum, quod instar lactis coaguli, in vnum homines congregaret.

Nicet. prædicat sacer Theologus, & mysteriorum cœlestium symmysta, vt annotat Nicetas præclarus Nazianzeni Scholiastes. Prima est humanæ vitæ innouatio, & ad actiones sacratiores traductio. Secunda, animorum conciliatio, & dissidentium voluntatum, discrepantium ingeniorum coitio in morum vnitatem; quare priorem illam Doctoris sententiam: *Exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurarunt.* Sic explanat Nicetas: *id est, ita innouarunt, vt nouum vitæ iter sectaretur.* Secundum verò comma: *Idem quod lacti coagulum hominibus præstiterunt*, &c. illustre reddit & perspicuum his verbis: *Non secus ac coagulum si in lac iniiciatur, id quod in eo dispersum, ac fluidum est, condensat, atque in vnum solidum corpus compingit, & colligit.* Quibus sententiis mirifica redduntur verba Psalmi 67. vers. 16. 17. *Mons Dei mons pinguis, mons coagulatus, mon pinguis, vt quid suspicamini montes coagulatos?* quæ iuxta litteram patres de Christo Domino obiter vsurpant. Itaque IESVS mons est *coagulatus* in passione, quia purpureis laticibus, sanguineisque guttis quasi diuino quodam coagulo nos in vitam nouam, & cœlestem genuit, quos Adamus vitiauerat, & in vitam ærumnosam vitiorum vepribus obsitam ediderat. Si de naturali hominis conceptu, & fœtu licuit Iob c. 10. vers. 10. dicere: *Et sicut caseum me coagulasti.* Et Salomoni cap. 7. Sapientiæ vers. 2. de generatione sua: *Decem mensium tempore coagulatus in sanguine ex semine hominis.* Quid mirum si sanguineæ Christi guttæ dicantur coagulum, quod hominem de nouo fingit, & reformat, & in supermundanam vitam coagmentat. Itaque sanguis Deificus filios Dei generat, & æternæ vitæ consecrat, quos menstruus, & impurus hominis sanguis filios hominis genuerat, & ad mortalitatem destinauerat. Quis ergo trepidabit asserere, de hoc monte alios montes coagulatos processisse, *Vt quid suspicamini montes coagulatos?* Sine hæsitantia, & suspicione illos montes nuncupamus coagulatos, qui celsioris vitæ institutis ad subliniora virtutis, & sanctimoniæ fastigia se subrigunt. Hi enim montes vberiorem gratiæ rorem hauserunt, in quibus instauratus, & redintegratus est mundus iuxta Nazianzenum: *Et nouum vitæ iter sectaretur.* In his diuini coaguli exercetur actiuitas, impenditur robur, quod Nazianzenus annuntiat: *In vnum nos coniungentes, & constringentes.* Etenim religiosa vita, & ascetica disciplina homines reddit vniusmodi, vniusque moris in domo, & quos parentum, nationum, geniorumque dissimilis natura dissoluit, & disgregat; in optimæ vitæ normam, & institutionem spiritalem sanguinis Christi coagulum nos coagmentat, & dispares ingenio compares moribus sacris efficit, & vinculo charitatis connectit. Hoc coagulum naturæ superefluentis profluuia, exuberantes motus passionum constringit, ne ad vetita, & illicita erumpere audeant. Quid illustrius, & gloriosius sacris familiis, quàm quod de Christi sanguine ortus sui originem, & primordia accipiant, & illius sint nouum figmentum, diuinum simulacrum. Demum Euthymius scribit ad id: *Mons Dei mons pinguis. Montem Dei Ecclesiam fidelium appellat, veluti à terrenis eleuatam, & contemplatione, atque actionibus suis tendentem in cœlum. Pinguem etiam ob spiritalis pabuli, quod in ea est, tum abundantiam, tum etiam excellentiam.* Nec mysterio vacat *mons.* Alludit ex primorum Ecclesiæ placito ad montem *Selmon*, de quo Vates prædixerat: *Niue dealbabuntur in Selmon.* Ritè sanctus Augustinus ait: *Montem Dei, qui vocatur Selmon.* Commendat æternitati sacra pagina egregium facinus in monte Selmon ab inclyto duce Abimelec patratum. Iudic. cap. 9. vers. 48. *Abimelec ascendit in montem Selmon, & arreptâ securi præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: quod me videritis facere, facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem.* Abimelec idem est, ac *Pater Rex*, & denotat Dominum IESVM, cuius pater est Rex, & ipse filius ad dexteram Patris regnat in cœlis. In Abimelec duce, IESV Imperatoris figura præcessit, qui expugnaturus diram hostis tyrannidem, & præsidium mundi, quod diuersis vitiorum arcibus malitia instruxerat, humeris suis impositam Crucis arborem baiulauit, dixitque ad socios, & sectatores suos: *Quod me videritis facere, facite: qui vult venire post me, tollat Crucem suam, & sequatur me.* Habet hic quamplurimos æmulatores Cruci confixos, & quibus crucifixus est mundus. Hunc exercitum crucifixorum, & Crucem portantium post IESVM, genuit sanguis Christi, & peperit Christus crucifixus.

Sanguis Christi mundum innouauit, vt nouũ vitæ iter sectaretur. Coagulũ lac dispersum, & fluidum condensat, & vnit. — Psalm. — *Iesus mons coagulatus in passione.* — Iob. — Sap. — *De mõte hoc coagulato, alij montes coagulati eminentiori vita processerunt.* — *Sanguis Christi homines ex diuersis nationibus, & moribus, in vnam religiosa vita formã coagmentat.* — Euthym. *Ecclesia mõs pinguis à terrenis eleuatus, perfruens spiritalis pabuli abundantiã.* — D. August. — Iud. — *Religiosi Crucem cum Christo portantes in sociis Abimelec ramos portantibus super humeros, adũbrati.*



Et fructus terræ sublimis.

DISCVRSVS III.

Quæ primitiua, & primaria in homine eminent, Domino consecranda.

1. QVÆ autem terra nobilior in possessione Domini, nisi anima religiosa, quæ non vsurpat sibi potiora, sed immolat Domino vberiores mentis prouentus. Et licèt de terrena substantia votorum fructus procedat, consecratione eleuat ad Dominum, vt reddatur cœlestis, & fiat acceptabile munus Domino. Canonem statuit oblationis legislator Leuit. c. 22. v. 18. *Homo de domo Israel, & de aduenis, qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota soluens, vel spontè offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, vt offeratur per vos, masculus immaculatus erit, si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.* Quæ autem offerenda, sit victima, LXX. Seniores perspicuè explicant: *Quicumque obtulerit munera sua secundum confessionem suam, vel secundum omnem electionem ipsorum.* Quicumque ergo secundum cõfessionem suam sese Domino litat, & perpetuæ seruituti se subiicit, quam eligit stabili mentis, & voluntatis decreto, non coactus, non reluctans, sed spontaneus toto libertatis affectu venit, vt in executione votorum, & obseruantiæ cœlestis disciplina non sit languidus, aut resipiscentiæ, ignobilisque retractationis torpore remissus; sed alacer, & strenuus in consiliorum custodia subsistat. Ideò masculus fructus exigitur,

Leuit. — *Lect. LXX. Spontanea votorum, & professionis oblatio.*

exigitur, vt nil fœmineæ cupiditatis, & illecebræ admixtum portet ad aras, sed sacrificium æternæ stabilitatis fundamento solidet. Scitè Isychius Ierosolymitanus Antistes libr. 6. in Leuiticum, inquit: *Masculum esset quod offerret, id est, cum mente virili, & forti, & stabili, & cum valenti fide, atque inconcussa offerre.* Quod autem sit tale holocaustum quod Domino dicat declarat Isychius: *Holocaustum Deo promisit, vitam videlicet perfectam. Offerret autem per confessionem, sicut Septuagima dicunt, qui in quacumque necessitate constitutus, & ex ea compunctus conuersationem quamdam Deo per votum pollicetur.* Nobilior victima vita perfecta, hostia sacratior immaculatæ disciplinæ honore resplendens, quæ totius sanctimoniæ splendore, & puritatis ornamento nitescat. Huius tanta virtus est voti, vt in omni ærumna, passionum illecebra, & hostis incursu, secura sit tutela animi, vt aduersa omnia dirimat, & prosperè cuncta succedant. Cum enim te per vota ad Deum recolligis, ipsique immutabili, & omnipotenti innectis; in tentatione positus memor sponsionis factæ, alligaturæ salutaris, & vinculi, quo Domino colligatus es, gloriosæ seruitutis indicio, omnes dissoluis laqueos sæculi, inuictus appares; & pertimescendus hostibus. Illa tamen argutia sublimior eiusdem Isychij, cùm enim Vulgatus hoc sacrificium versu 15. vocauerit: *Sanctificationem; nec contaminabunt sanctificata filiorum Israël, quæ offerunt Domino.* LXX. nuncupant. *Sanctum sanctorum.* Optimè subiungit sublimioris nuncupationis rationē prædictus Antistes: *Secundū LXX. duntaxat translationem, Sanctorum sancta illud appellauit, quia sacrificium sancti sanctorum est. Hi quæcumque consecrant Domino, id est, quæ ex semetipsis in Domino, quum sacrificium offerunt, sancta Sanctorum fiunt. Corpus enim ex eis conficitur Christi, quia qui primitia est nostræ conspersionis, rectè ex nostris primitiis consistit.* Pulchræ sententiæ magni Theologi Isychij, sed profundiores, quæ mentem minus attentam fugient. Si genuinè, & sincerè perscrutemur sensa verborum, illud in primis apparet, eos, qui sese offerunt Domino, & primitiuas animi, corporisque operationes, sublimes Deo consecrant, sancti Sanctorum infulis decorari, gloriosâ nuncupatione mutuata ab eo, qui sanctus Sanctorū est: Hanc enim non sibi soli Deus vsurpat, sed ad suæ sanctitatis æmulos redundare facit. Si enim cohæredes, & conregnantes, & Deos participatione vocat filios, quid mirum si à sancto Sanctorum, vota sanctificationis suæ peramanter, & officiosè nuncupantes, & soluentes, sancti Sanctorum ornamento celebrentur. Isychius tamen non solam nomenclationem, sed naturam sancti Sanctorum defert oblatis: *Quum sacrificium offerunt sancta Sanctorum fiunt: corpus enim ex eis conficitur Christi.* Numquid sese Domino offerentes religiosum holocaustum, fiunt quoddam sacrificium Eucharisticum? Fideles omnes fide, & charitate coagmentati, & colligati Christo, qui est caput fidelium, corpus sunt ipsius Christi. Quia verò Christus primitiua sua, id est, corporis primitias sanctificatas sacrificium cruentum in ara Crucis obtulit, incruentum, & mysticum consecratione litatur; vtriusque tamen victimæ offerendæ vota nuncupauit IESVS, ipsaque soluit, in Cruce occumbens, in altari memoriale perenne mortis, passionem, & mortem exprimens; ideò sese votis dedicantes Seruatori, qui votum vouit vtriusque sacrificij, speciali, & diuiniori titulo corpus dicuntur Christi. *Corpus enim ex eis conficitur Christi.* Corpus, inquam, votis religiosis obstrictum, & oblatum, quem titulum, & insigne non habet, votum primitiuum carnis suæ non vouens corpus reliquorum fidelium. Illi enim sunt concorporei, & consanguinei Christi, non solum participatione naturæ, & nexu gratiæ, quam diuina victima perficit in nobis, sed strictis votorum nexibus communionem quamdam sanguinis sublimiorem, affinitatis, & propinquitatis coniunctionem, & necessitudinis singularis iura participant, qui se Deo votis sanctificatos immolant.

Isychius Masculum sacrificium offert, qui cū mente virili, forti, stabili, & inconcussa fide dicat.
Isychius. Holocaustum litat Deo, qui vitam, & conuersationem perfectam per votum pollicetur.
Vita sublimioris sponsio in omni ærumna, & tentamento animū firmat.
Cur holocaustum nūcupetur sanctificatio, & sanctum Sanctorum?
Lect. Lxx. Isychius.
A Deo qui sanctus sanctorum est, qui ipsi deuouet primitias animi, & corporis, sanctus Sanctorum nuncupatur.
Isychius. Cur vouentes nō solum dicantur, sed sint sancti Sanctorum?
Christus primitiua sua in ara crucis obtulit, & in sacramento altaris quotidie litat.
Ex iis qui se Deo deuouent, corpus conficitur Christi.
Qui sese votis religiosis obstringunt, necessitudinis, & affinitatis singularis habent cū Christo commercium.

2. Perdifficili quæstione tentat eruditorum animos sanctus Prosper. Cur filia Iephte traditur carnificinæ, virgineumque iugulum traiicitur paterno gladio, vt litetur Deo sacra victima? Isaaci verò iugulatio suspenditur, interposito Angelo, humani sanguinis effusio impenditur. Cur parcit Deus iuueni destinato ad sacrificium; adolescentulæ, & vnigenitæ filiæ non parcit? *Quæritur fortasse*, inquit, Aquitanicus Prosper de prædictionibus Dei part. 2. cap. 20.) *Cur non ei præceperit Deus parcere debere vnicæ filiæ, sicut Abrahæ, vnico iussit, vt parceret filio? Nascitur famosa illa, & ad soluendum difficilis quæstio.* Multis implexa nodis quæstio hæc, primorum Ecclesiæ ingenia torsit; sed non erit adeò indissolubilis, si sacræ seriem lectionis perscrutemur: attende votum, & vouentis animum Iudic. cap. 11. vers. 30. *Votum vouit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Licèt enim in voto esset audacia, & temeraria præsumptio, tamen Dominus ita gaudet primis, & complacet primitiuis victimis, vt virgo filia Iephte prima occurrens, vt paternum celebraret triumphum, & victori plauderet, à Domino remittatur ad mortem: *Reuertente autem Iephte occurrit ei vnigenita filia sua.* Hanc rationem indicat sanctus Prosper: *Dignum fuit, vt non taxata victima, canem, vel subiugale, aut quodlibet aliud dignum pecus sibi primitius occurrens, vt promiserat, immolaret. Hoc ei occurrit, quod probaret virtutem, votum, & animum promittentis.* Consentit sanctus Chrysostomus tom. 5. homil. 14. *Deo pollicitus se primum sibi occursurum post belli victoriam, iugulaturum, in filia necem cecidit. Filiolam enim primam sibi occurrentem immolauit, & Deus non prohibuit.* Primitiuorū vota, & oblata principalioris virtutis in anima adeò perlubēter suscipit Deus, vt teneræ virgúculæ vnicæ parentis proli, & florenti ætati non parcat. Sed virgunculæ libenter libantis Deo sanguinem, & vitam, munus egregium gratanter suscipiat. De consilio Domini virtutem iusti probantis totum manabat Isaaci sacrificium, nec pater vouit, nec ad voti solutionem lege religionis adigitur, sed de obtemperantis diuinis iussionibus animo tota paratura Abrahamidi holocausti componitur. Nec primitiui doni adstipulatio

Cur filia Iephte iugulatur ad victimā, Isaaci iugulatio, & mors suspenditur.
S Prosp. Famosa, & difficilis quæstio.
Iudic. Pater promisit offerre quidquid primum sibi occurreret.
Gaudet Deus primis, complacet primitiuis victimis. Prosp.
S.Chrys.
In Abrahami sacrificio non præcesserat primitiui doni adstipulatio.

ſtipulatio præceſſerat; ſicut in Iephte, cuius ordinem compromiſſi auſcultans ſacra adoleſcentula, certiorque facta promiſſionis paternæ, ſeueriorem diſciplinam vouendi præferentis, in ſententiis illis expreſſam: *Votum vouit, quicumque primus fuerit egreſſus, eum holocauſtum offeram Domino.* Magnâ animi alacritate annuit parenti denuncianti violentam necem, quinimmo duro mortis nuncio non expalluit, nec interitum deprecata, nullas oculis lacrymas, nullos manu, aut pectore plagores fudit; ſed ore benigno, & arridenti contradidit gladio iugulum, manus vinculis, corpus lanienæ, totam ſeipſam buſto. Sciebat enim diuini neminis promeruiſſe gratiam, ſi voti, religioniſque causâ, & accepti beneficij gratificâ memoriâ, ipſa prima, & primitiua victima litaretur.

Filia Iephte, non timens, ſed arridens paterno promiſſo, ſe offert primitiuam victimam tanquam Domino placituram.

3. Ab exordio mundi Deus hominem, quod primarium eſt, inſtituit offerre. Hinc eſt, quòd Cain victima ignobilis repudiata iacet: at munus Abel eleuatur ad ſuperna, & primogeniti ſacrificio iunioris hoſtia præfertur. Quarum diſcrimen inueſtigare non eſt laborioſum, cum id ſacer textus exprimat. Geneſ. cap. 4. verſ. 3. & 4. *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui. Et de adipibus eorum.* Quæcumque obuia, & terrena obtulit terrenus Cain; Abel, qui pio charitatis affectu conuolabat ad ſuperos innocentiæ moribus. Cælitum æmulator, ſublimius, & ſacratius libamen, primitiuos ouium fœtus obtulit. Vnde in verbis ipſis textus ſacri deprehendit, & haurit Ambroſius vbertatem gratiæ ſpiritalis, & profundum diſcretionis myſterium, altâ, ſecretâque ſapientiâ in oblatione vtriuſque germani pleniſſimum. libro 1. de Abele capite 10. taxat Caini in offerendo crimen, & pium Abelis affectum commendat. *Obtulit,* (Cain,) *à fructibus terræ, non à primis fructibus, primitias Deo; hoc eſt, primitias ſibi prius vendicare, Deo autem ſequentia deferre. Ideò reſpexit Deus in munera eius,* (nimirum Abel,) *quia à primitiuis obtulit.* Ambroſio adſtipulatur Chryſologus ſermone 109. *Cain cum Deo parum, à quo totum perceperat ingratus pontifex ſic diuiſit, vt quod erat peſſimum, hoc adoleret altari; quod erat optimum, in ſuam reſeruaret offenſam.* Magnum crimen ingrati: Deo parua, minora, & deteriora deferre, ſibique reſeruare primitiua, & pinguia, & vſurpare meliora. Ille gratus Antiſtes Deo, qui primitiuos prouentus, & pinguiorem hoſtiam rerum auctori Deo cum hilaritate immolat. Latrocinantis animi piaculum eſt, viliora quæque, & abiectiora Deo mactare pro munere, ſelectiora ſibi vindicare tenaciter: ideò anima per omnia cupiens Deo placere primum offert pretioſum pignus, & principales animi facultates plenas, & inuiolatas ſacrificat. Commendatio maior, & gratia ſacrificij eſt integritas, & indiuiſa portio, quàm immoderata cupiditas, aut ſordida auaritia non diſgregat; ideò Cain iniquus diſtributor reſpuitur. Iuſtus partiri neſcit oblata, ſed integer remunerator eſt. Argutè Procopius Caini oblationem taxans, Abelis commendans, ait: *Cainus de frugibus, nec tamen primis oblationem facit, nec donat, ſed quaſi diſtribuit cum Deo. Abel primogenita reddit, nequaquam, vt Cainus curioſus, ne fortè quid boni Deo daret; quidquid immolauerat totum tribuit, & donat Domino; nec cum illo diuiduum facit, vnde donator magis, alter diſtributor appellari poteſt.* Iniqua conditio humanæ peruerſitatis eſt, ingrato quodam cupiditatis diuortio doni ſubſtantiam cum Deo partiri, nec integrum, & perfectum munus offerre, quod à Deo accepit; ideò beneficus largitor donum non abrodit, nec tanquam ſacrificij præuaricator illud imminuit; ſed totum dat, vt totum Deum obtineat; gaudet creator plenitudine victimæ rationalis arbitrij, quæ non diſtinguit curioſè, & eligit ſibi potius, aut delibat, ſed ſolidum, & plenum munus donat, in quo proprio emolumento, aut curioſæ auaritiæ nihil vacui relinquitur, ſed totum eſt gratiæ, & piæ deuotionis plenitudine refertum. Hinc copioſum lumen accipit obſcurum illud quæſitum, cur Paulus hoſtiam duplicem Abelis nuncupet. Ad Hebræos cap. 11. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo.* Cuius præclaræ nuncupationis inſignia profert ſolerter Rupertus lib. 4. in Geneſim cap. 20. his verbis: *Cultu vel religione parem vterque obtulit hoſtiam, ſiquidem vterque cui debuit obtulit, & proinde vterque rectè obtulit; ſed non rectè vterque diuiſit. Nam Cain cùm Deo offerret ſua, ſeipſum ſibi retinuerat, repoſitum habens in cupiditate terrena: huiuſmodi portionem Deus non accipit, ſed præbe, inquit, fili cor tuum mihi. Cor ſuum retinuit ſibi, & fructus terræ Deo obtulit. Porro Abel, primò cor ſuum, deinde rem ſuam offerendo, plurimam hoſtiam per fidem obtulit.* Parilitas quædam in vtroque ſacrificio proceſſit, lumenque naturæ in vtroque refulgens, coëgit, quòd ſacra inſtituerent, & gratificarent Creatori, Domino, & Deo ſuo ſacrificium offerrent; & in eo ab vtroque ritè perpetratum eſt ſacrum; diſpar tamen intentio, & propoſitum voluntatis diſcriminauit victimam: Cain libans de terrenis ſeipſum, corque ſuum ſibi retinuit, ideò hoſtiam ſpiritu vacuam, & incultam, ſtultus, & excors obtulit, ideò inuiſa, & exoſa oblatio Deo, qui ab homine expoſtulat, quod in eo eſt præſtantiſſimum, cor nempe, domicilium mentis, cordis enim ſacrificium gratiſſimum eſt Deo, epulumque ſuaue: ideóque hoſtia Abelis beneplacens, quia geminata, & plurima, non ſolùm quia delicioſa, & pinguia, ſed ſeipſum, & animam ſuam primitùs immolat, ideò viua victima, & pio deuotionis affectu animata gratanter accipitur. Non tua ſed te ipſum potiſſimum donorum, auet Deus: in acceptum libamen, & iucundum odorem ſuauitatis à Domino ſuſcipimur, cùm ei reddimus, quæ præferimus in primis, non quæ reponimus in ſecundis.

Geneſ.
Cur Abelis oblatio Deo grata, Caini verò inuiſa?

S. Ambroſ.

Abel obtulit primitiuos fructus, Cain non primos, ſed ſecundos, & obuios.

S. Chryſol.
Cain ingratus Pontifex quod erat peſſimum, adoleuit altari, quod erat optimũ ſeruauit ſibi.

Procop.

Abel quidquid immolauerat, totũ tribuit, & donauit Deo, Cain bona ſua cũ Deo diſtribuens partem ſibi detulit.

S. Paul.

Cur ſola Abelis hoſtia à Paulo nuncupetur plurima.

Rupert.

Cain cũ Deo offerret ſua, ſeipſum ſibi retinuit Abel primo cor ſuum, deinde rem ſuã offerendo plurimã hoſtiam per fidẽ obtulit.

4. Mirificam Religionis, & pietatis functionem Mariæ Magdalenæ celebrant ſacri Euangelij ſcriptores, cùm vnxit IESVM, & vnguento pretioſo deliniuit: celebre hoc, & officioſum amoris facinus ſingillatim recenſent Matthæus, & Marcus: illius verba ſunt capite 26. verſu 6. & 7. *Cùm autem Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.*

Pia, & religioſa functio Mariæ Magdalenæ in effuſione vnguenti ſuper Chriſti caput.

S. Matth.
S. Marc.

Quas rationes prætenderint Apostoli, vt criminarentur hoc pium fœminæ facinus.

Vnguenti effusionem liberalem sequitur discipulorum indignatio,& vituperatio, quibus ingrata extitit piæ fœminæ pretiosi vnguenti, & sumptus larga profusio; nec solum immurmurant,sed fremunt in eam; nec seueræ obiurgationis defuit prætextus obseruantiæ seuerioris, quo indignationem suam & acorem obtegerent; enim verò dedecere videtur Magistrum frugalissimum,omnium deliciarum abstemium temperantiam, & sobrietatem vitæ, verbis, & operibus edocentem,olei medicati diuersorum odorum temperaturâ permixti,deliniri blandimento; & quasi optimo vnguento delibutum principem in Simonis syrmate comparere. Sic delicias amat, & lenimina vnctionis suauia Magister,qui carnis blanditias,& sensuum omnium illecebras, aspernari præcepit sectatores suos?Hanc rationem querimoniæ contextam à discipulis autumat Caietanus,vt liberiori sermone pium opus fœminæ carperent. Sic enim purpuratus Pater scribit in ientaculis noui testamenti, ientaculo 1 quæst.1. *Tale vnguentum ad delicias non qualescumque, sed pretiosas spectare videtur magnorum nobilium. Et fortè nullus erat tam celsus, vt vteretur tam pretioso vnguento.* Illud quoque adauget querulas discipulorum voces, & fremitus: sat est semel vngere pedes Iesu, & capillitio abstergere, quid necesse est repetito ministerio vas totum vnguenti pretiosioris super caput effundere recumbentis? Caietanus verò religiosæ fœminæ patrocinium suscipit,& criminosæ accusationis telam dirimit;cur secundam vnctionem adiungat, rationem argutè subdit: *Memor recepti beneficij remissionis scilicet peccatorum,debitricem se arbitrata est, vt iterum,quàm melius posset,vngeret Iesum.Vnde primùm pedes ex quorum priore vnctione veniam hauserat, deinde caput à cuius ore verbum, & veniæ, & vitæ toties perceperat, non solùm vnxit,sed quodammodo abluit; pro quanto versando vas vnguenti effudit illud super caput. Nec reputauit pretiosum aliquod reputandum ad referendam gratiam de tanto beneficio.* Erexerat eximius Mariæ amor in pectore gratitudinis aram, vt Dominicæ indulgentiæ, & singularis absolutionis suorum criminum largitatem à Iesu donatam memori mente persolueret,grates rependeret,& gratiarum actiones nouo obsequio cumularet. Vnxit pedes, ex quibus gressus vitæ, & per semitam æquitatis incessus hauserat, quibus in proposito virtutis, & castitatis stabilita non labasceret, nec in huius sæculi lubrico titubaret. Liniuit oleo pedes, ex quibus vitæ, & gratiæ perceperat vnctionem. Adhuc tamen ad maiores ausus attollitur generosa mulier,vt de pedibus veniat, & ascendat ad caput Christi, ipsique litet vnguentum sumptuosius, & odoratius, quod totum triclinium conuiuij, & pectoris sui penetralia bono odore compleret, & ante actæ vitæ criminosæ inhorrentem halitum abstergeret. Manauerant à labiis Christi, in quibus diffusa est gratia, & omnes sermonum illigati lepores,verba vitæ suauia,quibus alumnã suam Doctor sapientię instruxerat Dominus; os Domini quasi diuinum quoddam plectrum veniæ,& miserationis concrepauerat cantilena; ideo vas vnguenti spicati, & pretiosi inuertens fundit super caput Iesu, vt vnguentaria stillicidia pectos, & labia veri Aaron diffluerent, & quæ prius lacrymarum guttulis Iesu pedes ornauerat, nunc sacrati verticis capillitium, intonsam comam, pulchrosque cincinnulos, coccineaque oris opercula, sacrati vnguenti liquore guttatim decidente redderet rorulenta, roreque sudâ nocte,& roseâ aurorâ super prati flosculos compluto, speciosius vernarent; ideoque in commendationem amoris, & gratitudinis huius religiosæ fœminæ adiungit sequentia verba Caietanus: *Messiæ Dei filio offerebat vnctionem illam, in ipsius Messiæ secundum assumptam carnem corporale refrigerium, & propterea putauit, & bene, oportere esse optimam, & pretiosissimam huiusmodi vnctionem.* Et in clausula huius quæstionis pro conceptus coronide hæc annectit: *Murmurabant discipuli de pretiositate vnguenti, respondet Dominus, apud mulieris illius animum non esse vnguentum hoc pretiosum, sed si pretiosius habuisset, pretiosius effudisset, tanti me facit, sed quia non habuit pretiosius, quod habuit hoc fecit.* Sciebat Maria suum Iesum, quem oleo medicato vngebat ad luctam mortis, odoratis vnguentorum succis ad sepeliendum condiebat, multum oblectari primogeniis, & primariis donis;regale vnguentum requisiuit, quod odoratis florum liquoribus ex iunco, calamo, & opobalsamo,styrace, cassia, myrrha aspalatho, cocco, cypro, expressis succis, & gummis, pretiosi odoris mixtione, & temperaturâ medicatis, omnium vnguentorum celeberrimum conflaretur, ad maiorem Iesu auctoritatem, & gloriam. Si suauissimum thymiama Angelorum arte, & industriâ confectum venale inueniret apud myropolas, & vnguentarias tabernas, immenso pretio, & fortunis suis omnibus mercaretur, vt Saluatori offerret, vt caput cingendum postmodum, & compungendam spinis, suauissimis vnguentis coronaret; itaque Iesus respexit huius amatricis fidem, laudauit mentem,probauit affectum, in sublimioris vnguenti dono complacuit,aduersantium discipulorum exprobrationem reiecit.

Caiet.

Tale vnguentum spectare videbatur ad delicias magnatum.

Cur Magdalena secundam vnctionem adiungit primat Caiet.

Primò pedes vnxit, quia ex ijs percepit veniam; secundo caput vnxit, à cuius ore verbum indulgentiæ & vitæ suscepit.

Nullum vnguentum reputauit pretiosum ad gratitudinẽ beneficij.

Caiet.

Existimauit Magdalena optimam & pretiosissimã vnctionem Messiæ Dei filio offerendam.

Apud huius mulieris animum, nõ erat vnguentum adeo pretiosum nam si pretiosius habuisset pretiosius effudisset.

5. Demum aliquis sciscitabitur, quis offerat Deo primum? vt dubio tuo satisfacias, lege Leuiticum capite 27. vers. 2. *Homo, qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam.* L X X. legunt apud Isychium: *Honorem animæ.* Quis autem sit animæ honor, & decus, expendit, Theodoretus quæstione 38. in Leuiticum citatus à Glossa: *Eorum, qui degunt in pascuis plerique comparant infantem ingenuum, quem posteà Deo offerunt.* Habes filiorum gregem,& primogenitum Domino consecrasti, aut dilectum nobilitate, & specie infantem valde conspicuum, in quo esset repositã spes paternæ hæreditatis, aut familiæ decus, & columen, quam sapientiæ gloriâ, dignitatum splendore,aut rerum gestarum nobilitatet insignibus: *Honorem animæ* tuæ Domino obtulisti. Spondet animam suam Deo vnusquisque, cum religiosa professione in domo Domini censetur, rectè Isychius exprimit,quid sit spondere animã Deo. *Id est,quicumque promiserit animam suã Deo. Omnemque ei suam vitam offerre voluerit. Admirabile enim verè est, & valde beatitudini proximum totum semetipsum quem piam Deo offerre, vt honorem animæ suæ offerat Deo quem accepit ab eo.* Rursus honorem animæ Deo litas, cùm hostem in conflictu vitiorum superas.

Quis ille est, qui offert Deo primũ.

Leuit.

Theodor. Glossa.

Ille honorem animæ suæ Deo offert, qui filium primogenitũ, & dilectum in religione consecrat.

Honorem animæ suæ offert Deo, qui ei deuouet omnem suam vitam.

Isychius

Digitized by Google

Honore summa Deo litas, cùm hostem in conflictu victorum superas.

[illegible] legisse pro Sponsa [illegible] hostis [illegible] superior, [illegible] Deo [illegible] ad degenerem [illegible] caritatem non [illegible] animæ libertatem [illegible] germen Domini [illegible] [illegible] hanc [illegible] *gemma, & [illegible] ria,* [illegible]

Et erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis.

DISCVRSVS IV.

[illegible] martyrium est.

[illegible]

Clem. Alex. Religiosus mundo [illegible] in [illegible] Deo [illegible]

[illegible]

Math.

[illegible] *Quomodo* [illegible] *Deum* [illegible] *per* [illegible]

Lect. Lxx. S. Hier. Quomodo quis potest Deum tenere fugientem [illegible] Trinitatis. S. Hier. Cum [illegible] offeret, & [illegible] primogenitum Deo consecrat.

[illegible] *Quomodo* [illegible] *potero* [illegible] Respondet [illegible] his verbis [illegible] *nium cum in holocaustomat* [illegible], *ut* [illegible] *holocaustum* [illegible]*eram? Num quid di-*[illegible] *pro scelere meo? Dabo pri-*[illegible] *est, pro peccato ani-*[illegible] Dominum fugientem [illegible] velocitas, pennis cursus, celeque volatus, ut super pennas [illegible] torum ambulet, & supra velocitatem curr[a]t [illegible], hunc Dominum fugitiuum, & ab animæ recedentem, quomodo ten[ebo], & [illegible]? Quibus vinculis, & catenis innectam? quibus [illegible] compedibus, ut ulterius non auolet? [illegible], & [illegible] implicabo [illegible], ut in me [illegible], & placidè [illegible]? Si vinculo ex tribus [illegible], & [illegible] votorum nexibus compacto me ipsum [illegible], in templo pectoris, & [illegible] tenebo Deum, ne amplius [illegible]. Si tribus diuinis personis tria [illegible] obedientiæ [illegible]

Pro peccato animæ [illegible] [illegible] offerimus

Cum tria vota religionis Deo [illegible]

[illegible] *Cum se Deo [illegible] voto [illegible], [illegible] martyr est. Clem. Alex.*

Qui praeceptis [illegible] Domini [illegible] martyr est [illegible]

[illegible] concupiscentia [illegible] qui per ill[illegible] [illegible] fuerunt, & [illegible] [illegible] [illegible] pectoris nostri [illegible] ipsum mactas & [illegible] gloriosam victimam [illegible] *sanguinem per totum [illegible] profundens.* Pulcherrimum [illegible] scholæ decus Cle[mens] [illegible] tanquam san[illegible] monstrifici ten[illegible] ut bellum Deo, & perni[illegible] victricis [illegible] allicere, & [illegible] de statu beatæ vitæ

Qui in tentationũ agone aduersus dæmonis, & carnis Tyrannos fide Deo [illegible] pugnans non violat Domini martyr est.

vitæ, & seruitutis deturbare hominem violentâ inuasione moliuntur; cùm homo Deo dicatus eis impauidè obsistit, demulcentem voluptatem respuit perseuerantiæ stabilitate fundatus, iniqua impiorum consilia repudiat; profert audacter verbum: *Malo mori, quam fœdari.* Quod tanquam præacutum iaculum contorquens, & fulmen aduersus hostiles acies iactat, easque reddit inertes, & fugaces, [illegible] cruciabor (inquiens,) potius [illegible] quam meæ vitæ maculam [illegible]; fidem seruabo Domino, stabo promissis, non violabo pactum, non rescindam fœdus [illegible] promissum. Hic, quicumque exstat, testimonium fidele portat, & Domini martyr est: *Fidem tanquam sanguinem profundens:* Audiendus est Sanctus Petrus Chrysologus, qui mille [illegible], & [illegible], religiosi martyrij formam præclaram prædicat, serm. 108. in quo [illegible] Apostoli verba ad Romanos c. 12. vers. 1. *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* His enim verbis [illegible] hominibus ostendit altare, victimam, cultum, necem: *Arripe, (inquit,) gladium [illegible], altare cor tuum pone, & sic corpus tuum [illegible] Dei securus ad victimam. Deus fidem, non mortem quærit: votum non sanguinem [illegible] voluntate non nece.* Et [illegible] Abrahæ propositum theorema confirmat ex c. Genes. 22: *Probat Deus ad hostiam Abraham [illegible], filium cum poposcit. Nam quid aliud Abraham, quam corpus suum immolabat in filio? Quid aliud Deus, quam fidem requirebat in patre, qui filium [illegible] offerri iussit, sed non permisit occidi.* Habuit [illegible] [illegible] martyrij hæc oblatio, cum in proposito voluntatis, & operis tam [illegible], quam [illegible] paratus erat [illegible] sanguinem, & vitam pro pietate, & fide fundere. Pulchrè [illegible] Zeno Episcopus Veronensis serm. 2. de Abraham ait: *[illegible] Deo [illegible] offertur [illegible].* [illegible] Aristes Isaacum [illegible] martyrem [illegible], vt [illegible] patri. [illegible] spectaculum, & [illegible] pater, vt ad [illegible] immolaret. Cum [illegible] *filium immolabas in [illegible].* Vt [illegible] quod, cùm Deo [illegible] participatione [illegible] gloriosi huius martyrij [illegible]. [illegible] tanti Patriarchæ [illegible] Origenes homil. 8. *[illegible] si sit dilectus, adducat [illegible] Abraham, & magnanimitatem eius [illegible] quidem a te non exigimus [illegible], vt ipse alliges filium, ipse [illegible] gladium pares, ipse vnicum iugules [illegible] non quæruntur. [illegible] constans esto. Fide fixus, [illegible] Deo. Esto Sacerdos [illegible] immolantem [illegible].* In [illegible] Religiosa [illegible] fide ad Deum [illegible] sepium [illegible] corpus, & animam [illegible] hostia

fiat non sanguinis, sed salutis, [illegible] sibi mortificationis gladium [illegible] leges dæmonis, & mundi [illegible] victoris. Hæc [illegible] mysteria [illegible] a parte nostra [illegible] Sacerdotis [illegible], & ficta, [illegible] propagat [illegible], [illegible], & [illegible] qui est [illegible] periculi [illegible] Deo [illegible] c. 8. de promptis. *[illegible] conformans [illegible], offer corpus tuum [illegible] Deus [illegible] hostiam [illegible]* Et [illegible] vita [illegible] hostia, quæ [illegible] corruptos vitiorum affectus internos, vt virtutum [illegible] de perfecto cupiditatum interitu, [illegible] vita repullulat. [illegible] & potentissimis ad internecionem [illegible], qui [illegible] vitium in [illegible] virtutum [illegible] honestatis, [illegible] splendor effulget.

2. [illegible], quem tolerantia [illegible] paupertatis [illegible] probatum, per [illegible] tentatum, [illegible] Lucæ cap. 16. vers. 20. *[illegible]* [illegible] vers. 22. *Factum est [illegible] Abrahæ* [illegible] *Si martyrium [illegible] paupertatis [illegible] Abrahæ. Habet & [illegible], habet & paupertas martyrium suum, [illegible] facit martyrium, sed egestas [illegible] Christum, non [illegible].* [illegible] martyrij [illegible] Laurentius Iustinianus [illegible] aduersis lib. de Patientia cap. 5. *Illa, [illegible] hominem martyrem facit. Sine ferro, & [illegible] martyres [illegible], si [illegible].* Itaque ex [illegible] corpus, & animam [illegible], martyrij corona [illegible] ex egestate voluntaria [illegible] propter [illegible] Deum [illegible], & [illegible] paupertatis [illegible], vt [illegible] expeditus, [illegible], & respuit, vt [illegible], & [illegible] Deo per omnia placeat, & Christum [illegible] quidam, [illegible] euacuatur,

euacuatur, martyrum catalogo adscribitur, quæ omnia religiosæ cohortes perfectius æmulantur.

S. Bern.

3. Dulciloquus Bernardus de triplici aquarum potu, quem Saluator sitientibus suggerit, eleganter disserit sermone de sancto Clemente Martyre,& sapientiæ theodidactæ latices, verborum, & sententiarum mellilegium fundit, religiosos instruens: *Accipe igitur triplicem aquam, quam tibi Saluator apponit. Plorat super Lazarum, & super ciuitatem Hierusalem, & hæc est aqua prima. Sudauit, imminente iam passionis horâ & hæc est aqua secunda, non ab oculis tantùm, sed à toto corpore manans, hæc autem rubea est sanguineique coloris: iam verò tertia est aqua, quam & prædiximus de latere eius vna cum sanguine emanasse.* Factus est Iesus totus aquarum scaturigo Deo sacratis nominibus, vt hauriant aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Ex oculorum lacunis impetu fluunt lacrymarum riui, vt pulchras rigent Saluatoris genas, vt planctum indicent, & lamenta pro sæculi flagitiis, & ærumnis profusa, vt pœnitentes instruant ad ploratum, & luctum pro suis sceleribus officiosè susceptum: stillicidiis sacri cruoris totum corpus pulchrè rorantibus intingitur; vt hac amoris victoria per venas sacras scaturire cogentis sanguineæ aquæ fluenta, dilectos suos imbuat improbis affectibus vsque ad sanguinis effusionem resistere, & effrenes concupiscentiæ carnalis motus, amoris superni violentiâ cohibere. De aperto, & emortuo latere vitalis aquæ vena erumpit, quam aquam hauriunt, qui bene docti sunt mundo mori; vt viuant æternitati, ideo vitalis potus emanat è mortuo, quia ad huiusmodi deliciarum abundantiam, & poculum suaue animum inebrians, non ascendunt potaturi, nisi qui ex vitiosa vita migrant. Argutè sanctus Bernardus de hac tertia aqua subiungit: *Memento, hanc esse aquam, quæ procedit de latere dormientis, & sine omni molestia fluit. Oportet enim, iam mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratia delectari.* Latus vita defunctum, non ducentes in bonis dies suos coronatos rosis, & sæculi oblectamentis circumdatos perfruentes huius lucis vsura, nimis attentos suis commodis, viuos passionibus, & cupiditatibus; sed emortuos mundo perrequirit; quales illi beati mortui, qui in Domino moriuntur, similes Paulo; qui dicebat: *Viuo ego iam non ego*, qui de se ipso testatur, *ego autem mortuus sum mundo*; hos sepelit, hos recondit in lateris sui aperto penetrali, vt ingurgitentur poculo sapientiæ meracissimo, & vita iucunda viuant. Ad hoc opulentum penu, deliciosamque,& perennem bonorum omnium scaturiginem non accedunt nisi qui prius amara lacrymarum,& pœnitentiæ scaturigine fuerint abluti: ardoris,& libidinis flammas de corpore ebullientes retraxerint. Pulchrè idem mellifluus doctor primam, & secundam aquam mysticè exponit: *Tu ergo primam habes, si rigas lacrymis tuis conscientiæ tuæ stratum, & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam habes, si labore pœnitentiæ corpus tuum castigas, ac restingis concupiscentiæ flammas. Est autem sanguinei coloris siue propter laborem, seu etiam propter ipsum, quem extinguit concupiscentia ignem.* Siue quia ille, qui titillantis carnis

Triplex aqua Saluatoris; prima aqua lacrymarum, secunda sudoris, tertia de latere percusso fluens.

S. Bern.

Tertia aqua procedit de latere mortui.

Qui in hac gratia voluerit delectari, mortuus debet esse mundo.

S. Bern.

Hanc triplicem aquã religiosi æmulantur, compunctione, maceratione, concupiscentiæ mortificatione.

stimulos,& cruciatus constanter tolerat, reprimit,& coërcet, nec cedit carnis blanditiis, vt virtutem honestatis obtineat, loco martyris sanguinem pro tuitione pietatis fundentis succedit. Argutè Nicetas in commentario orat. 42. Gregorij Theologi num. 51. inquit: *Ille autem sanguine dominicum sanguinem honorat, non modo qui sanguinem suum per martyrium profundit, sed etiam qui pro Christi amore, per continentiam ipsũ imminuit.* Nam vt pulchrè annotat S. Laurentius Iustinianus serm. de Beato Laurentio Martyre: *Cupiditatis flammam miles Christi, sensualitatis petulantiam carnis maceratione castiges, censura verò virtutum incompositos animi restringat impulsus. Insigne quippe martyrij genus est vitiorum cohibere motus, atque cupiditatis resecare pruritus.* Et S. Hieronymus in vita sancti Malchi scribit: *Habet & pudicitia seruata martyrium suũ.* Inclytum martyrij genus sese abnegare deliciis, & carnalibus illecebris, cupiditatis flammas de foco pectoris eructantes; castigatione voluntariâ,& maceratione sopire; cùm gliscit membrorum tyrannis ad occupandam arcem animi rebellium protestans, vt pactum cum Domino initum,& votis sancitam fidem violes, prouocaris; si impiis conatibus obsistens animus recusans,& denegans, quæ iucunda videntur esse naturæ, testis est Christi, cùm homo sibi ipsi moritur,& manus iniicit,& gladio liberæ potestatis seipsum iugulat, & laniat, ne promissorum fallat fidem. Commendat in his pugilibus singularem profusionem sanguinis Nicetas supra: *Pro Christi amore, per continentiam ipsum imminuit.* Nec solùm testis est Christi illius passionum fidus æmulator, qui pro ipso sanguinem profundit, sed qui acerrimam illam carnis, & fortissimam cupiditatem diminuit, corporis vires debilitat,& frangit, feruidos, & noxios vitæ spiritus temperat, succum, & sanguinem inediâ attenuat; quod imminuit, & detrahit sanguinis, tanquam continentiæ Martyr Deo immolat; decrescit sanguis ad gloriam passionis, & incrementum virtutis, minuitur ad consummationem mercedis æternæ; quod detrahis corporeæ voluptati, accumulas gratiæ; caro languescit, vt spiritus religiosâ munditiâ, & puritate pinguescat. Qui sanguinem suum per continentiam ab omni turpitudine imminuit. *Sanguine Dominicum sanguinem honorat.* Christi cruor, qui in maternis visceribus ex purissimo sanguine coaluit, non nisi ab omni labe perpurgato sanguine gaudet, qui continentiæ salutaris purpurâ rutilet, & pudoris roseo colore rubescat.

S. Gre. Naz. Nicet.

Qui pro Christi amore sanguinẽ suum per continentiã imminuit, dominicum sanguinem honorat.

S. Laur. Iust.

Insigne martyrij genus est, vitiorum cohibere motus, & cupiditatis resecare pruritus.

S. Hier.

4. Hanc martyrij speciem colorat sententiis suis sacratus Lyricen, & fidibus ab spiritu sancto pulsatis cantilenam fundit gratissimam, vt religiosis Martyribus, & funeribus iusta soluat. Psalmo 115. v. 14. *vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* De Religiosis verba vsurpat Hugo Carensis: *Vota Domino reddam, scilicet tria vota, quæ sunt in Religione, scilicet votum paupertatis, votum continentiæ, votum obedientiæ. In atrijs domus Domini, domus Domini cœlum est: cuius atria sunt Religiones. Quia sicut per atrium intrabatur in templum, ita per Religiones intratur in cælum.* Illud tamen valde mirabile est quod cælestis cantor iniungit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius.* Vbi legit Tertullianus apud Lorinum: *Mors Religiosorum*

De trino religionum voto carmen cecinit Dauid.

Psal.

Hugo.

Tertul.

Digitized by Google

Religiosi, cùm se Deo consecrant, moriuntur, & se ad martyrium subeundum offerunt.
Hugo.

eius. Sancti viri, cum Domino dedicantur, vitâ funguntur; hæc tamen pretiosa mors in conspectu Domini est, quâ mundanis illecebris quis moritur, & tumulatur in Religionis sepulchro: ideo purpuratus Hugo hanc describit mortem: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius, id est, ipse ingressus religionis, in qua spiritualiter moriuntur sancti eius, voluntariè amittentes motum, & sensum, quia in religione non moventur propriâ voluntate, nec secundum proprium sensum reguntur, aut discernunt.* Quod autem mors ista sit martyrium, explicat versiculus, qui præcessit: *calicem salutaris accipiam.*

Euth.

Vbi Euthymius ait: *per calicem salutaris, mortem, ac martyrium pro Christo intelligit.* Et hoc esse sacrificium laudis, subiungit: *Proprium est sacrificium, fœtusque, ac germen spiritualis ventris mei.* Germen, inquam, de quo Isaias prædixerat: *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria.*



Et fructus terræ sublimis.

DISCVRSVS V.

Illa sæculi vera abrenuntiatio est, si à terrenis extricatus animus, denuò ijs implicari renuit, & affectus ad semel dimissa, & repudiata non redeat.

1.  ERVM perfectæ vitæ proponimus simulacrum, quod mens humana à Deo instituta fingit, & format, cùm abdicatâ omni terrenâ substantiâ, & contritis sæcularibus illecebris, quæ adulatoriâ voce corpus incantant, mens ad superiora se subrigit, vt tuto vestigio scandat ad virtutis fastigium, vt vitiorum omnium victrix obtineat palmam, & perfectæ abrenuntiationis imaginem, & habitum induat: hoc votum, & institutum religiosæ animæ est. Annotat Sanctus Isidorus Pelusiota scribens ad Nilum Monachum, priscos Patres, & cœnobiarchas arcanis nominibus decorasse religiosæ, & asceticæ vitæ instituta, & potiora cognominum decora recenset epist. 1. lib. 1. dicens: *Sancti viri monastica Philosophiæ Principes & ante signani, ex ærumnis, ac certaminibus, quibus perfuncti sunt, vocabula quoque rebus congrua monendi nostri, atque erudiendi causâ, imposuerunt.* Tota enim monastici, atque religiosi instituti forma duabus vocibus, & nuncupationibus clauditur: vocatur enim Græcè ἀποταγὴν apotagen; & ὑποταγὴν ypotagen. Quorum verborum sensa argutè aperit idem Isidorus, inquiens: *apotagen, secessionem à rebus ex materia concretis: ypotagen propensionem ad obediendum nuncuparunt: oportet igitur apotagen, sententia eius, quâ quispiam prius imbutus est, oblivionem, atque consuetudinis abnegationem esse, ypotagen autem, membrorum quæ sunt super terram, mortificationem, atque interitum.* Ad duos cardines reducit monasticæ vitæ decus, & columen Isidorus, perfectioris disciplinæ, & philosophiæ sacræ molem; ad sequestrationem nimirum à rebus terrenis, & obsequium humanæ voluntatis officiosum, quo se subiicit superioris arbitrio; primámque notam, & insigne exprimit eleganti similitudine, cùm quis patriis naturæ institutis, & sæculi statutis legibus contradicit; mundana, & carnalia decreta, quibus animus fuerat imbutus, retractat; improbisque sanctionibus palinodiam cantitat, & earum obliuionem inducit, cit, & quasi quodam conditiuo sepulchri tumulat; ne vlterius reclamatorias veteris consuetudinis voces auscultet; cum membra, quæ sunt super terram gladio mortificationis interimit. Apotage vero propriè ab renuntiationem denotat, quum extremum salutamus, aut dicto vale, dimittimus, & salutem dicimus alicui vitæ instituto, ipsique nuntium remittimus. Quod verbum eleganter expendit S. Dionysius Areopagita lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. agens de illuminatione, seu baptismate fidelium, in quo fidelis quisque diabolo, & pompis eius abrenuntiat: *Tum eum iubet tertio Satanam, vt ita dicam insufflare, & præterea, quæ defectionis, & abrenuntiationis sunt profiteri, ei ter abrenuntiationis solemnibus verbis propositis.* & in contemplatione seu theoria eiusdem capitis subdit: *Obscuri vitij commercium, consuetudinemque respuentem, & sibi insitum dissimilitudinis statum, quasi exufflantem, profitentemque, se nuntium omnino remittere ei, quod Dei similitudini est contrarium.* Quod omnino simile perficitur in professione religiosa, quæ cuiusdam Baptismi, & ablutionis omnium criminum virtutem, & formam tenet. Cùm sæculares illecebræ penitus abdicantur, & triplicis voti formulâ nuncupatâ, trinâ abrenuntiatione diabolum contemnimus, ei insultamus, illumque respuimus, & insufflamus, anteactæ vitæ telam rescindimus, adscripti Angelorum sodalitio; omne carnalis voluptatis commercium respuentes; vniuersa mundi ampla decora, & facultatum opulentiam calcantes; humanæ naturæ potissimum pignus voluntatem in alieni iudicij potestatem redigentes. Hæc est enim abrenuntiantium, & seipsos abnegantium imago.

Isid. Pelus.
Ascetica, & religiosa vita instituta arcanis nominibus decorarũt prisci patres, & cœnobiarchæ.

Religiosa vita est secessio à rebus terrenis, obliuio mundi, antiquæ consuetudinis abnegatio, propensio ad obediendum.

Religiosi mũdo ab renuntiant solenniter.
Dionys. Ar.

Abrenuntiatio est, nuntium remittere, & exufflare ei quod Dei similitudini est contrarium.

2. Hi tales, tantique viri verba Psalmographi libenter & æquo iure vsurpant ex Psalmo 38. vers. 8. *& substantia mea apud te est.* Abiecisti thesauros? contempsisti diuitias? Ex quibus pendet huius vitæ ærumnosæ substantia, & fulcimentum? Non subeunt dispendium, & iacturam, sicut illæ, quas vanitas disperdit in mundanis oblectamentis, sine emolumento animæ, cum insidiosa, & cito peritura corporalis sensûs oblectatione; sed apud Deum securâ statione reponuntur custodiendæ, vt transactâ huius mundi nebulosâ imagine, viuam rerum suarum, & speciosiorem cernat substantiam, quæ iam contempta, censebatur emortua. Sic expendit hoc carmen Lorinus noster accipiens nomen substantiæ pro facultatibus, opibusque, dicens: *denotabitur thesauratio non inanis illa, & vana; sed solida, & verò locuples, quæ in Deũ diues, qui sperant in eo.* Additque, non legisse alium auctorem, qui in hoc sensu verbum substantiæ vsurpet: reperitur tamen

Psalm.
Opes pro Christo contempta, non subeunt dispendium, sed in ipso securè custodiũtur.

Lorin.

Guer.

Substantia nostra de nobis sumpta pro nobis oblata apud Deum est glorificata. Religiosus possessiunculas in sæculo relictas quasi pretiosum depositum apud Deum condidit in centuplum restituendas.

tamen hic conceptus apud Guerricum Abbatem serm. 1. de Aduentu, in quo eminet gemini conceptûs acumen, dicentem: *Et nunc quæ est expectatio mea? Inquit iustus, nonne Dominus? & conuersus ad Dominum, scio, inquit, quia non confundes me ab expectatione mea: quia iam substantia mea apud te est. Quæ natura nostra de nobis sumpta, & pro nobis oblata, apud te glorificata est.* Et subiicit alias subsequentes argutias: *Pleniore tamen fiduciâ, quia tutiori conscientiâ, Dominum expectare potest, cui dicere datum est: substantia possessiunculæ mea, ô Domine apud te est, quia facultates meas vel tibi erogando, vel pro te contemnendo, in cœlis thesaurizaui, & ad pedes tuos omnia mea deposui, sciens, quia potens es depositum meum non modo seruare, sed etiam in centuplum restituere, & vitam æternam adiicere.* Non despondeat animo vir iustus abrenuntians sæculo, cùm facultates suas contẽpsit, dispersit, & donauit pauperibus, inter egenos distribuit; pinguem, & pulchram hæreditatem, sed fugacem spreuit, vt in cœlis possideret meliorem, & manentem substantiam; in paupertate sua sat diues est, qui incorruptibile bonũ expectat, quod labefactari nequit, vllâ fortunæ labẽtis iniuriâ; satis opulentus, & securus, qui apud Dominum illud labile, quod respuit, reposuit, apud quem nulla est tinea, quæ corrumpat, nec subita furum inuasio violenta, aut inuita direptio, non tolluntur, nec pereunt diuitiæ, sed mutantur ad Dominum & possessorem fidelem, qui in suæ felicitatis arcano indemnes custodit, redditurus suo tempore etiam centuplicata commodi, & fœnoris vsurâ. Cerne conspicuam, & sublimem abrenunciationis sæculi formam. Ex verbis Guerrici illuminatam: *Ad pedes tuos omnia mea deposui.* Diuitias, vires, splendidam iuuentæ speciem, decus, & gloriæ nobilitatem, in seruos imperiale mandatum. Expendat alius malemoratus, & vecors de calice aureo Babylonis ingurgitatus & ebrius omnem substantiam suam inter parasitos & psaltrias, delicatas epulas, falerna vina, medicatos odores, vestium splendores, comptas meretrices, cincinnatos pueros, & reliqua irritamenta vitiorum, ambitiosum famulitium seruulorum, omnes patrimoniorum & prouẽtuum fructus vberes dissipet, ad expiscandum volatile gaudium, & ementitum dignitatis splẽdorem: hæ opes cum perituro pereunt, cum moriente commoriuntur, cum rebus ruinosis dilabuntur possessorem euacuant fructibus vitæ, vbi nulla spes affulget mercedis æternæ; de Domino iniquo ad pessimum dissipatorem transferuntur; at amplæ fortunæ & copiæ erogatæ pauperibus, pro Iesu amore abdicatæ & calcatæ, ad cœlos homines subleuant; ad pedes Christi abiectæ eleuantur ab Angelis, in gazophylaciis & reconditoriis cœlestis, & æterni atrij in promocondo diuinæ largitatis, & thesauris Domini signatæ custodiuntur; vt pro facultate, & voluntate donantis reddantur multiplici æternitatis fructu vberiores. Sicut enim corpulenta carnis nostræ substantia (inquiebat Igniacensis Abbas) apud Dominum est, eam licet despectam assumpsit, & in cœlis reposuit, vt ipsam gloria coronaret; sic possessiũculæ terrenæ substantia oblata seruatori apud ipsum custodita seruatur ornanda æternitatis decore; cùm ad cœli recõditorium quisq; diuitias suas inuenit, in animo suo spem reponit, se euehendum ad interminabile regnum, & ipsius diuinitatis cõsortium. Illud demum astruit arguté Guerricus Deum diuitias, aut erogatas, aut contemptas auidius suscipere, vt de oblatione munerum lucraretur hominum corda: *Quàm beati vos (inquit) pauperes spiritu, qui iuxta consilium admirabilis consiliary thesaurizastis vobis thesauros in cœlo, ne si in terra thesauri vestri remanerẽt, corda vestra pariter putrescerent. Vbi enim, inquit, thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Eant igitur, eant corda post thesauros suos, sursum affixa sit cogitatio, & ad Dominum suspẽsa expectatio.* Quòd opes tuas Domino offerres sacrificio spontaneo, & ante te in cœlestia atria præirent, diuini amoris artificium extitit, vt cor tuum à terrenis suspenderet, & ad cœlum eleuaret; si enim cor humanum quodam cupiditatis nexu cum thesauro suo copulatur, cùm homo thesaurizat in cœlo, cor suum sursum effert, & infert, vbi thesaurum inuehit; iam ergo Dominus, cùm facultates tuas suscipit, cum iis simul cor tuum, & affectum sibi vsurpat.

Guer.

Pauperes spiritu thesaurizant thesauros in cœlo, vt in illo sit cor, sursum affixa cogitatio, & expectatio.

3. Sequestratos à mundo singulari nuncupatione cõdecorat Regius Psaltes Psal. 67. v. 6. eos enim vocitat orphanos, pupillos, & viduas, quarum iudex, & protector Deus: *Patris orphanorum, & Iudicis viduarum.* Qui autem sint orphani, quæ viduæ in hoc Cantico celebratæ, eleganter expendit Venerabilis Beda, dicens: *Orphanos vocat illos, quos gladius Verbi Dei diuisit à mundo, quasi patre, quasi consolatore, ita vt sint separati à societate sæcularis spei.* De viduis verò subnectit sequentia: *Per viduas verò accipe plus; illos scilicet, qui, cùm prius carnalibus essent dediti, iam penitus sunt ab omni carnali delectatione separati, sicut vidua dicitur mulier illa, quæ prius iuncta viro, modò est à viro vidua, & diuisa.* Religiosi viri anima quasi vidua prædicatur, quia à mundo, & carnalibus desideriis, quibus inhæserat sequestrata, & à sæcularibus illecebris abdicata, omnis terrenæ iucunditatis orba permanet, maculosæ vitæ refugiens commercium, vt sistat se Christo, ipsique copuletur. Vir quoque Domino consecratus orphanus dicitur: non solùm pupillus, qui morte Patris, vel emancipatione, extra ius sæculi est. Si verò sequamur discrimen à iuris prudentibus assignatum, pupillus dicitur, qui non habet patrem, orphanus, qui nec habet patrem, nec matrem. Ideo religiosus vir inter inter orphanos recensetur, quia illum gladius Dei limatus, & acutus ab affectione Patris, & Matris diuisit; quasi in quodam conditiuo sepulchri tumulatus censeretur, cùm se ab eorum consortio voluntariâ abrenunciatione segregauit. Nec se existimet desolatum, quiin ipsa orbitate Dominum habet socium, & patronum, qui munera parentum, & accuratam dilectionem vberiori largitate compensat. Si mundus, quem habebas pro patre, aut genitor, te emancipauerit, & iure hæreditatis exemerit, ne sis animo destitutus, cùm pater, & Dominus cœli, & terræ expansis brachiis ad gremium securitatis, & tranquillitatis suæ te properantem expectet, vt repleat in bonis æternæ hæreditatis desiderium tuum; felix si emancipatus à sæculo, te Deo mancipaueris, eique

Psal.

V. Beda.

Religiosi à mundo diuisi & separati, ab omni carnali voluptate segregati.

Cur Religiosi nuncupentur orphani?

eique totum te tradideris, & in illius mancipium transtuleris, cuius seruitus regalibus infulis gloriosior est.

4. Domus Abrahæ omni decore abundans, expers tamen erat charis natorum pignoribus, qui in eius fortunas hæreditario iure succederent, ideo ille licèt affluens diuitiis, & cœlestibus ornatus oraculis, mœrore compungitur, quia possessionum suarum abundantia ad filium sui œconomi volueretur. Genes.c.15. vers. 4. *Statimque sermo Domino factus est ad eum, dicens: non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis heredem.* vbi LXX. interpretes legunt: *Qui egredietur ex te, hæreditabit te.* Quam lectionem examinans Philo Hebræus, mirabiles profert argutias in lib. cui titulus est: *quis rerum diuinarum hæres?* Ait enim in his verbis occultatum ænigma, ipsumque aperit, & explicat solerter agnoscens cælestem alteram hæreditatem incorporearum, diuinarumque rerum, paratam iis, qui terrena omnia transiliunt: *His dignus habetur* (inquit) *solus ille, qui supernè inspiratus est, cælestis diuinæque portionis particeps, intellectus purissimus contemnens non modo corpus, sed & alteram partem animæ, quæ, cùm sit bruta, sanguine fermentatur, furores feruentes, & concupiscentias ardentes excitans; diuinæ hæreditatis portionem ille solum apprehendit, qui non solùm corpus suum contemnit, sed brutæ partis commotiones furoris, & libidinis coërcet.* Postea solito acumine pungit verbum illud: *qui egredietur ex te*, inquiens: *Quis ergo hæres erit? non ille intellectus, qui sponte detinetur in corporis carcere, sed qui solutus vinculis, liberatusque prodit extra parietes, & vt ita loquar, se ipsum derelinquit. qui, inquit, egredietur ex te, hic hæres tuus erit. Ergo si cupis, ô anima, hæres diuinorum bonorum fieri, non tantùm terram, corpus, & cognationem sensuum, & domum paternam; rationem desere, sed & te ipsam fuge rapta extra te ipsam.* Perfectam abdicationem rerum, Euangelicæ institutionis imaginem suis verbis coloratam, & animatam reddit disertissimus Philo; instruens animam ad perfectam participationem prædiuitis naturæ, cælestem hæreditatem, cùm abrenuntiare in primis docet affectionibus carnis, consanguinitatibus, ac familiaritatibus, corpus contemnere, sensus claudere, paternis affectionibus, quæ pietatis propositum valeant impedire, nuntium remittere. Denique ad summum sanctimoniæ fastigium nos perducit. Nempe ad sanctum odium animæ, & sui met ipsius abnegationem: *sed & te ipsam fuge*: quibus congruunt, quæ subiungit: *Proinde agedum sicut dereliquisti cætera, excede, ac emigra etiam ex te ipsa.* Itaque spiritales egressiones animi docuit Abrahamum supernum oraculum; vt filios instrueret, omnia relinquere, vt seruatoris sodalitio mererentur adscribi; illud tamen excelsius est, egredi, & recedere à patre: *qui egreditur ex te, hæreditabit te*: Segregari, & discerni ab eo, cui iure naturæ vinculo strictiori colligatur homo, ipsumque abnegare, vt copuletur Christo; ab ipso egredi per recessum, & diuortium, à quo egressus, & ingressus in mundum sumpsit exordium: eximium genus est victoriæ, & potentissimæ machæræ verbi Dei inclytum facinus, separare filium à patre, & fugere à paterno domicilio, vt ad Deo consecratorum transeat contubernium. Resonat itaque superni nuncij verbum in auribus cuiusque fidelis genitoris: *qui egredietur à te recedet à te.* Sic tam longo recessu dissitus, vt dicat patri & matri: nescio vos, non permotus, non inflexus maternis blandimentis, nec lachrymis, vt Christi sequelã derelinquat. Nec solùm à patre sequestratur, sed à se ipso remouetur, se ipsum relinquit, & abnegat, vt heres sit diuinorũ, & cælestis regni possessionẽ obtineat.

Genes.

Quis sit Abrahamidis possessionis.

Lect LXX.

Phil. Heb.

Qui terrenas facultates animique passiones contemnit, cælestis & diuinæ portionis est particeps.

Philo Heb.

Qui egreditur à se, & seipsum derelinquit, hæres est diuinorum bonorum.

Anima diuinæ portionis hæreditaria. domum paternam, & se ipsam fugiat, rapta extra seipsam.

Phil. Heb.

5. Prouocatus est animus, & sapientia sancti Isidori Pelusiotæ à Christodoro, vt penitiorem sensum illorum verborum daret. Matth. c. 24. v.16. & 17. *tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua*, & de pectore suo, totius eruditionis penu, reconditam illam prothe oriam eduxit, ad formandos mores; sic enim obuiam it percunctationi lib. 1. epist. 210. *Qui præsentem domum contempsit, ac pro nihilo duxit, atque omnem huiusce vitæ scenam pedibus protriuit, vitaque altus, & sublimis effectus est, & intestinos animorum motus ablegauit, nihil ex ipsis attrahat, non metum, non ignauiam, non inanem gloriam, non opum cupiditatem, id enim ex alto descensus significat.* Monitoria verba Christi Iudæos instruebant in obsidione Romanorum constitutos, ne aliquo necessitudinis, aut laboris prætextu, qui migrauerant ad montes in specubus latitantes, ad vrbem ab hostibus circumuallatam regrederentur; ne fierent aduersariorum spolium, aut experirentur aciem gladij: quæ omnia perbellè accommodat Pelusiota viris Deo consecratis, qui enim amplam domum, domesticos lares, & tutelares deos, & patronos, necessarios, inquam, & propinquos despexit, caduca, & fugacia existimans huius vitæ commoda, perfectionis Euangelicę turrim ædificans, vitã excelsus, sublimis, & conspicuus effectus; non descendat ad sæculi conualles criminosas; quæ maleolenti vitiorum halitu pectus, & animum afflant, & innatæ voluptatis oblectamento demulcent, & fortiorem inflectunt ad lapsum; nil tollat de domo sua, non carnis voluptatem, non opum cupiditatem, non ambitum honoris; hæc omnia despexit, & tanquam anathema obliuionis, in ara Crucis suspendit; genus sacrilegij est, quæ Deo consecraueras, tibi demum resumere. Nihil ergo de domo, quam reliquisti vsurpes, ne lubricæ, & viscosæ suppellectilis inquineris attactu; ne inter collapsas, & à te conculcatas fortunas serpens latitet, qui te morsu petat, & lethale virus infundat, ne præda contumeliosa fias deprædatoris, quam despexeras. Præclarè S. Pachomius in exhortatione ad fratres dixerat: *nimis anima illa probatur infelix, & omni lachrymarum fonte plangenda, quæ sæculo renuntians, iterum sæculi actibus implicatur, & inutilibus dudum curis exuta, rursum redit ad dura seruitutis obsequia.* Hæc præclarus ille cœnobiarcha. Nec erit inamœnum his annectere morale alterum documentum, quod velut medullam spiritalem eruit ex verbis Leuitici cap. 6. Radulphus Flauiacensis, sic enim ait textus sacer ibi v. 16. *Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis, absque fermento: & comedet in loco sancto atrij tabernaculi.* Iuxta spiritalem intelligentiam hunc locum accipit Radulphus de viris regularem vitam profitentibus, iisque hoc ferculum sapientiæ offert, *illicitum*

Isid. Pelus.

Qui ad sublimem religiosæ vitæ montem ascendit, non descendat ad terrena, quæ reliquit.

S. Pacho.

Anima, quæ sæculo renũtians, rursus terrenis implicatur, & redit ad dura seruitutis obsequia, valde infelix.

Radulph.

Radulph.

Digitized by Google

Religiosus à mundi actibus sequestratus de diuinis solùm tractare debet. illicitum est, nisi in loco sancto similam consecratam comedi: quia studium animæ religiosa, quæ se à mundi actibus sequestrauit, non in sæcularibus, sed in his solùm, quæ ad Deum pertinent debet proximis exhiberi. Cùm igitur nuptiarum causa tractatur, cùm augendæ pecuniæ, cùm bonorum sæculi huius acquirendorum ratio habetur; indignum est, vt mens Deo consecrata, quæ ipsa negligit, possidere, aliis studeat procurare. Quid tibi cum pompis sæculi, qui professione vitæ maior factus es mundo? Quid tibi cum nuptiis, iugalibus tædis, carnalis copulæ commerciis, & fœderibus, qui Angelicæ vitæ schema & institutum portas: Angeli verò neque nubent, neque nubentur. Dissonum est in aliis tractare, quod tibi displicuit profiteri; Qui enim iuxta Euangelicam institutionem lucernas tenet in manibus ardentes, & coërcet lumbos balteo castitatis, à memoria, & alloquio ablegat nomen nuptiarum. Quid tibi cum dominio & possessione copiarum, cum quibus fecisti diuortium? quid cum ambitûs honore amicis lucrando, qui in domo Domini contemptibilis, & abiectus esse delegisti: *Indignum est, vt mens Deo consecrata, quæ ipsa negligit possidere, aliis studeat procurare.*

Indignũ religioso viro nuptiarũ, aut augendæ pecuniæ causis se inserere. Mens Deo consecrata, quæ ipsa negligit possidere, aliis non studeat procurare.

6. Cùm aliquando pectus ferreum, & adamantinum Pharaonis, induratum quasi malleatoris incus tot plagarum ictibus, ad speciem pietatis flecteretur, magna inter ipsum, & Moysen contentio exorta est, an discessuri Israëlitæ cum omni substantia & suppellectili, vt diem festum Domino peragant, ipsi sacrificaturi pascha, an de fortunis suis in Ægypto aliquid relinquant. Visum est enim Regi pertinaci, abeundi permissionem dari, parte substantiæ eorum pro reditûs ad Ægyptum pignore, derelicta. Exodi cap. 10. vers. 8. & 9. perquirit Pharao: *Qui nam sunt, qui ituri sunt? Ait Moyses: cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cum filiis, & filiabus, cum ouibus, & armentis, est enim solemnitas Dei nostri.* Postea verò vers. 24. *Ite sacrificate Domino. Oues tantùm vestræ, & armenta remaneant: ait Moyses: cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri.* Non in integrum discedere, sed reliquias, & affectus sacri populi Pharao secum retinere cupit, vt quasi ex ansula ipsum faciliùs prehensare valeat, & ad suam redigere potestatem; Moyses tamen hanc partitionem, & diuisionem aspernatur, vt totus & integer populus Deo consecretur, nullo retinaculo relicto, quod ad Ægyptum attrahat. Argutè Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de adoratione mentem verborum assecutus, fatur: *Moyses perfectâ discessione proficisci debere dicebat: ille autem, non ita, inquit: sed partem se dimissurum, eamque partem, quæ relinqueretur, obsidem quodammodo esse oportere, pro reditu discedentium, ipsâ quoque in Ægypto relictâ supellectile. At Moyses constanter affirmat, esse discedendum, nullâ re prætermissâ, atque relictâ*, & accuratâ adaptatione verborum ad mores subiungit: *oportet enim, vt qui se in veram libertatem asserere velint, studeant illi quidem à malis, quæ in mundo sunt, abscedere, & se vitam ingredi, quæ ad virtutem ducit: nullasque omnino animi, aut mentis reliquias dimittere, per quas iterum sub illius maligni dominatum, ac tyrannidem redigantur.* Illud satagit mysticus Pharao animarum iuratus hostis, quòd in contemptu opum, & mundanarum oblectationum, non in integrum fiat renuntiatio, sed cum diuisione; ita vt sibi aliqua substantiæ portio obtingat; est enim hoc pignus sibi charissimum, ex quo non exigua spes affulget integri dominatûs in animam, dum enim illud possidet, quasi ansulis quibusdam innexis durâ seruitute suâ tenet obstrictam, & à salutaribus lacertis, & religiosis nodis, quibus quisque religatur, relaxat, & soluit; reliquias affectionum, quas in Ægypto reliquisti, tanquam obsidem diabolo donasti, vt sui iuris sis, in eoque in corpus, & vitam tuam sit potestas. His compedibus & retinaculis præpeditur animus, ne liberè conuolet ad superos; piarum cogitationum nisibus interturbatis, ne in Deo cor nostrum placidâ statione quiescat; tanquam passerculus fune ligatus diabolo traditur illudendus. Ille verò & integrè mundo nuntium remittit, qui totam substantiam suam, & mentis affectiones Domino consecrauit, nullo cupiditatis pignore apud hostem relicto, quo homo iam sanus & firmus, iterum relanguescat, aut ad laqueos semel contritos relabatur, grauiori opprimendus ruinâ.

Magna contentio inter Pharaonem, & Moysen exorta, an egrederentur ex ægypto Israëlitæ cũ omni substãtia sua.

Exod.

Moyses contendit, quod greges omnes pergant, nec vngula apud Ægyptum relicta.

S. Cyr. Alex. *Satagebat Pharao, quod pars relinqueretur, velut obses pro reditu discedentium. Qui semel virtutis & perfectionis ingreditur, nullas corporis & animi reliquias apud Ægyptũ relinquant, per quas iterum redigatur in seruitutem tyranni.*

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

Omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem.

Discursus VI.

Religiosa professio beatæ vitæ obtinendæ tessera, & prædestinationis est symbolum præclarum.

1. Qui sacro famulitio consecratur, nomenque suum in religiosorum militum album describendum dedit, vt sub Imperatore Christo, & Crucis vexillo stipendia mereatur; signum continet, & symbolum expressum diuinæ electionis, & prædestinationis, vt, dum in catalogo, & numero Deo consecratorum recensetur, in certam spem erigatur nomen eius scriptum in libro vitæ, ad partem Domini, & manum eius dexteram pertinere. Hoc maximum in hac vita ærumnosa solatium, & gratissimum nostræ salutis indicium, apud Vatem Amos inuenies cap. 9. vbi de religiosæ vitæ institutione à Christo Domino architectatâ sermonem instituit ibi vers. 6. *qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit.* De triumphalis seruatoris ascensione in cælum Prophetam vaticinium edidisse, concors est primorum Ecclesiæ mens. Huius autem ascensionis fructus, fundatio religiosæ vitæ extitit. Primum enim cœtum, & sacram familiam Deo sacram ex Apostolis instituit, quam mirabili sapientiâ fasciculum nuncupauit, audiendus est

Amos.

Christus ascendens in cælum Apostolica religionis institutum, velut fasciculum veris religatum in terra reliquit.

AA 2 3 Doctor

D.Hieron. Doctor Maximus: *Iste ergo, qui quotidie ascendit in Sanctis, fasciculum suum fundauit super terram. Iste fasciculus vnâ Domini religione constrictus est. Vnde & ipsa religio à religando, & in fascem Domini vinciendo, nomen accepit.* Quem sectatur Carensis Hugo dicens: *fasciculum suum super terram fundauit, alios, qui sibi seruiunt, quos per religionem in fascem religat, vt eos in cœlum in humeris suis portet.* Cur autem fasciculum sacros cœtus nuncupet, non exigui momenti rationes accommodari possunt. Vbi res aliquæ in vnum colligantur strictiori nexu, ne diffluant, fasciculus dicitur; indicat enim coëuntes animos Vates in vnum consensum fidei, & dilectionis, religiosæ professionis lacertis, quasi strictioribus vinculis religatos. Si enim mirabilis Dominus, quia omnium elementorum dissonam naturam, & discordiam in vnum consensum & orbis concordiam, quasi vnum fasciculum suæ prouidentiæ alligaturâ constrinxit, vt aliqui hunc locum exponunt; quanto mirabilior cùm dissitos mores, discordantia ingenia, in vnam religionis congruentiam, & similitudinem conspirare facit, & habitare vnius moris in domo. Porrò fasciculus indicat, quòd viuendi ratio sæculi solutior est, & ad varia naturæ oblectamenta laxatur; perfecta autem institutio, qualis est Deo consecratorum, intra cancellos præceptorum Domini, & consiliorum sese claudit, & seuerioris disciplinæ obligationibus adstringitur, & coarctatur; nec enim ij latam, & spatiosam semitam, sed arctam, & angustam deligunt: quæ ad immensum cælestis atrij spatium ducat. Nisi mauis fasciculum florum religionem nuncupasse; sicut enim in viridarium ingressus, pulchros & suaueolentes flores carpis, diuersis coloribus variantes, pulchrâ specie rutilos, & vernantes, arte colligatos, & complexos, ordinéque distinctos, & colligatos, in vnum fasciculum coaptas; sic ex religionum hortis, & topiariis, quæ plantauit, & fundauit altissimus, flosculos animorum is colligit virtutum varietate nitentes, mirabili omni odoris suauitate flagrantes fasciculos componit manibus suis dignos, & olfactoriola, quæ naribus suis admoueat, quorum odore iucundissimo recreetur. De iis proloquutus est Hugo Carensis: *Quos per religionem in fascem religat, vt eos in cœlum in humeris suis portet.* Si fasciculus sunt florum, in manibus Domini deportantur in cælum. De paradiso terrestri ad cælestem hi flores transferuntur; si frondium fasces & virgultorum, *eos in cœlum in humeris suis portat.* Suaue vehiculum omni specie, & dignitate decorum: securus graderis, & euehetis, omni titubantiâ, vertigine, & lapsu immunis, Dominicis humeris deportatus. Nec mirum si iustorum & religiosorum fasciculos portet in cœlum super scapulas suas, qui Crucis patibulum, & omnium hominum scelera super humeros baiulauit. Atlas hic cælestis non solum cœlum sustinet, & fulcit humeri sui potestate, sed cœlorum creator, & Dominus animarum religiosarum fasciculos in cœlum inuehit; verus Isaac, & risus noster Iesus, qui cum primus se obtulit Deo sacrificium, oblatorum fascem, & colligationem virgultorum in terram visionis Dei, vt ea offerat Patri super humeros portat. Omnibus his prædicatur religiosis regni cœlorum secura possessio, hanc approbat & confirmat sententiarum diuini vatis Amos pulchra cohærentia: prædixerat: *qui ædificauit in cælo ascensionem suam.* Et statim subiungit: *& fasciculum suum super terram fundauit.* Vt ascensionem in cælestia palatia, & fundationem fasciculi copularet. Etenim, cùm religiones architectatus est Dominus, viam parauit, & securam semitam ad beatam vitam obtinendam; hâc enim itur ad astra: qui enim arctioris vitæ obligatione colligatur, ascensum construit, quo facilè scandat polum: cælestis Ierosolymæ mœnibus assideat, eaque expugnet. Cùm te à terrenis coarctas, ascensionis in cœlum gradus ædificas. Nec nouum, aut insolitum est, religionis statum nuncupare scalam paradisi: audi Sanctum Bernardum in libro de modo orandi: *Hæc est* (inquit) *scala claustralium, quâ de terra ad cœlum subleuantur: gradibus quidem distincta paucis, immensæ tamen & incredibilis magnitudinis. Cuius extrema pars terræ innixa est, superior verò nubes penetrat, & secreta cælorum rimatur.* & Sanctum Antoninum Archipræsulem Florentinum 3. p. tit. 16. cap. 10. §. 9. religionem cum scala Iacob comparantem ex Genes. cap. 28. *Scala ista est exercitium, quod est in Religione, gradus sunt lectio, meditatio, oratio, mortificatio. Ascendunt Angeli ad referendum Deo vota; descendunt ad portandum sponsi varia munera, innixus est Deus scalæ summitati ad iuuandum ascendentes, & confortandum, in termino se eis præbendum in præmium: & sic non est in religione aliud nisi porta cæli.* Quis nisi ignauus, & miles reformidet in ascensu titubantiam aut prolapsionem, cùm potentiæ suæ robore Deus scalam firmat, cùm candidatorum turbâ, & satellitio circumcinctus expansis brachiis tuum præstolatur aduentum, cùm à dextris & à sinistris scalam, & ascensum fulciat, vtrumque enim illius latus quasi duplici auxilij baculo, in prosperis & aduersis infirmitatem tuam sustentat, ne corruas, ne alicuius tentamenti vertigine circumagi videaris. Ascenditur autem ad scalæ verticem, in qua est Deus, & beata vita, per quosdam gradus; timor Dei nos erigit, humilitas nos subleuat, contemplatio nos eleuat, obedientia cursum perficit, diuitiarum contemptus nos alacres, & volucres reddit; charitas, & puritas assidere nos facit Imperatori Deo. Sed caue, ne terrenis affectibus quasi quibusdam laciniis, & retinaculis ab hoste apprehensis præpediaris, aut præcipiti prolapsione corruas. Dabit tibi hinc, inde fulcimentum Dei tutela, & gratia, vt perseueranter scandas scalæ culmen, & teneas palmam. Verè in hac scala non est aliud nisi domus Dei, & porta cœli: per religiosam vitam Iesus cœlum peruium mortalibus reddidit.

2. Ad fasciculum lubens redeo, quem Dominus manu sua fundatum, & colligatum tenet protectionis suæ munimine securum. Censeo enim, Vatem hac fasciculi analogiâ allusisse ad fasciculum viuentium, in quo strictiori nodo deuinctum Dauidem ratiocinata est prudentissima fœmina Abigail; cùm enim dux inclytus iniuriis Nabal stulti lacessitus, & irritatus, ad vindictam properaret vallatus strenuissimorum militum satellitio, occurrit seruatura

Margin notes: Hugo. — *Deus sectatores suos per religionem in fascem religat, vt eos in cælum in humeris suis portet.* — *Religiosi velut fasciculus in manu Domini.* — Hugo. — *Iesus super scapulas suas religiosorum fascem portat in cælum.* — *Cum se quis votis coarctat, ascensionem suam in cælum ædificat.* — S. Bern. — *Religiosa disciplina scala paradisi.* — S. Antoni. — *Huius scalæ quales sint gradus?* — *Ascendunt Angeli ad referendum Deo vota; descendunt ad portandum varia munera.* — *Deus in scala apice eminens paratus ad adiuuandum.* — *Non est in religione aliud nisi porta cæli.* — *Religiosi tanquam fasciculus viuentium manu Domini custoditus.*

uatura domum, & maritum Abigail, & ſapientiſſimorum verborum blandimento iram furentis, & inſlammati Imperatoris impetus fregit, eumque ad miſericordiam, & veniam inflexit, inter alios ſermones hunc protulit ſuperno ſpiritu afflata lib. 1. Reg. cap. 25. v. 29. *Si enim ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium apud Dominum Deum tuum.* Hunc faſciculum viuentium Amos aſpiciebat, cùm primitiuum religioſumque cœtum Apoſtolorum faſciculum nuncupabat: de eo enim ad litteram ſermonem inſtitui, aſſerit Sanctus Hieronymus, & confirmat ex verbis Lucæ cap. 12. v. 32. *nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* Hunc propheta nuncupat faſciculum, & Euangeliſta gregem puſillum. His tamen verbis non decus religionis imminuit, ſed eam incrementis cæleſtibus facit ſublimem. Scitè S. Petrus Chyſologus ſerm. 22. inquit: *Grex puſillus mundo, magnus Deo. puſillus grex eſt, qui non de magno minuitur, ſed creſcit de puſillo; puſillus grex naſcentis Eccleſiæ ſic deſignat infantiam, quam venire ad regni ſui infulas incrementis cæleſtibus, mox promittit.* Hinc eſt quòd LXX. locum vatis Amos ſic efferunt legentes pro *faſciculo: promiſſionem ſuam in terra fundauit.* Quam promiſſionem regni, & pactum non interuertit, ſed accuratè ſeruauit, dans ſeruis ſuis regnum, eoſque ad conſortium dominationis aſciſcens, quam adſtipulationem aſſumendi eos ad regnum ſimilitudo illa faſciculi confirmat: quid præſeferat *viuentium faſciculus*, eleganter expendit Gloſſa his verbis: *loquitur metaphoricè, quia ſicut ramuſculi alibi tranſplantanti, vel inſerendi in faſciculo ligantur, & in aqua ponuntur, & poſtea tranſplantantur, & inſeruntur; ſic iuſti in præſenti vita conſeruantur in humore gratiæ, vt transplantentur in terra viuentium per adeptionem gloriæ.* Sic in religioſis cœtibus noua, & vetera plantaria ſtrictis regulis colligata, quaſi funiculis ad cæleſte viridarium ex variis frondibus, & pulcherrimis iuſtorum arboribus conſitum, ſeruantur. Religio paradiſiacum pomarium eſt terrenum, vbi plantæ viuunt ſpe non dubiâ tranſlationis ad paradiſum cæleſtem. Audiendus eſt Hugo Cardinalis ad ea verba Eccleſiaſtici cap. 44. *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum.* Iuxta myſticum ſenſum fatus. *Enoch interpretatur dedicatio, & ſignificat virum clauſtralem, qui ſe voto triplici, ſcilicet, paupertatis, caſtitatis, & obedientia dedicat Deo, vt iam ad alios vſus transfire non poſſit. Placuit quia propter ipſum ſua, ſuos, ſeque dimiſit, & translatus eſt in paradiſum, id eſt: de mundo in clauſtrum, vt operetur, & cuſtodiat illum: Clauſtrum verò paradiſus dicitur, id eſt, locus deliciarum: ibi enim eſt fluuius de loco voluptatis egrediens, in quatuor capita diuiſus, qui totum irrigat paradiſum, id eſt, regularis obſeruantia, quæ in quatuor partes diuiditur, id eſt, in oratione, lectione, meditatione, exteriori occupatione: ibi eſt lignum vitæ in medio, id eſt, Chriſtus ſpiritualiter. Matth. 8. vbi fuerint congregati duo, vel tres in nomine meo, illic ſum in medio eorum.* Huc vſque purpuratus Hugo. Religio paradiſus eſt, ad quem, qui ſe Deo dedicat transfertur, vt accuratè colat hortum animæ, vt ſingulari ſolertiâ

Lib. Reg.

S. Hieron.
S. Luc.

D. Chryſol.

Religioſa familia puſillus grex mundo, magnus Deo. Non de magno minuitur, ſed creſcit de puſillo, ad regni cæleſtis infulas.

Lect. LXX.

Gloſſ.
Iuſti tanquã ramuſculi inſerẽdi faſciculo ligati, humore gratia ſeruati, vt trãſplãntentur in terra viuentium.

Hug. Card.
Henoch qui interpretatur dedicatio, virum triplici voto dedicatũ innuit.
Tranſlatus eſt in paradiſum, cùm recedit à mundo, & in clauſtrũ intrat.
In religione tanquam in loco deliciarũ fluuius regularis obſeruãtia manat, illãque rigat.
Quatuor flumina oratio, meditatio, lectio, actio.
In medio lignum vitæ Chriſtus.

inſerat virtutum ſurculos ſpiritalibus fructibus comantes, & pulchros, mortificationis falce demetat luxuriantes cupiditatis propagines, timoris, & continentiæ ſarculo tellurem cordis ſarriat, ferratiſque pœnitentiæ dentibus pomarium expurget, dumeta, & carduos, qui prouentus animi ſuffocant, omni ſolertiâ auerruncet; vt amœnum topiarium reddatur, in quo Deus inambulet, & lignum vitæ IESVS conſitum niteat; felix area virtutum aromatibus fluens, & redolens, variis bonorum operum ſpecioſa germinibus, in qua IESVS adeſt, qui faſciculos florum, & germinantium virgultorum vinciat charitatis nexu, vt ad nemora & lucos æterni regis, beatæ vitæ ſplendore vernantes transferat: His ſtipulatio reddita eſt migrationis mirabilis de clauſtro ad paradiſum, de cella ad cælum, vt in iis adimpleatur quòd animæ eorum ſint cuſtodiæ, *Quaſi in faſciculo viuentium.* Vbi vt Hugo recenſet: *Hebræus habet: quaſi in faſciculo vitæ, quod idem eſt, id eſt, in Collegio Sanctorum.* Adeſdum lector, & cerne, quàm opportunè, & ad cor loquatur Sanctus Laurentius Iuſtinianus comparans inter ſe faſciculos cæleſtis congregationis religioſæ, & adhuc in terra peregrinantis lib. de diſciplina, & perfectione monaſticæ conuerſationis cap. 7. ſcribens: *vnicus eſt, & illorum, & iſtorum Dominus, vna hæreditas, vnaque ſocietas. Securè ſperet poſt hanc peregrinationem, ad illam ſupernam intrare Ieruſalem, quicumque in iuſtorum congregationem fuerit vocatus. Magnum quippe electionis indicium eſt huius fraternitatis habere conſortium. Facileque ab illa excluditur, qui ab hac fuerit ſegregatus. Ideo cum omni circumſpectione, & animi maturitate ſe ſtudeat quiſquis in hæc ſancta collegia Deo dicata vocatus eſt, ne diaboli fallacia, aut ſui negligentiâ, ſeu ignorantiâ amoueatur ab illis.* Placidiſſima verba, quæ omne ſolatium infundunt religioſis pectoribus, in iiſque ingenerant ſpem non dubiam, poſt tranſactum huius vitæ certamen, mercedis æternæ; exhibent enim in rebus aduerſis ſecurum munimen; ardua omnia, & inuia in virtutis agone complanant, labeſcere non ſinunt animum certatoris ingruentibus tentationum globis; ſed erigunt, & exaltant vſque ad ſydera, vt tricas omnes ſæcularium illecebrarum abrumpant, & præpeti volatu alta petentes, varios, & improbos hominum conatus in mundanis facultatibus præhenſandis rideant. Repetite altius, & imbibite in ſecretioribus cordis penetralibus Deo dicati viri, eorum verborum ſuccum dulciſſimum: *magnum quippe electionis indicium eſt huius fraternitatis habere conſortium.* Hoc negotiorum omnium vertex eſt, & ſtudiorum ſcopus, æterna animæ ſalus. Quid iucundius & gratius, quàm tantæ rei obtinere magnum ſignum, & ſymbolum præclarum? Sicut enim religioſi cœtus conſortium, & ſacrorum hominum ſodalitium teſſera eſt cæleſtium candidatorum, beatæ vitæ, & æternæ hæreditatis pignus; ſic arma huius prælij abiicere, deponere Angelicum ornatum, à duce prælij tanquam militem deſidem & ignauum diſcingi, & velut exauctoratum ab ſignis diſcedentem, aut iuſtorum contubernio repulſum, hoſtium incurſibus expoſitum, contradere mortalibus ſæculi ærumnis, magnum reprobationis eſt

Hugo.
Faſciculus vitæ collegiũ ſanctorum.

S. Laur. Iuſt.

Qui in congregationem iuſtorũ fuerit admiſſus, ſecurè ſperet in illam supernã Ieruſalem intrare.
Magnum electionis indicium eſt religioſæ fraternitatis habere conſortiũ.
Qui à religioſo cœtu fuerit ſegregatus, à cælo facilè excluditur.
Qui in ſãcta collegia Deo dicata vocatus eſt, perſeuerantia incumbat.

signum iuxta indubitatum Christi oraculum, qui respicit retro non est aptus regno Dei.

3. Firmanda tamem est hæc bonæ spei anchora officiosæ sedulitatis in virtute sectanda, & bonarum operationum rudentibus, vt immobilis permaneat; nec sat est possidere diuinæ electionis indicium, si prauis exercitiis signum euertimus. Satagendum omnino iuxta salubre monitum Apostolorum Coryphæi Petri vt bonis operibus certam nostram vocationem, & electionem faciamus. 2. Petri cap. 1. vers. 10. Cernamus pugilem adhuc ex vtero Matris gestientem præliari bella Domini, & exaltationis indicio præcurrentem ad certamen, vt indigitet precursor Imperatorem Iesum Dei agnum, ausculta stipulationem Angelicâ voce annuntiatam eius parenti Zachariæ Lucæ capite 1. vers. 15. *Vinum, & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero Matris suæ.* Præfatur cœlestis nuntius Ioannem totius poculi inebriantis abstemium, & postmodum subiicit à Deo electum: prædicat omnia corporis, & animæ penetralia gratiam sancti Spiritûs repleuisse; sed anteriori notâ describit pulionis latentis in visceribus matris rigidæ abstinentiæ canonem. Si electus à Deo, si sanctificatus in vtero, si benedictionibus dulcedinis præuentus antequam natus, ne eius puritas leuioris criminis taminaretur flamine, quid necesse est pœnitentis habitum, & squalorem eremicolæ præmittere? Vt Ioannes Dominicam electionem, vitæ sanctimoniâ firmaret. Arguté Eusebius Emisenus homil. 2. de sancto Ioanne Baptista, inquit: *Sciuit quòd non sufficeret eligentis gratia, nisi inuigilaret collaborantis industria. Sanctificatus est, & nondum tamen de sola Dei electione securus, sed nihilominus agonibus ieiuniorum, & laboribus abstinentiæ, atque Iustitiæ diuinæ in se vota seruare contendit.* Hæc pulchrè Emisenus, totum stabilimentum diuinæ electionis bonis operibus confirmabat Ioannes vt sollicitâ cautione ob omni piaculo, non redderet dubiam, aut mutaret diuinæ dispositionis executionem; & munus gratiæ; gratis elegit Ioannem Deus, sed expectabat collaborantem in vocis precurrentis Saluatori functione; securitatis decus in iusto ex Dei decreto manat velut ex fonte, sed admittit, & exigit liberæ voluntatis operantis arbitrium, vt humana operum censura supernæ electioni decus adiungat; ne ociosæ, & feriantis à bonis expectationis lubrico, corruat oblata promissio: *Nondum de sola Dei electione securus.* Spes secura est, & tranquillitas inconcussa, cui adiungitur sanctarum exercitationum consortium, & sollicitæ operationis satellitium. Ad Deum attinet, quòd te eligat, homini verò incumbit adiicere rectæ operationis suffragium: ideo Ioannes abstinentiæ luctamine, ieiuniorum agonibus: *Diuina in se vota seruare contendit.* Vota animæ & corporis tui religiosa Domino obtulisti, professus es seruare magna, sed Dominus spondet maiora: redde, quæ obtulisti, & donabit Dominus, quod promisit. Lugubris habitus, voluntaria egestas, & esuries, corporis cruciatus electionem Domini confirmant.

Religiosi electio ad beatam vitam, bonis operibus firmanda.

Cur Angelus annuntiaturus Ioannem electum à Domino, & gratia repletum, præmisit illius rigidam abstinentiam? S. Luc.

Eus. Emis. *Non sufficit eligentis gratia, nisi inuigilet collaborantis industria. Laboribus ieiuniorum, & exercitio virtutum, diuina in se vota seruare contendit Ioannes.*

4. In monte Thabor Petrus factus est tabernaculorum Architectus, cùm in tantam prorupit audaciam, vt tres casulas, & mapalia condere cupiat. Matth. cap. 17. vers. 4. *Si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Nunquid gloriæ clarus insignibus ad apicem beatitatis euectus, in ignobiliorum notam, & dedecus incurrit, nimirum in obliuionem sociorum, cùm paratus ad fabricam trium mansionum in quibus Iesus, & illius latus cingentes Moyses, & Elias commorentur, amicos & contubernales à cœlestis palatij aulis excludit? Dubium hoc proponit arguté Abulensis in caput 17. Matth. q. 64. *Cùm Petrus distinxisset tabernacula pro alijs, cur de seipsis, id est, de tribus discipulis tacuit, nullum tabernaculum eis assignans?* Magnus memoriæ lapsus in Ecclesiæ capite, nisi forsitan à magnifica gloria obrutus, quæ terrenorum omnium obliuionem inducit, non curauit de collegarum ædiculis. Rationem alteram consignat Abulensis occurrens proposito dubio: *Volebant ipsi semper frui visione claritatis Christi, ideo manendum erat eis in eadem domo cum Christo, & quantum ad hoc rectè Petrus dixit: Nam si aliquod tabernaculum Christo faciendum esset, ipsi deberent manere cum eo, sub eodem tecto, tam propter dicta, quàm vt Christus non maneat incomitatus.* Quasi diceret Petrus: Nos qui sumus commensales, & contubernales Iesu, eius lateri semper inhærentes, speciali domunculâ non indigemus; vbi enim Magister, & Dominus manet, & requiescit, commorabuntur clientes, discipuli, & serui; ideo de tecto fabricando mihi, meisq; sodalibus non curo, quia vbi pastor mãsitauerit, cubabunt oues; nos autẽ genus electum, & Domini peculium; apud Iesum verò inconcussum tabernaculum, & beatæ vitæ secura possessio. Quid non fortunatum, & iucundum in Iesu habitatione opulenta: extra illius sodalitium quid non infaustum & calamitosum? Itaque ex cõtubernio cum Iesu, & habitatione sacratæ illius domûs, beatitudinis & gloriæ compromissum sibi asciscit Petrus. At non est satis in supercilio, aut cliuo sacrati collis, & glorificati montis commorari, licet sis, ô Petre, vicinior cœlo, remotior mundo, & à terrenis sequestratus, non reddit beatum locus incolam, si obliuiosus reddatur asceticæ exercitationis, & certaminis pro virtute suscepti, quod solet Athletis incorruptibiles coronas pangere; Audiant Petrus, suique sectatores os aureum tom. 6. homil in Samaritanam: *Noli dignitatis nomina spectare, sed rei virtutem, nam neque paradisus in pretio habendus est, nisi Dei mandatum in eo seruetur: neque vilia loca sunt ignominiosa, si in eis sit lex Dei regnantis. Verum melius, vtrum potius? paradisus, an sterquilinium? Veruntamen Adamo propter transgressionem paradisus nihil profuit: Iob verò sterquilinium propter patientiam minimè nocuit. Adamus in paradiso propter inobedientiam ignominiâ afficitur; Iobus autem propter patientiam in sterquilinio coronatur. Nusquam enim locorum dignitas comparatur, nisi bona mens concurrat. Et paradiso sublimius est cœlum, sed cadit inde Diabolus. Vides non locorum discrimen efficere, vt superiores euadamus, sed vbique fidem, & patientiam, & spem promerentibus coronas acquirere.* Non locorum incolatus, sed virtutis cultus hominum merita discernit. Adamus in

S. Matth.

Cur Petrus constructurus tabernacula Christo, Moysi, & Eliæ tribus discipulis nullum tabernaculum assignat? Abul.

Abul. *Cùm ædificaretur tabernaculum Christo debebant discipuli in eadem domo & contubernio cũ ipso, manere.*

In sodalitio cum Iesu, beata vita secura possessio.

S. Chrys. *Non loci dignitas, sed virtutis exercitatio hominem felicem & beatum reddit.*

Adamus in paradiso labitur & probro afficitur, Iob in sterquilinio stat inuictus à Deo coronatur.

Paradiso sublimius est cœlum, & cecidit inde diabolus.

in paradiso præuaricator à diabolo prosternitur; Iob in fimo inuictus pugil coronatur; lucifer in empyrei atrio sublimiori cecidit, & de cælo corruit, vt non integra de loci dignitate securitas promittatur, in quo non adest fides, & virtutum exercitatio. Dicet vir consecratus Deo: in monte sancto Dei sum, cælum religionis incolo, in paradiso immoror exultans de Deis promisso; at visio Dei viuentis præparatur non locis, sed moribus, non curriculis, non stadiis, sed legitimè decertantibus cælestis corona contexitur. Caue, ne pauper aut diues in sterquilinio sæculi excellentius leges, & iura certaminis, & caueæ spiritalis adimpleat, brauium teneat, & accipiat coronam tuam.



Erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis.

DISCVRSVS VII.

Sacrati Deo cœtus amœnissima viridaria, & paradisi deliciarum Dei, semper vernantes virtutum floribus, compti tanquam pomosa corona sanctorum fructibus.

1. ANNOTAVIMVS in tertiæ expositionis commentario, in præfatis sententiis prædixisse Vatem religiosi status beatitudinem, illumque comparasse semper amœnanti paradiso, & regio topiario irriguo fluentis gratiarum, in quo omne genus flosculorum, & varietas iucunda pomiferorum germinum nitet ad delicias Creatoris plantato, & consito. Hic ergo conceptus in præsentiarum adstruendus est, & ornandus illustri vaticinio Amos c. 9. v. 13. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator messorem, & calcator vua mittentem semen, & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. & conuertam captiuitatem populi mei Israël: & ædificabunt ciuitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum, & facient hortos, & comedent fructus eorum.* His enim verbis colophonem imponit suis vaticiniis Amos. Nec in iis animus Prophetæ est, vt solummodò crassam, & historicam narrationem proponat, promittens reditum captiuis, & possessionem patriæ telluris, vt in felici rerum statu constituti, opes ruris colligant, excussis, & tritis frugibus in area, aut pressis vuis in torculari, cum hilaritate, & gaudio incumbant in iucundissimis comportationibus prouentuum; vt à torculari, & falce colonus rursus transeat ad campos aratro inuertendos; subtiliorem, & spiritualem propositorum protheoriam adiicit felicitatem Ecclesiæ annuntians, ad rem ergo nostram de prædictarum sententiarum paradigmate mihi vsurpo montes distillantes dulcedinem, cultos colles, plantatosque hortos. Ordiar ab hortensi similitudine; per hortos religiosas familias intelligi, existimat Glossa, cuius verba sunt: *Per hæc intelliguntur vniuersi status Ecclesiæ. Per vineas status Prælatorum, & Doctorum, per hortos verò status Religiosorum, qui sunt clausi sub disciplina regulari. Isti enim status sunt instituti à temporibus Apostolorum, & discipulorum Christi.* Sectatur intelligentiam Glossæ Hugo Cardinalis: *Per hortos pulchritudinem religiosorum.* Et Dionysius Carthusianus: *& facient hortos, id est, claustrales sub regula, quasi infra sepem constrictos.* De his hortis loquitur sponsa Cant. cap. 6. ad quos descendisse affirmat sponsum: *Vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Vbi Philo Carpatius ait: *Sunt ergo horti, ac lilia fidelium conuentus omnes, & quæque fideles animæ sanctitatis odores, & bonæ famæ fructus olentes, quibus hic, dum viuunt, sponsus ipse pascitur.* Hunc paradisum religiosum deliciarum, & illius speciem & gloriam eleganter describit sanctus Basilius orat. de laudib. eremi: *Eremus nempe est paradisus deliciarum, vbi tanquam redolentium species pigmentorum vel rutilantes flores aromatum, sic fragrantia spirant odoramenta virtutum: ibi siquidem rosæ charitatis igneo rubore flammescunt. Ibi lilia castitatis niueo candore candescunt, cum quibus etiam humilitatis violæ, dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur. Ibi myrrha perfectæ mortificationis, non solùm carnis, sed, quod gloriosius est, propriæ voluntatis, exundat, & thus assiduæ orationis indesinenter emanat, & igne diuini amoris suauiter ardet.* Hæc perbellè Basilius. Nulla species florum, nullum decus spiritalium germinum ab huiusmodi viridariis deficit. Nitet lilium de puritatis candore, rosa de amoris ardore, gariophyllus de coccineo splendore ruboris; Narcissus de cruoris pro Christo effusi flore purpureo; candiduli flosculi de spe æternitatis albescunt; lutei verò, & ferruginati flores de abiectu humilitatis. In quibus omnibus species odora delectat, pulchritudo rutilat. Ex ligno vitæ Iesu, & fontana plenitudine paradisi continuò emanant gratiarum limpidissimæ scatebræ, & donorum irrigua fluenta, quæ nunquam lassescentem, sed continuò comantem, & viridi splendore vernantem paradisum reddunt. Qui autem sint huiusmodi hortorum fructus solis, ac lunæ, & quæ poma niteant in arboribus expendit sanctus Hieronymus hoc Amos vaticinium illustrans: *Colles consiti erunt, & imitabuntur paradisum Dei, vt omnia in illis poma pendeant doctrinarum.* Quia in sacris cœtibus humanæ, & sacræ litteraturæ venustas fulget, copia, & vbertas diuinæ sapientiæ, & arcanæ Theologiæ floret; His accedit tanti paradisi non contemnendus ornatus, constitutionum sepes, regularis obseruantiæ vallum, stabile munimentum animorum, quibus fruteta virent, & quasi verna rura tepefacta frondescunt, quo relaxationi, & luxui præcluditur aditus, imperuiusque redditur hortus draconi, ne socordiæ, & ignauiæ virus inhalet, aut calliditate sua reddat inertes & in virtute lassescentes religiosorum animas. Adstant enim pro foribus paradisi, Cherubici excubitores, semperque vigiles prælati, qui censorium gladium tenent religiosæ potestatis, limatum bonorum operum exemplo, & fulgurantem ad terrendos improbos, vt quidquid vitiosum pullulat, præcidant, & prudenti caustico inurant vitiis corrosas, aut vlceratas propagines, & noxios humores abstergant.

2. Illud tamen veneratione dignissimum, quod

Religiosam vitam cum semper amœnanti paradiso comparat Amos.

Am.

Glossa.

Per hortos status religiosorum intelliguntur.

Hugo.

Dion. Cart.

Claustrales sub regula, quasi intra sepem constricti.

Cant.

Phi. Carp.

Horti, & lilia fidelium conuentus.

S. Basil.

Amœna pulchritudo religiosi viridarij plena floribus, & aromatibus.

S. Hieron.

In sacris cœtibus tanquam in paradiso fulgent diuina sapientia poma.

Sacrorum hortorum status floret, & vegetus redditur de Eucharistiæ virtute, & influxu.
S. Cyril. Al.

quod indicat Vates, sacrorum hortorum statum incolumem, florentem, vegetumque reddi de sanctissimæ Eucharistiæ influxu, & robore. Sic enim verba Prophetæ accipit sanctus Cyrillus Alexandrinus asserens his verbis Vatis erogationem, liberalissimam spiritualium fructuum à gratiarum fonte prodeuntem, nimirum pane vitæ, appositissimè significari: sic enim scribit: *Magnus, inquit, frumenti, atque vini numerus proueniet. Ac in præsens quidem frumentum robur, & spirituale robur accipiemus. Scriptum est enim* (Psalmo 103.) *Et panis cor hominis confirmans. Ille vtique panis, quem mens intuetur, diuinusque, & de cælo descendens: vinum autem lætitiam: ait enim, vinum cor hominis lætificat.* Nec abscedit à proposito instituto sanctus Hieronymus: *Plantabunt vineas. Hæc est vinea Sorech, cuius vinum quotidie in mysterijs bibimus.* Viridariis sacris solerter adiungit Propheta vineam, vitem, & palmitem; botrum, quem terra virginea protulit, in torculari passionum, & Crucis expressum, cuius musto, & potu inebriante alimur in æternitatem, de his enim laticibus sanguineis animarum plantaria, & virtutum omnium germina, vitalem succum, & suauissimum gratiæ humorem accipiunt, viuidumque spiritû hauriunt ad obeundas honestatis actiones; de pectore, & corde Iesu emortuo, vitamque fundente; per aquam, & sanguinem religiosæ congregationes, & sponsæ manarunt, de pomo contrito in arbore Crucis pendenti clauisque compuncto, pomaria sacra pullularunt ad vitam. Sanitatem dedit fructus occisus omnibus lignis speciosis filiarum, & spiritalis paradisi arboribus, spiritum vitaliter vegetum, & alentem omnia poma largitur. Ritè sanctus Laurentius Iustinianus lib. de libro vitæ cap. 1. *Spiritualem plantauit paradisum sanguine suo, lignum vitæ plantauit in eo.* At de Religionis paradiso illud accipe Hieronymi effatum in hoc Amos loco: *Apprehendet tritura vindemiam. Sic sibi inuicem cuncta succedunt, vt nulla dies sit absque frumento, vino, & gaudio.* Nam Deo dicati viri, qui in spiritu viuunt, non conturbantur aduersis, nec mœrent occursantibus ærumnis, sed deliciis affluunt spiritalibus, intus in anima possident piæ deuotionis affectibus tanquam dapibus refertissimam mensam, & iuge conuiuium amoris.

S. Laur. Iust.

S. Hier.

Amat singulariter Iesus sacrorum accidentium constrictus tegminibus, viros & fœminas votorum zonis & cingulis coarctatos.

3. Nimirum, si familiæ Deo sacræ, & potiora ligni vitæ germina de Sanctissima Eucharistia pullulent, & potior Iesu amor in Sacramento delitescentis erga ipsas effulgeat; amat enim coarctatus constrictusque Deus sacrorum accidentium tegminibus, alligaturis, & zonis coarctatos, & constrictos viros, & puritatis cingulo præcinctos; intra specierum claustra, & cancellos clausus seruator, intra claustri septa, & regularum muros circumscriptos, & clausos diligit. Specimen religiosæ disciplinæ valde præclarum prætendit in Eucharistia Iesus; paupertatis, cum panis & vini accidentium tegminibus & inuolucris obtegitur; castitatis, cùm purissimam, & adipalem triticeæ materiæ portionem exigit ad consecrationem panis, & vuæ sanguinem meracissimum, ad poculum vitæ; obedientiæ, cùm ad vocem hominis Creator obtemperat, & ad imperium Sacerdotis & ineffabilem potestatem sub modica particula, & gutta verus Deus delitescit, & realiter assistit. Ideo votis adstrictos & religatos vberiori iudicio dilectionis prosequitur: qui secum deferunt castimoniæ, egestatis, obtemperantiæ præclara insignia. Coangustatur, & constipatur Iesus in Eucharistia ad minuta, & exigua fluenta; clauditur minimis particulis, sed non intercluditur, aut obturatur scatebra gratiarum, potius vena vitæ constipata, & compressa largius fluit, & vberius funditur, in coarctatos viros, qui suos affectus cohibent gratiarum gurgites congestos, & cumulatos coaceruat: quia progressus est Iesus fons paradisi de Mariæ vtero tanquam de paradiso, & horto clauso, & signato virginitatis voto, ideo ad religiosos hortos votorum sigillis obsignatos, in quibus Iesu, & Mariæ imago puritatis resplendet, vberius infunditur; amat enim in Deo sacris germinibus, quod dilexit in matres.

Specimen religiosæ disciplinæ in Eucharistia.

Coarctatus in Eucharistia Iesus, vberiora gratiarum fluenta in religiosis votis circumscriptos infundit.

Sacra familia montes dulcedinem stillantes, in quibus sacra sapientia fauni, cælestis sermonis mellilogia formantur.
S. Cyr. Al.

4. Secundam horum paradisorum iucundam felicitatem insinuat altera similitudo montium dulcedinem distillantium. *Et stillabunt montes dulcedinem.* Etenim hi horti refertissimi sunt, & circumdati montibus sublimioribus, qui arbores sanctimoniâ procerissimas creant, diuersis famulantium Deo stirpibus commantes, S. Cyrillus Alexandrinus prædictam similitudinem expendit: *Quemadmodum in montibus arboribus optimè consitis, apum examina circumuolitantia dulce, & carum mel conficiunt; ita similiter in Ecclesiis reliquis insigniores virtute, & intelligentiâ doctrina in Christo ditiores, dulce mel colligentes, illud aliorum quoque cordibus quodammodo instillant. Ad istum ergo modum, vt ego ratiocinor, montes dulcedinem distillant.* Quot montes, & sacrati colles in his hortis Religionum promicant Doctorum, & sapientum? quot aluearia exundant? quot faui insignes nitentes sapientiæ diuinæ, & doctrinarum picti, & elaborati operis artificiosi varietate mirabili, librorum, & tractatuum quasi vermiculati, & incrustati luminibus plurimis distinctis oculorum; copiâ ingenti mellis completi, & stipati scientiarum omnium, qui tanquam riui redundant, & sese diffundunt, semper manantibus fauis, mellisque sapientiæ profluente liquore pretiosissimo: mellificant, fauosque condunt sapientes, non de arborum satorumque floribus delibato roscido succo, sed de puro ac liquido matutinoque diuinæ sapientiæ rore, quod in purissimos animos infunditur.

In religiosis animus mellea & nectareâ dulcedine de cælis irroratus, pascitur.
S. Basil.
S. Antio.

5. Nec solùm nomine mellis sapientia, sed mellea & nectarea dulcedo, qua animus de cælo irroratus pascitur, intelligenda est. In his paradisis torrens voluptatis exundat. S. Basilius de laudibus solitariæ vitæ, ait: *O eremus sanctarum mentium delectatio, & intimi gustus inexhausta dulcedo!* Sanctus quoque Antiochus homil. 102. de religiosis fatur: *Monachus sui ipsius potestatē non habet. Illius se addixit ac mancipauit seruituti, cuius accensus est militiæ, & adscriptitius. Ceruicem enim illius substrauit iugo, qui ipsum delegit, vt eos demetat inconuersim; ac desecet, qui in concauis vallibus modestæ humilitatis diuino abundant frumento, riuos nempe in imum deuexos, pluuijs è cælo, & viuificante spiritu sidentibus inebriatos, cuius roscidis guttulis stillatim cælo labentibus, anima hominis eiusmodi germinis in morem de Deo cogitationes concipiens, lætatur, & hilarescit.*

bilareſcit. Adſtrictum votis, & adſcriptum ſacræ militiæ virum, ſuperioris arbitrio voluntatem mancipantem, collem eximia virtutum copia vocitat ſublimem, in cuius cliuo, & concauo humilitatis valle, & vmbroſa denſitate humiliationis riui defluunt de ſupernis complentes animæ profunda, vt in virtutum facinora glorioſa aſſurgat, & ſanctitatis faſtigia, germinis in modum irrigati ſtillicidiis inebriantis dulcedinis, quibus confeſtim animus exultat cælitum gaudio delibutus; qui enim terrena ſpernit omnia, & mortalium caſus fugit, exoptans cum diuina ſapientia contemplationis placidæ commercium, tranquillæ quietis amœnitatem, & prorſus amœnantem paradiſum roſcidis guttulis vbertim de cælo labentibus perfuſum, à ſancto ſpiritu adiutus, creat. Hanc dulcedinem deguſtauerat religioſi paradiſi incola præclarus S. Laurentius Iuſtinianus, cùm libro de vita ſolitaria ait: *Ibi tunc cogitatione tenetur, amore paſcitur, deſiderijs æſtuat, ebriatur dulcedine, deuotione liqueſcit, ſuperabundat gaudio, & incredibili quadam ſuauitate perfruitur.* Poſteà ait, quod in hoc paradiſo ſunt: *Tutæ diuitiæ, laudabilis actio, ſucceſſus lætus, ſecura poſſeſſio, conuiuium iuge, ac delicata cibaria. Frequentiſſimè ſapientiæ illuſtraris radiis, gaudio perfunderis, eleuaris in cælum, & pace repleris.* Hæc ille.

S. Laur. Iuſt.

Sacrarum religionum acies & tabernacula celebrauit Balaam illuſtri vaticinio. Num.

6. Sacratis conuentibus pulchrè adaptabis panegyricam laudationem Balaami vaticinio fauſto feliciquè de exercitibus Iſraël prolatam. Numer. cap. 24. v. 5. & 6. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël? Vt valles nemoroſæ vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas.* Cum admirantis epiphonemate commendat Balaam Hebræorum caſtra, & præliares copias, quas corporeis oculis attentè contemplabatur ex eminentiori colle, in campeſtribus Moab locatas, & diſpoſitas ſub militaribus tentoriis, ab eleganti pulchroque ordine per familias, vexilla ad quatuor mundi plagas conſtituta; ſed quanto excellentius in verborum arcanis erit, ſi per prænotionem ſpiritus præuiderit ſacras religionum acies per tribus, & vexilliferos duces ordinatas ad ſpiritale certamen aduerſus aſpectabiles, & inaſpectabiles hoſtes. In hoc ſenſu præſens vaticinium vſurpat Rupertus lib. 2. in Numer. cap. 21. *Veri Iſrael, ac ſpiritualis Iacob peregrinantis in ſæculo præſenti, tabernacula ſunt religioſi. & quàm pulchra tabernacula, quàm pulchra tentoria! Hæc planè tabernacula ſingula in ſuo propoſito pulchra ſunt.* Et Ioannes Vitalis verbo: *Diſciplina ſenſuum.* fol. 72. ait: *Religioſos in ſe eſſe, ſicut tabernacula, ordinatos in Deum per charitatem, & in proximum ſicut tentoria extenſos: ſicut valles per humilitatem: nemoroſos per virtutum frondes, & viriditatem: iucundos per conſcientiæ hilaritatem: hortos iuxta fluuios irriguos, quia fluunt in lacrymas, ex dilatatione huius præſentis exilij: tabernacula fixa à Domino propter conſtantiam in bono propoſito.* Pulchrè S. Ambroſ. & Origenes homil. 17. in Numeros pro iis verbis: *vt horti*, legunt: *Vt paradiſi ſuper flumina*, & poſterior ait: *nemora ſunt obumbrantia omnes iuſtorum cœtus.* Illud poſtremum verbum: *vt tabernacula.* Hebræus, Caietanus, Vatablus, trãſferunt: *ſicut aromata, ſicut Aloe.* Vt intelligatur bene olens ſuffitus ſe Domino in holocauſtum

Rupert.

Singula congregationes religioſæ tabernacula ſunt & tentoria in propoſito ſuo valde pulchra.

Ioan. Vit.

S. Amb. Origen.

Omnes iuſtorum cœtus horti & paradiſi, nemoraque obũbrãtia ſunt.

dedicantium, qui eius nares implet odore ſuauiſſimo, aut bonæ famæ pretioſus halitus, quem virtutum redolentia pigmenta ſpirant. De his hortis ſanctus Baſilius loquitur libro de laudibus Eremi, & verba Balaam Religioſis accommodat: iiſque recenſitis ſubiungit: *O vita eremitica, vita ſancta, vita Angelica, vita benedicta, exedra gemmarum cœleſtium, curia cœleſtium Senatorũ, odor tuus cunctorum aromatum fragrantiam ſuperat, ſapor tuus ſuper diſtillantes fauos, ſuper omnia mella cordis guttur illinit, & obdulcat.* Nec mirum, quòd ad huiuſmodi hortenſes delicias, & ſapidã virtutum omnium dulcedinem deſcendat ſponſus; cùm enim excitatur auſter, & flatus ſancti ſpiritus perflat, omnia aromata, & ſpecies redolentium pigmentorum largiter fluunt, quorum ſpiramine ſuauius attrahitur; ideò ipſum inuitant congregationes ſacræ eloquio ſponſæ clamantes cap. 5. Cantic. *Deſcendat frater meus in hortum ſuum, & edat fructum pomiferarum ſuarum.* Sic legit Ambroſius tom. 5. in Cantic. & ſequentia annectit: *Quanto hoc pulchrius, quod anima ornata virtutum floribus hortus ſit, vel in ſe paradiſum habeat germinantem. & poſtea: Deſcendat ergo in hortum ſuum, vt vindemiet fidem, capiat odores, pabulum cæleſte reperiat, ſuauitatem noſtri mellis epuletur, dicens: vindemiaui myrrham meam cum aromatibus meis, manducaui panem meum cum melle meo. Quod diuerſarum virtutum concretum floribus illarum apum, quæ ſapientiam prædicant conſono ore congregatum, ſancta Eccleſia in fauis condit, vt cibus Chriſti ſit.* Deſcendit in hortum, & paradiſum ſuum quem ſpeciali iure cuſtodiæ & præſidij tutelaris poſſedit, vt voluntatem potiorem partem animæ Deo conſecratam ad obſequium, & perpetuum famulitium epuletur; vbi feruet charitas in proximi adiutorio, & aduerſantis dilectione non ficta; ſpes & fides vberioris mercedis pabulo per dies ſingulos adoleſcunt; amaritudinem, quam Adam & Eua per culpam inuexerunt in terrenum paradiſum, hæc topiaria Domini abolent frequentia humilis abiectionis; iis plantatiis ſpiritalibus vbertim infunditur cælitus dilapſum condimentum melleæ dulcedinis, quæ replet meatus faucium animæ; hic Dominus ſuos clientes tanquam paruulos conſolationis ſuæ lactat vberibus, vt ablactati in deliciis, ſæcularis voluptatis illecebras reſpuant, & in plenitudinem perfectæ virtutis adoleſcant; his oblectamentis ſponſus Ieſus paſcitur, & quotidianos animæ prouentus, & virtutum poma, puritatis candore nitentiã epulatur.

Heb. Caiet. Vat. *Sicut aromata & Aloe, ſeſe Domino dicantium ſuffitus.* S. Baſ.

Cant.

Ad hunc paradiſum deſcendit ſponſus vt capiat fructus, & odores ſuaues. S. Amb.

7. Dènique gratiſſimum ſermonem exhortatorium proponit Origenes huius paradiſi incolis in tentoriis, & tabernaculis huius corporis habitantibus, in præallegato loco Numerorum: *Si intellexiſti, quantam requiem habeat iter ſapientiæ, quantum gratiæ, quantumque dulcedinis, noli diſſimulare, noli negligere, ſed aggredere hoc iter, nec eremi ſolitudinem perhorreſcas. Habitanti enim tibi in huiuſmodi tabernaculis, occurret manna cæleſte, & Angelorum panem manducabis. incipe tantùm, nec te perterreat ſolitudo deſerti. Cito in conſortium tuum etiam Angeli venient.* Hæc Adamantius.

Orig.

Iter ſublimioris vitæ ingredientibus occurrit manna cæleſte, & præſidium Angelorum.

Nubes


Digitized by Google



Nubes per diem. Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine, & à pluuia.

DISCVRSVS VIII.

Iesus singularis patronus, & tutelare præsidium est sacrorum cœtuum, ijs exhibens munimentum, tegmen, vmbraculum, & refrigerium in tentationibus, & aduersis.

1. DEGVNT sub culmine æterni Regis, & potentissimi Iesu sacrata sodalitia, & in quocumque discrimine animi corporisque, ad illius alas, & velamentum confugiunt, eiusque tutelam præsentiscũt; alumnos enim suos scuto voluntatis, & beneuolentię muro, hostibus inoffenso, circumdat, & sub vmbra manus suæ protegit. Hoc præsidium promiserat Michæas c. 4. v. 8. *Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion, vsque ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem.* Quæ verba in sensu mystico vsurpat de sacris cœtibus Stephanus Cantuariensis apud Tilmanum, dicens: *mysticè turris dicitur claustralis conuersatio propter virtutum fortitudinem & eminentiam sanctitatis.* Adde, propter præsidium, quod Dominus tutelaris impendit. Hebræus legit: *Turris propugnaculum filiæ Sion.* Arces enim sunt & munimenta firmissima congregationis sacræ, quæ hostium impetus frangunt, & machinamenta Hæreticorum dissipant, ex quibus missilia sanctæ prædicationis, & vitę sanctioris radij iaculantur, quibus improborum hominũ, & vitiorũ acies prosternuntur; hæc enim propugnacula erexit suæ sponsæ Ecclesiæ Christus ad tutamentum, & ornatum. Dicuntur quoque propugnacula, quia auxiliares copias de cælis paratissimas habent, contra aduersantes dæmonũ, & hominũ potestates, linguas dolosas pugnãtes; ideo in omni aduersante fortuna integra permanēt, & tropheis munita, habent enim fundatores duces propugnatores, & Iesu Imperatoris indeficiens commilitium, & tegmen, Angelorumq; castra murũ circumcingentia ad tutamē amicorũ, & contradicentium excidiũ. Pulchrè Rup ait eodē loco: *Rectè dicitur turris, & turris gregis, quia videlicet nos, qui grex Domini sumus, nos populus eius, & oues pascua eius, in illa protegimur, & defendimur.* Sunt enim greges Domini, quos præceptis & cõsiliis bonus pastor informat, nec solùm agni immaculati in Cruce immolati, cruoris stigmate notati, sed speciale peculiũ arctioris professionis, & vitæ clarum insignibus, super quod nobilioris, & amicæ prouidentię tegumen prętendit. Subiungit Stephanus citatus rationem, cur nebulosa turris nuncupetur: *Hæc turris nebulosa dicitur: quia sicut nebula solem obscurare videtur, sed eâ diffusâ, sol gratius lucet; sic vita claustralis, quæ quasi sol ariditate cibi, & asperitate habitûs, apud sæculares obscurari videtur, vnde & eã contemnunt, tandem hac nebula in morte corporali discussa, gratior apparebit. Et hæc turris est filia Sion, idest, speculationis, vsque ad te specialiter veniet. Licèt ad omnes veniat Christus, ad illos tamen specialiter properare, & approximare dicitur, qui eũ spiritualius imitantur, nudi nudũ sequentes.* Apparet sęcularibus religiosa disciplina obscura, inamœna, & squalida de parsimonia cibi, de pannosæ, & vilis togæ lugubri forma, de abrenuntiatione opum, & obsequio præstando alienę voluntatis arbitrio, de voluntaria promissione castimoniæ, coarctatis & colligatis affectibus passionũ, de claustro, taciturnitate; de vita, carnalis voluptatis solatio destituta. Hanc tamen nubem caliginosam mentibus turbidis obiectã, dissipat fulgor gratiæ Dei, & iustitię sol; qui aspera cõplanat, & nimis acerba reddit iucunda, & dulce lumen suauitatis infundit iustitię sectatoribus; & sicut sequacibus mundi totam illam pompã apparentis splendoris mors obscurat, & caligine inuoluit mœroris animã, cùm fugaces diuitias, & labentes voluptates nihil profuisse circumspicit; & recedente animâ à corpore, totũ illud theatrũ, & scena personatæ iucunditatis auolat; è contra Deo dicatus vir de pressura, de ærũnis, de mundi contemptu, & obscura obliuione, in qua iacuit viuens consepultus, de cella, in qua abditus, & incognitus delituit, mirificus splendor beatæ perennitatis effulget, cuius moriens prælibat gaudia; ideo claustralis disciplina caliginosa, & opaca nũcupatur de aduersis naturę, splendidã verò, & illuminatã spe, & cãdore beatæ vitæ. Adde ex Ruperto; nebulam, singularem Dei protectionē ostendere, sicut in tẽpli structura patet, quòd impleuit nebula domũ Domini l. 3. Reg. 8. vt indicaret tutelarē custodiã; ad eos enim, qui in claustralibus tabernaculis, & religiosis arcibus cõmorãtur Dei potestas prima & specialis protectio deriuatur. *Licèt ad omnes veniat Christus* (inquit Stephanus) *ad illos tamē specialiter venire dicitur, qui eum spiritualius imitantur, nudi nudũ sequentes.* Agnoscit sectatores, & familiares suos Christus, eos frequenter visitat, vt benedictionibus repleat, venit ad suarum passionũ asseclas, & baiulatores Crucis, insistentes in pedu eius vestigiis, & amaræ myrrhæ collectores, rerum omnium nuditate nudũ sequentes; ad hos specialiter venit, vt annuat postulatis, à terrenorum affectu eximat, eruat à periculis, & veteratorum linguis maleuolentiæ, & acoris veneno illitis, in omnibus aduersãtis fortunę incursibus prębeat iis singulare subsidium, & protectionis suæ firmissimũ propugnaculũ.

2. Cùm Christus æthereas regiones scanderet, Act. c. 1. v. 9. *Et nubes suscepit eũ ab oculis eorũ.* Quæ autem extiterit huius splēdidæ, & officiosæ nubis functio? percontatur S. Maximus; an creata, vt esset vehiculũ, & carpentũ triumphatoris Regis, aut ferculũ manubiis refertissimũ, quę in cæli Regiam aulam inueheretur, vt esset velum expansum, quod Regem in tabernaculo gloriæ, & maiestatis sedentem obtegeret? Num, vt pro aulæo & versicolori stragulo insterneretur pedibus Christi? altior, & maior mens arridet Taurinensi Maximo hom. 3. de Pentecoste: *Videamus ergo, quæ ista nubes sit, quàm splendida, quã præclara, quæ lucē mundi Christum suscipere meretur. Illa est enim nubes, quæ ascendentem suscepit Christum, quæ & testimonium Christo etiam in mõte perhibuit, de qua ait Euangelista: vox in nube audita est dicens: hic est filius meus dilectus: ipsum audite.*

Mich.

Turris dicitur claustralis conuersatio propter eminentiam sanctitatis.

Step. Cant. Tilm.

Propter Domini tutelam & præsidium.

Heb.

Rupert.

Steph.

Vita religiosa propter austeritatem videtur sæcularibus obscura, sed hora mortis apparet gratissima.

Licèt ad omnes veniat Christus, ad illos tamen properat, & approximat qui nudi nudum sequuntur crucifixum.

Steph.

Act.

Nubis Christum in cælos ascendentem suscipientis, qualis fuerit functio?

S. Max.

Nubes Christum suscipit ascendentem, & testimonium perhibet Christo transfigurato.

Digitized by Google

audite. Non renuit eruditus, & argutus Antiſtes, in vtriuſque creaturæ nubis exhibitum Creatori famulatum; nam nubes expanſa eſt ad aſcendentis obſequium: attamen formator nubium eſt Pater, qui nubes creat, & variabili äeris elemento conſtipatas, & ſolidatas ſuſpendit, vt huc, illuc perniciſſimo volatu motitentur ad illius imperium. Recognoſcit tamen in nube paternæ dilectionis, & benignitatis indicium, filio in cælos aſcendenti præſtitum; cùm in gremium ſuæ tranquillitatis natum triumphalibus inſulis ornatum amplectitur. Hoc moderamine fluunt placidè ſubſequentia ſancti Maximi verba: *Non igitur nubes ſuſcepit Chriſtum, ſed Deus Pater recepit filium, & occurſu quodam pietatis aſcendentem illum gremio molliore complectitur. Nam ideo Pater dicitur ſuſcipere filium nubis vmbraculo, vt oſtendatur refrigerio quodam fouere eius vulnera paſſionis. poſt Crucem enim, poſt iniurias, poſt inferos, non eſt maius Chriſto refrigerium, niſi quod virtute diuinitatis obumbraretur.* Præter nubis famulitium admittit æquo iure Maximus documenta amoris maxima Filio à Patre exhibita, cum occurrit obuiam aſcendenti; quæ omnia nubes innuit; ſicut enim nubes ambit, & circuit latitantem intus, & ei placidiori auræ temperamento blanditur, leniſſimo vmbraculo refouet, ad opacandum, & refrigerandum extenſa, arcens ſolis ardorem, & amœniſſimè protectionis prætendens ſubſidium. Sic in nube, Patris prouida cura diſcernitur, qua ſuſcepit Filium de certamine regredientem roſeis vulneribus laureatum; cum in paterno pectore recubantem induxit, in ſinu pietatis receptum, immenſę charitatis deuinctum lacertis: *Vt oſtendatur refrigerio quodam fouere eius vulnera paſſionis.* Quàm dulce lenimen, quàm ſuaue blandimentum Chriſto, quod oculis, manibus, oſculis, paſſionis hiantia in corpore vulnera contrectet, comiter blandiatur Pater, & leniſſima ſpiritus ſui aura refoueat; ô ineffabiles blanditias, omni oleo, & vnguento ſuauius clauorum percuſſuras inungentes, & refocillantes! Hoc enim ſingulare refrigerium Patris poſt cruciatus, verbera, alapas, Crucem, necem, iniurias, & turpiſſimæ mortis opprobrium, æquo iure Saluatori debebatur; quod diuinitatis virtus, & paterna manus Filium obumbraret: hanc autem ſuauiſſimam temperiem, & refrigeratoriam functionem non reſtagnari ſolùm in Chriſto, ſed ad diſcipulos redundare, adiicit S. Maximus his verbis: *Semper enim Deus, quos poſt iniurias perducit ad requiem, protegit eos nubis vmbraculo; ſicut filios Iſraël liberatos de Ægypto, nubis columna protexit, & vt poſt multum laborem eos in terram repromiſſionis induceret, refrigerij fouit vmbraculo.* Hoc nubis obtectu primæuum, ſodalitium, & religioſæ ſapientiæ Lyceum inſtruebat Ieſus, vt poſt labores & contumelias hanc in ſinu paterno refectionem, & recreationem expectarent, & decertantibus in agone virtutis certo ſcirent Filium refocillationem & refrigerium infundere. De Ægypto huius ſæculi egredientibus, ad terram viuentium peregrinantibus, promiſſa eſt ſpecialis Domini cuſtodia, in gremium tranquillitatis ſuſceptio, & nubis ſemper protegentis vmbraculum.

S. Max.

Pater filium ſuſcepit nubis vmbraculo, vt oſtendatur refrigerio quodā fouere eius vulnera paſſionis.

Poſt crucem & iniurias non eſt maius Chriſto refrigerium, niſi quod virtute diuinitatis obumbraretur.

S. Max.

Sectatores ſuos Deus quos ducit ad requiem, poſt iniurias & labores refrigerij fouet vmbraculo.

3. Quod experta eſt illa Apoſtolorum congregatio in monte Thabor conſtituta; cùm enim eſſent admiſſi tanquam contubernales Chriſti ad ſacra comitia, paſſionis, & Crucis Chriſti auſpiciis habita, & ſignata; cùm Rex ſpecioſis gloriæ indumentis ornatus, & conſpicuus appareret, non incurrit in malum hominis genium, qui exaltatus ad verticem dignitatis, inferiores deſpicit, miſerorum oblitus; ſed eorum curam, & tutelam ſuſcipit, nubemque creat tutelaris præſidij ſignum præclarum. Matth. c. 17. v. 5. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Et Marci c. 9. v. 6. *Et facta eſt nubes obumbrans eos.* Sanctus Lucas ait, poſtquam diſceſſerant Moyſes & Elias: *Facta eſt nubes, & obumbrauit eos.* cap. 9. v. 33. & 34. vt oſtenderet nubem creatam ad ſolos Apoſtolos protegendos, & obumbrandos; erga illum cœtum inter ærumnas mortalitatis commorantem, tutaminis cura maior erat. Ex quo enim ſunt acciti ad illud ſodalitium, & collegium perfectionis vitæ, habitant in adiutorio Altiſſimi, & in protectione Dei cœli commorantur. Scite Origenes tractat. 3. in Matthæum ait: *Lucida autem nubes obumbrans eos, diuiniorem, & ſplendidiorem repauſationem exemplo ſuo demonſtrabat eis futurum; quæ protegeret eos ſimul & illuminaret.* Nubes enim Chriſti ſplendoribus cæleſtibus ſuos alumnos protegit, & illuminat, tuetur in aduerſis, in obſcuris lumen infundit; vt tutati, & illuminati, minas hominum non timeant, in certamine paſſionum hoſtem vincant, de mortalium cordibus errorum tenebras propellant. In illo ſenemate, & ſcena ignis Chriſti poſtmodum in paſſione ſubeundi, inſtruebat, & excitabat ad prælium clientes ſuos, vt in arduo voluptatis carnalis conflictu membrorum legem, & corporis Tyrannidem infringerent, in hoc bello crudeli, & inteſtino patrocinium, & incolumitatem promittit Ieſus, nubis vmbraculo. Perſcrutatur S. Anſelmus in Enarration. in Matth. cap. 17. Cur ſpiritùs ſancti tegmen in Chriſto baptizato ſpecie columbæ, in Chriſto transfigurato per ſimilitudinem nubis ſignatum eſt: *Quæritur autem quare ibi ſpiritus in columba, hic autem in nube declaratus eſt?* Et reſpondet: *Innocentia in baptiſmate datur, quæ per auem ſimplicitatis deſignatur: daturus eſt autem claritatem, & refrigerium omnis voluptatis, & carnalis fomitis in reſurrectione: in nube refrigerium, in fulgore nubis, claritas reſurgentium corporum figuratur.* Nec tanta eſt futura dilatio promiſſi, vt corporis, & carnis temperiem in hac vita non inchoent; prægustant enim, ac delibant, qui in ſpiritu viuunt, in excelſo vertice Religionis, illius beatitatis primitias; cùm ſpiritu obumbrante in æſtu carnalis libidinis, & vitiorum conflictu, confractas ſentiunt vires hoſtium; nec adeò ſuperbè inſoleſcere, mitigatos maris fluctus; & ſub alarum Chriſti velamento rorulentæ gratiæ refrigerium. Itaque nubes ſacræ diſciplinæ alumnos variis diſcriminibus pulſatos quaſi murus tuetur, mœrentes lætitiæ blandimento excitat ad renouationem ſpiritus, æſtuantes animi corporiſque paſſionibus, refrigerium ſuggerit, ne noxij, & comburentis ſolis tentamentorum radiis deflagrent, præbet vmbraculum. In iis viris adimpletum æſtima, quod Dauid cecinerat Pſal. 139. v. 9. *Obumbraſti caput meum*

Ieſus gloriosus in Thabor apparens non obliuiscitur ſuorum clientum, ſed diuina repauſatione eos protegit & illuminat.

S. Mat.

S. Mar.

S. Luc.

Orig.

S. Anſel.

Cur Spiritus ſanctus in Chriſti baptiſmo tanquam columba, in transfiguratione in ſpecie nubis apparuit? Columba ſimplicitatis & innocentiæ ſymbolum, quæ datur in bapti ſmo. Nubes denotat refrigerium voluptatis & carnalis fomitis in reſurrectione donandum.

Pſal.

meum in die belli. Dulce tutamentũ experti sunt ingruente hostium incursu, quod arcem animæ instruxerat, & munierat. Alij legunt: *Operuisti, & muniuisti caput in die armorum.* De intestino carnalis voluptatis certamine, externo cum subdolis hominibus, expendit verba S. Augustinus dicens; *Ecce modo adhuc pugno, pugno foris contra fictos bonos; pugno intus contra concupiscentias meas. Igitur laborans in hoc bello respexit ad gratiam Dei, & qui iam cœperat æstuare, & arescere, tanquam vmbram inuenit, sub qua viueret. Obumbrasti super caput meum in die belli, idest, in æstu ne fatigarer, ne arescerem.* Et argutè Chrysostomus in eodem Psalmo subiungit: *Non dixit seruasti me, sed quid? obumbrasti. Hoc est, vt ne minimam quidem molestiam sustinerem, effecisti, ac ne æstus quidem: sed me in tanta securitate, & vnà cum securitate, in tanta iucunditate, & animi quiete collocasti, vt nec vllus quidem calor mihi molestiam exhiberet; sed in vmbra iucundè, & suauiter agerem, liber scilicet ac remotus à malis, ac calamitatibus.* Vidistin asylum, & perfugium inoffensum? quod non solùm præstat tutelare præsidium, sed iucundum solamen, & refocillationem suauem? vrget caro sæpe spiritum opprimere volens suis insultibus, & rebelliis clandestinis oppugnans & excitans ad consensum, perflante noxium ignem dæmone carnis consorte, cuius nutibus obsecundat, inito fœdere ad luxus flagitium; at de Christi vmbra & nube spiritus semper parata, & extensa ad absconsionem, & refrigerium vexatorum omne protectionis decus promanat; perturbationes animi sedat, motus corporis mitigat, & coërcet; lenissimæ auræ flabro concupiscentiæ flammas sopit, & extinguit, & sicut de amœnantis siluæ concameratis frondibus, & scrobis opacitate latice erumpente, irrigat & refrigerat animæ æstuantis penetralia, & in pacatissimam tranquillitatem vertit; obtento protectionis vmbraculo, frigidique roris aspergine præstat corpori, animoque saluberrimam temperiem.

In dictu conflictu & rixa inter carnem & spiritum obumbrat super caput nostrũ Christus.
S. Aug.
S. Chrys.
Deus obumbrare dicitur, vt ne minimam molestiam sentiamus, sed in maxima securitate, & iucunditate viuamus.

4. De religioso illo & sacro cœtu ab spiritu sancto ditato donis cælestibus, agit sacratus lyricen Psalmo 67. v. 15. *Dum discernit cælestis reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon.* Discreuit cælestis imperator super reges suos, qui benè regere sciunt animi facultates, & habenis sacrarum legum inflectunt ad operationes sublimes, dum eos participes fecit donorum cælestium, & varia charismatum, & functionum munera distribuit. Præcipua tamen cura est superno Regi, dealbationis & candidationis huius familiæ; *Super niuem dealbabuntur in Selmon.* Quid autem denotet Selmon apertè proponit Venerabilis Beda: *Selmon (inquit) est mons Palæstinæ regionis, & interpretatur vmbra, vmbra autem ex duabus rebus fit, scilicet ex luce, & interueniente corpore, & ideo per Selmon, id est, per vmbram interpretatur Christus, ex duabus naturis vnitus. Qui Christus obumbraculum, & defensaculum per gratiam spiritus sancti & protectionem corporis sui, facit omnibus in se credentibus, ab æstu incentiuorum, & carnalium concupiscentiarum.* Hoc tutamentum & obumbraculum licèt paratum sit ad omnes fideles, præsertim tamen prætenditur ad dicatos Deo viros; qui factus est refugium pauperum, sub vmbra sua protegit eos, qui omne mundanum refugium, & præsidium relinquunt. Sub hac vmbra tuetur, vt carnalis voluptatis illecebris irretiti non cadãt. Vt eos si ardor corripit libidinis, sit ignis innoxius, & non exurat flamma vitiorum, nec tentamentorum fuligine inhærente attrati nigricent, sed supra niuem candidi appareant, lucis æternæ candore nitidi & conspicui.

Psal.
Selmon interpretatur vmbra.
V. Beda.
Christus obumbraculum, & defensaculum facit omnibus, contra æstum carnalis libidinis.

5. Hæc omnia decora abundè suggerit Iesus Religiosis, eaque proponit S. Laurentius Iustinianus lib. de obedientia c. 8. dicens: *Possessorem suum eximit de mundo, & sanctæ religionis reseruat in tumulo. Ibi enim illum requiescere facit ab æstu carnalium desideriorum, & à tentationum eripit turbine, à visibilium voluptatum illecebris. Nemo proculdubio explicare valet, quanto repleatur gaudio, quantâ potiatur pace, quibus spiritualibus reficiatur delicijs, & quot diuinis quotidie illustretur splendoribus, qui deliberato animo, & cælesti inspiratione afflatus, renunciat sponte sæculo. Est quippe claustrum hortus conclusus, paradisus deliciarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum schola, tabernaculum fœderis. Hucvsque Iustinianus.* S. Laur. Iust.


In religione Deus suos alumnos requiescere facit ab æstu carnalis voluptatis, & à tentationum eripit turbine.



Nubes, & vmbraculum.

DISCVRSVS IX.

Virgo Deipara Religionum fœcunda parens, singularis protectrix, & propugnatrix inuicta.

1. VIS ambigat Mariæ artificio, & architectonicâ sapientiâ omnes sacros cætus conflatos, & fundatos, & sub vmbra protegente alarum eius viuere? Etenim à spiritu sancto fœcundata est non solùm, vt germen Patris incorporatum gigneret, & pareret, sed etiam Religionum germina, & spirituales proles, de spiritus virtute inumbrante fingeret, animaret, & protegeret. Hæc sacra genimina in spiritu præuiderat Salomon Cant. capite 4. vers. 13. Deiparæ fœcunditatem commendans: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Per has emissiones fructus religionum vberrimos de Beata Maria procedentes, accipit Hugo Cardinalis in hoc loco, dicens: *Licèt ipsa sit hortus conclusus, & fons signatus, tamen vberes fructus emittit, scilicet plures Religiones emittit, vt paradisus, id est, amœnitas malorum punicorum, id est, Religionum diuersarum per ea significatarum.* Et posteà ad ea verba eiusdem capitis *fons hortorum*, ait Hugo: *Idest, origo vnde emanauerunt omnes horti, vt est Ordo Cisterciensium, Cluniacensium, Carthusiensium, & cæteri. Vel fons, id est, irrigatio hortorum.* In eamdem mentem plenam pietatis incidit Ghislerius in tertia expositione de Beata Virgine scribens: *Non solùm Christum Iesum dicere debemus emissionem Mariæ, sed & quoscumque sanctorum ordines, quos eadem Virgo quoquo pacto in Christo emittit, emissiones eius iure* optimo

Cant.
Hug. Card.
Maria sicut paradisus diuersarum religionum vberes fructus emittit.
Maria origo vnde emanauerunt omnes religionum horti.
Gisle.

Maria paradisus paradisorum.

optimo dicere fas est. Et posteà num. 2. subscribit: *Quod Maria est hortus, qui non modo paradisus sit simplex, sed paradisus paradisorum, tanquam primus paradisus, è quo multi alij quasi è radice emittantur paradisi, tãquam Mater paradisorum.* Sacri enim ordines germina sunt, & propagines de magnæ Matris sinu prodeuntes. Expandit enim ramos, & comas vsque ad terminos terræ, non solùm germen Patris parturiens, sed ex ipso pullulantes palmites, & hortos per totum orbem plãtatos. De ipsa enim potius quàm de filia Regis Medorũ auspicatũ somniũ in veritate accipies, quod ex Herodoto recenset Lor. in Psal. 79. v. 12. *Rex Medorum vltimus Astiages vidisse fertur secundũ quietem ex filia natura enascentem pulcherrimam vitem, quæ Asiam ac Europam totam decoro palmite inũbrabat.*

Herod.
Lorin.
Ex vtero filia, Astiages Medorum Regis, per quietem visa est vitis enascens, quæ mundum occuparat.

Quanto melius Maria germina, frondes, & palmites extendit, & emittit. Nec solùm propagines, sed hortos integros, & pomaria deliciosa, quę omni paradisi nitore fulgeant, & vniuersarum virtutum redoleant gratiam. Mirabile fuit quod in creatione mundi Deus paradisum ad Oriẽtem fundaret, & conderet, & gleba illa fœcundior benedictione Domini sata & impinguata horti Edẽ, ornatum, & nitorem imperio Domini parturiret. Sed quanto mirabilius, quod omni arborum genere excultos paradisos, Sanctorum plantis & arboris insitos, Maria parturiat. E sacrato illo gremio, & sinu, in quo Pater plantauit lignum vitæ & S. Spiritus omnem Angelici & humani germinis decorem constituit, omniumque gratiarum fluenta, quibus irrigãtur celsiores cedri nemorum paradisi Dei, vbertim effudit; egrediuntur horti, erumpunt paradisi mirifico varietatis decore conspicui.

Sacrati Deo cœtus emissiones Paradisi dicũtur, quia iuxta mũdi ærumnas & imminentia discrimina, Maria varia mittit religiosorum præsidia.

Et scitè Salomon sacratos Deo ordines emissiones Mariæ nuncupat, vt in ipsis dignitas, in Deipara pietas innotescat. De excelsa enim specula Deitatis, & de alto solio gloriæ suæ, mundi ærumnas, & Ecclesiæ aduersantia pericula prouidentissimo, & semper vigili oculo pietatis circumspicit, & iuxta imminentia discrimina, & Ecclesiæ indigentiam, varia mittit temporibus destinatis subsidia, ad animarum emolumentum; quarum salus Marianum pectus plenum clementiâ, semper sollicitat. De visceribus enim pietatis, & matrice misericordiæ, noui ordines pullulant, noui paradisi de paradiso Mariæ germinant, quos tanquam Mater format, & creat; sapientiæ & puritatis laticibus nutrit; amplexu suo fouet, & protegentis gratiæ velamento obumbrat.

Phil. Carp.
Emissiones primæ sunt Apostoli, & qui eorum zelum in Apostolicis missionibus æmulantur.

Primi quidem emissionum nomen merentes sunt Apostoli (inquit Delrio ex Philone Carpatio) *quorum nomen ipsam missionem significat,* vnde Philo ait: *Emissiones paradisi, quæ ἀπόστολαι Apostola dicuntur.* Emissiones primæ Apostoli sunt, & qui eorum zeli sunt æmulatores, quique Apostolicis missionum functionibus incũbunt. Itaque Deipara ordines sanctos ad Dei præconium, & euangelizandum per orbem mittit, & dispergit, sed cùm eos emittit, non dimittit, sed amplexu suo & pietatis sinu confouet, filij sui operarios & sodales in eruendis animabus de rictu Orci, supernis benedictionibus replet, largiùs refundens super eos immensæ pietatis viscera.

2. Quàm fortis Iesu amor extitit erga Euangelistam Ioannem, cùm illum vsque ad finem dilexit; nec acerbissimæ passionis, & probrosæ mortis articulo charissimi alumni obliuiosus est factus; sed eximia, & maiora prætulit charitatis insignia, cùm illum Mariæ Filium constituit, & Dei Mater Ioannem adoptat, cùm Deipara Ioannis tutelam, & Ioannes Mariæ custodiam, & curam suscipit. Testata à Christo verba in lectulo Crucis moriente, plena pietate, plena dulcedine, scriba fidelissimus Ioannes recenset capite 19 vers. 26. & 27. *Cùm vidisset ergo Iesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua: & ex illa hora accepit eam discipulus in sua.*

S. Ioan.

Condebat Christus in Cruce publicum, & domesticum testamentum, inter Matrẽ & discipulũ Ioannem diuidens pietatis mutua officia.

Singularis maternitatis & nouæ filiationis relatio mutua prædicatur, cùm omnium Mater speciali prærogatiuâ Discipulo delegatur; & tantæ parentis natus Ioannes adscribitur. Si Ioannes Mariam in sua suscepit, dubitandum non est, Dei Matrem Discipulum in sua quoque recepisse. Pulchrè sanctus Theophilus in catena sancti Thomæ scribit: *Testabatur de Cruce Christus: & inter Matrem atque Discipulum diuidebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum.*

Theoph.

Vltima fuit Christi testatoris voluntas, quòd Ioannes officiosum Mariæ munus impenderet; & Mater Domini, quæ gratissimæ recompensationis primas tenet, grates persolueret, & cumulatiori gratiâ beneficiorum vices rependeret.

Quid præsefert Ioannem accepisse Matrem Domini in sua?
S. Aug.

Sed videamus, quid est Ioannem accepisse in sua Matrem Domini? id argutè edisserit sanctus Augustinus tractat. 119. in Ioannem dicens: *Distribuebatur vnicuique, prout cuique opus erat: intelligendum est. Sic distributum fuisse huic Discipulo, quod opus erat; vt illic etiam Beata Maria tanquam Matris eius portio poneretur. Ex illa hora suscepit eam Discipulus in sua, vt ad eius curam, quicquid ei esset necessarium pertineret.*

Distribuebatur Ioanni quod opus erat ei, & Beata Virgini, vt in distributione Ioannis, portio Matris poneretur.

Nec deessent cœlorum Reginæ, orbisque Dominæ Angelorum turbæ, qui de cœlesti paradiso ambrosias dapes & humanæ vitæ subsidia & fercula ministrarent. Si enim, cùm esset trimula, & iuuencula intra templi adita clausa, manna ei cœlicum officioso famulitio deferebant; quanto magis cùm esset Ecclesiæ Magistra, filijque societate orbata, ei pararent mensæ ministeria, sed Angelorum loco sufficitur, & subrogatur Ioannes, vt tanquam pauperi, & egenti de oblatis fidelium eleemosynis, specialis Mariæ seruaretur portio, per manus filij Ioannis distribuenda matri. Maluit enim misericordię Mater de aliena misericordia paupertatem subleuare, quàm de eduliis, & vestimentis cœlitùs delapsis, viuere. Quorum omnium demandata est sollicitudo, munus iniunctum Ioanni, & in hoc sensu: *Accepit eam discipulus in sua.* Restat gratificatio, & beneuolentia Mariæ erga Ioannem, & quã arte amoris, & disciplinæ illum susceperit in sua.

S. Aug.

Præclarum est eiusdem Aurelij acumen, hoc in loco, his verbis expressum *Ioannes ex ijs erat, qui dixerunt ei: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te; sed ibi quoque audierat: quicumq; ista dimiserit propter me, accipiet in hoc sæculo centies tantum. Habebat*

Ioannes iuxta promissum Domini, accepit in hoc sæculo centuplicitur plura quam dimiserat, cum Matrem Dei suscepit.

ergo Discipulus centupliciter plura quam dimiserat in qua susciperet eius Matrem, qui hæc illi donauerat. Sed in ea societate Beatus Ioannes receperat centuplum. Quæ Augustini verba talem sensum non incongruè admittunt: Quòd Ioannes pro spontanea renuntiatione sæculi, & omnium facultatum, centuplum accepit ipsam Deiparam, quæ centuplicatæ mercedis, & cumulatissimæ remunerationis loco est; quæ enim felicior sors, & beatior portio, quàm quod Genitricem Creatoris vt Matrem suam suscipiat; Ioannem omne consortium carnalis voluptatis respuentem, mundiales opes & omnia despicientem, Maria in omnia sua recepit, in sodalitium, contubernium, indulgentiam pietatis, tutelare præsidium, familiare colloquium, priuatæ charitatis commercium, vt de tali fœdere, & communione castissima, & de gratiarum immenso pelago vberiora fluenta in Ioannis dilecti animum refunderentur.

Guer.

Maria tanquam diuina portio debebatur Ioanni amoris priuilegio, & testimonio castitatis. Virgo virgini seruit; Maria languens amore, floribus fulcitur castitatis. Quod donetur Virgo Ioanni remuneratio est virginitatis.

3. Pulchrè consonat Augustino Guerricus 4. de Assumptione Mariæ: *Huic* (nempe Ioanni) *planè competebat hæc portio, non solum iure propinquitatis, sed etiam amoris priuilegio, testimonioque pudoris. Decebat namque, vt non nisi Virgo virgini deseruiret, quatenus & Virgo Beata diuino languens præ amore, floribus fulciretur castitatis: & virginitas adolescẽtis id interim perciperet remunerationis, & de cõtubernio proficeret tantæ sanctitatis.* Solerter Igniacensis Abbas portionem & remunerationem Ioannis nuncupat Mariam, pro mercede castimoniæ sibi donatam, vt competenter vsurpet de Matre, quod de Filio Dauid occinerat: pars mea, portio & sors mea Domina, & Angelorum Regina: Nec mirum, si mundialia omnia à tergo relinquat, & delicias omnes temnat, cui tam diues, & pulchra possessio, & hæreditas obtigit. Inter castissimorũ adolescentum, & virginalium iuuẽcularum choros cõmorari exambit Maria, vt amore languens inter candida lilia, & odora poma fulciatur, placideque recumbat, stabilimentum inconcussum humanæ infirmitati præstatura. Vnde liquet, quòd tantæ hæreditatis promissio, in solo Ioanne non stetit, sed ordinatione mirabili ad alios simul redundauit; erga dicatos Deo viros, omnia mundana respuentes, prærogatiuam charitatis Iesus moriens in illa testamenti clausula testificatum reliquit: *Ecce Mater tua.* In Ioannis capite Religiosos cœtus benedixit, iisque de Crucis subsellio Regali, & iudiciaria potestate suam cõdonat, delegat Matrem. Parens enim est omnium Christianorum Maria, sed dicatæ Deo Virginis & Matris specialis prærogatiua maternitatis defertur erga cõsecratos Deo viros, cùm Mater nuncupatur Ioannis, quia carnis blandimenta, & sæculares opes speciali abs se ablegauerat voto, & se castrauerat, propter regnũ cœlorum, talem Reginam, vt Matrem promeruit; similis gloriæ, & beatæ sortis hæreditas; & delegationis maternæ titulus spectat ad sacrata Deo, & Virgini sodalitia, vt de singulis prædicetur: *Ecce Mater tua.* Vt materfamilias Maria ea recipiat in sua omnia, in charitatis, & beneuolentiæ demonstrationem mirabilem, in fidam custodiam, pissimam clientelam, legitimam tutelam filiorum, & protectricis gratiæ patrocinium singulare.

Singulis Religiosorum sodalitijs Virgo Deipara delegatur, & dicitur à Christo: Ecce Mater tua.

4. Auolauit ad cœlitum curiam Iesus Patrisq; consessum; & piissimam Matrem in terris reliquit. Cur secum eam non detulit, vt postquam mortis tributum, vel potius iucundissimæ dormitionis solueret, cum Filio conregnaret, & esset consors lætitiæ, & gloriæ, quæ fuerat socia mœroris & acerbissimæ passionis? Respondet piissimus, & argutissimus Guilhelmus in sacro illo Apostolorum Collegio, & religioso discipulorum sodalitio superstitem remansisse, vt maternam curam, vt officiosam sollicitudinem, quam Christo exhibuerat; primæuæ illius Congregationis alumnis, & filiis impenderet. Sic Guilhelmus Anglicus, dicam an Angelicus? cuius mens amore Deiparæ lymphata redditur, & de mellilegio charitatis dulcissimum succum propinans legentibus, enucleat sententias illas Canticorum capite 6. versu 4. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi auolare me fecerunt.* Eius pulchra verba sunt dulce colloquium Filij in cœlo regnantis cum Matre in terra peregrinanantis: *Iam ascendo ad Patrem, habeant materni illi oculi vacationem sed ad me. Porrò ad membra mea vocare illos nolo. Auerte à me ad fratres, & filios meos. Ne claudas illos, sed auerte à me, transfer maternam pietatem à me in meos. A me quia iam assumptus ad Patrem, à Matre non debeo amplius tenerè diligi. In meos autem conuerte, quos oportet, me ab illis assumpto, materna tuæ pietatis teneritudine confoueri. Non ergo tepescat materna pietas tua, non extinguatur, nec minuatur. Sed à me in meos integrè transferatur. Illos iam tenerè, vt Mater dilige: me iam intuere vt sponsa, & dilecta. In Cruce pro salute hominum agonizans, vnum tibi adoptaui Ioannem, dicens: Mulier ecce filius tuus; porrò cum triumpho Resurrectionis ascendens ad Patrem multos tibi vice mei adoptaui, & reliqui filios. Mulier ecce filij tui, quos diligas, & piè confoueas. Sic auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt: hoc est, propter ipsos auolaui à te: vt auertas oculos illos tuos maternos à me; ascendens in cælum auolaui à te, vt à me in meos transferres teneritudinem maternæ pietatis.* Hactenus apud Delrio summũ amorem & religionem erga Deiparam Guilhelmus ostendit. Persistebat in Maria eximia charitas, & veneratio erga natum translatum ad superos, illa tamen pia, & officiosa sedulitas plena dulcedine inenarrabili, materna clementia, & teneritudine clientela, quàm exhibebat filio paruulo pannis illum inuoluens, sinu fouens, adstringens brachiorum lacertis, candidis vberum laticibus nutricans, indumentis operiens nuditatem, administrans fercula, abunde complens omnia maternæ pietatis officia; variata est, & mutata de filio ad filios exules in hac mortalitatis gleba peregrinantes. Non decent Regem immortalem in gloria regnantem indigentiæ, & mortalitatis subsidia. Hortatur Filius Matrem, vt ea munera ad alios, quos sibi substituit, & adoptauit filios, abunde deriuentur: *Mulier ecce filios tuos*, quos fides Christi genuit, Religio regenerauit, socios passionis, paupertatis alumnos, meæ obedientiæ consortes, puritatis, & castimoniæ meæ, & tuæ Deo dicatæ æmulos; illos tuos misericordes oculos à me auerte, ad ipsos conuerte; si respicis pietatis tuæ viscera diffluẽt, vt eos repleas, & cumules benedictionibus sẽpiternis. Nec cupio, vt mecũ modò cõregnãs, & Angelicis

Cur Iesus migrans ad cælitum curiam non detulit secum Matrem, sed eam in terris reliquit?

Guilh. Cant.

Christus in cœlis regnãs amorem & tutelam suorum singulari significatione charitatis Matri commendat.

Vult Christus, vt à seipso Mater transferat teneritudinẽ maternæ pietatis in suos. In cœlum ascendens multos ei filios adoptauit, vt eos tenerè diligat, & piè confoueat.

In cruce moriens Christus vnum filium Ioannem Matri adoptauit.

Digitized by Google

Angelicis exercitibus imperãs, prorsus auertas à me oculos tuos gratiosos, & iucũdos: lux enim tui splendoris, & fulgur maiestatis, radiatumq; lumen, quod oculi tui vibrãt, inenarrabile gaudium, & exultationem pectori meo indunt; geminumq; iubar, quod supra cœli sidera, solisq; radios nitet, me eleuat, & ad redamãdam talem spõsam, & matrem cogit: sed auerte à me quoad subsidium, in indigẽtia solatium, in mœrore fomentum, in dolore, & planctu; operimentum in nuditate; in esurie, & siti esculentum, & poculentum. His omnibus in cœlis cõmorans in regione abundantiæ non egeo: indigent filij, quos tuæ curæ substitui: peramanter iniũctum sibi munus Mater vsurpat, vt filios in sinu suo foueat, lacrymas, & mœstitudinem abstergat, titubantium pedes confirmet, in ærũnis recreet, in tentamentorum caligine & vmbra refocillationem, & lumen infundat; & arescentia corda humectet dulcissimæ visitationis irriguo: denique alimenti, & indumenti cura, & œconomia suscepta, humanæ vitæ subsidia sacratis Deo viris & fœminis, maternâ largitate prouideat.

Hug. Card.

Indulgentiã singularis Maria in Religiosos exercet, quia per votum castitatis eius virginitatẽ, per votum paupertatis, eius paupertatem honorant.

5. Cur autem Marianus affectus dilectionis, & largitatis in Religiosos exuberet plenus clementiâ? rationem perpulchram assignat Hugo Carensis ad ea verba Psalmi 80. *Testimonium in in Ioseph posuit illud.* Et de Religiosis expendens sic fatur: *Ioseph Filius accrescens, & Patri charissimus Religiosus est: in quo posuit Dominus testimonium honoris Beatæ Virginis: quia per votum castitatis, eius virginitatem honorat: per votum obedientiæ, obedientiam ancillæ Domini: per votum paupertatis, illius etiam paupertatem, quæ, vt dicit Hieronymus: Ita pauper erat, quod manu, & acu acquirebat, unde se, & Saluatorem mũdi pascebat.* Lumen honoris, & decoris Maria à Religiosis haurit, cùm illa sublimioris Spiritûs insignia, quæ in mundum prima Deipara inuexit, æmulatione Religiosi portant, imitatione illustrãt. Illa enim, quæ supra legem vixit, æmulanda proposuit charismata meliora, & excellẽtiorem nobis demonstrauit viam, quâ ad cœlum pergeret humana mortalitas; arctam, angustam, & talebrosam Euangelicæ perfectionis semitam initiauit; viam dumis, & sentibus horridam pedibus pressit, & complanauit, vt segnes, languidos, & torpentes excitaret exemplari magisterio, & ducatu; quis talem ac tam eximiam Ductricẽ ac Imperatricẽ præeũtem non sequatur; ipsa Deo dicatæ castimoniæ facem prætulit, ancillaris obsequij munus impleuit, non celeri tantum cursu, sed pernici alarũ charitatis remigio conuolans, & obtemperans paruuli, & grandæui Iesu imperiis, & nutibus; ipsa Euangelicæ paupertatis normã, & mẽsuram à Saluatore perscriptã cumulauit, cùm labore manuũ; vel vltrò oblatis subsidiis, sibi & Deo victum quærebat. Quid mirum si affectu prosequatur materno, & gratantibus oculis aspiciat eos, qui huius diuinioris vitæ simulacrũ regerunt; diligit enim sibi similes, in vitæ instituto sodales, sectatores suorum facinorum, qui secum circumferunt animo, & corpore Marianæ perfectionis speciem, & formam. Ex iis enim Marianæ dignitati nouũ decus, & gloriæ lumen adiũgitur. Adorant obedientiæ voto ancillam Deo obsecundantem; illustrant egestate pauperem; obseruãtiã puritatis honorant Mariæ decus virgineum. Quid mirum si specialis protectionis prerogatiuam religiosis Conuentibus donet.

Hugo.

Beata Virgo in cœlis testis est, & aduocata in causa eorum, qui eã honorant.

Quapropter aptè subiungit idem Hugo: *Posuit etiam testimonium in Ioseph, quia ipsa B. Virgo est testis & aduocata in causa eorum, qui eam honorant, sicut frequenter cantamus de ipsa: Eia ergo aduocata nostra. De hoc testimonio dicit in Psal. Deus Pater: & thronus eius sicut Sol in conspectu meo, idest, Beata Virgo, quæ est thronus veri Salomonis Christi, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. Ibi enim testatur & allegat pro nobis. Vnde quidam sanctus homo narrauit, quòd cùm quidam Religiosi frequenter cantantes illam Antiphonam Salue Regina, dicerent verbum illud: Eia ergo aduocata nostra, pluries viderat in Spiritu ipsam Matrem Domini ante Filij sui prosterni præsentiam, & pro totius illius ordinis conseruatione precari.* Quibus verbis Hugo tutelarem, & prouidam curam, Mariæ erga Religiosos ostendit, pro quorum incolumitate supplices tendit ad Filium palmas, & fausta omnia deprecatur.

Religiosis cãtantibus illud: Eia ergo aduocata nostra. *Maria ante filij sui præsentiã prosternitur, & pro Religionum conseruatione precatur.*

Maria nubes lucida de Ægypto profugas ad religionem properantes, protegens, & illuminans.

Psal.

S. Ambr.

6. Postremo Deipara columna nubis est quæ abrenũciantes sæculi illecebris, de Ægypto profugos, ad terram viuentium religiosam properantes exambit, & obumbrat. Psalmum occinit Lyricen Sacer. 77. vers. 14. *Et deduxit eos in nube diei, & totâ nocte in illuminatione ignis.* Hanc nubem censet Ambrosius in Psal. 118. octon. 5. esse Virginem Mariam: *Quæ nubes erat secundum hæreditatem Euæ, leuis erat secundum virginitatis integritatem. Leuis erat quæ non homini quærebat placere, sed Domino.* Leuis ad volatum, aligera ad subuentionem in agone virtutis desudantium, vt iis solamen, & in æstu velamentum, & lenis auræ vmbraculum obtendat. Liceat prophanis illustrare diuina, vt non incredibilia videantur nostræ nubis miracula. Hæc recenset eruditione refertissimus Clemens Alexandrinus lib. 1. stromat. *Thrasybulo qui exules ex Phyla reducebat, & latere volebat, dux fit columna, & Thrasybulo noctu per loca non trita ingredienti, cùm nec luceret Luna hybernumque cœlum esset & caliginosum, videbatur ignis præcedens, qui cùm eos citra vllam deduxisset offensionem, defecit, vbi nunc est ara τῆς φωσφόρου, idest, Lucifera.* Quanto meliùs nubes & columna Maria exules suos filios Euæ, & peregrinatores per arctam semitam Euangelicæ perfectionis gradientes, per loca tenebrosa, & laboriosa aduersitatum ductabit, facẽ luminis & consolationis præferens, vt non impingant, nec cæspitent inter tentationum saxa, & caliginosos aduersitatum lucos; sed citra vllam offensionem deducet, nitidissimâ lampade, vigilis custodiæ, & tutaminis fulgebit, vt de ea prædictum ab Isaia vaticinium, euentum suum sortiatur, & Mariæ facinora & opera verbis vatis consonent: *Erit nubes per diem, & splendor ignis flammantis per noctem.* Nec abs re mentionem fecit Clemens *ara Lucifera.* Verè enim Lucifera Maria est ingens cœli sidus Solem ambiens, æmulumque Solis, hoc est, Deitatis Christi, & Lunæ, nimirum humanitatis; præuenit Iustitiæ Solem ante matutinum exoriens, & vt verbis vtar Plinij libro secũdo, capite 8. *Vt Sol alter; diem maturans. Magnitudine extra alia sidera est. Claritatis quidem tantæ, vt vnius huius stellæ radijs vmbra reddantur.* Deipara cunctis Angelorum & Sanctorum sideribus sub

Clem. Al.

Thrasybulo, qui exules ex Phyla reducebat, ignis columna præcedebat.

Ara Luciferæ dicata.

Lucifera Maria mortalia corda inumbrans.

Plin.

sublimior, & nitidior, cuius proprium munus radiis protectionis mortalia corda inumbrare, Materque Deûm lucifera nuncupatur, quia per Mariam, filij, quos Christo genuit, facti sunt Dij. Fœcundum sidus, quod viuidis igniculis de sole IESV mutuatis, & genitali gratiæ rore conspergens corda mortalium, reddit arua, & viridaria, virtutum omnium feracissima, & ad sanctimoniæ fastigium stimulat. Liceat in huius hospitalis sideris tutela conquiescere, & in hoc tabernaculo cæruleis velis à Spiritu sancto intentis pacatè confidentibus, encomiasticæ laudationis, & interpretationis vela tantisper contrahere, & nouum halitum ad vlteriora resumere. Eique aram gratitudinis erigere, amoris pignus, & beneficiorum Mnemosinon; quo solet vultu placido, & renidente, qui cœlum serenat, & animos beat, Præses Religiosorum cœtuum, & patrona, gratantes animos prospiciet, maiorum officiorum cumulo, & vitæ splendoribus coronabit. Ad cuius commendationis coronidem, discursûs, & huius voluminis apicem, & fastigium, ex verbis conspicuis corollam pango de sancto Germano Archiepiscо Constantinopolitano mutuatis, serm. de dormit. Virginis, quibus eius sacratum verticem circumdo: *Nisi enim, (inquit,) tu iter aperires, nemo spiritalis euaderet, nemo in spiritu Deum adoraret. Tunc enim spiritalis factus est homo, cùm tu Deipara Sancti Spiritus habitaculum effecta es.* Deipara namque spiritualis, & diuinæ vitæ artifex mirabilis, homines in spiritu viuere docuit, iuxta leges, & consilia Sancti Spiritus, carnem coarctare, corpus constringere. Ex quo enim habitaculum Sancti Spiritus effecta est, spiritualia, & sublimiora Euangelicæ institutionis documenta sectari docuit. Adiungit sanctus Germanus verba Religiosorum votis, & clamoribus continuò proferenda: *Tutela tua immortalis, & deprecatio vita, & perpetua est omnino protectio.* Quorum cosonam, & placidissimam veritatem per dies singulos experiuntur singuli; in protectione tantæ Virginis, & Reginæ cœli culmine commorantibus candidi dies, fastique anni, & æternæ longitudo vitæ promittitur.

Ad Deiparã auctoris votum, & deprecatio.

S. German.

Nullus spiritalis euaderet, nec in spiritu viueret, nisi Maria iter aperiret. Cùm Deipara Spiritus sancti habitaculum effecta est, homo factus est spiritalis. S. Germ.

Perpetua, & immortalis Mariæ protectio.




Inuocetur nomen tuum super nos.

Inuocetur Mariæ nomen super nos.

De sanctissimo, & dulcissimo nomine Mariæ.

DISCVRSVS X.

Mariæ nomen illuminationis, nomen accinctionis, nomen puritatis, nomen dominationis.



CELEBERRIMI & suauissimi nominis MARIÆ insignia ordiar, ipso nomine auspice, ipsius fauente numine, amplissima decora prædicare, ab officiosissimo erga Deiparam alumno, & cliente Thoma de Kempis Venerabili, sanctimonia, & eruditione conspicuo, qui in lib. Opuscul. 3. parte, serm. 6. de Mariæ nomine fatur: *O sacra, & illustrissima Virgo Maria quam præclarum, & laudabile est nomen tuum in vniuersa terra: nempe à Solis ortu vsque ad occasum in diuersis mundi partibus, Iudæis & gentibus, Græcis, Latinis, Romanis, & Germanis prædicatum est nomen tuum. Nam vsque ad cœli sidera te extollere, & super Angelicam dignitatem, tuam sanctitatem, & pulchritudinem commendare vocibus altis, cuncti iustorum spiritus inardescunt, congaudent, & præ amoris magnitudine, & deuotionis dulcedine, cantando, meditando, orando, & sacra solemnia tua celebrando, nequeunt fatigari.* Sed quia mysticum est Mariæ nomen de incóprehensibili sapientiæ arcano, & abundantia diuinæ pietatatis scaturiens, plenûque cœlestibus sacramentis, solerter eruenda sunt, ad ipsius nominis gloriam, & animarum emolumentum. MARIA à radicè מר *mar* deductum communiter, & genuine transfertur: *Illuminatrix stella*, melius *stella Maris. Amaritudo*, vel: *ad amaritudinem perducens.* denique: *Domina.* Vt constat ex Lexico Complutensi. Hæc sunt magnalia principaliora nominis *MARIA*, quatuor pietatis signa, amoris flammulæ, laudationum vexilla in quatuor angulis altaris, & delubri quod deuotio erigit, appensa.

Thom. à Kemp. *Mariæ nomẽ laudabile in vniuersis gentibus.*

vers. Hebr.

Nominis Mariæ varia interpretatio.

---

§. I.

Maria illuminatrix.

Inter discriminosas huius sæculi caligines à lapsu præcauet mortales Maria, & mentes illuminat cœlestis sapientiæ fulgoribus.

1. 

PRÆCESSIT tempore, prælusit & nomine Deiparam illustris fœmina soror Moysi, ideóque sacræ paginæ commentariis signata, quia MARIÆ nomen obtinuit. Numerorum capite 26. versu 59. Agitur de genere Leuitico, & de Amram Moysi parente subscribitur: *Qui habuit vxorem Iochabed filiam Leui, hæc genuit Amram viro suo filios Aaron, & Moysen, & Mariam sororem eorum.* Quorum omnium nomenclatio mystica à Ruperto expenditur lib. 1. in Exodum caput 8. de MARIA verò hæc adiicit: *Maria verò illuminatrix, vel stella maris, prophetia namque quæ per illam significata est, & nos illuminat, & nostro mari, id est; huic sæculo stella est: vbi attendimus illi tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec lucescat dies, & Lucifer oriatur in cordibus nostris.* In Mariæ nomine propheticum lumẽ præfulget, nõ solũ quia prophetissa est, sed quia Mariã prophetissam prophetarũ, & magistrã signabat, quę SS. Dei hominibus propheticũ iubar infudit; ad ipsam tanquam ad oraculum prædictionum, ad fontem illuminationum vates omnes consensu mirabili, pietate dulcissima conuenerunt; vt de plenitudine luminaris magni

Lib. Num.

Rupert. *Maria illuminatrix, vel stella maris.*

magni vatidicas lucernas accenderent. Quæ enim collucet, & illustratur fulgoribus solis æterni, & increatæ veritatis, veridicarum responsionum, & præsensionum arcanarum splendoribus Vates illuminat. De Maria Deipara illud Ruperti assertum prolatum existima: *Maria nos illuminat, & nostro mari id est huic seculo stella est, vbi attendimus illi tanquam lucerna lucenti in caliginoso loco*, à nimbo namque aduersitatis, à flatu afflictionis & ærumnæ, à procella tenebrosa hostilis tentationis, ab ipso mortis spiritalis vortice & naufragio eripit cordis tenebras illuminans. Est enim Maria lampas ardens, fax splendidissima, luminare conspicuum, & Pharus in littorali statione mundi & Ecclesiæ specula sublimis, multo celsior & celebrior quam Pharos de qua recensent eruditi Cosmographi quod in ea turris est ingens in saxo erecta, quæ mari circumluitur albo lapide constructa, quæ & ipsa Pharos dicta est; in qua noctu accensæ faces nauigantium cursum dirigebant. Vnde Statius Canit.

Stat.

Lumina noctiuaga tollit Pharus æmula lunæ. De qua Egesippus de excidio vrbis Hierosolymitanæ lib. 4. cap. 27. agens de vrbe Alexandriæ & insula Pharos, scribit: *In dextera portus insula est breuis, & in ea turris maxima quam Pharum in commune græci ac latini ex ipsius rei vsu appellauerunt; eo quod longe videatur à nauigantibus, vt priusquam in portum appropinquent, nocturno maxime tempore terram finitimam sibi esse, flammarum indicio cognoscant: ne decepti tenebris, in scopulos incidant, aut vestibuli limitem non queant comprehendere. Sunt itaque illic ministri per quos subiectis facibus; cæterisque lignorum struibus, adoletur ignis quasi terræ prænuntius, & index faucium portuensium, demonstrans ingrediendi angustias, vndarum sinus, vestibuli anfractus, ne perstringat tenuis carina cautes, & in ipso ingressu offendat inter opertos fluctibus scopulos.* Præcauet Maria tanquam cælestis Pharus splendoribus suis huius sæculi discrimina admonetque vexatos ærumnarum fluctibus, ne procellis obruantur, ne in cautes aut syrtes impingant nauigantes, sirenarum ve delusi dulci cantilena, in scopulos allisi, miserum naufragium subeant. Ideo fulgoribus suis stella Maria illuminat, dirigitque errantes vt teneant salutis portum. Pulchre S. Bonauentura in speculo Beatæ Mariæ lect. 3. ait: *Est illuminata vel illuminatrix, iuxta illud Apocalypsis 8. vidi alterum Angelum descendentem de cælo habentem potestatem magnam, & terra illuminata est a gloria eius, terra vero à gloria Dei illuminata est Maria, quæ sicut, fuit illuminata à gratia eius in mundo; ita nunc illuminata est à Gloria eius in cælo, vt sic illuminata, fieret illuminatrix in mundo & in cælo.* Et paucis interiectis: *ipsa enim est lucerna Ecclesiæ, ad hoc illuminata à Deo vt per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia.* Et S. Bernardinus tom. 3. de nomine Beatæ Mariæ cap. 3. *Stella illuminat noctis obscuritatem, sic etiam Beata virgo profecto ante aduentum huius virginis, peccati nebula totum mundum occupabat, vt non esset qui verum lumen videre posset: erant enim omnes gentes quasi nebula turbinibus exagitatæ, proinde in tenebris morabantur. Tandem processit Beata virgo sicut fulgida stella effugans illas tenebras, vt de ea dici possit illud Ecclesiastici 50. quasi stella matutina in medio nebulæ.* Præfulgidum sidus Maria quod orbem illuminat & ornat: sicut enim ablata cæli lampade, omnia tenebris inhorrescunt, sic erat sine Maria mundus, ignorantiæ & malitiæ caligine consepultus iacebat, oppansæ erant tenebræ in cordibus mortalium, quæ dissipatæ adueniente Mariæ lucerna, & lumen virtutis & consolationis diffusum. Hanc geminam illuminationem expertus S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in encomio sanctissimæ Deiparentis apud Surium die 21. Nouembris clamabat: *Sed ô mihi sola Domina, mea ex Deo consolatio: ardoris qui est in me ros diuinus: exiccati mihi cordis diuinitus irrorans adspersio: tenebrosæ meæ animæ lampas lucidissima, dux meæ dubitationis.* Hæc ille.

Egesip.

Turris quæ Pharus dicitur, & illius lumina describuntur.

S. Bonau.

Maria terra dicitur à gratia & gloria Dei illuminata, vt esset illuminatrix in cælo & in terra.

Maria Ecclesiæ lucerna.

S. Bernard.

Maria stella fugans mundi tenebras.

S. German.

Maria tenebrosæ animæ lampas lucidissima.

2\. Euangelista Ioannes de Mariano luminari magno perfecte illuminatus est, & vberiores præ cæteris sacris Euangelij scriptoribus, sapientiæ splendores accepit: qui enim in suo contubernio post Christi obitum habuit & possedit paterni consilij & verbi aulam Mariam, sapientiæ & scientiæ Dei thesaurum, omnium arcanorum celeberrimum & nobilissimum oraculum, mirum non est quod de fontana Mariæ plenitudine abundantiora gratiarum flumina, & sacræ Theologiæ splendidiora lumina hauriret; de crucis solio, & lectulo Iesus matrem suam Ioanni non solum tanquam parentem, sed velut magistram delegauit, vt adolescentem Ioannem sapientiæ candidatum, sacris mysteriis copiosius erudiret. Singularis prærogatiuæ, & voluntatis vltimæ Saluatoris, & legati tabulam subscripsit fidelissimus scriba Ioannes cap. 19 vers. 27. *Deinde dicit discipulo ecce mater tua: & ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Subministrabat Ioannes prouidentissima solertia Dei matri esculenta ad fulcimentum naturæ; sed Maria Ioanni potiora alimenta suggerebat, cum instruens cælestibus disciplinis, quasi filium paruulum delicatum, & dilectum nutriens, & lactans vbere spiritalis dulcedinis: lacteum gratiarum stillicidium vitalem & melleum sapientiæ rorem, & imbrem in illius animum infundens, vt vegetatus, & impinguatus vocem illam eructaret: *In principio erat Verbum,* huius nutrimenti supramundani quod alumno & clienti suo Ioanni exhibuit Maria, argutus & elegans pensiculator est Guerricus Abbas Igniacensis serm. 4. in Assumptione Beatæ Mariæ scribens: *Qui etiam quia fidelis probatus est in obsequio incorruptæ matris, mysteria quoque Diuinitatis, & arcana verbi incorruptibilis sibi credi promeruit. Decebat inquam vt matri Domini non alius obsequeretur quam dilectus filij, quatenus & mater semper suspirans filium, in dilectum filij suauius respiraret, & discipulus magistrum sibi conquerens nimis cito subtractum, magistram totius veritatis se reperisse gauderet. Idque satis commode prouisum, vt scripturus Euangelium, familiarius de singulis conferret cum ea, quæ conscia erat omnium, quippe quæ ab initio omnia filij sui diligentius obseruauerat, conseruans omnia verba quæ de illo erant, conferens in corde suo.* Habebat Ioannes pernicissimum obsequium & quasi angelicum volatum vt Mariæ iussa celerrime exequeretur, ad ipsius voluntatis nutus prompte & sponte obediret, vitæ necessitatibus succurreret; per hanc actionum celeritatem euectus est ad superiora diuinæ

De Maria fontana plenitudine Ioannes Euangelista, abundantiora gratiarũ flumina & sacra Theologiæ splendidiora lumina hausit.

Ioann. Euang.

Guerr.

Maria post ascensionem Christi in cælum, absente filio, in dilectum filij Ioannem suauius respirabat.

uinæ cognitionis fastigia, vt cui obsequium & obseruantia tradita est virginis matris, Deitatis arcana, & contemplatio sublimior verbi geniti & æterni genitoris crederentur; non enim terrenæ dignitatis insignia aut volatilis gloriæ titulos peperit Ioanni hæc Religiosa clientela, sed præmium supermundanæ sapientiæ, in cuius comparatione omnis mundi gloria & amplitudo tanquam arena exigua, aut vile lutum reputabitur: absente filio dilectus filij, matri conuenienter & decore obsecundat, *quatenus & mater semper suspirans filium, in dilectum filij suauius respiraret.* Inquiebat Guerricus. Felix Ioannes filij Dei vicaria functione ornatus, sublimis; in quem Deipara suspirando amat, amando suspirat. Quid inderent pectori Ioannis Marianæ columbæ ignita diuini amoris suspiria, & Spiritu sancto plenissimæ Mariæ aspirationes cælestes, & vapores purissimi, nisi seraphicæ Charitatis incendium, augmentum gratiarum, Angelicæ castitatis spiritum? quid inhalaret in singularem discipulum, & alumnum Ioannem Maria origo solis, fons luminis, scientiarum omnium lampas lucidissima, sacræ sapientiæ magistra aspirationibus splendidis, euaporationibus luminosis, nisi Theologiæ reconditioris fulgurantes radios, Deitatis coruscantes splendores? Ioannes Mariæ illuminatrici propius adstans, familiarius cum ea versans, mystica eloquia crebrò auscultans, vberius illuminatus est, & de plenitudine sapientiæ potiora munera hausit; vt *magistram totius veritatis se reperisse gauderet.*

3. Nec solum illuminatrix est Maria, sed excitat & promouet eruditos & sapientes ad aliorum illuminationem, vt Gentium nationibus fidei lumen inuehant, & Euangelicæ lucis radios infundant. Quare Venerabilis Beda tom. 7. fol. 189. de nomine *Maria* fatur: *In sancta & perpetua virgine Maria, quæ stella maris, vel illuminatrix interpretatur, vt illuminatores mundi id est doctores sanctæ Ecclesiæ simus, & in cordibus credentium lumen Fidei, & amorem Christi per doctrinam veritatis, & exempla sanctitatis oriri faciamus, & Deo habitaculum præparemus.* Illuminat Maria montes excelsos sanctorum, vt orbem irradient splendoribus sanctitatis, & Orientem solem iustitiæ circumferant, cordaque mortalium caliginoso ignorantiæ conditiuo tumulata, rore lucis, & luminoso flatu inhalent, & viuificent; & solis æterni splendores aspiciant. Maria lumen virgineum, non tamen sterile, sed fœcundum, quæ innumeras sanctitatis & sapientiæ lucernas accendit.

V. Beda.

Maria illuminatrix dicitur vt Ecclesiæ Doctores erudiat ad illuminationem Fidei gentibus præstandam.

---

§. II.

Maria stilla maris.

Deipara magnum Deum carne circumscripsit, immensum Deitatis mare ad paruulam stillam humanitatis reduxit, spiritali cingulo hominum affectus præcingere docuit, & indociles animi motus coarctare.

1. SEntiens Lia quod fœtu grauidari, & parere desiisset, tradidit Zelpham ancillam suam Iacob marito, vt ex ea filios procrearet; primumque natum Lia vocauit Gad. Genes. cap. 30. v. 10. *Quæ post conceptum edente filium, dixit: feliciter: & idcirco vocauit nomen eius Gad.* Rursus Zelpha pariente alterum, v. 13. *Dixitque Lia: hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres, propterea appellauit eum Aser.* Liam Beatæ virginis vmbram & typum extitisse fere nullus ambiget, cum in cantico suo Deipara ad hæc verba allusisse videatur vt annotat Cornelius, cum intonat: *Beatam me dicent omnes generationes*; & P. Martinus Delrio sapienter ait in glossis litteralibus in Genesim, dixisse Liam: *Beata ab omnibus prædicabor: factum id in Maria, quæ ex ea orta, & beata dicta ab omnibus generationibus.* Dicat ergo Lia Beatæ virginis personam regerens: *feliciter.* Lxx. legunt: *felix facta sum.* Vera felicitas, plena beatitas in Maria, quæ totius beatitudinis peperit fontem. Sola felix mater fœcunda cum decore virgineo, quæ æterni Patris prolem castis suscepit visceribus, carne humana induit, & immaculatis lactauit vberibus. Alij transferunt ex Hebræo: *Venit fortuna. Venit bonum sidus.* Seu *planeta bonus.* His annuit S. Hieronymus quæstionibus hebraicis in Genes. *& dixit Lia in fortuna, & vocauit nomen eius Gad. Vbi nos posuimus in fortuna, & græcè dicitur: ἄτυχη, quod potest euentus dici. In hebræo habet בגד quod Aquila interpretatur: venit accinctio, nos autem dicere possumus in procinctu.* Et noster interpres hanc lectionem sequitur Genes. cap. 49. v. 19. *Gad accinctus.* Maria clarum & benignum Sidus, puro fortunantis Dei influxu conspicuum, quod totum cælum & orbem ornat. *Beata facta, venit felicitas,* quia omni humana sorte maius est, huius astri luminibus ambiri: est enim non obscurum prædestinationis præsagium, & felicitatis æternæ indicium, benignum suscipere tanti sideris aspectum, illius radiis luminosis impleri. Illa tamen translatio Aquilæ, quàm D. Hieronymus amplectitur: *Venit accinctio.* Vel *in procinctu.* Mirabilem dilatationem mysteriorum continet, non coarctandam, sed amplificandam vberibus sententiis. Quid est quod orto sidere Mariæ: *venit accinctio.* Nisi quia hæc puella superno & nouo docuit magisterio, luxuriantes animi affectus, qui præcipites in vetita quæque ferebantur, coërcere, improbos & insultantes cordis motus, cælestis disciplinæ cinctorio, & balteo castitatis constringere; hæc virago & inclyta heroina viris, qui velut equi hinniebant in fœminas, frænum rationis, & timoris habenas iniecit, vt lumbos præcingerent zona puritatis, & essent in procinctu ad cælestis regis obsequium. Quid mirum si homines ad exercitamentum virtutis, & pietatis accinxit! cum Deum immensum qui cœli & terræ ambitum implet, suo circumdederit vtero, & cingulo humanitatis circumscripserit.

Lib. Gen.

Cornel.

Delrio.

Maria felix & beata prædicatur ab omnibus gentibus.

Lect. Lxx.

Lect. heb.

S. Hieron.

Per Mariam venit Dei & hominis accinctio.

2. Vt conceptus hic maius lumen accipiat, annotanda est mirabilis illa eruditio S. Bernardini Senensis tom. 3. serm. de glorioso Mariæ nomine, art. 2. cap. 2. his verbis expressa; *Comparatur Beata Virgo stellæ poli, quia stella est poli descriptiua cum sit breuissimi circuli circa polum; totus siquidem mundus describit quamdam* intelligi

S. Bern.

Maria comparatur stellæ quæ est poli circumscriptiua.

intelligibilem spharam, cuius centrum est filius Dei Iesus Christus, quoniam ipse est sicut centrum in circulo, à quo exeunt omnes linea, id est vniuersa creatura, sicut ostendit Beatus Dionysius; hac sphara multos circulos habet intra se inuicem ordinatos, vnde tanto circulus est breuior, quo centro vicinior.

Mundus est velut sphara intelligibilis, cuius centrū est Deus, à quo linea creaturarum exeunt.
S. Dionys.

Verba tamen à Bernardino recitata ex S. Dionysio Areopagita lib. de diuinis nominibus c.5. hæc sunt: *In centro quoque omnes orbis linea vna coniunctione cohærent: punctumque ipsum omnes habet in se rectas lineas vno modo coniunctas & inter se, & cum vno principio, à quo prodierunt, atque in centro quidem penitus coniunguntur, sed ab eo paulum distantes, paulum etiam diuiduntur. Quo propinquiores sunt centro; eo magis & cum eo, & inter se coniuncta sunt.* Ex quorum placito mundus intelligibilis sphæra est, cuius centrum Deus vel Iesus, à quo velut lineæ à puncto exeunt omnes creaturæ, quæ quanto magis distant à centro, continent circumferentiæ ambitum latiorem, quò centro proximiores habent circulum breuiorem. Apposite & argute subiungit S. Bernardinus: *Inter omnia breuissimum facit circulum Beata virgo Maria, quæ per mentis deuotionem arctius eum* (nempe centrum Iesum) *constrinxit, & intra beata viscera clausit, & portauit, vt ipsa sit iam facta quasi orbis, propheta attestante, qui ait: illuxerunt coruscationes tua orbi terræ id est Maria, quæ facta est orbis filij Dei, qui est terra,* quæ in æternum permanet. *Eccli. 25. Gyrum cæli circuiui sola.* Maria stella poli & centri diuini, non solum centro proximior sed intima, quæ nouo circulo & orbe lacteo corpulentæ substantiæ coarctauit, & vteri sui circuitu clausit, ambituque supercælesti centrum ipsum Deum circumscripsit. Deus creaturarum omnium centrum, sed Maria centrum Dei in qua sese exinaniuit diuina maiestas, & iuxta punctum Marianę humilitatis & annihilationis se commensurauit; per hanc Deipara immensæ diuinitatis, & omnium creaturarum lineas in se colligit: Iam ergo non à solo Deo qui centrum creaturarum est, sed à Maria quæ in se continet omnium rerum punctum, & linearum centrum, possidet iuxta Deū & in ipso Deo circulum breuiorem & proximiorem, omnium specierum creatarum aspectabilium vel sub aspectum non cadentium lineæ ab ea exoriuntur, & per ipsam transeunt, tanto splendidiores & gratiores, quanto in regeneratione & instauratione orbis, vberiorem ornatum decoris, dignitatis, & gratiæ per Mariam accipiunt; vt ad meliorem statum quàm habuit in creatione, natura reformetur. Ante Mariā erat angelicarum creaturarum circulus centro diuino proximior, & intimior; humanæ naturæ remotior; sed per Mariam factus est circulus primus, qui erat secundus & nouissimus, dignitatis & gratiæ propinquitate vicinior & propior, qui erat ante distantior: nec mireris hominis circulum finitimum, cum per Mariam diuinæ & humanæ naturæ poli & velut lineæ quæ immensa intercapedine erant segregatæ & disiunctæ, in mirabilem consensum, & nexum coëant in Mariæ centro: Iam proprij capitis pœna & periculo sapit Lucifer quantas sibi ærumnas intulerit ex ambitu superbiæ, noluit tenere lineam suam in qua conditus erat à Deo, sed transgressus est & transiliit circulum suum, appetens & anhelans esse lucidum centrū spiritalis & cælestis poli, à quo lineæ creaturarum manarent, vt ipsum laudarent astra matutina & iubilarent omnes filij Dei, tanquam creatorem omnium, & Dominum Angelorum. Ideo quia suum dereliquit centrum, ad centrum terræ tenebrosum & æternæ mortis caligine inhorrescens pondere superbiæ ruit, & deturbatus est. Benefortunata in omnibus Maria centro Dei per humilitatem finitima, per quam ex linea humanæ naturæ in qua formata erat transiuit ad incomprehensibilis dignitatis & celsitudinis decus, vt esset breuissimo circulo finitima Deo, ipsumque circumscriberet. Merito ergo clamabat Lia Mariam repræsentans: *Venit bonum sidus. Venit accinctio. Venit accinctus Deus,* quia per ipsam & in ipsa induit humanorum tegminum munimenta & præcinxit se. Vere Maria stilla maris quæ immensum Deitatis oceanum ad exiguum humanitatis stillicidium coarctauit.

Circulus centro propinquior breuior est.

S. Bernard. *Maria circulum facit centro proximiorem & breuiorem quo Deum constrinxit.*

Per Maria circulum qua centrum in se ipsa clausit, omnes creaturarum linea nobilitata progrediuntur.

Lucifer circulum proprium & lineam transgressus, ad centrum terra tenebrosum præcipitatur.

3. Placet cernere primos accinctos nempe Adamum & Euam: post transgressionem, agnitæ nuditatis, & primùm experti, infortunati pudoris, remedium adhibent operimenta frondium, & foliorum. Genes. cap.3.v.7. *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Hebræus habet: *cinctoria.* Vatablus legit: *cingula.* S. Augustinus lib. 14. de ciuit. cap. 17. S. Ambrosius lib. de paradiso cap. 13. legunt: *Succinctoria.* In iis pœnitentium Adami & Euæ formam, & primum exemplar carnis blanditias coërcendi, & appetitus excruciandi agnoscit S. Irenæus lib.3. cap. 37. *Per succinctorium* (inquit) *quod sibi Adamus circumdedit, ipso facto ostendit suam pœnitentiam, condignum inobedientia amictum fecit conterritus timore Dei, & retundens petulantis carnis impetum, frenum continentia sibi & vxori sua circumdedit, timens Deum, & aduentum eius expectans. nunc cognosco* (*inquit*) *quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem & pungit corpus.* Addit Oleaster: *vepribus suendo, fecisse sibi cinctoria.* Adamus sicut caput extitit delinquentium, qui sceleris reatum in orbem inuexit; ita etiam & ducatum præbuit mortalibus, vt seueriori disciplina coërcerent carnis petulantiam, horridisque setis, & aculeis infringerent improbos libidinosæ appetentiæ motus & impetus. Nec solum exasperantium foliorum cingulo munitur ad arduum prælium cum vitiis ineundum, & nocentiori hoste qui de ipsius naturæ blandimento, & voluptate ad pugnam & victoriam mutuat continuo suffragia; sed sentibus & vepribus cinctoria consuendo compungitur, & adhibet maiora ad restaurandam virtutem calcaria, edocens per spinarum spicula, veprium cuspides ad Deum ire; vt iam non adeo insolita appareant illa decantatissima illustrium Heroum facinora Benedicti, & Francisci sese inter vepres volutantium ad restinguendum carnis ardorem. Illud tamen in præsenti loco altiori contemplatione dignissimum est, sic instructos & munitos cingulis, & cinctoriis, lætum nuntium ore dominico promulgatum auscultasse, de fœmina humanæ naturæ restauratrice, & annosi serpētis triumphatrice. Ibi v.15. *Inimicitias ponā inter te & mulierē, & semen tuū, & semē illius.* Pulchre Rupert. l.2. de vict. verbi Dei c.17. ait: *equidem principaliter Beata virgo Maria mulier*

Lib. Gen. *Pœnitentia habitum & formam ostendunt Adamus & Eua cinctoriis præcincti asperis.*
S. Ambros.
S. August.
S. Iren.

Vt succinctoria attentant, vepribus consuunt, vt doceant nares sentibus pungi ad comprimendum carnis impetum.

Ad audiendum promissum de Maria oriunda ex eorum semine, cingulis corpus pungentibus, accincti veniunt.
Rupert.

mulier illa est inter quam & serpentem inimicitias positurum se dixit. Et de semine mulieris scribit idem Abbas Tuitiensis lib. 3. de Trinit. cap. 19. *Et semen illius subauditur Christus, nam hic plane cum illo antiquo serpente fortiter sese exercuit, nec vnquam illi in aliquo consentiens fuit: vnde & liberior & expeditior fuit accinctus gladio super femur suum potentissimus.* Necdum cinctoria abiecerant primi parentes, necdum pelliceo indutu ornati, sed nudi & accincti in stadio virtutis & continentiæ primæui luctatores pollicitationem gaudio plenissimam accipiunt liberationis & gratiæ per manus fœminæ, de massa humanæ naturæ damnata, oriundæ, sine vllius sceleris reatu hostis tyrannidem dissoluentis, & illius omnes technas dissipantis: non expedit discinctos conuenire ad audienda magnalia fœminæ contra dæmonem classicum canentis, quæ accinxit fortitudine lumbos suos & roborauit brachium suum vt illius caput abscinderet: quinimmo in vteri sui armamentario Deum accinxit gladio super femur suum, vt liberior esset & expeditior ad pugnam in nullo consentiens aduersario, semper victor; vt homines erudiret balteo castimoniæ, virtutum cinctoriis lumbos præcingere, ponere super femur gladium spiritus, vt resecent humanæ appetentiæ immoderantiam: Eua virum cælestis militiæ candidatum innocentiæ balteo, cingulo puritatis & gratiæ exauctorauit, reddiditque primum bellatorem discinctum & inglorium: Maria ad virtutis palæstram roborauit, succinxit ad gratiam, instruxit pœnitentiæ cingulo ad suscipienda signa diuinæ clementiæ, & absolutionis ornatum. quam pulchre quam apposite dictum: quod *accincti. Venit* per Mariam.

Rupert.

---

§. III.

Maria interpretatur: amaritudo, *Vel:* ad amaritudinem perducens.

[illegible]

[illegible]

Maria carnalis voluptatis dulcedinem in amaritudinem conuertit; insipida & despicata reddit sæculi gaudia.

1 Omnium malorum mater voluptas sensibus nostris implicata insidet, & ferrea pectora blandiendo, & adulando demulcet; blandus Tyrannus & hostis nocentior sub specie iucunditatis dominatum rationalis naturæ exambiens, sæpe maiores partes animi à virtute detorquens: hæc delinimenta naturæ, & illecebras validiores acredine inficit Deipara, redditque amarulentas, & iucundissima suauitate spiritus sui mundanos sapores facit amaros & peracerbos; prægustata enim amoris Mariæ dulcedine, desipit omnis caro. Sicut enim clauus clauo expellitur, ita dulcedo mirabilis & iucunda matris Dei lubrica mundi gaudia dissipat, & exterminat ex animo. Iesus Sirach Mariæ dulcedinem prædicat cum in persona Virginis fatur. cap. 24. vers. 27. *Spiritus enim meus super mel dulcis: & hereditas mea super mel & fauum.* Quæ verba Hugo Cardinalis de Deipara expendens ait: *In ea spiritalis delectatio excedit omnem terrenam delectationem. Et hereditas mea super mel & fauum, super omnem dulcedinem temporalem. Vnde Beatus Bernardus: adeo dulcis est spiritus, vt nec eius dulcedini preualere queat ipsa amarissima mortis amaritudo. Quid ergo non temperet illa dulcedo, quæ mortem facit dulcissimam: quæ resistere poterit asperitas vnctioni, quæ mortem facit suauissimam?* Duplex virtus, geminum facinus mariani amoris, & quod omne terrenum blandimentum sua delectatione superet, & ipsam amaritudinem mortis temperet: humani casus acerbitatem, obitus acredinem, agonizantis mœrorem & asperitatem, vnguento pietatis, & vnctione spiritus reddit iucundam & suauem, clientibus suis Maria spiritum dulcedinis infundit, vt omnes mundi acerbitates gratiæ blandimento temperet; licet enim videantur sensibus insuaues & iniucundæ, cælestis stillicidij lenimento, de paradisi fonte deriuati, dulcescunt. Quid acerbius morte? O mors quam amara est memoria tua! ex impendenti fato, ex quo pendet vel in æternum viuere, aut in æternum mori; ex præteritorum criminum memoria; ex rigore Iudicis in æquilibrio iustitiæ conscientiam vniuscuiusque arguentis & iudicantis. Inter hæc omnia quæ tanquam inter incudem, & malleum, inter sacrum & saxum, cor miserum dilacerant; dulcissimæ aduocatæ clementia placabilis interuenit, quæ in dilectos suos effundit deliciarum riuulos, eos maternæ charitatis aspergine irrorans, inungens oleo pietatis: *Vt nec preualere queat ipsa amarissima mortis amaritudo quid ergo non temperet illa dulcedo, quæ mortem facit dulcissimam?* Inquiebat purpuratus Hugo. His omnibus annuo tanquam verissima experientia compertis, iis tamen Maria Deipara dulcis prædicatur, non *amaritudo* iuxta nominis sui naturam. Qua arte! ad amaritudinem perducit, & prouocat, quæ ipsissima dulcitudo est? & suauitatem ingenerat mirificam, quæ est ipsa amaritudo? Hæc tamen antitheta in mirabile & amicum fœdus in Maria coëunt. Aduersus amaritudinem dulcedo est, aduersus dulcedinem amaritudo. Per Mariam acerbitas mortis dulcescit, carnalis voluptatis dulcedo amarescit. Intende modo in S. Bernardini Senensis argutias qui tom. 3. serm. 1. in die Pentecostes cap. 7. disputans de amoris transformatiui fructibus, locum Ecclesiastici superius allegatum enucleat de spiritali dulcedine scribens: *Spiritus meus super mel dulcis. Secundus fructus abominatio dictus est: scimus quod quicunque post suauitatis saturitatem ad comedendum perueniant, qualibet apposita vel oblata fastidiunt sic profecto dilectio huius amoris in anima generat quarumlibet deliciarum corporalium fastidium, & ex intimo affectu omnium exteriorum verum quoddam & spontaneum despectum.* Et statim subiungit: *Aliud est enim blandienti tentationi resistere, & violenter repellendo nolle acquiescere; atque aliud spontaneo quodam intimi affectus intuitu fastidire, & quaslibet interim carnis delicias & blanditias penitus sibi sapere non posse, immo in abominationem habere.* Spiritus enim Mariæ super mel & fauum dulcissimus affluens sponsi

ib. Eccl.

Hugo.

Spiritalis Beata Mariæ delectatio omnem terrenam suauitatem superat, & preualet aduersus mortis amaritudinem.

Maria mortem ac se amarissimam suauitate spiritus sui facit dulcissimam.

Maria dulcedo est & amaritudo.

S. Bernard.

Effectus amoris transformantis est, carnis delicias & blanditias respuere, & fastidire.

sponsi deliciis, hunc amorem diuinum in animo creat, vt omnia iucunda despiciat, & gratissima blandimenta naturæ fastidiat: non mirum si Marianæ voluptatis sapore anima saturata & inebriata, soli Deo inuigilet & viuat, sæculi oblectamentis moriatur; illæ vero postremæ sententiæ Bernardini non in vltimo reponendæ, sed solerter & accurate pensitandæ. *Aliud est blandienti tentationi resistere, Aliud est fastidire.* In iis sanctissimus ecclesiastes duplicem rationem instituit occurrendi & obsistendi impiis conatibus semper nobis infesti hostis; prima est cum iustus sibi vim infert, & violentiam quamdam naturæ, vt auersis suggestionibus oppugnatus obsistat, & valentia quadam spiritus obstet, ne pedem inferat aduersarius in arcem rationis, aditum omnino præcludens. Altera obsistendi tentamentis ratio mirabilis est ex Maria gratiarum mari veniens; cum aduersarius nimbum tentationis aut aduersitatis conflat, in ipso inuasionis exordio iustus præuenitur benedictionibus dulcedinis, vt subterfugiat & euadat facile iniquorum telorum ictus; opponit enim Deipara scutum amoris, parmam suauitatis, & mirabilem suæ charitatis ebrietatem operatur in corde amantis, quæ melius sentitur, quam verbis exprimitur, ea animus in Deum transformatus, & missilia suauissima affectuum & suspiriorum iaculatus, in quamdam caducarum rerum, & lubricorum gaudiorum regionem obliuionis inducitur, vt omnia sensibus grata & iucunda ex animo respuat & fastidiat: *Quaslibet carnis delicias, & blanditias penitus sibi sapere non posse, imo in abominationem habere.* Hoc enim singulare dulcissimi amoris & pietatis marianæ facinus est, vt ea quæ homo diligebat, despiciat; quæ antea erant iucunda & suauia amarescant, & penitus sibi sapere non possint, & carnis blãditias execrabili odio abominetur. Hæc tamẽ amarities prouenit de spiritali Mariæ dulcedine quæ in myrrhatum & absinthium saporem vertit sæculi suauitatem, & sibi obsequentes ablactat à lacte, auellit ab vberibus mundanæ voluptatis.

Duplex ratio obsistẽdi tentationibus Prima cum quis sibi violentiam infert. Secunda cum præuenitur Spiritus Mariæ dulcedine, libidinem abhorret animus.

2. Hãc amaricãtem Mariæ dulcedinem Ioannes præcursor Domini primus expertus est adhuc intra aulam vteri materni latitans: cum enim Mariæ vocem Elisabetham matrem salutantis, audiret, in hominẽ cœlestem immutatus est, terrena omnia fastidientem. Lucæ c. 1. v. 41. *Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Pro *exultauit,* Legit Cardinalis Caietanus: *saliit seu subsiliit in exultationem.* additque; *describitur motus infantis saltantis in vtero. Describit Euangelista ordinem effectuum: & primum effectum audita salutationis, ex ore beatæ Virginis explicat esse saltum Ioannis Baptistæ in vtero.* Iam enim ad Mariæ vocem in præcordiis pueruli resultãtis, præ gaudio ipse tripudiat, terrena omnia transilire nititur, vt arripiat cœlestis brauij palmam. Quæ autem fuerit salutatio Mariæ, ad cuius auditum Ioannes præ gaudio exiliret, pie & sapienter aperit P. Salmeron tomo 2. tract. 10. scribens: *Licet quibus tam verbis salutauerit ignoremus: verisimile tamen est ipsam dixisse: Pax tibi. Quidam tamen referunt his verbis salutasse: Pax tibi magni Prophetæ & vocis clamantis in deserto dignissima Mater; & intrans domum dixit: Pax huic domui.*

Maria dulcedinẽ amaricãtem primus expertus est Ioannes Baptista.
Luc.
Caiet.
Ioannes tripudiat & saltat in vtero matris terrena omnia trãsiliens ad vocem Mariæ.

Maria Elisabeth salutans dixit: Pax tibi, pax huic domui.

Iam enim post cataclysmum & ruinam orbis, in illius renouationis exordio venit Maria signum diuinæ placabilitatis ostẽdens, & symbolum misericordiæ venit ad vesperam mundi portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo: quid enim columba cœlestis ore & verbis suis nisi pacis insigne præferret? vt hominẽ cum Creatore cõponens & reconcilians pacificatoria legatione, restauraret omnia quæ in cœlis & in terris sunt. Itaque Maria totius lætitiæ nuncio Zachariæ domum impleuit: personuit cœlestis citharistriæ & virginalis psaltriæ in Elisabeth conclaui dulce pietatis melos, ex gratiarum pacifico mari Maria resultauit pacis cantilena suauis, quid mirum S. Ioannes saliat & tripudiet? Hic tamen saltus arcanus est & virtute plenus vt annotauit sanctus Gregorius Thaumaturgus serm. 2. in annunciat. sanctæ Mariæ Virginis dicens: *Vox igitur Mariæ efficax fuit, & Spiritu sancto repleuit Elisabeth: ac velut ex perenni quodam fonte, instrumento linguæ, flumen charismatum per prophetiam cognatæ suæ emisit: & pedibus infantis in vtero colligatis saltum & exultationem suppeditauit, quod quidem miraculosi tripudij symbolum, signumque erat.* Insolitus iste & solemnis saltatus religiosus & mysticus est: nunquid Ioannes in theatro vteri materni Iesu & Mariæ laudes saltat, & saltando celebrat? sed saltatio ista militaris est mundanorum omnium aggeres & fossam sine cunctatione transgredientis, Ioannis, vt regnum cœleste diripiat. Spiritualium armorum tegminibus à Spiritu sancto munitus sese accingit ad pugnam & victoriam passionum; in vteri palæstra sese exercet saliendo, & transgredi satagit cancellos naturæ, vt occurrat Saluatori, & vexillum Imperatoris sui erigat: saltus hic non tam infantis quam gigantis est, qui terrena temnit; qui enim ad summum bonum cupit peruenire, transilit omnia: Ioannes à vitæ exordio sæculi suauia despicit, & fastidit, à deliciarum illecebris expeditus, ad æthera migrans, cœli alta contingit. Iam enim per immaculatæ Mariæ vocem, & viginalis plectri concentum purissimum, sanctimoniæ virginalis amor in cor infantis refunditur, & iuxta exemplar pudicitiæ Deiparæ carnales voluptates respuit. Huius conceptus singularis Rupertus Abbas mirificus, & argutus assertor est libro 1. in Cant. ad ea verba capite 1. vers. 3. *Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te.* Quæ verba cum de Deipara exponit, subiungit de Beata Elisabeth, hæc commata coram Maria proferente: *Huius rei memores super vinum, idest super omne quod in hoc sæculo dulce videtur aut iucundum, recti diligunt te, id est certissime diligent te. Rectorum illorum primus est & erit infans iste, qui à voce salutationis tuæ, qua salutasti me, iam exultauit in gaudio in vtero meo, & lætatur in te memor vberum tuorum super vinum, id est omne sæculum respuens, & carnalis voluptatis commercium, virum se Deo dedicans virgineum propter vberum tuorum lac dulcissimum, quæ videlicet vbera tua de cœlo plena lacte virgineo lactauerunt Deum.* Vnus ex primariis fructibus Marianæ visitationis est Ioannis deuotio & pietas singularis erga Deiparam, cuius præuentus dulcedine, sibi

S. Greg. Thaumat.

Ex pacis nuncio Ioannes excitatur ad bellũ passionibus inferendum.

Rupert.

Ad præsentiam, & vocem Mariæ, & in ipsius honorem Ioannes virginitatem suam dedicas ab vtero Matris, & omne carnalis voluptatis cõmercium respuit.

Digitized by Google

sibi perfecte æmulandam proposuit, deuouens pudicitiam virginalem corporis & animi; cuius virtutis cælestis post Iesum & Mariam Ioannes primus & primitiuus dedicator est. Potissimum incitamentum in Ioanne vt virgineum decus Domino consecraret, materna vbera Dei genitricis extiterunt; *Propter vberum tuorum lac dulcissimum*, &c. necdum expertus maternarum mamillarum delicias & blanditias, in honorem & cultum deifici puelli deiparæ vbera lambentis, lac dulcissimum sugentis, & puerperæ porrigentis mammam, in os Dei paruuli candidulos latices stillantis virginale decus sacrat Ioannes, & illibatum dedicat pudorem: infantuli intra vteri materni claustra occlusi pectus & animum occupauit Mariani spiritus & affectus iucundissima dulcedo, Deiparæ amor gratissimus penitus igniuit, & inebriauit, veluti lymphatum reddidit, vt omnes sæculi blande adulantes voluptates respueret, & blandimenta suauia tanquam quid insulsum, & acerbum fastidiens abhorreret: *Omne quod in hoc sæculo dulce videtur, aut iucundum, omne sæculum respuens & carnalis voluptatis commercium.* Mariæ mare dulcissimum extitit Ioanni, cum ad illius vocem gratia spiritus repletus exultat; extitit quoque salsum & amarulentum cum prægustata cælesti Deiparentis dulcedine, omnia ei mundi gaudia & iucunda amarescunt.

---

§. IV.

Maria interpretatur *Domina.*

Quia ipsa est imperatrix exercituum Dei, & dominatrix rationalium animorum, & cordium.

Quo in loco sacra litteratura Mariæ nomen primò pronunciatum? Lib. Exo.

1. GRATVM & iucundum erit inquirere, vbi primum in antiqui fœderis pagina Mariæ nomen elucet? illudque comperies Exodi cap. 15. vers. 20. *Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressaque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris quibus præcinebat.* Vsque ad hunc locum Mariæ nomē silentio supprimitur, cum celebris & solemnis opportunitas sese anteriori tempore obtulisset promulgandi hoc nomen præclarum, nimirum Exodi capite 2. Cum exposito Moyse infantulo in carecto ripæ fluminis Nili, illius soror solicite expectaret euentum rei, & pia sedulitate nutricem pueri afferret filiæ Pharaonis, non Maria sed soror Moysi nuncupatur, vt solerter annotat noster Cornelius à Lapide scribens *Maria hæc futura esset dux fœminarum hebræarum, eisque præiret tum in transitu maris rubri, tum in hoc carmine epinicio Deo decantando; vnde hoc loco primum ipsa Maria vocatur, nam capite 2. non Maria sed soror Moysi vocatur, quasi diceret: congrue vocata est soror Moysi Maria, id est domina & magistra.* Non ad studium seruandi incolumen puerum Moysen, non ad industriam nutricandi materno vbere, sed ad aliud munus sublimius ductandi exercitum fœminarum per medias maris vndas, occinendi Deo laudes & epinicia

Cornel.

Post adeptū de Pharaone triumphum Mariæ nomen orbi illuxit.

ex deuicto & detriumphato hoste, nobilissimum & pulcherrimum facinus, promulgatio nominis Mariæ debebatur: Cum inter mulieres imperium obtinet & dominatum, vt eas pio & religioso diuini numinis cultu sapienter informet, & ad virtutem dirigat, soror Moysi præclaro Mariæ nomine insignitur. Cum exercitus infensi & aduersantis hostis fluctibus maris obruitur, Tyrannus Pharao funditus interit, & populus Dei prodigiosa victoria potitur, tunc quasi è tenebris taciturnitatis luminosum Mariæ nomen emergit, & illustri præconio prænuntiatur: est enim triumphale nomen, quod semper ambit ornari coronis & palmis. Aliam tamen nobiliorem victoriam agnoscit hoc in loco Philo Iudæus, nomini Mariæ decentissimam. Ait etenim in libro de agricultura per currus, equites, & equitatus Pharaonis intelligi: *Furorem & concupiscentiam, & in vniuersum affectiones omnes, atque etiam cogitationes, quæ his singulis tanquam equis insident. Exercitus autem Dei virtutes sunt propugnatrices piarum animarum quæ vbi viderint deuictum aduersarium, conuenit pulcherrimum decentissimumque hymnum canere datori victoriæ Deo. Ductabat virorum chorum Moyses intellectus perfectus; mulierum vero Maria, sensus purificatus. Canunt & mulieres ad veritatem lectissime virtutum ciuitati adscriptæ, Maria carmen præeunte.* Et statim concludit: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Meliorem enim perfectioremque victoriam inuenire non licet, quam qua vincitur petulantium quadrupedum cernicosorumque agmen validum, hoc est vitiorum, & affectuum.* Hæc argutus Philo Iudæorum disertissimus. Offerebat Deo Maria pulcherrimum & decentissimum carmen ob partam victoriam de improbis affectibus animi, in illa Moysi non obscure adumbratam, cum in curriculo virtutis & mari huius sæculi homo quasi cælestis auriga improbos cordis impetus coërcet, luxuriantes passiones & indociles cupiditates inflectit timoris Domini retinaculis, & fræno diuinæ legis dirigit ad superna, vt inter prospera & aduersa quasi bonus nauclerus scapham corporis decumanis vitiorum fluctibus iactatam, continentiæ & temperantiæ clauo gubernet vt nec libidini obtemperet tanquam seruus, sed exultantium affectuū teneat dominatum. Hæc est enim melior & nobilior victoria cui seruata erat nominis Mariæ promulgatio. Erat intra silentij & cognitionis latebras illud nomen angustum, nec id ausa est, celebris fama & commendatio parturire, & in apertam lucem enuntiationis dare, donec triūphale carmen subiugatarū passionum, & hymnus dominatus & imperij perturbationum animi cōcrepat; inter tibias, tympana pulsata, plausus & gratulationes victoriæ nomen Mariæ resonat. *Congrue vocata est Maria* (aiebat Cornelius) *id est domina & magistra*: Docens animum suarum cupidinum esse dominatorem, & appetentiæ temerariæ dominatricis esse rectorem.

Philo Iud.

De equis & equitibus represētati triumphum symbolum, fuit præclarum victoria, de passionibus & improbis affectibus animi consecuta.

Huius victoria canticis & hymnis Maria præest.

Nobiliori victoriæ nomini Mariæ promulgatio seruabatur.

2. Mirabiles quoque argutias comperies in verbis sacræ paginæ prællegatis, si ea solertius perscruteris; *Sumpsit ergo Maria prophetissa tympanum in manu sua.* Ecce mirabilem coherentiam inter appulsum & tunsionem tympani, & nominis Mariæ prædicationem: cum tympanum pulsatur, Mariæ nomen resultat; expectauit

Lib. Exo.

Tympani strepitu & Mariæ nomē simul resultant apposite.

Dominus

Dominus celebrem lætitiam iubilantium filiorum, & filiarum Israel, & fere insanientium præ gaudio adeptæ victoriæ, vt inter choros & choreas, cum principes populi coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum, ouationis carmen occinerent, prima nominis Mariæ dedicatio & annuntiatio fieret. Illud annecte prædictis quod Mariæ nomenclatio initiatur in virgine, & virginitatis custodiendæ symbolo præclaro. Verba S. Gregorij Nysseni acumen suum indicant lib. de virginitate cap. 19. *Prophetissa Maria quæ exiccato maris transmissoque mulierum choro stipata cum esset, canoro tympano præiuit: tympano tacite significare videtur virginitatem, quæ primum a Maria exculta est; nam tympanum omni aqua humore purgatum, aridumque, magnum sonum emittit; ita virginitas cum nullum huius vitæ humorem in se colligit, clara & illustris existit; si itaque mortuum quidem corpus illud tympanum fuit, quod manibus Maria tractabat: corporisque affectuum interitus quidem virginitas est: prophetriam hanc virginem esse, prophetissam Mariam virginum cœtui præfuisse.* Fœminæ virgini virginitatis primæ cultrici, quæ virginum adolescentularum ductabat chorum; & iuuencularum decore virgineo insignium cœtui exemplo, & magisterio præsidebat, virginale Mariæ nomen imponitur, & canoro tympano præcinens, virginitatis symbolum præclarum manibus præferebat. Tympani corium in ligno extenditur, ab omni humore siccatur, vt tympanizet, sonitumque gratum reddat; sic enim virginitas quæ denotatur in tympano, omne vitiorum profluuium exhaurit, & exiccat; corpusque mundo mortuum reddit, in crucis ligno affigit, & extendit, vt virginitatis canticum & puritatis concentum suauem emittat. Maria soror Moysi Mariæ Deiparæ præludebat virginum antesignanæ, quæ illibata puritatis vexillum erexit. Præcingere corpus docuit balteo castitatis, illudque vsque ad mortem sequestrare à carnalis voluptatis commercio. Maria præcinente, subsequutæ sunt virguncularum immensæ cateruæ post eam, vt deducantur ad regium sponsum, mortificationem Iesu in corporibus suis circumferentes vsque ad extremum vitæ spiritum; vt sequentes agnum quocunque ierit, ex ore ipsarum nouum canticum resonet. Itaque ad corporum mortificationem per ieiuniorum & strictioris disciplinæ ariditatem, ad virginalis pudicitiæ obseruantiam, & humanarum passionum victoriam, nominis Mariæ nuncupatio prorogata est.

S. Greg. Nyss. Tympanum virginitatem denotat, & corpus terrenis affectibus mortuum.

Maria soror Moysi Mariæ Deiparæ præludebat, virginalis disciplinæ magistra, virginum imperatrici.

3. Apud Israelitas Mariæ nomen adeo venerandum, vt ipsius cultu & gratia acies Domini vniuersæ in vno loco consisterent immobiles, donec haberent comitem Mariam. Cum enim propter vituperatum ab ipsa Moysen, candenti lepra apparuisset perfusa, essetque segregata extra castra, illius reditum præstolatus est vniuersus Israel. Numeror. cap. 12. v. 15. *Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco illo, donec reuocata est Maria.* Origenes in catena græca exhibitum Mariæ cultum exprimit suis verbis: *Mansit autem tabernaculum septem dies super locum illum in honorem Mariæ.* Rikelius apud Lorinum: *propter ipsius Mariæ sanctitatem* (inquit) *ac prærogatiuam.* Ipse vero Lorinus sapienter accommodat prædicta Mariæ Deiparæ: *non procedant Ecclesiæ castra sine ipsa, quæ similis etiam dicitur aciei castrorum ordinatæ, dissimilis plane in hoc quod sui filij meritis nulla vnquam peccati, ne originalis quidem attigit ipsam lepra. Hæc præseruata est ne macularetur, illa mundata est post maculam lepræ.* Tantùm inoleuit apud Israelitas Mariæ nominis cultus, vt sine illa nec vexilla mouerentur, nec cohortes incederent, sed omnes immobiles consisterent, donec regrederetur Maria: statio hæc pene innumerabilis populi in honorem, Mariæ facta est, vt ipsa comitante castra Dei, & satellitium præbente & ducatum fœminis, exercitus Domini progrederentur.

Lib. Num. *In honorem Mariæ castra Dei subsistunt, & statio septem dierum non progrediuntur.*
Origen.
Rikelius.
Lorin.

Maria Deipara felicior sorore Moysi, quæ lepra non est inquinata, sed ab omni peccato præseruata.

4. Nec solum est imperatrix agminum angelicorum & humanorum, sed dominatrix cordium & animorum. Hoc Mariæ præconium singulare celebrat sponsus sacer cap. 4. v. 9. cant. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* In hebræo legitur: *Excordasti me, cepisti mihi cor.* Rabbi Salomon apud Genebrardum vertit: *Cor meum ad te pertraxisti.* S. Gregorius Nyssenus hom. 8. in cantica transtulit: *cor nobis indidisti.* Vt cor sponsi dicatur abstulisse & proprium suum sponsa dedisse sponso, quod iuxta legem amantium dictum, cum per mutuam dilectionem vnius animus in alterum migrat. Hanc capturam cordium, furtique mirabilis mutuum commercium inter Mariam & dilectos suos de quo in præsenti loco sermo est, grandioribus verbis celebrat S. Bernardus sermone super *Salue Regina.* Ad verbum illud: *dulcedo.* Vbi mellitus & theodidactus Doctor suauissimum sententiarum & affectuum succum exprimit & propinat legentibus; dum se amantem & redamatum à Deipara introducit: *O Domina quæ rapis corda hominum dulcore, nonne cor meum Domina rapuisti? vbi quæso posuisti illud, vt ipsum valeam inuenire? O raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? quare sic corda simplicium rapis? quare violentiam facis amicis? nunquid ipsum semper vis tenere? cum illud postulo, mihi arrides, & statim tua dulcedine consopitus requiesco. Cum in me reuersus iterum illud postulo, me complecteris dulcissima, & statim inebrior tui amore: tunc cor meum non discerno à tuo, nec aliud scio petere nisi tuum: sed ex quo est cor meum tuo dulcore sic inebriatum, guberna illud cum tuo, & in sanguine agni conserua, & in latere filij colloca: tunc assequar, quod intendo, & possidebo quod spero, quia tu es spes nostra.* Quid gratius quid amabilius & diuinius, quam prædictũ verborum Bernardi mellilegium? Cernis præclarum Mariæ dominatũ in humana corda: quis tanta tam eximiæ cordium permutationi non inuideat, vt Marianæ dulcedinis affectus in animi penetralia infundatur, & iam viuat Mariæ spiritu: Sic spiritum agebat quidam Deiparæ dilectus cuius amore saucium cor ostendit, cum aspirationibus charitate ignitis ad Mariæ nomẽ suspirat, S. German. Archiepiscop. Constantinopolitanus in orat. de dormitione Mariæ tom. 2. Biblior. Græcolatinæ. Ibi fatur: *Quapropter benedictum nomen tuum in sæcula. Quemadmodum enim siticulosus ad fontem properat, sic omnis anima fidelis ad te accurrit, tuo vt auxilio impleatur: ac rursus huiusce aëris perceptio vitalẽ hominibus odorẽ inspirat, ita & Christiani omnis orthodoxi ad te respiratio, diuinitatis ipsũ quoq; participẽ facit.*

Lib. Cant.
Rab. Sal.
S. Greg. Nyss.

Maria raptrix cordium singularis.

S. Bernard.

S. Bernardi cor à Maria raptum, inter vtrosque mirabile cordium & mutuum commercium.

S. German.

Ad Mariæ nomen deprecatio & suauissima aspiratio, & per ipsum animorum confirmatio.

Digitized by Google

facit. Neque enim tantum cæli haustu animæ nostræ respirant, quantum nominis tui protectione confirmamur. Adeo vt in Christo & in te impleatur quod scriptum est: spiratio narium nostrarum es tu, in tegumento tuo & vmbra viuemus. In po-

Lib. Thren. stremis verbis alludit ad Threnorum cap. 4. vers. 2. vbi noster interpres legit: *Spiritus oris nostri Christus Dominus: cui diximus in vmbra tua viuemus in gentibus.* S. Germanus se-

Aquila. Symmach. quutus est græcam lectionem, Aquila legit: *Spiritus narium nostrarum.* Symmachus: *spira-*

S. Ambros. *tionem narium nostrarum.* S. Ambros. in psalm.

Delrius. 118. serm. 15. *spiritus ante faciem nostram.* No-

Schol. græc. ster Delrius, recensens græcum scholium ait: *Quisquis Deum amat Christum assidue spirat, & habet ante oculos propositum. Non tantum amat vt spiraculum vitæ, sed habet pro spiraculo vitæ, seu pro vita qua respirat.* Quia vero de sanctissima Deipara hanc sententiam vsurpat S. Ger- S. Germ.

manus, apte licebit dicere: *Quisquis Mariam amat, Mariam assidue spirat & habet ante oculos propositam; non tantum amat vt spiraculum vitæ, sed habet Mariam pro spiraculo vitæ seu pro vita qua respirat.* Felix anima quæ ad Deiparam continuis aspirationibus, & crebris amoris affectionibus suspirat, nam ad te suspirantes afflat spiraculum cælestis vitæ, & ignem sui amoris inspirat. Qui talis est sub vmbra nominis Mariæ sub illius gloriæ culmine protectus & confirmatus perenni vita viuet. *Neque enim tantum cæli haustu animæ nostræ respirant, quantum nominis tui protectione confirmamur.*



INDEX

Digitized by Google



INDEX

Locorum ac textuum sacræ Paginæ, qui in hoc opere citantur, exponuntur, & illustrantur.

Ex Genesi.

Digitized by Google

47.11. *Et*

Ex Exodo.

Digitized by Google

Ex Leuitico.

Ex libro Numerorum.

uit ficcitas in solo vellere, & ros in omni terra. p.11

7.5. *Dixit Dominus ad Gedeon: qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint in altera parte erunt.* p.422

14. *Respondit is, cui loquebatur: non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israëlitæ.* p.414

9.48. *Abimelech ascendit in montem Selmon cum omni populo suo: & arrepta securi, præcidit arboris ramum, impositumque gerens humero, dixit ad socios: quod me videritis facere, cito facite.* p.547

11.30. *Votum vouit Domino, dicens: si tradideris filios Ammon in manus meas; quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon eum holocaustum offeram Domino.* p.548

14.8. *Et post aliquos dies reuertens vt acciperet eam, declinnauit, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac fauus mellis.* p.475

16.3. *Dormiuit autem Samson vsque ad medium noctis: & inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, impositasque humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* p.196

5. *Veneruntque ad eam Principes Philisthinorum, atque dixerunt: decipe eum, & disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum superare valeamus, & vinctum affligere: quod si feceris, dabimus tibi singuli mille & centum argenteos.* p.289

16. *Cumque molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est.* ibid.

19. *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocauitque tonsorem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.* p.307

19.22. *Venerunt viri ciuitatis illius filij Belial (id est absque iugo) & circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes: educ virum, qui ingressus est domum tuam, vt abutamur eo.* p.133

25. *Nolebant acquiescere sermonibus illius. Quod cernens homo eduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abusi essent: dimiserunt eam mane.* p.133

Ex libro I. Regum.

Cap. 2. v.30. *Nunc autem dicit Dominus: absit hoc à me: sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* p.252

31. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.* p.50

4.1. *Et egressus est Israël obuiam Philisthiim in prælium, & castrametatus est iuxta lapidem adiutorij.* p.184

5.2. *Tulerunt Philisthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon.* p.496

3. *Cumque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.* p.496 & 497

4. *Rursumque mane die altera consurgentes inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam, in terra coram arca Domini: caput autem Dagon & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.* ibid.

9.19. *Et omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi.* p.65

22. *Assumens itaque Samuel Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati, erant enim quasi triginta viri.* p.13

23. *Dixitque Samuel coco, da partem, quam dedi tibi, & præcepi vt reponeres seorsum apud te.* ibid.

24. *Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saul.* ibid.

10.15. *Et dixit ei patruus suus, indica mihi quid dixerit tibi Samuel.* p.130. & 131

16. *Et ait Saul ad patruum suum: indicauit nobis, quod inuentæ essent asinæ. de sermone autem regni non indicauit ei, quem locutus fuerat ei Samuel.* ibid.

17.36. *Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis.* p.379

39. *Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: non possum sic incedere, quia non vsum habeo.* p.381

40. *Et tulit baculum suum quem semper habebat in manibus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum & fundam manu tulit, & processit aduersus Philisthæum.* p.157

49. *Et misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens*

Ex libro II. Regum.

Ex libro III. Regum.

Digitized by Google

Ex libro 4. Regum.

Ex libro Paralipomenon I.

Digitized by Google

Ex libro Paralipomenon II.

Ex libro 1. Esdræ.

Ex libro 2. Esdræ.

Ex libro 3. Esdræ.

Ex Tobia.

Ex libro Iudith.

Ex libro Iob.

3. Et

Digitized by Google

47.12. Et

Ex Leuitico.

Ex libro Numerorum.

nit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra. p.11

7.5. Dixit Dominus ad Gedeon: qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curuatis genibus biberint in altera parte erunt. p.422

14. Reſpondit is, cui loquebatur: non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraëlitæ. p.414

9.48. Abimelech aſcendit in montem Selmon cum omni populo ſuo: & arrepta ſecuri, præcidit arboris ramum, impoſitumque gerens humero, dixit ad ſocios: quod me videritis facere, cito facite. p.547

11.30. Votum vouit Domino, dicens: ſi tradideris filios Ammon in manus meas; quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon eum holocauſtum offeram Domino. p.548

14.8. Et poſt aliquos dies reuertens vt acciperet eam, declinauit, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac fauus mellis. p.475

16.3. Dormiuit autem Samſon vſque ad medium noctis: & inde conſurgens, apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron. p.196

5. Veneruntque ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere: quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos. p.289

16. Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt. ibid.

19. At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit. p.307

19.22. Venerunt viri ciuitatis illius filij Belial (id eſt abſque iugo) & circumdantes domum ſenis, fores pulſare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes: educ virum, qui ingreſſus eſt domum tuam, vt abutamur eo. p.133

25. Nolebant acquieſcere ſermonibus illius. Quod cernens homo eduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abuſi eſſent: dimiſerunt eam mane. p.133

Ex libro 1. Regum.

Cap.2. v.30. Nunc autem dicit Dominus: abſit hoc à me: ſed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. p.252

31. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non ſit ſenex in domo tua. p.50

4.1. Et egreſſus eſt Iſraël obuiam Philiſthiim in prælium, & caſtrametatus eſt iuxta lapidem adiutorij. p.184

5.2. Tulerunt Philiſthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam iuxta Dagon. p.496

3. Cumque ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. p.496 & 497

4. Rurſumque mane die altera conſurgentes inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam, in terra coram arca Domini: caput autem Dagon & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. ibid.

9.19. Et omnia quæ ſunt in corde tuo indicabo tibi. p.65

22. Aſſumens itaque Samuel Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati, erant enim quaſi triginta viri. p.13

23. Dixitque Samuel coco, da partem, quam dedi tibi, & præcepi vt reponeres ſeorſum apud te. ibid.

24. Leuauit autem cocus armum, & poſuit ante Saul. ibid.

10.15. Et dixit ei patruus ſuus, indica mihi quid dixerit tibi Samuel. p.130. & 131

16. Et ait Saul ad patruum ſuum: indicauit nobis, quod inuentæ eſſent aſinæ. de ſermone autem regni non indicauit ei, quem locutus fuerat ei Samuel. ibid.

17.36. Nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi vnus ex eis. p.379

39. Accinctus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere: non enim habebat conſuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo. p.381

40. Et tulit baculum ſuum quem ſemper habebat in manibus: & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum & fundam manu tulit: & proceſſit aduerſus Philiſthæum. p.157

49. Et miſit manum ſuam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens

Ex libro II. Regum.

Ex libro III. Regum.

14.5. *Dixit*

Ex libro 4. Regum.

Ex libro Paralipomenon I.

Digitized by Google

Ex libro Paralipomenon II.

Ex libro 1. Esdræ.

Ex libro 2. Esdræ.

Ex libro 3. Esdræ.

Ex Tobia.

Ex libro Iudith.

Ex libro Iob.

3. *Et*

Digitized by Google

Ex libro Psalmorum.

Digitized by Google

Ex libro Prouerbiorum.

Digitized by Google

Ex libro Sapientiæ.

Ex libro Ecclesiastici.

Ex Isaia.

Digitized by Google

Ex Ieremia.

Ex Threnis.

Ex Baruch.

Ex Ezechiele.

Digitized by Google

Ex Osea.

Ex Ioel.

Ex Amos.


Ex Abdia.

Ex Iona.

Ex Michæa.

Digitized by Google

Digitized by Google



EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Euangelio S. Matthæi.

19. Qui

Digitized by Google

Ex Euangelio S. Marci.

Ex Euangelio S. Lucæ.

Digitized by Google

Ex Euangelio S. Ioannis.

20. Patres

Digitized by Google

21. Dicebant

Ex Actis Apostolorum.

Ex Epistola ad Romanos.

Ex Epistola prima ad Corinthios.

Ex Epistola secunda ad Corinthios.

11.19. Et

Digitized by Google



INDEX

Digitized by Google



INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HOC II. TOMO continentur.

A

Aaron.

Digitized by Google

Index Rerum,

Absalon.

Achab.

Accinctus.

Accipiter.

Adamas.

Adamus.

Adamus

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B

Non

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Catena,

Digitized by Google

Christianus.

Digitized by Google

Index Rerum,

Christus

Digitized by Google

Cingulum.

Ciuitas.

Clauus.

Coagulum.

Columna. Vide Nubes.

Congrega

Digitized by Google

Digitized by Google

Eorum

Digitized by Google

Dæmon

Digitized by Google

Cum

Digitized by Google

Digitized by Google

Discordia.

Digitized by Google

Elias

Digitized by Google

Eucharistia

Pharisæorum

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Vt

Digitized by Google

Non

Digitized by Google

Nominis Iesu encomia.

Iesus filius Iosedech.

Iezabel.

Ignis.

Ignis

Digitized by Google

Habita

Aduersus

Digitized by Google

Lot

Digitized by Google

In

Digitized by Google

Maria

Digitized by Google

In

Digitized by Google

Digitized by Google

Mariæ

Digitized by Google

Maria Magdalena.

Mariæ

Digitized by Google

Digitized by Google

Per

Digitized by Google

Mulier

Mundus.

Munus. Donarium.

Digitized by Google

Panis

Digitized by Google

Digitized by Google

Pax. Vide *Concordia*.

Peccator, Peccatum.

Peccatores

Digitized by Google

Prophe

Digitized by Google

Digitized by Google

Roboam.

Romanus.

In

Sanguis

Digitized by Google

Digitized by Google

Selmon.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cum

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by

Virtutes

Visio.

Vita.

Vlysses.

Vnitas. Vide *concordia.*

Voluptas,& Libido.

Voluptatis,

Votum.

X

Xenocrates.

Z

Zachæus.

Zelus.

FINIS.



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google